3 Civ:

Rx 1.0 m
800 5-1

BM/STC German 525
Adams L-1455

First Edition
with 216 woodcuts by Jost Amman

Fletcher

CHRONICORVM TVRCICORVM, In quibus

TVRCORVM ORIGO, PRINCIPES, IMPERATORES, BELLA, PRAELIA, CAEDES, VICTORIAE, REIQVE MILITARIS RATIO, ET CAETERA

huc pertinentia, continuo ordine, & perſpicua breuitate exponuntur; Et Mahometicæ religionis Inſtituta; Iudiciorumq́; proceſſus, & Aulæ conſtitutio; Procerum item ac populi mores, vitæq́; degendæ ratio percenſetur:

ACCESSERE,

NARRATIO DE BAIAZETHIS FILIORVM SEDITIONIBVS; TVRCICARVM ITEM RERUM Epitome; quomodo nimirum captiui Chriſtiani diſtrahantur, & ab Imperatore Turcico, cæteriſq; Turcis tractentur: Et IOHANNIS AVENTINI *Liber, in quo cauſæ miſeriarum, quibus Chriſtiana Reſpub. premitur, indicantur, Turcicæq; ſæuitiæ reprimendæ ratio declaratur:*

TOMVS PRIMVS.

OMNIA NVNC PRIMVM BONA FIDE COLLECTA, SERMONEQVE latino expoſita, à Reuerendo & doctiſsimo viro, D. PHILIPPO LONICERO Theologo.

TOM. II. *Diuerſa de rebus Turcicis opuſcula continet.*

TOM. III. *Georgij Caſtrioti, Epirotarum Principis (qui propter egregiam belli virtutem Scanderbegus, hoc eſt, Alexander Magnus, cognominatus fuit) vitam, mores, res geſtas, tum Scodræ quoq; vrbis expugnationem, habet: Autore Marino Barletio: Quæ latius poſt primi Tomi præfationem deſcripta ſunt.*

Omnia viuis inſuper imaginibus illuſtrata, Cum rerum & verborum INDICE *copioſo.*



Cum Gratia & Priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.


IMPRESSVM FRANCOFORTI AD MOENVM, M.D.LXXVIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/chronicorvmtvrci00loni

MAGNIFICO AC GENEROSO DOMINO, D. LAZARO A SCHVVENDI, LIBERO BARONI IN HOHEN-

Landſperg, Burckheym, & Triberg: Cæſareæ Maieſtatis militiæ Præfecto & Conſiliario primario: Domino ſuo clementi.



INTER plurima diuinæ ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ ſigna, eaq́; euidentiſſima, haudquaquam poſtremas ſibi vendicat Imperiorum Monarchiarumq́; ordo, & conſeruatio. In quam ſi attentius animorum aciem direxerimus, depræhendemus, inter admiranda diuinæ Maieſtatis & Sapientiæ opera, nihil ea, in hac mortalium vita, vel prius eſſe vel auguſtius: quippe quæ ſocietatis humanæ ſit vinculum, iuſtitiæ, omniumq́; virtutum, in quibus vitæ huius cultus præcipuè conſiſtit, conſeruatrix, adeoque pietatis, & religionis aſſertrix. Hoc opus diuinæ bonitatis & ſapientiæ ideo accuratius intueri & mente complecti nos decet, vt nos ipſos ad gratitudinem excitemus, & ad ardentem innocationem exhortemur, qua apud DEVM Opt. Max. ſedulò inſtemus, vt pro ſua ipſe bonitate, pulcherrimum Imperiorum ordinem conſeruet, Pietatis ſtudia, Religionisq́; candorem tueatur & prouehat, Tyrannorum rabiem aduerſus Imperia, legitimique magiſtratus ſtatuta ſæuientem compeſcat: prę́ſertim cum ea ſit diaboli malitia, vt nihil maiori ſibi ſtudio habeat, quàm perturbato iſto ordine, ſacra prophanis miſcere, Pacem illam κουροτρόφον diſſipare, Pietatem, Religionem, Iuſtitiam, Humanitatem, legesq́; humanæ ſocietati ſeruientes, euertere, ſeditionibus & bellis terrarum orbem inuoluere, impium Religionis contemptum diſſeminare, ſacratiſſima honeſtatis, literarum, pietatis ſtudia è cœtu animisq́; hominum exſtirpare, contrà per cyclopicam barbariem, morumq́; inſolentiam politijs, humanæque ſocietati vaſtationem afferre. Id quod teſtantur plurimæ clades humano generi ex mali-

tia ſpiritus iſtius ἀλάστορος, omniſq; ἐυταξίας diſſipatoris illatæ. Quas ne altiùs modò ex Aſſyriorum, Perſarum, Græcorumq; monarchia repetamus, clariſſimi, potentiſſimiq; Romanorum Imperij clades penitius conſideremus, quibus magna ex parte orbis terrarum colliſus, fœdæ barbariei triſte factus eſt domicilium, conniuente, propter hominum peccata, DEO, omnis iniquitatis vindice, ad Diaboli malitiam, Tyrannorumque furorem. Ipſimet non rarò Imperatores, quibus tuendæ Pacis commiſſa erat cura, imò qui Eccleſiæ nutricij eſſe debebant, auaritia, ambitione, luxuria effaſcinati, Imperij diſſipatores, & euerſores extitêre, dum vel Cyclopicam immanitatem, vel Sardanapali mollitiem, & luxum exprimere, & χειροδίκαι βασιλῆες, quàm ποιμένες λαῶν ἠδὲ βουληφόροι ἄνδρες eſſe maluerunt. Vnde atrociſſimæ ſæpe clades, multiplici miſeria orbem terrarum infeſtârunt. Huc acceſſere exterarum & barbararum gentium graſſationes, quæ frequenter, torrentis inſtar, in Romani Imperij fines effuſæ, Iliada, quod aiunt, malorum ſecũ inuexêre, præcipuaq; regna & nobiliſſimas quaſque ciuitates depopulatæ, paſſim Imperio & Eccleſijs vaſtitatem intulerunt. Nota ſiquidem eſt Vandalorum, Hunnorum, Gothorum, Alanorum, Longobardorum ſæuitia: notum eſt quantum cladium Romano Imperio per has gentes allatum ſit. Nota eſt Caroci Vandalorum Regis immanis ſæuitia, & præpoſtera ambitio, qua velut alter Heroſtratus ex clariſſimarum vrbium interitu nominis ſui famam aucupabatur. Ex ſceleſtæ enim matris ſuæ conſilio clariſſimas ciuitates Moguntiam, VVormatiam, Spiram, Treuirim in fauillas redegit, nec vlli vel ætati vel ſexui pepercit. Suggeſſerat ei mater, vt magnifica ædificia, ab alijs Regibus & Principibus exſtructa, ipſe demoliretur, & quibus alij pepercissent, eos ipſe interficeret, ſic enim futurum, vt æternitati nomen ſuum conſecraret. Cui conſilio obſequutus, cum anno reparatæ ſalutis quadringenteſimo decimo, ingentem ſæuitiam per Germaniam exercuiſſet, anno ſequenti in Gallia, cum ciuitatem Arelatenſium oppugnaret, captus eſt, dignasq; impietatis ſuæ pœnas exſoluit. Poſt eum Attila, Hunnorum Rex, Germaniã & Gallias immenſis collectis copijs miſerè diripuit, donec in Catalaunicis campis virtute Aëtij patricij Romani, & Theodorici Viſegothorum Regis victus, in Pannoniam retrogreſſus eſt, vbi ex crapula ſanguinem fundens, ſuffocatus, in viuis eſſe deſijt, & humani generis diutinæ vexationi finem aliquando vel mortuus attulit. Nec minore ſæuitia Totilas Gothorum Rex aduerſus Romani Imperij regna inſurrexit, qui Belliſarij virtute repreſſus, poſt à Narſete victus occubuit, relicto aliquandiu Italiæ reſpirandi ſpatio.

Quæ grauiſſimæ Imperij clades quid fuêre aliud, niſi pœnæ aduerſus impium mundum parum de verbo, & cultu diuino ſolicitum, graſſantes? Et ſanè pœnarum huiuſcemodi tantò grauior ſequuta fuit exaſperatio, quantò maior inter homines paſſim ſecuritas, verbiq; diuini extitit contemptus. Vandalorum enim, Hunnorum & Gothorum rabiem noua Saracenorum & Turcorum excepit ſæuitia, qui imperante Heraclio, moti præfectorum & quæſtorum inſolenti contumelia, & auaritia, Ducem ſibi Mahometem eligunt, & à Romano Imperatore deficientes, ſeductoris iſtius ductu rem toti terrarum orbi exitialem aggreſſi, leges ſibi peculiares, Religionem nouam, Regnumq; proprium conſtituunt, viribusq; derepente auctis humano generi vaſtitatem, Regnis, Politijs, & Imperijs exitium minati, cædibus & vaſtatione orbem terrarum compleuerunt, adeoq; victricia arma per Aſiam, Africam, magnamq; Europę partem circumtulerunt, & plæraq; regna orbis terrarum ſub triſtiſſimum ſeruitutis iugum miſerunt, niſi quòd aliquæ adhuc Romani Imperij reliquiæ, ex Dei Opt. Max. gratia, qui hoſpitium Eccleſiæ ſuæ conſeruari vult, ideoq; Imperatores & Duces heroica virtute præditos, aduerſus æſtuantem illam Turcicæ tyrannidis rabiem, excitat, ſuperſint, & ſcopuli inſtar, quem marini vndiq; fluctus infeſtant, immotæ perſiſtant.

Cum autem Turcica illa rabies omnia fermè terrarũ orbis Regna peruagata ſit, ijsq; mutationem & vaſtationem attulerit: inprimis vtile fuerit, ſeriem rerum geſtarum, circa initia, & progreſſus tyrannidis Turcicæ, & mutationem illam plurimorum Regnorum, Eccleſiarumq; vaſtationes obſeruare. Nam in contemplatione huiuſcemodi hiſtoriarum, velut in ſpeculo videre licet, quàm nihil in rebus humanis ſit firmum aut durabile, tum quanta hominum ſit vanitas, qui ob potentiam & diuitias ferocientes, Gigantum more θεομαχεῖν nihil verentur. Prodeſt etiam ex mutatione illa regnorum, quæ pulcherrimis quondam legibus fuêre conſtituta, prudentiſſimorumq; Principum virtute aucta, defenſa, & conſeruata, diſcere, quàm graues pœnæ ijs incumbant, qui à maiorum virtute & pietate degenerantes, reuela-

uelatam verbi diuini gratiam negligunt, corrumpunt, adeoq; repudiant. Nempe quòd furori & impietati tyrannorum obijciantur, omnibusque vitæ huius præſidijs & ornamentis ſpoliati, in grauiſſimam ſeruitutem rapiantur, & atroci illa fame prædura q; ſiti haud panis & aquæ, ſed verbi D e i premantur, quemadmodum contemptoribus diuinæ gratiæ minatur Propheta Amos. Quæ ſi altius animo conſiderauerimus, incitamento nobis erunt, vt ſecuritate abiecta, puro corde in verbo D e i nos oblectemus, ardentibusq; precibus D e v m inuocemus, vt ipſe Eccleſiæ ſuæ præſes & protector adeſſe dignetur, rabiem hoſtium compeſcat, & pro diuina ſua gratia impietatem Turcicæ, hoc eſt, vaſtatricis illius Tyrannidis cohibeat, adeoq; eradicet, & quemadmodum de Aſſyriorum Rege Sanheribio Propheta ait, capiſtrum Tyrannorum ori inijciat.

Hæc dum rectiore mecum via reputo, mearum etiam partium eſſe agnoſco, hac in re omnibus ijs, qui à pietate & literis haud ſunt alieni gratificari. Nam cum omnium meorum laborum & ſumptuũ, quos in rem typographicã haudquaquam exiles impendo, præcipuus ſit ſcopus, de omnibus ijs, qui ſunt φιλαπάτριες, φιλόμουσοι, φιλαλήθεις, ἠδὲ φιλοσοφοῦντες, bene mereri, & ſic etiã pro mea virili publicũ bonum augere, idq; hactenus plurimis operibus diuerſarũ facultatum, artium, hiſtoriarum, quæ ex mea officina non ſine magno totius Germaniæ exterarumq; nationum fructu prodiêre, teſtatus ſim, me rem in primis gratam omnibus viris bonis facturum putaui, ſi ea etiam, quæ res geſtas Turcarum concernunt, in certum ordinem, & quaſi in vnum congeſta faſciculum, candido lectori communicarem. Ideoque inſtiti apud Philippum Lonicerum, cuius operam multis modis promptam hactenus expertus ſum, vt qua poſſet diligentia & induſtria, ex diuerſis autoribus, hiſtoriam de Turcarum origine, progreſſu, rebusque geſtis collectam, concinnaret. Qua in re pro ſua ille humanitate, animique circa honeſtiora iuuanda ſtudia promptitudine, haud grauatim mihi inſeruijt, primordiaque, incrementa, & decrementa regni Sarracenici & Turcici ex certis hiſtorijs excerpta, hinc ab Ottomanno, Imperatores Turcicos, addita præcipuarum rerum ſuccincta expoſitione, ordineque, iuxta annorum ſeriem deſcripſit, & Chronologiam quandam hiſtoriæ Turcicæ contexuit, verſibusque ſuccinctis, circa ſingulos Ottomannicæ familiæ Imperatores, illuſtrationem, quam ijs, qui à Muſis haud ſunt alieni, haud ingratam futuram ſperamus, addidit.

Quem librum cum prælo ſubmittere conſtituiſſem, & iam de patrono, in cuius clientelam & fidem Hiſtoriam hanc committerem, ſolicitè diſpicerem: Tua mihi Clementia, Inclyte & Generoſe Domine, mihi occurrebat, cui vt patrono hanc Turcicæ hiſtoriæ ſynopſin dedicarem. Etenim cum exploratum haberem, quanta in re militari nominis tui ſit gloria, quanta virtute & laude, ſub inuictiſſimo quondam Romanorum Imperatore C a r o l o v. hinc etiam F e r d i n a n d o eius nominis primo, quorum beati manes æterna fruuntur pace, maximis expeditionibus non ſolùm interfueris, ſed etiam præfueris, Turcarumque vires & rabiem ſæpe retuderis: haudquaquam virtute illa tua, & nominis tui gloria alienum fore putaui, ſi talem librum, quo variæ bellorum vices, grauiſſimarumque expeditionum labores, pericula, euentus continentur, Clementia Tua, quaſi in clientelam & fidem ſibi commiſſum, ſuſciperet. Præſertim cum ita cum bellica fortitudine tua eruditio certet, & tali fauore ſapientiam eruditioni coniunctam, & bellicas virtutes in te Pallas contulerit, vt in caſtris æquè & Martem & Muſas colere videaris, adeoque cum maximè otioſus eſſe crederis, minimè ſis otioſus, dum dulce leuamen curarum & laborum ex hiſtoriarum, variorumq; Autorum lectione captas.

Et quidem iam olim in votis habui, dari mihi occaſionem, Clementiæ Tuæ & grati & prompti animi ſignificationem aliquam declarandi, ab eo videlicet tempore, quo meum quondam cognatum, Sebaſtianum Feyerabenium, rei militaris ſtudioſum, tibi ita charum & commendatum habuiſti, vt ſummã erga eum beneuolentiam, tum aliâs, tum quando inuictiſſimi Imperatoris C a r o l i v. in inferiori Germania fuit Commiſſarius, exercueris.

Cum itaque præſentis libri argumentum Tuæ Virtuti & Clementiæ maximè conuenire videretur, hanc mihi occaſionem nequaquam negligendam ratus, tuam Clementiam huic libro patronum adſciſcere animum induxi.

Quocirca inclyte ac Generoſe Domine, per ea, quæ cum paucis alijs mira coniunctione

colis, pariter Muſarum & Martis ſtudia, per eam etiam, quam erga meum quondam cognatum Sebaſtianum Feyerabenium exercuiſti beneuolentiam, rogo, vt, quem ex pio animi mei candore offero, à Philippo Lonicero amico meo haud vulgari, me autore concinnatum librum, viciſſim eo animi candore, quem Imperatoribus inuictiſſimis, plurimisq; Regibus & Principibus, tum etiam ſanctis Muſarum cultoribus, multiplici virtute & ſtudio probaſti, ſuſcipere digneris, meque in eorum numerum referre haud verearis, qui Clementiæ Tuæ inſeruire & gratificari ſunt paratiſſimi. Francofurti Calendis Martij, Anno reparatæ ſalutis, M. D. LXXVIII.

Generoſæ Tuæ Clementiæ

Addictiſs.

Sigiſmundus Feyrabendt,
ciuis & Bibliopola Francofurtenſis.

TOMVS

TOMVS PRIMVS CONTINET LIBROS III.

In Lib. I. continentvr,

Turcorum origo, Principes & Imperatores, vſque ad Selimum II. Autore Philippo Lonicero. fol.1.

Militarium apud Turcos officiorum expoſitio: Autore eodem. fol.39.

Lib. II.

Mahometicæ Leges, Religio, vita: Aulæ item Turcicæ apparatus, & caſtrorum, reiq; militaris ratio: Narratio item de Baiazethis filiorum ſeditionibus: omnia ex diuerſis autoribus collecta, & latinè expoſita, eodem Lonicero autore. fol.46.

Lib. III.

Turcicarum rerũ Epitome, quomodo captiui Chriſtiani diſtrahantur, & ab Imperatore Turcico cæteriſq; Turcis tractentur: ex Barthol. Georgieuiz deſcripta, ab eodem Lonicero. fol. 104.

Acceſſit Iohannis Aventini liber, in quo percenſentur cauſæ miſeriarum, quibus Chriſtiana Reſpub. premitur, Turcicæq; ſæuitiæ reprimendæ ratio declaratur fol.113.

TOMVS II. CONTINET DIVERSA DE REBVS *Turcicis opuſcula: De*

Clade Varnenſi, Autore P. Callimacho Experiente. fol.1.

Capta Cõſtantinopoli, Autore Leonh. Chienſi, Mitylenæo Epiſcopo. fol.84.

Capta Nigroponto, incerto autore. fol.102.

Pugna Turcorum & Venetorum ad Sontium amnem, Autore Sabellico. fol.105.

Bello Rhodio, Autore Iacobo Fontano. fol.113.

Bello Pannonico, Autore Melchiore Soitero à Vinda. fol.184.

Capta Naxo inſula, Autore Iohanne Criſpo. fol.220.

Vaſtato Vngariæ regno, Autore Iohanne Martino Stella. fol.226.

TOMVS III. CONTINET

Georgij Caſtrioti, Epirotarum Principis (qui propter egregiam virtutem Scanderbegus, hoc eſt, Alexander Magnus, cognominatus fuit) vitam, mores, res geſtas, Autore Marino Barletio, ſacerdote Scodrenſi. fol.1.

Scodræ vrbis expugnationem, Autore eodem Barletio. fol.231.

DE

DE ORIGINE TVRCORVM, EORVMQVE SVB SARACENIS, TARTARISQVE VICTORIIS, ET CLADIBUS, tum etiam incremento, Regibus & Imperatoribus,

LIBER PRIMVS.



PROOEMIVM PHILIPPI LONICERI, AD LECTOREM.

DE TVRCORVM ORIGINE DISCORDES *traduntur opiniones. Plæriq; Scythici eos ſanguinis eſſe aſtruunt, tum quod in victu, foro, commercijs, & emporijs optime inter eos & Scythas conueniat, tum etiam, quod Nomadum Scytharũ inſtar, quos paſtores, ſiue armentarios rectè dixeris, mutandis ſubinde papilionibus, de loco in locum, latrocinijs deditì tranſmigrârint, quod & ratio nominis innuit. Significat enim Turca hominem agreſtem, aſperamq; vitam Nomadum ritu degentem. Alij ad Parthos genus eorum referunt. Sunt deinde qui ex Turca Perſiæ ciuitate hoc genus hominum progreſſum eſſe contendant. Plinius & Pomponius Mela inter Scythicas gentes ad latus Septentrionale Caucaſi montis eos collocant, per cuius anguſtias ex Septentrione in*

Ambigua Turcorum origo. Scythæ. Laonicus Chalcõdyla. Nomades. Turca quid ſignificet. Parthi. Perſæ.

Turcæ à Perſis in Aſiam exciti, circa annum 640.

Aſiam irrupiſſe dicuntur, exciti à Perſarum Rege Orimaſda (qui & Hormiſda) aduerſus Saracenorum in Perſiam impreßionem. Subactis autem Perſis, eorumq́ vaſtato à Saracenis Imperio, circa annum 640. Turci

Turcæ Saraceniſ ſe coniungunt.

cum Saracenis, contra quos Perſis ſubſidio venerant ſe coniungunt, initoq́ pacis fœdere cum Calypha Babylonio, eorum Mahometica impietate ſe obſtringunt, captiq́ amœnitate & fertilitate ſoli, ad mare Hircanum in terra Choraſenorum conſidunt, nihilq́ à moribus & religione Saracenorum

Saracenis attritis Turcæ emergũt, circa annũ 1051.

diſcrepantes, eorum ſocietati firmiter adhæſerunt, donec illis per domeſticas diſcordias attritis, cum per annos 198. Imperium Perſidis atq́ Aſiæ penes ipſos fuiſſet, regnum ſibi proprium conſtituerent, Imperiumq́ Aſiæ, circa

Turcæ à Tartaris labefactati Imperio excidunt, anno 1243.

annum 1051. ſibi vendicarent, quo rurſus, annis 192. poſt, à Tartaris labefactati, excidêre, anno 1243. donec virtute O T T O M A N N I I. *ſui Imperatoris, anno 1300. toti orbi terrarum ſtragem, & excidium minati ſunt.*

Turcici Imperij inſtaurator Ottomannus, anno 1300.

ſuiq́ regni terminos per Aſiam & Africam, magnamq́ Europæ partem extenderunt. Sic à tenuibus primordijs ad ſummum potentiæ faſtigium, arrepta ex Regum Imperatorumq́ ciuilibus diſcordijs occaſione, intra breue tempus conſcendêre, nec ſolum Imperium Orientis ad ſe rapuerunt, ſed etiam immenſis innumeriſq́ cladibus Romani Imperij reliquias anguſtijs arctis incluſas attriuêre, in armis ſemper excubantes, non tam vt ſua defenderent, quàm vt aliena raperent, præcipuiſq́ orbis terrarum regnis, nationibus, & ciuitatibus cladem vaſtationemq́ afferrent, vt nemini, niſi qui apertis oculis cæcutiat, inde obſcurum ſit, Turcorũ rabiem & vaſtationem

Turcæ flagellum Dei.

flagellum eſſe D E I *punientis impietatem hominum, contemptumq́ verbi ſui. Haſce ergo tum mutationes tum vaſtationes regnorũ & Imperiorum,*

Inuocatione nominis diuini pugnandum contra Turcam.

quas Turcica rabies peperit, quoties animo voluimus, incitamento nobis erunt, non ſolum ad agnitionẽ iræ D E I, *verùm etiam ad emendationem vitæ, tum ad ſedulam inuocationem, qua, vt firmißima machina aduerſus*

Concordia opus cõtra Turcam.

Satanæ omniumq́ Tyrannorum furores pugnemus. Concordiæ etiam ſtudium hiſtoriæ huius meditatio animis noſtris, præſertim verò eorum, quibus Reipub. adminiſtratio & cura commiſſa eſt, ingenerabit. Dum enim diſcordibus animis inter ſe Principes & Reges conflictantur, quid quæſo aliud agunt, quàm quod hoſtis immanißimi potentiam ſtabilientes, ei prædam optatam ſeſe obijciant? Quare initia, progreſſus, & incrementa Tyrannidis Turcicæ, tum etiam ſeriem Imperatorum, præcipuaſq́ eorum res

Autoris conſilium & ſcopus.

geſtas, hinc inde ex diuerſis autoribus excerptas, ordine deſcribere in animum induxi, vt hic quaſi in tabula ob oculos lectori ponerẽ vindicis D E I *iram, tum aduerſus alia quæuis hominum ſcelera, qui verbis quidem mandata* D E I *& religionis ſynceritatem confidenter ſatis iactitant, re ipſa verò ab omni pietate ſunt alienißimi, tum inprimis aduerſus diuini verbi contemptum, inuectoſq́ in Eccleſiam errores multiplices, idololatricoſq́*

cultus

cultus & blaſphemiam: Adhæc vt has regnorum Imperiorumq́ viciſſitudines Chriſtianorumq́ clades, & Turcarum incrementa animo conſiderantes inde agnoſcamus, quàm res Imperijs ſit exitialis, Principes, Reges, Imperatores inteſtinis certare odijs, ambitioneq́ ardentes, mutua ſibi in propulſandis hoſtium iniurijs, & contumelijs, negare auxilia. Quò autem certiore ordine, quæ huic noſtro inſtituto inſeruiunt, exequamur, exactiusq́ Turcorum originem, incrementa, res geſtas, religionem, diſciplinamq́ militarem lectori repræſentemus: à ſeductore illo & pſeudopropheta Mahomete initium faciemus, quo ille aſtu, quantaq́ impietate regnum ſibi ſtabilierit indicaturi, hinc ordine Saracenorum, Turcorumq́, tum etiam Tartarorum Duces, Regesq́ vſque ad Ottomannicam familiam, quaſi in tabula quadam breuiter ſubnectemus: ijs deinde Imperatores Turcicos ab Ottomanno deſcendentes, adiectis præcipuis eorum rebus geſtis ſubiuncturi. Sub finem nonnulla de militaribus imperij Turcici officijs addemus, vt inde animaduertatur, quibus ſubſidijs innitatur tanta Turcarum potentia, quæ exundantis inſtar fluminis alia imperia abſorbet, trophæisq́ cruore gentium & Chriſtianorum aſperſis totum ferè terrarum orbem inſignit. Hæc in Germanicam linguã ex Italica ante annos aliquot fœliciter tranſtulit Clariſ. vir Henricus Müllerus Iuriſconſultus. Nos paucis circa principium additis, vt ordo hiſtoriæ eſſet planior, eadem ex varijs autoribus excerpta, latino idiomate lectori beneuolo exhibemus.

Ordo ac diſpoſitio huius voluminis.

Mahometes Turcorum Propheta.

Secundus liber Italice ab Antonio Mænauino Genuenſi conſcriptus fuit. Js religionem, ritusq́ Turcarum varios, tum etiam militaria & ciuilia officia continet, præterea hiſtoriam Baiazethis, eiusq́ filiorum, inprimis Selimi luculenter deſcriptam. Eundem prænominatus Müllerus in Germanicam linguam non minore cum laude quam ſuperiorem tranſtulit. Jn hoc vel addere, vel immutare aliquid nefas eſſe duximus: Eò quòd annis aliquot Genuenſis ille inter Turcas vitam egerit, & rebus ijs, quas deſcripſit, magna ex parte interfuerit, nec aliunde collecta, ſed ſua nobis communicarit. Jn his itaq́ duobus libris, cum ordo rerum in ijs aptè continuetur, quaſi chronologiam quandam hiſtoriæ Turcicæ, & præcipuarum rerum compendioſam narrationem exhibemus. Quem laborem noſtrum vt candidi animi beneuolentia quiſquis in eum inciderit amplectatur enixè rogamus.

DE MAHOMETE ET REGNO SARACENORVM.



Mahomet naſcitur, Anno 591.

IMperante Mauritio, Anno reparatæ per Chriſtum ſalutis, 591. natus eſt Mahomet in humani generis perniciem, obſcuris parentibus, in Arabiæ pago Itrarip, qui cum fraude & impoſturis magnam nominis ſui famam inter ſeditioſos Arabes & Aegyptios comparaſſet, tandem ſub Heraclio, Anno 623. Saracenorum & Arabum Dux & Propheta factus eſt. Militauerat apud Heracliū exercitus Saracenicus contra Perſas, cumq́ non ſolum ſtipendia ei negarentur, ſed etiam Heraclij quæſtores contumelijs eos irritarent, dicentes, difficulter Romano Græcoq́ militi poſſe dari ſtipendia, nec ſupereſſe pecuniam, quæ huic canum turbæ obijceretur: Hac illi permoti iniuria, cum alioquin ad defectionem & latrocinia eſſent procliues, oppida Damaſco vicina diripiunt, excuſſoq́ Romanorum imperio, Ducem ſibi Mahometem, qui ducta vxore ditiſsima largitionibus ſibi ſeditioſorum animos facilè conciliabat, crearunt. Ipſe impoſturæ plenus enthuſiaſmos & colloquia diuina fingebat, nouamq́ doctrinam ex deprauatione veteris nouiq́ Teſtamenti conſutam, quam diuinitus ſibi reuelatā & traditam eſſe mentiebatur, ſuis aſſeclis, opera Sergij cuiuſdam monachi Ariani vſus, promulgabat. Ab his initijs impoſtor diuinos ſibi, inter ſuos, honores ad-

Mahometica doctrina ex deprauatione veteris ac noui Teſtamenti conſuta, opera Sergij.

res adeptus eſt, regnumq́ Saracenicum, cum quo Turcas, eandem propter religionem, coniungimus, inſtituit. Regnauit in vicinia Damaſci annis 9. mortuus Anno CHRISTI, *631. ætatis annum agens 40. veneno, vt ferunt, extinctus. Nam cum gloriatus eſſet, ſe tertia die reſurrecturum, ideoq́ corpus ſuum humo tegi vetuiſſet, vnus ex diſcipulis eius Albunor veritatem & doctrinæ & vaticiniorum probaturus, clam ei venenum propinauit, quo hauſto, toto corpore tumefactus interijt. Cumq́ in duodecimum vſq́ diem corpus eius inſepultum iaceret, nec vlla reſurrectio, ſed fœtor intolerabilis ſequeretur, Albunor ſuperueniens corpus à canibus diſcerptum offendit, oſſaq́ reliqua collegit, & in vrnam concluſa ſepelijt.* Mahometh moritur.

Mahometi ſucceßit in Regno Saracenorum EBVBEZER *gener, qui annis tribus regnauit, & intra breue illud ſpacium Damaſcum cepit, regniq́ caput conſtituit, Gazam etiam & Hieroſolymam biennio obſeſſam vaſtauit. Vocatur idem generali nomine* AMIRAS *& Caliphas, quod ſucceſſorem ſignificat: ſummumq́ Principem, penes quem imperij & religionis poteſtas eſſet, quales fuêre Babylonis, vbi regni poſtmodum fuit ſedes, hoc nomine intellexerunt.*

Tertius Saracenorũ Rex fuit HAVMAR, *qui regnare cepit anno 634. regno præfuit annis 12. magnaq́ Syriæ parte domita, Aegyptum occupauit. Hoc regnante Perſæ, quorum Rex erat Orimaſda, aduerſus Saracenos, Turcorum implorarunt auxilia, qui cum, Perſis iam deuictis, in procinctu eſſent, cum Saracenis pacis fœdera inierunt, communibusq́ armis & conſilijs pro eadem ferè gente Turci & Saraceni habiti fuêre. Deuictis ſubactisq́ Perſis, cum potiti iam eſſent Saraceni Syria, Cilicia, Cappadocia, Meſopotamia, Cypro inſula, Aegypto, Hieroſolymis, Mahometicam religionem nouasq́ leges, abolitis prioribus, condiderunt, conſtitutaq́ regni ſede Babylone, ſummum Ducem vel Regem Calypham nominarunt. Prouincias adminiſtrarunt per præfectos, quos Suldanos appellarunt, quorum magnus fuit numerus, potentißimus inter eos fuit Aegypti Suldanus Muhauias, qui Cæſaream Paleſtinæ cepit anno 642. anno deinde 654. Rhodum nobilißimam inſulam occupauit, ex qua plurimum auri auexit, & coloſſum Solis deſtruxit, cuius ære, quod in Aegypti Alexandriam deportari iußit, noningentos Camelos oneraſſe dicitur. Prædæ magnitudo occaſionem fabulæ de Solis coloſſo dediſſe videtur, vt Philippus Melanthon affirmat. Plinius enim author eſt, multò ante fuiſſe euerſum terræmotu. Ab eodem Muhauia Conſtans Imperator in Lycia magno prælio victus, ægre fuga elapſus eſt.*

Turci Saracenis ſe coniungunt.

Calyphas.

Suldani.

Muhauias Aegypti Suldanus.

Coloſſus Solis apud Rhodios.

Haumari ſucceßit HOAM, *qui &* HOTMAN *Rex Saracenorũ* IIII. *anno 646. ſub quo Saraceni Africam inuaſere, fugatoq́ Tyranno Gregorio, qui Imperatori Romanorum rebellarat, tyrannidemq́ occuparat,*

ſibi eum tributariam reddidêre. Decimo regni ſui anno, Hoam fraude ſuorum occiſus eſt, Anno 656.

MVHAVIAS *quintus Saracenorum Rex, annis regnauit 24. Sub hoc, Saraceni Africam rurſus inuadentes* LXXXM. *captiuorum abduxerunt. Maxima etiam expeditione, quæ ſeptem annos durauit, terra mariq́; Romanorum fines, fruſtra Conſtantinopoli tentata, Cizyco verò occupata, deprædati, Lyciam Ciliciamq́; bello fatigant, Thraciam nauibus pedeſtriq́; itinere ingreſſi vaſtant. Tandem à Mardis occupato Libano, claſſeq́; amiſſa, ad pacis conditiones ſuſcipiendas à Romanis ſunt coacti, quotannis iuſſi pendere* III. *millia librarum auri,* L. *captiuos nobiles, cum totidem equis. Nam arte Callinici architecti ignibus ſub aqua factis naues Saracenicæ incenſæ fuerunt, qua re magna multitudine deleta, reliqui fugere coacti ſunt. Ad Maleam reliquæ Saracenorum naues ex aduerſo ventorum turbine partim illiſæ ſunt ſcopulis, partim demerſæ in mare, qua calamitate circiter triginta Saracenorum millia perierunt.*

Saraceni vaſtant Romanū Imperium.

Turci à Romanis victi.

Huic ſuccedit Anno 681. filius GAZID, *qui tribus annis præfuit regno, quo mortuo, contra Habdallam tyrannum, vel Amiram ſeptimum, Amiras vel Rex eligitur* MARVAN, *qui cum menſes nouem regnaſſet, ei ſuffectus eſt filius* HEDIMELECH, *vel* HADDIMELECH, *Amiras nonus Anno 685. qui regnauit annis 22. Inter hunc & Imperatorem Romanorum Iuſtinianum pax renouata eſt, ſed mox Iuſtiniano pactis haud ſtante reſciſſa fuit, fuſisq́; per Saracenos Romanis, nomen Saracenum creuit, dignitas verò Romanorum valde imminuta fuit.*

Haddimelecho ſucceſſit Anno 707. VLID *decimus Saracenorum Amiras, qui Chriſtianorū templum Damaſci in prophanum vſum rapuit, cui cum decem annos regnaſſet, ſuffectus eſt vndecimus Amiras* ZVLZIMIN, *vel* ZVLEYMEN, *vulgo Solimannus Anno 716. qui tertio anno regni in caſtris ante Conſtantinopolim moritur. In obſidione illa Conſtantinopolitanæ vrbis, quæ biennium durauit, multi ex Saracenis, fame, peſte, & frigore, interierunt. Superſtites cum domum reuerti ſtatuiſſent, exorta tempeſtate maris, & igne de cœlo cadente, partim igni, partim aquis abſumpti ſunt. Eodem anno, qui fuit 719. Saraceni damnum acceptum reſarturi, cum ingenti exercitu in Hiſpaniam,* MVZA *duce, irruunt, victoq́; Roderico, magnam eius partem occupant, regnumq́; ſibi conſtituunt, ac in primis viginti annis Reges quindecim ſibi ſuccedentes habuêre.*

Saraceni Hiſpaniam occupant.

Duodecimus Amiras, vel Saracenorum Princeps HAVMAR *regnauit annos duos. Poſt hunc* GIZID *ſecundus eius nominis, cui cum Iudæus quidam promiſiſſet quadraginta annorum principatum, ſi* DEI *ſanctorumq́; imagines demoliretur, ille ſpe regnandi ſeductus, edictum quidē promulgauit, ſed anno ſtatim quarto regni ſui moritur, Anno 724.*

ELVE-

Elvelid Gizidis filius quartus decimus Amiras regno præfuit annis 18. Hic decimo quinto regni ſui anno, cum LXXXM. *in Aſiam mouit, ſed amiſsis ducibus & copijs inglorius receſsit. Hoc regnante circa annum 729. Saraceni ab Eudone VVeſtgotto Aquitaniæ domino contra Francos ex Hiſpania euocati, Gallias inuadunt, ſecum vxores & liberos ducentes, fuit multitudo ad* CCCCM. *Capta direptaq́ Burdegala, ad Turonum vſque magna Chriſtianorum multitudine trucidata peruenerant. His ſe opponit Carolus Martellus, cui ipſe etiam Eudo, territus Saracenorum multitudine, ſe coniungit, magnaq́ Saracenorum ſtrage edita, ipſe etiam Rex eorum Abdimarus cecidit, magnoq́ terrore Italia & Gallia liberata eſt. Anno deinde 735. Saraceni rurſus Galliam inuadunt, & duce* Athino *Auinionem capiunt, belliq́ arcem conſtituunt. Carolus Martellus vrbem obſidione cinctam & expugnatam recipit, Rex Athinus nauicula elapſus Narbonem profugit. Hanc vrbem cum obſideret Carolus, Amoreus alter Saracenorum dux, vt circumſeſsis opem ferret, ex Hiſpania venit. Quem Martellus prælio adortus, antequam ſe cum obſeſsis coniungeret occidit, eiuſq́ copias profligat. Athinus cum exercitu ſuo ex Narbone in Hiſpaniam fuga elapſus eſt. Vltimo anno regni huius Eluelidis Saraceni, Romanis inter ſe certantibus, Romam deprædati ſunt, Anno 742. Sub hoc etiam Rege mentio fit Turcorum, contra quos Saraceni, cum ad Caſpias vſq́ portas duce Maſalma progreſsi eſſent, metu perculſi rediêre.*

Saraceni Gallias inuadũt.

Athinus.

Amoreus.

Eluelide mortuo, quintus decimus Amiras, Gizid *tertius, regnum capeſsit, quo, cum annum regnaſſet, occiſo, filius eius* Hyces *ad regnum euectus eſt. Quo item intra annum ſublato, regni adminiſtrationem ſuſcepit,* Marvan *ſeptimus decimus Amiras, Anno 745. regnauit annis 6. Quo perempto à duce Choraſmiorum vltra Perſidem habitantium, Amiras octauus decimus ei ſuffectus fuit* Mvhamad, *qui &* Abvbalas, *huic, cum annos quinq́ regnaſſet, vitamq́ cum morte commutaſſet, ſucceſsit 756. anno Habdallas.*

Habdallas, *Amiras nonus decimus, annis regnauit 21. Chriſtianorum perſecutor. Sub huius principatu Magi quidam ex Maurophoris Perſis eò delabebantur veſaniæ, vt ſibi ipſis atq́ alijs ſtultè credulis perſuaderent, ſi venundata ſubſtantia omni, nudos ſeſe de muris ciuitatis præcipitarent, tum ſine mora eos ad cœlum ſubuolaturos eſſe. Perierunt hac inſania permulti. Sed Habdallas per Halim præfectum ſedecim, ex Magorum Principibus interfecit, atq́ dementiæ finem impoſuit. Sub hoc etiam Saracenorum Principe Turcæ iterum ex portis Caſpijs effuſi, in Colchicam & Armeniam irruperunt, vbi & cum Saracenis præliati ſunt.*

Hæreſis Magorum inter Perſas Maurophoros.

Poſt Habdalam Saracenis imperat Mady, *qui &* Mvhamat, *annis nouem, Anno 777. Hic magno exercitu Aſiam ingreſſus, commeatu in-*

tu interclusſus nihil effecit. Eius deinde filius Aaron annis quatuor pòſt in Aſiam traijciens Romanos ad petendam pacem coëgit. Irene Saracenis tributum pacta eſt.

Mady mortuo, filius eius MOYSES *Saracenis imperat annis duobus, cui ſuccedit frater* AARON *Amiras viceſimus ſecundus Anno 787. qui annis regnauit 23. Sub huius principatus anno quinto Arabes Cyprum inuadunt, Anno duodecimo Saraceni Cappadociam vaſtant, Irene pacem petenti negant, Romaniam depopulantur. Hic Aaron Carolo Magno ingentia munera & Elephantem miſit. Contra Nicephorum Imperatorem cum trecentis millibus aſcendit, quem non ferens Nicephorus turpe fœdus iniјt, pactus ſe ei daturum annuatim tricena millia numiſmatum, & tria numiſmata in tributum capitis Imperatoris, & tria pro capite filij ſui.*

Aaroni ſucceßit filius MVHAMAD, *ſub cuius dominatu Arabes in varia dominia diſperguntur. Regnauit annis 5. Ciuile bellum geßit cum fratre ſuo Habdalla, à quo ſuperatus eum regni conſortem inuitus admiſit, quo bello res Saracenorum labefactatæ ſunt.*

HABDALLAS *poſt fratrem, Amiras viceſimus quartus, ſolus imperat annis 17. Anno 815. Huius imperij anno quinto decimo Saraceni in Italiam traijcientes Vaticanum diripiunt. Eodem regnante Saraceni Cretam inſulam occupant, & totam ferè in ſuam ditionem redigunt. Græcos duplici bello vincunt.*

Saraceni profligant Venetam & Conſtantinopolitanā claſſem, diripiūt Anconam, vincuntur à Romanis, Anno 847

Habdallæ ſurrogatur Anno 832. MVHAMAT, *Amiras vigeſimus quintus, regnauit annis 40. Sub huius principatu circa annum 847. Saraceni claſſem Venetam, & Conſtantinopolitanam vicerunt, Dalmatiam inuaſerunt, hinc in Italiam deflectentes Anconam vi captam ſpoliatamq́; incenderunt. Romam aggreſſuri apud Hoſtiam Anno 849. à Romanis ciuibus proſpero prælio victi ſunt. Mortuus eſt Habdallas Anno* CHRISTI, *871.*

Turcæ Saracenorum imperium tollunt.

Ad hunc Mahamat, ad annum 832. quo MAHAMAT *regnare cœpit, ab initio regni Saracenici, ab anno videlicet 632. numerantur anni ducenti. Per quos annos Saraceni imperium Aſiæ & Perſidis obtinuerunt, alijsq́; gentibus terrori fuêre. Poſtquam autem ex æmulatione & dominandi libidine, Suldani inter ſe dißidia & bella mouerunt, vires eorum inteſtinis bellis paulatim ſunt attritæ, contrà Turcorum potentia creuit, Saracenorumq́; imperium ſuſtulit. Non enim Suldani ſolum inter ſe, ſed etiam cum ipſo Calipha dimicabant. Cumq́; Caliphæ viribus impar eſſet Suldanus Perſidis, Sogdianæ (quæ eſt regio quam Turcæ illi Saracenorum confœderati ab Orimaſda Perſarum Rege vltimo exciti occuparant) & Mediæ Mahomet, armauit Turcos, quorum auxilijs inſtructus cum victor eua-*

ctor euaſiſſet, nec tamen ſtipendia promiſſa numeraret, illi hac iniuria irritati victorem Mahometem armis adorti regno eiecerunt, ditatiq́ ſpolijs, vlterius progreſſi ſunt, plurimisq́ regionibus ad pontum Euxinum bellorum proſpero ſucceſſu aucti, in Armenia maiore & minore Cappadocia, Galatia, & Bythinia peculiare regnum inchoarunt, Aſiæq́ tandem imperium ſibi vendicarunt, Anno CHRISTI, *1051. Regeq́ proprio ſibi electo, à Calypha Babilonio, cum quo amicitiam vtcunq́ colebant, extorſerunt, vt ipſe Aſiæ Imperatorem eum crearet.*

Nos verò omiſſis varijs illis Suldanorum inter ſe de ſumma rerum digladiantiũ concertationibus, quæ vltra ducentos annos durauerunt, Turcorum primos Imperatores, qui oppreſſo regno Saracenico in Aſia regnarunt, recenſebimus. Quorum rurſus potentiam annis ferè ducentis poſt Tarturi attriuêre, eorumq́ imperio labefactato, ſeruitutis iugo vſque ad Ottomannum illum Turcicæ libertatis, potentiæ & religionis acerrimum aſſertorem, nempe ad annum vſq́ CHRISTI, *1300. eos preſſerunt.*

DE PRIMIS TVRCICIS IMPERATORIBVS, QVI DESTRVCTO SARACEnorum Imperio regnarunt.



ANno CHRISTI *ſupra 1051. ex mutuis Suldanorum diſſidijs, Saracenorum rebus labefactatis, Turquiniani, qui & Turcæ, ſibi ipſi Regem proprium Zadocum conſtituunt, qui intra biennium maiorem Aſiæ partem intra Taurum montem, & pontum Euxinum* Turcorũ Imperiũ, Anno Chriſti, 1051.

num bello ſubegit, & Turcici regni fundamenta iecit, à Calypha Babylonio Imperator Aſiæ creatus.

Zadoco ſucceßit in Imperij Turcici adminiſtratione filius Dogriſſa, anno 1053. qui expugnata Edeſſa, quæ eſt in hiſtoria Thobiæ Rages, vniuerſam Meſopotamiam vnà cum Cilicia, Imperatoribus Conſtantinopolitanis ademit, & cuidam ex agnatis Artoto, cuius opera Edeſſam expugnarat, donauit, Regnauit annis tribus & viginti.

Turci inuadunt Cõſtantinopolitanos.

Dogriſſam ſequutus eſt filius Aſpaſalem, anno CHRISTI *ſupra 1076. Huius nepos Solymannus Suldanus Niceæ, res magnas geßit in Aſia. Nicea enim expugnata, Cappadociaq́ſubacta regnum ibi Turcicum, quod hodie adhuc durat, inchoauit. Idem exercitum inſtructißimum Chriſtianorum, qui Bilioneum duce Petro Heremita in Aſiam præceſſerat, ad internecionem cecidit. Cum duce Godefrido Bilioneo, qui terram ſanctam recuperauit, in aditu Aſiæ conflixit. Regnauit Aſpaſalem annis decem.*

Chriſtiani, qui Bilioneũ ſecuti erant, profligati.

Quartus Turcorum Rex fuit Aſpaſalemis filius Meleclas, patri in regno ſuccedens anno 1086. hic per Solymannum & Artotum Suldanos, ante aduentum Godefridi Antiochiam capit, omnesq́ finitimas regiones Aſiæ minoris Græcis ademit. Regnauit annis nouem.

Belchiarocus Meleclæ patri ſucceßit Turcorum in Aſia quintus Imperator, circiter annum 1095. in quæ tempora incidit famoſa illa noſtratium Argonautarum aduerſus Saracenos, pro recuperanda terra ſancta in Aſiam duce Godefrido Bilioneo, expeditio.

Belchiaroco mortuo, anno 1098. frater eius natu minor imperium occupaturus à Suldanis in electione diſſentientibus occiſus, & in minutas partes diſſectus eſt. Diſtractis itaq́ in factiones Turcis, Georgiam ſic dicti, à Georgio, quem militiæ patronũ venerantur, & Armenij, qui Chriſtianæ tum religioni addicti erant, cognita Chriſtianorum in Syriam expeditione, magnis viribus Turcos inter ſe diuiſos aggrediuntur, eosq́ toto Perſarum regno exuunt, quorum pars maxima ad Solymannum, Arthotum, & alios minoris Aſiæ Turcos ſe contulerunt, donec circiter annum CHRISTI *1240. Tartari deſtructo eorum regno in Aſia rerum potiti ſunt. Interea verò aßidua bella cum Regibus Hieroſolymitanis geſſerunt. Qua de re breuiter præcipuas hiſtorias aßignabimus.*

REGES

REGES HIEROSOLYMITANI, PER QVOS SARAcenorum & Turcarum potentia aliquandiu fuit attrita.



ANno CHRISTI *1099. Godefridus Bilicneus, poſt continuam triginta octo dierum oppugnationem, eiectis Sarracenis Hieroſolymis potitus eſt, primusq́ Hieroſolymorum Rex declaratus, ſolenniq́ initiatus ritu, ſpinea, exemplo* CHRISTI, *non aurea corona ornari voluit, anno ſequenti, 1100. fato functus.* I. Godefridus Bilioneus primus Rex.

Huic ſucceſſit anno 1101. frater Balduinus, comes Edeſſanus, qui regno præfuit annis octodecim, editaq́ ingenti ſtrage Sarracenorum Antipatridem, Cæſaream, Ptolemaidem, Tripolim, & Berythum vi expugnatas regno adiecit. II. Balduinus Edeſſanus.

Idem anno 1115. à Turcis, Saracenis & Arabibus victus eſt, Tancredo duce exercitus occiſo.

Poſt Balduinum, tertius regnum poſſidet Balduinus de Burgo, Balduini prioris patruelis, anno 1118. Hic Regem Perſarum deuicit atq́ occidit, Damaſci Regem fugauit. A Saracenis deinde, vel Parthorum Rege captus, vltra Euphratem vinctus cuſtodiæ demandatur, poſt octauum & decimum menſem inſidijs è carcere liberatur. Sub hoc Hieroſolymis ordo Templariorum cœpit, anno 1118. Qui vrbi cuſtodiendæ (Nam limites longius ab vrbe tutabantur cæteri, continentibus aduerſus hoſtes bellis) adducendisq́ tutò & reducendis ijs, qui nauibus appulſi peregre ad vrbem III. Balduinus de Burgo. Templariorũ ordo.

B 2 commea-

commearent & remearent, deſtinati erant. Ordo hic extinctus eſt anno 1211. ſub Clemente V. *& Henrico* VII.

IIII. Fulco Andegauienſis.

Anno 1134. Fulco Andegauienſis, gener Balduini eius in regno Hieroſolymitano ſucceſſor, Turcas prope Ybelim profligauit, in ſacra ſcriptura Geth. Hic anno 1142. in venatione leporem inſequens, & ex equo decidens efflauit animam. Hoc rege autore inſtitutus fuit, ordo equeſtris militiæ ſacræ, qui excubias ageret pro Chriſtiano orbe perpetuas, & Regi adeſſet in reprimendis & extirpandis hoſtibus nouo regno infeſtis, finibusq́ tutandis, & præſtaret accedere terrā ſanctam volentibus tuta itinera, terra mariq́ latronibus depulſis. Hic ordo hoſpitalis, à profeſſione S. Iohannis (Baptiſtæ) nomen adeptus initio, poſtea Dominorum Rhodiorū titulo celebratior notiorq́ euaſit, cum plurimas maris mediterranei inſulas bello domitas, perpetuo contra Saracenos & Turcas præſidio muniuiſſet, magno Europæ vniuerſæ cum cōmodo. Diu enim repreſſerunt hoſtes vtroſq́ magno ſucceſſu, adiuti vicinorū Regum & Imperatorū auxilijs. Nunc deſerti ab omnibus, & Imperij Turcici circumfuſa potentia fracti, Rhodo amiſſa, ægrè ſeſe intra Melitæ inſulæ anguſtias tuentur & ſuſtinent.

Ordo Hoſpitalis S. Iohannis Baptiſtæ.

V. Balduinus III.

Fulconi ſucceſſit filius Balduinus III. *quintus Hieroſolymorum Rex.*

Anno 1143. vrbs Edeſſa, & tota ferè Meſopotamia à Saracenis & Alapho duce Turcarum, qui iam in Oriente magni nominis erat, in natali Domini capta eſt, multa & miſerabili Chriſtianorum ſtrage edita, matronis in æde diui Iohannis Baptiſtæ ſupra altare ſtupratis.

Anno 1144. Balduinus III. *Gaza & Aſcalone Saracenos eiecit, & apud Hierichunta Noradinum Damaſcenæ militiæ Principem, 5000. hoſtium interfectis vicit & fugauit.*

Conradus Imperator Romanus, & Ludouicus Rex Galliæ, opem ferunt Balduino.

Balduino huic auxilium tulerunt Conradus Sueuus Imperator terra, & Ludouicus Rex Francorum mari. Imperator infœliciter tentata oppugnatione Damaſci & Aſcalonis domum re infecta miſerabiliter redijt. Poſt diſceſſum Imperatoris, anno 1149. Raimundus Rex Antiochiæ cum toto exercitu deletus eſt à Saracenis, omniq́ terra eius deuaſtata, ſola Antiochia à Rege Hieroſolymorum ægre ſeruata eſt.

Deceſſit Balduinus in Berytho, Idibus Februarij anno 1162. regni viceſimo quarto.

VI. Almericus.

Balduino ſucceſſit frater Almericus, qui cum Sarracone Aegypti Sultano, eiuſq́ ſucceſſore Saladino infœliciter, dimicauit. Deceſſit Almericus anno 1173. regni duodecimo, Idibus Iulij, relicto Balduino IIII. *filio impubere, qui elephantiaſi correptus, cum de prole deſperaſſet, Regem inſtituit Balduinum VVilhelmi Longoſpatæ Marchionis Montisferrati filium, nepotem ex Sibylla; ſed illo mortuo Guido Luſignanus vitricus eius, cui Sibylla mater Balduini nupſerat, extruſo Raimundo comite Tripolitano,*

quem

quem Balduinus Almerici filius tutorem deſignauerat, in regnum ſeſe ingeſſit. Ob quam rem cum veniſſet in ſuſpicionem dati puero veneni, bello petitus à Raimundo, attraxit Saladinum ex Aegypto, qui oppreſſo vtroq́ magnas rebus Chriſtianis, in Palæſtina Syriaq́ & Meſopotamia, clades intulit, & tandem regnum deſtruxit, acceptis in deditionem vrbibus Ptolomaide, Azoto, Berytho, & Aſcalone, ipſaq́ regia vrbe oppugnatione vnius menſis capta, anno CHRISTI *1187. Poſtridie Calend. Octobris, anno poſtquam à Godefrido occupata fuit, 88. Peuc. lib. 4. Chronicorum.* Hieroſolyma amiſſa.

Suprà monuimus Turcorum potentiam paulatim, Saracenorum Suldanis inter ſe diſſenſionibus mutuis digladiantibus, per Aſiam maiorem minoremq́ auctam eſſe, eoſq́ rurſus ex inteſtina diſcordia dominatu excidiſſe, Tartaris per Aſiam, magnamq́ Europæ partem rerum potitis, donec Tartarorum etiam imperio labefactato circa annum CHRISTI *1300. rurſus ſeſe Turcæ erigerent atq́ roborarent. Vt ergo exactius, quomodo & vnde Turcarum potentia iam aucta, iam imminuta, & rurſus deinde ad ſummum faſtigium euecta fuerit, perſpiciamus, ordo rerum poſtulat de Tartaris pauca ſubnectere.*

TARTARI SARRACENIS TVRCISQVE OPPRESſis, poſt deſtructum regnum Hieroſolymitanum emerſere.

INnotuit circa annum CHRISTI *1202. Tartarorum nomen, qui Indorum imperio excuſſo, ac gentibus vicinis omnibus edomitis & ſubiugatis, Cathaynæ ampliſſimũ regnum magnæ Tartariæ nomine celebre cõdiderunt, vaſtiſſimas Orientis ſolitudines, vtranq́ Scythiam, & multas alias terras, vt Sericã, Ariam, Sinarũ regionẽ complexi.* Tartari innoteſcunt, Anno Chriſti 1202.

Eorum primus Imperator fuit Changius Can, qui imperio præfuit annos 12. mortuus in oppugnatione cuiuſdam caſtri, cum in genu vulneratus fuiſſet. Non parum apud rudem barbarumq́ populum & gloriæ & admirationis ei conciliaſſe diuini ortus perſuaſio creditur. Mater enim vidua, cum vitæ illius inſidiarentur reliqui fratres, ex ſolis radijs ſe eum concepiſſe commenta eſt.

Changio ſucceſſit filius Hocata, vel Hocatius Can, qui cum tres haberet filios, orbisq́ terrarum imperium ijs animo deſtinaret, Iachinum ad Occidentem, Battum ad Septentrionem, Cagadanum ad Meridiem cum exercitibus dimittit, ipſe quæ ad Orientem ſupererant, adoritur.

Cagadanus in deſertas Aethiopum terras delatus, amiſſo exercitu redit ad Iachinum fratrem, re infecta.

Iachinus Ariæ Drangianæq́ & Arachoſiæ terras ad regnum Turqueſtan ac Perſidis oram occupauit, ex quibus locis continentibus prælijs

Turcos laceſſiuit, totaq; ad pontum gente redacta ſub iugum, regno ſpoliauit, anno 1244.

Battus domitis ad Mæotiden paludem gentibus, circa annum 1228. vltra Iſtrum progreſſus, Bulgariam, Raſciam, Seruiam, Vngariamq; toto triennio depopulatus vſq; ad Auſtriæ limites penetrauit. Sed magnitudine & robore obiecti ab Auſtriacis exercitus detentus, dum per interpoſitum flumē perrumpere ad hoſtes nititur, vorticoſi gurgitis rapiditate abſorptus interiiſſe traditur à nonnullis.

Tertius Tartarorum Imperator Magius Can perſuaſu Regis Armeniorum Chriſtianam fidem amplexus eſt, circiter annum 1253. qui fratre ſuo Heylone cum ingenti exercitu in Aſiam aduerſus Saracenos miſſo Babylonem, quæ nunc Baldacum, hinc Edeſſam, quæ olim Rhages, mox in Syria Alepum occupauit, eiuſq; loci Sultanum Melecmeſer regno exuit, eidemq; circiter annum Chriſti 1260. Antiochiam eripuit. Fœliciq; victoriarum ſucceſſu gaudens Heylones omnes iam vires ad Hieroſolymam liberandam contendebat, cum è medio victoriarum curſu morte fratris Magij Can, reuocatur. Ad ſummum enim Tartarorum imperium cum aſpiraret, in Tartariam fama ad eum de fratris morte perlata iter dirigebat. verum ante eius aduentum frater Cobelus ſtudio atq; fauore ſubditorum euectus, regium ſolium iam occuparat. Ex Syria digreſſus Heylones præfectum ibi reliquit Virbocum, alij Guibogan vocant, qui fratris inſtitutum ſtrenue perſequens, cum Turcos prorſus eijcere conſtituiſſet, eos ſibi tributarios fecit. Vnde cum inter Chriſtianos & Turcos diſsidia ex rapinis exorta eſſent, Virbocus Turcorum cura & tutela ſuſcepta, hoſtili animo Chriſtianos adortus & perſequutus fuit. Qua vſus opportunitate Melecmaës Aegypti Sultanus Virboco iam Hieroſolymæ obſidionem molienti occurrit, eoq; trucidato Tartaros tota Syria expulit. Quam gentis ſuæ cladem Heylones, qui tum in Perſide morabatur, vindicaturus in ipſo belli procinctu moritur.

Helioni ſucceſsit filius Abſaga, qui Mahometanæ impietati addictus Armenios & Turcos, qui Tartaris ſeruiebant, ab Aegyptij Sultani impreſſione liberauit, ducesq; in Anatolia, quæ & Turcia, conſtituit, inter quos Ottomannus fuit, â quo Turcici Imperatores, qui hodie rerum potiuntur, deſcendunt.

Ottomannus Turcicorum Imperatorũ pater.

Abſaga, Sultani conſilio, veneno ſublatus circiter annum 1282. ſucceſſorem habuit fratrem Tanogodorum infenſum & inuiſum Chriſtianis, qui abnegata fide Chriſtiana Mehemet dici voluit, cum puer in Baptiſmo Nicolaus vocatus eſſet. Hoc ob tyrannidem tertio Imperij anno trucidato, Argonus Abſagæ filius ſumma rerum potitus annos quatuor, regnum tranſtulit in fratrem Regatum, cui ſubditi cum ob ignauiam chorda

arcus

arcus guttur eliſiſſent, Regem accerſiuerunt Battum, qui & Baydo. Aduerſus hunc, eo quòd ob curam & amorem religionis exoſus eſſet, accitus Caſanus Argoni filius, eò quod Mahometicæ ſectæ adhærere crederetur arma aduerſus Battum cœpit, eoq; oppreſſo & occiſo regnum inter Tartaros & Saracenos obtinuit. Qui in regno confirmatus, Christianorum religionem firmiter amplexus & tutatus eſt, deuictoq; pugna memorabili Sultano Melenaſer, anno 1310. vniuerſam Syriam recepit.

Caſſano ſucceſsit filius Carbagadus, qui cum totum ſe ad Mahometiſmum conuertiſſet, ſua & authoritate & tyrannide effecit, vt non multò poſt Chriſtiani nominis profeſsio apud Tartaros prorſus conciderit, & exoleuerit. Cum ea ſimul concidit regnum Tartarorum in Aſia, Ottomannorumq; auſpicijs & virtute Turcorum rurſus imperium erectum fuit. Ab initio imperij Tartarorum, vſque ad Ottomannum, qui Turcorum potentiam & Imperium plurimùm extulit, anni numerantur 98. ab anno videlicet 1202. ad annum vſque 1300. Sic Turcorum vires inter Saracenorum Tartarorumq; furores, paulatim creuêre, donec omnes orbis terrarum Monarchas ſua potentia ſuperarunt, conniuente interim DEO *Opt. Max. ob peccata mortalium, ob prophanationem diuini nominis, idololatricosq; cultus in Eccleſiam receptos, ad eorum tyrannidem. Veri ſimile autem eſt, eos quos nunc Turcos nominamus, nequaquam ex priſca Turcorum proſapia deſcendere, cum patrius etiam ſermo non niſi proceribus, qui è Turcorum familijs ſuperſunt, in vſu ſit, ſed partim Saracenorum, partim etiam Tartarorum has eſſe reliquias, plurimumq; eorum adauctum eſſe robur & imperium, aſcito è Chriſtianis & ad Mahometiſmum traducto milite. Hæc vt ſeries hiſtoriarum in conſpectu eſſet, præmittere libuit, nunc ad hiſtoriam Ottomannorum progrediemur, paucis de Solymanno Turcorum in Aſia duce cuius ſupra meminimus præmiſsis, qui nepos fuit Aſpaſalemis tertij Turcorum Regis, & aduerſus Godefridum Bilioneum res magnas geſsit.*

Chriſtiani nominis profeſſio, quando apud Tartaros conciderit.

Turcicum imperiũ inſtauratur, pulſis Tartaris ex Aſia.

DE PRAELIO DVCIS GODEFRIDI BILIONEI & Solymanni Turci, potentiſſimi Niceæ Sultani.

CVM toti iam Aſiæ anteriori imperarent Turci, Godefridus Bilioneus Princeps Lotharingiæ, terram ſanctam è manibus infidelium eripere, Chriſtianæq; Reipub. limites protendere magno animo aggreſſus eſt, venditoq; ducatu paterno, Leodienſi Epiſcopo, omnem pecuniam in belli apparatum impendit. Adiunxerunt ſe ei fratres Balduinus & Euſtachius. His acceſſere ex Germania, Jtalia, Hiſpania religionis inducti amore complures Principes, Robertus Flandriæ comes, Hugo frater Phi-

Expeditio Bilionei in terrã ſanctam, Anno 196.

Socij expeditionis Bilioneæ.

ter Philippi Regis Francorum, Robertus Dux Normannorum Anglici Regis filius, Boemundus Tarentinorum Princeps, alijq; plures, quorum alij terra, alij claſſe ducem ſecuti ſeſe ad Byzantium cæteris coniunxerunt. Romanus quoq; pontifex Duce Petro Eremita inſtructiſſimum exercitum in Aſiam præmiſit, qui ante Godefridi aduentum à Solimanno ad internecionem cæſus eſt. Imperabat tum Græcis Alexius Comnenus, qui ſuppeditandis ad bellum neceſſarijs, ſui etiam animi promptitudinem declarauit. Diuini itaq; numinis auſpicio exercitus inſtructiſsimi maximiq; Dux Godefridus Lotharingus aduerſus Turcos & Saracenos Chriſtiani nominis hoſtes Aſiaticam expeditionem ſuſcepit, anno CHRISTI *1096. In*

Exercitus Bilionei 300000 peditum. 100000. equitum.

exercitu eius numerata ſunt trecenta peditum millia, equitũ loricatorum centum millia. Nec minor Turcorum aduerſus has Chriſtianorum copias, apparatus fuit & induſtria, qui Ducem ſibi elegêre Solymannum Nicceæ Suldanum, armis acerrimum, laborum patientiſſimum, in rebus dextrè cauteq; gerendis inprimis prouidum, tum ad occaſiones rerum captandas ſolerti prudentia induſtrium, cum quo nemo alius inter omnes Saracenorum Turcorumq; Duces & Principes conferri poſſet. Hic Solymannus de Chriſtianorum Principum expeditione certior factus, nihil prius habuit, quàm vt hoſtes è finibus regni ſui arceret, & prior antequam intimos Imperij ſui receſſus occuparent armis eos laceſſeret, fortunamq; belli experiretur. Innumeris itaq; congregatis copijs, omnibusq; ad hoſtem propulſandum, eiusq; impetum ſuſtinendum neceſſarijs accurate comparatis, Chriſtianorum exercitui non procul à Nicea obuiam procedit, vbi ancipiti diu fortuna acerrime pugnatum fuit, & magna clades Chriſtianis illata, tandem tamen victoria licet cruenta penes Chriſtianos fuit. Turci, diſsipatis ordinibus cateruatim cæſi, multi etiam capti fuêre. Ipſe quoque Solymannus fortiter manum cum hoſtibus conſerens occubuit. Inde potentiæ Turcorum inclinatio facta eſt, ipſiq; Aſia, quam ante 40. annos vi ſubegerant, vi rurſus eiecti fuêre. Chriſtiani vrbe Nicæa poſt 26. dierum obſidionem potiti ſunt, quinto Idus Iunij, anno 1097. Occupata deinde Antiochia, hinc etiam Hieroſolymis, quatuor annorum ſpacio Lycaoniam, Ciliciam, Syriam, Meſopotamiam, Comagenam perdomuerunt, pri-

I. Rex Hieroſol. Godefrid. Bilioneus.

musq; Rex Hieroſolymitanus à Chriſtianis electus & creatus fuit Godefridus Bilioneus, qui ſolenni ritu initiandus, aurea corona ornari minime ſuſtinuit, ſed exemplo CHRISTI, *ibi pro peccatis mundi paſsi & cruci affixi, ſpineam coronam ſibi imponi voluit. Poſt Bilionei mortem poſteri regnum heroica virtute ac pietate conſtitutum, retinuêre in annum vſq; 85. Ciuilibus enim diſsidijs inter Principes regni Guidonem & Raimundum exortis, Guido Saladinum ex Aegypto ad belli ſocietatem inuitauit, qui ſuis rebus intentus, vtroq; oppreſſo, regno Hieroſolymitano finẽ attulit.*

Occu-

Occupata vrbe Saladinus, Chriſtianis vt quò vellent, diſcederent, & quæ poſſent humeris ſecum aſportarent conceſſit. Patriarcha tum fuit Hieroſolymitanus Herculeus, qui flebili oratione fortunam ciuitatis deplorans, cum ſuis Alexandriam contendit, alij alia ſibi, pro ſua quiſq; cōditione quæſiuêre hoſpitia ac receptacula. Digreſſis Chriſtianis Saladinus, templa deſtruxit, & in fauillas redegit, ſibiq; regnum ex animi ſui ſententia firmauit. Eo defuncto, rurſus ibi Turcæ rerum potiti fuêre, & vſque ad hodiernum diem non ſine probro & dedecore Chriſtianorum, dominium vrbis ſibi vendicant.

OTTOMANNVS PRIMVS TVRCORVM IMPERATOR.



Multiplici laſſatæ Aſiæ res clade premuntur,
Hinc Sarracenus Tartarus inde ruit:
Mutua Chriſticolæ gladios in vulnera ſtringunt:
Græcia funeſta ſeditione perit:
Impiger interea noua concipit Ottomannus
Conſilia, & valida ſurgit in arma manu.
Et vaſtatricis regno fundamina turbæ
Ponit, & in multo ſanguine ſceptra lauat.

ANno CHRISTI ſupra milleſimum trecenteſimo, Ottomanni ductu & auſpicijs Turcorum vires ſupra modum auctæ, eorumq́ imperium, quod hodiernum in diem eſt validiſsimum, conſtitutum fuit. Plæriq́ obſcuro eum genere parentibusq́ agrarijs natum, ſingulari virtute & calliditate ad ſummum imperij faſtigium euectum eſſe aſſerunt. Quanquam Laonicus Chalcondyla parentem eius Orthogulem illuſtrem & genere & virtute inter Turcos fuiſſe affirmat. Nam cum Turcorum genus magnum eſſet & immenſum auctum, nobiliores inter eos familiæ Scythici ſanguinis & vetuſtate pares celebrabantur, Eurenesij, ſeu Ebrenes, Thuracambi ſeu Turacani, Michalogli, Malcocij, & Ogucij. Ex Oguciorum tribu natus eſt Duzalpes magnæ fortitudinis & iuſtitiæ gloria illuſtris. Huius filius Oguzalpes imperium tribus Oguziorum ſibi vendicans ad tyrannidem aſpirauit, armaq́ infeſta Græcis inferens breui ad maximam in Aſia claritatem acceſsit. Huius filius Orthogules cum manu eſſet promptiſsimus paternam gloriam multum auxit. Huius Orthogulis filius eſſe perhibetur Ottomannus, id nominis ſortitus à tenui Gallaciæ oppido, quod Ottomanzium hodie vocatur. Hic Ottomannus & regiam dignitatem & Ottomannorum cognomentum primus in familiam OguZiorum adduxit. Conſilijs magnus fuit & fœlix, nihil quod non ad optatum exitum perduceret, temere aggrediens, magnam Bythiniæ partem ſubegit, Pruſiamq́ Imperij ſui ſedem cõſtituit, quod alij filio eius Orchani tribuunt, multa ad Euxinum oppida vi cepit, vrbes regionesq́ Aſiæ clariſsimas edomuit, Natoliam, & Ancyram in Phrygia, Sinopen in Galatia, & Sebaſtiam Cappadociæ. Cumq́ Græcorum res eo tempore ancipiti ferrentur fortuna, inteſtinisq́ diſcordijs agitarentur propter Bizantij regnum Reges ambo, auus & nepos Andronici: interim ſuis rebus intenti Turcæ, magnam ſuæ potentiæ in Aſia duce Ottomanno, fecêre acceſsionem. Regnauit Ottomannus annis 28. relictisq́ tribus liberis & regione ampliſsima, Pruſiæ fato functus eſt, anno 1327.

Ottomanorũ familiæ initium.

De ortu Ottomanni diſſentiunt autores.

De ortu huius Ottomanni autores inter ſe diſſentiunt. Ex Laonico Calchondyla nequaquam obſcuram eius familiam fuiſſe liquet. Nicolaus verò Euboicus, Saguntinus Epiſcopus, & Baptiſta Egnatius Ottomannum ſcribunt exigui cẽſus obſcuriq́ inter priuatos nominis, ex collectitio gregarioq́ milite, manu non exigua per ſeditionem conflata paſsim graſſari cœpiſſe, nec ſolum Chriſtianos, ſed etiam ſuæ gentis homines ſine diſcrimine oppreſsiſſe. Cum enim Turcarum duces ac Principes dominandi libidine ſe inuicem armis infeſtare cœpiſſent, cum hac vſum opportunitate, aſcitis vndiq́ omnibus, qui prædæ rapinarumq́ percupidi eſſent, breui autoritatem potentiamq́ ſibi magnam conciliaſſe, imperijq́ fundamenta haud aſpernanda ieciſſe. Huic ſubſcribit Andreas à Lacuna, qui Ottomannum humili quidem

loco

loco natum ait, ſed egregie poſtea genus ſuum nobilitaſſe. Sunt deinde, qui hunc ad modum de Ottomanno ſcribunt, quod veteris nobilitatis indole & gloria in regno Turcico exoleſcente, nouorum hominum familiæ quatuor ſint exortæ, quæ plus cæteris rerum geſtarum excellentia pollerent, Aſambaci, Candelori, Caramini, Ottomanni, qui mutuis diſſenſionibus ſeſe delerint, ſola poſt alios Ottomannorum familia ab Ottomanno Zichi filio nomen adepta ſuperſtite, qui Regulis Turcicis paſsim trucidatis, & excuſſo Caliphæ Sultani iugo, Regem ſe cõſtituerit Turcarum, Bithynia Cappadocia, cæterisq́ue ponto Euxino propinquis imperio ſuo adiectis.

ORCHANES TVRCORVM IMPERATOR II.



Inſiſtens patrij veſtigia diræ furoris
Impius Orchanes ſceptra cruenta rapit.
Fraterno ſcelerat mentemq́ue manusq́ue cruore,
Hanc ſtabilem regni iudicat eſſe viam.
Hinc victor Myſios, Caras, Phrygiosq́ue pererrans
Helleſpontiacas tendit adire plagas,
Militibus charus, ſed formidabilis hoſti,
Terribili ſtatuit multa trophæa manu.

OTtomanno ſucceßit filius natu minimus Orchanes, qui fratribus duobus parricidio ſublatis, imperium ſibi ſtabiliuit. Hinc animi elati faſtu & ferocia, tum expedita conſilij promptitudine, curſuq; victoriarum patre nulla in re inferior, Myſios, Lycaonas, Cares, Phrygas, cæteraq; ad Helleſpontium vſq; loca longè lateq; ſubiugauit. Pruſiam ampliſsimã vrbem ſibi vendicauit (quod Laonicus Ottomanno parenti huius aſſcribit) ibiq; regiam paterni imperij ſedem conſtituit. Niceam vrbem & Nicomediã fuſis Græci Imperatoris copijs occupauit. Ad victoriarum ſecundum curſum non parum ipſi commodarunt Græcorum Imperatorum, Andronici aui & nepotis, tum etiam Cantacuzeni & Palæologi diſsidia, quibus ciuili bello inter ſe implicitis, ita Turcorũ vires creuerunt,



vt nihil præter inane nomẽ Græcis Imperatoribus maneret, donec tandem & vrbs & regnum Turcis omnino in prædam cederet. Sunt qui Cantacuzeni filiam pro vxore eum habuiſſe ſcribant, ideoq; auxilia ei contra Palæologum & Triballos, duce Solymanno filio miſiſſe. Alij Caramanni Turci, qui Ciliciæ imperabat, filiam ei nuptam fuiſſe tradunt, quem etiam magna regni parte ſpoliaſſe, filio eius trucidato traditur. Commendatur in eo ſingularis comitas & liberalitas, qua militum animos ita ſibi conciliauit, vt præſidio ſe firmiſsimo eorum fauore & beneuolentia muniret. In apparatu machinisq; bellicis ſolerti fuit acumine & induſtria, primus inter Turcos tormentis in bello vſus fuit. Regnauit annis duobus & viginti, in conflictu aduerſus Tartaros occiſus. Quanquam alij in Pruſiæ oppugnatione ſagitta ictum interijſſe tradunt. Mortuus anno CHRISTI *1349.*

Comitas Orchanis in milites.

AMV-

AMVRATHES PRIMVS, TVRCORVM IMPERATOR III.



Conſilijsq́ manuq́ ferox, & ad arma mouenda
Natus Amurathes, patris auiq́ memor.
Ad Græcos penetrans, hoſtilibus obuia terret
Motibus, & quæuis Marte fauente premit.
Callipolim, & Geticis claras in montibus vrbes
Occupat. Heu Græci damna pudenda ferunt.
Immortale decus ſibi comparat inde Tyrannus,
Sed ſtratus ſeruo concidit enſe miſer.

ORchanes duos reliquit filios, Solymannum & Amurathem. Solymannus patri non diu ſuperſtes, cum rebus gerendis in Europa intentus eſſet, morbo implicatus moritur, & in Cherſoneſi iſthmo ſepelitur. Imperium itaq; capeßit Amurathes, vir robore animi, vt Nicolaus Euboicus ſcribit, laborum tolerantia, diſciplina rei militaris, induſtria, & ambitione, ſuperioribus haud inferior, vafricie quadam & calliditate longe ſuperior, quippe qui ſimulandi dißimulandiq́ egregius eſſet artifex, & fallendi magiſter, Conſtantinopolitanum Imperium inteſtinis labefactatum dißidijs ita fregit, vt Imperatoribus nihil præter nomen reli-

quum maneret. Conſpirarant aduerſus Imperatorem Palæologum Græciæ proceres, ſubnixi viribus Marci Craiouicij Myſiæ inferioris, quæ nunc Bulgaria eſt, Principis, aduerſus quos, cum viribus ipſorum impar eſſet, Turcici Tyranni Amurathis implorat Palæologus auxilia, eò quòd fœdere & amicitia iuncti eſſent. Pergratum hoc Amurathi accidit, qui validum exercitum in Græciam tranſmiſit, cuius opera victor Palæologus hoſtes ſuos facili momento oppreſsit. Quæ ſanè res Græcorum imperio exitialis fuit. Edoctus enim à militibus Amurathes de ſtatu Græciæ, quod regio eſſet peramœna & fertilis, ipſiusq; Principes aduerſus Regem ſuum rebelles turbulentis agitarentur conſilijs, ipſe ſub prætextu vindicandi ſeditioſos ciues & Principes, & ex fœdere Imperatori Græcorum auxiliaria arma ferendi, cum inſtructo exercitu in Græciam circiter annum 1363. traiecit, vſus opera duarum nauium onerariarū, quarum præfectus Ligur de ſingulis capitibus ſingulos aureos nummos accepit, Turcico Imperatore haud inuito pretium, vt tranſuectio eſſet expeditior, numerante. Feruntur ſexaginta Turcorum millia tranſuecta eſſe. Hæ copiæ mox Callipolim in Cherſoneſo, & aliquot vicina Helleſponti oppida vi expugnarunt, moxq; viribus confirmatis, & aditu ad Helleſpontum præmunito, naues etiam conſtruxerunt, quibus & ſupplementa exercitui, & res neceſſarias alias ex Aſia in Græciam tranſportarent, quoties opus eſſet. Arce belli conſtituta, mox aſsiduis excurſionibus Thraciam peruagatæ Philippolim occuparunt, & quæ ſupra Hebrum eſt Adrianopolim, ex ruinis Oreſtiadis inſtauratam, fruſtra Palæologo initum cum infido hoſte fœdus & res perditas deplorante. Inde conuerſæ in Marcum Bulgariæ, & Lazarum Seruiæ, in Myſia ſuperiore, & Triballorum regione Deſpotas, & aliquot Albaniæ in Dalmacia & Epiro proceres, qui vires coniunxerant: hos quanquam victorijs ac ſucceſſu hoſtium conſternatos, aperto tamen Marte congredi auſos, fuderunt ac deleuerunt. Lazarus eo prælio captus vitam in carcere finijt, cuius indignam necem ſeruus natione Triballus, eius cliens, vindicare ingenti animo auſus, quanquam ſe ſciret certam mortem adire, Amurathem tamen pugione transfodit. Præfuit Amurathes rebus Turcicis annis 23. Perijt anno CHRISTI *1372. De morte eius & moribus Laonicus Chacondyla hunc ad modum ſcribit. Vitæ exitum habuit interfectus à Triballo: non qui Regem decebat talem, qui tot annis bella geſsiſſet, multaq; & præclara opera feciſſet: præterea, qui magna bella in Europa, Aſiaq; numero triginta ſeptem confeciſſet, tali vſus & virtute & fortuna, vt in nullo victus ſuccubuiſſet. Ad hæc magnā potentiam regionemq; plurimam in vtraq; continente ſibi parauit, cum ad multam iam proceſsiſſet ætatem. Nunquam cupidine rerum, ſed rabie trahebatur ad prælium, nec vnquam cruore ſaturari potuit. Quando otium ab hoſte erat venationi indul-*

Occaſio occupatæ Græciæ.

Ligures Turcos in Græciā tranſuehunt.

Amurathes confoſſus pugione.


indulgebat. Studijs & tranquillitati ſe nunquam dabat: Verum cùm nullus foret hoſtis, venationi incumbebat, cuius peritia anteceſſores ſuos longè excellebat. Diligentiam & celeritatem in rebus gerendis non minorem ſenex, quam iuuenis oſtendebat. Promptitudine & alacritate indefeſſa plurimos illuſtres Duces & Reges in rebus gerendis anteibat. Omnia ſic aggrediebatur, vt nihil eorum, quæ neceſſaria forent, negligentius omitteret. Maiorem hominum cædem fecit, quàm omnes ſui anteceſſores. Subditos maxima regebat ſermonum æquitate & comitate. Ducum filijs conuerſabatur quàm moderatiſsimè. Expeditiſsimus fuit ad honorandum & compellandum virum quemlibet. Maxima vi præditus fuit ad cohortandos militum animos, ſi prælium ineundum fuerat, maxima erat eius in rebus gerendis vehementia, adeò vt ſemper, quando manus ſonſererentur, vbiq; præſtò eſſet. Aſpectu non toruus verùm mitis erat, ſermone blandiſsimus. Peccanti nullam delictorum concedebat impunitatem, verùm eum meritis ſubijciebat pœnis. Sermonis erat parciſsimus. Confirmaſſe fertur præ reliquis generis ſui Regibus iuſiurandum. Cum foret ſuis vel maximè metuendus, attamen certum eſt eum plus fauoris quam reliquos duces omnes obtinuiſſe.

BAIAZETHES TVRCORVM IMPERATOR IIII.



Fulminis

Fulminis in morem celeri rapit agmina motu
Baizethes, Fidei pacis & impatiens.
Regni Hadrianopolim ſedes ſibi legit vt eſſet,
Poſſet vt Europæ iungere regna ſuis.
Conſtantinopolim gemina obſidione fatigat,
Iam Græcas vana ſpe ſibi ſpondet opes,
Cum Tamburlano præbet ſua terga, catenis
Vinctus, & in cauea probra pudenda ſubit.



A Murathis duo fuêre filij Solymannus & Baiazethes. Ex quibus Baiazethes fratre Solymanno interempto, vt ab æmulo imperij ſecurus eſſet, patri ſucceſsit, anno CHRISTI *1373. Relicta Pruſia Bithyniæ vrbe, ſedem Imperij fixit Adrianopoli, quod ad vires Aſiæ, Europæq́ coniungendas opportunior eſſet.*

Patris cædem vindicaturus, initio Imperij, valida ſtatim manu aduerſus Bulgaros Seruiosq́ mouit, eorumq́ Duce Marco Deſpota cum vniuerſa Bulgariæ nobilitate cæſo, vniuerſa ea ditione potitus eſt, Boſnam deinde & Albaniam, nemine reſiſtente depopulatus, ad ipſam Vngariam vſque terribilibus excurſionibus penetrauit, ſpolijsq́ onuſtus cum magna Chriſtianorum clade, & innumerabili captiuorum multitudine receſsit, circiter annum CHRISTI *1376. Celeris acutiſsimiq́ fuit ingenij, magna augendæ ditionis cupiditate flagrans, vnde Turcica lingua eum Hildrin, Græca* λαίλαπα*, id eſt, cœli fulgur cognominarunt. Magno celeriq́ impetu perua-*

peruaſtata Theſſalia, Thraciaq́; ad boſphorum vſque, & deletis Byzantinorum ſuburbanis caſtra vrbi admouit, cum tanto Græcorum terrore, vt Iohannes Palæologus Græcorũ Imperator, rebus ſuis diffiſus, ad imploranda Europæ auxilia in Galliam nauigarit. Galliæ regnum adminiſtrabat tum temporis Carolus VI. *Is cum periculi magnitudinem intelligeret, Comitem Niuernenſem patruelem, qui poſtea Burgundiæ principatum conſequutus eſt, cum equitatu exquiſito in Pannoniam miſit, vt Sigiſmundo Regi in communes hoſtes arma paranti iungeretur. Sequutæ ſunt eum lectiſſimæ equitum Cataphractorum turmæ, quas præter præcipuos Galliæ Principes multi præſtantes viri ex proceribus Sueuicis, Bauaricis & Auſtriacis auxerunt & ornarunt. Arrepto itinere per Seruiam, inuictisq́; cum Deſpota copijs aliquot oppida & caſtella à Turcis obſeſſa expugnarunt, & poſt aliquot leuiculas victorias Nicopolim obſidione cinxerunt. Sed dum fruſtra vrbis huius oppugnationem tentant, interim Baiazetes ſua vſus celeritate, cum ſexaginta equitum millibus ijs ſe obijcit, prælioq́; commiſſo, miſerandam Chriſtianis cladem infert. Galli enim cum nimis temerè primi agminis decus ſibi expeterent, adeoq́; inuitis & fruſtra retentantibus ducibus in primos hoſtium antecurſores impetum facerent, antequam Germanorum phalanges, & Hungari, Boëmiq́; equites appropinquarent, à Baiazete lunata acie circumuenti, partim cæſi, partim capti ſunt.*

Expeditio Sigiſmundi Regis Vngariæ, & Caroli VI. Regis Galliæ.

Clades Chriſtianorum ad Nicopolim, culpa Gallorum.

Turcis ad primum impetum fugam ſimulantibus, Galli triumphum canentes, iam certam ſibi pollicebantur victoriam, cum Baiazethes equitatu ſuo adhuc integro, qui ſexaginta virorum millibus conſtabat, vndiq́; eos concludit, omnesq́; fortiter dimicantes miſere trucidat. Quo infœlici Gallorum caſu territi cæteri diffugerunt, tanta trepidatione, vt Sigiſmundus exutus caſtris, & omnibus ſpoliatus armis, vix euaſerit ex hoſtium manibus, qui parua nauicula Bizantium delatus, in claſſem Venetam incidit, qua in Italiam reductus in regnum inde ſe recepit. Iohannes comes Niuernenſis cum alijs trecentis Gallorum nobilibus captus fuit, qui cum inſignibus armis decori eſſent, omni protinus ornatu à Turcis ſpoliati, lacerisq́;, & ſitu obſitis veſtibus induti fuère. Baiazetes Ioannem accerſitum cum ob veſtium ſordes irriſiſſet, de captiuorum conditione interrogat, eiq́; ſupplici vitã donat, his eum verbis alloquutus. Etſi tam legibus noſtris Mahometicis, quàm ingenio meo aduerſum eſt, vlli Chriſtianorum parcere, attamen & ætati tuæ iuuenili, & ſanguini regio hac vice parcam, & ob hanc vnicam cauſam modo te vita tua dono, tum etiam ex captiuorum cœtu quinq́; alios in tui gratiam eadem donatos venia à metu mortis vindicabo. Volo itaq́; vt quinq́; ſtatim, quorum vitæ parcatur, nomines. Quo facto, reliqui omnes miſerando ſpectaculo, præſente & aſpectante Comite

Baiazetes Ioanni Comiti Niuernẽſi vitam donat, & quinque præterea nobilibus.

D Niuer-

Niuernenſe, & quinq; ijs, quos Tyranni gratia laniena iſti exemerat, trucidati & in fruſta conciſi fuêre. Iohannes cum captiuis quinq; Pruſiam abductus ibiq; cuſtoditus fuit, donec ducentis aureorum millibus ſe redimerent, pecuniam Mytelenarum Principe ſoluente. Incidit prælium hoc, & miſeranda Chriſtianorum clades in profeſtum diui Michaëli, anni 1395. Baiazethes inſigni hac parta victoria ad obſidionem Conſtantinopolitanam reuertitur, Thraciam, Myſiam, Dardaniam & Macedoniam depopulatus, omnia Græciæ antiqua monumēta, & opera impunè diruit, iamq; de imperio Conſtantinopolitano, & vrbe prorſus actum eſſe videbatur, cum Tamerlanes Scytha cum centum myriadibus equitum ac peditum torrentis inſtar è Scythia effuſus, eum ab obſidione Bizantina procul in Aſiam abſtrahit.

Tamerlanes Scytha centū myriadū exercitu petit Baiazethem.

Tamerlanes iſte obſcuris ortus parentibus, qui in propinquis Samarcandæ, quæ metropolis eſt Zagataiorum Tartarorum, montibus atq; abditis nemorum ſaltibus inter paſtores dux electus breui eò potentiæ progreſſus eſt, vt ſecundo victoriarum curſu totius Orientis imperium fatis id ipſum quaſi deſpondentibus ſibi vendicaret. Eius auxilia in extrema rerum deſperatione conſtitutus Emanuel Palæologus, cum aduerſus Baiazethem imploraret, vt Petrus Perondinus tradit, facile ipſius animum alioqui inflexibilem atq; inexorabilem ad commiſerationem commouit. Imperatoris igitur aduerſæ fortunæ fluctibus iactati miſertus Tamerlanes, ex Parthia, Armeniam verſus iter flexit, Euphratemq;, ponte ratibus facto, copias innumeras traiecit. Sequebantur eum Aracoſij, Sogdiani, Bactriani, Hyrcani, Comagenæ, Parthi, Medi, Perſæ, Maſſagetæ, & cum ijs inſulanæ gentes ex rubro mari & Caſpio. Hanc tot gentium colluuiem centum myriades equitum & peditum effeciſſe auctores prodiderunt. Qua re audita Turcorum Imperator Baiazethes, ſtatim ſoluta obſidione, cum ingentibus copijs, ad ſtellam montem, Pompeij Magni de Mithrydate victoria celebrem, Tamerlani factus obuiam, haudquaquam repentino tanti exercitus aduentu, animo fractus, caſtra metatus eſt. Expugnata iam Sebaſtia, Tamerlanes Baiazethis filium Orthobulem captum interemerat, tantamq; in captiuos ſæuitiam exercuerat, vt omnem promiſcuè multitudinem, quam affirmant penè numerum duodecim myriadum æquaſſe, equis conculcandam obiecerit. Fuêre in exercitu Baiazethis trecenta equitum millia, & bis centena peditum millia, quos ſequebatur calonum & gregariorum turba permulta, ducum ac belli procerum ſeruitio deſtinata. Cum hoc igitur valentiſſimo Aſiæ militum exercitu Baiazethes in Tamerlanis conſpectum venire non dubitauit. Dimicatum eſt inter hos, Anno Christi *1397. tanto animorum ardore, vt Tartarorum bis centena millia, Turcorum verò ſuprà 140000. in prælio extincta*

Prælium inter Tamerlanem & Baiazetem, Anno Chriſti, 1397.

ceciderint, Euphrateſq; maiore ſanguinis quàm aquarum vi ad mare rubrum volui viſus ſit. Pugnatum fuit diu ancipiti prælio, donec tandem inclinante ſole ad occaſum, Baiazethis acies penitus inclinaret, & ipſe ab equo ſagittis confixo decideret, cum extrema ſuimet & ſuorum clade & internecione, viuusq; in Tamerlanis poteſtatem deueniret, totiq; Aſiæ fortunæ ludentis miſerabile ſpectaculum præberet. Nam catenis vinctus aureis, inq; cauea ferrea cancellata, per Aſiam circumductus, & paſſim oſtentatus, victori equum aſcendenti, dorſo ſubdito ſcabelli vſum præbuit, pran-

Baiazethes captus à Tamerlane, quomodo tractatus.



denti verò & commeſſanti, quo magis ridiculo foret, & deſpicatui, micas & fruſtilla ſub mẽſa tripodi alligatus, canis in modum colligere, iiſq; famem ſedare cogebatur. Quin & vxor eius Lazari deſpotæ filia, quam vnice dilexerat, quam vnà cum ipſo captiuam traxerat, crepidulis tantùm calciata, ſagoq; breuiſſimo induta militari, denudatis obſcœnis dedecoroſe ante Baiazethis oculos, Scytharum proceribus vnà diſcumbentibus pocula miniſtrare cogebatur. Quod indigniſſimè ferens Baiazethes, ira percitus, mœroreq; confectus, mortem ſibimet dirè imprecabatur, qui nulla vi voti compos factus, animum inexorabili obſtinatione deſpondens, capite innumeroſis ictibus ferreis caueæ clathris perfracto, illiſoq; cerebro, altero à captiuitate anno vita exceſſit. Aiunt Tamerlanem cuidam pro Baiazethe deprecanti, & claritatem nominis ex tot præclaris victorijs commemoranti, reſpondiſſe, ſe non Regem rebus geſtis aut nobilitate clarum, ſed hominem improbum & nefarium, fratris natu minoris parricidam punire. Hac Baiazethis clade, Ottomannicæ familiæ, Turcorumq; nomen, facili

Vxor Baiazethis quomodo tractata.

momento radicitus extirpari potuiſſe videbatur. Verũ fatales pœnæ Chriſtiano orbi impendentes id prohibuerunt. Fertur Palæologus poſt cladem Baiazethis legatos ad Tamerlanem miſiſſe, qui ei ob tantam contra communem hoſtem partam victoriam gratularentur, adeoq́ tum Byzantium tum imperium Græcorum in deditionem ac clientelam offerrent: delectatus gratulatione Tamerlanes legatis reſpondiſſe dicitur: nolle ſe præclariſſimam ac celeberrimam omnium vrbem, illuſtrium veteri virorum ſtemmate claram, atq́ opibus præpollentem, nuper è Turcarum manibus ereptam, in ſeruitutem redigi, aut ſibi ſubiectam perpeti, ſeq́ haudquaquam proferendæ ditionis cupiditate ad id bellum excitatum, ſed vt Imperatori, vrbi, ac reliquis Græciæ dynaſtis opem ferret, omnemq́ Græciam incolumem præſtaret, atq́ vt omnibus deniq́ præſidio eſſet, fuiſſe euocatum. Diuino itaq́ fauente auxilio violentas Turcarum manus euaſit vrbs nobiliſſima, quam poſtmodum Chriſtianis Principibus inteſtinis malis laborantibus, diripuit Baiazethis huius pronepos, Amurathis filius Maumethes, cæſo Conſtantino Palæologo, non ſine modica labe, atque Chriſtianæ Reipub. detrimento.

TAMERLANES SCYTHA.



QVoniam in mentionẽ Tamerlanis incidimus, nõnulla de eo, quæ memorabiliora ſunt ex Cãpofulgoſo & Petro Perondino referre libet.

Tamer-

Tamerlanes, quem auorum noſtrorum ætas, armis iuſtitiaq́ priſcis Principibus æqualem, regni autem atq́ exercitus magnitudine Xerxe maiorem, nedum parem vidit, quantum percipi poteſt à Scythis ortus eſt, non regia ſtirpe, aut inſigni aliquo ſtemmate, ſed patrem extrema inopia paſtorem habuit. Inter paſtores ipſe nutritus & puerilibus ludis à paſtoribus Rex creatus, aſtu nouaq́ induſtria eos vt iureiurando impetrata ſe facturos pollicerentur, impulit. Pecora igitur venundare eos, atq́ vt à tam inopi vita ſe vendicarent, arma equosq́ comparare iuſsit. Hoc numero (ad quingentos enim peruenerant) quaſdam mercatorũ ſocietates, quæ per eas regiones magno numero præſidij gratia commeare ſolent, & vulgò Carauannæ dicuntur, armis deuicit, atq́ in partienda præda adeo ſe inter comites iuſtum liberalemq́ præſtitit, vt mutatæ conditionis paſtores nõ modò non pœniteret, ſed fide amoreq́ enixius ei deuincirentur. Ad compeſcendam prædonum audaciam mille equitibus dux in eius regionis fines, vbi hæc aduerſus mercatores geſta erant, à Perſarum Rege miſſus, cum à latronum duce in colloquiũ vocatus eſſet, latronis arte verbisq́ delinitus ex hoſte comes ei factus eſt. Interim inter Perſarũ Regem, fratremq́ eius orta controuerſia, fratris cauſam latronum duces ſuſceperunt: Cui poſtquã regnum aſſeruêre, maiori exercitus parte ab eo impetrata, dum cum eo fingunt in exteris gentibus imperium parare velle, compulſis ad rebellandũ populis, breui ſe, qui ante latronum Princeps erat, Perſarũ Regem facit. Quod autem iſchia debilitatus erat, eius nomini Temur (quod Scytharum lingua femur ſignificat) lang Perſæ addiderunt. Quod verbũ Perſica lingua iſchia debilitatum oſtendit, cõiunctisq́ ambobus verbis Temirlang nuncupatus fuit. A nobis autem verbo ob linguarũ ſimilitudinem vitiato pro Temirlang, Tamburlanus eſt dictus. Hic Perſico regno Armeniam, Syriam, Babylonemq́, atq́ ingentes alias gentes addidit, vrbemq́ Samarcantam ambitu maximo condidit.

Tamerlanes vnde dictus.

Grauem ſe & ſeuerum in militari diſciplina geſsit: Id quod inter cætera ſemel, cum exercitũ per minorẽ Aſiam duceret, quæ nunc Turchia dicitur, viſum eſt. Nam cũ ei lachrymabunda mulier ſe obtuliſſet, querens, ab eius milite nullo dato precio coctũ lac, parumq́ caſei erepta eſſe, ſtatim conſiſtere iuſsit exercitum: Atq́ inde agmen ordinatim incedere, vt mulieri facultas eſſet eum agnoſcendi, qui vim fecerat. Agnito igitur, Rex per pectus ſe præſente aperiri corpus iuſsit, in cuius ſtomacho lac, quod mulieri eripuerat, fuit inuentum: Cui ſupplicio mulier deſignata erat, niſi eius rei, qua ſe ſpoliatam queſta erat ſigna fuiſſent inuenta. Hac ſeueritate aſſequebatur, vt copiæ, quas habebat immenſas, cum tutus ad caſtra omnibus eſſet acceſſus, omni commeatu ſemper abundarent.

Exemplũ ſæueræ Iuſticiæ Tamerlani.

Inſigne quoque exemplum abſtinentiæ Perſarum & penè totius Orien-

Exemplũ abſtinentiæ Tamerlanis.

tis Rex Tamburlanus oſtendit. Nam quodam tempore cum iter per Syriam faceret, obtulit ſe ei arator, qui tunc in ingens vas aureæ monetæ arando impegerat. Cum autem omnes qui cum Rege erant, Regis aurum illud eſſe dicerent, quoniam inuenti qui occultantur theſauri, fiſci putantur: Juſsit Rex agricolam ad ſe monetam deferre, qui iam omni ſpe retinendi inuenti auri deciderat. Inſpecta moneta Rex, ab aſtantibus petijt putaréntne patris imaginem eſſe, quam pecunia impreſſam habebat. Cui cum reſpondiſſent, Romanorum Principum effigiem eſſe, Rex dixit: Si ergo hæc pecunia maiorum meorum nõ fuit, aratori eam relinquamus, ad quem DEVS *eam detulit. Abſtinentia profectò ſingularis, & quæ in permultis Principum noſtrorum optanda ſit. Neq; enim contenti ſunt inuentos ſibi rapere theſauros, verum quotidie illa quoque rapiunt, quæ priuatorum multo labore ac ſanguine parta, ad coniuges liberoſq; eorum alendos neceſſaria ſunt.*

Sæuum & inexorabile ingeniũ Tamerlanis.

Sæuo alias & inexorabili fuit ingenio. Si quam vrbem oppugnaret, tentorijs primo die candidis vtebatur, quibus ſalutis ſpem dedentibus faciebat: Altero die coccineis, quibus cunctationis pœnas morte datum iri ſignificabat. Tertio die atri coloris erecto tentorio vrbi extremam calamitatem, omnibuſq; omni excluſa miſericordia immaniſsimum denunciabat interitum. Diſtulerat ciuitas quædam deditionem in alterum vſq; diem, mox ciues ſæuitiam eius metuentes, hoſti obuiam miſere pueros & puellas, candido amictu veſtitos omnes, ramoſq; oleæ manibus prætendentes, ſpe concepta, eos ſua innocentia tyranni iracundiam mitigaturos. Verùm ille immiſsis in eos equitibus omnes immaniter conculcauit, & ciuitatem incenſam in cineres redigi præcepit.

Tamerlanes nõ homo, ſed ira Dei.

Moritur Tamerlanes, anno Christi 1402.

Cuidam roganti, cur in omnes adeo ſæuiret, toruo aſpectu retortiſq; oculis fertur reſpondiſſe: An tu me hominem putas, & non DEI *iram potius ad hominum perniciem in terris agentem? Mortuus eſt anno ætatis quinquageſimo nondũ completo, in cubiculo inter dormiendum ephialte præfocatus, Anno à partu virginis quadringẽteſimo ſecundo ſupra milleſimum, relictis duobus filijs, qui neq; ad percipiendam regni voluptatem, neq; ad propagandam ſobolem diu patri ſuperſtites fuerunt. Odia ſiquidem inimicitiaſq; inter ſe graues exercentes, bellis inuicem confligtantes, vberrimam obtulêre materiam & conſpirationum in ſe, & defectionum vniuerſis ſuarum ditionum populis, ac tributarijs nationibus. Sic vt regnis penè infinitis à patre vi quæſitis, belliq; iure occupatis (adeo à paterna virtute degeneraſſe viſi ſunt) ſpoliati, imperio alieno ſubijcerentur, Aſiæq; inprimis regnum ad Ottomannos relaberetur.*

CALE-

CALEPINVS CYRICELIBES, QVI ET CIBELINVS, QVINTVS TVRCORVM IMPERATOR.



Ottomannidis triſtem ſuprema ruinam
Fata minabantur, gentis & exitium.
Cum Cyricelibes diſiecta recolligit arma,
Gaudet & imperij tollere ſceptra noui.
Jnfeſtasq; acies gelidum deducit ad Iſtrum,
Victor & hoſtiles depopulatur agros.
Jamq; animo demens, noua prælia concipit, ecce
Jnijcit immites mors inopina manus.

POſt cladem Baiazethis, filius eius Calepinus Cyricelibes, quem & Cibelium nominant, fuga elapſus Hadrianopolim peruenit, vbi opera veteranorum, Græcorumq; Principum, qui Palæologi partibus minus fauerent, adiutus, eos, qui ex Scytharum manibus in Europam elapſi eſſent, recepit, breuiq; tantas contraxit copias, vt tumultuario progreſſu vicinos Bulgaros, Seruios, & Macedonas armis infeſtaret. Quos eius conatus vt armis reprimeret Sigiſmundus Rex Vngarorum, haudquaquam cunctandum ratus, præſertim cum Scytharum victoria ad

nomen

nomen Ottomannicum non ex Europa ſolùm, ſed & Aſia vniuerſa pellendum delendumq́ occaſionem aperuiſſet, excitis Vngaris & Boëmis, validas contra eum copias eduxit. Infeſtis armis concurrerunt ad Columbacium Seruianorum oppidum iuxta Samandriam non procul à ripis Iſtri, Anno CHRISTI *1409. Victoria ex Chriſtianorum incuria penes Turcos fuit. Cum enim cæco impetu equitatus Chriſtianorum in aduerſos hoſtes rueret, graui clade accepta, antequam à peditatu ſubſequente, quo ſuperiores hoſtibus videbantur, ſubueniri poſſet, diſſipato ordine loco pulſus, & in fugam actus eſt. Fuga equitum animaduerſa, pedites quoq́ turbati terga hoſti verterunt, qui poſt equites Hungaros & Boëmos loco depulſos circumfuſi equitatus Turcici ſagittis omnes confixi periêre. Poſt hanc victoriam, cum populabundus Bizantinorum fines infeſtaret, expeditioniq́ aduerſus Deſpotum Seruiæ intentus eſſet, iuuenis admodum ſexto imperij anno morbo correptus diſceſſit, Anno Domini 1404.*

Sigiſmundus Rex Vngar. profligatus à Turcis, Anno 1409.

MAHOMETES PRIMVS, SEXTVS TVRCORVM IMPERATOR.



Vindicibus Mahomet patrium ſibi vendicat armis
Imperium, & fractas feruidus auget opes.

Quicquid

Quicquid auo abſtulerat violentia Tumbarlani,
Imperio reddit Marte fauente ſuo.
Ille ſagittiferosq́; Dacas, validosq́; Triballos
Contudit, & populos Iſter amœne tuos.
Turcica ſic rurſus ſublata potentia ſtragem
Attulit imperio Romule magne tuo.

CAlepinus Cyricelibes filios reliquit Orcanem & Mahometem. Orcanes cum Principum quorundam ductu regnum occupare conaretur, patruus Moſes armis infeſtis ad Hebrum fluuium ei occurrit, adoleſcentemq́; proditione magis quàm armis oppreſſum extinguit. Verum nec Moſes diu vi & proditione occupato imperio gauiſus eſt. Mahometes enim Orcanis frater eo interfecto, imperij adminiſtrationem ſuſcipit. Sunt tamen qui & hunc Mahometem Baiazethis filium eſſe aſſerant. Hic cum armis Imperium ſibi vindicaſſet, paternas opes in Aſia Europaq́; fractas plurimum auxit. Quos ſuſpectos habuit Turcos Regulos vi



armisq́; oppreſſos regnis penitus ſpoliauit, à Tamberlane auito Imperio ablata recuperauit, Daciam, Seruiam, Valachiam & Boſnam ſuperiorem, partim Græcorum Imperatoribus, partim Hungariæ Regibus attributas, & vectigales prouincias, ademit: Anno ſupra 1408. regiam ſedem ex Bithyniæ Pruſia, Thraciæ Adrianopolim tranſtulit, quam ante eum Baiazethes Imperij ſedem ſibi elegerat. Regnauit annis 14. Mortuus anno ſupra 1419. filio Amurathi opes non auctas, ſed ſartas, & quæ maiorum negligentia perierant reſtitutas tradidit.

Mahomethes primus, ex vrbe Bithyniæ Pruſia, regiã ſedẽ transfert Adrianopolim Thraciæ vrbem.

AMVRATHES II. TVRCORVM IMPERATOR VII.



Europam luctu & funeſtis cladibus implens
Sæuus Amurathes totus in arma ruit.
Maior at Hunniades virtute, & fortibus auſis,
Cogit eum trepida vertere terga fuga.
Conſilia Eugenij bellum furialia ſuadent,
Sacrorum antiſtes Martia ad arma ruit.
(Arma viri tractent, curet ſua templa ſacerdos)
Europæ exitium res tulit iſta graue.

MAhomethi ſucceßit Amurathes II. *qui cum acri impetu paterni imperij incrementum, Chriſtianorumq́ Principum cladem & interitum minaretur, Byzantini Muſtapham eius patruum (elapſus enim è fratris carcere in eorum manus peruenerat, & in Lemno cuſtodia non admodum arcta adſeruabatur) dimiſſum, quantis poterant auxilijs aduerſus Amurathem inſtruunt. Sed victor Amurathes patruum captum fractoq́ eius gutture chorda ex arcu eliſa interfecit. Græci aduerſa fortuna territi pacem ſupplices petunt, qua non impetrata, Amurathis fratrem Muſtapham tredecim annorum adoleſcentem, tunc apud Carimannum*

Græci Muſtapham patruũ Amurathis armis inſtruũt.

Græci inſtruunt armis & Muſtaphã fratrem Amurathis.

mannum Cilicem exulantem accerſiuerunt. Hic armatus à Græcis Niceam Bithyniæ vrbem cepit, vbi ab Amurathe proditione ſui curatoris oppreſſus, ſimili, quo alter Muſtapha, ſupplicio vitam perdidit.

Omnem deinde vim belli in Græcos conuertit, Theſſalonicam illuſtrem Græciæ ciuitatem antiquitate, amplitudine, authoritate, pulchritudine, amœnitate, religione, opibus, opportunitate ſitus, tum terra, tum mari, celebritate populi, præſtantia dignitateq́; inſignem, vi captam penitus diripuit, moxq́; continuo victoriæ curſu Phociden cum Attica, Bœotiam, Aetoliam, Acarnaniam, & omnem citra Peloponeſum regionem vſque ad ſinum Corinthiacum incredibili celeritate perdomuit. Hinc Illyride, Albania & Boſna peruaſtatis partim, partim ſubactis, in Bulgaros mouit, Vualachos, & Seruios, ſpe occupandæ Pannoniæ. Seruiæ Deſpotam Georgium rupta pace, quam filia eius in vxorem ducta firmârat, bello adortus regno expulit, ademptis ei vrbibus Scopia, Nouomonte, Sophia, captisq́; duobus eius filijs, quos barbara crudelitate admota pupillæ candenti ænea pelui, oculorum vſu priuauit. Seruia potitus Belgradi in Vngaria oppugnationem tentauit, ſed infœliciter: multis enim ſuorum amiſſis, re infecta inde diſcedere coactus eſt. Maximè eo bello enituit Iohannis Huniadis virtus, qui multis Turcorum copijs deletis Seruiæ partem & Muldauiam totam recepit, & quinquies eo bello cum Turcis aperto Marte congreſſus, quinq́; victorijs partis, Amurathis affinem Natoliæ Baſſam, ſub noctem temerè Hunniadis fortunæ ſe obijcientem ita contriuit, vt triginta Turcorũ millia ad internecionem ceciderint. Nouis itaq́; ex Aſia accitis copijs, Amurathes Carambeium Baſſam Phrygiæ, virum impigrum, manu conſilioq́; promptum denuò inſtruxit: Hunc in Hæmi montis vallibus nimiæ vindictæ deſiderio incautius irruentem Ladislaus Polonorum Rex, qui Hunniadi ſubſidio venerat, ita excepit, vt inexpectata celeritate obrutum atq́; circumdatum ceperit, copijs illius vniuerſis partim iugulatis, partim diſiectis. His tot cladibus tanta rabie infremuit Amurathes, vt de morte ſibi conſciſcenda cogitaret. Verùm confirmatus Halibæi Baſſæ conſilijs aliam belli gerendi rationem inijt, vt præcluſis ad Rhodopen montem anguſtijs cunctando Hunniadis conatus eluderet. Interim his Amurathis cladibus Caramannus Ciliciæ Princeps excitus, Pontum & Bythyniam Turcorum in Aſia prouincias inuaſit. Quæ res Amurathem coëgit vt petitum pacem legatos ad Ladislaũ mitteret, ijs conditionibus, quibus victor vellet. Pax in decem annos concluſa, & iureiurando ſancita fuit, his conditionibus, vt Amurathes tota cederet Seruia, deductis præſidijs, ex ijs arcibus, & oppidis, quæ adhuc tenebat, redderet Georgio Deſpotæ liberos, redderet fortunas, abſtineret in poſterum ab iniurijs, nõ repeteret Moldauiam, nec amiſſam Bulgariæ partem, Carambeium quinquaginta aureorum millibus redime-

Amurathes Græciam domat.

Iohannis Huniadis virtus.

Carambeius Baſſa profliga tus à Polonis.

Amurathes pacẽ petit & impetrat à Ladislao Rege Poloniæ.

dimeret. Jn quas ita conſenſit Amurathes, vt Bulgariam ſibi relinqui peteret integram. Sed diu pax firma non fuit, violante eam Ladislao ex Pontificis Eugenij inſtinctu, & Iuliani Cardinalis exitialibus conſilijs, qui Pontifici licere iuramenta præſertim hoſtibus Chriſtiani nominis præſtata

Ladislaus pacem violat.

reſcindere contendebat, & ſpem Regi faciebat futurum, vt Pontificis, Philippi Burgundiæ Ducis, & Venetorum claſsis, ad Helleſpontum Amurathi ſuppetias ſuis laturo reditum ex Aſia in Europam intercluderet. Sedegino egreſſus Ladislaus cum vniuerſis copijs, & VValachiam Bulgariamq́ omnem magna celeritate emenſus ad Varnam Bulgariæ oppidum, quæ antiquitus Dionyſiopolis vocata eſt, ſubſtitit, morbo detentus. Amurathes vbi rem comperit, mox omiſſo Caramanno, quantis potuit itineribus ad Helleſpontum reuerſus, Aſiaticas copias tranſmiſit in Europã, qua fretum arctiſsimum eſt ad Calliopolim, aut fruſtratis arte, aut corruptis pretio ſpeculatoribus, qui littora ſeruabant: cumq́ Aſiaticas copias inter Europæas non procul ab iſthmo Cherſoneſi Thracici diſtribuiſſet, promotis inde caſtris verſus Adrianopolim, incredibili celeritate die ſeptimo contra Ladislaum adhuc ad Varnam hærentem, & nihil tale opinantem caſtra

Clades Varnenſis.

Varnenſis clades, 4. Iduum Nouemb.

poſuit. Deuentum eſt ad pugnã, ad quam eductæ ſunt acies vtrinq́ quarto Iduum Nouembris. Chriſtianam inſtruxit Hunniades maturo deliberatoq́ conſilio, vt latus vnum ad paludem quandã, alterum ad currus valli inſtar aut muri concatenatos, tergum exercitus ad montes conuerteret. Certatum eſt totos dies noctesq́ tres diu fortuna ancipiti, ſed tanto animorum ardore vtrinq́, tantoq́ impetu, vt cæſorũ ſanguine campi ſtagnarint. Victoria tandem ad Chriſtianos inclinare viſa eſt, ob primos Turcorum ordines diſturbatos, atq́ in fugam dilapſos, confuſeq́ palantes, & Imperatorem ipſum trepidantem ac deſperabundo ſimilem: Cum antiſtites, quos in templis & ſcholis, quàm in acie conſpici ſatius fuerat ac decentius, ex ſtatione ſua hoſtem fugientẽ inconſultò proſequuti, aditu ad nudatos ordines patefacto, victoriã & vitam Regis, totiusq́ exercitus ac Regni Pannonici imò Europæ ſalutem hoſtibus prodiderunt. Mox enim ab ea parte in legiones Chriſtianas immiſsi Turcorum ſagittarij, ordines ruptos diſsipârunt, & vrgente occaſionem Amurathe, reliquum exercitum magna ex parte circumfuſis legionibus ſuis vndiq́ concluſerunt. Rex iuuenis cum pugnando ad Prætorianos vſq́ penetraſſet, ex equo lethaliter ſauciato prolapſus, multis vulneribus confoſſus eſt. Antiſtites in turpi fuga turpi interitu pœnas dederunt perfidiæ ſtolidæq́ audaciæ, cœno in paludibus ſuffocati. Hunniadès vix euaſit. Pars copiarum, cui belli fortuna pepercerat, fuga quidem ex hoſtium manibus erepta eſt, ſed partim paludibus ac lacubus abſorpta, partim fame, frigore, vigilijs enecta, in ſyluis miſerabiliter interijt. Iulianus rumpendi fœderis autor nudus repertus in via, ſed multis vulneribus

ribus ſaucius, iudicatus eſt à ſuis fuiſſe iugulatus. Hiſtoriam hanc pugnæ Varnenſis, vt modò commemorauimus, ſuccinctè deſcribit Peucerus lib. 5. Chronicorum, fuſius Philippus Callimachus Caſimiri Polonorum Regis Cancellarius, qui ſub finem prodigijs quibuſdā Ladislai huius mortem præmonſtratam fuiſſe indicat. In tota, inquit, ea pugna Regis virtus in primis enituit, vtpote in vltimo mortalium operum, quod eſſet obiturus. Omnia tum conſtantis ducis, tum fortiſsimi militis munera impleuit, occurſando pauentibus, retinendo cedentes, atq; vbi plurimum laboris, ſpem aliquam ſemper afferendo, conſilio, manu, voce, tam hoſti inſignis, quam ſuis conſpicuus. Mortis ſuæ ſigna præceſſerunt, dum armaretur, delapſa manu armigeri galea: & equi, cum inſcenſuro admouebatur, fera inſolitaq; obluctatio: præterea inſtructis iam aciebus inter expectandum hoſtis aduentum, ſereno tranquilloq; cœlo atrox ſubito ventorum vis oborta, pleraq; vexilla regiumq; in primis dilacerauit. Paulò etiam poſt dimiſſum cōuentum, quo ſecunda in Turcos decreta fuit expeditio, ingens terræ motus nō ſolum priuatorum ædificiorum partes, ſed tota etiam oppida deiecit, & fluuiorum quorundam curſus alueosq; commutauit. Quot ex vtraq; acie ceciderint, haud facilè ratio iniri potuit. Nam per vallem, perq; omnes colles circum frequens & varia fuga & cædes fuit. Multi in lacunam & paludem delapſi immerſiq;. Multi etiam latè in ſyluis vepribusq; occiſi. Turci regio corpore inuento, modicæ altitudinis columnā, quæ hodie quoq; viſitur, cum inſcriptione rei geſtæ, in eodem loco ſtatuerunt. Iuliano inter fugiendum vis illata, ſeu prædæ cupiditate, ſeu quia vulgo quaſi auctor patronusq; perfidiæ inuiſus erat: id conſtat, ſaucium ſeminudumq; in deuio ſaltu exhalantem animam à Sanoceo obequitante inſpectum, admonitumq;, quod euentus tandem planum feciſſet, non fuiſſe D E O *cordi ea, quæ contra fœdus & iuſiurandum, more magis argutorum hominum, quàm ex æquo & bono, diſputaſſet, cum execratione relictum. Dimicatū fuit anno 1444. in profeſto Martini ſcilicet, die decima Nouembris.*

Prodigia antecedētia cladem Varnenſem.

Poſt victoriam hanc inſignem Amurathes magna vi Vngaros infeſtauit, ſed magno auſu illis eius arma reprimētibus, irrito conatu, inde aduerſus Venetos mouit, quos graui licet clade afficeret, factis tamen inducijs omnem belli impetum in Græcos conuertit, effractoq; ad ſinum Corinthiacum hexamili muro, Conſtantinopolitani Imperatoris fratrem, qui ea loca tutabatur cum omni Græcorū exercitu repentina clade obruit, totamq; Peloponneſum occupauit, Anno 1445. Inde in Macedoniam impreſſionem faciens inſignem portum Vallonam occupauit. Ad Vngarica deinde arma retractus, aliquandiu vario euentu bellum geſsit, difficilemq; adeo & funeſtam victoriam reportauit, vt dixiſſe memoretur, nolle ſe tam ſæua mercede ſæpe vincere. Anno tandem 1450. quo Nicolaus V. *Iubileum indixit,*

Amurathes Pelopōneſum occupat, Anno 1445.

Amurathes oppugnat Epirum, Anno 1450.

Epiroticum geſsit bellum aduerſus Georgium Caſtriotum Scanderbeium alumnum ſuum: qui cum vniuerſam Albaniam, quæ olim Macedonia, ad defectionem impuliſſet, regnumq́ paternum armis recuperare conſtituiſſet, Amurathes ingentes copias aduerſus hunc Scanderbeium educens, Croiam vrbem terra mariq́ graui obſidione preſsit: ſed cum parum fœliciter vrbis expugnationem tentaret, fortuna & virtute Scanderbeium protegente, obſidionem ſoluere coactus eſt, vnde tanta animi indignatione exarſit, vt morbo & rabie correptus ſibi ipſi manus præmordiſſe dicatur. Obijt Anno Christi, *1450. cum regnaſſet annis vno & triginta.*

Cum autem in Scanderbeij mentionem inciderimus, operæ pretium fuerit altius quædam de eius ortu, & rebus geſtis repetere.

DE SCANDERBEII VITA, REBVSQVE GESTIS SVCCINCTA NARRATIO.



PAter Scanderbeij Johannes Caſtriotus illuſtris fuit Epiri Albaniæq́ Princeps, ex nobili regiaq́ Pyrrhi Epirotarum Regis proſapia genus ducens, multarum ciuitatum Epiri, aliarumq́ regionum, inter quas Croia potentia & robore fuit præcipua, Dominus, à cuius oppugnatione Amurathes, vt dictum, Scanderbeij virtute & auſpicio re-

cio reiectus fuit. Caſtrioto huic quatuor fuêre filij, Repoſius, Conſtantinus, Stanislaus, & Georgius, inter quos minimus natu Georgius ijs tum animi tum corporis dotibus emicuit, vt quoſuis in admirationem ſui raperet, magnamq; iam tum in pueritia de ſe expectationem concitaret. Infeſtis armis eo tempore Macedoniam, omnesq; circumiacentes regiones impetebat Amurathes Turcus, ferroq; & igni obuia quæq; deuaſtans, nullius vel vitæ vel bonis parcebat. Quo motus periculo Iohannes Caſtriotus Epiri Princeps, vt fato vrgenti cederet, nec cuncta ſimul in ruinam ſecum traheret, cum Tyranni ſæuitiam reprimere aut euitare alio modo nequaquam poſſet, è duobus malis, quod minus eſſet eligendum ratus, vltro in clientelam & fidem Tyranni ſe ſuaq; omnia commiſit, vt vel hac ratione extremum excidium à ſuis amoliretur, ſi fortè Tyranni furor hac ſupplicis deprecatione mitigari, & à ſubditorum iugulo gladius, & tam à priuatis quàm publicis ædificijs incendium & rapinæ auerti poſſent. Amurathes contra ingenium ſuum, adeoq; præter ſpem ipſius Caſtrioti, hanc ſupplicis deditionem accipiens, ijs conditionibus ſe mitigari paſſus fuit: Vt Caſtriotus per omnia iuri ſuo cedens totum ſe Turci ſubditum ac tributarium profiteretur: Nec vllum cum Chriſtiani nominis Principibus fœdus iniret, quatuorq; filios Turco daret obſides. Quid poſtrema iſta conditione triſtius Principi huic Chriſtianã fidem amplectenti accidere potuiſſet, nempe, quod omnes ſimul filios ſuos immaniſſimi Tyranni & Chriſtianæ religionis perſequutoris acerrimi tutelæ & fidei, vel potius lanienæ & perfidiæ committere cogeretur? Vicit tamen amor patriæ, quã vt ſeruaret incolumem, multorumq; Chriſtianorum animas è morte eriperet, paternum animum exuit, quatuorq; ſuos filios Turco tradidit. Qui ſecum abductos protinus patrijs inſtitui legibus, nefarijsq; Mahometiſtarum ſacris initiari, circumcidi, aliaq; ipſis nomina imponi mandauit. Cumq; heroica prorſus indoles in minimo natu Georgio eniteret, corporisq; egregium decus eum ſummoperè commendaret, facile in quantum virum euaſurus eſſet, coniecturis haudquaquã fallacibus Amurathes conſequi potuit, ideoq; eum Scanderbeium, hoc eſt, Alexandrum heroa, vel Alexandrum Magnum vocauit, eumq; in militaribus heroicisq; omnis generis exercitijs accuratè informari iuſſit. Quæ in re ea adoleſcentis huius fuit induſtria, ea alacritas, adeoq; corporis agilitas, vt non ſolum omnes æquales in palæſtra, omnisq; generis armis longe ſuperaret, ſed etiam, cum heroica in eo eſſet animi magnitudo, ante annos præclarum fortitudinis frequenter ederet ſpecimen, & cum decimum octauum annum nondum attigiſſet, præferocem quendam Scytham, qui vaſti corporis ſui fretus viribus, quoſuis in Aula Turcica confidenter ad pugnæ certamen prouocare haud verebatur, ipſe nudus & quidem pedes magna cum laude victum proſtrauerit, caputq; præciſum, vt victoriæ ſuæ monimẽtum

Georgij Scanderbeij adoleſcentis indoles.

Amu-

Amurathi muneris loco obtulerit. Amurathes animi magnitudinem, corporisq́ robur inſigne miratus, amore ſingulari eum proſequutus eſt, regijsq́ muneribus ornauit, cumq́ vix dum octauum decimum exceſsiſſet annum, regias ei præfecturas commiſit, quibus ea fide, dexteritate, animiq́ moderatione præfuit, vt non ſolum in omnium admiratione fuerit, ſed vltro ei ſubditi quæuis obedientiæ præſtarent officia.

Vſus deinde eo fuit Amurathes, in difficillimis expeditionibus, bellisq́ grauiſsimis Duce ſummo, nec eius ductu & auſpicio, vnquam victoria excidit, ſed abſq́ aliquo ſuarum copiarum detrimento regna, nationes, & vrbes complures ſuo imperio adiecit. Ea porrò præter heroicā animo inſitam magnitudinem in hoc Scanderbeio fuit clementia, ergaq́ afflictos commiſeratio (quæ duæ virtutes niſi coniunctæ fuerint, immerito ſibi viri fortis vel magnanimi nomen aliquis vſurpauerit) vt in omnibus bellis & victorijs eam inierit rationem, vt humani cruoris quàm minimū effunderetur, præſertim ſi aduerſus Chriſtiani nominis homines ei pugnandum eſſet. In vrbium expugnatione vexillum, quod manu geſtabat, primum ſemper in hoſtili aggere vel muro apparuit. In Græcia, Vngaria, viciniſq́ regnis virtus eius in primis fuit conſpicua, ſemper in eam curam incubuit, quomodo cum minimo Chriſtiani ſanguinis detrimento bellum cōficeretur. Pugnam ingredienti è labris, æſtuantis animi vehementia, ſanguinē erupiſſe aiunt.

Scanderbeio pugnāti ſangūis è labris erupit.

Narrant etiam nunquam eum pugnam detrectaſſe, nunquam terga vertiſſe, nunquam vulneratum eſſe, niſi leui ſagitta in pede, nec hoſtibus plus quàm ſena equitum, terna peditum millia oppoſuiſſe, & ſua manu ſupra duo hominum millia, Barbarorū præſertim, iugulaſſe, tanto ictuum impetu, vt multos per medium diſſecuerit tranſuerſim ad vmbilicum vſq́. Nec eius virtus inuidia obtrectatorum caruit. Cum enim Chriſtiani ſanguinis effuſionem ſæpenumero præcaueret, non defuerunt, qui eum apud Amurathem in crimen perfidiæ & proditionis vocarent, metuendumq́ muſsitarent, vt vel ad Chriſtianos deficeret, vel ad Tyrannidem aſpiraret: Verùm tanta vbiq́ in rebus gerendis vtebatur Scanderbeius prudentia, & induſtria, vt tale quid ne ſuſpicari quidem auderet Amurathes, præſertim cum citra eius ductum expeditiones parum fœlices fore intelligeret. Interim regijs eum muneribus cumulare non deſiſtebat, vt ſi quid turbarum mouere animum fortè induceret, regia tamen munificentia & liberalitate prohiberetur, atrociſsimisq́ eum quibuſq́ periculis, velut alterum Herculem vel Bellerophontem ſubinde obijciebat, ſic vt contra duos præferoces Barbaros ipſi ſoli dimicandum aliquando fuerit, quos ambos pari virtute, qua Scytham illum, de quo ſuprà diximus, victos vita priuauit. Tandem mortuo Iohanne Caſtrioto, Epiri Albaniæq́ Principe, Amurathes filios eius tres natu maiores clam veneno interficiendos curauit, Georgium natu mi-

Scāderbeius ſua manu interfecit ſupra 2000.

tu minimum ad aliam fortunam reſeruaturus, vt extincta prorſus Epirotici Principis familia de regno illo ſecurior eſſet. Hanc ſuam ſuorumq́ calamitatem & iniuriam vindicandam ratus Scanderbeius, prudenter occaſioni rei gerendæ intentus fuit. Cumq́ poſt res plurimas fortiter geſtas exercitum aduerſus Vngariam, & Deſpotam Seruiæ ductaret, à Turca deſciſcens Croiam vrbem Epiri munitiſsimam, quam Turcica præſidia firmabant, mira arte & aſtutia occupauit, totamq́ Epirum, eiectis Turcicis præſidijs recuperauit, magna ſimul Macedoniæ parte ſibi ſubiecta: donec à Mahomete Amurathis filio, Croia Scodraq́ expugnatis, patria eiectus in Italiam ſe contulit, nec multo poſt cum Lyſsi eſſet ad Dryllum amnem, ac de bellicis rebus cum præfecto Veneto conſultaret, febri correptus è viuis exceſsit, Anno ætatis ſuæ 63. Anno CHRISTI, *ſexageſimo ſeptimo ſupra milleſimum quadringenteſimum. Scanderbeij huius res geſtas tredecim libris complexus eſt Marinus Barletius Scodrenſis, diuinitus fortitudinis veſtigia corpori eius impreſſa eſſe, matrem etiam prægnantem de filij huius magnitudine ſomnio præmonitam aſſerens. In ſomnis enim viſa ſibi fuerat inuſitatæ magnitudinis ſerpentem parere, qui vniuerſum Albaniæ regnum obtegeret, capiteq́ in Turciam vſq́ porrecto, Regem Turcicum deglutiret, caudam verò vſque ad Chriſtianorum propugnacula, & mare Adriaticum extenderet. Quo ſomnio vehementer territam maritus eius Iohannes Caſtriotus bono animo eſſe iuſsit, portendi enim eo magnitudinem naſcituri filij, qui Turcicum regnum grauiter afflicturus, ipſumq́ Regem Turcicum vita priuaturus, multosq́ Chriſtiani nominis homines à Turcici Tyranni iugo liberaturus eſſet. Quam ſomnij interpretationem veram fuiſſe exitus tandem comprobauit. Sua enim defectione Scanderbeius effecit, ne Chriſtianos in magno tum metu & periculo conſtitutos amplius Amurathes affligeret, adeoq́ ex animi dolore, quem ob Croiam amiſſam, ſuosq́ in ea recuperanda conatus irritos, conceperat, deliranti ſimilis vitam cum morte commutaret. Adhæc ferunt brachio Scanderbeij effigiem ſtricti gladij naturaliter impreſſam fuiſſe, ſic vt artificis manu accuratius pingi ſuisq́ coloribus exprimi nequiuerit. Hæc de Scanderbeij rebus breuiter hoc loci exponere viſum eſt, vt inde pius lector diſcat, quanta ſit illa Turcorum Tyrannis, dum, non contenti in triſtiſsimam ſeruitutem Chriſtianorum filios rapere, eos à* DEO *auulſos Mahometica blaſphemia imbuunt, bonisq́ tam corporis quàm animæ ſpoliatos iugulant.*

Scanderbeius obit, Anno ætatis 63. Anno Chriſti, 1467.

Marinus Barletius deſcripſit res geſtas Scanderbeij libris 13.

Scanderbeij brachio effigies ſtricti gladij naturaliter impreſſa.

MAHOMETHES II. EIVS NOMINIS, OCTAVVS TVRCORVM IMPERATOR.



Impauidus trifidum crudelia ferre per orbem
Otmannidarum ſceptra parat Mahomet.
Imperio finem Conſtantinopolitano
Attulit, hac penitus Græcia clade iacet.
Hoc vaſtante Trapezontis iacet inclyta virtus,
Sæuit & in toto Turcicus orbe furor.
Terruit hic ſæuo metuendus acinace gentes,
Quas adit Eous Heſperiusq́ nitor.

A *Murathi ſucceſsit filius Mahomethes, Anno ætatis 21. qui vt abſque metu æmuli regnaret, parricidio regnum ſtabiliuit, duobus è medio ſublatis fratribus, Anno* CHRISTI, *1450. Hic magno animo totius orbis imperium ſibi deſtinans nihil intentatum reliquit, quod ad Ottomannici nominis atq; imperij ampliationem pertineret, prodigioſisq́ audaciæ ſucceſsibus omnes ſuos anteceſſores facilè ſuperauit. Conſtantinopolitanum, Trapezuntiumq́ ad ſe imperium rapuit, regna duodecim, vrbes ducentas occupauit. Immanis eius fuit in hoſtes ſæuitia, liberalitas*

verò

verò & munificentia erga eos, qui virtute ſua & rebus fortiter geſtis eum ſibi demeruiſſent, inſignis. Multi in ea erant perſuaſione, fore vt poſt mortem Amurathis reiecta Mahometica ſecta, religionem Christianam amplecteretur, eò quod à matre Deſpotæ Seruiæ filia, ad Chriſtiana præcepta & mores à teneris eſſet aſſuefactus. Verum vbi imperij faſtigium attigit, ita ſe ad Mahometis ſacra contulit, vt neutri religioni addictus prorſus ἄθεος *ageret, nec niſi vnum bonæ fortunæ numen agnoſceret ac coleret, irrideret ſolicitas cogitationes hominum de prouidentia, credentium* Deo *curæ eſſe res humanas. Quæ eius impietas fecit, vt quicquid liberet, idem ſibi licere putaret, nullaq́ue pacta aut fœdera, niſi ex quibus emolumentum ſperaret, rata haberet. Ingeniorum verò & artium admirator fuit, viros etiam doctos præſtantesq́ue artifices, magno precio conductos allexit, res à ſe geſtas, bella & victorias accuratè à viris doctis deſcribi voluit. Hiſtoriarum lectione, inprimis de rebus geſtis priſcorum Regum & Imperatorum, vt Alexandri Magni, Scipionis Africani, Hannibalis, Iulij Cæſaris impenſe delectabatur. In magno precio habuit Iohannem Mariam Lombardum, Vincētia oriundum, quem filio ſuo Muſtaphæ pædagogum præfecerat, eam ſolum ob cauſam, quod Italica Turcicaq́ue lingua expeditionem victoriamq́ue eius aduerſus Perſarum Vſancaſſanum deſcripſiſſet. Regijs etiam muneribus ornauit pictorem Venetum Iohannem Bellinum à Venetis ipſi tranſmiſſum, à quo non ſolum effigiem ſuam, ſed omnium etiam ſub ſole nationum, in primis verò Chriſtianarum gentium verſus occidentem habitum, depingi voluit. Sic pariter virtutes cum vitijs in ipſius animo certârunt. Virtute conatibusq́ue eius fortuna vbiq́ue arriſit. Conſtātinopolim antiquam clariſſimamq́ue Chriſtianorum Imperatorum ſedem magno auſu obſidione cinxit, quam etiam, æterno* Deo *propter peccata noſtra conatus eius fortunante, 44. obſidionis die. 4. Kalend. Iulij, Anno 53. ſupra 1400. occupauit, euerſoq́ue antiquiſſimo Orientis Imperio, Mahometicæ blaſphemiæ ſedem ibi fixit. Indignatus enim Mahometes, vrbem potentiæ diuitiarumq́ue ſplendore clariſſimam, ex qua ſuo imperio & nomini plus dignitatis & gloriæ accedere poſſe videbat, quàm ex compluribus maiorum ſuorum victorijs, ſibi haud parêre, omnes ad eam expugnandam vires intendere conſtituit. Itaq́ue terra mariq́ue eam Nonis Aprilis, obſidione cinxit, adducens quadringenta hominum millia, quæ multitudo maxime collecta fuit ex vicinis gentibus, quæ adhuc nominabantur Chriſtianæ, ex Græcia, Illyrico, VValachia, Dardanis ſeu Raſcis, Triballis ſeu Seruijs, Bulgaris ſeu Myſis, Turci pauci fuerunt. Europæis fuêre admixti Aſiatici ex Bithynia, Galatia, Lydia, & Cilicia. Sic nobiſcum bella gerunt Turcici Tyranni, vt gentes cognatas nobis, nobiſcum dimicare cogant. Intra mœnia verò præter vrbanam multitudinem tantum ſex millia Græcorum militum fuiſſe*

Mahometes à matre Chriſtianis moribus imbutus.

Mahometes ἄθεος.

Iohannes Maria Lōbardus, præceptor Muſtaphæ.

Iohannes Bellinus Venetus, pictor, honoratus à Mahomete.

Conſtantinopolis capta à Mahomete, Anno 1453. 4. Kalend. Iulij.

tradunt, & auxiliariorum Venetorum & Genuenſium tria millia.

Oppugnationem Mahometes terra mariq; eſt aggreſſus. Terra copias ita diſtribuit, vt tribus in locis muros concuſſerit & diſiecerit, & per ruinas tentarit irruptiones. Virtus in defenſoribus egregia fuit, quorum dux Johannes Juſtinianus Genuenſis, qui multum vſus conſilio & opera viri fortis atque induſtrij, qui nominatur in hiſtorijs Johannes Grandis Alemannus, fortiter impetus irrumpentium hoſtium ſuſtinuit atque eliſit. Sed quod copiæ exiguæ eſſent, & tribus in locis ad ruinas deiecti muri, atq; inſuper ad portum aſsidua prælia multos milites quotidie abſumerent, diu contra tantã multitudinem ſufficere non potuerunt, præſertim cum vtrinque cuniculi acti eſſent, & ſi in his conatus foſſorum Turcicorum fuerunt irriti. Adduxerat Tyrannus Turcicus ex diuerſis littoribus nauigia, vt portum Byzantium obſideret, & littora nauibus tanquam ponte iungeret. His in portu oppoſitæ fuerunt ſeptem Genuenſium, tres Cretenſium, & aliquot ex Chio naues. Fuit & portus ipſe catena ferrea clauſus, ne perrumpere in eum & penetrare claſsis Turcica poſſet. Eruperunt & propugnatores per occaſionem, ac cum Turcis fortiter præliati, claſſem eorum iniecto igne ad eum modum corruperunt, vt aliquot diebus ſine vſu fuerit. Tandem tamen Turci effracto, qui obſeratus erat cathenis ceu repagulis aditu, intra portum peruaſerunt. Ibi cum terra mariq; quaſſatis ac proſtratis muris Tyrannus ſpem expugnandæ vrbis concepiſſet, irruptiones ex portu & alijs locis totis viribus tentatæ ſunt. Stetit ſpectator Tyrannus in vicino colle, cohortans ſuos, vt fortiter muros conſcenderent, & vociferatus horribili vlulatu, ſicubi repelli eos aut interfici vidit, minitatus etiam cedentibus. Nam & cohortes, quas velut trianas apud ſe retinuerat, ſubmiſit, quæ cedentes iugularent. In hac prælij feruore, etſi ſpes victoriæ animum & robur defenſoribus addidit, præſertim vbi cæſorum multitudine exercitus Turcicos animaduerterent nonnihil turbari: tamen rurſus conuerſa eſt prælij fortuna, Juſtiniano Genuenſi vulnerato, qui etſi obteſtaretur eum Imperator Palæologus, ne fugeret ex ſua turri, cum vulnus non eſſet lethale, tamen deſeruit ſtationem, nullo alio in eam ſpeculam collocato, fractus animo potius, quam vulnere. Fugam ducis ſequuti milites ſpeculam nudarunt. Hoc animaduerſo Turci magno agmine in ea loca infuſi, vrbem occuparunt. Juſtinianus in vicinam Peram euaſit, vnde poſtea in vicinam Chium nauigans, ſeu vulnere ſeu mœrore animi extinctus eſt. Imperator Palæologus cum multis alijs, quibus ſpes vitæ in fuga erat, ſi ex vrbe effugiſſent, in ipſa porta vel trucidatus, vel colliſione multitudinis conculcatus eſt. Nam in porta octingenta cadauera reperta ſunt. Victores Turci graſſati per vrbem, & obuios quoſque & abditos in ædibus ſenes, matronas, virgi-

Iohannes Iuſtinianus Genuenſis, & Iohannes Grandis Germanus, defenſores Conſtantinopolis.

Conſtantinopolis occupata.

virgines, puberes & impuberes crudeliſſimè trucidarunt. Raptæ ſunt matronæ nobiles & virgines ad ſtupra, quæſita eſt præda in omnium ædibus & templis, quam Mahometes ſi vrbs caperetur militibus tribuerat. In templis picturæ CHRISTI contumelijs affectæ, & omnia in vrbe, toto triduo, ſcelera commiſſa ſunt, quæ gens barbarica, impia, libidinoſa, obſcœna, auara, & crudelis in capta vrbe regia, opulenta, & ornatiſſima audere potuit. Poſt triduum Mahometes vrbem ingreſſus tumultus ſedauit, & inquiſitos proceres aliquot, qui adhuc reliqui erant, diſſecari iuſsit. Narrant & in conuiuijs Turcicis honeſtas matronas & virgines, etiam ex regia familia, poſt alias contumelias per ludum in fruſta conciſas eſſe.

Agnoſcamus in hac celeberrimæ vrbis clade horrendum DEI iudicium, aduerſus eos, qui petulanter verbum DEI faſtidiunt, inteſtinisq́ diſcordijs pacem & tranquillitatem violant, modeſtiæ & pietati ſtudeamus, DEVM ardentibus precibus inuocemus, vt iram ſuam à nobis auertat, pœnas mitiget, Eccleſiæq́ tranquillum hoſpitium conſeruet, Diaboli verò omniumq́ Tyrannorum furores compeſcat, eorumq́ regno deſtructo, Eccleſiam verbi ſui virtute inter nos colligat, & benigniter tueatur. Fatales etiam Imperiorum intueamur periodos, quæ fragilitatis rerum humanarum nos commonefaciant, ne in hac vita Paradiſi gaudia ſomniantes in ſecuritatem incidamus, æternæq́ vitæ obliuiſcamur. Fatale etiam nomen huic vrbi fuit nomen Conſtantinorum, Conſtantinus Magnus filius Reginæ Anglicæ renouata Bizantio Imperij ſedem eò tranſtulit, eamq́ νέαν ῥώμην, Nouam Romam dici voluit, conſuetudo tamen præualuit vt Conſtantinopolis vocaretur. Eodem nomine & hic Imperator vltimus idemq́ infœliciſsimus dictus fuit, qui vna cum regia ſtirpe & regno extinctus, Turcis & prædæ & ludibrio fuit, cum floruiſſet vrbs illa toto orbe terrarum clariſſima annis mille centum viginti & vno. Anno CHRISTI, ſupra milleſimum quadringenteſimum, quinquageſimo tertio. Conſtantinopoli expugnata omnes ſimul ciuitates & nationes Imperio Byzantino addictas ad ſe pertraxit Mahomethes, vniuerſa etiam Thracia metu perculſa protinus antequam Conſtantinopoli excederet vltro ei ſe dedit. Hinc armis vtranq́ Myſiam, Daciam, Dardaniam, Dalmatiam, & quicquid Græciæ conterminum eſſet ſubiugauit, celeri impetu immaniq́ ſæuitia cuncta peruagatus, Imperiumq́ Græcorum ſibi poſterisq́ firmauit, ab eo etiam tempore Reges Turcici, Imperatoris vel Cæſaris titulum ſibi vſurparunt.

Reges Turcici appellati Cæſares.

BELGRADI OPPVGNATIO.

Caſp. Peuc.

TErtiò poſt captam Conſtantinopolim anno oppugnationem Belgradi tentauit, adductis ad vrbem duobus pugnatorum millibus. Vbi cum Hunniadem neutiquam viribus parem, ſed incredibili ardore & alacritate ſuorum vrbem propugnantem, continuis & maximè cruentis duorũ dierum prælijs exercuiſſet, ſucceſſu tamen & fortuna, quam ad Byzantium, diſpari, accepto in pectore ſub leua papilla vulnere exanimis concidit, ac pro exanimi à ſuis elatus, caſtriſq; ab hoſtibus exutus, amiſsis circiter 40000. hominum, & machinis bellicis, fuga vitam conſeruauit. Ad huius inſperatæ ſtragis & fugæ tam turpis atq; ignominioſæ recordationem, vbi rediſſet ad ſe, tanta cum indignatione infremuiſſe dicitur, vt de morte ſibi conſciſcenda cogitarit. Obſidionem Belgradi Idibus Iunij, Anno 1456. inchoatam, & in diem 46. productam, 8. Idus Auguſti, exercitu fuga diſsipato, ipſe quoq; fugiens perinuitus ſoluit. Poſt hanc cladem, omiſsis terreſtribus bellis claſſe inuaſurus erat maris Aegæi inſulas. Sed ab hoc eum cõſilio & conatu auertit Vſumcaſſanes ex Aſſenbeia Turcica ſtirpe, Cappadociæ, Armeniæ, & vicinarum aliquot regionum Dominus, qui nuper interempto, ſeu Malaonchæ, ſeu vt alij volunt, Demiro, Perſarum Regi, ex vetuſta ſtirpe Gemſæ, magni apud Parthos Sultani, regnum abſtulerat. Eo enim ſucceſſu ferox legatos miſit ad Mahometem, afferentes dona ampliſsima deprompta è theſauris Perſicis ad oſtẽtanda victoriæ præmia, qui flagitarent vt abſtineret Trapezunte & Cappadocia, quas ſibi regiones dotalitio nomine vendicarat, propter coniugem Deſpinam Dauidis Comneni filiam. Nuper enim Amaſiæ præfectus facta in Cappadociam irruptione Trapezuntem terruerat. Barbarus impatienter ferens & leges ſibi ferri, & quaſi inſultari in calamitate recenti, ab inferiori Domino, & offenſus noui Regis felicitate & gloria, belli apparatum omnem terra mariq; in Aſiam nulla mora interpoſita tranſtulit; præmiſſa parte claſsis in Pontum & Synopen, verſus Trapezuntem, ipſe cum exercitu terra ſequutus incredibili celeritate Aſia ceu peruolitata, opinione omnium citius contra Vſumcaſſanem caſtra fixit. Vbi Vſumcaſſanes bino & vtroq; acerrimo conflictu, ſemel ad Euphratem, pugnante Amurathe Baſſa, Græco homine, olim Imperatoris Conſtantinopolitani conſanguineo, qui in eo prælio occubuit, iterum Mahomete ipſo præliante pro caſtris, Turcicas vires vehementer attriuit: ſed dum tertio ſummi certaminis fortunam periclitaretur ad Arſengam, multitudine tormentorum obrutus, infœlici exitu ſuperiores victorias corrupit. Nam cum exercitus Perſicus inſolito fragore diſploſarum bombardarum, atq; violentia impetus turbatus non conſiſteret, recipere ſeſe Vſumcaſſanes coactus eſt, amiſſo filio Zeinalde, qui globo traiectus occidit. Hanc ceſsionem Mahometes pro victoriæ

Belgradũ Mahometes oppugnat, Anno 1456.

Vſumcaſſanes Mahometi rebellis, retrahit eum ab expeditione maritima.

Vſumcaſſanes victus à Mahomete.

ctoriæ confeßione interpretatus, mox Sinopen prouinciæ caput omnemq́ Paphlagoniam ſubegit. Inde Trapezuntem regiam ſedem terra mariq́ infeſtißimè oppugnatam cepit, potitus & theſauris regijs, & ipſo Rege Dauide filijsq́ duobus & Calo Iohanne patruele, quos præmiſſos Byzantium ad triumphum, deinceps crudelißime interemit, exciſa cum his tota Comnenorum ſtirpe, circiter annum CHRISTI, *1459. Regna illa cum redegiſſet in formam prouinciæ, Pirameto Caramanno eodem victoriæ curſu debellato Ciliciam ademit. Inde reuerſus Byzantium claſſe Lemnum & Lesbum inſulas cepit, Mytilene vrbe prope deleta, & tota Inſulanorum multitudine abducta velut in aliam Coloniam. Nicolaum Cataluſium Lesbi Principem Genuenſem immaniter trucidauit. Terra adortus Draculam VValachorum Principem, & ab improuiſo non magna manu militum, & pari propemodum equitum numero, circumuentus in caſtris atq́ concluſus, in tantum venit diſcrimen, vt pereundum fuerit exercitui, niſi maturo conſilio & ingenti auſu, exitu patefacto, perrupiſſet Mahometes Baſſa, quem Chriſtianis parentibus natum, Triballo patre & Conſtantinopolitana matre, ſed ſecum à pueritia educatum, ſummæ rei propter induſtriam præfecerat poſt interemptum Halibaſſam. Magnam tamen partem exercitus amiſit. Eo refecto adauctoq́ ſupplementis, ſuperiorem Myſiam, & Illyriam aggreſſus, Stephanum Boſnæ Regem Iazyga vrbe totoq́ regno expulit & occidit, circiter annum* CHRISTI, *1463. Sed Boſnenſe regnum cum vrbe paulò pòſt Matthias Coruinus Vngariæ regnum adeptus, fuſo fugatoq́ ingenti Turcorum exercitu recepit, Mahometemq́ reuerſum ad alteram Iazygæ obſidionem caſtris atq́ impedimentis omnibus exutum expulit. Myſiæ Regem dolo aggreſſus ad colloquium euocauit, euocatumq́ Mahomethes perfidè immanißimis affectum ſupplicijs lacerauit, & Myſiam inuolans in omnes propinquos eius & affines eodem ferè pacto deſæuijt. Interea Veneti magno ſumptu & labore reſtituerant hexamili murum, quem Amurathes demolitus fuerat, ad Iſthmum Corinthiacum, præbentibus materiam ad accelerandum opus veteris ſtructuræ ſaxis. Mahomethes ea re cognita, facta improuiſa irruptione in Peloponneſum cum 80000. hominum, deuaſtatis initio agris Coroneis ac Methoneis, Venetos magna ſtrage concidit, deinde reliqua Peloponneſo in deditionem accepta, murum ex vſu victoriæ totum demolitus eſt.*

Mahomet capit Trapezuntem.

Cōnenorum ſtirps deleta, Anno 1459.

Mahometh profligatus.

Mahometh profligatus à Matthia Rege Vngariæ.

Myſiæ Rex dolo circūuētus trucidatur à Mahomethe.

Veneti reficiunt hexamili murū ad Iſthmum Corinthiacum.

Nec multò pòſt, Venetos è Lesbo inſula expulit cæſis 5000. armatorum. Recuperarant enim illi Lesbum cum Lemno, ademit ijſdem & Euboeam inſulam, quam Nigropontem vocant, ponte admirabili apparatu ſupra Eurypum conſtructo, expugnataq́ Chalcide triceſimo obſidionis die, fœda Chriſtianorum ſtrage ob præfecti claßis Venetæ inertiam & timiditatem, qui quanquam proſperè flantibus ventis, non tamen fuit auſus pontem triremibus

Veneti profligati à Mahomethe.

remibus inuadere. Horribiliter in ea vrbe ſæuitum eſt, edicente Tyranno, ne vllus, qui annum triceſimum attigiſſet, ſeruaretur. Irritatum enim fuiſſe clade ſuorum conſtat, cum ſupra 40000. hominum diuerſis circa muros prælijs amiſiſſet, Anno 1471. Expugnata Chalcide, Carinthiam Stiriamq́ peruagatus in ipſam Italiam vſque penetrauit, grauiq́ clade ad Soncium amnem Venetis affectis, vniuerſæ Italiæ ingentem terrorem incuſſit, inſigni non citra inſidias pro more gentis parta victoria. Ea ſiquidem nocte, quæ prælium inter Venetos & Turcos geſtum, anteceſſit, Aſabecchus, quem & Marbecchum vocant, Turcorum Dux, ad mille lectos equites tacito agmine fluuium Soncium tranſnare iubet, hisq́ imperat in inſidijs eſſe, atq́ intentos ſignum ad erumpendum expectare, quo accepto hoſtem ex improuiſo inuaderent. Vbi verò illuxit, Barbarus expeditiſsimam equitum alam, ſuperato amne, ad hoſtium caſtra, ſi nemo interim occurrat ire iubet, atq́ portis obequitando hoſtem ad pugnam elicere, inuectoq́ certamine, cedendo ſenſim ad inſidiarum locum pertrahere. His aliquantiſper à vado progreſsis, Hieronymus Veronenſis Comes, & primus exercitus dux, cum ſpeculatoria ſuorum manu fit obuius. Reliquus equitatus in tres diuiſus turmas, vti iuſſus erat non longè ſubſidio ſequebatur. Cõtinuo vtrinque ferociter eſt concurſum. Sed Barbari momento temporis quaſi victi de induſtria ceſſere. Cedentes victor vrget, atq́ aperto campo palatos hoſtes inſequitur. Sed nemo infeſtius Barbarum premere, quàm Hieronymi filius iuuenis impiger atq́ gloriæ cupidus. Hunc ferociſsimè pugnantem, audax iuuenum manus præſenti ſucceſſu elata ſponte ſequebatur. Id ægrè ferre callidus ſenex, atq́ identidem clamitare, non eſſe temerè inſtandum Barbaro, ſcire ſe eam gentem non niſi de induſtria tam leuiter meditari fugam. Et quia iam in anguſtias locorum prope ventum erat, iubet dato ſigno ſuos ab effuſo curſu reuocari. Tum Barbarus verſus in pugnam prælium ferociter inſtaurat, redintegrataq́ pugna, Barbarorum manus, dato repente ſigno ex Liciſinij vertice, qui capitibus pugnantium ad læuam imminebat, ex inſidijs coorta cum horrifico clamore & ſtrepitu in ſubiectam turmam effunditur. Ingens pauor ſub primum clamorem Venetis iniectus eſt, momentoq́ temporis prima eorum turma hoſtium multitudine obruta eſt, & ad vnum ferè omnes cæſi, moxq́ ſolutis ordinibus reliqui effuſe fugere cœperunt, hos Barbarus paſsim inſequutus ſternit, atque fœdiſsimè trucidat, pauci relictis equis, & armis abiectis, in propinquos ſaltus abiêre. Ceciderunt in ea pugna Hieronymus, penes quem totius equitatus fuit imperium, cum filio, Iacobus Badouarius, Anaſtaſius Flamminius, & pleriq́ alij viri illuſtres. Reliqui ferè omnes capti. Hæc clades cum ingentem toti Italiæ cladem inijceret, viribusq́ iunctis de propulſando hoſte, cum iam agitarentur conſilia, Marbecchus præda diues exercitum abduxit. Paruo

Pugna ad Sonciũ amnem.

M. Anton. Sabellicus.

deinde

deinde interiecto tempore, Veneti cum Mahumethe fœdus percuſſere. Ad quod publico nomine ſanciendum Benedictus Triuiſanus vir magni conſilij & autoritatis Conſtantinopolim miſſus eſt, vnde certiſſimam Venetis pacem reportauit, ſed ijs legibus, ſi Scodram, Tænarum Laconiæ promontorium & Lemnum dederent illi, & annua penſione octo aureorũ millium mercatoribus Venetis nauigationem Ponticam aperirent. Veneti pacem faciunt cum Mahomethe.

Ad hac pace mox vno eodemq́ tempore tres expeditiones ſuſcepit. Meſithen purpuratum è gente Palæologa miſit ad oppugnandam Rhodum cum valida claſſe. Acomathem Baſſam, cui ab exciſo anteriore dente Gendico cognomen fuit, iuſſit traijcere in Italiam, ad occupandum cum vrbe Romana Imperium occidentis. Ipſe transijt in Aſiam. Harum expeditionum is fuit euentus, vt Meſithes poſt multas & cruentas, ſed irritas Rhodi oppugnationes claſſem reduxerit cum dedecore ſummo & detrimento. Acomathes ab Aulone in Salentinos tranſuectus Hydruntem expugnârit, terroremq́ Italiæ tantum inuexerit, vt Pontifex rerum aliarum omnium oblitus, ſed ſui memor fugam ex vrbe adornârit. Mahomethes in Aſiatica profectione ad Nicomediam repentino coli dolore correptus, extremum vitæ diem tridui cruciatu feſtinata morte clauſerit, Anno ætatis 53. Regni 32. Anno CHRISTI, *octogeſimo primo ſupra milleſimum quadringenteſimum, magno Reipub. Chriſtianæ commodo. Nam præſidia Turcica, quæ tenebant Hydruntem, ab Italis ope Matthiæ Coruini obſeſſa, vbi mortem ſui Principis cognouiſſent, nõ expectato reditu Acomathis, qui 25000. Turcorum adducebat, inchoatum victoriæ curſum perſequuturus, illa ergo pacta cum obſidentibus de vrbis deditione & ſua incolumitate Hydruntem reliquerunt. Ita tunc Italia liberata eſt hoc diſcrimine.*

Acomathes Gendicus. Rhodus oppugnata. Hydruntis expugnatio. Mahomethes moritur, Anno Chriſti, 1481. Liberatio Hydruntis.

MAHOMETHIS II. FILII.

Mahomethi tres fuêre filij, quorum maximus natu Muſtapha, qui contra Vſumcaſſanem ſub paternis ſignis egregiæ militiæ ſpecimen ediderat, pulſo Ioſepho Perſico Duce, Regis Caramanniæ fautore. Hic Iconij deceſſit ante patrem, confectus libidinibus & voluptatibus. Reliqui erant duo, Baiazethes & Gemes, qui & Zizimus nominatur, & ex Baiazethe nepotes ſex Scioënſiacus, Mahometes, Alemſciacus, Achomates, Corchutus & Selymus, præter hos ex Geme vnus, cuius nomen non reperio. Aberant Byzantio filij, cum Mahometes interiret, in ijs prouincijs, quibus conceſſione patris præerant. Baiazethes in Cappadocia, cuius regia ſedes eſt Amaſia: Gemes in Lycaonia, cuius caput eſt Iconium. Cum autem diſſentirent inter ſe Purpurati, & Prætoriani de ſucceſſore, & diſſenſio exarſiſſet in conflictum ac cædes mutuas: Prætoriani

Caſp. Peuc. Diſsidiũ Turcorũ poſt obitum Mahomethis.

milites Baiazethem abſentem proclamârunt Imperatorem, rem procurantibus ac conficientibus Cherſeogle Græciæ Bellerbeio, & Aga præfecto Prætorianorum, qui Baiazethis generi erant. Nonnulli equeſtris militiæ Principes, qui in vrbe erant, vt tumultus præſentes ſedarent, Corchutum adoleſcentem Baiazethis filium Imperatorem ſalutarunt, attollentibus eum Iſaaco & Meſithe purpuratis, arcibusq; traditis atque theſauris, auito in ſolio conſtituerunt, vt ipſi tutelæ nomine cuncta Imperij negocia ex arbitrio adminiſtrarent. His ſe adiunxit Achomates Baſſa, qui nuper Hydruntem expugnârat. Nec Baiazethes pater è Cappadocia feſtinatiſsimis itineribus reuerſus, quanquam ſe iniuſtè fraudatum Imperij iure quereretur, quicquam precibus vel lachrymis impetraſſet, niſi & adoleſcens filius ſponte ceſsiſſet, & ipſe Purpuratorum malignitate alienatas à ſe rurſus atque concitatas Prætorianorum voluntates, multa largitione placaſſet.

Baiazetes Imperator Turcorum.

BAIAZETHES SECVNDVS, TVRCORVM IMPERATOR NONVS.



Arma manu quatiunt fratres hoſtilia, regnum
Hinc Baiazethes, Ziſimus inde petit.

Baize-

Baizethes rerum potitur: Rhodon, inde Quiritum
Ziſimus extrema mœnia ſorte petit.
Suſtinet & bello varias & pace procellas
Baizethes, fœlix & miſer inter opes.
Jam ſenio tremulus fert bella domeſtica, regno
A gnato eiectus dira venena bibit.

BAiazethes inter diſſenſiones Purpuratorum Prætorianorumq́, cum electus eſſet Imperator, Gemes frater eius, qui & Zizimus de ſpe Imperij deiectus, incitantibus eum amicis fratri de Imperio bellum mouit, in quo ab Aegypti Sultano Caithbeio & Caramanno adiutus, ſed tribus prælijs ſuperatus ductu Achamatis Baſſæ, deſperatione confugit, ad magnum Rhodi Magiſtrum (relicta apud Carras matre, & geminis tenellæ ætatis liberis maſculo & fœmella, quos Baiazethes necauit) miſſa prius in proximum littus ſagitta, cui alligata erat epiſtola, in hunc ſenſum ſcripta: Noris ô crudelis nimium & perfide frater, me ad Ottomannici nominis capitales hoſtes, Chriſtianos, non ex odio vel contemptu auitæ religionis tranſire, ſed tua coactus perfidia, multipliciq́, iniuria, quam in extrema mea miſeria erga me exerces. Jnterim hanc ſpem nequaquam dubiam animo foueo, fore, vt multo atrociora diſſidia & pericula te tuosq́ liberos infeſtent, magnoq́ tibi conſtiturum ſit, quicquid aduerſus me meosq́ impiæ crudelitatis exerces.

Gemes profligatus à Baiazethe confugit ad magnum Rhodi Magiſtrum.

Hanc fratris ſui epiſtolam Baiazethes cum legiſſet, ita animo turbatus eſſe fertur, vt mœrore ſqualidus per dies aliquot nullum conſolationi locum dederit, adeoq́ deliranti ſimilis à Purpuratis in caſtra deductus, omnium & conſuetudine & colloquio abſtinuerit. Magnus Rhodi Magiſter Zizimum honorificentiſſimè excepit, eiq́ cum omni nobilitate obuiam proceſſit. Triduo elapſo in conuentu procerum Zizimus cauſas diſſidij inter ſe fratremq́ Baiazethem querula voce expoſuit, ſibi licet minori natu, iure Imperium deberi ediſſeruit, vt qui natus ſit patre Imperatore, cum antequam ad Imperij dignitatem euectus eſſet pater, natus fuerit is, qui Tyrannico faſtu Imperij decus ſibi modò præripiat, præter hæc addidit, ſe paratum eſſe vltro Imperij dignitate, licet iure ea ſibi deberetur, cedere, dummodo aliqua ſibi regio, vbi vitam Principe dignam agere ſecurè liceat, patêret. Verùm eam eſſe iniquitatem crudelitatemq́ fratris, vt nec angulum in latiſſimo Imperio, vbi vel priuatam vitam tranſigat, ſibi concedere dignetur. Ea itaque fratris impietate coactum, Chriſtianorum Principum ſeſe implorare auxilia, quorum pietatem humanitatemq́ cum multis nominibus prædicari ſæpius audiuerit, ſe etiam in hac ſua miſerabili fortuna, optima quæq́ ſibi de ipſis polliceri. Qua in re ſi ipſorum ope & auxilijs

Gemes honorifice exceptus à Rhodijs.

adiutus fratris Tyrannicum faſtum reprimat, ſe iſtius beneficij nunquam fore immemorem, fœdusq; & pacem, Chriſtianorum Imperio in perpetuum profuturam, cum ipſis inire, omnibusq; eorum votis & petitionibus nunquam non acquieſcere velle. Ad quæ perhumaniter magnus Rhodi Magiſter reſpondens eum bono animo eſſe iuſsit, ſibiq; proximã viam conciliandi Chriſtianorum Principum animos videri ait, ſi Romam profectus coram Pontifice ſe humiliaret, pedesq; eius ſupplex oſcularetur. Haud inuitus conditionem hanc accepit Zizimus, operaq; magni Magiſtri Rhodij ad Innocentium Papam profectus eſt. Nec longè poſt, & Baiazethes miſsis ad Pontificem legatis, vrbem ei Hieroſolymitanam, quatenus fratrem Zizimum ſibi dedat, vltro offert. Verum ne datam fidem falleret, Pontifex Baiazethis & munera & amicitiam repudiauit. Zizimus hic Carolo Octauo Franco per vrbem ad obſidionem Neapolitanam cum exercitu proficiſcenti, ab Alexandro Sexto cum Valentino Borgia filio obſes datus, Tarracinæ in itinere obijt, veneno per Alexandrum Pontificem necatus, ne quam Carolus apud Baiazethem gratiam iniret, fratre dedito. Heroica animi magnitudine Zizimus hic fuit præditus, mira etiam fortitudine, tollerantia, prudentia res aduerſas ſuſtinuit.

Baiazethes mox etiam Acomathi ex Albania oriundo, per quem imperium aduerſus fratrem defenſum conſeruarat, gratiam laqueo reddidit, cum quod fiducia magnarum opum inſolenter ferocientem cognouiſſet, mutata voluntate ſummam rerum rurſus inflectere ad Gemem fratrem, tum vt theſauris eius potiretur, quod factum eſt magno cum emolumento Chriſtiani nominis, cui Achomates erat infenſiſsimus. Inteſtino bello hoc modo Baiazethes liberatus, etſi natura ab armorum ſtrepitu abhorruit, tranquillitatis, ſtudiorum cauſa, quibus apprime fertur fuiſſe deditus, quã belli amantior, tamen vt tueretur maieſtatem acquiſitæ potentiæ, & more maiorum, proxima in Chriſtianos arma direxit, & tertio anno ſui principatus Vualachiã ſubegit, arcibus duabus Lithoſtomo ad Iſtri oſtium ſito, & Moncaſtro ad Boryſthenem flumen, expugnatis.

Exinde bellum in Aſiam infœlici auſpicio tranſtulit, pœnas ſumpturus de Caithbeio Sultano Aegypti, qui Gemem fratrem hoſpitio exceptum ſumptu commeatuq; & milite adiuuerat. Huic bello præfecit Purpuratos duos Calibeum & Cherſeoglen generum, qui cum ingentes copias mira vſi celeritate in Ciliciam ad Adenam vrbem adduxiſſent, poſtridie ad Tarſum; (vbi Caithbeius Aegypti Sultanus mediocres ſecum habens copias morabatur) antequam nouæ ex Aegypto copiæ ſubſequerentur perrecturi: Caithbeius interim, ex conſilio duorum Italorum Mamelucorum, noctu quieti intentos Turcos ex improuiſo pauci multos adorti, Turcorum enim vel ſextuplo plures erant, quam hoſtium, tanta clade affecerunt, vt

vix vllam maiorem cladem Turci pertuliſſe putentur. Nam cum centum millia in aciem educta ſint, vix tertiam partem è prælio ſuperfuiſſe memorant. Baiazethis exercitus profligatus à Sultano Aegypti.

Aſia deinde abſtinuit Baiazethes, & ad Europæa bella reuerſus Dyrachio prope Velonam expugnato, Illyricorum, Pannoniorum, & Croatorum coniunctas copias, atque in apertis campis Liburniæ, quæ Croatia eſt, congredi auſus magno prælio per Cadum Baſſam non procul à Sauo cecidit, circiter annum nonageſimum tertium ſupra milleſimum quadringenteſimum. Baſſa Cadumus vt victoriæ indubitatam ſignificationem Baiazethi faceret, cæſis hoſtium cadaueribus naſos abſcidit, & Conſtantinopolim plenis vehiculis tranſmiſit. Cladis acceptæ culpa in Comitem Bernhardum Francopanum reiecta fuit, is enim diſſuadente Comite Iohanne Torquato, qui id dabat conſilij, vt occupatis anguſtijs hoſtem intercluderent, & ſic arte victoriam ſibi faciliorem pararent, aperto Marte cum hoſte congrediendi autor erat. Quæ res exitialis ipſis accidit. Turcorũ enim impetum adeò exhorruêre, vt multi in vicinum amnem Morauam, turpiter ſuffocati, ſeſe præcipitare maluerint, quàm Turcico acinaci iugulum præbere. Comitis Iohannis Torquati virtus illuſtris fuit, qui vniuerſo ſuo equitatu trucidato, equo etiam ſuo confixo, ipſe & cadaueribus & hoſtibus circumdatus, tam diu pedes hoſtibus vndiq; circumfuſis fortiter ſe oppoſuit, donec tandem non tam victus quam vincendo fatigatus, inter confertiſſimos hoſtes glorioſam mortem oppeteret. Baiazethes capto Dyrachio profligat Croatos, Anno 1493. Bernhardus Comes Frangepanus temeritate perdit Chriſtianos.

Poſt hanc cladem Pannonijs illatam, Venetis bellum intulit, circiter annum nonageſimum octauum, ſupra milleſimum quadringenteſimum, quòd Iohannem Caſtriotum Scanderbeij filium, & Iohannem Cernouichinum ſuſcepiſſent defendendos, quorum ille prælio in Croatia proſperè commiſſo cum præſidiario Baiazethis milite arma Turcica finibus ſuis expulerat, hic repetitis quæ eripuerat Mahomethes, Baiazethem ijs, quibus voluerat conditionibus, pacem facere coëgit: Et quod Baiazethi hoſpitium ſuæ claſſi in littore Cyprio petenti, tempore expeditionis Syriacæ, id denegaſſent. Hoc vſus belli prætextu per Hali Baſſam, Eunuchum ex Albania oriundum, Dalmatiam ad Iadram vſque populabundus peruagatus eſt. Aduerſus cuius ſæuitiam procellæ inſtar in obuia quæq; graſſantem, Veneti claſſem Grimanno Duce miſerunt, qui ſupra Methonem progreſſus ex turpi ſeu timiditate ſeu imperitia, hoſtem aliquoties elabi paſſus, ſummas occaſiones penè exploratæ victoriæ amiſit. Ob quam malæ rei geſtæ infamiam vinctus ad Ducem Senatumq; Venetum abductus fuit. Qua vſi commoditate Turci euitato periculo ad ſinum Corinthiacum profecti Naupactum oppidum nunc Lepantum, in Aetolio ſinu ceperunt, cum paulò antè & Dyrrachium in Epiro Venetis ademiſſent. Baiazetes bellum infert Venetis.

Sub idem tempus Veneti inito fœdere cum Ludouico XII. *Francorum Rege, Ludouicum Sfortiam Ducem Mediolanenſem bello petebant. Sfortia diffidens rebus ſuis, aliorum etiam ope deſtitutus, Baiazethis aduerſus Venetos auxilium implorat. Qui Venetis iam antea infenſus protinus Schendero Baſſa duce, cui decem equitum millia addidit, funeſtis excurſionibus vltra Tiliauentum & Liſontium flumina in Euganeos & agrum Teruiſinum vſque, Venetos penè ad deſperationem adegit, cumq́; præda diues complures captiuos Scenderus ſecum abduceret, ad Teruiſinũ flumen captiuorum circiter quatuor millia obtruncari iuſsit.*

Methones expugnatio, ex Caſp. Peuc.

Biennio poſt, qui fuit annus CHRISTI *quingenteſimus ſupra milleſimum, Baiazethes cum centum quinquaginta armatorũ millibus ab Iſthmo Peloponneſum ingreſſus, trinis caſtris circa Methonem poſitis, poſt varia certamina vtrinq; depugnata, tandem intra vrbem irrupit, cum forte infœlici & miſerabili caſu Methonæi conſpectis quinque triremibus Venetis, quæ arma, milites, & commeatum obſeſsis adferebant, vt appulſos exciperent, ad mare deſertis ſtationibus deſcendiſſent. Captiui ad vnum omnes ſupra mille numero longis nexi reſtibus, productiq́; ad prætorium, in conſpectu Tyranni barbarica immanitate trucidati ſunt, ijs exceptis è patricia gente, quos Cherſeologes, gener Baiazethis, exorato ſocero, ſupplicio eripuit, inter quos fuit Andreas Gritti.*

Pilus, Neſtoris olim ſedes adempta Venetis, Anno 1500.

Veneti rurſus quædam eripiunt Baiazeti, Anno 1500.

Coronæi exemplo Metoneorum territi, itemq́; Pilus olim Neſtoris ſedes, hodie Nauarrinum, ſeſe in poteſtatem hoſtis dediderunt. Criſſeum vltra Acritem, hodie caput Galli appellatum, Cherſeogles tormentis expugnauit. Nauplium in Argolico ſinu Halibaſſa fruſtra ex itinere tentauit. His rebus geſtis etſi Baiazethes Bizantium victor redijt, tamen cum Hiſpaniæ Galliæq́; Reges Venetis opem ferrent, Benedictus Piſaurius præfectus claſsis Venetæ, Conſalui Magni Hiſpani conſilio & virtute Cephaleniam inter Zazynthum, & Ambracium ſinum, in Ionio mari ſitam, gemino portu & agri vbertate Venetis oportunam recepit. Leucaden, Neritumq́; vi expugnauit, cæſo in ſtatione vniuerſo præſidio Turcico. Sed claſſis Gallica ad Lesbum inſulam tentata Mitylenarum oppugnatione non pari fortuna, ita acceſsit, vt diſiecta tẽpeſtate poſt pericula multa & naufragia vix tandem ad Tarentum euaſerit.

Pax Venetorũ cum Turca Baiazethe.

Hoc caſu & nouorum apparatuum fama, aſsiduaq́; ſuorum de interruptis commercijs querela Venetis conſternatis, Andrea Gritto, qui apud Baiazethem captiuus erat, intercedente, pax impetrata eſt, ea conditione, vt recepta Cephalenia Venetæ ditionis eſſet, vt ante Turcicum Imperium fuerat. Leucas, Nerituſq́; Turcis redderentur.

His ita tranſactis Baiazethes, cum podagra grauiter infeſtaretur aliquandiu quieuit, muris interea Conſtantinopolios renouandis intentus,

Graui

Graui enim terræ motu diſiecti fuerant, quod ſubſecuturæ in Ottomannorum familia calamitatis, de qua & Zizimus Baiazethi fratri epiſtola ſagittæ alligata vaticinatus fuerat, præſagium eſſe iudicabant.

Caſp. Peuc.

Interea in Perſide Iſmaël Sophus nouarum turbarum Baiazethi autor eſt, paterna ille origine è ſtirpe Malaonchore, materna è progenie Vſumcaſſanis, Regem ſeſe, Iacuppo Vſumcaſſanis filio perfidia libidinoſæ coniugis obtruncato, effecerat, occaſione innouatæ in Mahometana ſecta religionis, quæ tanto cum applauſu & ſtudio credulæ multitudinis ſuſcepta eſt, vt clientes eius ſectatoresq́; concurſu gentium ardoreq́; propagandæ religionis incredibili, in Cappadociam, ipſamq́; Licaonyam fœlicibus armis penetrarint, nepoteſq́; duos Baiazethis Orchanen & Mahometen, & binos Baſſas, Caragium Bellerbeium Aſiæ, & Halim, geminoſq́; exercitus, duobus ducibus oppreſſis occidione, deleuerint, penè citius, quã magnitudo periculi Baiazethi innotuerit.

Iſmaël Sophus oppugnat Baiazethem.

Bonam ſiquidem magnamq́; Orientis partem victricibus armis peruagatus Iſmaël ab Aſſyria in Mediam tranſijt, vrbes caſtellaq́; aliquot in Zagro mõte, quæ Aluantis præſidijs tenebantur, expugnauit, regreſſusq́; in Armeniam Albanis & Iberis & Scythis, qui vlteriorem Caſpij maris oram incolunt, bellum intulit, quod eæ gentes tributarij Perſarum, iam in annum quartum tributa non perſoluiſſent, nec ſolitas legationes in tanta præſertim victoria miſiſſent. Iſmaëlis ſocius erat Techelles, qui concionando fatidiceq́; reſpondendo pellectis Cappadocibus in ſectæ belliq́; ſocietatem, exercituq́; Perſarum auxilijs firmato, è finibus Cappadociæ in Lycaoniam irruit, & vaſtata regione, Iconio exercitum admouet. Inde eum depulſuri Orchanes & Mahometes nepotes Baiazethis, qui illis regionibus imperabant, ab hoſte fuſi fugatiq́; ſunt. Techelles relicto Iconio, per mediam Aſiæ minoris latitudinem ad Ancyram, quam hodie Angorium vocant, acceſſit, indeq́; per Galatiã in Bithyniam effuſus, non longè à Sangario flumine obuiam habuit Caragium Baſſam, Aſiatici equitatus magiſtrum, quem Bellerbeium nominant. Hunc magno prælio ſuperatum, atq́; in fugam coniectum, feſtinoq́; aduolatu obrutum ac circumſeſſum concluſit intra Cutheiam vrbem ad Orminium montem, in veteri Caucorum ſede, quæ vrbs totius Aſiæ minoris vmbilicus ac magiſtri equitum Anatoliæ ſedes eſt, vt in Europa, Sophia vrbs Myſiæ magiſtri equitum Europæorum. Vrbe expugnata prætorioq́;, Caragium cum vxore viuum cepit,

Caragius à Techelle capitur.

atque ad Pruſiam Bithyniæ caput animum adiecit. Sed ab eo conatu auertit eum Baiazethes nouis copijs obiectis per Halibaſſam natione Macedonem, conditione Eunuchum, cui ſe Techelles, Galatiæ planitiem emenſus obuium ex inſperato tulit, & vt vel demoraretur, vel à perſequendo eum deterreret, Caragium Bellerbeium, quem vinctũ ſecum trahebat, media via ſequentibus ſpectandum palo infixit. Hoc ſpectaculo incenſus Halibaſſa

magnis

magnis itineribus antecedentem inſequutus eſt, donec ad Olygam montem non procul ab Ancyra, Techellij prælij initium fecit, in quo ipſo ad extremum cæſo, copiæ penè iam victrices, mutata fortuna belli cum interitu Ducis diſsipatæ ſunt. In locum Halibaſſæ ſummiſſus Iunusbaſſa Epirota acceptis ab Achomate Baiazethis filio copijs, Techellem tandem tota minore Aſia expulit. Ita mirabili iuſtitiæ prouidentiæq́; diuinæ exemplo ac teſtimonio, gentes blaſphemæ in filium DEI, *horribili rabie impietatis ac blaſphemiæ ſuæ pœnas à ſeſe inuicem mutuis cædibus ac deuaſtationibus ſumpſerunt.*

DOMESTICAE BAIAZETHIS CALAMITATES.

PRæter haſce clades, maior Baiazethem domi oppreſsit calamitas, iam ipſo adhuc viuo filijs de imperij ſucceſsione exitialia bella molientibus. Tres Baiazethi reliqui erant filij, Achomates, Corchutus, & Selymus. Ad Achomatem, qui in Cappadociæ & Amaſiæ præfecturis voluptatibus potius, quam bellis operam dabat, propenſiore animo ferebatur Baiazethes pater. Animos verò ab hoc & altero Corchuto, qui in Magneſia littori Rhodio vicinus ſtudijs vacabat, alienos habebant Prætoriani, & Purpurati omnes, præter Cherſeoglen, Selimo verò, cui Trapezontium regnum pater commiſerat, pleriq; purpuratorum & prætorianorum impenſe fauebant, eò quòd acer & impiger totus bellorum ſtudio teneretur.

Selimus aduerſus patrē ſeditioſus Imperio inhiat.

Inito fœdere, ſed inuito patre Selimus ille cum Tartarorum Rege, eius filiam duxerat, celebratisq́; nuptijs magna Tartarorum Turcorumq́; manu collecta, Iſtrum tranſire ſe velle, regionemq́; Chriſtianorum Imperio propinquiorem, vt & fortitudinis ſuæ oſtentandæ, & Mahomethani Imperij amplificandi maiorem haberet occaſionem, tum etiam vt à fratre Acomathe, cum iam ipſi diſsidia quædam de finibus præfecturæ Amaſiæ intercederent, eſſet remotior, occupare ſimulat. Sub hoc prætextu Adrianopolim verſus, vbi tum temporis Baiazethes morabatur, iter dirigebat, miſsis deinde ad patrem legatis, ſe magno eum ſalutandi teneri deſiderio ſignificat, tum vt debitæ obſeruantiæ teſtimonium ei exhiberet, tum vt de rebus arcanis & arduis cum eo conferret, ideoq́; rogare, vt liber ad patrem ſalutandum ſibi concedatur aditus. Baiazethes fraudem ſubeſſe ratus, vt qui ingenium filij ſui Coronæ inſidiantis exactè pernoſceret, Samandriam Belgrado in Vngaria vicinam prouinciam vltro filio aſsignat, regijsq́; eum ornat muneribus, auro, veſtibus, equis, ſeruis compluribus, addito reſponſo, minime ſibi iam integrum eſſe, filij aduentum præſtolari, & de rebus neceſſarijs ex animi ſententia cum eo conferre. Verebatur enim ne factio Prætoria-

toria-

torianorum, quibus Selymus egregiè charus erat, ſe deiecto, eò quod ad res gerendas annis iam inutilis eſſet, filium ſibi Imperatorem crearent, quod paulò pòſt inuito patre factum eſt. Omnibus Selymus iſte charus fuit, & in magno pretio apud Prætorianos, quos Ianizaros vocant, habitus, ingenio acer & impiger, animo magnus, liberalitate & munificentia erga quoſuis promptus, præter hæc crudelis, pacis quietisq; impatiens, quam potiſsimum ob cauſam militibus charus erat, præ fratre eius Acomathe Amaſiæ præfecto, qui voluptatum & venationis maiore quàm bellorum tenebatur ſtudio. Minus etiã militibus acceptus erat alter Baiazetis filius Corchutus, eò, quòd poſthabitis armis, philoſophiæ potiſsimũ ſtudio deditus eſſet. Plæriq; Selymum ſibi Imperatorem optabant, qui patris mandato & reſponſo neglecto, Adrianopolim verſus iter facere nihil intermittebat, dictitans, ſe patre inſalutato diſcedere, cum in proximo ſit, nefas ducere. Baiazetes quid animi haberet filius facile cognoſcens, relicta Adrianopoli rectà Conſtantinopolim petebat. Verebatur enim ne filius vacuam vrbem ingreſſus, imperatoriam ſedem cum Imperio, conatus eius prætorianis adiuuantibus, occuparet. Verum cum iter ferè medium emenſus eſſet, iamq; in oppido Ciurlo quieſceret, de improuiſo Tartari, quiq; alij Selymi ſigna ſequebantur, copias Baiazethis adoriuntur, ijsq; graui clade affectis, quicquid obuium habent, ipſumq; oppidum diripiunt. Grauiter hac contumelia & iniuria commotus Baiazetes, diris filium deuouet, quosq; ſecum habebat prætorianos verbis ſuis ita commouit, vt, licet Selymi fauerent partibus, ſuum tamen Imperatorem fortiter aduerſus filium defenderent, Tartarisq; partim trucidatis, partim turpi fuga diſiectis, Selymus prærapidi, cui inſidebat, equi ſui ope, & fuga, Varnam vſque elaberetur, vnde naui conſcenſa ad Tartarorum Regem ſocerum ſuum delatus eſt.

Baiazethes à proprio filio oppugnatus.

Nondum malum hoc planè ſopitum erat, cum maior natu Acomathes aduerſus patrem Baiazethem inſurgit. Hunc in Imperio ſucceſſorem vltro Baiazethes deſignârat, paratus ſtatim ei ſceptrum tradere, ne ex ſtudio Prætorianorum Selymus illud præriperet. In fugam itaq; Selymo acto, ratus iam ſibi Imperium capeſſendi occaſionem datam Acomathes, ingentes ſecum ducens copias Chalcedonẽ vſq; perrexit, coronam Imperatoriam à patre accepturus. Quæ res ſummopere prætorianos odio Acomathis flagrantes, ſolumq; Selymum Imperatorem ſibi depoſcentes commouit. Mota itaq; ſeditione, quanta potuerunt vi, Acomathis coronationem prohibuêre, indignum eſſe clamitantes, patrem ſenio iam venerabilem, tot in Imperio adminiſtrando exhauſtis laboribus, Imperatoria dignitate, quãdiu ſuperſtes eſſet, priuari. Se quidem Acomathi vt legitimo ſucceſſori Imperium nequaquam inuidere, ſed Baiazethe viuente, alium ſe Imperatorem agnoſcere nolle. Quo ſuo impetu Imperatorẽ eò adegêre, vt mutato ex conſilio pro-

Acomates aduerſus patrẽ ſeditioſus.

cerum animo, Acomathi per legatos ſignificaret, vt in Amaſiam reuerſus, tempori cederet, donec alia ſeſe offerret commoditas paternum erga ipſum declarandi animum. Quod patris reſponſum grauiore quàm decuit animo tulit Acomathes, irarumq́ plenus, & omnis moræ impatiens, vi armorum vniuerſam Natoliam occupare, & iure belli imperium ſibi vendicare, grauesq́ de ijs omnibus, quos apud patrem conatibus ſuis obſiſtere ſuſpicaretur, pœnas ſumere conſtituit. Nec mora ingentibus contractis copijs, aduerſus patrem rebellis, vrbes munitiores Aſiæ minoris expugnauit, fratrisq́ natu maximi Scianſiaci iam pridem defuncti filium Mahometem Iconio eiecit, qui eius conatus breui infelicem ſortiti fuêre exitum. Baiazethes audita filij ſui Acomathis Tyrannide, miſſo legato eum obedientiæ parenti debitæ monuit. Sed ingratis admodum auribus legati verba filius irarum fluctibus æſtuans excepit, verbaq́ contumeliarum plena in patrem euomere nihil veritus eſt. Quam eius impietatem cum legatus fideliter ſuo functurus munere, grauibus verbis reprehenderet, ille velut in rabiē actus eum comprehendi, & vincula inijci protinus mandauit, vinctoq́ ſua manu aures naresq́ præcidit, impia cōminatione addita, ſe atrociora in patrem exempla editurū, ſi ex animi ſui ſententia in eum graſſari ſibi liceret. Hac inſigni contumelia moti Prætoriani, Acomathem vt proditorem & parricidā puniendum eſſe clamitant. Quin etiam Baiazethes ipſe grauiter exaſperatus, copijs ingentibus cōtractis, immanē filij impietatem armis vindicare cogitat. Verum Prætoriani aduerſus Ottomannici ſanguinis Principem expeditionē ſuſcipere, niſi & ipſi Ducem belli ex Ottomannica ſtirpe habeant recuſant, ſacramento, quo Ottomannicæ familiæ obſtricti ſunt, id facere prohibiti. Baiazethes ergo potiſsimum ex conſilio Cherſeoglæ Baſſæ, & Muſtaphæ, quorum in aula maxima erat autoritas, Selymū, ſua manu ſcriptis ad eum literis, accerſit, vt admiſſæ culpæ veniam deprecetur monet, belliq́ aduerſus impium Acomathem gerendi Ducem ſe præbeat, hortatur.

Corchutus Conſtantinopolim aduentat.

Interea Corchutus, è cuius manibus pater Baiazethes Imperialem coronam acceperat, de hiſce tumultibus certior factus, claſſe adornata properè Conſtantinopolim adit, à patre, ſibi Imperium iam olim promiſſum, quo ipſe vltro ceſſerit, & in patris manus, donec ipſe per ætatem ei ſine alterius ductu præeſſe poſſet, tradidiſſet, reſtitui facilè impetrat. Nec aliam reddendi coronam interiectum iri moram Baiazethes monet, niſi vt de vtroque prius filio, cum à nemine vnquam impunè læſus fuerit, dignas pœnas ſumat. Quibus patris ſui promiſsis Corchutus facilè acquieſcebat.

Interea Selymus patris ſui acceptis literis Conſtantinopolim nulla interiecta mora aduentans, à Prætorianis non ſine noua gratulatione excipitur, ipſe etiam Corchutus obuiam ei procedere non dedignatur. Patri ergo

ſupplex

ſupplex factus Selymus, impetrataq́ delicti venia, Dux belli aduerſus Acomathem, ea lege, vt Imperatorio abſtineret nomine, cum magno militum applauſu conſtituitur. Nec interim fauorem Prætorianorum ampliſſimis muneribus augere, eorumq́ animos penitus corrumpere deſtitit, cum Corcuthus paternæ acquieſcens pollicitationi, muneribus aliquam venari gratiam indignum cenſeret. Patuit autem & hîc cauſam quamuis iuſtiſſimam muneribus, deprimi. Vt primum enim exercitui præfectus fuit Selymus, milites & Prætoriani tumultuantes Imperatorem eum publicè ſolenni ritu proclamant. Protinusq́ Muſtapha horum conſiliorum, & turbarum autor, cum his mandatis ad Baiazethem mittitur, vt vltro Imperio, cum eius oneri vires effœtæ iam ſuccumbant, velit cedere, quod niſi maturè faciat, periculum eſſe, ne milites vi irrumpentes Imperatoriæ aulæ penetralia ſanguine defœdent. Baiazethes periculi magnitudinem intelligens, Selymo, licet inuitus imperij habenas committit.

Ingens quoq́ inter hoſce tumultus Corchutum inuaſit conſternatio, qui trepida fuga ſalutem quærere coactus, Conſtantinopoli ſoluens in ſuam inde remeauit prouinciam. Baiazethes collectis, non citra lachrymas, theſauris, quos habebat precioſiſſimos, ex vrbe conſternatus ſeceſſit, petiturus Dimotocum Thraciæ vicum, hortorũ amœnitate & cœli temperie exilio, ac præſenti fortunæ opportunum. In itinere verò per Hammonem Iudæum Medicum, à Selymo ſubornatũ, veneno extinctus fuit, cum ætatis annum ſexageſimum ſextum, iuxta quoſdam ſeptuageſimum quartum compleuiſſet, præfuiſſet rebus Turcicis annos triginta duos. Baiazethes veneno interficitur.

Fuit Baiazethes & corpore & animo languidior, neutiquam par maioribus, aut fortunatæ audaciæ ſucceſſibus, aut laborum bellicorum tollerantia, ſiue à natura id habuit, ſiue à ſtudijs philoſophicis. Nam ſophiſticis Auerrois in Philoſophia argutijs deditum fuiſſe perhibent. Nec vicit toties ſua aliqua peculiari fœlicitate, ſed, vt in omni magno Imperio, molè potentiæ obuia aduerſaq́ omnia proterentis, profligantis atque obruentis, roboreq́, numero, vigore, & impetu militis exercitati, nec vnquam quieſcentis, vt ociari & quieſcere tanti exercitus non poſſunt. Fratrem Zizimum præter fas & æquum regno eiecit, filium Corchutum Imperio defraudauit, impietatis erga fratrem, perfidiæ erga filium pœnas luit, à filio Selymo è ſolio deiectus, & veneno extinctus. Verebatur Selymus, ne ſi in Natoliam delatus Acomathi ſe coniungeret, verſis fatis Imperium ad ſe r. traheret, à quo metu vt liber eſſet, tum vt paternis theſauris potiretur è medio patrem ſuſtulit, cui deinde regio more fieri exequias curauit. Hoc modo Imperio potitus Selymus, Anno ſupra milleſimum quingenteſimum duodecimo, parricidijs deinde nouis illud ſtabilire perrexit. Baiazetes impar maioribus ſuis. Selymus Turcicus Imperator Imperiũ ſtabilit parricidijs, Anno 1512.

SELYMVS DECIMVS TVRCORVM IMPERATOR.



En Selymus ſcelere ante alios immanior omnes,
In patris & fratrum, dirigit arma, necem.
In Perſas mouet inde ferox: Memphitica regna
Deſtruit: & Syrios Aethiopasq́ domat.
Hinc in Chriſticolas irarum effundere fluctus,
Ipſorumq́ imo vertere regna, parat:
Cum diro victus proſternitur vlcere: CHRISTVS
Scilicet eſt populi portus & aura ſui.

Selymus parricida, & ſæuus in cognatum ſanguinem.

SElymus nulli Ottomannorum præferoci immanitate ſecundus, extincto patre, prima ſtatim aduerſus Acomathem fratrem arma expediuit, eumq́ prælio adortus, cum armis ſuperior eſſet, Cappadocia eiecit, atrocemq́ per Amaſiam, & antiquam ciuitatem Ancyram exercens ſæuitiam, in fratris ſui Alemſiaci filios Imperij legitimos ſucceſſores graſſatus eſt, quos omnes, ne quis imperij æmulus ſuperſtes eſſet pro Ottomannici ingenij conſuetudine & rabie crudeliter iugulauit.

Acomathis interim filij Aladinus & Amurathes nouis inſtructi copijs ad Amaſiam vniuerſamq́ regionem recuperādam, è fuga reuerſi animum adiyci-

adiiciunt. Quod ſimul ac reſciuit Tyrannus, clam exquiſitum miſit equitatum, qui ex inſidiis eos comprehẽſos necarent. Hac in Ottomannicum ſanguinem rabie nonnihil commotus Muſtapha, cuius potiſſimum conſilio & opera, Selymus in Imperiũ euectus fuerat, clam eos de conſiliis & mandato Selymi, vicem eorum dolens monuit. Qui à Muſtapha de periculo ſuo edocti, in deſerta fugientes, Tyranni rabiẽ hac vice euaſerunt. Selymus coniecturis quibuſdam motus, à Muſtapha conſilia ſua prodita eſſe ſuſpicatur, eumq́ nulla alia vſus inquiſitione, Pruſiæ ſtrangulatũ canibus obiecit. Hæc ſunt præmia illa quibus Muſtapham, cuius ſubnixu ad imperium cõſcenderat, Selymus pro fideliter aduerſus Baiazethem, Acomathẽ & Corchutum locata ipſi opera remunerauit. Sic ferè inter magnates comparatum eſt, vt leuis offenſa vel mille fideliter præſtitis officiis præponderet. Muſtaphæ interitus.

Muſtapha eum ad modum è medio ſublato, de Corchuto etiam in Magneſia ſeſe literis oblectante interficiendo, conſilia init. Qui vt fratrem ſibi placaret, tres ad eum ablegat filios ſuos, qui ſupplices Tyranno facti, eum vt Imperatorem adorant, regia munera patris ſui nomine offerunt, & ſibi & patri incolumitatem concedi, vitamq́ inſontibus donari petunt. Tyrannus nihil iis omnibus motus barbarica immanitate eos protinus in conſpectu ſuo trucidari & membratim concidi iubet. Hoc ſuorum caſu territus Corchutus mutata veſte, duobus tantùm ſeruis ſecum abſumptis in Smyrnam profugit, vt inde clam in Rhodum traiiceret, ſed proditus Adrianopolim abductus & ex iuſſu Tyranni ſtrangulatus eſt. Selymi aduerſus Corchutum eiusq́ liberos immanis crudelitas

Achomates interim Perſicis inſtructus auxiliis Tyranno ſe opponit, qui præter Turcos Tartaris etiam aſſumptis, numeroſo exercitu ad Elatam ex Orminio monte recta decurrentẽ fluuium illi factus obuiam, commiſſo prælio Perſas in fugam agit. Acomathes equo deiectus capitur, & iuſſu fratris ſtrangulatur. Commiſſum fuit prælium viceſimo quarto Aprilis, Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, decimo tertio. Amurathes & Aladinus Achomathis filii fuga elapſi ſunt. Aladinus ad Syriæ Sultanum delatus, febri tandem extinctus fuit, alter Perſici Regis Iſmaëlis Sophi aulam ſequutus eſt, donec & ipſe in Perſia tandem fatis concederet. Selymi erga Acomathem fratrem crudelitas.

SELYMI ADVERSVS REGEM PERSARVM EXPEDITIO.

Sublatis è medio & fratribus & eorum filiis, arma conuertit Selymus in Iſmaëlem Sophum, indignatus quòd Acomathem auxiliaribus armis inſtruere auſus fuerit. Ad quam expeditionem vt ſecurior accederet pacem firmat cum Ladislao Vngarorum Rege, fœdus etiam à Baiazethe initum cum Venetis renouat. Cum maximis deinde copiis, nam circiter virorum ducenta millia in pugnam educebat, vltra

Euphraten progreſſus, ſexaginta dierum itinere iam confecto, ad Arſengam vſq; peruenit, quam aliqui Comanam Ponticam fuiſſe coniyciunt. Sed prælij cum Sopho ineundi copia ei nulla facta eſt, donec ad irriguos aquis Araxis Calderanos campos maioris Armeniæ, ad Choim, quam Artaxata vrbem fuiſſe autumant, penetrauit. Ibi cum inſtructiſsimo equitatu, Turcico exercitui conſpiciendos ſe præbent Iſmaëlus Sophus, & Amurathes Acomathis filius, eaq; fortuna pugnatum fuit, vt victoria ſed cruenta admodum penes Selymum fuerit. Prælium commiſſum fuit ſeptimo Kalen. Septemb. Anni à nato CHRISTO *Saluatore, 1514. In primo conflictu Perſici equitatus, cui ipſe Iſmaëlus Sophus præerat, ea fuit violentia, vt magna clade, quatuor etiam Bellerbeis trucidatis, Turci affecti, de victoria deſperarent. Ex altera verò parte, cum Vſtaogli Dux Perſicus in hoſtem impreſsionem moliretur: Sinambaſſa diductis, quibus præerat, turmis, magnam vim bombardicarum glandium eiaculatus, & ſuas ipſemet & hoſtium copias ita turbauit, vt cæco Marte prælian tes ſeſe mutuo ægrè dignoſcerent. Vſtao gli in hac trepidatione occubuit. Perſicus equitatus fortiter pugnans ad ipſos Prætorianos vſque penetrauit, ſed ſclopetorum ictibus militumq; Prætorianorum virtute retroacti terga verterunt. In fuga Iſmaëlus Sophus in ſublimi humero ſclopeti ictu vulneratus eſt, multis ex primis ductoribus cæſis. Quietus interim in medio Prætorianorum ſtetit Selymus, triplicem indutus loricam, militumq; Sariſsis ita cinctus, vt à circumuolitantium ſagittarum ictu facilè immunis eſſet. Feruntur inter cæſorum corpora, cum ea recenſerentur, virili ornatas habitu complures etiam repertas fuiſſe fœminas Perſicas, quas Selymus, earum virtutem, admiratus, honorificè ſepeliri iuſſerit. Fama huius victoriæ ingentem vniuerſæ Armeniæ terrorem iniecit. Selymus vacuam ab hoſte Tauriſiam occupauit, ibiq; per dies aliquot moram nectens exercitum refecit. Sed cum nunciaretur nouas adducere copias Iſmaëlus, direpta arce regia, ablatiſq; ſecum precioſiſsimis theſauris, tum etiam opulentorum mercatorum facultatibus in prædam militi datis, abductiſq; ſecum, quos armis idoneos iudicaret ciuibus, inde Selymus ſoluens Euphratem verſus retrogrediebatur, quem vbi iam tranſiret, poſtrema exercitus eius infeſtant latrones Perſici, ex Iudæis ſub Iſmaëlis Imperio degentibus collecti, qui nõ minimam cladem poſtremos vrgendo, & impedimẽta diripiendo, ei intulêre. Euphrate tranſito, crebris eum cladibus irritauit Aladolus Rex, qui montanis gentibus imperabat, quæ in Tauro & Antitauro ſedes habent. Selymus vltionem illatæ iniuriæ in aliud tempus differens Trapezontium verſus rectà pergebat, identidem iurans, ſe grauiter hanc iniuriam vindicaturum. Magno hæc victoria Selymo conſtitit, amiſsis enim virorũ fermè centum millibus, nec tamẽ prorſus oppreſſo hoſte, ex hac expeditione reuerſus eſt. Plurimum*

Selymus profligat Perſas, Anno 1514. 7. Kalend. Sept.

vero

vero autoritatis inde ſibi conciliauit, quòd vltra aui ſui Mahomethis conatus, eò vſq; in terram hoſtilem penetrârit, & re ipſa declarârit, opinione minorem eſſe Perſarum Regis potentiam. Inſignis eſt Perſicorum militum virtus, ſic vt vel centum, armis exercitati, quadringentis Turcicis tutò opponi poſſe videantur. Verùm Reges Perſici, regni ſui terminos rarò egrediuntur, nec more Ottomannorum militem vel domi vel foris commodè fouere norunt, quippe quibus ad eam rem annui deſint reditus. Perſæ enim de libertate antiquitus gloriantur, nec vel tributis vel exactionibus ſe grauari à Regibus patiuntur. Vnde nec militi alendo ſtipendia certa deſtinant, nec bellica ſibi comparare tormenta ſatagunt: per quæ duo iam totus terrarum orbis expugnatur.

SELYMI ADVERSVS ALADOLVM REGEM EXPEDITIO.

Selymus, cum in hybernis miles ſe refeciſſet, ſub initium ſtatim Veris anni inſequentis quinti decimi ſupra milleſimum quingenteſimum, ad Aladolum Regem debellandum animum adiecit. Euphrate itaq; tranſito, & expugnato prius in vlteriore Euphratis ripa Ciamaſſo oppido, ad Armeniam acceſſuris opportuno, recluſisq; anguſtijs faucium, præſidijsq; deiectis per Sinambaſſam, intra ipſos monteś cum Aladolo conflixit, eo euentu, vt Aladolitæ ſclopetarum procella conterriti profligatiq;, notis tramitibus in proximas ſyluas diffugerint, Aladolus transfugio Saxouanoglis conſanguinei ſui exarmatus, indicioq; indigenarum è nemoroſo antro, in quod ſeſe deſperatione abdiderat, extractus, atq; ad Selymum viuus ſit perductus, cui Selymus caput præcidit, idq; prius per Aſiam ad oſtentationem victoriæ circumgeſtum, deinde Senatui Veneto tranſmitti iuſsit. Filius Aladoli natu maior ex inſequentium manibus elapſus Aegyptum petiuit. Aladoli profligatio, & trucidatio.

SELYMI ADVERSVS CAMPSONEM AEGYPTIVM, ET MAMALVCOS EXPEDITIO.

Hoc victoriarum ſucceſſu elatus Selymus, iam totum ſibi terrarum orbem animò deſtinans, aduerſus Campſonem Gaurium Cairi, quæ Memphis eſt in Aegypto, Soldanum expeditionem ſuſcepit. Fretus Campſon ille tum magna ſua potentia, tum virtute Mamalucorum ex Aegypto in Syriam progreſſus fuerat, vt arbiter belli eſſet inter Sophum Perſarum, & Selymum, Turcicaq; arma vlterius progredi prohiberet: Ante omnia verò Caierbeium Alepi & Comagenæ prouinciæ præfectum, quem & perfidiæ & proditionis nomine ſuſpectum habebat, armis opprimere meditabatur. Suſpecta habebat arma Selymi, quæ omnibus iam Regibus terrori eſſent, Cara-

Caramanniæ enim Sultano extincto, Aladolo è medio ſublato, Perſarum Sopho triſtibus affecto & attrito cladibus, eorum furori expoſita videbantur Syria, Aegyptus, & conterminæ his regiones. Ut ergo ſuas res in tuto collocaret, validam manum Aegypto egreſſus in ſui ſuorumq; tum etiam Regis Perſici ſubſidium, & ad euertendas Caierbeij, & Selymi reprimendas vires, ſecum eduxit. Mamalucorum, qui in re militari longè erant exercitatiſſimi, in exercitu eius erant 14000. totidem inſtructiſſimorum equitum millia. His accedebat ingens Arabum Aethiopumq;, tum eorum, qui ex Cairo Campſonem ſequuti fuerant, numerus. Tali inſtructus exercitu certam ſibi pollicebatur victoriam. Plurimum enim ſpei non tam in numero, quam virtute militum exercitatiſſimorum, qui ad arma capienda eſſent promptiſſimi, collocabat. Interea Selymus Campſonis inſolentiam retundendam eſſe ratus, omiſſo Perſa, vim belli omnem præter ſpem & opinionem Campſonis, magna celeritate ſuperatis Tauri iugis, tranſtulit in Comagenam, caſtris poſitis ad Singam amnem, non procul ab Alepo, vbi Campſon promotis à Damaſco caſtris Selymo occurrit, & extemplò acie congreſſus eo euentu pugnauit, vt fuſis ex perfidia Caierbeij Mamalucis, ipſe Campſon armis multoq; abdomine & ingentis ramicis pondere grauis, cadente equo in puluerem excuſſus conculcatusq; interierit.

Cāpſonis Aegyptij exercitus Selymo oppoſitus.

Pugnatum eſt 7. Kalend. Septemb. poſt conflictum cum Hiſmaele, in Calderanis campis, Anno 1516. In partibus Selymi 3000. equitum cæſa feruntur. Mamaluci periêre non amplius mille, interq; hos præfecti duo Damaſcenus & Tripolitanus, ſed plures ex ſeruis eorum, maiorq; aliquantò cædes in fuga, quàm in prælio facta eſt, impetu turbulentiſſimo proceribus, poſt patefactam Caierbeij proditionem, in fugam Hieropolim verſus effuſis. Hos inſequutus die ſequenti Selymus, cum citato itinere Damaſcum perueniſſe cognouiſſet, Hierapolim in fidem recepit, ac Iunum Baſſam cum equitatu expedito Damaſcum præmiſit. Vnde cum hoſtes diſceſſiſſe intellexiſſet, copias omnes eôdem adduxit. Damaſceni portis apertis hoſtem receperunt. Idem fecerunt Tripolis, Berytus, Sydon, Ptolemais Damaſcenorum exemplo.

Cāpſonis interitus, Anno 1516. 7. Kalen. Septemb.

Campſonem de hac clade ſua, triſti ſomnio præmonitum fuiſſe ferunt. Nam copijs ſuis ijsq; inſtructiſſimis collectis, de belli ratione, cum Ducibus & præfectis conſultaturus, admirando luxu conuiuium in viridarijs non procul à caſtris inſtituerat, quo agitato, cum ad ſomnum capiendum pro more ſuo ſeceſſiſſet, relictis Ducibus rei militaris peritiſſimis, vt de bello adminiſtrando conſultarent, ipſe interim in ſoporem delatus, graui terretur ſomnio. Quo vehementer turbatus, duces de bello deliberantes accedit, eoſq; mœſto vultu allocutus, ſe abominabili ſomnio de infœlici huius belli exitu præmonitum eſſe ait. Sibi caſtra ſua igne tota collucere viſa eſſe,

Somnio Campſon præmonitus de interitu ſuo.

Turcosq;

Turcosq́; immani impetu impreſſione facta, omnia diripuiſſe, ſe verò inter fugiendum equo deiectum, ſuorum equis conculcatum.

Quod ſomnium licet ominoſum multis videretur, plæriq́; tamen ſomnio terreri potentiſſimum Principem & monarchā, dedecoroſum eſſe aiebant, adeoq́; omnium nationum & Regum hoſtem eſſe Selimum, qui parricida ſit impius, regnorum omnium vaſtator immaniſſimus, ideoq́; pacem cum eo piè coli haud poſſe, nec illuſtriorem ea gloriam eſſe, quam conciliet victoria de tali hoſte, qui omnium regnorū moliatur ruinam, omniumq́; Principum & Regum ſanguinem ſitiat. Acquieſcens iſti conſilio Campſon, eo quo diximus euentu cum Selimo pugnauit. Annorum fuit Campſon ſex & ſeptuaginta: & annis, & ramice grauis, ad fugam minus fuit expeditus. Comis fuit, & humanus, animo magno & ad credendum quiduis procliui, cibi potusq́; temperans. Si quando ira excandeſceret, in quoſuis citra diſcrimen temerè graſſari, ira vbi deferbuit, mox graui dolore ſuam ipſe violentiā deteſtari ſolitus. Victoria hæc aditū patefecit Selimo in vniuerſam Syriam. Qui victoriæ commoditate vſus, properè Alepum, inde Amanum, & Damaſcū petijt, vbi Aethiopes eum animis exultantibus excepêre, vindicemq́; libertatis & patrem patriæ ſalutârunt, publiceq́; proclamârunt.

PRÆLIVM INTER SELYMVM ET TOMOMBEIVM.

Mamaluci fuga Cairum delati, Tomombeium Circaſſum in Campſonis locum delegerunt. Qui extrema tentaturus arma aduerſus Selimum reparat, magna Vernarū Arabumq́; manu contracta, à Rhodijs tormenta bellica impetrat, ad ſextum ab vrbe Memphi lapidē prope pagū Mathareaam balſami fœcunditate memorabilem caſtra figit, terraq́; ſuffoſſa ſe munitionibus, hoſtem inſidijs circumuallare, omni modo ſtudet, nihil eorū quæ ſtrenui & callidi ducis eſſent omittens, Gazelli firmis præſidijs Gazam muniendam, ne hoſti pateret tranſitus committit. Selimus de conſilijs Tomombeij edoctus, ipſam vrbem Cairum expugnare, inde totam ſubiugare Aegyptum aggreditur, & quò expeditior in Aegyptum ſibi pateret aditus, cum 20000. equitum, addita manu Prætorianorum militum Sinambaſſam præmittit, qui commiſſo cum Gazelle prælio, victoriam, ſed non incruentam reportat. Deſiderauit enim ſupra duo millia lectorū equitum & claros aliquot virtute bellica præfectos. Gazelles victus, omnibus ſignis militaribus amiſſis vix per ſolitudines euaſit. Sinambaſſā vt ſubſequuturo Selimo nō iniucundum præberet ſpectaculum, cæſos Mamalucos palis infixit.

Selimus delata ad eum victoriæ huius fama, iter cum exercitu lætus ingreditur, vniuerſisq́; in Iudæam adductis copijs, ſe cum Sinambaſſa coniungit, inde poſt acceptam in deditionē Gazam, cum octanis caſtris ad vrbem

Memphim acceßiſſet, edoctus de conſilijs Tomombeij à transfugis, eo euentu cum Tomombeio pugnauit, vt tandem penes ipſum, in fugam actis, partim etiam cæſis Mamalucis, victoria ſteterit. Statim in conflictus initio omnia ſua conſilia hoſti prodita eſſe Tomombeius intellexit, ideo quæ potuit in tanta feſtinatione tormenta, ſed ferè ſine vllo vſu in hoſtem direxit. Gazelles firma manu Sinambaſſam adortus, ita copias eius turbauit, vt ipſe tandem Sinambaſſa inter Turcicos duces præcipuus occubuerit. Tomombeius vltro Prætorianos laceßiuit, ſperans ſibi datum iri opportunitatem cum ipſo Selimo congrediendi. Tantus etiam Arabum aduerſus Turcos pugnantium ardor erat, vt haud dubiam ſibi victoriam Mamaluci pollicerentur, cum accepto ſigno prætoriani, viribus adhuc integri eo impetu Mamalucos feſſos quidem, ſed qui victoriam in manibus habere viderentur, adoriuntur, vt mutata fortuna, paulò antè victores iam victi ſuccumbant. Tomombeius deſperata victoria, intra vrbem ſe recepit, tanquã ibi per obſeptas magnis trabibus regiones vrbis publicas, de imperio, de liberis, de vita decertaturus. Sed Selimus, cum & ſitum vrbis, & Tomombeij machinationes à transfugis accuratè didiciſſet, magno auſu vrbem aggreſſus cuncta perrupit, & cum tridui prælio magnã partem Mamalucorum deleuiſſet, vt gens tota radicitus excinderetur, reliquos etiam, qui in templa confugerant, ſeq́; ſub fide dederant, interfici iußit, ipſumq́; Tomombeium, qui vltra Nilum reparatis copijs extremo conatu ad Nili ripam & pontem prælium inſtaurârat. Inde reiectum atq; in paludibus, in quas deſperatione deſilierat repertum, denique in quæſtione de theſauris acerbißime tortum, ac tandem vili iumento impoſitum, perq́; vrbem circumductum, gula laqueo fracta, ad Baſuelam Syriæ portam vnco ferreo ſupra fornicem ſuſpendit, vt tranſeuntibus ſpectaculo ludibrioq́; foret, & Aegypti ſe victorem eſſe faterentur. Ad hunc modum Selymus duobus Sultanis ſublatis, Mamalucorum in Aegypto impotenti ac ſuperbo regno poſtremus finem attulit, quod illi ab extincta in Melechſala poſteritate Saladini, annos tenuerant, circiter ducentos quadraginta tres. Interfectus eſt Tomombeius Idibus Aprilis, Anno à nato CHRISTO, *ſeptimo ſupra milleſimum quingenteſimum, poſtridie Paſchæ.*

Selymus delet Mamalucos.

SELYMVS CHRISTIANOS BELLO PETITVRVS MORITVR.

Rebus in Aegypto & Syria conſtitutis, atq; adminiſtratione Aegypti commendata Caiarbeio in præmium proditionis ad Alepum: Gazelli, qui in victoris Selymi fidem regno Mamalucorum euerſo ſe contulerat, Syriæ præpoſito, præter omnium opinionem, abductisq́; ex omni Aegypto, ſed præcipue ex vrbe Memphi, quæ Alcairum eſt, pluribus quàm quingentis familijs,

miliјs,quæ opibus & claritate generis præſtabant, magnaq́ fœminarum & puerorum multitudine ex progenie Mamalucorum,quorum quotquot ſuperfuerant ex prælijs, eos ad vnum omnes Alexandriæ in foribus carceris concidi iuſſerat, rediјt Byzantium triumphabundus, bellum deinceps in Chriſtianos atrox moturus. In eo conatu vlcere canceroſo renum correptus, toto corpore ex longè lateq́ ſerpentis vlceris corroſione fœdè putreſcente,morte,ſæuitia tam beluina digna,meritas immanis parricidij pœnas perſoluit, Anno CHRISTI, *1520. Septembri menſe, apud Chiurlũ Thraciæ pagum,eo ipſo in loco, quo Baiazetem patrem acie circumfuſum antea opprimere fuerat conatus. Vixit annos 46. regnauit 8. Regnum eius quid fuit aliud quàm tetra & abominabilis carnificina? Tanta quidem vt immanitate ſæuiſſimas feras anteiſſe videri poſſit, beluæ quàm homini ſimilior. Nulli enim ex ſuis pepercit,dicere ſolitus,nihil dulcius, quàm ſine affinium timore ac ſuſpicione regnare, patre ſublato,tota agnati ſanguine ſtirpe exciſa à radice,præcipuis belli ducibus ob leuiſſimas ſuſpiciones interemptis, Muſtapha, Calogero, Chendemo, Boſtange genero, Iunobaſſa,filium etiam veſte veneno intus atrociſſimo delibuta,extinguere cogitaſſe ferunt, ob quædam eius de patris immanitate dicta liberiora. Sed matris aſtutia repudiatum donum,proq́ Solymanno cubiculario cuidam datum,ociſſime illi perniciem attuliſſe. Interrogatus aliquando, quare exemplo ſui patris barbam nõ promitteret,reſpondiſſe fertur, ne pro libidine ſubditorum huc illucq́ inuitus abduceretur. Filium Solymannum crudelem animam exhalans,commendauit Pyrrho Baſſæ Cilici,ſeuerè præcipiens,vt ſe mortuo in Chriſtianos bella mouerentur omiſſis Perſis. Dicere ſolitus fuit,eum minime ſapientem virum eſſe,qui rebus ſemel decretis moram aliquam interijceret. Cunctando ſiquidem rei gerendæ occaſiones negligi,eaq́ intercidere impedimenta,quæ prioribus conſilijs prorſus ſint contraria. In adminiſtratione tum bellorum tum rerum ciuilium fœlix admodum fuit, iuſtitiæ vbique locorum tenaciſſimus. Cum Bononiæ coronaretur Carolus Quintus Romanorum Imperator, eò aduenit Venetorũ Legatus Ludouicus Muzenius,qui Selymi mores & ingeniũ perſpexerat,cum nomine Reipub. Venetæ Legatus ad eum miſſus fuiſſet Cairum,is affirmabat,in Turcia vniuerſa neminem eſſe,qui virtutis iuſtitiæq́ ſplendore, tum etiam animi magnitudine & humanitate ei præferri poſſit, nec vllos in eo mores Barbaricos animaduerti, ſingularem etiam in decidendis cauſis, rebusq́ gerendis in eo eſſe dexteritatem,conſiliorumq́ profunditatem.*

Selymi exitus miſerandus, Anno 1520. Septemb.

Andreas Criti, Dux Venetorum,de eo referebat,quod granum quoddam,cuius ea natura eſſet,vt omnem ex corde triſtitiam eijceret,quemadmodum de Nepenthe ſcribit Homerus, ori ſolitus fuerit inſerere, ne citra animi relaxationem profundis ſemper rerum gerendarum cogitationibus

eſſet deditus. Venationis fuit ſtudioſus & impiger, minimè vxorius, in cibo temperans, à ferculorum varietate alienus. Liberalis fuit & munificus, in bellorum adminiſtratione cautus admodum & ſolicitus, ob ſæuitiam omnibus terrori fuit, à paucis adamatus. Sepultus eſt Conſtantinopoli, vbi ſepulchro eius Græca, Turcica, & Sclauonica lingua verba hæc inſcripta ſunt.

HIC MAXIMVS ADSVM. SELIM, QVI ORBEM DOMVI.
NON BELLA RELINQVO, SED PERGO INQVIRERE.
NON VLLA ME FORTVNA POTVIT EVERTERE.
LICET OSSA IACENT, ANIMVS BELLA QVÆRIT.

SOLIMANNVS XI. TVRCORVM IMPERATOR.



Imperij Seulman patrij moderatur habenas,
Regnaq; Chriſtiadum cladibus vſque metit.
Antiquam capit ille Rhodon, Naxumq;, Parumq;
Tyrrheni infeſtat littora curua maris.
Pannonios multo populatur milite fines,
Et cingit muros clara Vienna tuos.
Inclyta Sigethi dum mœnia concutit armis,
Cogitur, hinc Stygiam nudus adire domum.

Soli-

SOlimannus vndecimus Turcorum Imperator, in thalamo ſuo patris Selimi effigiem lecto affixam habuit, additis verſibus aliquot, quorum hic ſenſus eſt.

TABVLAE EPIGRAPHE.

SOLDANVS SELIMVS OTTOMANNVS, REX REGVM, DOMINVS OMNIVM DOMINORVM, PRINCEPS OMNIVM PRINCIPVM, FILIVS ET NEPOS DEI. s. s. s. s.

Ad calcem tabulæ Turcica lingua in hunc ſenſum verſus ſubſcripti ſunt.

Qui non ipſe ſua Princeps haſtilia dextra
Agmen in aduerſum Marte fauente iacit:
Nec refugit ſæuis caput obiectare periclis,
Dum grauia impauido prælia corde ſubit:
Iſte ſciat vanis belli ſeſe artibus vti,
Et votis nunquam fata fauere ſuis.
Nulla ſibi ſperet ſuſcepti commoda belli,
Hoſtiles acies quiſquis adire timet.

Ad dextram verſus Græca lingua adſcripti, quos hunc ad modum vertimus.

Tutus vt Imperij Princeps ſibi ſceptra capeſſat,
Anxia ne dubio corda pauore premat.
Ne putet eſſe nefas cognatum haurire cruorem,
Et nece fraterna conſtabilire thronum.
Iura, fides, pietas, Regni dum nemo ſuperſit
Aemulus, haud turbent relligione animum.
Hæc ratio eſt, quæ ſola queat regale tueri
Nomen, & expertem te ſinat eſſe metus.

Ad ſiniſtram verò lingua Sclauonica.

Te ſemel aduerſus peccantem mitis haberi
Ne ſtudeas, pœna vindice tutus eris.
Protinus enſe recidendum, putreſcere ſi quid
Incipiet, Clemens Rex malè ſceptra gerit.
Ad veniam facilis peccanti porrigit anſam,
Qua ſe ſuſtentans ad noua damna ruat.

Haſce aliasq́; complures immanem ſpirantes tyrannidem regulas, Selimus Ottomannus filio ſuo Solimanno, Imperij regnorumq́; ſucceſſori vnico reliquit, vt aduerſus Chriſtianum ſanguinē eum incitatum, ad bella atroci immanitate gerenda acueret.

Mors Selymi Chriſtianos Principes ingenti metu liberaſſe videbatur, adeoq; immani leoni ouem ſucceßiſſe plæriq; omnes putabant. Nam & iuuenis rerum nondum peritus erat Solymannus, & natura clemens atque modeſtus apparebat. Sed multos ea ſpes fefellit, inter quos præcipuus Gazelles Syriæ præfectus, audita morte Selymi, ſe minimè teneri ratus obedientia ea, quam Selymo præſtiterat, ad Syriam ſibi vindicandam animum adijcit. Mamalucos quotquot adhuc reliqui erant, ad ſe pertrahit, Aethiopas, & Arabes adeoq; Turcos, qui Selymo minus fauebant, ſibi coniungit. Adauctis itaq; viribus, certam de regno ſibi conſtituendo ſpem animo concipit. A magno etiam Rhodi Magiſtro, tormenta, aliaq; arma bellica & triremes impetrat, ne quid earum rerum deeſſet, quæ vel ad nauale vel terreſtre prælium gerendum forent neceſſariæ. His rebus ita conſtitutis, Caierbeium in ſocietatem belli, mißis ad eum legatis, pellicere ſtudet, ſperans eum haudquaquam occaſionem hanc neglecturum, vel vt Circaßi cædem vlciſceretur, vel vt Aegyptiorum Sultanorum denuo regnum erigeret: Verum Caierbeius vel Gazelli minus fidens, vel tantis ſe conatibus imparem agnoſcens, legatis trucidatis, Solymannum de perfidia & proditione Gazellis protinus certiorem reddit. Solymannus nulla interpoſita mora Faratem Baſſam cum ingenti exercitu aduerſus Gazellem in Syriam miſit, vt pro merito in eius perfidiam animaduerteret. Gazelles hoſtium aduentu cognito, licet aliquot iam ciuitates, & inter has Berithum atq; Tripolim occupaſſet, viribus tamen longè ſe hoſtibus inferiorem agnoſcens, intra Damaſci mœnia ſe concluſit. Quò cum ingentes copias Farates etiam Baſſa adduxiſſet, Gazelles extrema omnia potius tentare, quam hoſtium fidei ſeſe committere, paratus, copias ſuas eo animo aduerſus hoſtem educit, vt vel vincat, vel pugnando fortiter occumbat. Acre inde prælium exortum eſt, quod vltra ſex horas cum magna vtriuſque clade protractum fuit. Tandem penes Turcos, vt qui numero excellerent. (nam vel octoni aduerſus ſingulos Mamalucos pugnare videbantur) ſtetit victoria. Farates deinde nemine reſiſtente vniuerſam Syriam ſub Solymanni poteſtatem redegit. Caierbeio Aegypti adminiſtrationem, Solymanni nomine confirmauit, Selymum, cui infenſos eſſe Aegyptios norat, aſperis verbis criminatus Solymannum commendauit, vt eorum animos hac ſimulatione deuinciret, ne & ipſi mota ſeditione Solymanno negotium faceſſerent.

Gazelles Syriæ præfectus à Solymanno profligatus.

SOLYMANNVS BELGRADVM EXPVGNAT.

Solymannus Belgradũ expugnat, Anno 1521.

Anno ſequenti, qui fuit 1521. quietis impatiens Solymannus, ne ab Ottomannica erga Chriſtianam Rempublicam rabie deficere videretur, Belgradum, quæ & Alba Græca, totius Vngariæ, adeoq; Chriſtianæ Reipub. propugnaculum, ex Pyrrhi Baſſæ, qui natione Turcus erat, vir ingenti

animi & conſilij, inſtinctu oppugnauit. Reſeruabantur enim in munitiſſimo iſto oppido, vexilla & trophæa Turcis à tempore Amurathis vſque ad Solimanni Imperium erepta. Ingenti itaq; collecto exercitu, propere famam ipſam aduentu ſuo præuertens Seruiā ingreditur, inde Vngariam, cui tum Ladislai filius Ludouicus, iuuenis rerum imperitus, nec quicquam præter nomen regium inter proceres Vngaricos obtinens, præerat, nemine obſiſtente petit, vrbemq; Belgradum citra vllorum ſuorum detrimentum expugnat, atq; diripit, ſibiq; aditum planum ac facilem non tantum in Vngariam, ſed etiam reliqua Chriſtiani Imperij regna patefecit.

SOLYMANNVS RHODVM EXPVGNAT.

Belgrado expugnato, Anno deinde ſequenti, qui fuit 1522. ad occupandam Rhodum magno conatu animum adiecit. Non pauci quidem ex nobilioribus Baſſis hanc expeditionem diſſuadebant, animo recolentes ingenti cum dedecore & clade, iſtius inſulæ expugnationem à Mahomete fruſtra tentatam fuiſſe. Verùm paternorum præceptorum memor Solimannus, nihil aliorum moratus conſilia expeditionem ſuſcipere, eiq; vltro intereſſe nihil cunctatus eſt. Sub finem itaq; menſis Iunij claſſe inſtructa quadringentorum nauium, exercituq; viris bis centenis millibus conſtante, collecto cum valido machinarum bellicarum robore Rhodum appulit. In ſextum vſque menſem durauit obſidio, eaq; magni Rhodiorum Magiſtri Philippi Villadani, tum reliquorum equitum virtus enituit, vt ſæpius infœliciter, & aggeribus & cuniculis actis Turcæ expugnationem tentarent, multisq; Rhodiorū virtute, cæſis, dyſenteria etiam triginta ferè millibus extinctis, iam Solymannum inſtituti ſui pœniteret: cum recentem ex Natolia militem, Farathes Baſſa, Caierbeius verò Alexandria, quadraginta triremes frumento oneratas adducit. Nouis hiſce cōfirmatus auxilijs Solymannus, ab vrbis expugnatione nihil remiſit, præſertim cum magna murorum parte deſtructa, ſublatoq; iuuentutis robore, aduerſus hoſtilem impetum Rhodijs ſatis haud eſſe virium animaduerteret. Sub tempus illud ex Hiſpania Romam reuertebantur Adrianus VI. *Romanorum Pontifex, mediocres ſecum ducens copias, tum etiam aliquot triremes, quas ad ſubſidium Rhodijs adduci hortabantur, ſed fruſtra, Cardinalis Medices, qui poſtea ad pontificiam dignitatem euectus, Clemens* VII. *dictus fuit, & Cardinalis Farneſius, qui factus Pontifex, Pauli* III. *ſibi nomen vſurpauit. Chriſtianorum itaq; Principum auxilijs ſe deſtitutum eſſe animaduertens magnus Rhodiorum Magiſter, facta deditione, ijs conditionibus hoſtium violentiæ ceſſit, vt qui vellent, relictis machinis bellicis, quæ poſſent liberè ſecum auferrent. Quibus pactis religioſe ſtetit Solimannus, vrbemq; cum triginta virorum millibus modeſtè ingreſſus, ea erga Philippum Villadanum vſus fertur hu-*

Rhodus expugnata, Anno 1522. Iunio menſe.

tur hu-

tur humanitate, vt eius fortunæ non parum condoluiſſe viſus fuerit. Sic cum magna ſui gloria, ingenti verò Chriſtianæ Reipub. dedecore & detrimento Solimannus inſula Rhodo nobiliſſima potitus eſt, quæ, vt Thomas Gnichardus ait, ærumnoſæ Græciæ fuit protectio, peregrinantium diuerſorium, naufragorum portus, miſerorum aſylum, languidorũ Xenodochium. Facta fuit deditio ipſo natali die CHRISTI, *qui annum ſalutis inchoabat 1523.*

Poſt bellum Rhodium Caierbeius Aegypti præfectus, fato functus ſucceſſorem habuit Acomathem Baſſam, qui nouarum rerum ſtudioſus Tyrannidem Cairi affectauit. Verum à Turcis, qui fideliori erga Solimannum erant animo oppreſſus, temeritatis ſuæ pœnas luit, vtq; motas Cairi ſeditiones Solimãnus compeſceret, Habraimum Baſſam, virum magni animi multiq; conſilij eò amandauit. Quem tamen ſedatis turbis Conſtantinopolim mox reuocauit, eò quod eius in rebus gerendis opera difficulter careret, omnibusq; ſuis regnis Gubernatorem præfecit.

BELLVM PANNONIVM.

Ioach. Cam. de clade Ludouici, Regis Vngariæ. Anno 1526. 4. Kalend. Septem.

His ita geſtis Vngariam ſibi debellandam Solimannus proponit, paratisq; omnibus ad expeditionem neceſſarijs, in exercitu ſuo ducens bis centena millia virorum, Vngariã ingreſſus eſt, Anno 1526. Cumq; Taurinum, Albam Græcam nunc vocant, veniſſet, præmiſit Balibeio duce equites, qui quàm longè lateq; poſſent excurrendo, hoſtium agros popularentur, Rex, tum Budæ erat, & vel deſerendum regnũ, vel aſſerendum manu videbat. Itaq; quas potuit copias coëgit: Sed & Boëmi & Germani aliquot Pontificis Romani (vt ferebatur) pecunia conducti aduenêre. Verum omnium numerus 24000. exceſſiſſe negatur. Erant ex Pannonicis cum Rege inter alios duces, & Gregorius Lepuſius, frater Ioannis, præſidis eius regionis, quam olim Iazigas incoluiſſe perhibent, nunc Septem Caſtrenſis nominatur, qui ipſe cum magna validaq; manu indies expectabatur. Et præſides multi, interq; illos vnus præcipua audacia, Paulus Tomereus Colecenſis, familiæ Franciſcanæ, homo imperitus & temerarius, ſed & manu promptus, & animo imperterrito. Is quia ſemel atq; iterum inconſultè euagatas turmas pauculas prædonum vicinorum retuderat, & quia ſtrenuum olim egerat militem, Ducis etiam opinionem conceperat. Cui laudi inhians, Regem impellere atq; penè cogere, vt hoſti obuiam iret. Ergo infœlix Rex ætate penè adhuc puer, deſtitutus & prudentum virorum conſilijs, & fortium atq; bellatorum copijs, etiam vt aliqui tradidêre, & multa ſuſpicari permittunt, circumdatus fraude & inſidijs ſuorum, Buda egreditur, vt hoſti occurrat, alacris atq; exultabundus, nec formidinis aut timiditatis vllam ſignificationem præbens, relicta Maria vxore ad Breſpurgum.

Et ad

Et ad Magiacum, quod intra Budam & Taurinum ſitum eſt, caſtra poſuit. Balibeius, quem cum equitibus ad vaſtandam Pannoniam præmiſſum ſupra diximus, omißis agris, exercitum regium obſeruare & carpere, & à pabulatione atq; aquatione prohibere, diuiſisq; ſuis equitibus, quos habebat ſecum ad M. XX. *in quatuor partes, ita infeſtis excurſionibus premebat regios, vt cum vna pars de diei quadrante feſſa reciperet ſe, altera mox ſuccederet, atq; huic deinde tertia, & iſti poſtremò quarta, totus dies perpetua inſectatione & vexatione hoſtium conſumeretur. Exercitus regius ſeſe intra caſtra, obiectis carris atq; plauſtris cõtinere primùm: deinde cum vſq; adeò in anguſtum redigeretur, vt iam ad fluuium nemo auderet accedere, cogerenturq; intra caſtra puteis effoßis, aquam quærere, placuit Pannonibus, autore Tomoreo, & Gregorio Zepuſio, fortunam belli experiri; minime probantibus, ac potius vehementius diſſuadentibus Germanis & Boëmis ducibus, qui cenſerent Zepuſium ſaltem operiẽdum, is enim aduentare iam nunciabatur. Conuenerant autem vniuerſæ Turcicæ copiæ, ipſeq; Solimannus aderat, neq; pauciores habuit, vt certe cognitum eſt, ducentis millibus bellatorum. Sed vrgentibus ſuis, Rex hoc modo dixiſſe fertur, ſe non eſſe timidum neq; ignauißimũ futurum, cupere vt quiſq; vir fortis eſſe velit, ſe ſuæ vitæ ac ſanguini non decreuiſſe parcere. Ita productus exercitus regius, & inſtructa acies fuit à Tomoreo, permiſtis inter ſe equitibus ac peditibus, quo ordines dilatarentur: id quod ad ingentem hoſtium multitudinem, ne includi ſui atq; cingi poſſent, excogitauerat. Regem in prima acie collocatum fuiſſe ferunt, inq; conflictu & impetu pugnæ ad primos protruſum. Alij tradidère, ſeparatim cum mille equitibus poſt aciem conſtitiſſe, quod exitus rei videtur refellere. Bellicis machinis abundabant, vt ſolent, Turcæ, illisq; globi contra regium exercitum directè immißi, ſed ſine detrimento, ſublimius enim lati illi, haſtas modo quorundam perculère. Regiæ machinæ, & paucæ & futiles non multum hoſtibus nocere potuerunt. Sed Turcæ tanto maiore numeroſioreq; multitudine vndiq; exercitum regium non ſolũ ſepſere, ſed etiam implicuerunt, neq; ſolum repugnantes profligare, ſed etiam caſtra iam oppugnare, ad quæ ipſa quoq; cum regij duces reſpicerent, & defendere cuperent, diminuti pugnatores, & ordines diſtracti fuère. Itaq; celeriter fuga orta, ducibus plærisq;, viris ſtrenuis, & qui cladi ſuorum ſupereſſe nollent, interfectis. Præſules multi cæſi, interq; illos Tomoreus, magis intrepidus miles, quã conſultus dux, fortißime dimicans cecidit. Capti pauci, Zepuſius, dum in nauem citato equo inſilire nititur, neq; illam poteſt attingere, Danubij aquis delapſus in fluuiũ, obruitur. Rex fuga cum in equo vaſto, ipſeq; grauibus armis onuſtus, ad non magnũ amnẽ veniſſet, vno modò comitatus, qui ante eum, vt poſtea narraſſe fertur, in vlteriorem ripam euaſerat, tranſiturus & ipſe, præcipitato equo, in aqua &*

K limo

limo ſuffocatur. Putabatur amnis vadum à fugientibus, quaſi cauato alueo corruptũ fuiſſe, vt minus iam peruium eſſet. Sunt qui tradiderint appetentẽ equum ripam, retroactum ſuper Regem incidiſſe, itaq; illum oppreſſum. In illo non magno quidem neq; celebri amne periiſſe nobiliſsimum Regem, & eximium adoleſcentem illius verbis, qui vnus comitatus eum eſſet, creditum: & corpus exanimum nõ procul ab indicato ab eodem loco paulò inferius poſtea repertum, ſepulturæ mandatum eſt. Hoc prælium quo anno diximus 4. Kalend. Septemb. commiſſum. Solymannus autem victoria metuendus & ferox, deriſa hoſtium temeritate & imprudentia, vſusq; fortunæ proſperitate, Budam ſtatim occupat, arcemq; in deditionem præſidio accepto, ſpoliat atq; diripit. Fuerat antè illa ſtudio quodam ſingulari Regis Matthiæ, & operibus & inſtructione admirabili exculta, ſignisq; ac tabulis exornata: inprimis autem omni genere librorum diues. Nam Matthias, vt veræ virtutis amator, doctrinam & artes ſapientiæ incredibili fauore ac ſtudio proſecutus fuit. Hac igitur, vt dixi, direpta ac ſpoliata, quia iam hyems prope erat, re melius, quam ſperare auderet, geſta, in Thraciam reduxit copias Turca, & victoriam maxima feſtiuitate celebrauit.

SOLYMANNVS IN VNGARIAM REVERSVS, VIENNAM AVSTRIAE OBSIDIONE CINGIT.

Inſigni hac parta victoria Solymannus, ſequenti anno Eubœam infeſtis copiis petiit, nemineq; impetũ eius ſuſtinẽte, obuia quæuis depopulatus, facili momento vniuerſam regionem occupauit, vnde nouo ſibi ad Chriſtianorum regna patefacto aditu, ſuas res non parum auxit. Inde rurſus anno 1529. in Vngariam denuo cum numeroſo exercitu irruit, omnibusq; latè vaſtatis, Viennam Auſtriæ vrbem celebrem graui obſidione adortus eſt 6. Kalend. Octob. Fama eſt eum bis centena & quinquaginta armatorum millia ſub ſignis habuiſſe. Obſidionis initio aliquot ex captiuis Viennam remiſit, nunciaturos ſuis, quanto cum apparatu aduenisset. Si deditionem vltro facturi eſſent, ab omni iniuria temperaturũ, ſin victoris curſum impedirent, omnes ferro & igni interituros. Vbi verò contemni ſuas minas videt, quindecim vineis admotis, cuniculisq; & ſubterraneis meatibus actis, muri nitebatur ſubuertere fundamenta, & muro locis aliquot diſturbato, ſuos vrbem inuadere iubet, quos virtus ciuium & bellatorum, qui intra mœnia pro patriæ ſalute fortiter pugnabant, ita excepit, vt non ſine magna ſuorum & clade & infamia, retro curſum vertere cogerentur.

Philippus Comes Palatinus defendit Viennam.

Vicies muros ſubiiſſe hoſtis dicitur, vicies cum ingenti ſtrage à mœnibus repulſus DEI *virtute, & fide atq; defenſione Illuſtriſsimi Principis Philippi Comitis Palatini. Poſt multos irritos conatus Turcorum Imperator*

perator omni ſpe vrbis potiendæ abiecta ad Idus Octobris exercitum abduxit, ſexaginta hominum millibus & amplius in oppugnatione amiſsis.

Solimannus Viennã relinquit, Idib. Octob. deſideratis 60000.

Anno deinde 1530. ingentes rurſus copias, bis centena virorum millia in Vngariam & Bohemiam adducit, ferroq; & igni omnia depopulatus exitialem toti Bohemiæ cladem intuliſſet, niſi conatibus eius maturè obuiam proceſsiſſet Imperator CAROLVS, *cuius virtutem exhorrens Solimannus infami fuga ſalutem tueri coactus, multis amiſsis, trepidè collectis impedimentis inde receſsit.*

Solimannus Boẽmiã inuadit, Anno 1530

Anno 1532. Solymannus ad Perſarum Imperium ſibi armis vindicandum animum adijcit, ingentiq; coacto exercitu Iſmaëlem Sophum regnis, quorũ multa ſub ſuo habet Imperio, deijcere conatur. Sophus de Solimanni conatu certior factus, haud quaquam ignauo animo ſe ſuaq; defendenda ſuſcepit, firmiſsimisq; inſtructus copijs, quæ & Hiſpanorum militum robore firmata erant, eo euentu cum Solimanni exercitu præliatus eſt, vt fugatis cæſisq; Turcis, magnam victoria hac Perſis gloriam attulerit.

Solimannus profligatus à Perſis.

Eodem tempore Tunete potitus eſt Solimannus per Barbaroſſam piratam. Diſtracta enim in factiones ciuitate, cum Rege mortuo vterq; filiorum regnum ſibi vendicaret, Barbaroſſa, ſub prætextu pacis ſtabiliendæ vrbem ingreſſus, alterum fratrem è medio ſuſtulit, Turcicumq; vexillum ſub auſpicijs Solimanni in foro erexit.

Tunetes à Barbaroſſa pirata capta.

Regno hunc ad modum pulſus, qui ſuperſtes erat frater Halaaſan ad Imperatorem Carolum V. *confugit, qui vt Solimanni & Barbaroſſæ conatus retunderet, maturè, antequam vlterius eorum Tyrannis progrederetur, obuiam eorum perfidiæ & violentiæ eundum ratus, ingenti claſſe adornata 25. Iulij, Anni 1536. Barſelona ſoluens, ventis ſecundis Africam petijt, primo Gouletem Tunetenſis regni arcem validiſsimam, & præſidijs Turcicis firmiter munitam expugnauit, inde Tunetem, olim Carthaginem dictam, magna vi adortus. Barbaroſſa licet exercitu inſtructus eſſet numeroſo, fugæ tamen, quam vel ſuæ vel ſuorum virtuti confidere maluit, relictisq; intra vrbis mœnia regijs theſauris, & amico quodam Muſtapha, Algierum trepidè ſe recepit. Tunetem itaq; Cæſar, Muſtapha vltro ſe dedente, victor occupauit, ſublatisq; è medio Turcicis præſidijs Halaaſanem in integrum reſtituit, & viginti Chriſtianorum millia, qui à Barbaroſſa in vinculis relicti fuerant liberauit, viaticoq; benigniter præbito, ad ſuos quenq; remiſit.*

Carolus V. reſtituit Regem Tunetis, Anno 1536. 25. Iulij.

Hac inſigni parta victoria Imperator Halaaſanem ſibi tributarium & Chriſtianis amicum eſſe iuſsit, triumphansq; Neapolim, inde Romam ingreſſus Pontifici Romano pedes exoſculatus eſt.

Sub annum inſequentem, 1537. Solimannus in Ponto & Propontide 150. triremes, biremes 80. ducenta ſimul & quinquaginta varij generis

Solymannus Corcyram, Zazinthum, & Cythera populatur.

Solymannus capit Parum, Naxum ſubigit.

nauigia collegit, quibus Corcyram Venetæ ditionis inſulam aggreſſus eſt, decem dies obſidet, incenſisq́ ſuburbanis, & agris deuaſtatis, multisq́ incolarum aut occiſis aut captis diſcedit. Zazinthum & Cythera populatur, Aeginam expugnat & complanat, Parum capit, Naxum tributarium facit. In Apuliam, maiorem & meliorem claſsis partem, in quam 10000. lectorum peditum, & 2000. equitum robuſtiſsimorum impoſuerat, mittit, & totam Tyrrheni maris oram ibi deprædatur. Claſſes Imperatoris, Pontificis, Venetorum coniunctæ, ducum ambitione & diſcordia diſsipatæ ſunt.

Expeditio Vngarica Duce Electore Brandeburgenſi.

Anno 1541. Solimannus Peloponneſum infeſtat, & ciuitates, quæ Venetorum erant ditionis expugnat. Eodem anno Iohannes Vaiuoda moritur, relicto infante Stephano, cuius tutelam Solimannus ipſe, occupata Buda, & Peſto expugnato ſuſcipit. Sub annum itaq́ ſubſequentem expeditio in Vngariam ab Imperij proceribus decreta fuit, Duce Ioachimo Brandeburgenſi Electore. Verum peſte exercitum infeſtante, parum ea expeditio fœlix fuit.

Solymannus denuo profligatus à Perſis.

Solymannus fruſtra oppugnat Melitem.

Solymannus moritur, Anno 1566.

Anno 1543. dum Carolus Imperator & Franciſcus Rex Galliæ, infeſtis armis conflictantur, Turca interim ſuis rebus intentus arcem Vngariæ Grauenſem, & Albam Regalem occupat. Anno 1552. Turci vltra Poſonium progreſsi à Mauricio Saxone duce repelluntur. Anno ſequenti à Perſis magno prælio victi ſunt. Nec ſolum ab eo tempore in bellis gerendis minus fœlix fuit Solimannus, ſed etiam domeſticæ ipſum afflixerunt calamitates. Caroli Imperatoris virtutem in bellis gerendis fœlicitatem poſt Tuneticam expeditionem haud diſsimulanter exhorruit. Melitem inſulam, Anno 1565. fruſtra, Rhodijs eam equitibus fortiter defendentibus, oppugnauit. Sigethi oppugnationi intentus moritur, cum regnaſſet Annis 48. Anno ætatis 67. à reparata per CHRISTVM *ſalute, Anno 1566.*

Filius ipſi erat inſigni animi magnitudine & virtute præditus Muſtapha, quem ex falſa affectati regni ſuſpicione, perſuaſus à nouerca eius Roſa, quæ ſuos liberos ad imperij ſucceſsionem omnibus modis euehere nitebatur, crudeli facinore Anno 1555. interfecit. Qui ſupererant Baiazetes & Selimus filij, patre adhuc ſuperſtite inter ſe de Imperio dimicarunt, Anno 1559. Baiazetes apud Perſas, ad quos à Selimo victus confugerat, mortuus eſt. Selimus itaq́ ſolus ex filijs Solimanni ſuperſtes, patri in Imperio ſuccedit, Anno 1567.

Potentia, diuitijs, liberalitate, iuſtitia facilè maiores ſuos omnes ſuperauit Solimannus. Tum etiam omnis generis munitionibus, machiniſq́ bellicis ita fuit inſtructus, vt Chriſtiani principes aduerſus eius potentiam non tam ſuis viribus, quam diuini numinis auxilio tuti fuiſſe meritò iudicentur.

SELIMVS

SELIMVS EIVS NOMINIS II. TVRCORVM IMPERATOR XII.



Jngenioq́ armisq́ ferox in regna parentis
Succedens Selimus, nil patre auoq́ minor,
Jn Cyprios diri conuertit prælia Martis:
Niconiæ ſæua mœnia clade ruunt.
Hinc Famaguſtam ſimilis fortuna fatigat
Jmmenſas aufert enſis & ignis opes.
Oppreſſum tutare gregem, rabidosq́ Tyrannos
A mandris arce CHRISTE *benigne tuis.*

SOlimanno ad Sigethum defunсto, Mahomethes ex primoribus belli Ducibus præcipuus, callide Imperatoris mortem, vt in officio milites facilius retineret diſſimulat, & celeriter Selimum de morte patris, per literas certiorem facit. Qui nulla interpoſita mora Conſtantinopolim recta pergit, vbi à Boſtange Imperatoris præfecto honorifice exceptus, omnibusq́ Imperatori condecentibus officiorum generibus ornatus, ſolenni ritu Imperator renunciatus fuit. Inde ad exercitum profectus, vbi Solimanni patris ſui mortem deflere viſus eſt, læta mente à militibus,

quos hactenus Solymanni mortem magna arte Mahomethes celarat, Imperator ſalutatur. Selimus vt initia Imperij firmiora ſibi redderet, inducias cum Imperatore Maximiliano II. *paciſcitur. Anno deinde ſupra ſeſquimilleſimum ſeptuageſimo, ne ab Ottomannico ingenio deſciſcere videretur, aduerſus Venetos belli occaſionem quærens, miſſis ad eos legatis Inſulam Cyprum ab ijs ſibi depoſcit. Iure autem Cyprium regnum ſibi deberi putabat, tum propter Aegyptium & Hieroſolymitanum regnum, ex quo Cyprium exortum fuit, tum etiam propter Conſtantinopolitanum Imperium, cui antiquitus Cyprus Inſula paruerit. Ad quæ cum Veneti fortiter reſponderent, ſe iniuſtam illam Tyranni vim vi propulſaturos, Selimus ingenti claſſe inſtructa ſubitò Cyprum adoritur, grauiq́ obſidione oppugnatam, Nycoſiam Cypri metropolim expugnat, obuios quoſque citra vllum vel ſexus vel ætatis diſcrimen trucidat, ſi qui clade iſti eſſent ſuperſtites, eos in perpetuam ſeruitutem abductos partim Conſtantinopoli, partim Alexandriæ in foro venales expoſuit. Expugnata fuit Nicoſia, Cypriorum olim Regum ſedes, Anno ſupra ſeſquimilleſimum ſeptuageſimo primo, Septembris die vndecimo. Deinde & Famaguſtam ad deditionem cogit, vbi contra pacta & datam fidem, non minore quàm Nicoſiæ ſæuitia & crudelitate vſus eſt.*

Selimus II. paciſcitur inducias cum Maximiliano II.

Selymus adimit Venetis Cyprum.

Quæ Tyranni perfidia & immanis ſæuitia cauſa fuit, vt perpetuum & ſacroſanctum fœdus ad retundenda arma Turcica fœdus inirent Veneti, Romanus Pontifex, & Hiſpanorum Rex. Qui etiam coniunctis viribus ingenti inſtructa claſſe, inſignem & nunquam nõ memorabilem victoriam de Turcis retulerunt, & facilè retundi poſſe Turcicam rabiem hac ſua victoria docuerunt, quatenus ciuilibus ſopitis diſcordijs, concordibus Chriſtianorum Principum armis ei obuiam iretur.

Selymus profligatur.

DE TVRCICI IMPERII MILITARIBVS OFFICIIS.

Breuiter hactenus expoſuimus, quæ ad Turcici Imperij originem & incrementum, tum præcipuas Ottomannorum res geſtas ſpectant. Reſtat vt indicetur quibus nam fundamentis Imperium illud firmiter adeo innitatur, vt omnibus totius orbis terrarum Principibus magno auſu, & pari fœlicitate Ottomanni ſe opponant, deſtructisq́ præcipuis regnis, ſui imperij terminos indies latius extendant.

Iis militum præſidijs accurato ordine conſtitutis munita eſt poteſtas imperatoria, vt viribus ad defendendũ & prorogandum Imperium haud facile deſtituatur: Præcipui ſunt palatij cuſtodes & Regis ſatellites, quos Spahioglanos nuncupant, quaſi dicas nobiles pueros vel filios. Spahi enim Turco-

Spahioglani præcipui ſatellites Turci.

Turcorum lingua nobilem, Oglan verò puerum aut filium ſignificat. Hi in horto Imperatoris educantur, eiuſdemq́ filij appellantur, in omnibus rei militaris artibus exercitatiſſimi. His plærunque legationum, ſummarumq́ præfecturarum per regna, nationes, prouincias, ciuitates, munera committuntur. His etiam concubinæ & filiæ Imperatoris nubunt. Numerus eorum millenarium complet. Veſtibus amiciuntur ſplendidis & precioſis. Quilibet ſeptem aut octo ſub ſe habet milites. Equitantes dextrum Imperatoris latus claudunt.

Soluphthari vna cum Spahioglanis educantur, pariq́ poteſtate & dignitate pollent. Et horum ſunt mille, qui precioſiſſimis quoque induti veſtibus, & equis, quos Salaſtharos vocant ſplendidè ornatis vecti, ad ſiniſtrum Imperatoris latus incedunt. Soluphthari.

His deinde accedunt mille equites, tertium ab Imperatore ordinem obtinentes Vluſagi, delecti ex numero Ianizarorum, aut præcipuis militibus Baſſarum, qui fidelitatem & ſuam virtutem memorabili aliquo facinore declarârunt. Hi tres militum ordines ex Chriſtianorum filijs, qui à parentibus abſtracti in Mahometana lege informantur, ſunt conſtituti.

Hos ſequuntur Caripici, equites mille ſelectiſſimi, mira audacia & celeritate præditi, arcu, ſagittis, haſtis, clypeo, & curuis gladijs vtuntur, ſeq́ armant. Ex varijs prouincijs hi Mahometani origine congregantur, è Perſis, Turcis, Mauris, ex Syria, Libya, Tartaria, ſtipendijs ornantur ſplendidis. Ea libertate gaudent, vt liber ipſis in quaſuis ædes, Conſtantinopoli morante Imperatore pateat aditus. Inter hæc ſelectiſſimorum equitum millia Imperator Turcicus, quoties vel hoſtibus obuiam procedit, vel alia de cauſa peregrè iter facit, medius incedit. Accedit præter hæc quatuor equitum millia, ingens famulorum numerus, qui armorum ſplendore Dominis parum cedentes, ingens robur huic equitatui addunt. Qui eo ordine Turcicos illos ſatellites, heros ſuos denſato ſequuntur agmine, vt ad nutum quiſque heri ſui ad quæuis officia parati adſint. Caripici.

Firmiſſimum præterea Imperatoris Turcici ſunt præſidium duodecim millia Ianizarorum, qui omnes pedites & Chriſtianorum filij in re militari ſunt exercitatiſſimi, partim in aula Turcica, partim in Natolia inter Turcos educati. Chriſtianorum enim liberi, quos vel ratione annui tributi, vel bello captos Turcicus Imperator accipit, inter Turcos certo ordine ita diſtribuuntur, vt in bellicis artibus ſingulari induſtria informentur. Acinace, arcu, & oblongis bombardis vtuntur. Pro galea eſt ipſis peculiare capitis tegumentum, quod Exarcolam vocant, colore album, ex coacta craſſiore lana denſatum adeo, vt gladijs ſit impenetrabile. A tergo latior cauda demiſſa ceruices munit, à fronte ornantur Ianizari.

aureo

aureo vel argenteo cono qui criſtas ſuſtinet: ſagittis, haſtiſq; & paruis ſecuribus rē gerebant. Sed ætate noſtra haſtis arcubuſq; abiectis, imitatione noſtrorum ſclopetis vtuntur. Horum potiſsimum fidei ſe committere ſolet Imperator. Milites enim ſunt fortiſsimi, & in pugna velut triarij ad extremum impetum reſeruantur integri. Raſò mento, barba ſolummodo labra integunt, quam myſtaca vocant, ipſo vultu formidabiles. Ex diuerſis hi & varijs colliguntur nationibus. Sunt inter ipſos Jllyrij, Macedones, Vngari, Græci, Germani, Poloni, Boruſsi, Seruiani, omnes tutelæ Imperatoris præter illa quatuor equitum millia deſtinati.

Sunt præter hos & alia Ianizarorum 10000. qui ætate minores ſunt ijs, qui Imperatorem comitantur, hincinde per munitiones, & propugnacula, quæ Chriſtianorum aliorumq; hoſtium regnis ſunt oppoſita, & rurſus alia 6000. per arces Imperatoris, diſtributi. Decem deinde iuuenum millia omnis generis bellorum exercitijs, in diuerſis locis aſsiduè ad militiam formantur, ex quibus, ſi qui ex ſuperiorum claſsibus deficiant, noui ſubinde in illorum contubernia adſciſcantur. Et quidem hi omnes nullius Bellerbeij vel Baſſæ Imperio ſubſunt, ſed immediatè ipſum Imperatorem ſuum dominum agnoſcunt. Nec pari omnes gaudent ſtipendio, ſed pro vniuſcuiuſque fortitudine ſtipendia & præmia diuerſa, nulla intercedente gratia, decernuntur.

Ordinis Ianizarorum inſtitutio.

Ordinem hunc Ianizarorum primus inſtituit Amurathes, nec ab eo tempore vnquam in prælio victi, diſsipati aut cæſi leguntur, ſed contra, re iam deſperata, victoriam perditam recuperaſſe, & reliquo iam diſsipato exercitu, ſuo interuentu victoriā ex hoſtium manibus extorſiſſe. Viri ſunt bellicoſiſsimi, adeoq; Turcici exercitus quaſi robur & medulla. Deni ſemper in vno contubernio coniunguntur, qui decurionem ſibi eligunt, & ſingulis peculiare munus aſsignant. Vni committitur cura comportandi ligna, alij coquendi cibos, alij verò tentoria figendi, rurſus alij excubias canendi, & in ſumma ita concordia, & tranquillitate vnà viuunt. Sunt deinde & centuriones, alijq; duces ſupra mille. Supremus dux omnium, qui maximæ eſt autoritatis, A G A appellatur.

SOLAKHI.

Solakhi.

Ex Ianizaris etiam eliguntur, qui præcipui ſunt inter milites & ſatellites Imperatorios, Solakhi, qui & corporis proceritate & rerum bellicarum peritia reliquis eminentiores, arcu & ſagitta armantur, ſagittas eiaculandi peritiſsimi, proximeq; latus Imperatoris cingunt, neruo ſemper impoſitam habent ſagittam, pileo incedunt tecti acuminato. Et ſanè in vniuerſum Ianizari Macedonum phalangem referre videntur. Tali vt diximus tum equitatu, tum peditatu Turcarum munitus Imperator vniuerſo

uerſo orbi terrarum eſt formidabilis, & tantum non omnia terrarum regna ſub triſte iugum ſeruitutis mittit.

BEGLERBEII.

Summi duces militiæ, & prouinciarum præfecti vocantur Beglerbeij, quaſi dicas domini dominorum. Hi vniuerſo equitatui, ipſiſq; Sangiacis, qui duces ſunt copiarum pedeſtrium, & ciuitatum præfecti, imperant. Beglerbeij, qui?

Primus eſt Græciæ Beglerbeius, ſub quo omnes Europæ nationes continentur, quæ Turcico Imperio ſubſunt. Sangiacos ſub ſe habet triginta. Sangiacis parent Soballiz *quadringenti aut plures, qui ſunt vicarij per minora oppida diſtributi. His etiam ſubſunt viginti equitum millia, qui* Tymariotæ *vocantur, ſic dicti, quod ex* Tymar, *id eſt, ærario ſtipendium annuum recipiant.* Græciæ Beglerbeius, quibus imperet.

Singulis præterea Sangiacis ſubſunt mille Spachi, *quorum quilibet meret tribus aut quatuor equis, pro ducentis ducatis annuis. Vocantur autem* Spachi, *ſerui magni Principis.*

Præter hos infimi ordinis ſunt equites Alcantzi, *qui &* Aconizij, *crudeliſſimi vaſtatores, qui abſq; vllo ſalario militãtes, igni ferroq; cuncta vaſtant. Nec quicquam prædæ aut manubiarum in his repeti ſolet. Et hi excedunt numerũ triginta millium. Bidui itinere reliquas copias præcedunt, exploratores rerum hoſtilium, & depopulatores immaniſſimi.* Alcantzi ſeu Aconizij.

Aſapi *peditum ſunt viliſſimi, ſagittandi inprimis periti, ſingulis menſibus pro ſalario tres aureos Turcicos accipiunt. In vrbium oppugnatione primi ipſi periculo obijciuntur, nec ſtrages ipſorum magni æſtimatur.* Aſapi peditũ Turcicorum viliſsimi.

BEGLERBEII ASIAE.

Aſia ſex habet Beglerbeios. Primus eſt Anatoliæ Beglerbeius, cuius adminiſtrationi commiſſæ ſunt Pontus, Bithynia, Lydia, Phrygia, Mæonia, & Caria regiones, comprahenſæ ſub Anatoliæ appellatione. Huic parent duodecim Sangiaci. Beglerbeij Aſiæ.

Secundus eſt Beglerbeius Caramanniæ, quæ antiquitus Cilicia dicta eſt, & Lyciæ, Lycaoniæ, atq; Pamphiliæ. Sub ſe habet ſeptem Sangiacos.

Tertius eſt Beglerbeius Amaſiæ, & Toccat, quæ eſt Cappadocia, Galatia, & Paphlagonia. Sangiacos ſub ſe habet quatuor.

Quartus eſt Beglerbeius Anandulæ, *quam alij vocant* Aladulam, *Hi ſunt montes Armeniæ, veteribus dictus mons* Taurus, *nunc verò* Cacaz. *Huius imperio ſubſunt ſeptẽ Sangiaci. In eadem prouincia 30000. equitum ſunt, ſine ſtipendio merentes, immunes à ſubſidijs, vt* Alcantzi *Græciæ.*

Quintus eſt Beglerbeius Meſopotamiæ, cuius metropolis eſt Edeſſa, in ſacris literis Rages. Hic ſub ſe habet duodecim Sangiacos, Spachorum vi-

L ginti

ginti quinq; millia, qui minori ſtipendio donantur, quàm alij, eò quòd ſint in finibus terrarum Sophi.

Sextus eſt Belgerbeius Cayri vel Aegypti, ſedecim Sangiacos, Spachorum viginti millia ſub ſe habens.

Hunc ad modum diſtributione prouinciarum & præfecturarum facta, miles nunquam Imperatori Turcico deeſt, & ſi qui vel in prælijs occumbant, vel per ætatem ad militaria officia minus ſunt idonei, alij ſemper in illorum locum ſurrogantur. Nam quarto quoq; anno ex Græcia & Anatolia adduci curat magnus Turcarum princeps Chriſtianorum liberos maſculos, tanto numero, vt vltra decem millia colligat, ex quibus elegantiores in ſuum palatium aſſumit. Reliquos in Burſia & Caramannia inter agricolas & paſtores curat diſtribui, vt ibi laboribus agriculturæ vacantes, ad labores perferendos indurentur, Turcicumq; idioma addiſcant. Exacto quadriennio, cum alij à tributarijs Chriſtianis adducuntur pueri, illi Conſtantinopolim euocantur, vbi diuerſis artificijs inſtructi, inter Ianizaros, vt illis miniſtrent, diſtribuuntur, ex miniſtris deinde in contubernium Ianizarorum cooptantur, aut ad alia officia conſcendunt. Sic triſtiſſima Chriſtianorum ſeruitus perpetuum eumq; exercitatiſſimum Turcico Imperatori ſuppeditat militem.

Burſia eadem quæ & Pruſia Bithyniæ.

Tributa Chriſtianorum triſtiſsima.

VISIER BASSAE.

Viſierbaſſæ 4. ſummi conſiliarij.

Quatuor porro ſummæ autoritatis ſibi adſciſcit conſiliarios magnus Turcorum princeps, cum quibus de rebus omnibus tam belli quàm pacis tempore deliberat. Eos vocant Viſier Baſſas, *qui & ipſi ex eorum numero ſunt, qui* CHRISTO *abnegato, Mahometanæ impietati ſeſe addixerunt. Horum magna eſt potentia & autoritas, & reditus ingentes. Sunt inter ipſos qui ſex millia miniſtrorum ſuis ſtipendijs alant. Summa rerum bellicarum adminiſtratio eſt penes duos Beglerbeios, Beglerbeium Græciæ, & Beglerbeium Anatoliæ.*

LINGVA IN AVLA TVRCICA VSItata.

Sermo aulæ Turcicæ.

Quod ad linguam in aula Turcica vſitatam attinet, haud vna vel lingua vel dialecto vtuntur. Sed pro nationum diuerſitate, diuerſæ etiam linguæ ſunt in vſu. Præcipua tamen eſt lingua Turcica qua Imperator ipſemet ex legis præſcripto vtitur, vnde & lingua Imperatoria vocatur, non quod reliquis præſtet, cum lingua ſit prorſus Barbara, ſed quod Turcorum Imperator, in inauguratione ſolenni ſeſe, Ottomannica id lege iubente, obſtringat, quòd præ alijs linguis Turcicam euehere, ornare, & excolere velit. Quæ cauſa eſt, quod in aula Turcica hæc lingua

alijs

aliȷs ſit vſitatior, licet ex animi ſui ſententia quiſq; lingua ſibi grata vtatur. Poſt Turcicam reliquis præpollet, Arabum atq; Aethiopum lingua, eò quod Alcoranus ea lingua conſcriptus ſit. Tertium locum obtinet Illyrica, Ianizaris maximè in vſu, quæ etiam copia ſua omnes alias orbis terrarum linguas excellere iudicatur. Huic ſuccedit lingua Græca Conſtantinopoli inter ciues, & Peræ, adeoq; per totam Græciam vſitata. Præter has aliæ complures in aula Turcica in frequenti ſunt vſu, pro nationum, quæ Imperio Turcico ſubiectæ ſunt diuerſitate.

DISCIPLINA MILITARIS TVRCORVM.

DIſciplina militari & iuſtitia, facilè omnibus aliȷs nationibus palmam præripiunt. Nec vel olim tantus iuſtitiæ rigor circa diſciplinam bellicam inter bellicoſiſsimas gentes facilè deprahendi potuit, quantus inter Turcos hodie obſeruatur. Nam & minimum quoduis facinus morte vindicatur. Vnde vix vnquam compertum eſt, ſeditionem inter eos quamuis in maximo exercitu concitatam eſſe. Et quidem tribus de cauſis re militari Chriſtianis præſtare videntur Turcæ. Prima cauſa eſt, quod inter Turcos, Ducum per omnia dicto ſint audientes milites, & ex eorum nutu toti pendeant. Quod inter noſtrates milites perrarum eſt, quippe qui frequenter mota ſeditione, Ducem pro ſua libidine in tranſuerſum rapiunt. Diſciplina Turcorũ militaris. Quot modis milites Turcę Chriſtianis præſtent.

Altera cauſa eſt, quod hoſtem aggredientes Turcæ, omnino ſibi perſuaſum habeant, vnicuiq; & modum & tempus mortis ineuitabile deſtinatum, adeoq; fronti quaſi inſcriptum eſſe, nec fieri poſſe, vt tempus illud vel anteuertat aliquis vel excedat.

Tertia cauſa eſt, quod & pane & vino facilè abſtinere poſsint, vel ſola oriza & aqua contenti, quin & à carne, ſi vſus ita poſtulat, ſibi temperantes. Quod ſi orizæ deſit copia, puluere vtuntur, quē ex carne ſalita confectum, vt vrgenti inopiæ ſuccurrant, ſecum vehunt, eò in calidam aquam immiſſo, pultem ſibi inde coquunt, qua famem ſedare aſſolent. Nec rarò vrgente fame inciſis equorum venis ſanguinem hauriunt, quo inediæ ſuccurrant. Equorum etiam caro ipſis cibus eſt pergratus, vnde haud facilè equum licet grauiter ſaucium abȷciunt. Ad quoſuis labores ſuſtinendos, ad pericula quæuis ſubeunda, ad famem, ſitim, & quaſuis ærumnas tolerandas noſtratibus militibus ſunt exercitatiores, adeoq; ad omnem fortunæ aleam ſunt paratiſsimi. Cum ergo & laborum & inediæ ſitisq;, tum etiam frigoris æſtusq; ſint tolerantes, tum erga duces ſuos obſequentiſsimi, inter ſe ipſos verò concordiæ ſtudioſiſsimi, haudquaquam mirandum eſt, optato in bellis gerendis ſucceſſu ipſos gaudere.

Cæterum de bellicis virtutibus, tum etiam modo aduerſus hoſtem im-

maniſſimum belli ſuſcipiendi, adminiſtrandi, adeoq́ gerendi aptius iudicabunt, qui in armis ætatem ſuam exigunt, quàm qui vitam agunt vmbratilem. Nec enim immerito Hannibal ille dux calliditate, ſolertiaq́ facile cuiuis aliȷ præferendus, vt inſanum hominem & delirum irriſiſſe videtur Philoſophũ, ſuauiter de re militari rhetoricantem. Hoc verò intimis votis optandum erat, vt Chriſtianæ Reipub. proceres ſeriò vitæ ſuæ & ſubditorum emendationẽ quærentes, piȷs ad DEVM *precibus aduerſus immaniſſimum hoſtem pugnarent. Nec enim dubium eſt propter peccata noſtra & idololatriam, Turcorum potentiam & ſæuitiam noſtris imminere ceruicibus, nec diffiteri poſſumus, Turcos & Scythas, adeoq́ Tartaros eſſe eos, de quibus Ieremias cap. 6. vaticinatur: Ecce, inquiens, populus venit de terra Aquilonis, & gens magna conſurget à finibus terræ. Sagittam & ſcutum arripiet, crudelis eſt, & non miſerebitur, vox eius quaſi mare ſonabit, & ſuper equos aſcendent, præparati quaſi viri ad prælium, aduerſus te filia Sion. Idololatriæ veræq́ doctrinæ corruptelarum, denuo in Eccleſiam Chriſti irrumpentium, ac impia* DEI *miniſtrorum perſecutio, aliorumq́ ſcelerum impunè inter eos, qui ſe Chriſtianos profitentur graſſantium, pœna eſt tyrannis Turcica: eam ergo vt à nobis amoliamur, neceſſe eſt, & ante omnia flagitiorum ſordes eluamus,* DEVMq́ *peccatis noſtris iraſcentem per vitæ emendationem, aſſiduasq́ preces protectorem, belliq́ ducem conciliemus. Hoc belli iacto fundamento ſi diſcordiȷs ciuilibus ſopitis, concordibus animis, iunctisq́ viribus Chriſtiani Principes aduerſus immaniſſimum hoſtem arma expediant, breui Chriſtianæ Reipub. incrementum, Turcicæ verò tyrannidis diſſolutionem triumphantibus animis cõſpiciemus. Quod faxit, qui cum Patre ſuo & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſempiterna ſecula* IESVS CHRISTVS.

FINIS LIBRI PRIMI, DE ORIGINE, INCREmento, & rebus geſtis Turcorum.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE MAHOMETANIS TVRCORVM LEGIBVS, RELIGIONE,

VITA, TVM ETIAM DE AVLAE TVRCICAE APPAratu, caſtris, officijs militaribus, & præfecturis. Quibus accedit narratio de Baiazethis filiorum cladibus, Italico Idiomate à Iohanne Antonio Mœnauino Genuenſi conſcriptus, iam verò latinitate donatus, per

PHILIPPVM LONICERVM.



ANNO M. D. LXXVIII.

QVAE IN SECVNDO HOC LIBRO CONTINENTVR.

Quinque ſunt libri huius partes.

In prima parte agitur, de Mahometana religione & legibus, quorum breuis additur explicatio, tum etiam de ſeptem peccatis mortalibus.

In ſecunda parte, de Turcarum templis, hoſpitalibus, perſonis religioſis, & de iuſtitiæ adminiſtratione.

In tertia parte, de Turcarum vita & moribus, de aula Imperatoris Turcici, eiusq́ adminiſtratione & officijs.

In quarta, de Turcici Imperatoris ſtipendiarijs militibus, Ducibus, centurionibus, præfectis, alijsq́ extra aulam miniſtris.

In quinta, de militibus hinc inde per Græciam, Natoliam, aliasq́ prouincias diſtributis. Sub finem etiam recenſentur, memorabiles aliquot clades inter filios Baiazethis, & cruentum illud prælium inter Selimum & Sophum Perſarum Regem.

IOHAN-

IOHANNES ANTONIVS MAENAVINVS CHRISTIANISSIMO FRANCORVM REGI.

HAudquaquam verbis conſequi poſſim, Sereniſs. Rex, quanta ſint officia, quibus Regiæ tuæ dignitati pro ineffabilibus in me collatis beneficijs obſtrictus ſum, præſertim quod Regia tua dignitas me licet nihil promeritum, benigno animo in clientelam & fidem ſuam receperit, ſibiq́; licet haudquaquam dignum miniſtrum aſciuerit, ſuamq́; erga me Regiam munificentiam promptiſſimo animo in hunc vſq; diem declaret. Nec ſanè quicquam mihi gratius accidere poſſit, nec quicquam fuerit, quod ardentioribus votis expetam, quàm viciſſim gratæ mentis teſtimonium qualecunque declarare. Verum ea mearum rerum eſt conditio, vt animo non poſſim nonquam vehementiſſimè turbari, quoties mecum conſidero, quam nulla mihi adſit facultas præclariſſimis tuis erga me beneficijs vel aliquatenus reſpondere, nec aliud mihi reliquũ ſit, quam vt me ſeruum tuum indignum, modisq́; omnibus Regiæ tuæ dignitati obſtrictum agnoſcam. Et ſanè vel hac de cauſa (niſi nefas eſſe ducerem, infœlicem eum iudicare, qui ſub potentiſſimi Regis & Principis tutela aduerſus quoſuis fortunæ impetus munitur) me omnium quos ſol videt, infœliciſſimum iudicarem. Verum vt vt hæc ſe habeant, (cum ingentia gratæ mentis officia viris magnis, qui in ſublimiore ſtatu vitam agunt, & fœliciorem, & ſplendidiorem, cõueniant) nuper admodum, animo meo oblata eſt materia quædam licet tenuis, qua deſiderium meum aliquo ſaltem modo ſedarem.

Nam cum fama iam per omnia Chriſtiani orbis regna increbuerit, Regiam tuam dignitatẽ in animum induxiſſe, omnem armorum vim aduerſus perennem illum & capitalem Chriſtianorum hoſtem, Turcam expedire, (quod ſane propoſitũ, vt omni laude eſt digniſſimum, ſic tibi potiſſimùm vt Regi Chriſtianiſſimo in primis conuenit) mihi verò arcana etiam & intima Turcici Imperatoris conſilia, conſultationes, facta, adeoq; verba ipſa haud inexplorata ſint, quippe qui annos aliquot in aula Turcica, apud Imperatorem Selimum, eiusq́ue patrem Baiazethem ab ætate tenera exegerim: nihil me officio meo alienum facturum putaui, ſi de præcipuis Turcarum rebus & factis libellum concin-

concinnarem, in quo breuiter aliquot capitibus exponerem, non ſolum quæ eorum ſit religio, quæ leges & ſtatuta, ſed etiam quæ ratio ſit aulæ Turcicæ & caſtrorum. Quem libellum eá de cauſa Regiæ tuæ dignitati offero, vt priuſquam ad laudabilem illam & glorioſam expeditionem ſeſe accingat, quæ ſit Turcarum religio, quæ leges, qui ritus: tum etiam in rerum militarium adminiſtratione, quæ diſciplina, qui ordo, inde breuiter, diſceret.

In primis autem rogo, ne Regia tua Dignitas, ád incomptam decentiq; ordine carentẽ ſcriptionem reſpiciat. Nec enim hîc eloquentiam doctiſſimorum hiſtoricorum mihi imitandám propono, ſed vt fidus interpres, ea pingui, vt aiunt Minerua, narrare inſtituó, quę ipſemet coram oculis vidi, auribus hauſi, experientia didici, maiorem veritatis rationem habens, quam ornatus verborum. Id ſiquidem vnicè ſtudui, vt ſi quid verborum deſit elegantiæ, id rei veritas recompenſet. Quocirca Regiam tuam Dignitatem oro atque obteſtor, vt librum hunc, qualis qualis eſt, clementi ſuo fauore proſequi, & non tam ipſius operis quantitatem, quàm autoris, qui indignum ſe T. Regiæ Dignitatis miniſtrum agnoſcit, animum reſpicere dignetur.

PRAEFA-

PRAEFATIO IOHANNIS ANTONII MAENAVINI, QVA SVAM IPSE AVTOR EXponit calamitatem, quomodo à piratis captus, & Turcico Imperatori ſit donatus.

DVodecim eram puer annorum, cùm patrem meum chariſſimum, naui onerariæ impoſitus, in Aſiam comitabar, vnde cum diſtractis mercibus, ſole iam à tergo Leone relicto, ſignumq; Virginis ingreſſo, læti in patriam remearemus, & iam ingenti ſpe Venetorum, mox patriæ fines (pro more mercatorum, qui diu patrijs abfuêre laribus) animo conciperemus: ecce ſubito mutata fortuna omnem ſpem noſtrã euertit. Manè ſiquidem ante ſolis exortum, cum aliquandiu ſecundis vſi ventis nauigaſſemus, ſubitò omnis venti impetus ita reſedit, vt nauim nullo impellente vento, conſilij inopes ad Corſicam iuſulam appelleremus, vt ibi Genuenſium triremi præſidiariæ, quam Conſeruam vocant, aduerſus piraticas naues excubanti, nos coniungeremus, ſed paulò ante aduentum noſtrum, illa à Corcyrenſiũ littore ſoluerat, vt piratis per mare graſſantibus obuiam iret. Iſtius itaq; triremis, qua omnis noſtra ſalus nitebatur deſtituti præſidio, ſubitò à tribus piraticis nauibus, quarum Princeps erat Chamalles, piratarũ præcipuus, obruimur. Protinus vt malò velisq; demiſſis deditionẽ faceremus nobis iniungitur. Verum parens meus maioris, quàm pro præſenti fortuna, animi, & malum & carbaſa rudentibus circumdat, arma expedit, vim piratarum vi repellere conatur, ſatius eſſe iudicans forti Chriſtianaq; mente mortem oppetere, quàm triſtiſſimam inter impios Turcas ſeruitutem ſeruire. Quod vbi vidit præferocis animi Chamalles, tormentarias machinas in nauim noſtram direxit, magnoq; vſus impetu altera vice in nauim noſtram mercibus impeditam, armisq; bellicis deſtitutam, per ſuos irruit, ſed noſtrorum virtute, quam periculi magnitudo acuebat, repellitur. In hac dum diſtinemur fortuna, venti interim violentia paulatim intenditur, nauisq; Genuenſium præſidiaria, magis magisq; appropinquat. Veritus itaq; pirata Chamalles, ne præſidiariæ nauis interuentu præda, cui inhiabat, ſibi eriperetur, ignitos in nauim noſtram eiaculatur globos. Quo turbati periculo, complures in mare deſilientes mitiori ſe elemento credidêre. Piratæ ne à præſidiaria triremi interciperentur, naui noſtrà direpta, abductisq; ſecum quotquot ex noſtris adhuc reliqui erant, in fugam ſeſe coniecerunt, nosq; poſt varios errores tandẽ Methonem deduxerunt. Vbi cum ex puerili ſimplicitate vbi nam locorum chariſſimum meum patrem reliquiſſem ſciſcitarer, quidam ex Ducibus piratarũ me bono animo eſſe iuſſit, & nulla mora interiecta ex piratica naui in aliam triremẽ, vbi parens captiuus detinebatur deduxit. Ille poſt mutuum complexum, lachrymasq; magno cum animi dolore profuſas, me piè fideliterq; hortatus eſt, ne vnquam inter impios Turcas Chriſtianæ fidei, quam imbibiſſem obliuiſcerer, nec quicquam prius haberem, quàm quî me ex triſtiſſima ſeruitute in libertatem vindicarem. A complexu deinde patris auulſus, cum duobus alijs pueris Myoparoni impoſitus Conſtantinopolim deductus, ibiq; magno Turcarum Imperatori Baiazeti donatus fui. Reliqui in Natoliam abducti ſunt. Lætus ille hoc munere, piratas, in primis verò Ducem eorum regijs ornauit muneribus, nosq; in palatio ſuo retentos, cibo pro Turcorum conſuetudine refici, deinde per interpretem de rebus noſtris & ſtatu Italiæ examinari iuſſit. Ad quæ cum pro puerili noſtro captu reſpõdiſſemus, quæſitum ex nobis eſt, num etiam legendi ſcribendiq; peritiam haberemus, cumq; eam nobis haud deeſſe reſpondiſſemus, req; ipſa ex præſcripto interpretis teſtati eſſemus, vehementer & Imperator ipſe, & alij circumſtantes hanc ingeniorum agilitatem & capacitatem mirati ſunt, eò quòd pueri eſſemus nondum annum duodecimum egreſſi. Quanquam tertius ſexennis linguam vernaculam haud ſatis diſtinctè enunciabat. Ex mandato deinde Imperatoris Eunucho Chilegir Baſciæ commendabamur, qui in Gynęceum, vbi Imperatoris nepotes educabantur, nos abductos aqua calida, quę fragrantibus herbis apparata eſſet toto corpore nudato abluit, veſtibus deinde precioſiſſimis, quibus Imperatoris nepotes ornabantur, induit. Hunc ad modum mundatos ornatosq; ad Imperatorem reduxit, monitos antè, quo geſtu Imperator à nobis ſalutandus eſſet. Impera-

tor humaniter nos excepit, & num tali etiam veſtitu in patria ornemur blandè quæſiuit. Ea Imperatoris humanitate monitus, parentis mei mandatorũ recordatus ſum. Vltimo ſiquidem digreſſu præceperat, vt ſi fors fortuna ad Imperatorem me deduxiſſet, pro parentis liberatione apud ipſum intercederem. Itaq; licet puer adhuc, blandis apud Imperatorem precibus inſtiti, vt parentem meum à pirata captum liberare dignetur. Qui protinus audita mea petitione, miſit, qui de eo in triremi iſta, in qua poſtremò eum ſalutarã inquirerent. Verùm pirata Chamailes, veritus ne hæc ſibi præda eriperetur, iam in Nataliã abductum parentem vendiderat, vbi vt vile mancipium diuenditus, tandem à Genuenſibus mercatoribus Deo Opt. Max. ita diſponente eò delatis, centum ducatis redemptus fuit. Hunc ad modum libertati reſtitutus parens meus, Conſtantinopolim verſus vltrò iter ſuum dirigit, vt certi aliquid de rerum mearum ſtatu reſciſceret. Vbi benè valentem in aula Turcica me inter regios pueros educari non ſine magna animi voluptate intellexit. Mihi etiam, ex clementia Imperatoris, copia facta eſt, parentem, qui Peræ vna cum mercatoribus alijs Genuenſibus morabatur, conueniendi. Additi mihi ſunt comites, decem iuuenes, ne fortè clam à paternis amicis ſurriperer. Per vnum ſaltem diem parentis conſpectu & amplexu frui mihi licebat, qui interea indeſinenter me hortabatur, vt honeſtis moribus ſtuderem, ante omnia verò Chriſtianæ pietatis memor eſſem, nec vnquam per impios Mahometanæ ſectæ complices ſeduci me paterer. Reuerſus inde vnà cum meo comitatu Conſtantinopolim, in arce Chriſtianorum liberis deſtinata, inter Imperatoris filios quinquennium exegi, aſſuetus deinde & vita & moribus Turcarum, literas etiam Turcicas addiſcere coactus ſum, vt eò commodius & leges & religionem gentis perciperem. Quæ res licet paternæ admonitioni prorſus eſſet contraria, ſatius tamen eſſe duxi vltro parere cogenti, quam aliqua obſtinatę mentis ſignificatione nouum mihi creare periculum. Sic inter quatuor annorum ſpacium Turcicis addictus literis omnia ſuperſtitionis ipſorum, religiones, myſteria, leges, orationes, ſacrificia, eleemoſynas addidici. Liber, quo hæc deſcripta continentur, ipſorum lingua MVSAHP nuncupatur, in triginta partes vel tomos diſtinctus. Arabes ſua lingua CVRAAM vocant, quaſi dicas, principium & finem religionis Turcicæ. Cum ergo haud oſcitanter nec obiter, ipſorum leges religionemq; didicerim, præcipua capita, quibus ipſorum impietas & ſuperſtitio innititur, ordine & qua poſſum breuitate exponam.

Muſaph qualis liber. Curaã idem quod Muſaph.

MAHO-

MAHOMETANAE LEGES VNDE ORIGINEM TRAHANT, ET CVI INNITANTVR FVNDAmento.

CAPVT I.



OMnis Turcarum Religio, Leges, Orationes, Sacrificia, Eleemoſinæ, & quicquid ad ſalutē animæ conſequendam neceſſarium ducunt, ex libro, quem ſua lingua Muſaph nominant, promanat. In triginta partes vel tomos liber iſte diſtributus eſt, Arabes eum Curaam vocant, quaſi dicas, Principium & finis legis Turcicæ.

Muſaph in tomos triginta diſtributus eſt.

Huic libro omnis eorum Religio veluti fundamento innititur. Et citra omnem hæſitantiā aſſerunt Turcæ, hunc librum per orbem terrarum ab Archangelo Gabriele, ipſorumq́; aduocato Mahomete, ex ſingulari gratia D E I *diſtributum euulgatumq́; eſſe, adeoq́; Mahometem ipſum vnà cum ſuis diſcipulis concinnaſſe, & fuſe ita deſcripſiſſe. In tanto honore librum iſtum habent, vt nemo, niſi à vertice ad plantam vſque recenti aqua ablutus ſit, vel mundo linteolo manus ſuas circum voluerit, eum attractare auſit. Quoties in templo, clara voce, ex libro iſto aliquid legitur, ſingulari cum animi deuotione omnes auſcultant, adeoq́; vel corpus paululum mouere ipſis eſt religio. Lector quaſi extra ſe raptus animum ijs, quæ legit intentum habet, librumq́; ſublimem tenens, ingens nefas eſſe ducit, ſi infra cingulum eum demittat. Finita lectione, librum oſculatur, eoq́; oculos ſuos demulcet, deinde vt ſacratiorem reliquis omnibus legis ſuæ libris, in loco editiore feſtiua cum ſolennitate reponit.*

LEGES TVRCICAE RELIGIONIS.

Caput II.

Octo præcepta legis Turcicæ.

OCTO *in lege Turcarum ſunt præcepta, quæ ordine recenſebimus, ſingulorum deinde explicationem ſubiecturi.*

PRIMVM PRAECEPTVM.

Primum præmemorati libri præceptum Turcica lingua hunc in modum efferunt. La illah ilelah, Mehemmet ireſul Allah. Hoc eſt: Non eſt Deus niſi vnus: Mehemmet autem Propheta eius. Mahometem porrò ſua lingua nominant, Acurzamam Pegamber, hoc eſt, vltimum Prophetam à Deo miſſum.

II. PRAECEPTVM.

Omni fide, amore, honore, reuerentia, quoad eius fieri poteſt, patrem & matrem proſequere, nec quicquam contra voluntatem parentum conare.

III. PRAECEPTVM.

Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

IIII. PRAECEPTVM.

Quartum præceptum iubet, vt conſtituto quiſq; tempore, in ipſorum Meſchit, hoc eſt, templo, compareat.

V. PRAECEPTVM.

Quinto præcepto mandatur, vt quiuis intra annuum ſpacium legitimo ordine menſem ieiunijs conſecret.

VI. PRAECEPTVM.

Sexto exigitur, vt pro ſuarum quiſque rerum conditione & ſtatu, de ſuis facultatibus eleemoſynas elargiatur.

VII. PRAECEPTVM.

Septimum præceptum requirit, vt matrimonium quiuis ineat, ſolenneſque ceremonias & ritus, de quibus infra in explicatione huius præcepti, quàm accuratiſſimè obſeruet.

VIII. PRAECEPTVM.

Octauum præceptum eſt, ne quis vlla ratione, niſi vi vel iure coactus alium occidat.

EXPLICATIO PRIMI PRAECEPTI.

CAPVT III.

PRimum præceptum de amore erga DEVM *agit, expreſſeq́ docet Turcas, vt* DEVM, *vltimumq́ Prophetam Mahometem ante omnia diligant. Cui ſanè mandato verè & ex animo obſequuntur, ſummumq́ nefas & ſcelus eſſe cenſent de gratia* DEI *vllo modo dubitare. Nam fides eorum prorſus huic innititur fiduciæ,* DEVM *vnicuiq́ homini 40. annis antequam naſcatur victum ſuum deſtinaſſe, vt qui eum ad imaginem ſuam condiderit. Ideoq́ decenti laude, honore, & gratiarum actione* DEVM *eſſe celebrandum docent, & hæc ipſis verba ſunt ſolennia.* Acta alla biſigus verdi colac, verdi deluerdi ac el verdi. *Quorum verborum hic eſt ſenſus. Nulla alia cauſa, præ omnibus alijs animantibus, ratione & intellectu* DEVS *nos ornauit, quàm vt immenſam æternæ Deitatis gratiam & omnipotentiam ſedulo animis conſideremus. Sola etiam de hac cauſa oculis hominem donauit, vt admiranda opera & creaturas, quas ex diuina ſua omnipotentia magna copia condidit, intueri & agnoſcere poſſit. Aures etiam idcirco homini affixit, vt verba diuinæ legis audiat & percipiat, auditaq́ & rectè intellecta accuratè obſeruet. Præterea linguas inter homines varias diſtribuit, vt alter alterum de diuina lege erudiat. Deinde & hæc verba habent ſolennia.* Acta alla biſi ſagluck verdi. *Hoc eſt,* DEVS *bonam nobis valetudinem, haud minimum inter homines donum, largitus eſt, ne ſegnitiem aut ignauiam ita radices in nobis agere patiamur, vt vel minimum* DEO *præſtandum cultum negligamus, nec vllis ita indulgeamus negotijs, vt per ea à cultu diuino arceamur.*

Homo ratione præditus, vt Deum glorificet.

EXPLICATIO II. PRAECEPTI.

CAPVT IIII.

SEcundum præceptum talem erga parentes obedientiam requirit, vt nullo etiam verbo liberi ſeſe eis opponant, inprimisq́ eam adhibeant diligentiam, ne aliquam ipſis vel quiritandi vel plorandi occaſionem præbeant, & ſi fortè rerum penuria, vel alio qualicunq́ malo premantur parentes, vt filij ipſis & conſilio & re ſuccurrant, nec omnes ſuas facultates in eorum curam impendere dubitent.

Maledictio parētum exitialis.

Addunt præterea huic præcepto, vt filij omni cura & ſedulitate caueant, ne ipſis iure à parentibus maledicatur. Maledictionem ſiquidem à parentibus profectā efficacem, ipſisq; liberis exitialem eſſe omnino credunt, nec vllum flumen, nec ipſius maris profunditatem ſufficere certò ſtatuunt, vt à liberis parentum maledictionem mundè abluat, nec vllum animi dolorem, vel vitæ emendationem, vel pœnarum irrogationem, vtut grauis & acerba ea fuerit, eam aliquo modo vel eluere vel extirpare poſſe. Expreſſe etiam in libro iſto Curaam docetur, nunquam liberis, quibus parentum talis incumbat maledictio; Devm ignoſcere, niſi parentes vltro verbis expreſsis liberis culpam condonent, & maledictionem ab ipſis remoueant. Et quidem hac in re bellè admodum liberis cum parentibus conuenit. Nam à teneris ſtatim annis filios ſuos aſſuefaciunt parentes, vt nihil prius habeant, quam parentibus debitum honorem præſtare, adeoq; eam curam adhibent, vt hæc pietas tenello puerorum ſanguini quaſi infundatur. Aiunt enim arborem, ſi terræ inſeratur ſterili, haudquaquam grati ſaporis fructum proferre, ſed terræ naturam referre arborem, arboris verò fructum. Ideoq; omnino volunt, vt quò tenerioris ſimplicioriſq; ſint ætatis pueri, eò maiore cura ad modeſtiam, bonos mores, pietatem, virtutemq; formentur, ſuumq; parentes amorem erga liberos hac in re potiſsimum teſtentur, vt decentibus pœnis ad virtutis viam, cui inſiſtant, eos deducant, vt poſtmodum, vbi adoleuerint, paterna ipſis diſciplina ob oculos verſetur, animoq; firmiter infixa maneat, nec vnquam paternæ admonitionis & obedientiæ ipſis præſtandæ obliuiſcantur.

EXPLICATIO III. PRAECEPTI.

Capvt v.

Vicini colendi ſunt.

TErtium præceptum ex lege naturæ promanat, ne quis, quod ſibi fieri nolit, alteri faciat. Circa quod præceptum inculcant, vt erga vicinos ſuos quiuis pius, fidelis, pacificus, proximum ſuum ſociumq; vt ſe ipſum diligat, erga quemuis aperti ſit animi, magiſtratui obedientiam præſtet. Tum etiam, vt cum quauis gente, cum qua negotiationes vel contractus quouis modo exercentur, candor & fidelitas colatur. Et ſi fortè lædendi vel quouis modo defraudandi alium cogitatio in animum irrepat, vt protinus iſte ſecum accuratè cogitet, ſi aduerſus ipſum alius ſimilem intendat machinam, num etiam æquo animo iniuriam iſtam laturus ſit. Hiſce enim cogitationibus facilè vnumquenque ſic affici, vt ab omni iniuria proxima inferenda abſtineat.

Expli-

EXPLICATIO QVARTI PRAECEPTI.

Caput VI.

Vartum exigit præceptum, vt deuota mente quinquies diurno ſpacio, horis conſtitutis templum ſuum, quod Meſchit *vocant, Turcæ adeant. Primò, ante ſolis ortum, quod tempus ſua lingua vocant* Salanamazzi *, deinde, circa meridiem, quod tempus* Vlenamazzi *nominant. Pòſt, tertiò ante ſolis occaſum, & nuncupant tempus illud* Inchindinamazzi. *Quartò, ſole iam occidente, & dicitur ipſis tempus illud* Acſanamazzi. *Quintò, ſecunda noctis hora, quod tempus nominant* Iaſtanamazzi. *Hæ enim horæ ſolenni ritu orationibus Turcarum deſtinatæ ſunt. Cum ergo iuxta prædictas horas templum adeundum eſt, quidam ex ſacerdotibus, quos* Meizein *vocant, turres templorum, quæ in modum ſpecularum ſunt conſtructæ, conſcendunt (nullus enim campanarum apud ipſos vſus eſt) hymnumq́ concinunt, quem* Exenochma *vocant, hoc modo ad templum conuocantes populum. Qui ex deuotione templum adeunt, ijs ſolenne eſt, primum aluum exonerare, eoq́ facto, totum corpus recenti aqua abluere. Quam conſuetudinem tam viri quàm mulieres religioſe obſeruant. Lotione hac ritè peracta, ter denuo manus abluunt, totidem vicibus os eluunt, ter etiam nares abluunt, & toties faciem, ter quoq́ brachia vſque ad cubitum, deinde aures, & vtraque manu collum mundant, & inter lauandum hæc verba hymni recitant,* Eleache motte ochiaffro. *Poſtremò & crura vſque ad genua abluunt, & dum cingulum ſibi applicant, alterius hymni verba proferunt,* Li illa phi circiſon. *Tardo deinde incedentes greſſu templum adeunt, ne greſſuum præceps velocitas animi deuotionem, tum ad orandum intentionem impediat. Quod ſi cui inter eundum ex ventris ſufflatione vel ructus vel crepitus ſuboriretur, iſtius lotio omnis, protinus irrita redderetur, eiq́ domum ſuam remeandum eſſet, rituq́ prædicto lotio reiteranda. Si quis fortè ex ignauia lotionem negligeret, tum plane ſibi perſuaſum habent, preces iſtius non ſolum non exaudiri, ſed grauiorem eſſe Dei indignationem, quam peccato hoc aduerſus ſe irritet, quàm gratiam, quam precibus ſuis impetrare poſſit.*

Ceremoniæ piæ obſeruandæ.

Superſtitio Phariſaica.

TVRCARVM IN TEMPLO ORANTIVM CEremoniæ.

Caput VII.

Vnc quo diximus ad modum præparati, in templo ſuo vbi conuenerint, faciem ſimul omnes verſus meridiē conuertunt, ſacerdotes hymnos,

mnos, quos de turribus antea concinuerant, erecto ſtantes corpore legunt. Ad quorum vocem ſinguli, ſtatim manus Zonæ qua cincti ſunt, ita inſerunt, ac ſi vincti aſtarent, caputq́ in terram mira animi deuotione, citra vllã coporis commotionẽ, quantũ poſſunt demittunt. Conſurgit deinde alius diuerſi ordinis ſacerdos, quem Imam *vocant, hymnumq́ clara voce legit, cui alius ſacerdos ſuccentoris more reſpondet. Finita hymni huius lectione omnes ſimul in terram procidunt clamantes:* Sabanalla, Sabanalla, Sabanalla. *Hoc eſt, ô* Deus, *miſericors eſto miſeris nobis peccatoribus. Et tamdiu humi facie ſua procumbunt, donec reuerſus ſacerdos ille, quem* Imam *vocant, hymnum præmemoratum reiterat. Quo facto omnes ſimul cõſurgunt, quẽ orandi ritum aliquot vicibus ex præſcripto legis ſuæ repetunt. Tandẽ omnes ſimul genibus in terrã procumbunt, ſacerdosq́ clara voce orationẽ pronuncians,* Devm *orat, vt Chriſtianis, Iudæis, Græcis, & omnibus à fide ſua alienis gratiam, & ſpiritum ſuum largiri velit, vt Mahometanam legem amplectantur. Finita oratione, è zona manus ſimul exerunt, iiſq́ cœlum verſus ſublatis alta voce clamant*, Amin, Amin, *manuq́ oculos contractantes, ad ſua quiſq́ reuertuntur.*

Orandi ſtudium.

QVIBVS TEMPLVM ADIRE SIT VEtitum.

Capvt viii.

Complures ſunt Turcarum, quibus templa adire, publicisq́ intereſſe ceremonijs minimè licet. Quales ſunt, qui manifeſtis contaminati ſunt ſceleribus, homicidæ, ebrioſi, aleatores, vſurarij, adulteri. Tum etiam ex mulieribus, quæ vitam agunt minus pudicam, vt pellices, meretrices, nam omnes eas fœde contaminatas & immundas iudicant. Nec ijs templum ingredi licet, qui aliquo corporis vitio, vel morbo contagioſo laborant. Virginibus, & quinque menſium viduis, templum ingredi licitum eſt. Mulieres à conſpectu virorum ſegregatæ, peculiarem in templo ſibi locum deſtinatum habent, ne ex eorum intuitu viri impudicis cogitationibus infeſtentur, & tum ſeipſos tum templum immundiciæ peccati contaminent. Si quis ex ſegnitia, vel aliarum rerum cura templum adire negligat, præſertim diebus ieiunio deſtinatis, eum Chriſtiano homine deteriorem iudicant, mortuumq́ honeſta ſepultura minimè dignantur, ſed abiectum inter cadauera à carnifice lacerata, canibus volucribusq́ prædam relinquunt.

Facinoroſis interdicitur templo & pijs ceremonijs.

EXPLICATIO V. PRAECEPTI.

Caput ix.

Qvinto præcepto mandatur, vt Turcæ intra annuum ſpacium, vnius menſis ieiunia ordinariè celebrent. Ingens apud ipſos ieiunij eſt feſtiuitas & Religio. Nec enim ſolum cibo, ſed etiam peccatis ſumma cura abſtinent. Nec cibum nec potum guſtant, donec ſtellas in cœlo rutilare conſpicantur. Deinde per totam ferè noctem ingenti apparatu & luxu conuiuia agitant, cibo ſe diffarcientes delicatiſſimo, more pecorum, quibus noctu pabulum præbetur. Si quis egreſſus decimum annum deprehendatur, qui vetito tempore aliquid vel cibi vel potus aſſumpſerit, in eum grauiter animaduertitur. Nam qui ieiunando corpus caſtigare noluerat, is fuſtibus, flagris, & ſcuticis miſerè caſtigatur, nec pauciores duobus & triginta plagis ei infliguntur. Templo ſi quis per tempus illud abſit, ei pœna geminata irrogatur. Vinum qui die ieiunij guſtauerit, is omnium ludibrio & probris obijcitur. Pileum infame cui inſcripta eſt eius culpa, ei imponitur, pœnaq́; denuo geminata infligitur. Tum etiam pro ſingulis plagis ſingulos Aſpros exponere cogitur, (quæ moneta duobus crucigeris noſtratis monetæ reſpondere videtur. Quinquaginta enim Aſpri ducatum conſtituunt) Eum qui in delinquentem hoc modo animaduertit, Cadi nominant, Dies ieiunij triginta Remezan appellant. Dies iſtos Mahometes Turcarum Propheta ipſemet ordinauit, adeoq́; religioſè eos obſeruaſſe dicitur, vt à Deo *impetraret legem, ſecundum quam populum ſuum commode gubernaret.*

Ieiuniū Turcorum trigeſimale.

Celebrato ieiunio, ob exauditas Mahometis ſui preces, & factam legis reuelationem, ſolenne feſtum Paſchatis, quod Vlubairam *nominant, magno plauſu & feſtiuitate per triduum celebrant. Duobus deinde elapſis menſibus & decem diebus, aliam celebrant Paſchatis feſtiuitatem, ſed minore cum ſolennitate, nullo præcedente ieiunio, in vrbe Mecha, vbi Mahometis ſepulchrum colunt. Paſcha hoc vocant* Chuccibairam, *eſtq́; ijs, qui peregrinantes Mahometis ſepulchrum inuiſunt ſolenne, vnde & Mechitarum ordo inter Turcas inſtitutus fuit.*

EXPLICATIO SEXTI PRÆCEPTI, De ſacrificijs vel victimis Turcarum.

Caput x.

Sextum præceptum iubet, vt quotannis vel ſemel in ſolennium feſtorum celebratione, pro ſuarum quiſque facultatum ratione, victi-

SacrificiaTurcorum.

mas aliquot immolet. Huius ritus Mahomethes ipſe autor perhibetur. Cum enim primum pecuniam inter pauperes diſtribuendam conferrent, de centum binos aureos, ſubditiq́ grauaminis huius leuationem peterent, Mahometes abrogata illa de contribuenda pecunia lege, ei aliam de victimis ſurrogauit. Immolatur vel iuuencus, vel eximiæ formæ equus, inter pauperes victima diſtribuitur, nec ſibi quicquam reſeruat de victima, qui eam immolat. Nec enim gratam eſſe Deo *victimam credunt, ſi vel minimum inde ſibi ſurripiant, interim vicino quiſq́ ſuo conuiuam ſe præbet. E plebe qui ſunt, plærique egregium immolant arietem, qui ore pedibusq́ ſit nigricantibus, vellere candido, cornibus eximijs. Hac forma arietem magni æſtimant, ſinguliq́ patresfamilias offerre talem gaudent. Ingens immolantium zelus eſt, ingens feſtiuitas. Perſuaſum enim habent cultum hunc* Dei *eſſe eximium, & inprimis* Deo *opus hoc miſericordiæ gratum eſſe. Pecora immolanda eligunt ſibi, quæ corporis ſunt præſtantiſsimi, eaq́ moneta ſibi comparant, quam habent optimam, nullo fœnore, aut iniuſtis mercibus acquiſitam. Inique enim parta ſi pecunia expendatur, tum haud immolanti, ſed ei cui per ſcelus pecunia adempta ſit, victimam ſalutarem fore autumant. Locus vbi mactantur victimæ,* Canaura *ipſis dicitur, quæ vox locum victimarum ſignificat. More Iudæorum gulam incidunt victimæ, hæc interim verba pronunciantes.* Bicimilai rhaheman aechini ac ioluna corbumala chebul chela. *Quorum verborum hic ſenſus eſt. In nomine illius, qui cœlum & terram, & quicquid in hoc mundo eſt, creauit, & in ipſius laudem & honorem victima hæc immoletur, qui eam pro ſua imperſcrutabili immenſaq́ bonitate vt placentem victimam ſuſcipere dignetur. Vbi mactata fuerit victima, carnes in minutiſsimas partes concidunt, easq́ ſale ſparſas inter pauperes diſtribuunt; quibus peractis lanio pretium exoluunt, domumq́ læti redeunt. Perſuaſum etiam habent, ſi clam alijs victima immoletur, duplo gratiorem eſſe* Deo. *Ritum hunc ſacrificandi ab Abrahamo deriuatum eſſe aſſerunt, qui cum ex diuino mandato filium ſuum vnicum Iſaacum immolaturus eſſet, Angelus* Deo *ita iubente, egregium ei arietem loco filij immolandum obiecit, qui aries ei, quem paulo ante deſcripſimus, ſimilis fuerit. Moris etiam eſt inter ipſos, vt decumbente aliquo in familia, victimas immolent, & ſibi ex hoc opere incolumitatem pollicentur, quemadmodum aries ille per Angelum Abrahamo monſtratus, ſalutem & incolumitatem Iſaaco attulerit. Huius victimæ carnes epulis ſuis adhibent. Et per hæc opera gratum ſe* Deo *cultum præſtare omnino ſibi perſuaſum habent.*

DE ELEEMOSYNIS TVRCARVM.

Capvt XI.

ELeemoſynas lex Mahometana iubet eſſe vltroneas, nec Deo gratas eſſe iudicat, quæ petentibus aut emendicantibus communicantur. Qui ex plebe ſunt, ijs ex lege incumbit, vt cuiuis mendico, quem obuium habent, aliquid impertiantur. Opulentis nullus præſcribitur modus, ſed pro ratione ſuarum facultatum, miſericordiam & liberalitatem erga pauperes, quiſq; ex ſuæ conſcientiæ præſcripto, exercere iubentur. Itaque magna cura & attentione perſcrutantur, num in vicinia ſint qui ſenectute & pauperie preſſi aliorum ope indigeant, num viduæ & pupilli aliorum ſubſidio opus habeant, ijsq; vt quam fieri poteſt occultiſſimè ſuccurrant ſtudio habent. Eleemoſynam præcipuum opus, quod Deo *ſit gratum, iudicant. Suos famulos clam ad vicinos pauperes ablegant, ſciſcitatum ex ipſis, num vel pecunia vel re alia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria indigeant, ſemper in ore habentes hæc verba. Nudos eſſe veſtiendos, famelicos cibo reficiendos. Hæc enim vera miſericordiæ opera eſſe cenſent. In libro ipſorum Curaam hæc verba leguntur. Si quis verè intelligeret, quam præclarum & diuinum ſit opus, elargiri Eleemoſynas, is certè ſuam carnem auulſam artubus pauperibus impartiretur. Rurſus. Si mendicus, præſertim qui pigritia motus ſtipem colligit agnoſceret, quantæ ipſi pœnæ incumberent, ſuas potius carnes deuoraret, quàm mēdicando aliquid acquireret. Scriptum enim legunt,* Sadeceatul balliah. *Quæ verba indicant, quod eleemoſynæ, dantem ab omnibus ærumnis liberent, eoſq; omnes pauperi accipienti imponant. Hanc etiam cauſam eſſe credunt, quod mendici rarò vel nunquam ſano ſint corpore, ſed morbum morbus, calamitatem calamitas quaſi vrgeat.*

Eleemoſynæ Turcorũ gratuitæ, quæ nõ mendicantibus dantur.

EXPLICATIO VII. PRAECEPTI, De coniugio.

Capvt XII.

SEptimum præceptum exigit, vt 25. annum quiſquis egreſſus fuerit, vxorem ducat, eo prorſus animo, vt & ipſe Mahometanam gentem augeat, nec vel libidinem, vel diuitias ſpectet, memor Adamo primo homini Euam diuinitus ea ſolummodo de cauſa adiunctam eſſe, vt genus humanũ multiplicaretur. Aiunt beluas, adeoq; arbores fructiferas ijs hominibus, qui vitam celibem agentes humanum genus nihil augeant, multis modis præſtare. Nec fieri poſſe credunt, vt viri extra connubialem vitam Deo *placeant, vel iuſti reputentur aut vlli legi diuinæ ſatisfaciant. Vetant etiam ſponſam adduci ſponſo cum tympanorum*

Cõiuges fiant nati annos 25. augendę gentis ſuæ cauſa.

ſonitu & iubilis,ſed caſtas piasq; preces exigunt, quibus à DEO *petant, vt vitam ipſe largiatur tranquillam & pacificam,iram, diſsidia, furiales rixas,& quæuis alia mala auertat, vxor marito ſit ſubdita, & in procreandis liberis diuinam benedictionem imploret. Poſt has ceremonias ſponſum cum ſponſa iubent concumbere in loco maxime caliginoſo, ne alter alterius denudata membra aſpiciat. Die deinde illuceſcẽte,marito ex præſcripto legis incumbit,vt quærat ex vxore,num legẽdi literas peritiã habeat? Quod ſi literarũ ſit rudis,maritus eam informare tenetur. Viciſsim & vxor ſi legendi ſit perita,maritum,ſi rudis ſit,inſtituere cogitur. Ante omnia pietatem colere,& à quibuſuis ſceleribus abſtinere iubentur. Aiunt enim:* Tirciur birici iedices ichiſi cinccura du ſcer. *Quorum verborum ſenſus hic eſt: Cæcus cæcum ſi duxerit,ambo in foueam cadent. Hic mos contrahendi matrimonia antiquus eſt, hodiernum in diem apud multos inter Turcas vſitatus. Quem verò iam contrahendi matrimonij ritum vulgò obſeruant, is beluinas potius voluptates,quàm matrimonij ſanctitatem refert.*

MATRIMONII NVPTIARVMQVE SOLENNITAS hodie inter Turcas vſitata.

CAPVT XIII.

Sponſas Turcæ ducunt indotatas.

SI quis amoris flamma erga puellam exarſerit,eam à parente puellæ ſibi vxorem petit. Parens ſi gener ipſi placeat,pecuniam,quam illi Chebin,nos dotem vocamus, à ſponſo exigit. Nec enim ſponſa dotata ducitur. Sed dotem ſponſus offerre cogitur. Eamq; pecuniam ſtatim ante nuptiarum celebrationẽ puellæ parenti ſponſus numerat,is eam in veſtitum mundumq; muliebrem filiæ impendit. Vbi dies nuptiarũ præſto fuerit, ſponſæ mater aſſumptis conſanguineis,ad nuptias inuitat matronas & virgines,quaſcunq; nuptiali intereſſe feſtiuitati optat. Et quidem vel centum vel ducẽtas vel plures vel pauciores ad nuptias vocare ſolent. Interea ſponſus quoſdã ex amicis ad ſponſæ parẽtem ablegat, enixè petens,vt filiam in ſponſi ædes tranſmittat. Paranymphi iſti à ſponſa donantur vel interula vel ſtrophiolo. Sponſi interea parentes opiparè, quæ ad excipiendos cõuiuas ſunt neceſſaria,inſtruunt. Conficiunt etiam puluerem, quem Chenam ſua lingua vocitant,odore & colore contuſorũ aromatum. Omnia decenter & ſplendide apparata,argenteis patinis per adoleſcẽtes egregie ornatos in ſponſæ ædes transferri iubent, præcedentibus tympanis, buccinis, alijsq; inſtrumentis muſicis. His obuiam procedunt mulieres in ſponſæ ædibus collectæ,ſolenniq; feſtiuitate oblata cibaria ab adoleſcentibus excipiunt, & cum hilariter cibo ſe refecerint, domũ quæq; ſuam repetit, poſtridie ad horam quam ipſis ſponſæ parens nominat reuerſuræ. Sponſi deinde parens ingentem virorum cœtum inuitat, qui omnes equis magnifice ornatis inſidentes,ſponſum

eiusq;

eiusq́; parentem adeunt, omnisq́; generis feſtiua gaudia, vt primũ ſol occiderit ſolẽni ritu celebrant. Mulieres certo ordine humi diſcumbunt, ſtratis per terram tapetijs magno ornatu & artificio contextis, mediamq́; velut in circulo ſpõſam collocãt. Hinc vbi cœnatæ fuerint, ſunt inter ipſas, quæ cythara, violis, barbitis, alijsq́; Muſicis inſtrumẽtis ſuauiter & concinnè ludunt, hancq́; ſuam feſtiuitatẽ ad mediam vſq; noctem cõtinuant. Nudam deinde ſponſam in balneum deducunt, & aqua optimi ſuauiſsimiq́; odoris abluunt, pulueremq́; cuius ſupra meminimus Chenã, calidæ aquæ immiſſum in vnguenti formã ſubigunt, eoq́; crines ſponſæ, manus, pedesq́; inungunt, cruraq́; floſculis teſſellisq́; pingunt. Singulæ etiam pollicẽ dextræ manus eodẽ puluere inungunt, quod ſignum ipſis eſt nuptiale, quo oſtendunt, ſe à ſponſo rogatas & vocatas eſſe ad nuptias. Hora deinde elapſa, ſe rurſus mundant, ſed manet rutilantis auri color in ea parte corporis, quæ vnguento iſto tincta fuit. Hinc veſtibus denuo amictæ, ſponſæ cincinnos auro innectunt, eamq́; lætæ è balneo reducunt, protinusq́; maiore ſonitu & plauſu, tympanis alijsq́; inſtrumẽtis muſicis cantatrices ludunt, reliquæ verò quã ornatiſsimè choreas ducunt, rithmosq́; amatorios & iocoſos ſuauibus numeris vnà concinunt, indefeſſoq́; ſtudio huic feſtiuitati vſq; ad galliciniũ inſiſtunt. Cùm gallorum cantum audiuerint, clara ſimul voce clamant, Caccialum; cacialum, *hoc eſt, Abeamus, abeamus, gallorum cantus auditur. Feſſæ ita luxu quieti ſe dedunt. Manè vt primum ſol exortus fuerit, propere omnes ſponſam ornaturæ denuo prodeunt, tumq́; inter ornandum ſalibus iocisq́; Veneri conuenientibus certatim eam ludunt, donec accedens Sagdich (ſic proximum ſponſi amicum vel cognatum nominant) ſponſam abducit, eamq́; ſponſo commendat. Quæ in re hiſce vtuntur ritibus. Manè cõſtituta hora, quotquot ad nuptias vocati ſunt viri, equis eximie ornatis & ipſi ſplẽdido amictu conſpicui inſidentes vnà cùm Sagdicho ante ſponſi ædes conueniunt, & ex ſponſo, num ſponſam ſibi adduci petat quærunt. A quo accepta venia ad ſponſæ ædes, eo ordine, vt bini ſemper coniungantur, procedunt, equum adducentes placidum & ſingulari ornatu amictum, cui ſponſa imponatur, mulosq́; aliquot, qui ſponſæ ſuppellectilẽ vehant. Ad ſponſæ ædes vbi peruenerint, Sagdichus equo deſcendit, nec prius in ædes ſponſæ intromittitur, quam mulieribus munera obtulerit. Interea illæ, crura ſponſæ ocreæ (carbaſinæ includunt, nodis ſic intricatæ, vt non citra magnã difficultatẽ eos ſponſus vel manibus vel dẽtibus diſſoluere poſsit, nec enim præter ſponſum alius ſponſæ eas detrahere, nec alio modo quàm manibus vel dentibus audet. Sic ornatam Sagdichus ædibus educit, quam mulieres inuitatæ omnes, & præter eas aliæ nõ inuitatæ cateruatim comitantur, & quam poſſunt artificioſiſsimè fidibus cytharaq́; ludunt. Complures etiam clara voce clamant,* Cialla, cialla, *hoc eſt, aduentat ſponſa, aduentat ſponſa.*

Sponſa equo inſidet, & ſub fornice in cœli modum artificioſe ornato ducitur. Fornicem illum quatuor perticis ſeu fulcris ſuſtentatum totidem iuuenes ſplendide ornati geſtant, & quiſq; ſtrophiolũ magna arte contextum, perticæ alligatum vt munus nuptiale accipit. Sponſa carbaſina tela cooperta eſt, dextramq; manum equi capiti imponit. Interea per plateas, quas tranſeunt, varij generis ſpectacula exhibentur. Ad ſponſi ædes vbi peruentum, vbi ſolum tapetibus ſericis ſtratum eſt, ſponſus procedit, & pro hac in celebranda nuptiali feſtiuitate opera ſibi exhibita, ſingulis decenter gratias agit. Conuiuæ etiam ſinguli, reſalutato ſponſo diſceſſuri munus in peluim ante ædes poſitam conijciunt. Circa veſperam Sagdichus ſponſum, mulier verò quam Tangegolam vocant, ſponſam veſtibus exuit, amboſq; in thalamum deducunt. Manè quidam ex amicis ſponſi rurſus in ædibus confluunt, ſponſaq; in lecto relicta ſponſum in balneum abducunt, vbi dum moratur, clam omnem ipſi veſtitum abripiunt, vt neceſſe ſit alias ipſi à parente veſtes tranſmitti.

Hi ſunt ritus, quibus in contrahendo matrimonio hodiernum in diem Turcæ gaudent, præter Mahometanæ legis præſcriptum. Quod ſi vnica vxore contenti haud ſint, vel duas vel tres ducunt, quòd ſi ſteriles vxores fuerint, ijs repudiatis, alias pro ſuo arbitrio ducunt. Qua in parte matrimonium ipſorum pecuinæ commixtioni haud videtur abſimile.

EXPLICATIO VIII. PRAECEPTI.

Caput XIIII.

Sanguine alterius nõ contaminandæ manus.

Octauum præceptum eſt, ne quis alterius ſanguine manus contaminet, cum pro ſua diuina prouidentia & voluntate Devs *vitæ vniuſcuiuſq; terminum ſibi reſeruarit. Legitur in prædicto ipſorum libro Curaam, homicidio* Devm *eſſe infenſiſſimum, nec aliud peccatum eſſe abominabilius, alterumq; hoc eſſe peccatum, quod à primordijs in mundum irrepſerit, & à maledicto Caino, inuidiæ ſtimulis aduerſus fratrem Abelum, eò quòd eius ſacrificium* Deo *eſſet acceptius agitato, perpetratum. Primum itaq; fuiſſe Cainum, qui humano ſanguine terram aſperſerit, eumq; ex hoc ſcelere in plura alia fœdiſſima ſcelera prolapſum. Nam qui tantum ſcelus committere auſus fuerit, eum deinde minime horruiſſe alia minus grauia committere, ideoq; eum etiam ſimili tandem pœna à* Deo *affectum eſſe. Legitur præterea in libro iſto Curaam, Cainum in extremo iudicio primum inter omnes peccatores fore, qui inferna petat. Nec enim ante extremum iudicium vllam animam in tartarum detrudi credunt, ſed in purgatorio igni omnes reſeruari. Die verò illo nouiſſimo primum fore Cainum, qui tartarum petiturus ſit, eumq; omnes deinde homicidas alios ordine ſubſequuturos. Addunt etiam,* Devm, *cum Caino*

male-

maledicceret, omnibus ſimul latronibus & homicidis maledixiſſe, nec eos, quos diuinæ vocis maledictio obruerit, vnquam animo eſſe quieto poſſe, ſed ijs anguſtijs eorum corda conſtringi, ijſq; tormentis affligi, vt tandẽ ex iuſto DEI *iudicio ſibi mortem conſciſcant. Aiunt inſuper, vt primum homicidium perpetretur, ſanguinem occiſi de terra cœlum verſus clamare, & à* DEO *vindictam petere. Firmiter quoq; ſtatuunt,* DEVM *nulla vnquam tale peccatum dignari venia, licet erga alia ſit indulgens & miſericors. Cæterùm ſi quis caſu fortuito citra dolũ malum, vel vitæ ſuæ conſeruandæ gratia, vel aduerſus Mahometanæ religionis hoſtes, vel in bello legitimè ſuſcepto pro ſalute & defenſione Domini ſui, alteri vitam eripiat, erga hunc ad veniam* DEVM *eſſe facilẽ & propitium. Veruntamen omnino cauendum homini, ne homicidij reus euadat. Hæc de homicidio fugiendo à Turcis haudquaquam perperam præcipiuntur. Cumq; Turcæ naturæ ductum in plæriſq; ſequentes, vitamq; pecorum more tranſigentes tam ſeuerè ab homicidio cauẽdum præcipiant, quantò maiore ſtudio* CHRISTI *verbum amplectentibus incumbet, vt ab hoc immani ſcelere abſtineant.*

DE SEPTEM PECCATIS MORTALIBVS.

CAPVT XV.

PRæter hæc præcepta, ſeptem etiam peccata mortalia, inter grauiſſima hominum flagitia numerant. Ea ſunt: Superbia, Auaritia, Impudicitia, Iracundia, Inuidia, Acedia, Luxus vel gula. Quorum vnumquodque homini exitiale, eumq; æternæ pœnæ reum facere ſtatuunt. Adeoq; hunc fere in modum vt ſequitur in libro Curaam de his peccatis ſcribunt. Peccata Turcorum mortalia ſeptem.

DE PECCATO SVPERBIAE.

Quemadmodum omnium rerum ſe primos eſſe volunt faſtuoſi ſpiritus, ſic primum etiam locum inter peccata mortalia ſuperbiæ tribuunt Mahometiſtæ, hoc inter reliqua peccata grauiſſimũ eſſe ſtatuentes. Nec enim ignorant, Luciferũ archangelum ſuperbiæ ſuæ cauſa è ſummo cœlorum throno in abyſſum tartari à DEO *præcipitatum eſſe, adeoq; ex omnium creaturarum pulcherrima, temporis momento factum eſſe omnium rerum, quæ vel in cœlo ſunt, vel ſupra vel infra terram, deterrimum, fœdiſſimum, & deteſtabiliſſimum. Multos huius ſimiles in terris eſſe aiunt, quales ſunt ſuperbi faſtuoſi, diuites, qui non ſolum* DEO *acceptum non ferunt, quod diuitijs affluant, ſed vt primum aduerſæ fortunæ flatus ipſos infeſtauerit, licet ipſimet plærunque ſuarum calamitatum ſibi authores ſint, vel praua rerum ſuarum adminiſtratione, vel abuſu bonorum, aut etiam vita minus decente, protinus tamen in* DEVM *ipſum in cœlis regnantem conuicia euomunt,* Superbię peccatum grauiſſimum.

munt, cumq́ue Devm *& grato & patiente animo laudare deberent, ipſi contrà diuini nominis ſunt calumniatores, & ingrata mente eum irritant. In horum numerum ex opulentis etiam eos referunt, qui erga pauperes iniurioſi, nō ſolum nouis ſubinde grauaminibus eos premunt, ſed eos vt abiectiſsimæ ſortis homines ludibrio habent, & faſtu intolerabili ſubſannant, minime ſecum, animo licet proprio reclamante, cogitantes, pauperem qui pietatis ſit ſtudioſus digniorem ijs eſſe diuitijs, quàm ipſos, qui ijs vtantur, adeoq́ue pauperes hîc omnium ferè ludibrio expoſitos diuina abundare gratia, & in extremo illo iudicio diuites ad eorum proſtratum iri genua, grauem iudicis audituros ſententiam. Quæ altius ſecum reputantes diuites, pro ijs, quibus affluunt diuitijs* Deo *gratias agere, largaq́ue manu & prompto animo pauperibus ſuccurrere debebant.*

DE PECCATO AVARITIAE.

Capvt xvi.

Auaritia eſt radix plurimorū ſcelerum.

AVaritiam plurimorum ſcelerum eſſe radicem credunt, ideoq́ue ſummopere eam fugiendam eſſe docent. Qua de re fabuloſam hanc tradunt narrationem. Moſen aiunt, cum in monte Sina moraretur, inter cætera à Deo *petijſſe, vt ſibi reuelare dignetur, quem nam hominum maximè deteſtaretur, eiq́ue diuinitus per viſionem indicatum, vt in qua primum ſedem fixurus eſſet ciuitate, ibi in longo receſſu eremitæ caſam inquireret, eremitam eum dictum eſſe Bauſezzam Caldeum, abſq́ue intermiſsione lectioni intentum, & in publicum intra decem dies ſemel tantum prodeuntem. Eius in ſingulos dies demenſum eſſe ex diuina prouiſione, duo mala Citrina, quorum, ex metu inopiæ, alterum intactum reponeret, geniumq́ue ſuum vltro defraudaret. Moſen deinde diuinæ reuelationis memorem, cum in caſam eremitæ iſtius, aſsidua lectione ſeſe defatigantis, deueniſſet, ingentem malorum Citrinorum, quæ magna ex parte iam putreſcerent, copiam demiratum, animo haudquam malo ex eo quæſiuiſſe, quam ibi vitam ageret? Ad quæ eremitam intellectu pauperem, auaritia diuitem, reſpondiſſe: canis ſe vitā agere. Quibus Moſen ſubieciſſe aiunt hæc verba. Quorſum hæc tua verba ſpectant. In legendo aſsiduus es, hacq́ue in parte haud ineptè philoſophari mihi videris, ſed more ſtulti, qui nullius libri vſum calleat reſpondes. Ad quæ viciſsim ille, ſe quidem lectioni indefeſſo ſtudio intentum eſſe, ſed in eum tantum finem, vt à* Deo *victum impetret, neq́ue ſanè dum huic ſtudio inſudaſſet, vlla ſe preſſum fuiſſe inopia. Cui rurſus Moſes. Nonne ergo pro quotidiano victu duo tibi mala Citrina ſufficerent? Verùm ea vltra dimidiam ferè partem ſupereſſe, putredineq́ue exeſa video. At ille: Idcirco omnia ſimul abſumere vereor, ne ſi benignam*

gnam ſuam manum occludat DEVS, *deſit vnde vtar. Hinc Moſen edoctum nullum auaritia deteſtabilius eſſe vitium, huncq́ eremitam coram* DEO *omnium quos ſol videret, hominem eſſe deteſtabiliſſimum. Idcirco Mahometiſtæ auarum hominem, quippe cui æquè quod adeſt deſit, quam quod abeſt, diuina prorſus gratia deſtitutum eſſe credunt. Hinc & Philoſophos & quicunq; rationis ductum ſequuntur, auaris grauius ſupplicium haud imprecari aiunt, quàm vt quàm longiſſimè viuant, quò diutius enim viuant eò maiorem eorum eſſe miſeriam & penuriam, ſi non externarum facultatum ratione, attamen cogitationum atq; animi.* Auari gratia diuinà deſtituti.

DE PECCATO IMPVDICITIAE.

CAPVT XVII.

N*Ec minus abominabile ſcelus iudicant Mahometiſtæ Impudicitiam. Lege etiam ſingulis mandatur, vt legitimam vxorem ducant ad vitandam omnem impudicitiæ & ſcortationis occaſionem. Verum prorſus inter ipſos lex hæc ſopita eſt, nec alio vitio æquè contaminati ſunt, atq; fœdiſſimarum libidinum ſordibus. Nec enim contenti ſunt mulieribus ad ſatiandam libidinem abuti, ſed Sodomitico ſcelere ita feruent, vt verbis id conſequi difficile ſit, adeoq́ dictu horrendum. Cumq́ inter omnes cuiuſcunq; ſint conditionis, ſupra modum nefarium hoc ſcelus graſſetur, nulla in eo puniendo vel coërcendo legis habetur ratio, nec eos mouet, quod in libro Curaam ſcriptum ſit, pollutos hoc crimine tam in hoc quàm in futuro ſeculo, & corpore & anima atrociſſime puniri. Scriptum etiam legitur in libro quodam Mahometano, re ipſa edoctos ipſos eſſe, quæ diuinæ pœnæ ſæuitia in impudicos homines graſſetur. Nam cum viuente Mahomete quidam adoleſcentis cuiuſdã pudicitiam impugnaret, iamq́ vim in illum repugnantem fugaq́ ſuo pudori conſulentem faceret, adoleſcens cum ſubſequẽtis à tergo inſultum euitare haud poſſet, ſtrictum pugionem in impudici hominis ilia contorſit, lethaliq́ vulnere ei inflicto ab eius iniuria ſe vindicauit. Nec mora ab interfecti fratribus adoleſcens ille in vincula cõiectus homicidijq́; reus actus eſt, & vt capitis in ipſum animaduerteretur ſupplicio flagitatum. Adoleſcens ſuam etiã in vinculis cauſam dicere iuſſus, qua iniuria ad cædem illam compulſus fuerit ediſſerit. Mahometes audita adoleſcentis purgatione ſententiam ipſe tulit, qua adoleſcentem inſontem eſſe pronunciauit, alterum verò iure cæſum eſſe, cum tali impudicitia polluti homines, & corpore & anima damnati ſint. Verum aduerſarij neutiquam eam homicidij cauſam fuiſſe adſtruentes, inſtabant legibus in homicidam vindicandum eſſe. Mahometes itaq; iuſſit, vt fratrem occiſum ſepulturæ mandarent, ſepulchrumq́ accurata cuſtodia mu-* Ducẽda vxor propter vitandas impudicitiæ occaſiones.

nirent, ſe poſtridie ex præſcripto legum, de homicida iudicium facturum. His peractis poſtridie coram Mahomete accuſatores denuo apparent, cauſam ſuam perſequuturi. Ad quos conuerſus Mahometes, qua ergo morte inquit, petitis, adoleſcentem affici? Eadem inquiunt illi, qua & noſtrum ille fratrem affecit. Iubet itaq; Mahometes, vt abeuntes quot fratri ipſorum occiſo, iamq́; ſepulto inflicta ſint vulnera explorent, & totidem vulneribus homicidam confici ſeſe curaturum. Illi verò vbi ſepulchrum aperuêre, cadauer ibi nullum offendunt, ſepulchrum verò atra fuligine defœdatum, tetroq́; fœtore immundum nō ſine ſtupore animaduertunt, Mahometiq́; quæ viderint non citra horrorem renunciant. Ille num accurate ſingulos ſepulchri angulos perſcrutati ſint interrogat. Illisq́; affirmantibus, facile, infert Mahometes, inde vobis conijcere licet, à Sathana & corpus & animam impuri hominis ſimul ablatum, omniq́; culpa immunem adoleſcentem dimittendum eſſe. Hoc exemplo Mahometem teſtatum fuiſſe aſſerunt, diuinam haud dubie irrogari pœnam omnibus ijs, qui aliqua ſe impudicitia contaminant, & quia diuinæ vindictæ nefarium illud ſcelus Mahometes commiſit, hodiernum etiam in diem nullam ei pœnam Turcæ irrogant, ad diuinum illud tribunal reijcientes.

DE PECCATO IRACVNDIAE.

Capvt xviii.

Iracundia cauſa atrocium ſcelerum.

INter reliqua enormia peccata Iracundiam etiam numerant, vt quæ atrociſſimis ſceleribus cauſam præbeat, cum præter calumnias & inimicitias erga proximum, homicidia frequenter ex ea exiſtant. Nec enim quem iracundiæ fluctus obruerunt, ſui compos eſt, ſed quaſi turbinis impetu huc illuc rapitur. Nec ſolum Dei *conditoris ſui, omniumq́; beneficiorum, quæ diuinitus in ipſum collata ſunt, ſed ſui quoq; ipſius obliuiſcitur, quiſquis irarum habenas effuderit. Sic quaſi nube obducta excæcatus, nec proximi ſui vel fratris vllam habet rationem, ſed in eius exitium omnes ſuas intendit machinas, cuius ipſe ſalutem tueri ante omnia debebat. Prorſus ita in naturam beluinam homo degenerat, omniq́; gratia* Dei, *quatenus iracundo infenſoq́; animo proximum perſequitur, excidit. Præcipiunt itaq; omnem iraſcendi occaſionem ſumma diligentia vitandam præcidendamq́; eſſe, & quo quis remotior ſit ab hoc vitio, eò iſtum* Deo *eſſe coniunctiorem. Adeoq́; in æternum periſſe eum ſtatuunt, qui vel per 7. horas iræ indulgeat, nec reconciliato proximo interea mortem obeat.*

DE PECCATO LVXVS VEL GVLAE.

Nec reliquis hoc peccatum inferius iudicant, Devmq́; *ei infenſiſſimum eſſe credunt, eò quòd primum hoc peccatum ſit, quod poſt creatum hominem ſit*

nem ſit commiſſum. Et quidem ſummo ſtudio ab hoc peccato Mahometiſtæ abſtinent. Nam cum è Paradiſo eiecti ſint primi parentes, dum gulam explent, eandem pœnam omnibus, qui crapulæ vel helluationi ſunt dediti, deſtinatam eſſe plane credunt. Legitur etiam fabula in ipſorũ libro Curaam de eremita, qui ab omni hominum cõſortio ſegregatus vitam egerit duriſſimam, ratione aſperi victus beluæ quàm homini ſimilior, orationis verò aſsiduitate à brutorum vita diſtans. Hic cum aliquando herbis radicibusq́ præter conſuetudinem ſeſe impleuiſſet, in ſoporem delatus viſus ſibi eſt cum muliere commiſceri. A ſomno, cui præter ſolitum etiam diutius indulſerat, ſole iam ad occaſum inclinante, experrectus, ſpiritum tartareum magno ſe impetu in aëre commouentem ſupra ſe conſpicit, varijsq́ oneratum ſcriptis. Quem cum adiuratum hiſce verbis alloquutus eſſet: Bremelcon vecchialer durchini iudumirſin, *quorum verborum ſenſus eſt. O fidei noſtræ hoſtis, quæ ſunt illa, quæ mihi obtendis ſcripta? Ad quæ Satanas reſpondiſſe fertur: Sunt hæc peccata, quæ in hoc circo hodie mihi colligere licuit: eremitæ dubitanti, hodie, inquit, præter ſolitum gulæ indulgens herbis temerè te impleuiſti, hinc profundior te ſomnus obruit, inde ſubſequuta eſt corporis tetra pollutio, & cum muliere fœda commixtio, præter ea orationem, cui maxime ſtudes, turpi obliuione intermiſiſti. Perge itaque gulæ indulgere, nec vnum ſolummodo, ſed plurima quotidie peccata tua annotare mihi perfacile fuerit. Hoc anili commento oſtendunt Turcæ, quanta ſit gulæ crapulæq́ fœditas.*

Gulæ vitium omnium malorũ initium.

DE PECCATO INVIDIAE ET ODII.

CAPVT XIX.

OCcultiſsimum eſt peccatum Inuidia, penitus in corde peccatoris reconditum. Ideo haud abſurde Mahometiſtæ aiunt, inuido homini nequaquam poſsibile eſſe vt ex animo lætetur, vel ex re aliqua, qualis & quantacunq́ demum illa ſit voluptate ſeu gaudio affici poſsit. Haudquaquam enim inuidia alterius fœlicitatem æquis oculis intueri ſuſtinet: cor hominis, in quo radices egerit, arrodit, mordet, prorſusq́ abſumit. Inuidum itaq́ hominem conferunt arbori, quæ externa quidem ſpecie apparet pulcherrima, nitidisq́ ornatur floribus, intrinſecus verò eſt carie arroſa & exeſa, adeoq́ putris & arida. Mahometis Prophetæ ſui verba hæc ſedulò inculcant. El becchialo laien cadulgenetti Velanchiane Zaiden. *Quæ verba innuunt neminem Mahometiſtarum Paradiſi gaudia aſſequuturum, licet in reliquis* DEO *obedientiam magna cura præſtiterit, niſi prorſus & ab hoc vitio immunis fuerit. Quocirca ne ſibi ipſis damnationem accerſant, intentiore ſtudio ab hoc ſibi vitio cauere ſtudent.*

Inuidia peccatum occultũ.

DE PECCATO ACEDIAE.

CAPVT XX.

Acediæ vitiū ex diabolico ocio profectum.

ACediam peccatum eſſe occultum & ignotum aiunt, quod ex turpi diabolicoq́ procreetur otio, hominemq́ in omnibus rebus, quæ vel rem priuatam vel publicam ſpectant, tum etiam quæ ad diuinum cultum pertinent, remiſſum negligentemq́ reddat, propriæq́ ſalutis curam homini omnem eximat, adeoq́ tum ipſius DEI, *tum creaturarum* DEI *contemptum nefarium, hominis animo inducat. Narratur hac de re in ipſorum libro Curaam fabula ſuperioribus non abſimilis, de Rege, qui Mahometis tempore vixerit. Qui cum in hoc vitio penitus ſubmerſus eſſet, adeo, vt non ſolum omnia Imperij negocia negligeret, ſed nec ijs quidem, quæ naturæ neceſſitas exigeret, ex pigritia vacaret, tandem de peccato, cui alligatum ipſum Satanas teneret, hunc ad modum fuit monitus. Manè cum affixus lecto diutius, pigritiæ turpiter indulgens hæreret, varijsq́ ineptijs animum deſidioſum paſceret, fortè Angelum ſub humana ſpecie hinc inde per faſtigia ædificiorum circumuolitare vidit, quem, cum propior ſibi factus eſſet, interrogauit, quid hi importuni eius mores ſibi velint, quod per tecta hinc inde ſubuolitaret? Ad quæ ille protinus reſpondit, ſe curam ibi agere camelorum ſuorum, ex quibus cum aliquot perdiderit, ſe requiſitum ea hinc inde per tecta circumuolitare. Cui Rex, inſanum te potius, inquit, eſſe puto, vel latronem aut furem. Quî enim in tectis cameli ambulent? Quanquã non tam inſana verba tua miror, quam quî tectum abſque ſchalis & gradibus conſcenderis. Ad quæ ſubito Angelus reſpondit, multò erit difficilius abſque alis in Paradiſum auolare, hisq́ dictis ex oculis Regis euanuit. Hiſce verbis obſtupefactus Rex, hunc ex Paradiſo fuiſſe Angelum tandem certis coniecturis colligit, & intentiore animo rem altius ſecum perpendens, abſque alis haud eſſe poſſibile in cœlum ſubuolare intellexit. Sua itaq́ damnata acedia vitæ emendationem inſtituit, nec ſolum Reipub. adminiſtrationem ſuſcepit, ſed circa diuina etiam opera ſe ſtrenuem præbuit. Quæ eius in officio ſedulitas & pietas, pigritiam tandem vicit & oppreſſit.*

SECVN-

SECVNDA PARS, DE CEREMONIIS, TEMPLIS, PERSONIS RELIGIOSIS, ET DE IVSTITIA, QVAE per religioſas perſonas adminiſtratur.

Capvt I.



Templa, quæ ſua lingua Turcæ Meſchit nuncupant, noſtratibus non omnino ſunt diſsimilia, alia alijs ampliora. Conſtantinopolitanum, quod ad S. Sophiam vocant omnibus excellit, rotundum, tecto plumbeo eoq́; fornicato coopertum, Romanorum Pantheo non abſimile, niſi quod Conſtantinopolitanũ amplitudine & altitudine præſtat, porphyreticis marmoreisq́; columnis inſigne. Ianuæ templi ære prorſus obductæ ſunt, ex quibus vnam è ligno arcæ Noæ extructam eſſe fabulantur, qua etiam de cauſa perforato ære tribus locis lignum oſculis adeuntium, & remiſsionem inde peccatorum ſibi promittentium, patere aiunt. Templum hoc à Conſtantino Magno extructum fuit. Turcæ verò omnia Chriſtianorum altaria demoliti ſunt, omnes etiam imagines, picturas & effigies prorſus è medio ſuſtulêre. Solum enim Devm *adorandum eſſe aiunt, non lapides, non ligna, non æs, nec aurum nec argentum, nec cuiuſcunq; demum generis ſint ſtatuas. Campanæ templi iſtius omnes bombardarum vſui ſunt deſtinatæ. Templum hoc præ reliquis religioſo affectu à Turcis frequentatur. Sub Baiazethe ſex & triginta millia, qui illud religionis ergo adirent numerata fuerunt. Baiazethis huius parens Mahometes, qui Conſtantinopoli expugnata ſuo ibi Imperio ſedem elegit, aliud quoq; templum ad ſimilitudinem huius extruxit, quod imaginibus omnino vacuum, aureis literis pro more Aethiopum*

Templa Turcorum Meſchit.

Templi S. Sophiæ Conſtantinopoli præſtantia.

Solus Deus, non idola colenda.

inſignitum eſt. In templis præter libros, lampadas, tapetia, ſuper quæ in genua prouoluti ſe reclinant, nihil recondunt. Diem veneris, vt Chriſtiani diem Dominicum colunt. Sacerdos eo die, vbi è loco ſublimi varijs vſus ceremonijs nonnulla de Mahometis vita è libro legit, precesq́ abſoluit, lanceam, & acinacem oſtentans populum hortatur, vt altera manu lanceam, altera gladium aduerſus Mahometanæ legis oſores ſemper in promptu habeant.

Dies Veneris ſacra Turcis.

Turci altera manu lanceã, altera gladiũ in religionis ſuæ oſores ſtringere docentur in templis.

De templis ſeu Meſchitis Turcarum hunc in modum ferè ſcribit Bartholomeus Georgeuiz, Peregrinus Hieroſolymitanus.

Templa habent ampla & ſumptuoſa, ipſorum lingua Meſchit appellata, in quibus nullas prorſus imagines vidi, præter hæc verba: La Illah illelah Mehemmet, Ireſul, Allah, Taure Bir Pegamber Hach. *Id eſt, Non eſt Deus niſi vnus, Mehemmet autem Propheta eius: Creator vnus, & Prophetæ æquales. Vel hæc:* Fila Galib illelah, *id eſt, non eſt fortis ſicut Deus. Templum totum eſt dealbatum, pauimentum ſtoreis ſtratum, deſuper tapetis ornatum, & magna in eo eſt lampadum oleo ardentium copia.*

DE HOSPITALIBVS VEL XENODOCHIIS Turcarum, quæ illi Imareth vocant.

CAPVT II.

Xenodochiorum multitudo apud Turcas.

XEnodochia, quemadmodũ & templa apud Turcos plurima ſunt, inter quæ eſt præcipuum, quod Mahometes Baiazetis parens Conſtantinopoli extruxit, ad cuius ſimilitudinem alterum deinde Baiazetes ibidem conſtruxit. Plura ſunt præter hæc Conſtantinopoli, ſed illa duo reliquis præeminent. Tectis vtrunque horum rotundis circiter quinque & viginti coopertum eſt. Singula ſunt plumbea, medium cæteris amplius, ſub quo ſacerdotes ſuam habent manſionem. Ex altera parte hoſpitalis, ordine diſpoſiti ſunt thori pro peregrinis, qui vnà cum miniſtris humaniter excipiuntur, & ſine vlla ipſorum impenſa per triduum fouentur. Ex altera deinde parte lecti ſunt diſpoſiti pro leproſis, ægrotis, & quouis morbo affectis, qui omnes magna ibi cura fouentur, nec vllis parcitur ſumptibus, & quidem quo miſerior eſt ægrotantium conditio, vt præſertim leproſorũ, eò maior erga ipſos exercetur miſericordia. Peculiares in ægrotantiũ vſum hîc fouentur medici, chirurgi, pharmacopolæ. Sacerdotibus, hoſpitalisq́ præfectis, ſuus etiã locus deſignatus eſt. In duob. hiſce magnis hoſpitalibus ſepulti ſunt Mahometes, eiusq́ filius Baiazetes. Quod illi ea de cauſa fieri curârunt, vt quotquot in hoſpitali ex peregrinis conueniant, eoq́ gaudeant beneficio, pro ipſorum animis ſumptis epulis orent.

Turcorũ ergà peregrinos & ęgrotos miſericordia.

Mahometis & Baiazetis ſepulturæ.

Sunt

Sunt deinde & quatuor alia minora, regnante Mahomete Conſtantinopoli ad ſuperiorum ſimilitudinem conſtructa. Primum à Dauide Baſſa, alterum à Mahomete Baſſa, tertium ab Hali Baſſa, quartum regnante Baiazete à Muſtapha Baſſa. Muſtapha iſte cum ſtructuram hoſpitalis ſui abſoluiſſet, pro ſolenni dedicatione Baiazetem Imperatorem eò ad regium conuiuij apparatum inuitauit. Quo tempore ipſe quoq; cum alijs iuuenibus, qui heris ſuis miniſtrarent, ſolennitati iſti interſui. Maximi horum ſunt Hoſpitalium reditus, in eum vſum deſtinati, ne quid vel peregrinis vel pauperibus aut aliqua ægritudine afflictis, rerum neceſſariarum deſit.

DE SACERDOTVM INTER TVRCAS ORdinibus.

CAPVT III.

Inter Turcicos ſacerdotes, quemadmodum inter Papicolas, ſunt Epiſcopi atque Primates, qui maximo afficiuntur honore. Primus omnium vocatur Caldeleſcher, *qui Princeps reliquorum iudicialium ſimul cauſarum iudex eſt & adminiſtrator. Proximus ab hoc* Mophti *vocatur: Tertius* Cadi, *cuius officium eſt populum docere. Hos ſequuntur præfecti Hoſpitalium, quos* Modecis *vocant. Sunt deinde* Antippi, *qui è cathedra vel gradibus templi, capita Mahometanæ religionis ex libro publice legunt, altera manu gladium nudum, altera verò acinacem oſtentantes, vt ſupra monuimus. Sunt deinde qui vocantur* Imam, *qui coram populo ceremonijs in templo conſtitutis vtuntur. Poſtremi ſunt, quos vocant* Meizin, *qui de turribus populum ad preces in templo fundendas cantu ſuo conuocant. Sunt præterea inter ipſos, qui hymnos concinunt* Sophi *dicti. Hi octo ſacerdotum gradus præcipui ſunt, & qui in precio & honore inter ipſos habentur. Sunt præter hos & mendicantes monachi, quos* Giomailer, Calender, Deruiſos, Torlachos *vocant. Sed reuera hi ſunt turba iners & paraſitica, qui pigritiæ ſtudentes nihil prius habent, quàm qui vt Epicuri de grege porci ventri ſeruiant, voluptatibusq; & libidinibus, nulla religionis habita ratione indulgeant, & Sodomitica impietate ſe contaminent. Quos licet contemptiſſimos, ſolus tamen religionis prætextus inter Mahometiſtas tuetur.*

Turcorũ Epiſcopi, eorũq; nomina & tituli diſtincti, pro ratione dignitatis cuiuſque.

Octo præcipui gradus ſacerdotũ Turcicorum.

Monachi mẽdicantes.

De tri-

DE TRIBVS PRAECIPVIS SACERDOTIBVS IVſtitiam adminiſtrantibus.

Capvt IIII.

Sacerdos Turcorũ ſummus qui?

SAcerdotum inter Turcas ſummus eſt Caldeleſcher *induſtria, eruditione, potentia, Mahometanæq́ religionis cognitione reliquis præſtans. Recte enim iudicant, abſq; doctrina & eruditione aliorum cauſas prudenter iudicare, liteſq́ decidere haudquaquam eſſe poſſibile. Aetate etiam grandem eſſe volunt, cui hoc munus committitur, ne vel ex temeritate aliqua, cui iuuenilis ætas ferè obnoxia eſt, vel ex affectu aliquo erga mulieres minus ſtrictè iuri dicundo inſiſtat, ne etiam iuuenilis ſuæ ætatis cauſa, apud ſeniores in contemptum deueniat. Plærumq; enim iuuenum temeraria eſſe iudicant conſilia, eò quòd ipſis rerum experientia, quæ ſola prudentiam affert deſit. Qui verò præter eruditionem rerumq́ peritiam ætate etiam graues ſunt, ij à quibuſuis alijs ſuſpiciuntur, & quò maior eorum eſt autoritas, eò etiam facilius legum autoritatem tueri poſſunt. Ingentes huius ſacerdotum principis ſunt reditus. Quos Turcicus Imperator ideò ei decreuit, vt præcidatur ei cauſa vel ex inopia, vel auaritia captandi munera, ne corruptus pecunia iuſtitiæ rationem minus accuratam habeat, & vnà cum ipſo iuſtitia quoq; violetur. Quod ſi quis ab eius ſententia ad alium iudicem appellando confugere auſit, eum ad alterum iudicem* Mophti *appellare licebit, poſt quem tertius eſt* Cadi, *qui ſi res ampliore cõſultatione indigens incidat, cum* Caldeleſcher *conſilium communicat. Ad tres hoſce iudices omnes cauſæ, qualeſcunque demum eæ ſunt, ſiue religionem, ſiue Rempub. concernant, ſiue ſint capitales, ſiue ciuiles, in regno Turcico deferuntur, & ab ijs cognoſcuntur & iudicantur.*

Iuuenes ſacerdotes temerarij.

Appellationes cauſarum Turcicarum.

Iudices Turcorum ſummi tres.

QVEM PROCESSVM CALDELESCHER IN CAVſis iudicialibus obſeruet.

Capvt V.

Proceſſus Iuris Turcici expeditus.

QVoties cauſa aliqua ſiue debiti, ſiue homicidij vel alterius cuiuſuis delicti ad ſummum iudicem Caldeleſcher *defertur, licet per ſe ea manifeſta ſit, vel etiam notoria, non tamen niſi audito accuſatore ſententia fertur. Vtraque parte audita, iudex præciſis omnibus ambagibus ex præſcripto legum cauſam, ſententia claris verbis lata, determinat, teſtes, ſi cauſæ ratio poſtulet, palam ſtatim audit, ſententiamq́ certa adhibita moderatione fert definitiuam. Quod ſi cauſa fuerit capitalis, reus Prætori, quem* Subaſchi *vocant, traditur, qui latæ ſententiæ iuxta legum præſcriptum eſt executor. Quod ſi furti vel rapinæ reus fuerit, ſuſpendij, ſin ho-*

ſin homicidij, capitis ſupplicio afficitur. Quod ſi legem Mahometanam violauerit flammis addicitur, ſi proditionis conuictus fuerit, palo & veru transfixus erigitur. Si crimen læſæ maieſtatis incurrerit, caudæ equinæ pedibus alligatus per vrbis plateas miſerando ſpectaculo raptatur, donec confractis comminutisq́ membris horrenda morte abſumatur. Quod ſi quis alij membrum luxarit vel læſerit, vel oculum exſculpſerit, ſimili ipſe pœna afficitur. Subaſci *iſte ſub ſua manu habet maleficos, cauſasq́ capitales omnes. Jus etiam habet animaduertendi in meretrices, quæ contra legem Mahometanam delinquunt.* Caldeleſcher *in cauſis hiſce ſententiam fert.* Subaſci *ſententiæ latæ eſt executor. Si quis à* Caldeleſcher *citatus contumax fuerit, ei* Caldeleſcher *nares amputat, & omnibus quibus gaudet priuilegijs, priuat.*

DE POENA FALSORVM TESTIVM.

Capvt VI.

SI teſtimonia falſa deprahendantur, compertumq́ fuerit, teſtes vel ex gratia falſum protuliſſe, vel muneribus conductos eſſe, vt veritas eorum teſtimonio violetur: Caldeleſcher *falſos illos teſtes protinus omni veſtitu, præter interulam, ſpoliari iubet, eumq́ inuerſa facie mulo imponi, caudamq́ freni loco manui eius inſeri, fœtentibusq́ pellibus, quæ à carnifice cadaueribus pecorum ſunt detractæ, circumdari atq́ onerari. Quem ita amictũ, affixa ei tabula, cui pœnæ huius culpa, nempe quod falſum perhibuerit teſtimonium grandioribus literis inſcripta eſt, per totam vrbem circumducunt. Quæ pœna licet atrox ſit, longe tamen eſt atrocior, quæ illos inſequitur, infamia. Circumductis ita per vrbis plateas, ſtigmata candenti ferro inuruntur, in fronte & vtraq́ manu. Quod verò ori ſtigma non inurant, cauſa eſt, quod figura inde crucis appareat, quam propter Chriſtianos abominantur. Hac pœna affecti in priſtino quidem vitæ ſuæ ſtatu perdurant, ſed infames, nec poſt hac teſtimonij dicendi vnquam ipſis ſit poteſtas.*

Pœna falſorũ teſtimoniorum.

DE POTESTATE CADI IN CAVSIS IVDIcialibus.

Capvt VII.

IVdici, quem Cadi *vocant, commiſſæ ſunt cauſæ minus arduæ, præſertim quæ ex debito oriuntur. Jn huiuſmodi cauſis decidendis teſtes requiruntur tres, mulieres verò ſi dicendo teſtimonio adhibeantur, earum nouẽ requiruntur. Tres enim mulieres vni viro conferuntur. Teſtibus auditis* Cadi, *nulla interiecta mora ſententiã dicit, qua dicta, debitorem circulo includit, quem carbone in terra pingit, eum egredi*

Cauſę Turcorũ minus graues quomodo iudicando decidantur.

P debi-

debitori prius non licet, quam vel debitum exſoluerit, vel ſufficienti dato pignore, creditorem iudicemq́ placarit. Coniugales etiam contractus per ipſum confirmantur. Ad matrimonium ſiquidem animum quicunq́ adijciunt, ij veniam ineundi coniugij ab ipſo prius impetrare coguntur. Qui nomen ſponſi, ſponſæq́, tum etiam annum, menſem, diem, initiq́ coniugij conditiones & dotem accuratè annotat. Ut ſi qua diſceptatio inter coniuges hac de re oriatur, ipſius autoritate & interuentu ſopiri poßit. Numerant coniuges pro hoc officio Iudici Cadi aureum nummum, vel eo minus aut plus, pro ſuarum quiſq́ rerum facultate.

Templa ceremoniasq́ Turcicas negligẽtium pœna.

Ipſi quoq́ commiſſa eſt poteſtas animaduertendi in eos, qui diebus ſacris in templo non conueniunt, qui ieiunij dies violant, vel vino ſe inebriant, qui in itinere ſibi obuiam inuicem facti, pro temporis perſonæq́ conditione, honoris mutui rationem nullam habent, tum etiam qui maledictis & conuicijs minus decenter ſe gerunt. His omnibus fuſtuarij pœnam irrogant, hac ſuperaddita pœna, vt pro ſingulis etiam plagis ſingulos aſpros numerent. Exploratores quoq́ per itinera emittere ipſi licitum eſt, qui in eos animaduertant, qui latrocinijs vel rapinis itinera infeſta reddunt. Quod ſi exploratores iſti in coniuges fortè incidant, qui legendi nullam habeant peritiam, ijs quoq́ ſecundum leges pœnam irrogant, & viro quò maior eius ſit infamia, barbam præcidunt.

DE POTESTATE PRAETORIS, QVEM SVBAſci vocant.

Capvt VIII.

Ebriorũ pœna carcer.

P*Rætori, quem* Subaſci *vocant, captiuorum cura commiſſa eſt. Latrones, prædones, fures, ebrios, alijsq́ maleficijs inſignes, vbicunq́ in eos incidit in vincula cõijcit. Ipſi quoq́ incumbit, vt ſua cura vrbis plateas à ſicarijs, furibus & latronibus vindicet. Centurionem ſub ſe habet* Aſſam Baſciam *dictum, qui cum magno ſatellitio ciuitatis plateas noctu & interdiu perluſtrat, curã adhibens, ne quid per ſceleratos homines flagitij committatur. Si in aliquẽ noctu oberrantem & latebras diſquirentem incidat, protinus eum comprehendunt, quem ſi furem vel latronem eſſe cõpererint, poſtridie eum abſq́ ampliore deliberatione ſuſpendij ſupplicio afficiunt. Quod ſi furtiuos eum concubitus ſectari intellexerint, eum vnà cum muliere adultera cõprahenſum, manè ad prætorem adducũt, qui conſtitutã ambobus pœnã, nulla etiã interpoſita mora irrogat. Mulierem equo vel mulo impoſitam eo modo, quo ſupra de falſis teſtibus diximus, per vrbis plateas circũducunt, cornua ceruina capiti eius affigunt. Fornicator iumentũ, aſinum, vel mulũ manu habenis apprahenſis ducit. Omni ſic ludibriorum genere eos inſectantur, cornua inflant, pomis eos putribus, quæ*

Fornicatorũ Turcicorum, & adulterorum adulterarumq́ pœna, eadem fermè, quæ falſorum teſtium.

Neran-

Nerantia *vocant, lutoq́ contumelioſe petunt. Ubi domum reducti fuerint, mulier ut maior eius ſit infamia, iumenti pretium exoluere cogitur. Fornicatori centum plagæ infliguntur, & pro ſingulis ſinguli aſpri ei ſunt numerandi. Adulterij verò hæc inter Turcas pœna eſt. Adulter in vincula coniectus, aliquot elapſis menſibus pecunia libertatem redimere cogitur. Adultera nuda ſuper aſinum ligatur, per plateas ciuitatis circumducitur, flagris lapidibusq́ petitur, pellibus, quæ pecorum cadaueribus ſunt detractæ, ei circumiectis.*

DE POENA EORVM, QVI IN PONDERIbus & mercibus fraude vtuntur.

CAPVT IX.

Miniſtros ſuos ſingulis diebus Subaſci *per ciuitatis plateas & compita diſtribuit, obſeruaturos, num fraus aliqua in contractibus vendentiſq́ mercibus aut mancipijs committatur, num etiam in cœtu & circulis tum ciuium tum aduenarum fures aut crumeniſecæ deprehendantur. Perluſtrant ijdem tabernas, cauponasq́, tum etiam obſeruant num qua fraus committatur à frumenti venditoribus, num menſura & pondera ſint iuſta. Piſtores etiam num iuſto pondere, & rectè factum panem diuẽdant, accuratè attendunt. Quod ſi crudum nec ſatis excoctum offenderint, omnem piſtori ablatũ inter pauperes & captiuos diſtribuunt. Si inciderint in quempiam, qui iniuſto precio merces aggrauet, eum ad prætorem abducunt, qui de collo eius tabulam cymbalis clangentibus ſonoram ſuſpendit, lictoresq́ eum non citra infamiam, concurrente vndique ad cymbalorum clangorem plebe, per plateas vrbis, præſertim eas, in quibus earundem mercium venditores morantur, circumducunt. Domum deinde reducto viginti plagas infligunt, & pro ſingulis ſingulos aſpros numerare iubetur. In puniendis ita externis vitijs Turcæ iuſtitiam accuratius quam Chriſtiani adminiſtrare videntur, apud quos ferè impunè licet impoſturas in mercibus & teſtimonijs committere, maledicere, conuitiari, crapulæ indulgere, mœchari, calumniari, fœnerari. Quæ ſane cauſa eſt, quod diuinitus pœnæ ita cumulentur, vt pœnam pœna, calamitatem calamitas perpetim ſequatur.*

Pœna falſorũ ponderũ mercium'q́.

DE RELIQVIS APVD TVRCAS PERSONIS RELIGIOſis Imailer, Calender, Deruiſer & Torlacher.

CAPVT X.

Religio eorum, quos Imailer *vocant, in mundanis potiſſimum verſatur voluptatibus. Corporis forma & proceritate pleriq́ excellunt,*

Religio Imailer voluptaria & Epicurea.

ſingulari varias perluſtrandi nationes, ſingularumq́ ſtudia & mores addiſcendi tenentur deſiderio, de quibus vt fœlicius verba facere ipſis in promptu ſemper ſit, quæcunq; memoratu digna vel vident vel audiunt, ea accurate annotant. Nobili genere fere omnes prognati ſunt, & diuitiarum & natalium ſplendore inſignes, nec minus literarum ſcientia præditi. Veſte amiciuntur coloris violacei, quæ nullis conſtans ſuturis collo adaptata eſt. Cingulum auro totum collucet, cui annexa ſunt cymbala argentea clangoris ſuauiſſimi. Sunt tamen qui ea non cingulo, ſed genibus affigant. Collo circumijciunt pellem Leonis vel Leopardi, vel Pantheræ, quam ea parte, qua vngues prominent humero inijciunt, vel auribus humero affigunt. Cæſariem nutriunt nitidam per humeros criſpantē, in qua curanda plus operæ quàm in alijs quibuſuis arduis negotijs inſumunt, eamq́ vt magis ſplendeſcat, reſina & pilis, ex quibus texitur tela quam vndulatā vocant, conglutinant. Librum manu plærunq; geſtant Perſica lingua conſcriptum, in quibus cantiones iocoſæ & venereæ rithmis comprehenſæ deſcriptæ ſunt. Capite incedunt nudo, calceamēta eorum è funiculis contexta ſunt. Vbi plures eorum vnà fuerint, mirus auditur cymbalorum clangentium cōcentus. Si fortè ſpecioſus ipſis occurrat adoleſcens, eum quaſi circulo cingunt, muſicoq́ concentu, oblectant, ad quem harmonia cymbalorum admiranda ſuauitate quadrat, non citra ſtuporem cōcurrentis vndiq; populi. Hoc ſuo concentu artificum potiſſimum tabernas adeunt, qui ſingulos ferè aſpros cantoribus impertiunt. Hi ſunt iſti, qui tam mulierum quam adoleſcentum pudicitiæ inſidiantur. Voluptatibus dediti per quaſuis vrbes & regiones pro ſuo lubitu hinc inde vagantur. A Turcis religioſi fratres amoris nuncupantur, verius inter Epicuri porcos, quam religionis ſectatores numerandi.

DE RELIGIONE EORVM, QVOS CALENDER VOCANT.

CAPVT XI.

Calēder Monachorum ſeuera diſciplina.

PRadictæ religioni prorſus contraria eſt eorum, quos Calender *vocant. Hi virginitatem perpetuam colunt, peculiaribus vtuntur templis, quæ* Techie *vocant, ſuper quorum valuis hæc verba ſcripta leguntur,* Caedan Ormac, dilerſin, Cuſciunge, al Chachecciar: *Id eſt: Quiſquis noſtrum ordinem ingredi voluerit, noſtræ vitæ ſit imitator, & caſtitatem & virginitatem haud vnquam violet. Lanea amiciuntur toga, in modum libri quadri, latera, lana & pilis equinis conſuta. Tiaris teguntur latis, qualibus vtuntur ſacerdotes Græci, villi palmi habentes longitudinem vndiq; ex ijs dependent. Ex pilis conſutæ ſunt equinis ea firmitate, vt haud facile flecti poſſint. Ferreos annulos auribus, collo & brachijs*

brachijs geſtant. Verenda etiam perforata annulo ferreo vel argenteo, qui trium quatuorúe ſit librarum, includunt, vt vel inuiti pudicitiam illæſam conſeruent. Hi circumeuntes rithmos quoſdam lectitant ex libris, quorum autor fuit quondam præcipuus inter aſſeclas religionis ipſorum Nerzimi, qui cute detracta interfectus eſſe perhibetur, eò quod contra legem Turcarum quædam ſcribere & profiteri auſus eſſet. Huius Nerzimi inſtituta ſancte obſeruant, eleemoſynisq́; victitant. Nonnulla cum in libris iſtis legerem, plus eum Chriſtianorum, quam Turcarum religioni fauere animaduerti. Et ſanè multa in libris complexus eſt, quæ & laudem merentur, & magno concinnata ſunt artificio, rithmis pro linguæ iſtius conſuetudine magna venuſtate & arte compoſitis.

DE RELIGIONE DERVISERORVM.

CAPVT XII.

DEruiſerorum ordo hilaritati potiſſimum ſtudet. Binis ſe integunt ouillis pellibus in ſole arefactis, quarum alteram à tergo, alteram verò à pectore ſuſpendunt, colloq́; alligant, nudi cætera. Totum radunt corpus, ne pilis ſyluéſcat. Manu nodoſam geſtant clauam, tiara vtuntur candida, quæ duorum ferme palmorũ habet longitudinem. Aures ſunt perforatæ, iiſq́; annulos inſerunt pretioſis gemmis inſignes. Cœnobia hinc inde per Turciam extructa habent, hoſpitalitatem erga quoſuis viatores exercent. Aeſtiuo tempore mẽdicando victum quærunt, domi ſuæ nullos ſumptus facientes. Eleemoſynas colligentes his verbis vtuntur: Sciai merdanes chine. *Id eſt, Eleemoſynã date propter heroem* Ali, *qui gener fuit* DEI *noſtri Mahometis, primusq́; ſemper in armis fuit inter nos Mahometanos. Alium etiã heroa colunt* Scidibattal, *cuius ſepulchrum in Natolia oſtentant, primumq́; fuiſſe aiunt, qui maximã partem regni Turcici armis ſubiugarit. Sepulchro iſti iunctũ eſt cœnobium, in quo ordinis ipſorum vltra 500. degunt. Quotannis ibi ex diuerſis nationibus, quaſi cenſuram agentes conueniunt vltra 8000. & per 7. dies continuos ea tantùm, quæ animorum recreationi ſeruiunt, exercent. Summus eorum præfectus, vel, vt vocant, Generalis,* Aſambaſſa *vocatur, quaſi dicas, Pater omnium patrum. Inter hos complures ſunt doctiſſimi iuuenes, cãdido amictu ad genua vſq́; demiſſo veſtiti, quorum ſinguli in conuentu reliquorum venuſtam hiſtoriam recitant. Hiſtorias illas in vnum librum colligunt, vnicuique nomine autoris appoſito. Librum iſtum Generali vel* Aſambaſſæ *donant. Hiſtoriæ res admirandas, quas ipſi inter peregrinandum viderunt, plærunque continent. Dies, quem noſtri Veneris vocant, ipſis ſacer eſt, eo, in viridi prato non procul à cœnobio conuiuium opiparè inſtructum agitant. In*

Deruiſerorũ ſacerdotum ordo hilaris.

medio Aſambaſſa accumbit, proxime ei aßident, qui ex iuuenibus ſunt doctißimi, candida omnes veſte amicti. Vbi pranſi fuerint, in genua ſe erigit Aſambaſſa, & cum eo reliqui omnes, DEVMq́ ſuo more inuocant. Finita precatione clara voce clamant ſimul omnes: Alla Cabul ellege. *Id eſt, Placeat tibi ô* DEVS *noſtra precatio. Accedunt deinde adoleſcentes* Cuccegles *dicti, qui puluerem herbæ contritæ in pelui circumgeſtant, cuius ea vis eſt, vt hilaritatem, qualis eorum qui generoſo vino ſe inebriarunt, conciliet. Herbam illam ſua lingua* Aſſerai *vocant. E pelui, ordine tribus quiſque digitis partem ſibi ſumit, quam deinde omnes ſimul ori ingerunt. Hoc ſumpto pharmaco hiſtorias è libro Aſambaſſæ donato legunt. Deinde in alium locum tranſeunt, vbi ignis prægrandis inſtructus eſt, comportato eò lignorum ſtrue, quantam centum vel plura iumenta poßint conuehere. Circum ignem hunc connexis manibus choream ducunt, hymnosq́ ſuo ordini conuenientes concinunt. Finita chorea acuminato quiſq cultello vel brachijs, vel cruribus, vel etiam pectori, raſa & perforata cute picturas inſignes vel frõdentium ramorum, vel floſculorum, vel cordis imprimunt, non ſecus ac ſi torno lignum cælarent, & ſimul hæc verba proferunt. Cutem incido in gratiam mulieris, quam amo. Ad ignem deinde aßidentes tepente cinere vulnus ſiccant, & Xylinon lotio proprio madefactum ſuperimponunt, quod vt primum aruerit, vulnus curatum eſt. Poſtremus huius eorum feſti dies vbi illuxerit, ab Anambaſſa venia accepta, turmatim vexillis erectis tympana pulſantes inde diſcedunt, ſuum quiſq repetentes cœnobium. Eleemoſynas per totum iter, quocunq aduenerint colligunt. Conſtantinopoli haud in magno ſunt pretio, parum etiam gratus eorum aduentus eſt. Fama ſiquidem eſt, quendam ex iſtorum ordine, Imperatorem Turcicum ſica ſub veſte recondita olim interficere voluiſſe. Veruntamen vbi eò aduenerint, eleemoſynæ ipſis non denegantur, eò quod ipſi erga peregrinantes ſint benefici, hoſpitioq́ acceptos magna humanitate & liberalitate proſequantur.*

DE RELIGIONE TORLACHORVM.

CAPVT XIII.

Torlachi ſordidi, & fratres ignorantiæ, fermeq́ Zigeuneri.

TOrlachi eodem quo & Deruiſi vtuntur habitu, ouillis pellibus amicti, reliqua corporis parte nudi, niſi quod tiaris illorum more non vtantur, ſed capite raſo nudoq́ incedant, tam per æſtatem quam per hyemem, oleo caput aduerſus vim frigoris inungunt, tempora panno reiectitio adurunt aduerſus fluxiones capitis. Vitam agunt prorſus belluinam, vilißimis apud nos mendicis perſimiles, literarum rudes, nullius etiam aliarum artium vſum callent, omnis virtutis & negotiationis expertes in diem viuunt, victumq́ mendicando quæritant. Oppida & vicos

perua-

peruagantur, tabernas, popinas, thermas aſsidue perluſtrant, vbiq; locorum occaſionem captantes, qui ex aliorum impenſis ventrem expleant. Frequenter etiam per agros, nemora & ſolitudines turmatim vagantur, nec ſatis tutum ijs nudis, omniumq; rerum egenis, pecunijs & veſtibus inſtructum occurrere. Si fortè, dum oppida, vicos, pagosq; peruagantur, in mulieres ſimplices incidunt, ſe chiromantas et fatidicos profitentur, dumq; ex manuum inſpectione futura ſe prædicare pollicentur, interim crumenas ſcrutantes pecunijs earum inſidiantur, pro more eorum, quos recentes Græci Attinganos, nos Zigeunos nominamus. Hac arte vel impoſtura à mulierculis panem, oua, caſeum aliaq; ſibi neceſſaria impetrant, ſeq; ad noua ſcelera confirmant. Nec rarò virum ætate prægrandem ſecum circumducunt, quem velut angelica præditum ſanctimonia, cœlitusq; delapſum venerantur, adeoq; adorant. Huius ficta ſanctimonia ad fraudes impoſturasq; ſuas vtuntur. Nam ſi forte in pagum conuenerint, ſenem hunc ante fores ruſtici, quem reliquis opulentiorē iudicant, reclinant, magnaq; animi humilitate & deuotione circumſtantes, eius geſtus & verba admirabundi obſeruant. Veterator ſanctimoniam ſingularem vultus auſteritate & triſtitia ſimulat, verborum parcus eſt, & ſi qua profert, ea obſcura & inuoluta ſunt, nihilq; præter diuina myſteria iactitant. Interdū oculis manibusq; cœlum verſus ſublatis, ſe ſpiritu extra ſe raptū eſſe callide fingit, verba profatur grandia, & quidem obſcura, ſed tamen prioribus apertiora. Conuerſus deinde ad circumſtātes, quos diſcipulos ſuos agnoſcit, O filij mei, inquit, propere hinc me amolimini. Modo enim cum ſublatis in cœlū oculis ſuſpicerem, ex diuina reuelatione cognoui, ingens huic pago imminere malum, & crudele in incolas manere exitium. Quod vbi diſcipuli ex eo cognouêre, ad omnem edocti malitiā, callidè eum obteſtantur, vt ſuis precibus à Deo impetrare dignetur, vt auerſo imminēte malo miſerādæ turbæ miſereri velit. Nec erga hanc diſcipulorum petitionē præſtigiator ſe difficilem præbet, ſed Deū enixè pro ſimulata animi ſui deuotione inuocare incipit. Hac fraude inducti ſimplices incolæ, prōpta mēte eleemoſynas nefarijs hiſce præſtigiatoribus elargiuntur, eoſq; donis ornatos à ſe dimittunt. Qui digreſſi, turbæ ſimplicis illuſæ bonis exultāti animo fruuntur. Manducant ijdē herbam illam, quā & Deruiſi vt pharmacon hilaritatis cōuiuijs adhibent. Humi pecorū ritu cubant, omnemq; inter ſe turpitudinem abſq; vlla diſcretione patrant.

Scribit Marinus Barletius Scodrenſis, in rebus geſtis Scanderbeij, vnum ex quatuor hiſce monachorū ordinibus à Baiazete Solimanni auo funditus extirpatum eſſe, ea de cauſa, quod ſub prætextu ſanctimoniæ & religionis, mendicantium ritu omnes fermè nationes peruagarentur, & paſſim occupatis per nemora & ſolitudines itineribus, peregrinantes, mercatoresq; ſpoliare ſtudio ſibi haberēt, aliumq; ei ordinem, quem Hoze vocant ſurrogatum. Qui nouus ordo, cum ijs quos inter Chriſtianos, conuentuales nominant, conuenire videtur. Quanquam autem Barletius iſte expreſsè ſcribit, Deruiſorum ordinem extinctum eſſe, attamen cum illi erga viatores & peregrinantes magna humanitate hoſpitalitatem exercuerint, contra Torlachi iſti rapinis & impoſturis potiſſimùm ſtuduerint, vero magis conſentaneum

neum

neum eſt, hunc impoſterum, quos Torlachos vocant, ordinem extinctum eſſe. Miror autem Genuenſem de hac ordinis monachorum exterminatione, cum in aula Baiazetis, & hinc apud Selimum Solimanni patrem moratus fuerit, nullam mentionem facere, cum in ordinum horum deſcriptione accurata vſus fuerit diligentia.

DE PEREGRINATIONIBVS TVRCARVM Mecham verſus.

Capvt XIIII.

Peregrinatio Mecham, neceſſaria ad ſalutem.

DOcetur in libris Turcarum, atq; Aethiopum, eum, qui peregrinatione ſuſcepta Mecham ſemel adierit, æternæ beatitudinis certum eſſe, nec vnquam vel purgatorio igni, vel alijs pœnis infernalibus afficiendum. Qua de cauſa quibus vlla datur commoditas, hac peregrinatione nequaquam ſuperſedent. Et qui ex Græcia eò iter ſuſcipiunt, ſex menſibus ante ſolenne illud Paſcha, quod à peregrinis celebratur, iter, propter eius longinquitatem ingrediuntur, vt ex diuerſis nationibus congregati ſimul omnes circa Mecham conueniant. Peregrinationem hanc ſuſcepturi omnes prius ſimultates atq; inimicitias & odia ex animo abijciunt, nec niſi reconciliatis inimicis ad iter ſe accingunt. Quod ſi offenſa aliqua in animis ipſorum remaneat, vel aduerſarius reconciliationi haud acquieſcat, omnem ſuſcepti itineris laborem incaſſum cadere autumant. Cateruatim ſimul procedunt, quod ſi inter eos ſint pauperiores, qui ſuis ſumptibus iter exequi nequeant, omnes ſimul, alter in alterius gratiam, oſtiatim victum quærunt, adeoq; diuites hac in re Deo *ſe cultum præſtare credunt. Cairum (quam Memphim vocant) vbi conuenerint, magnam ibi Aethiopum ad iter ſe accingentium copiam reperiunt. Quibus ſe coniungunt & religionis ergo ſuſceptum iter magno agmine conficiunt. Soldanus Alcairi trium dierum itinere per hoſpitalia ſua eos excipit, rerumq; neceſſariarum apparatu fouet & reficit. Deinde ſummũ ducem, quem Amiralium à maris præfectura vulgo nominant, addito ingenti Mamalucorum numero, eis præſidij loco adiungit, vt Mecham vſq; eos comitetur, & aduerſus latrunculorum Aethiopum hinc inde in cauernis vel ſubterraneis meatibus latitantium (raræ enim ibi ſunt ſyluæ & arbuſta, ſub quibus ſe occultent) inſidias tueantur. Regio iſta arenoſi inſtar eſt æquoris. Ingentes ſæpe arenarum cumulos montium inſtar venti impetus attollit, aliosq; congeſtos disijcit, vnde permagna peregrinantibus difficultas, non citra vitæ periculum perſæpe oritur. Huc aquarum accedunt defectus, cui Sultanus ſua induſtria & liberalitate ſuccurrit. Nam præter ingentem baiulorum cœtum aquam peregrinantibus ſubminiſtrantium, quibus ex Sultani theſauris decem aureorum millia pro labore iſto quotannis ſuppeditantur, complures cameli ex Sultani mandato peregrinantibus adducuntur, vt ijs vecti expeditius & mi-*

& minore potus impenſa iter abſoluant. Nec enim aliud iumentum eſt, ſitis æquè patiens atq; camelus, qui in quartum vel quintũ diem cibi potusq; expers, labori tamẽ itineris minime ſuccumbit; tum etiam cruribus ea firmitate inſiſtit, vt circa vernale tempus intra quadraginta dierũ ſpatium rarò vel ſemel humi procumbat. Modinum vſque vbi peruenerint, diſtat vrbs ea tridui itinere à Mecha, ante mœnia in campi planicie ſibi thoros extruunt, vel humi recubant, ingentiq; à ciuibus copia eò quæ eſui ſunt conuehuntur. Videres ibi præter mercatorũ turbam, Perſas, Indos, omniumq; nationum, quæ Mahometis ſuperſtitioni addictæ ſunt, incolas. Manè ordine omnes recenſentur. Nefas enim iudicant, pauciores quàm ſexaginta virorum millia feſtiuitati iſti paſchali intereſſe. Numerata multitudine, omnes in montem proximũ, quem Arafetagi *nominant, ſimul conſcendunt, ſepoſitisq; veſtibus nudi in præterfluentem amnem collotenus ſe demergunt, precationes interim aliquot ſuperſtitioſas murmurantes. Quem ritum ex vana perſuaſione introductum eſſe dicunt, qua credunt, Adamum eodem loco ter aquis ad eundem modum immerſum aſtitiſſe, peccatumq; ſuum deploraſſe, eiusq; veniam à* D E O *conſequutum eſſe. Reſumptis deinde veſtibus, manè omnes Mecham vſq; progrediuntur, & cum turbæ iſtius minime locus capax ſit, pars ante templum moratur, egreſſisq; prioribus alij ſemper ordine ſuccedunt.*

DE CEREMONIIS PEREGRINANTIVM CVM MAhometis ſepulchrum inuiſunt.

Capvt xv.

Vetus ſolennisq; peregrinantium eſt conſuetudo, vt ſepulchro Mahometis, quod Modini oſtentatur, librũ Curaam, quem ſua manu ſcripſiſſe fertur Mahometes, imponant. Hora ſacrorum peragendorum inſtante, ſacerdotes quos Meizin *nominant, è turribus ſublata voce hymnos ſolitos cõcinentes, ad ſacras ceremonias populũ conuocant. In templo cũ per tres horas continuas precationi indulſerunt, inde quanto poſſunt impetu curſim in proximi montis faſtigium tendunt, ea feſtinatione, vt per totũ corpus ſudor diffundatur. Nam vnà cum ſudore omnes peccati labes defluere perſuaſum habent. E templo, tali cum impetu ijs erumpentibus, alij rurſus prioribus illis ſuccedentes denſo agmine irrumpunt, mox Mahometis ſepulchrũ oſculantur, ſingulíq; duos arreptos lapides in rotundũ templi angulum proijciunt, in memoriã Sathanæ inde reiecti. Aiunt enim Abrahamo, cum templum Mahometanũ conderet, Sathanam eo loco apparuiſſe, vt à cœpto eum deterreret, ſed ab Abrahamo tribus eum petente lapidibus fortiter reiectũ, & in fugam actum. His ita peractis in monte proximo victimas mactant. Sunt autem ipſorum victimæ pingues arietes, quos ma-*

Ceremoniæ peregrinantium Mechā.

Q *ctatos*

ctatos pelli, quam eis detraxêre inuoluunt, & vnicuiq; inde pro ſuo lubitu partē ſibi auferre liberum faciunt. Quod ſi ſeruus, quocunq; demū modo ſiue pretio, ſiue hæreditate ſeruitutis iugo aſtrictus ſit, templū ſubeat, is protinus templum intrando liber factus eſt, nec vlla ratione libertatē eius impedire poteſt herus. Quod ſi mulier templū ingredi in hac feſtiuitate exoptet, neceſſe eſt, vt manu eam ducat maritus. Quod ſi vidua fuerit, mariti vices in hoc officio ſubit quiuis alius. Sin virgo, à iuuene eam duci cōſuetudine & lege receptum eſt. Ingens eo die inter omnes quotquot adfuerint tripudium auditur. Nam & cantando & ſaltando effuſam animi lætitiam teſtantur, ex gratia diuina eo die à purgatorij ignis pœna ſe liberatos eſſe ſubinde clamantes. Credunt ijs, qui nouis denuo peccatis ſe cōtaminant, aliud in inferno purgatorium à Deo *præparatum eſſe, quod frigore horrendum priore longe ſit peius, ex quo in æternum nulla ſit liberatio. His itaq; apud Modinum peractis domum reuerſi, Mecham verſus iter arripiunt, varijsq; ibi vtentes ceremonijs, ardentibus apud* Devm *precibus inſtant, vt quemadmodum Abrahamum, cum templum illud ædificaret, exaudiuerit, ſic etiam ipſos modò exaudire dignetur. Inde pergunt Hieroſolymam, quem locum ipſi* Cuzumo barech *vocant, vbi nouis item precationibus* Devm *inuocantes ſepulchrum* Christi *inuiſunt. Nec enim* Deo *grata eſſet eorum peregrinatio, niſi & terram benedictam inuiſerent.*

CEREMONIAE PEREGRINANTIVM, QVANDO Mecha & Hieroſolymis diſcedunt.

Capvt XVI.

Ceremoniæ redeuntium peregrinatorum.

Conſummatis omnibus, quæ ad feſti ceremonias pertinent, quiſque eo ordine quo aduenêre, vnà cum iumentis, curribus, camelis, diſcedunt. Primi ſunt in diſceſſu Indiani, poſt hos Perſæ, quos deinde aliæ ſequuntur nationes. Poſtridie adeſt præfectus regni, magnum Mamalucorum habens comitatum, is librum Curaā, quem Modini Mahometis ſepulchro impoſuêre, camelo ſplēdide ornato, tapetijsq; affabre textis amicto imponit. Camelum Mamaluci præcedunt, ingens turba hominū ſequitur. Cum vnius diei itinere abſunt Cairo, Soldanus quotquot ſecum habet Mamalucos vnaq; omnes ciues eis obuiā procedere iubet. Qui vſq; ad Soldani palatium camelum comitantur. Soldanus egreſſus palatio humaniter ſalutatos excipit, propiusq; ad eum deductus camelus in genua ſic edoctus, ſe prouoluit, interim peregrinantes pſalmos hymnosq; concinunt. Accedit deinde ſacerdos Imā *dictus, pretioſis fragrantibusq; indutus veſtibus, qui cum ſingulari deuotione, ſanctitate, & ſolēnitate librū à camelo aufert, eum oſculatur, oſculandumq; Soldano præbet, ſublimeq; populo conſpiciendum exhibet. Qui vt primum librum iſtum conſpexêre, facto impetu ſuis gladijs, lanceis,*

cultris

cultris camelum petunt, eum in minutiſſimas partes diſſecant, & vt magni pretij reliquias quiſq; ſibi particulam inde aufert, & momento ferè citius nihil de camelo, eiusq; ornatu reliquum eſt. His donati reliquijs, quas ſanctiſſimas eſſe iudicant, ſe fœlices ducunt, rectaq; in ſuam quiſq; patriam inde recedunt.

TEMPLVM MECHAE AB ABRAHAMO QVOmodo extructum ſit, Turcarum fabulæ.

Capvt xvii.

IN libris Mahometiſtarum ſcriptum legitur, à Deo mandatum fuiſſe Abrahamo, vt templum pro peccatorum totius mundi remiſſione extrueret, vt quicunq; eò delati peccata ſua deplorarent, eaq; donari ſibi peterent, voti ſui compotes redderentur. Quo mandato accepto, fundamentum iſtius templi actutum iecisse Abrahamum aiunt. Legunt præterea montes vltro lapides, & alia ad ſtructuram neceſſaria comportaſſe, nec Abrahamo quicquam vel laboris vel moleſtiæ incubuiſſe, niſi vt manu admota templi ſitum deliniret. Et quoties duorum fermè cubitorum altitudinem murus exurrexiſſet, toties vltro eum in terram demerſum eſſe, vt extremi lapides vix apparerent. Aiunt præterea Satanam Abrahamo apparuiſſe, vt à cœpto opere eum deterreret, Abrahamum verò ingentis animi, tribus eum lapidibus petitum in fugam egiſſe. Cumq; tandem murus è terra non vltra viri proceritatem emineret, Devm Abrahamo præcepiſſe, vt tectum ei imponeret. Qua in re cum dicto audiens eſſet Abrahamus, murum paulatim è terra rurſus miraculoſe emerſiſſe, & plantæ inſtar creſcentis quotidie incrementum feciſſe. Abſoluto ſic opere Abrahamum ingreſſum, ob eius miram elegantiam ſupra modum ſtupuiſſe, & à Deo petijſſe, vt quiſquis in templo iſto, ſiue vir ſiue fœmina eſſet, ad Devm preces funderet, exaudiretur, & à pœnis tartareis, ignisq; purgatorij ſupplicio protinus liberaretur. Nec preces illas Abrahami irritas fuiſſe. Egreſſo deinde Mecha Abrahamo præcepiſſe Devm porrò fabulantur, vt in proximum montem aſcenderet, lapidemq; ibi iacentem marmoreum, ex vna parte nigrum, ex altera candidum, portæ templi applicaret. Quem cum Abrahamus auferre conaretur, vltro eum inſecutum eſſe, portæq; eo loco, vbi hodiernum in diem oſtenditur, applicatum. Peregrinantes ſi eò deuenerint, lapidem iſtum religioſe exoſculantur, perſuaſum habentes, ſe à lapide iſto, in extremo die in paradiſum deductum iri. Sunt qui credant, Angelum eſſe lapidem iſtum, cui diuinitus cuſtodia Adami & Euæ in Paradiſo commiſſa fuerit, cui officio cum minus accuratè incubuerit, hanc ei pœnam irrogatam eſſe, vt in lapidem induratus ad extremum vſq; iudi-

Mechæ templum ab Abrahamo extructũ creditur.

cium negligentiæ iſtius cauſa ibi hæreat. Huius ſimiles fabulæ inaniſſimæ complures, in libris ipſorum reperiuntur.

Similia refert Bartholomeus Georgieuiz peregrinus Hieroſolymitanus.

Neſcio, inquit, miracula ne, vel miraculoſas nugas potius dicam, quæ ſunt ſcripta in eorum libro Mahemmedini dicto. Aiunt enim cum Mecha extrueretur, DEVM per Mahometi preces montibus iuſſiſſe, vt lapides ad ædificandam Mecham quiſq; afferret. Cumque quiſque montium decimam lapidum attuliſſet, & ex his Mecha extructa & completa fuiſſet, quendam montium Araphat dagh dictum, cæteris tardiorem ex remotioribus terris adueniſſe, cumq; ſuis lapidibus opus non eſſe cognoſceret, amarè fleuiſſe. Quem Mahomet flentem cum vidiſſet bono animo eſſe iuſſit, & vt in loco commonſtrato decimam lapidum deponeret præcepit, addens iſtius peregrinationē inutilem fore, quiſquis ſuper lapidem iſtum orare neglexerit. Percuſſit deinde Mahomet lapidem pede, & eduxit ex illo aquā ad potandum inutilem, quam nominauit Abzemzem ſui, id eſt, purificationis aquam, quam vt rem ſacram in vaſculo peregrini domum deferre ſolent, & ſi quis eorum moriatur, veſtimenta, quibus cadauer inuolutum eſt ea aqua aſpergunt, ſcelerum inde omnium remiſſionem ſeſe conſequi perſuaſum habentes.

DE MAHOMETIS SEPVLCHRO.

CAPVT XVIII.

Mahometis ſepulchrum.

CVm mortuus eſſet Mahometes, cadauer eius Modinum deportârunt Sculperi vel diſcipuli, ibiq; vt ipſemet mandauerat, in medio templo ſepulchrum ipſi effoſſum eſt. Corpus ligneæ arcæ incluſum, & deinde marmore tectum fuit, altitudine ferè ea, quæ eſt viri. Duæ è ſepulchro eminent tabulæ, altera ſublimior capiti affixa, altera humilior pedibus applicata. Sepulchrum fornice vel cœlo tectum eſt, tela quam Vndulatam *vocant, viridi ei impoſita. Hoc ſepulchrum illud eſt, quod Turcæ & Aethiopes magna religione & frequentia petunt, remiſſionem peccatorum ſibi pollicentes, ſi illud exoſculati fuerint. Marmori inſcripta ſunt hæc verba:* HOC SEPVLCHRVM EST MAHOMETIS. *Armenij aliquando actis ſub terra per octo ferè ſtadia cuniculis, cadauer Mahometis furari animū induxerant. Verùm miraculoſe detectis eorum inſidijs, proditi, pœnas ſceleris capite expenderunt. Ferreis deinde cratibus vndiq; incluſum ſepulchrum munierunt, ne prophetæ corpus furto vel inſidijs, vel etiam fraude aliqua ipſis eriperetur. Eum præterea teſtamento ſuo vaticinatum eſſe perhibent, vltra mille annos cadauer ibi haud relictum iri, & finem tum fore ſuæ religionis & imperij.*

DE SEPVLTVRA TVRCORVM.

CAPVT XIX.

Morientium Turcorum cura.

TVrca ſi animum egerit, cognati & amici eum inuiſunt, eum conſolantur, monentq; vt peccata ſua dolente animo deploret, hinc qui ſunt ex amicis proximi vel ſacerdotes hymnos aliquot vel Pſalmos

Pſalmos recitant, quod ſi diutius mortis dolores vrgeant, librum afferunt Curaam, ex quo ſepties legunt precationem, quam ſua lingua vocant Thebaraechelezi, *perſuaſum habentes, antequam tertia vice precatio illa abſoluatur, fore vt ſpiritũ reddat. Quod ſi tum vitæ adhuc indicium aliquod ſupereſſe animaduerterint, alium recitant Pſalmum, quem vocant,* Iaſinnel curauil hecin, *ne quid animæ eius damni Sathanas inferat. Mortuus vbi fuerit, cadauer in medio atrio ſubſtratis tapetijs in dextrũ latus reclinant, facie ad meridiem conuerſa. Sacerdotes deinde accedentes chorda, cui globuli ex ligno Aloës ſunt inſerti, cadauer cingunt, & ad circumſtantes facie verſa inquiunt,* Subahanalla, *id eſt, Deus miſereatur eius. Sacerdotum vltra viginti conueniunt, & vnà omnes verba illa proferunt, & vel quarta vel quinta vice cadauer inuertunt. In hortum deinde cadauer aſportant ſacerdotes, veſtibus exutum omnibus, aqua calida & ſeuo abluunt, verenda integunt tela è Xylino texta. Ablutum cadauer duobus linteis funeralibus itidem è Xylino textis abſtergunt & exſiccant. Siccatum cadauer aqua roſacea addito thymiamate aſpergunt, veſtibusq́ue, quas habuit, precioſiſſimis induunt, capiti quoq́ue virgam adaptant, cui pileum floribus exornatum imponunt. Sic exornatum cadauer quidam ex ſacerdotibus in templum deferunt, viri ſequuntur funus, mulieres domi interim luctui indulgent, & pro ſacerdotibus conuiuium inſtituunt. Funus ante templi fores relinquitur, vbi munus ſuum complerint ſacerdotes, in cœmeterium extra vrbis mœnia vnà tendunt, vbi quiſq́ue pro ſuarum rerum conditione ſepulchrum vel latericium vel marmoreum ſibi extruxit. Recondito ibi in ſepulchrum cadauere, quod aſſeribus, iniecta in faciem terra, integunt, in defuncti ædes reuertuntur, vbi conuiuio lautè apparato ſacerdotes, dictis prius pro defuncti anima precibus ſeſe exhilarant, & ſinguli quinos à defuncti amicis aſpros accipiunt. Ex vana etiam ſuperſtitione perſuaſum ſibi habent Turcæ, vbi per quartam horæ partem in ſepulchro cadauer quieuerit, nouum ei diuinitus immitti ſpiritum, duosq́ue accedere angelos, quorum alterum* Nechir, *alterũ verò* Remonchir *nominant, qui manu ardentes faces vibrãtes, formaq́ue terribiles mortuũ de vita exacta examinent. Quod ſi vitam eius ſceleribus contaminatam eſſe intellexerint, flagris eum ignitis cædant, ſin vitam eius inculpatã depræhenderint, ſpecioſi forma angeli eum exornent, verbisq́ue placidis cõſolentur, eum, inquientes, vnà cum bonis ſuis operibus ad extremi vſq́ue iudicij diem ibi quieturum.*

Cadauerum Turcicorum cura.

Sepultura Turcica.

Conuiuia in defunctorum ædibus celebrantur.

TVRCARVM DE EXTREMO IVDICIO OPINIO.

CAPVT XX.

CRedunt Mahometiſtæ, Angelum, cui nomen ſit Iſraphil *D*EO *aſtare, qui manu buccinam teneat, eam ad nutum mandatumq́ue* *D*EI *inſla-*

Extremũ iudicium fore credunt Turci.

inflare paratus. Ad buccinæ iſtius ſonitum omnes in terris vitalem ducentes ſpiritum, protinus credunt in momento temporis proſtratos mortem oppetituros, omnes etiam angelos ſimul morte extinctum iri. Quam ſuam opinionem ex verbis Curaam confirmant. Culumen alleiafan, ve, ieb, tab, vegei roebic tul gela li velle Icheram, &c. *Quorum verborum ſenſus eſt. Deus ore ſuo loquutus eſt, hominem mortalem eſſe, omnesq́ creaturas tandē vel ſenio vel alio quouis caſu finem ſortituras. Ex quibus verbis morti etiam angelos obnoxios eſſe Turcæ aſtruunt, cui licet adducti rationibus haud abſurdis nonnulli ſe opponere auſint, in medium tamen verbis iſtis adductis ora eis obſtruuntur. Nec enim citra vitæ periculum verba ex libro Curaam prolata, quiſquam audet in dubium vocare. Diſputanti de lege Mahometis, vel de aliquo eius articulo ambigenti vel linguam è faucibus euellerent, vel flammis eum addicerent. Tanto etiam impetu ad angelicæ buccinæ clangorem terram collapſuram credunt, vt mōtes & ſcopuli inde rupti in arenarum cumulos conterantur, nouam deinde lucem* DEVM *procreaturum, ex qua angelos, iuxta priorem ipſorum dignitatem conditurus ſit. Placidam inde ſubſequuturam pluuiam, Rehemet ſui, hoc eſt, pluuiam miſericordiæ dictam, quæ terram irrigatura ſit: quadraginta deinde elapſis diebus angelum* Iſraphil, *buccinam denuo inflaturum, ad cuius ſonitum omnes defunctorum animas reuicturas.*

Angelos etiā morituros credunt Turci.

DE RESVRRECTIONE MORTVORVM SEcundum Mahometiſtarum ſuperſtitionem.

CAPVT XXI.

Omnes homines reſurgent: & quomodo?

ISraphil, *vbi ex diuino mandato buccinam denuo inflarit, ſonitum eius per totum mundum auditum iri aiunt, tumq́ omnes in vniuerſum homines ab Abelo vſq́ ad nouiſſimum eo habitu, quo ſepulti ſint reſurrecturos, magnamq́ ibi facierum diuerſitatem apparituram. Nam quidam inquiunt claritate ſolis, alij lunæ, nonnulli ſtellarum ſplendore erunt cōſpicui. Rurſus erunt qui facie nigricante, vel capite porcino, craſſaq́ lingua deformes ſint futuri. Omnes tamen ſublata voce clamabunt.* Neſſi, Neſſi, *hoc eſt, Væ mihi miſero, qui paſſus ſum à fœda mea libidine me ſuperari. Angeli digitis vnumquenq́ oſtendent, eiusq́ vel bona opera, vel ſceleſta facta reuelabunt. Ji quorum facies cœleſtium inſtar luminum ſplendebunt, virtute honeſtisq́ factis coram* DEO *ſunt conſpicui. Porcinis capitibus deformes erunt, quotquot in hac vita iniuſtis vſuris ſtuduerunt. Craſſis linguis erunt defœdati, impoſtores, mendaces, blaſphemi. Qui faſtu in hac vita fuêre turgidi, eos tum reliqui pedibus conculcabunt. Addunt prætera, quòd Deus ipſe magnates huius mundi, Reges,*

Impe-

Imperatores, Principes, Tyrannos ſit alloquuturus, eosq́ in 70. cœtus diſtributos examinaturus de ſingulis ipſorum factis, nec alienis ibi teſtimonijs opus fore, cum vniuſcuiuſq́ membra vltro, quid mali per ipſa perpetratum ſit, ſint teſtatura, & ſuas quiſq́ cogitationes ſceleratas, licet in effectum perductæ haud fuerint, accuſaturus. Michaëlem verò Archangelum manu ſua bilancem diuinæ iuſtitiæ protenſurum, qua animas ſit pōderaturus, iuſtosq́ ab iniuſtis diſcreturus. Fabulantur etiam Moſen ibi erecto vexillo aſtiturum, & ad eum, quotquot legem eius ſeruauerint cōuenturos. Ei proximum fore IESVM CHRISTVM *virginis Mariæ filium, ſub cuius vexillo eius doctrinā amplexi congregentur. E regione Mahometē ſuo etiam vexillo fore conſpicuum, ſub quo Mahometanæ religionis aſſeclæ confluant. Sic omnes qui bonis ſtuduêre operibus, ſub ſuo quenq́ vexillo cōparituros, vexillumq́ placida eos vmbra complexurum. Qui ſub tribus hiſce vexillis haud obumbrabuntur, eos ardētibus ſolis radijs, quenq́ pro malitiæ ſuæ modo, donec conſeſſus iudicij fuerit conſummatus, preſſum iri.*

DE ANIMARVM IN PARADISO FOELICITATE.

CAPVT XXII.

VBi animæ diuina audita ſententia in turmas quaſi diſtributæ fuerint, angelos aiunt ſplendido habitu conſpicuos hincinde, vbi vnicuiq́ locus aſſignatus fuerit apparituros, hinc Cherubin, inde Seraphin, quorum nonnulli inſtrumentis muſicis ſint luſuri, quidam verò hymnos pſalmosq́ cantaturi. Alios ad portas cœleſtis Paradiſi beatorum animas cum gaudio & tripudio excepturos. Nec vllum inter Turcas & Chriſtianos fore diſcrimē, nec inter Aethiopas & Iudæos, ſed eandem eorum, qui coram DEO *bona præſtitiſſent opera, fore & formam & fœlicitatem: diſcretionē verò inter peccatores exactam. Diſcretas etiam in cœlo, easq́ ampliſſimas, omniq́ ornatu ſplendidas fingunt māſiones, in quibus beati homines degant, qui etiam ſolaribus inſidentes radijs, Paradiſi delitias ſint colluſtraturi: ad hæc ventris venereasq́ voluptates in Paradiſo ſomniant. Poma cœleſtis ſaporis in Paradiſo ſibi pollicentur, tum etiam aquas Chriſtallinas, ex quarum guſtu eum oculorum ſplendorē percepturi ſint, vt eorum radij à polo ad polum extendantur, tenuiq́ ſudore, & cibum & potum in corpore conſumptum iri putant. Vxores aiunt fore ſelectiſſimas, quæ ſubinde in virgines mutētur, nec vllum ſenium obrepturum, mares quidem vbi 30. annum, fœminas verò vbi 15. vel 20. compleuerint, in eodem ætatis flore perduraturos. Hæc ſibi Paradiſi gaudia Mahometiſtæ ſomniant, in quibus in æternum hymnis pſalmisq́* DEVM *ſint laudaturi, & præcipuos in beatorum cœtu fore putant tres illos, quos diximus vexilliferos, quorum ex diuino præſcripto peculiarem quiſq́ Paradiſi partem ſit occupaturus.*

Quicunq́ bona præſtiterunt, & Chriſtiani & Turcæ, ſecundum Mahometem ſaluantur.

Opiniones Turcicæ de vxoribus in Paradiſo.

DE

DE ANIMARVM DAMNATARVM POENIS.

Capvt xxiii.

Animarũ impiarũ ſupplicia mahomethica.

Q Votquot ex diuina iuſtitia, vt ait Curaam, propter ſcelera commiſſa damnantur, ij ipſis etiam nominibus, quæ ſingulorum frontibus inſcripta ſunt diſcernuntur. Peccatorum ſarcina vniuſcuiuſq; humeris imponetur. Proprijs onerati peccatis, per duorum montium fauces, in tartarum procedent. Fauces inferni draco horribilis cuſtodit. Pontem, quem Sera cupliſſi, *id eſt, pontem iuſtitiæ nominant, fornicis inſtar conuexum, & è ferro acutiſſimo conſtructum tranſire cogentur. Ex altera parte pontis iſtius, qui toti in malitia fuêre ſubmerſi, protinus in æternas inferni pœnas præcipitabuntur, vbi igni conſumpti ſubinde ad nouas, in æternum duraturas renaſcentur. Ex altera verò parte ij, qui in malitia nõ omnino fuêre indurati, in ignem purgatorium decident, ex quo pro peccatorum cõditione vel citius vel tardius liberati, in Paradiſi gaudia ſuſcipientur. Credunt præterea arborem, quam vocant* Zoacum agacci, *hoc eſt, amaritudinis, in medio inferni, licet igni quaſi infixam, florere, cuius ſingula poma diabolorũ capitibus ſint ſimilia. Fructibus arboris iſtius damnati veſcuntur, ſperantes inde refrigerationem aliquam ſe percepturos. Verùm non ſolum nihil inde refrigerationis percipiunt, ſed amaro venenatoq; ſapore magis magisq; excruciantur, grauioribusq; inde mortis torminibus afficiuntur, tum etiam diaboli ipſi ignitis eos catenis conſtrictos (ne vna pœnarum tormentorumq; ſit facies) aſſidue volutant.*

DE CIRCVMCISIONE TVRCARVM.

Capvt xxiiii.



Binos ſingulis infantibus adiungi angelos

O Mnium Mahometanorum firma hæc eſt opinio, ſingulis infantibus, vt primum nati fuerint, binos addi angelos, quorum alter dextram, alter ſiniſtram muniat, perpetuiq; per omnem vitam eorum

eorum ſint cuſtodes. Vbi quintum annum puer attigerit præceptoribus in ſchola committitur, vt Curaam addiſcat, vt à teneris religionem Mahometanam imbibat. Prima quæ pueris à præceptoribus doctrina proponitur hæc eſt. Culicu vallau, Halla huzemeth Iemielit velem Iuled, ieculegij cuffuenbehet, &c. *Quorum verborum ſenſus eſt.* Devs *inter multas perſonas vnicus eſt* Devs, *nullo loco circumſcriptus, ſed qui vbiq; omnia implet, nec patrem nec matrem nec liberos habens, nec edit nec bibit, nec dormit, ſed abſq; omnium earum rerum, quas creauit vſu, in æternum viuit, nec quicquam diuinæ eius maieſtati & omnipotentiæ ſimile reperitur. Vbi annum octauum puer attigerit, eum ſolenni ritu circumcîdunt. Conuocatis ad conuiuium amicis, ex omni genere carnium lauta apponuntur fercula. A ditioribus bos cæditur, in quem excoriatum exenteratumq;, ouem includunt, in qua gallinã, & in illa ouum, quæ integrè aſſantur ad ſplendorem illius diei. Deinde inter epulas puer circumcidendus adducitur, cuius medicus illius artis glandem retegit, replicatamq; pellem forpiculis appræhendit: deinde quò metum adimat puero, ait ſe in proximum diem circumciſionem dilaturum, mox ſimulans omiſſum aliquid eſſe, ex improuiſo præputium abſcindit, vulneriq; parum ſalis & bombaſini apponit. Poſtea continuato trium dierum conuiuio, circumciſus magna cum feſtiuitate in balneum deducitur. Domum reuerſo conuiuæ munera offerunt: alij veſtes ſericeas, alij ciphos argenteos, alij pecunias, vel equos: mulieres, induſia, & ſudariola, quiſq; pro ſuarum rerum conditione & opibus. Si quis ex Chriſtianis circumcidatur, is in publicum cœtum populi deducitur, ibiq; à ſacerdote admonitus, cœlum verſus directis oculis dextræq; manus indice, verba hæc profert.* Laila la, Mahomet Rvselam. *Devs, Devs,* Devs *vnus eſt, & Propheta eius Mahomet. Deinde à perito artis circumciditur, nouumq; ei nomen imponitur. Inde cum ſummo honore, populiq; gaudio, reſonantibus tympanis, per omnes vicos atq; plateas ciuitatis circumducitur, munera ei offeruntur, & à tributi ſolutione immunis redditur: Cuius lucri cupiditate, multi Græci, quos* Vrumlar, *& Albani, quos* Arnautlar *vocant, circumciduntur. Si quis vi compulſus, puta, ſi quis* Muſulmannum, *hoc eſt, circumciſum feriret, aut Mahometem blaſphemaret (quod Epiſcopo cuidam Græcorum ſectæ accidit) circumciditur, ei nulla offeruntur munera, à tributi tamen ſolutione liber erit, quemadmodum & cæteri* Muſulmanlar, *id eſt, circumciſi.*

Circumciduntur Turci ętatis ſuæ, Anno 8.

Circumciſionis ritus.

FINIS SECVNDAE PARTIS, LIBRI II.

TERTIA PARS DE TVRCORVM VITA ET MORIBVS, AVLAEQVE TVRCICAE *adminiſtratione & officijs.*

Præfatio Genevenſis.

SI Turcarum Religionem, vitam, moresq; cum Chriſtianorum legibus cõferre libeat, illorum iuſtitia ſylueſtribus herbis & arbuſtis ſponte ſua per ſaxa, conualles, & ſolitudines nulla hominũ accedente induſtria enaſcentibus, haud videbuntur diſſimilia. Nunquã ſanè fructus vlli ſylueſtres eius ſunt vel ſaporis vel dulcedinis, cuius ij deprehenduntur, quos in hortis humana cura & induſtria & plantat & fouet. Nã ſata & plantata in hortis aduerſus ſolis ardorẽ, frigorisq; & ventorũ violentiam muniuntur, huc accedit tempeſtiua irrigatio, & ſuperfluorũ amputatio. Contrà, quæ in ſyluis & montibus terra ſpõte ſua producit, ea imbrium, ventorum, ſolis, frigoris, ardoris, expoſita ſunt violentiæ. Eadem videtur ratio Turcarum vitæ cum Chriſtianorũ vita & moribus collatæ. Denſiſſimis ſiquidem ſuperſtitionum tenebris ſunt immerſi. Parum ab ethnicorũ impietate, qui ante Chriſtũ natum idolorũ cultui fuere addicti diſtant. Contrà, qui Chriſto nomen dedimus, omnino ex verbo diuinitus reuelato ſcimus, vel certo ſcire debemus, qui ſit Deus noſter, per quæ etiam media iuſtitiam & ſalutẽ conſequamur: vtinam vita moribusq;, ea quæ verbi diuini lumine vel meridiana luce nobis ſunt clariora, exprimeremus. Vtinam pro ſua miſericordia æternus Deus nobis eſſe propitius, totumque mundum ad æterni ſaluificique verbi ſui cognitionem adducere, & ex omnibus gentibus Eccleſiam ſibi in æternum per vnicum filium ſuum ſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum colligere dignetur, Amen. Hactenus in duabus libri huius partibus, qua potuimus breuitate, ex veris fundamentis Turcarum religionem deſcripſimus, quam ſi cum diuini verbi veritate contuleris, noctem caliginoſam cum diei iubare, denſiſſimã nebulam cum ſolis ſplẽdore comparaueris. Nec ſanè aliter in tenebris illis ſuperſtitionum hærent Mahometiſtæ iſti, atq; pereunt, quàm muſcæ in aranearum telis. Vlterius deinde progreſſuri, ipſorũ etiam in externis ciuilibusq; rebus vitam conſiderabimus, iuxta indicaturi, quæ aulę Turcicæ ſit conſtitutio, quæ ratio, conditioq; ſit miniſtrorũ aulicorum, tum etiam caſtrorũ officiorũq; militarium. Nec dubitamus lectori, cui hactenus hęc incognita fuere, hæc lectu ſcituque minimè iniucunda futura. Animo itaq; prõpto alacriq;, cœpto labori inſiſtemus, primũ in genere de gentis Turcicæ moribus, deinde in ſpecie de aulæ Turcicæ conſtitutione ipſiusq; Imperatoris moribus, ſplendore, & inſtitutis verba facturi.

DE CIBARIIS TVRCARVM.

Capvt I.



Vtuntur Turcæ quemadmodum & Chriſtiani carnibus animalium, quæ ex diuina benedictione hominum ſuſtentationi ſeruiunt. Pane vtuntur nigro, & albo, Echmech *dicto, quod ſeminis quodam genere, quod* Suſſam *vocant aſpergunt, quod magnam pani ſuauitatem conciliat. Carnibus porcinis, quemadmodũ & Iudæi abſtinent. Carne potius toſta quàm cocta vtuntur, & in minutas partes conciſam lanci imponunt. Orizæ maximus apud ipſos vſus eſt, quam ita addenſatam manducant, vt partes inde manibus decerpant, à leguminibus, vt lentibus, piſis, fabis, abſtinent, rapis & oleribus, præſertim ſi candidi ſint coloris veſcuntur, piſcium mira abſtinentia. Nec enim eos ſalubres citra vini potum iudicant. Cum ergo à vini potu ipſi ſibi temperent, per iocum aiunt, periculum eſſe, ne piſces in ventriculo ipſorum reuiuiſcant. Pomis inprimis delectantur, ſed plærunq; ante reliquos cibos ea aſſumunt: amygdala verò, nuces, nucleos ceraſorum, malorumq; Perſicorum ſub finem prandij cœnæq; adhibent. Cultrorum apud ipſos nullus eſt vſus, ſed cibum tribus digitis, quemadmodum Aethiopes quinq;, carpunt. Quam ſuperſtitionem vana perſuaſio inter ipſos confirmat, qua putant duobus digitis diabolum cibos frangere. Benedictionem prandio cœnæq; his verbis præmittunt.* Biſmil lair rahemanir rein. *hoc eſt, In nomine eius, qui cœlum, terram, omnesq; creaturas condidit. Cum manducandum eſt, ſubijciunt ſtoreas, quas* Hactſer *vocant, deinde inſternunt tapetia aut puluinaria. Alij in nuda humo diſcumbunt. Menſa illorum* Tſophra *dicta, ex corio fit, & explicatur atq; contrahitur vt marſupium. Nõ aſsident noſtratium more, nec diſcumbunt veterum ritu, vt cubito innitantur, ſed decuſſatim pedibus inter ſe cõplicatis more ſartorum. Raptim comedunt, & magno ſilentio. Sedata fame colloquia miſcere incipiunt.*

Viuendi ratio apud Turcas.

Edunt Turcæ feſtinanter & ſilentio.

DE POTV TVRCARVM.

Capvt II.

OMnibus qui Mahometanam legem amplectuntur vini vſus eſt prohibitus. Cuius eorum ſuperſtitionis hæc traditur origo. Fertur aliquãdo Mahometes prætergiſſe viridarium, vbi cum in iuuenes ſaltando & cantando lætitia quaſi effuſos incideret, vehementer ea re delectatus, in templũ, quo iter ſuum cõſtituerat perrexit. Vnde reuerſus, iſthac rurſus tranſiens, cõtrario modo omnia iam agi animaduertit. Ebrios enim & ira & gladijs ita ſæuire inter ſe vidit, ac ſi ab ineunte ſemper ætate capitales exercuiſſent inimicitias. Cumq́ alios pecorum more mactatos, alios verò ſemianimes ibi proſtratos videret, execrari protinus omnes cœpit, legeq́ lata omnibus ſuæ religionis ſtudioſis vino interdixit. Potus ipſis eſt triplex. Primus ex ſaccharo ab illis Secher vocato, aut melle diluto aqua, quẽ potum vocant Tſerbeth. *Secundus eſt ex vuis paßis, detractis acinis in aqua decoctis, addita aqua roſacea, & melle, quem potum vocant* Hoſſaph. *Tertius fit ex defruto, quod ex muſto coquitur, ſpeciemq́ mellis præ ſe fert. Diluitur hic potus aqua, & ſeruis datur. Hyeme ne frigus glaciei ipſis officiat, prunam aquæ inijciunt.*

Vini vſus cur interdictus Turcis.

Potus Turcorum qui.

DE TVRCARVM VESTITV.

Capvt III.

Veſtitus Turcicus.

NOn ea inter Turcas, quæ inter noſtros veſtium eſt diuerſitas. Induſia ipſorum abſq́ ſinuoſis plicaturarum voluminibus collum cingunt. Thoracẽ vſq́ ad femur promiſſum induſio ſuperinduunt, thoraci tunicã ſtrictã vſq́ ad talos dependentem, quam ex anteriori parte ſex nodis connectunt, & ſericea faſcia circa vmbilicũ arctè cingunt. Aliam deinde veſtem ſinuoſam, latitudine quidem duarum vlnarum, lõgitudine verò ſex reliquis ſuperinijciunt. Caput quod ex lege Mahometis raſum habent, illis aggeſtu pepli in turrim ædificatur, & in pyramidem turbinatur. Caluitiem Turcis hac de cauſa à Mahomete iniunctam eſſe ferunt: cum ei indicatum eſſet, Chriſtianorum vires ex vini potu multũ augeri, ipſe contra ſuos aſſeclas toſtis frugibus veſci, & caput radere iußit, eò quòd crinium copia vires minuat, & quaſi è corpore exugat. Inde Mahometiſtæ raſum caput linteo velamine integunt, cui pileum turbinatum ex tela ſerica & auro textum, ſuperimponunt. Veſtium ſplendore maxime gaudent. Brachas noſtras, vt quæ turpiter verenda exprimant deteſtantur. Calceamentis vtuntur feneſtratis. Tum etiam peronibus, quos ad genua vſque, loris aptè connexis, complicant. Ferro calceamenta ſuppacta habent, vt eò ſint firmiora & durabiliora.

Turcæ cur radantur.

VESTITVS MVLIERVM.

Caput IIII.

Mulierum habitus à virorum veſtitu non multum diſcrepat. Ingens veſtium & ſplendor & pretium eſt. Faſcia, qua cinguntur circa vmbilicum, auro argentoq́ nitet. Acuminatis etiam pileis caput integunt, velata incedentes facie. Magna in veſtitu & inceſſu tum maieſtas tum modeſtia apparet. In publicum rarò prodeunt, ne alienis viris temerè ſe oſtentare videantur. Mulierum veſtitus.

DE EQVITANDI INTER TVRCAS STVDIO.

Caput V.

Turcæ plærique omnes ingenti equorum amore & ſtudio tenentur. Equos iudicant optimos, quorum pedes ſunt proceri, vngulæ nigricantes. Hæ enim robur vegetum, illi velocitatē denotant. Oculos equi amplos, caput verò exile eſſe volunt, collum oblongum nec tamē tenue, in medio denſius, & nonnihil ſublatum, aures breues & ſolidas, os amplum, caudā oblongam, corpus haud obeſum. In equis ornandis ſunt operoſi. Sellis vtuntur minimè ponderoſis, nō admodum amplis, ſed altitudinis mediocris, ſtrepis breuioribus, freno habenisq́ lenibus. Antilenā ita adaptant, ne equum arctè cōprimat, poſtilenā equo & longitudine & latitudine conuenientē applicant. Calcaribus vtuntur breuibus, equū phaleris ſplendidè ornant. Inter colli cætera ornamenta, aureum globum vel pomum affigunt. Equi Turcorum qui optimi.

DE VENATIONIBVS TVRCARVM.

Caput VI.

Haud facile aliam gentem reperies, quæ maiore venandi ſtudio, quàm Turcæ teneantur. Et ſanè per venandi exercitia omnibus facilè laboribus, tum etiam ferendo frigori, calori, inediæ ſiti adſueſcunt. Per ſalebroſa & inuia loca feras equis ipſi inſidentes inſectantur. Feram à canibus proſtratam & laniatam nunquam attingunt, nec vel ſibi ipſis vel Chriſtianis eſcam eſſe patiuntur. Porcos apróſve ſylueſtres inter venandum captos Chriſtianis diuendunt, eorum ſiquidem eſu omnes circumciſi penitus abſtinent. Venationum Turci amantiſsimi.

DE AEDIFICIIS TVRCARVM.

Caput VII.

In ædibus non multa magnificentia, plæræq́ latericio opere conſtant, duplici ex materia: ſunt enim lateres alij fornacibus alij ſole excocti. Tecta cuneatim coëunt, quemadmodum per totam Europam. In Natolia tecta plana ſunt in modum tabulati, ſine vllo faſtigio. Syphones & canales aquæ pluuiam demittunt, quæ ad illos per cylindrum deuoluitur. Aedificiorum Turcicorum ratio.

DE AGRICVLTVRA TVRCARVM.

CAPVT VIII.

Hortorũ Turcicorum fructus.

ET Chriſtiani & Muſulmanni, inter Turcas agros ſuos, prata, hortos, & vineas colunt. Omnis generis fructus & fruges ſerunt, triticum, ſiliginem, auenam, hordeum, omnis generis legumina, & poma. Præcipuè tamen orizam & mala cotonea. Abundant in hortis ipſorum melones, pepones, ficus, poma Nerantia, citrina, punica, & reliqui eius generis fructus, quorum feraces ſunt terræ calidæ.

Vineæ Turcicæ.

Vuis vtuntur Turcæ.

Vinearum cultus pro regionis natura plus minúſve, quemadmodum in Europa, exercetur. Sunt nonnullæ regiones, vt Armenia & Cappadocia ob ſterile ſolum, vinearum cultus omnino expertes. Quanquam autem Turcæ à vini potu abſtinent, varijs tamen modis vuas condiunt. Coquunt etiam defrutum melli haud abſimile, quod ſua lingua Pechmaz *appellant. Ea arte vuas condiunt, vt per totum annum incorruptas eas reſeruent, eo ſapore, ac ſi recentes à vite collectæ eſſent. Chriſtiani, qui inter ipſos morantur, vinum ex vuis expreſſum bibunt & diuendunt.*

DE OPIFICVM IN CIVITATIBVS VITA.

CAPVT IX.

Opificiorum Turcicorum exercitia.

OMnis generis opificia inter Turcos exercentur. Nec vllus datur locus ocio vel ignauiæ, adeo vt nec diebus feſtis labore prorſus abſtineant. Præter opificia in ciuitatibus, in magno vſu ſunt negociationes, quas mercatores terra mariq́ exercent, in Aſiam, Arabiam, Aegyptum, in Europam, Venetias vſq́ in Anconem penetrantes. Reliqui in ciuitatibus laboribus ſuis intenti ſunt, balneis frequenter tam viri, quàm fœminæ, tam iuuenes quàm ſenes vtentes, nec pilum in corpore ſuo relinquunt. Peculiari ſeſe in balneo illinunt vnguento, ex qua inunctione intra horæ dimidiæ ſpacium omnes pili defluunt. Et quia templum ſæpe frequentant, mundiq́ ex legis Mahometanæ præſcripto illud ſubire coguntur, eo maiore ſtudio balnea frequentare ſolent.

Mercatorum Turcicorum negociationes.

Balnea Turcica.

DE TVRCARVM SCHOLIS.

CAPVT X.

SCribunt nonnulli in Turcia nullas eſſe ſcholas. Nec enim tantæ barbariæ locum dari poſſe credunt, vbi humanitatis ſtudia vigeant. Verum maior ijs fides adhibenda eſt, qui ipſi in Turcia vitam aliquandiu egêre, & ea, quæ oculis perſpexêre, ſcribunt. Scholæ apud Turcas pro pueris & puellis inſtituuntur. Nec verò in eo ſunt flore humanitatis

nitatis ſtudia, in quo olim in Græcia fuêre. Ea enim ſtudiorũ fere meta eſt, vt lingua vernacula legere diſcant & ſcribere. Quod vbi perceperint, ad aliud vitæ genus quiſque ſe confert, in quo ætatem ſuam exigere conſtituit. Scholas ſua lingua Ochummachirleri *vocant, pædagogos* Hogſialar. *Si qui ad altiora tendant, ij in Aſtronomia exercentur, & in quibuſdam philoſophicis. Verſus etiam vel rithmos, vndecim conſtantes ſyllabis, componunt, plærunq; amatorios: & hæc eorum muſica eſt, quã alia arte conſtantem non habent. Iohannes Bohemus autor eſt, in Turcia etiã Academias eſſe, in quibus leges politicæ explicentur, ex quibus deſumuntur, qui vel in rebus ciuilibus vel in religione, politica ſuſtinent officia.*

Scholæ pueriles Turcorũ.

Aſtronomiæ ſtudia apud Turcos.

Poëtices ſtudium in Turcia.

DE IVVENVM OPIFICVMQVE INTER TVRCAS à laboribus recreatione.

CAPVT XI.

PLæriq; *iuuenum, quos* leuenti *nominant, ſunt opifices. In ſingulis artificijs vel tribubus ſupremum, quem Senatorẽ vocant, ſibi eligunt, ex cuius nutu & conſilijs reliqui omnes pendent. Die, quẽ nos veneris vocamus feſto, in Senatoris ſui, quem* Leuente Baſci *vocant, ædibus conueniunt. Reliquis ſeptimanæ diebus, ſe cõtinuo labore, eorum more, qui graui paupertate conflictantur affligunt. Hunc verò diẽ genio dicantes primũ ad Senatoris ſui ædes cõgregantur. Inde digreſſi cibaria gulæ conuenientia coëmunt, & in publico diuerſorio, quod* Bazanaa *vocant, vnà cum ſuo Senatore conuiuiũ apparant. Ibi contra morẽ alias vſitatum, menſæ eo ordine accumbunt, vt medium locum Senator obtineat. Per totum deinde diem intempeſtã vſq; ad noctẽ, cibarijs coemptis veſcentes, potu ex oriza & ſiligine cocto, cereuiſiæ haud abſimili, ſe exhilarantes genio indulgent, nec à menſa quiſquã ſurgit, niſi ex cibi potusq; copia, neceſſitas vrgeat. Interdum cantionibus certant, quibus alter alterius laudes decantat, fidibus etiã ludunt. Senator ſubinde hæc verba ſublata voce repetit,* Barechedarola finus, *Hoc eſt, Deus ſit nobiſcum, & in hac hilaritate nos incolumes ſeruet. Veſpera ingruente menſam ita lampadibus onerant, vt ſi decem menſæ accumbant, lampades nõ pauciores 50. ei imponantur. Ex quibus ſi vna fortè extinguatur, omnes ſimul vociferantur* Breginor vli ſine octis mumard. *Hoc eſt, Chriſtiano mortuo 30. incenſæ ſunt lampades, quæ eum illuſtrent & comitentur: viuenti duplò pluribus opus eſt. Nam & cæcos & miſeros iudicant Chriſtianos. Poſt intempeſtã noctem omnes ſimul Senatorem ſuum, vſq; ad ædes ipſius comitantur, lampadem manu quiſq; geſtans. Inde ad ſua quiſq; diuertitur. Hæc ſunt delitiæ & lautitiæ opificum. Reliquis enim diebus laboribus ita inſudant, vt vix noctu ſomnum ſibi indulgeant. Viuunt præterea parciſſimè, allio, cepis, atroq; pane victitantes, vt huius diei ſumptus facilius ferant.*

Tribus opificum Turcicorum ſuos ſingulos habent Senatores.

DE

DE FATVORVM CASTIGATIONE, DOMOque ipſis deſtinata; quam Timarahane vocant.

Capvt XII.

Fatuis Turcorum peculiaris domus extructa.

IMperator Baiazethes; Conſtantinopoli peculiarem domum fatuorum curæ deſtinauit, ne per vrbem vagantes alijs creent moleſtiam. Hoſpitali domus ea non eſt abſimilis. Qui curam fatuorum vel phreneticorum gerant, eorum ſunt vltra centum quinquaginta. Peculiares etiam ipſis ſunt additi medici; nec quicquam ad neceſſariam curam ipſis denegatur. Præfecti iſti fatuorum per totam ciuitatem circumire ſolent, clauis & fuſtibus armati; ſi in aliquem moribus ineptum & deſipientem incidant, eius collo & brachijs catenas protinus inijciunt; vinctumq; & fuſtibus oneratum in fatuorum illam domum abducunt, ibi catenis muro affixis, & ad lectum vſq; in quo ipſi cubandum, protendentibus, eum alligant. Sæpe vel quadringẽtá ordine fatui catenis vincti ibi tenentur, quos ciues animi gratia nonnunquam accedunt. Præfecti præſto ſemper adſunt, fuſtibusq; grauiter eorum dementiam coërcent. Singulos etiam, vbi prandij cœnæue hora adfuerit, examinant; ſi quos indecentius ſe geſſiſſe offenderint, eos verberibus atrociter mulctant: vt quiſq; mores emendauerit, ita mitius tractatur. Hæc animaduerſio multos ad ſanitatem reuocat, qui vbi reſtituti ſibi fuerint, vinculis liberantur.*

Hæc in genere de Turcarum vita & moribus pro huius tractatus inſtituto & ratione ſufficiant: Deinceps de ipſius Imperatoris Turcici aula eiusq; ordine & adminiſtratione, quæ ſcitu fuerint haud iniucunda, exponentur.

DE TVRCICI IMPERATORIS ARCE ET AVLA.

Capvt XIII.

Tria palatia imperatoria Conſtantinopoli.

IN ampliſſima illa Conſtantinopolitana ciuitate tria ſunt Imperatoris Turcici palatia, quorum vnumquodq; ipſius Maieſtati, & aulicorum officijs peroportunum eſt. Primum ex illis, quod Imperator (Baiazethẽ intellige Solimanni auum) incolit, extremæ ciuitati imminet; vocatur locus iſte, Angulus, vel ad S. Demetrium, in mare è duabus regionibus excurrens. Vocant palatium illud Serceſſarai; *muris vndiq; munitiſſimum. Ambitus eius vltra duo millia paſſuum continet. In medio palatij hortus amœniſſimus conſtructus eſt, ædificijs compluribus, quæ oblectationi inſeruiunt, inſignis. Medius inter ædificia illa locus eminentior equeſtribus certaminibus eſt dicatus; quem cingunt cellulæ vltra ducentas, quas olim ſub Chriſtianis Imperatoribus, ſacerdotes ad S. Sophiam*

phiam incolebant. Nam templum ad S. Sophiam huic loco proximus eſt. Verũ Mahometes Baiazetis parens ſuo palatio cellulas iſtas incluſit, cumq́ frigidis aquis locus iſte ſit peramœnus, æſtiuo potiſſimũ tempore Imperator in eo moratur. Hyeme verò locum palatij inferiorem occupat, vt qui ventorum violentiæ ex alto mari proruentium, minus ſit expoſitus. In eodem palatio turris conſtructa eſt vitrea, ſtanneis iuncturis coagmentata, candore nitido reſplendens, quæ aquas miro artificio eiaculans, totum hortum irrigabat. Deinde intercidente arte, aliò aquæ illæ deductæ fuêre. Hîc inter aquarum ſalientium murmura, Imperator æſtiuo tempore circa meridiem à curis quieſcere, ſomnumq́ captare ſolitus eſt. Non procul inde ſtabulum eſt inſigne, in quo equi ſelectiſſimi, circiter 40. pro ipſo Imperatore curantur. Turres etiam validiſſimæ palatium cingunt, ferreis portis munitæ, quæ nunquã niſi extrema vrgente neceſſitate reſerantur. Porta magna, per quam in palatium ingreſſus patet, vermiculato opere, literiſq́ aureis ornata eſt. Ingreſſos per portam hanc ingens excipit area, in qua vel viginti equitum millia ſe commode explicare poſſunt. In extremitate areæ, duæ turres erectæ ſunt, ingenſq́ porta, vbi equis deſcendunt, quicunq́ vlterius in proximum palatium, in quo Imperator ſuorum cauſas audire ſolet progreſſuri ſunt. Ex ea parte qua mare alluit, duæ aliæ turres extructæ ſunt omnis generis machinis bellicis munitæ. Hæ poſticum habent, per quod Imperator, quoties ſereno cœlo in mare animi gratia expatiari lubet, egreditur. Ordine ibi circiter 40. ſunt diſpoſita mortaria, quæ ignem eiaculantia mare lõge lateq́ Imperatori alienis nauibus inacceſſum reddunt. Duæ præterea paratæ ibi ſunt celoces, quarum alteram conſcendit Imperator, alterâ curſim mare hinc inde peruagatur, & an tuta ſint omnia explorat.

DE TVRCICI IMPERATORIS MINISTRIS AVlicis, palatijq́; cuſtodibus.

CAPVT XIIII.

V*Arios magni Imperatoris Turcarum aula miniſtros habet. Inter quos tres hi ſunt præcipui. Primus eſt* Ciuadar, *qui calicem Imperatori porrigit, ei & ſedenti & eunti proximus, hic Imperatoris, quando eum comitatur, penulam geſtat. Secundus eſt* Giupter, *qui Imperatorem ſequens, poculum geſtat aquæ plenum, & induſia Imperatoris. Tertius* Saluſtar, *Imperatoris eſt armiger. Qui tres Imperatori ſunt proximi. Denos aureos Turcicos ſingulis menſibus, pro ſalario accipiunt, & veſtibus auro contextis, bis ſingulis annis ornantur. Quartum & viceſimum annum vbi exceſſerint ipſis ampliora committuntur officia, alijq́ quindecim annorum iuuenes forma, moribus, eloquentia, clariſq́ & animi & corporis dotibus inſignes, ipſis ſurrogantur.*

Miniſtrorum aulicorũ tres præcipui qui?

DE CVBICVLARIIS IMPERATORIS TVRCICI.

Capvt xv.

Cubiculariorum Turcicorum officia.

PRoximi ab ijs, de quibus modo diximus, ſunt cubicularij Imperatoris. Officium ipſorum eſt thalamum Imperatoris mundare, lectum ſternere, prunas camino imponere. Quinq; eorum noctu in cubili Imperatoris excubant. Præmium horum eſt ſeni vel ſepteni aurei in ſingulos mẽſes, præter veſtes pretioſiſſimas. Vocantur Aſongleanlari, *quaſi dicas dilecti & gratioſi Imperatoris filij. Cubicularijs hiſce præeſt Eunuchus* Tacutaga, *cui 160. aſpri in ſingulos dies numerantur, addito veſtitu longe pretioſiſſimo. His accedunt è reditibus, quibus ex gratia Imperatoris donatur, triginta aſprorum millia. Ipſi etiam ex Imperatoris ſtabulo equis pro ſuo arbitrio vti licet.*

DE VESTIARIIS IMPERATORIS TVRCICI.

Capvt xvi.

Veſtiarij adoleſcẽtes in aula Turcica.

PRæter hos ſunt adoleſcentes 35. quos ab officio Ordoglandari *vocant, eò quod cura ipſis veſtiaria commiſſa ſit. Præter id officium illis quoq; iniunctum eſt, vt fercula ab ijs, quos* Ceſignir *vocant excepta, Imperatoris menſæ apponant. A quartodecimo vſq; ad ſedecimum ætatis annum in hoc officio continentur. Præmium ipſorum eſt in ſingulos dies deni aſpri. His præeſt Eunuchus, vel pædagogus* Odobaſcia, *cui ſingulis diebus centũ numerantur aſpri, quibus accedunt reditus ex benignitate Imperatoris ipſi aſſignati, duodecim vel quindecim aſprorum millia.*

DE THESAVRARIIS IMPERATORIS.

Capvt xvii.

Theſaurarij iuuenes in aula Turcica.

LOcus peculiaris in arce eſt, quem Aſnam *vocant, vbi theſauri Imperatoris reſeruantur. Iuuenes quibus horum cura commiſſa eſt, vocantur* Aslaoglandari, *quorũ per ſingulos dies alij 10. alij 15. aſpros habent. His aurea argenteaq; vaſa, monilia, aliaq; eius generis ornamenta, gemmæ, & quicquid in theſauris eſt Imperatoris committuntur. His præeſt Eunuchus* Aſnadarbaſcia, *cui claues theſaurorum commiſſæ ſunt, nec tamen quicquã reſerare poteſt, niſi præſentibus alijs duobus, quorum alter* Teſteder, *alter* Niſangi *vocatur. Hi enim ſeras arcasq; obſignant. Præmium* Aſnadarbaſciæ *eſt in ſingulos dies 150. aſpri. Præterea ſi quid è theſauris depromitur, ſua etiam portio præfectis inde accedit, ſic vt de centum aureorum pretio, duo ipſis numerentur, cuius pecuniæ pars tertia, ſupremo ſigillifero* Teſteder *cedit, altera pars ſupremo Eunucho* Tacutagæ, *pars reliqua tertia ipſi* Aſnadarbaſciæ.

DE PENVARIO TVRCICI IMPERATORIS.

Capvt xviii.

Peculiaris etiam penuario Imperatoris locus deſtinatus eſt, quem Chiler *vocant, cui præſunt 25. iuuenes* Chileroglandari *dicti, plæriq; 20. vel 22. annorũ, curam agentes omnis generis cibariorum, aromatum, confectionum, potionum, quæ Imperatoris menſæ deſtinata ſunt, & quorum vſus eſt in culina Imperatoris. In ſingulos dies ſeptenos aſpros accipiunt, præter veſtium ſplendorem. Hic perpetuo in officio ſuo adminiſtrando detinentur, arce ipſis nunquam egredi licet, niſi quando expeditione ſuſcepta, in caſtris moratur Imperator. Delitiæ eorum ſunt quod legendo & iaculando ſe exercent. Eunuchum ſibi præfectum habent* Chilergibaſciam, *cuius in ſingulos dies præmium eſt, centum aſpri. Quibus quotannis accedunt ex reditibus ab Imperatore deſignatis triginta aſprorum millia.* Penus aulæ Turcicæ.

DE SCOLA IN ARCE IMPERATORIS INſtituta

Capvt xix.

Peculiaris item locus, quem Lengiodam, *quaſi dicas, nouam arcem vocant, pueris nobilibus dicatus eſt, quorum centum interdum plures interdum pauciores ibi in Turcica lingua informantur. Pueri iſti vel à piratis Imperatori donantur, vel ex decimatione Chriſtianorum colliguntur. Vbi per ſex dies in ſchola iſta puer moratus fuerit, Alphabetum ipſi diſcendum proponitur. Plures ſunt in ſchola magiſtri. Peculiaris eſt, qui pueros primo anno legendo exercet. Secundus altero anno librum Curaam, lingua Aethiopum docet, addita ſingulorum articulorum & præceptorũ explicatione. Poſt hunc tertius alius, libros Perſica lingua proponit. Quartus diuerſi generis libros interpretatur. His etiam pueris diurnum præmium conſtitutum eſt. Primo ſiquidem anno binos habent aſpros, ſecundo ternos, tertio quaternos, & ſic deinceps vnà cum annis præmiũ creſcit. Magiſtri denos aſpros in ſingulos dies capiunt. Præter hæc præmia pretioſis ornantur veſtibus. Puer è ſchola hac eximendus, præceptores quingentis aſpris donat, quam illi pecuniam inter ſe diſtribuunt. Plus vna vice puerum die verberare, vel plura decem verberibus infligere præceptor minime audet. Puerum verberandum in terram reclinant, pedesq; perforatæ tabulæ inſertos, ocreisq; circumdatos, ne ſeſe commouere queat virga tenera decies pulſat. Quod ſi Imperatoris iniuſſu pædagogus puerum verberet, vel pluribus quàm decem plagis oneret, manus ei præciditur, vel ſi ex gratia, pœna hæc remittitur, arce tamen eijcitur,*

Schola aulica nobiliũ puerorum.

Magiſtrorum ſcholæ præmia.

Caſtigationes diſcipulorũ.

Plagoſi ludimagiſtri non ferendi.

omnibusq́ ijs, quibus gaudebat beneficijs, priuatur. Hiſce item præeſt Eunuchus, cui in ſingulos dies 60. aſpri numerantur. Quod ſi bene moratus adoleſcens ex ludo hoc in aulam Imperatoris adſciſcatur, magnis muneribus Eunuchum Imperator ornat. Nam & pretioſas veſtes, & tria interdum, interdum decem, interdum duodecim aſprorũ millia ei donat, vt pecuniam eam inter pueros quoſdam, qui pro defunctorum animis pſalmos recitare ſolent, diſtribuat. Pecuniam eam Eunuchus pro ſuo arbitrio diſtribuit, ita tamen vt maiorem partem ſibi inde reſeruet.

DE PRAEFECTIS HORTORVM IMPERATORIS.

CAPVT XX.

Hortulani in palatio Turcico iuuenes 200.

EST quoq́ in Imperatoris palatio hortus maximus & amœniſſimus, cuius qui curam gerunt Boſtangieler, *hoc eſt, hortulani vocantur, ſuntq́ eorum ducenti iuuenes, à decimoquinto anno vſq́ ad viceſimum. Horum eſt officium paſtinando, & irrigando hortum colere & inundare. Stipendio indies donantur trium vel quatuor aſprorum, & veſtitu annuo. Qui primus fructum, vbi maturauerit, præfecto obtulerit Imperatori exhibendum, is mille aſpris donatur. Hortulanorum præfectus* Boſtangi Baſcia *vocatur, cuius ſtipendium eſt 200. aſprorum in ſingulos dies. Hic reliquis Eunuchis dignitate minime æquipollet, ſed ſolummodo ſeruus eſt Imperatoris. Fructus, qui ex horto iſto colliguntur, ab hortulanorum præfecto venduntur, pecunia ea Imperatori offertur, nec in alium vſum adhibetur, quàm vt cibaria pro ipſius Imperatoris menſa inde coëmantur. Lucrum enim è fructibus terræ acceptum, honeſtum & diuinum iudicat Imperator, quippe quod non ex ſubditorum grauaminibus, ſed ex diuina benedictione colligatur, ideoq́ vetat ex ea pecunia, quæ ex vectigalibus, decimis, & exactionibus conquiritur, cibaria pro ſua menſa comparari.* Boſtangi Baſcia *iſte eſt in magna Imperatoris gratia, ab hoc remotus officio plæruną Callipolitanam præfecturam adipiſcitur, quæ dignitate & potentia reliquis præſtat. Vniuerſa ſiquidem Imperatoris claſſis, maris Callipolitani anguſtias tranſire cogitur. Nec citra præfecti huius permiſſum nauis vlla inde Conſtantinopolim prouehi poteſt. In tractu maris iſtius ſi nauis aliqua, ex aduerſo caſu qualicunque ſubmergatur, præfecto cedunt omnia nauis iſtius bona, qualicunque arte vel fortuna ea conquirere poterit.*

Lucrũ ex cultura terræ acquiſitum honeſtiſsimum eſt.

DE PISTORIBVS IMPERATORIS.

CAPVT XXI.

Piſtores aulæ Turcicæ 70.

QVatuor in arce ſunt furni, pro pinſendis panibus in vna domo coniuncti. Piſtorum ſunt circiter ſeptuaginta. Qui panem pro menſa Impe-

Imperatoris conficiunt, eorum decem aſprorum in ſingulos dies eſt ſtipendium, reliquorum verò quinque. Huc accedit annuus veſtitus. Præfectus eorum vocatur Echemherri Baſcia, *huic quinquaginta aſpri in ſingulos dies deſtinati ſunt, ſingulisq; feſtis ſolennibus veſtitus.*

DE CVLINIS IN ARCE.

CAPVT XXII.

IN culinis, quarum geminæ ſunt, altera ſoli Imperatori, altera verò aulæ miniſtris deſtinata, miniſtri ſunt circiter ſexaginta. Horum magiſtri per vices rem culinariam adminiſtrant, famuli verò ſimul omnes miniſterio ſemper intenti eſſe coguntur. Coqui Imperatoris partim decem, partim quindecim, reliqui ſeptem vel octo, famuli verò tres aſpros pro diurno ſtipēdio habent. Omnes præterea nouo veſtitu quotannis ornantur. Coqui Imperatoris menſæ inſeruientes, fornaces habent plures, prunisq; ſolis, lignis haud admotis, vtuntur, ne ex fumo cibi reddantur inſipidi. Sunt præterea quatuor coquorum vtriuſq; culinæ præfecti. Primus Archibaſcia, *is ſtipendia & veſtitum præberi curat, & Turca expeditionem ſuſcipiente, ne quid circa culinæ apparatum deſit ſedulo proſpicit. Huius ſtipendium diurnum eſt ſexaginta aſprorum, veſtisq; annua auro contexta.*

Culinarum in aula geminarum miniſtri 60.

Coquorum vtriuſque culinæ præfecti quatuor.

Secundus Emimutpagi *nominatur, is pecuniam præbet ad coëmenda omnis generis cibaria, tum quæuis alia, quibus culinæ apparatus indiget. Huic quinquaginta aſpri indies numerantur, & veſtis ex Imperatoris munificentia in feſto Paſchatis præbetur.*

Tertius Cheiaia *vocatur. Huic cura commiſſa eſt attendendi ad omnia, quæ vel in culinam deferuntur, vel inde aſportantur. Et ſi diſsidium inter coquos exoriatur, ipſius eſt in eos animaduertere, & lites componere. Eodem quo & reliqui hic gaudet ſtipendio.*

Vltimus Muptar Iaſigili *vocatur, quaſi dicas ſcriba culinarius. Hic omnia quæ culinæ vſus requirit annotat. Idem omnia tam in Imperatoris, quàm aulicorum menſis recto ordine diſponi & inſtrui curat: modum & ordinem in apparandis cibis, peculiari libro conſignatum habet. Triginta aſprorum ipſius eſt ſtipendium diurnum.*

DE VILIORIBVS MINISTERIIS, LIXARVM baiulorum, balneatorum.

CAPVT XXIII.

MVlierem magni Turcæ palatium, in quo aulicorum turba moratur, ſubire nefas eſt. Muliebria itaq; officia in mundandis linteaminibus viri ſubeunt, quorum viginti ſunt in arce CHIAMISTRI *dicti, ex quibus duo ſoli Imperatori ſeruiunt, mundantes eius induſia, lodi-*

Mulierem palatium Turcæ ingredi nefas.

ces, mappas, menſalia, ſtrophiola. Reliqui aulicorum turbæ ſimul ſuam locant operam. Duorum, qui ſoli Imperatori ſeruiunt, diurnum ſtipendium eſt decem aſprorum, reliquis indies quinq; numerantur aſpri. Sunt præterea decem in arce baiuli, Sachaler *dicti, qui binos habentes mulos, vtribus ex corio bubalo factis, aquam aſsidue in vaſtam ciſternam aſportant, vnde per canales in diuerſa loca deducitur, vt abunde aqua ſuppetat piſtoribus, coquis, linteaminumq; mundatoribus. His quini aſpri in ſingulos dies numerantur. Cum in caſtris degit Imperator, aquas culinæ ipſius deſtinatas haurit* Sachabaſcia, *in ſingulos dies ſtipendium habens decem aſprorum, præter veſtem auro argentoq; textam.*

Baiuli aulæ Turcicæ.

DE BALINEIS IN ARCE CONSTRVCTIS.

CAPVT XXIIII.

Balneæ Turcorum aulicæ.

BAlinium in arce conſtructum eſt, eius capacitatis vt ducenti ſimul viri commodè in eo lauare poſsint, quod cingunt vndiq; complures cellulæ, partim frigida, partim calida aqua refertæ. Hypocauſtum illud rotundum eſt, & fornicatum. Tectum cuneatim coit plumbo coopertum. Pauimentum viridi candidoq; marmore ſolidatum. In medio, ciſterna eſt marmorea duorum virorum altitudine, in qua aquæ frigidæ per latentes canales delatæ, per ſyphones occultos in omnes cellulas diſtribuuntur. Eſt præterea ciſterna ibi lapidea rotunda, duobus canalibus inſignis, quorum alter calidas, alter frigidas aquas eiaculatur. Balinium hoc omnibus ſemper modis inſtructum eſt, vt quandocunq; vel ipſi Imperatori, vel miniſtris aulicis lauare lubeat, præparatum ſit. Decem ibi ſemper in procinctu ſunt viri, ad ſeruitia in balinio præſtanda cuiuis parati. Lege ſiquidem Mahometana cautum eſt, ne quis, ſiue in ſomno ſiue alia ratione pollutus fuerit, vel librum attingat, vel templum ſubeat, niſi toto corpore prius ablutus. Qua de cauſa non ſolum in Imperatorio palatio, ſed paſsim per Conſtantinopolitanam ciuitatem, tum etiam reliqua oppida complura conſtructa ſunt balinia. Ingens præterea ciſterna eſt in palatij balinio, calidis aquis referta, ea altitudine, vt deſcendentis collum aquæ contingant. In ciſterna iſta iuuenes natando ſe exercent, laſſatiq; in proximam ciſternam frigida aqua refertam, ibi ſe refocillaturi inſiliunt.

DE MEDICIS ET CHIRVRGIS.

CAPVT XXV.

Medici decẽ, & Chirurgi decem aulæ Turcicæ.

DEcem ſunt in arce medici, quos Echni *vocant, & totidem chirurgi* Geracler *dicti, aulicis per totam arcem inſeruientes, ſingulis decem aſprorum ſtipendium indies numeratur. Inter medicos tres*

treſ ſunt Iudæi. Pro ægrotantibus peculiare noſodochium conſtitutum eſt. Nec vllius curã ſuſcipere, nec etiam ſi quis ſauciatus qualicunq; caſu fuerit, vulnus obligare, niſi præſciente & iubente Imperatore, medicus audet. Quæ lex ſtrictè adeo ſeruatur, vt ſi cui vel dentem neſcio Imperatore medicus vel chirurgus exemerit, pœna ea medico irrogetur, vt viciſſim ei dens elidatur. Curam ægrotantis ſi ſuſceperit medicus, quater interdiu eum viſere cogitur, quod ſi morbus fuerit grauior, pluribus ſimul medicis cura eius committitur.

Curatur nemo aulicus, neſcio Imperatore.

DE EVNVCHIS ATRIENSIBVS.

Capvt xxvi.

SVnt præterea in arce 20. Chapioglan, *hoc eſt, miniſtri, qui alteram palatij portam obſeruant, & ad reliquorum iuuenum mandata & nutum, parati ſemper eſſe coguntur, ſeruorumq; atrienſium & ianitorum vices gerunt. Quatuor vel quinq; aſpros in ſingulos dies accipiunt. Præfectus eorum* Chapiangaſi *vocatur, cuius ſtipendium eſt diurnum, centum & quinquaginta aſprorum.*

Atrienſes aulæ Eunuchi.

IVVENES IMPERATORI SERVIENTES, QVANdo ex arce dimittantur.

Capvt xxvii.

QVotquot hactenus ex iuuenibus, miniſtris, eunuchis, præfectis, nominati & deſcripti ſunt, eorum nemo arce egredi audet, ſerui omnes ſunt Imperatoris, eius ſumptu etiam aluntur, plæriq; Chriſtianorum filij, exceptis Eunuchorum plæriſq;, qui Indiani ſunt. Nec enim temerè Chriſtiani caſtrantur, niſi quis ex effreni libidine ipſemet pœnæ huic cauſam præbeat, aliorum violando pudicitiam. Vbi 25. annum attigerint ij, quorũ hactenus facta eſt mentio, Imperator ex arce dimiſſos amplioribus præficit officijs. Diſceſſuri ex arce ſimul Imperatorem adeunt, ſupplicesq; diſcedendi veniam ab eo petunt. Qui veſtem protinus auro contextam ſingulis iubet circumijci, equumq; inſignem adduci. Magna deinde humanitate eos compellat, monens vt ſtrenuam virtuti nauent operam, eaq; fidelitate, quam hactenus in arce teſtati fuerint, deinceps etiam in eorum officiorum, quibus præfuturi ſint adminiſtratione, ſe Imperatori commendent. Tum ſi quid in arce vidiſſent, quod reticeri, quam proferri ſatius ſit, ne vlli hominũ reuelent. Dimiſſi ab Imperatore, triumphabundi arce egrediuntur, veſte ornati aurea, frõtaliq; aureo ingentis pretij, gemmiſq; intertexto, conſpicui. Singuli etiam manu ſudariolum geſtant, cui circiter mille aſpri inuoluti ſunt, quam pecuniã vbi equos ante portam arcis ſtantes conſcenderint in turbam ſpargunt. Inde ad deſtinatum ſibi quiſq; locum pergit, auferens ſecum, quicquid diuitiarum in arce ſibi comparauit.

Miniſtris aulicis exire arce non licet, ante annum ætatis 25.

Fidelia miniſteria, vel apud Turcos ſua habent præmia.

De ma-

DE MAGNAE PORTAE PALATII CVSTOdibus.

Jn ingreſſu palatij ad portam magnam duæ ſunt Ianitorum turmæ, alternis ibi excubantes.

Ianitorũ aulicorum turmę dux.

Vni turmæ præeſt Capigibaſsi, *trecentos ſub ſe habens ianitores. Alterius turmæ Capitaneus vel* Capigibaſsi *ducentis præeſt militibus vel ianitoribus. Priori* Capigibaſsi *centum quinquaginta aſpri in ſingulos dies numerantur, alteri centum. Militum ſtipendium eſt ſex vel ſeptem aſprorum. Fuſtibus armati ad portam aſtant, attendentes, ne quis Turcarum, præter palatinos arcem ingrediatur.* Capigibaſsi *iſti, Imperatorem, quoties arcem egreditur, equis veſtibusq́ insignes præcedunt. Nam ſuis ipſi ſumptibus equos ſeruosq́ circiter quadraginta alunt, vt hoc faſtu & populo & Imperatori ſe commendent.*

DE SACERDOTIBVS IN PALATIO ORANtibus.

Sacerdotes in aula quotidie orantes, ſunt 40.

Quadraginta ſacerdotes, quos Eneangiler *vocant, quotidie arcem, vt primum porta reſerata fuerit, vnà intrant, quorum ſtipendium in ſingulos dies eſt quatuor aſprorum. Hi templum arcis ingreſſi, circulo humi picto ſe includunt, ſinguli manu librum tenentes, ex quo pſalmum, quem vocant* Encam, *eius prolixitatis, vt integram horam duret lectio, diſtincta & clara voce in genua ſe inclinantes, legunt. Adſunt qui obſeruent, ne quis pſalmi aliquam partem omittat. Perſuaſum enim ex ſuperſtitione ſua habent, ſi quis pſalmum iſtum quadragies legat, eum voti ſui in omnibus, quæ à Deo petat, compotem futurum, & ab omnibus ijs, quæ animũ excrucient, immunem fore. Quæ cauſa eſt, quod ſingulis diebus quadragies pſalmum iſtum recitari ſuorum grauaminum nomine curet Imperator, dum quadraginta eum ſacerdotes ſimul recitant. Quod ſi Imperator diem obeat, nihilominus ad ſepulchrum eius conuenientes lectionem continuant, nec quicquam de ſtipendio poſt mortem Imperatoris ipſis decedit. Hinc quotquot ex Ottomanni ſanguine orti ſunt, totidem ſibi ſacerdotes reliquêre, qui memoriam eius, à quo ordinati fuêre, & præmium ipſis decretum, celebrant. Sacerdotibus defunctis actutum alij ſurrogantur.*

SECVN-

SECVNDI LIBRI PARS QVARTA, DE TVRCICI IMPERATORIS MILITARIBVS *copijs, Capitaneis, Ducibus, Præfectis, cæteriſq; extra arcem ipſi ſeruientibus.*

Præfatio Genvensis.

NEmini nõ procul dubio, notiſſimum eſt, id quod & mihi, qui annos aliquot in Turcico palatio exegi, eſt exploratiſſimum, quanta Imperatoris Turcarum ſit potentia, quàm longè lateque Imperij eius termini ſe extendant, quantis ipſe populis imperet, quot & quàm ampla regna, quot prouincias, vrbes, nationes, gentes ſibi ſubiugarit, quantæ ipſius per vaſta maria, variaq; flumina, non citra maximum Chriſtianę Reipub. detrimẽtum ſint vires, ad hæc, vt ipſemet vidi, & expertus ſum, quanta faſtuoſi eius animi, ob miram omnium rerum abundantiam ſit elatio, quàm intolerabilis ſuperbia erga quaſuis nationes, ſiue illæ Chriſtianam religionem, ſiue Iudaicam, ſiue gentilem amplectantur: Tum etiam quantum Chriſtiani ſanguinis non ſolum profuderit, verùm etiam in triſtiſſimam ſeruitutem redegerit, & à Chriſti cultu abductum, impia Mahometis ſui ſuperſtitione imbuerit, dum teneris puerorum, qui Chriſtianis nati ſunt parentibus, carnalium rerum voluptate & ſplendore irretitis animis, obliuionem & odium Chriſtiani nominis, contrà Mahometanæ impietatis amorem ingenerat. Quam admirandam eius potentiam, in hac quarta ſecundi libri parte expoſiturus ſum, vt ſi non omnes Chriſtianæ Reipub. proceres, aliqui tamẽ de diſſoluenda iſta Tyranni Turcici potentia, Imperijq; eius magno conſilio & accurato ordine facta conſtitutione euertenda cõſilium ineant, vt haud tolerandus ille aduerſus Chriſtiani nominis cõfeſſores, aliaſq; nationes quaſuis, faſtus, ex diuini numinis gratia & auxilio retundatur. Vnde ſanè non minor ad Chriſtianos Principes, ipſumque Romanum Imperium permanaret gloria, quàm modò ſunt, quæ ad eos deriuantur grauamina, & infamia, dum impunè omnium politiarum hoſti & euerſori, pro eius libidine quiduis moliri & perficere licet. Verùm in propoſito nos opere progreſſuri per capita, quibus militaribus officijs Turcicum conſtet Imperium, ordine exponemus.

DE BASSIS IMPERATORIS TVRCICI.

Caput I.

Viſier Baſſæ, ſummi Imperatoris conſiliarij.

T Res, vel quatuor nonnunquam Imperatoris Turcici, ſummi intimiq́ ſunt conſiliarij, quos Viſier Baſſas *vocant, aſciti in aulam ex Turcæ mancipijs. Horum ſumma & autoritas eſt, & potentia. Conſilijs eorum tam belli quàm pacis tempore Imperator vtitur. In ſingulos dies habent ſtipendium mille aſprorum. Huc accedunt caſtella, arces, principatus per Græciam & Natoliam, quibus ex Imperatoris gratia dominantur, maximosq́ inde reditus percipiunt. Quiſque ſuum apparatum habet aulicum amplum, & ſplendidum, eo ordine, ſed non ea amplitudine & maieſtate, quo Imperator ipſe.*

DE CAPITANEO IANIZERAGASI.

Caput II.

Ianizerorum præfecti. Ianizeri ex Chriſtianorũ liberis orti.

B Aſſas illos proximè ſequitur Ianizeragaſi, *ex Boſnia, Capitaneus vel Princeps Ianizerorum, qui Turcici Imperatoris latus in militia cingunt. Milites iſtos Turca per Græciam, Vualachiam, Boſniam, ex Chriſtianorum liberis, quaſi decimatione quadam colligit, & ex parentum conſpectu abductos, Mahometanis legibus, Turcicisq́ ritibus informari præcipit. Peculiaribus ad hanc rem vtitur exploratoribus, qui obſeruent, qua indole, & qua corporis agilitate & forma vniuſcuiuſq́ ſint filij. Quod ſi cui tres fortè ſint filij, inde Turca ſibi aufert ſpecioſiſſimũ, membrisq́ agilimum. Exploratores peculiare ſibi à Turca conſtitutum habent præmium, ſuntq́ eorum vltra ducentos. Pueros hinc inde collectos Conſtantinopolim abducunt, & inter ciues, aſſignatis ſingulorum nominibus, vt Turcicam linguam & mores addiſcant, diſtribuuntur, donec Ianizerorum contubernio cooptentur. Ianizeragaſi iſte indies quingentorum aſprorum habet ſtipendium, peculiare tentorium vel arcem, in qua Imperatoris ſumptibus vitam agit magnificam, vernas ſub ſe ducẽtos, quos ſuis alit ſumptibus. Sunt præterea ſub ipſo Viceduces decẽ, quorũ ſinguli militibus mille imperant. Sub his rurſus ſunt cẽturiones & decuriones. Hi omnes Conſtantinopolim incolunt, nocturnæq́ inter eos excubiæ per ciuitatem, ob vitandos tumultus diſtribuuntur. De his ſupra in fine primi libri plura.*

DE BASSA VEL CAPITANEO IMBRALEM.

Caput III.

Vexilliferorũ præfectus.

I N magna apud Imperatorem gratia eſt Capitaneus Imbralem, *vexilliferis omnibus quorum opera in bellis vtitur Imperator imperans. Citra eius mandatum vexilla tollere & vibrare minimè au-*

mè audent. Centum & quinquaginta aſprorum diurnum ipſius eſt ſtipendium. Quinquaginta prætereà ſub ſe habet equites, quibus ab Imperatore ſtipendia numerantur. Vocantur hi Sangattailer, *quaſi dicas, vexilliferi. Vexillum, lunæ falcatæ ſignum, cuius pretium viginti aſprorum millibus cenſetur, affixum habet. Quodſi cui in ciuitate aliqua publicum ab Imperatore officium committatur, vexillum Capitaneus* Imbralem *in ciuitate iſta erigit, ſplendidisq́ ab eo, qui officij adminiſtrationem ſuſcipit, muneribus, auro, veſtibus, generoſisq́ equis ornatur.*

DE CESIGNIR BASSA.

Capvt IIII.

CEſignir Baſſa, *quadraginta iuuenibus, quorum officium eſt Imperatoris menſæ fercula apponere, præeſt, Imperatoris hic eſt prælibator. 130. aſprorum ipſius eſt ſtipendium diurnum.* Prælibator Turcæ.

DE NOBILIBVS AVLICIS.

Capvt V.

D*Vcenti Imperatoris Turcici ſerui ſunt, quos vocant* Muteferreca, *quaſi dicas, pro ſuo arbitrio Imperatori ſeruientes. Diurnum horum ſtipendium eſt quadraginta aſprorum. Hi immunes ſunt à militaribus officijs. Arcem pro ſuo lubitu adeunt. Jn horum collegium adoptantur, qui præclaris ſuis facinoribus quaſi rude donari meriti ſunt.* Rude donati in aula Turcica. *Horum Capitaneus eſt* Muteferreca Baſſa, *cuius diurnum ſtipendium eſt centum aſprorum. Hi vitam agunt liberam, ſuorum agrorum & fundorum potiſſimum curam agentes.*

DE EQVITIBVS, TVRCAE LATVS VTRINQVE claudentibus.

Capvt VI.

M*Ille ſunt equites* Spahioglani *Imperatoris ſerui, quorum Capitaneus,* Spaioglandargaſi *pro diurno ſtipendio habet cētum aſpros ex annuis reditibus. Equites hi dextrum latus Imperatoris claudunt, ex eorum numero aſciti, qui vbi quartum & viceſimum attigêre annum, à miniſterijs in arce ſubeundis liberantur.* Equites miniſtri Imperatoris Turcici. *Siniſtrum Imperatoris latus claudunt mille quingenti equites,* Suluphtari *dicti, omnes Chriſtianorum filij, horum dux* Suluphtar Baſcia *vocatur. His etiam vrbis Conſtantinopolitanæ cuſtodia, abſente Imperatore noctu interdiuq́ committitur. Eorundem officium eſt annuos Imperatoris reditus per Græciam & Natoliam colligere.*

DE MAGISTRO STABVLI.

Capvt vii.

Stabuli magiſter Turcicus.

QVi ſtabulum equosq́ Turcici Imperatoris curat Imbroorbaſcia, *quaſi dicas, ſummus ſtabuli præfectus, vocatur. Huius diurnum eſt ſtipendium centum quinquaginta aſprorum, præter annuos reditus, triginta aſprorum millium, quæ ex pratis & paſcuis paßim per Turciam colligit. Noningentos ſub ſe miniſtros habet, quorum officium eſt, equorum & camelorum curam agere. Vocantur hi* Saraciler, *eaq́ ipſorum eſt conditio, vt ſubditi & ſerui ſint* Imbroorbaſciæ. *Stipendium eorum diurnum partim quinq́ partim octo eſt aſprorum. Turca expeditionem ſuſcipiente, quidam ex Saracileris Imperatoris ponopliam camelis impoſitam vehunt, alij theſauros eius, alij verò tentoria ipſius Imperatoris, & prætorianorum militum. Sunt etiam qui auenam & pabulum pro equis Imperatoris vehant. Reliqui equorum, quibus Imperator, aulicíq; proceres, qui Imperatoris latus cingunt, vehuntur, curam gerunt. Sunt inter eos 40. quibus cura iſtorum equorum, quibus præter Imperatorem nemo vehitur commiſſa eſt. Hi manu ante Turcam equos ſplēdide ornatos ducunt, in promptu ſemper habentes quicquid ad regium equorum ſplendorem & ornatum pertinet. Equum aſcenſuro Imperatori* Imbroorbaſcia *adeſt, eumq́ à tergo comprahenſum ſubleuat. Omnes Turcicos equos ſuæ curæ commiſſos habet. Ex quibus 40. generoſißimi in ipſo palatio nutriuntur, reliquis partim per Conſtantinopolim, partim Adrianopolim, partim etiam per Pruſiam ſtabula aßignata ſunt. Quos ſimul omnes* Imbroorbaſcia *ad Imperatorem cum expeditionem ſuſcepturus eſt, mittit, tum etiam camelos, armis, omniq́ inſtrumento bellico oneratos, quorum ſunt circiter decem millia.*

Præter hunc eſt minoris ſtabuli præfectus, quē vocant Cucciuchi Imbroorbaſciam, *cuius diurnum eſt ſtipendium centum aſprorum, præter annuos ex pratis reditus. Hic ſeruos ſub ſe habet quingentos, quos* Seisler, *hoc eſt, muliones vocant, vel miniſtros minoris ſtabuli, horum diurnum eſt ſtipendium ſex aſprorum. Hi caballos mulosq́ curant. Camelos item aliquot, quibus machinæ bellicæ, tum quæ ad Imperatoriæ menſæ apparatum pertinent, vehuntur. Equi iſti eorum vſui deſtinati ſunt, qui proprijs carentes equis Imperatori ſeruiunt, ſunt eorum circiter quatuor millia, quorum nonnullos manu ducunt ſtabularij iſti* Seisler, *nonnullis etiam camelorum agmen ſequentes inſident.*

DE MILITIBVS, QVOS VOINCLER VOCANT.

Capvt viii.

VTrunq́ Imbroorbaſciā *milites ſequuntur, quos* Voincler *vocant, qui Chriſtiani omnes ex Græcia & Boſnia collecti in caſtris Turcicis li-*

cis liberè militant. Hi ab alijs, qui ex officio expeditioni intereſſe coguntur, conducti, ipſorũ vices ſuſtinent, à quibus diurnum 20. aſprorũ ſtipendium, vt inde & ſe & equos ſuos curent, accipiunt. Conſtantinopolim ingreßi, ante omnia Imperatori ſuum aduentum nunciant, ſuum iuxta miniſterium deferentes. Hinc à præfecto ſtabuli per contubernia diſtribuuntur. Quiſq; fœniſecarum more falcem meſſoriã humeris geſtat. Expeditionẽ Turca ſuſcipiente, diei itinere exercitum præcedunt, & quo in loco caſtra figẽda ſunt, gramina demetunt, vt & milites & equi cubilia inde ſibi extruant. Milites conductitij.

DE VLVFAGIS, QVI IMPERATOREM A DEXTRA & ſiniſtra ſequuntur.

Capvt IX.

D*Vo ſequuntur Imperatorem agmina Vluſagorum. Agminis eius quod à dextro Imperatoris latere incedit, Capitaneus* Vlufagibaſcia *vocatur, cuius diurnũ ſtipendium eſt 80. aſprorum, cui ſubſunt 500. equites Vluſagi, Imperatoris omnes ſerui, quibus in dies ſingulos deni vel duodeni numerantur aſpri. Imperatore expeditionem ſuſcepturo, ſingulis 500. aſpri exhibentur, vt armis rebusq; neceſſarijs ſeſe inſtruant. Hi etiam per vices noctu circum Imperatorẽ, quoties extra arcem vel in caſtris vel alibi pernoctat, excubant, quemadmodum & Suluphtari. In altero agmine, quod à ſiniſtris Imperatoris incedit, Vluſagorum ſunt 400. quorum diurnum ſtipendium eſt octo aſprorum. Hi quemadmodum alterius agminis equites, quingentis itẽ ornantur aſpris, quoties expeditionem aduerſus hoſtes molitur Imperator. Capitaneus eorũ* Sulbulugi *vocatur, & eodẽ quo* Vlufagibaſcia, *ornatur ſtipendio. Duos ſub ſe habet miniſtros, legatum vel commiſſarium, & Cancellarium, quorum in dies ſingulos 300. aſprorum eſt ſtipendium. Qui rurſus alios ſub ſe ſeruos equis item inſtructos habent, quos ſuis fouere coguntur ſumptibus.* Vlufagorum duo agmina Turcicũ Imperatorem ſequuntur.

DE EXTREMO TVRCICORVM EQVITVM agmine.

Capvt X.

D*Ina iſta agmina ſequitur Capitaneus* Caripi Tigleragaſi, *quaſi dicas, Dux pauperis agminis, cuius præter veſtitũ annuum, diurnum eſt ſtipendium 80. aſprorum. Equites, qui huic parent Capitaneo,* Caripitiglier *vocantur, ſuntq; circiter 700. Hi non ſunt Imperatoris ſerui, ſed ex varijs confluunt regionibus, partim Turcæ, partim Chriſtianorum transfugæ, partim Aethiopes. Quisquis in hoc agmen cooptatur octo aſprorum diurnum habet ſtipendium. Exercitati omnes ſunt milites, noctuq; & interdiu per vices, vt ſors quenq; poſtulauerit, excubias in caſtris Imperatoris agunt.* Pauperis agminis præfectus.

DE ARMIGERIS IMPERATORIS ET PRAEconibus.

CAPVT XI.

Equites clauigeri, Turcam præcedentes.

EST inter reliquos Turcicos Capitaneos, quem Chiansbaſciam *vocant, cuius diurnum ſeptingentorum aſprorum eſt ſtipendium: hic triginta ſub ſe habet ſeruos Imperatoris, quos* Chianſiler *vocant, quaſi dicas clauigeros, qui equis vecti Turcam præcedunt, ſinguli ferream clauam manu geſtantes. Hi turbam, qua Turca tranſiturus eſt, amoliuntur. Si quis ſupplices libellos Imperatori offerre cupiat, is affixos eos arundini, vni armigerorum porrigit, qui eos vt primum arcem ingreſſus fuerit, Imperatori tradit. Nec enim alia facile commoditas ſubditis datur Imperatorem conueniendi. Quotidie hi in arce præſto ſunt, præconumq́ vices ſuſtinent, accerſentes ad Imperatorem, quos ex Capitaneis ſibi adeſſe voluerit.*

DE SATELLITIBVS IMPERATORIS.

CAPVT XII.

Satellites Imperatoris, 460.

SAtellites Imperatoris Iſolac *vocantur, iuuenes ſelectiſſimi, forma corporis, membrorumq́ agilitate eximia. Sunt eorum 460. Decem aſprorum diurnum ſingulorũ eſt ſtipendium. Omnes eodem veſtitu ad genua vſq́ dependenti, ornatu ſunt conſpicui, Zona precioſa cincti. Frontale geſtant ex auro ductili cõcinnatum, quinq́ vel ſex digitorum habens altitudinem, quod vilius eſt, centum ducatis æſtimatur. Huic imponunt acuminatum pileum candicantibus criſtis inſigne, manu arcum auro obductum geſtant. Eo ordine Imperatorem comitantur, vt bini binos ſequantur. Triginta latus dextrum Imperatoris, totidem ſiniſtrum claudunt. Omnes ſiniſtram manum armis expeditam habent, ne ſagittam eiaculaturi tergum Imperatori obuertant. Quòd ſi iter cum Imperatore facientibus, amnis obijciatur, eum pedibus tranſire coguntur. Quòd ſi ea ſit altitudo aquæ, vt genua pertingat, ſingulis octuaginta aſpri donantur: Sin ad cingulum, centum, cingulum ſi excedat aqua, vltra 150. Quod ſi ob altitudinem periculoſus ſit tranſitus, nauigijs impoſiti ad vlteriorem ripam tendunt. Hoc ornantur munere, vbi primo occurrerint flumini. Plura deinde ſi occurrant, nihil inde peculiaris muneris ipſis accedit. Hi ab excubijs ſunt immunes, nec vnquam, niſi Imperatore expeditionem iam moliente arcem ingrediuntur. Diuerſoria in quibus ipſi ſuis viuunt ſumptibus, paſſim per ciuitatem ſibi conſtituunt. Capitaneus ipſorum* Solarbaſcia *vocatur, diurnum habens ſtipendium, præter veſtitum, aliosq́ annuos reditus, centum aſprorum.*

DE CVRSORIBVS IMPERATORIS TVRcici.

CAPVT XIII.

Atellitibus iuncti ſunt centum curſores, quos Peicler *vocant, Perſæ genere. Quorum diurnum eſt octo aſprorum ſtipendium. Hi proximè equum, quo ipſe Imperator vehitur, antecedunt, calceamentis tibialibusq́ carentes. Veſte vtuntur conſtricta & viridi, ad genua dependente, manicis arctis brachia ipſa exprimentibus, interulis ſinuoſis, ex ſubtili linteo confectis infra genua propendentibus. Pileo caput integunt faſtigiato & ſericeo, quod* Menulai *ſua lingua vocant, verſicoloribus plumis illud exornant. Zona duobus digitis lata ſe cingunt, ex ea dependent tintinnabula peculiari ære & artificio confecta, cuius generis etiam genibus affixa habent, quæ clangore ſuaui Imperatoris aures demulcent. Manu altera lanceam auro obductam geſtant, altera vaſculum aquis fragrantibus refertum. Linteo etiam de Zona dependente inuolutam habent canariam, aliaq́ pretioſa aromata, quibus inter currendum veſcuntur. Hi continuo ſaltu extremis pedum digitis inſiſtentes, Imperatorem ſuum antecedunt. Si fortè per viridaria, aut campi planiciem ſit iter faciendum, verſa ad Imperatorem facie, retro nituntur greſsibus, clamantes:* Allan Diecherin, *hoc eſt: Longo tempore in hac potentia & maieſtate Imperatorem noſtrum conſeruet* DEVS. *Alijsq́ pluribus ſeipſos delitijs exercentes, Imperatori gratificantur, aquis fragrantibus Imperatori proximos aſpergunt. Imperatorem, quocunq́ iter faciat, comitantur, vt, ſi eorum in perferendis aliò literis vel mandatis requiratur opera, ſemper preſtò ſint. Literas qui ab Imperatore acceperit, is protinus iter per turbam arripiens ſublata voce clamat:* Saule, Saule, *Cedite, cedite. Et quidem ea horum curſorum eſt pernicitas, vt vel cum ceruis curſu certare poſſe videantur, & abſq́ vlla requie noctes dieſq́ totos curſum continuent. Ori inſertum habent globum argenteum perforatum, ob faciliorem reſpirationem. Quemuis equum curſu prævertunt. Bidui ſpacio vnus ex his curſoribus Conſtantinopoli Adrianopolim, & inde rurſus Conſtantinopolim vſq́ iter aliquando confecit, quod iter quamuis pernicißimo equo tridui ſpacio nemo confecerit. Plantis pedum affixas habent laminas ferreas, quemadmodum equi, eaq́ plantæ ipſorum eſt durities, vt abſque doloris ſenſu claui infigantur. Hiſce omnibus in tenera ætate ſplen eximitur. Artem verò illam abſtruſam, & quaſi ſacram ſibi retinent Turcæ, ne qua ad alios etiam permanet.*

Curſores 100. equum Imperatoris Turcici præcedentes.

Curſorum Turcicorum pernicitas.

DE

DE IIS QVI ARMA VEHVNT BELLICA.

Capvt xiiii.

Vectores armorum 300.

Nus ex Capitaneis Gebigibaſcia, *cuius diurnum ſtipendium eſt ſeptuaginta aſprorum, trecentos ſub ſe habet miniſtros Imperatoris ſeruos, qui in ſingulos dies quinq; vel ſex aſpros accipiunt. Hi camelos onerant armis, omniq; inſtrumento bellico, veſtibus, loricis, lanceis, arcubus, ſagittis, tormentis, ſtoreis, tapetis, alijsq; tã in prælio quàm in culinæ apparatu, neceſſarijs. Quanquam arma ferrea, loricasq;, niſi è ſpolijs, quæ Chriſtianis detrahunt, perpaucas habent. Si prælium cum hoſte ineundum ſit, ſingulis* Gebigibaſcia *ſua arma ordine expedit.*

Ferrea arma loricasq; Turcæ habent ex Chriſtianorũ ſpolijs.

DE BELLICORVM TORMENTORVM PRAEfectis.

Capvt xv.

Tormentis præſunt 500.

Vingenti ſunt eorum qui tormentis bellicis præſunt, diurnum octo aſprorum habentes ſtipendium. Præfectus eorum Toppicibaſcia *vocatur. Illi verò* Toppiciler, *qui pedites in expeditionibus iter faciunt. Peræ, quæ ex aduerſo Conſtantinopoleos ſita eſt, in domo, quam* Topchanam *nominant ipſis deſtinata, centum vnà morantur, vbi per totum diem in eiaculandis globis tormentarijs ſe exercent, ſub veſperam verò Conſtantinopolim petunt. Nec enim multò maior Peræ & Conſtantinopolis, ſi per mare fiat iter, eſt diſtantia, quàm ſit ſagittæ ab arcu emiſſæ iactus. Terreſtri verò itinere eſt diſtantia ſeptem ferè ſtadiorum. Alij ſemper Conſtantinopoli degunt, vbi puluerem tormentarium, currus, aliasq; machinas tormentis illis vehendis idoneas, conficiunt.*

Exercitia in globis tormẽtarijs eiaculãdis.

DE CASTRORVM METATORIBVS.

Capvt xvi.

Metatores caſtrorum 200.

Vnt præterea ducenti, quos Ciadermecteros *vocant, pari cum ſuperioribus gaudentes ſtipendio, quorum Capitaneus* Metarbaſcia *vocatur. Ex his centum Imperatoris exercitum præcedunt, & in idoneo loco diuerſa tentoria figunt. Commodiſſimum locum prætorio aſſignant, quod varijs inſtruunt cellulis, & Imperatori, cum rerum neceſſariarum apparatu, ſplendide adornant. Reliqua etiam in vſum aulicorum procerum, pro vniuſcuiuſq; dignitate & conditione, exſtruunt.*

DE BVCCINATORIBVS ET TVBICINIBVS, &c.

Capvt XVII.

EOrum, qui tubas, buccinas, cornua, lituos inflant, ſunt centum & quinquaginta, ſingulorum diurnum ſtipendium eſt octo aſprorum. Horum triginta vrbi Conſtantinopolitanæ ſunt aſſignati: Quindecim turrim arci vicinam, quindecim reliqui turrim huic appoſitam occupant. Hi duabus poſt ſolis occaſum elapſis horis, buccinas inflant, & tympana pulſant. Quorum concentu finito, nemini fas eſt domo ſua egredi. Quiſquis in plateis tum deprehenſus fuerit, iſte in carcerem compingitur. Manè rurſus hora ante ſolis ortum proxima, buccinis tympaniſq; ludunt. Quidam etiam Peræ ex aduerſo Conſtantinopolis morantur. Reliqui Imperatoris caſtra ſequuntur. Tympana caſtrenſia Camelis ſunt impoſita, eius magnitudinis, vt vno plura imponi Camelo nequeant. Duo tympaniſtæ ſingulis ſunt additi, qui fuſtibus tympanum pulſantes tantum excitant ſonitum, vt terra ipſa contremiſcere videatur.

Tubicines 150.

Tympanoru Caſtrenſium magnitudo & horrendus ſonitus.

DE SARTORIBVS.

Capvt XVIII.

TRecenti ſunt ſartores aulici, quos Therſiler *vocant, quorum ſtipendium diurnum à quinis aſpris ad denos procedit. Triginta ex ijs ſunt, qui ſolius Imperatoris veſtibus conſarcinandis occupati ſunt. Hi caſtra Imperatoris ſequuntur. Reliqui aulicæ turbæ, & in altera arce gynæceo inſeruiunt, à militiæ oneribus immunes, & præter diurnum ſtipendium, peculiare laborum ſuorum præmium exigunt.*

Sartores aulici 300.

DE AVRIFABRIS.

Capvt XIX.

SEptuaginta ſunt Turcici Imperatoris aurifabri, quos Ciumgeler *vocant. Ex his ipſi artifices, decem, miniſtri ſex, tyrones trium aſprorum diurnum habent ſtipendium. Nonnulli horum Imperatori mancipio addicti ſunt. Et hi præter diurnum ſtipendium, peculiare etiam laborum ſuorum accipiunt præmium. Tabernas ſuas intra vrbem Conſtantinopolim conſtructas habent. Imperatoris ſumptibus, præſertim quando iter ipſis faciendum eſt, omnes viuunt.*

Aurifabri aulici 70.

DE MONETARIIS.

Capvt XX.

PRæter aurifabros quinquaginta ſunt Turcici Imperatoris ſerui, monetam Conſtantinopoli cudentes. Duo horum ſunt præfecti, alter

Monetarij 50.

Armenius, alter verò Chriſtianus, quanquam religionem magnopere haud curant. Octo ex his monetarijs nihil præter ducatos ex puro auro cudunt: Quinq; & viginti, aſpros cudunt, minoríſve pretij nummos, quorum ſedecim aſpro valent. Aſpri Turcarum lingua Aeccia *vocantur: Quinq; & quinquaginta, ducati valorem habent: Sicq; duo noſtratis monetæ cruciati, vel octo fere nummi, aſpro Turcico reſpondent. Ducati Turcici* Sulthaane *vocantur. Quos verò Chriſtiani cudunt, eos* Eſrephil *nominant: Venetos* Erengiflori *vocant. Nulla effigies monetæ Turcicæ imprimitur, ſed Turcica quædam vocabula alteri lateri imprimuntur, qualia ſunt:* Ataiat, ſaffiat Iultaamat Morath chan, &c. *Quæ verba innuunt: In honorem & gloriam Soltani Mahometis, qui Imperium Conſtantinopolitanum virtute ſua acquiſiuit. Alteri verò lateri verba hæc impreſſa ſunt:* Sulthan Mahomet chan, Sulthan Paiazit Bin Suldan Selim ſcia: Salthaameth: ſexchis viſſexen alti. *Priora verba Imperatoris nomen exprimunt. Poſteriora verba,* Sexchis, &c. *annorum numerum indicant. Numerant annos ab ortu Mahometanæ religionis. Aſpri ex puro argento cuduntur, vtriq; lateri impreſſum eſt nomen Imperatoris, quo regnante moneta cuſa fuit. Omnes monetarij, tàm aurifices, quàm miniſtri, eodem cum aurifabris donantur ſtipendio.*

Aſper Turcicæ aëccia dicitur: & 55. valent ducatū.

Cruciati duo conficiunt aſperum.

Monetæ Turcicæ non effigies, ſed vocabula imprimuntur.

Annūm Turcæ numerant ab ortu Mahometanæ religionis.

DE FABRIS FERRARIIS.

Capvt XXI.

Fabri ferrarij 300.

SVnt præterea inter ſeruos Imperatoris trecenti, ex quibus viginti in id ſolum intenti ſunt, vt medicando equos curent, Quadraginta deinde iuuenes ferratis calcibus conficiendis & clauis ſunt occupati. Reliqui equorum calces ferro muniunt, quidam equis, exigente neceſſitate ſtigmata inurunt, vel alio modo characteres imprimunt. Sunt deinde fabri ſerarij, qui in toto palatio ſi quid reficiendum ſit, operi ſemper intenti ſunt. Sunt etiam qui nihil præter frena & capiſtra, rurſus qui nihil præter calcaria conficiunt. Qui omnes præter ordinarium ſtipendium, ſui laboris mercedem ſeorſim exigunt.

DE LAPICIDIS.

Capvt XXII.

Lapicidæ Turcici Imperatoris 200.

PRæter iſtos opifices ſunt adhuc ducenti, partim Græci, partim Chriſtiani, quidam etiam mancipio ipſi Turcæ addicti, qui Meimargiler *vocantur, hoc eſt, lapicidæ, quorum miniſterium ſoli etiam Imperatori ſeruit. Ex his præcipui quadraginta, decem, reliqui, octo aſprorum habent ſtipendium.*

De no-

DE NOVIS IANIZERIS, QVOS EX DECIMAtione Turca colligit.

Capvt xxiii.

QVingenti ferè in palatio Imperatoris educantur Ianizari noui, qui in Ianizarorum agmen aſciſcuntur. Chriſtianorum hi ſunt liberi, à parentibus ſuis per Natoliam & Græciam auulſi, Turcicam linguam haud callent. Diurnum ipſis eſt ſtipendium duorum aſprorum. Præfectus ipſorum Agiander Agaſi *vocatur, qui præter veſtitum annuum, triginta aſpros in ſingulos dies accipit. Horum officium eſt arcem per ſingulas ſeptimanas ſemel mundare, præterea architectis fabriſq; calcem, ligna, lapides, aquas, pro vt neceſſe fuerit ſubminiſtrare. Hyeme ſi nix alta terram cooperuerit, eam munde in ſubterraneo meatu, quem* Carlich *nuncupant, defodiunt, vbi per æſtatem integram aſſeruatur. Imperatoris potui refrigerando adhibetur. Hi Turca expeditionibus impedito, Conſtantinopoli remanent.* Ianizari noui 500.

DE VENATORIBVS, ET CANVM, FALCOnumq; cuſtodibus.

Capvt xxiiii.

DVcenti eorum ſunt, qui falconum, canumq; curam agunt, eosq; vocant Dongaglier. *Quatuor aſprorum diurnum ipſis datur ſtipendium. Sunt præterea ducenti alij, Imperatoris omnes ſerui, qui* Scimi *vocantur, Capitaneus ipſorum* Scimibaſcia. *Hi pro diuerſitate canum diuerſa ſortiuntur officia, Imperatorem tàm in expeditionibus, quàm venationibus comitantur, canesq; prægrandes catenis alligatos ducunt. Vinculis enim ſoluti nec pecori nec hominibus parcent. Centum alij ſunt Imperatoris ſerui, quibus peregrinarum ferarum, vt Elephantorum, Leonũ, Leopardorum, Gazellarum, Simiarum, cura demandatur.* Venatici miniſtri Turcæ 400.

DE LVCTATORIBVS ET PVGILIBVS.

Capvt xxv.

TRiginta fouentur in Imperatoris aula, quos Peluiander *vocant, luctatores & pugiles, ex diuerſis oriundi nationibus. Hi lucta ſaltuq; certantes Imperatorem frequenter oblectant, omnes cœlibes, quinq; & triginta ferme annorum, non mancipiorum more, ſed pro præmio ſeruientes. Stipendium ipſorum diurnum à decem aſpris ad quindecim vſq; exurgit. Nudi ſemper incedunt, niſi quod denſo corio, quod oleo inunctum eſt, verenda tegant. Induſijs alijsq; veſtibus carentes, lacernam corpori circumijciunt, capiti imponunt tiarulam ex agninis pellibus confectam.* Pugiles aulici 30.

ctam. In Imperatoris conſpectum vbi prodierint, lacernis abiectis, brachijsq́ innexis, lucta certant, gratumq́ Imperatori ſpectaculum edunt.

DE NAVIVM TRIREMIVMQVE CVSTODIBVS.

Capvt xxvi.

Nautæ 400.

T*Riremium cuſtodiæ quadringenti viri deſtinati ſunt, qui* Azappiler *vocantur. Quatuor aſprorum ſinguli diurnum habent ſtipendium. Earum tantum triremium, quæ in portu Perenſi aſſeruantur, cura ipſis commiſſa eſt, non aduerſus piratas (peculiares ſiquidem ſunt milites, qui aduerſus piratarum rapinas mare cuſtodiunt) ſed aduerſus incendia, quæ ex incuria nautarum nauibus ſæpenumero exitium attulêre, tum etiam aduerſus graſſantes maris tempeſtates.*

DE QVAESTORIBVS, THESAVRORVMQVE præfectis, per quos omnibus Turcæ miniſtris & ſeruis, ſtipendia exoluuntur.

Capvt xxvii.

Camerarij, ſeu quæſtores aulici duo.

D*Vo ſunt vel Quæſtores vel Camerarij ab Imperatore Turcico conſtituti, qui vt primum ſolutionis tempus præſtò fuerit, omnibus Turcicis miniſtris & ſeruis ſtipendia expendunt. Alter* Teſteder *vocatur, triginta ſub ſe habens ſcribas, qui omnes Imperatoris Turcici reditus, omneſq́ expenſas in rationes conferunt, tum etiam quicquid in theſauris reponitur aſſignant. Alter* Niſangibaſcia *vocatur, cui commiſſum eſt ſigillum, quo obſignantur arcæ, in quibus aſſeruantur pecuniæ, nec niſi eo præſente reſerari poſſunt arcæ. Hi duo vnà cum Eunucho, cuius cuſtodiæ arcæ illæ commiſſæ ſunt, omnibus Capitaneis, Ducibus, præfectis, & cuiuſuis conditionis ſeruis & miniſtris ſtipendia exſoluunt, nulla prorſus interiecta mora. Pecuniam haud numerant, verum ſacculis eam inuolutam ponderant. Sacculos obſignant, & nomen vniuſcuiuſq́ eis aſcribunt, vt citra moram, vbi ſoluendi terminus adfuerit, ſuum vnicuiq́ porrigatur ſacculo incluſum & obſignatum ſtipendium, impetrata tamen prius ab Imperatore ſoluendi venia. Vbi ſtipendia ex Imperatoris permiſſu ſingulis exſoluerint, id quod tertio quoque menſe fieri ſolet, ab Imperatore munere ornantur, quod vocant* Sepplicagiaſi, *quaſi dicas Imperatorium munus, vel gratia.*

Camerarius ſtipendia ſoluens, non numerat ſed ponderat pecuniam.

DE

DE CONSESSV CONSILIARIORVM IMPEratoris Turcici.

Capvt xxviii.

QVoties negotia ardua Turcarum Imperatori incidunt, de quibus vnà cum Conſiliarijs conſultationem inſtituere cogitur, citra vllam moram omnes proceres aulici protinus collecti ſunt. Omnes ſiquidem ex officio ſummo diluculo manè in arce conueniunt. Proceres & Capitanei equis ſplendidè ornatis inſidentes, in media arcis planicie, num quid ab Imperatore ipſis iniungendum ſit expectant. Tres deinde ex Baßis præcipui ipſum Imperatorē adeunt, ex eo quærentes, num in conſeſſu procerum aliquid ipſe proponere, vel aliorũ cauſas audire velit. Quod ſi nihil conſultatione dignum inciderit, nec ipſe Imperator cauſis audiendis vacare velit, eos benè ipſis precatus dimittit. Qui venerabũdi retro ab Imperatore ita diſcedũt, ne tergũ ei obuertant. Ad reliquos deinde Capitaneos progreßi, eis quæ ſit mens Imperatoris ſignificant. Si verò Baſſæ iſti Capitaneis renunciarint, Imperatoris eſſe mandatũ vt conſultationi de rebus, quæ inciderint, interſint, protinus omnes equis deſilientes in palatium ingens ingrediuntur: & locum pro ratione officij quiſq; ſibi deſtinatum occupant, aduentum Imperatoris præſtolantes. Ingrediuntur deinde duo illi Capitanei Capici Baſciæ, primæ portæ cuſtodes, Imperatori præferentes duo ſceptra lignea nigricante colore, in ſumma infimaq; & media parte auro circumdata: hæc ad ſolium vſq; Imperatoris pedetentim procedentes deferunt: poſt hos ſupremus Baſcia ſequitur. Deinde Imperator medius inter duos Baſcias incedit. Sequuntur eum tres è cubiculariorum numero iuuenes, vnà cum præcipuis aulæ Eunuchis. Imperatore palatium ingrediente omnes è ſubſellijs venerabundi ſurgunt. Duo iſti Capitanei lignea ſceptra manu tenentes, ad primum regalis ſolij gradum aſtant, alter dextrum alter verò ſiniſtrum latus occupans. Per gradus aliquot, qui tapetijs omnes inſignibus ſunt ornati, ad ſolium Imperatoris aſcenditur. Supremus Baſcia primus per gradus ſolij aſcendit: Imperatorem ſubſequentem duo Baſciæ circa brachia apprehenſum ducunt. Subeunt inde tres illi cubicularij, puluinar ingens manibus geſtantes aureis texturis inſigne, quo humeros Imperatoris fulciunt. Ad imum ſolij gradũ duo alia ſedilia poſita ſunt, quorum alterum ſupremus ille Baſcia occupat, alteri verò Græciæ præfectus, qui vrbanus ſimul eſt prætor, inſidet. Ex altero verò latere ſedent alij duo Baſciæ cum præfecto Natoliæ.

Conſiliariorũ aulicorũ officia, & ceremoniæ aulicæ.

Imperator Turcicus palatium conſiliariorum ingrediens, inq; ſolium ſuum aſcendens.

Vbi omnes ordine cõſederint, Imperator ipſemet cauſam, de qua conſultandũ eſt proponit, & ſinguli deinde certo ordine propoſitã cauſam examinant, & ſuam quiſq; ſententiã aperit. Hunc cõſultandi modum in omnibus

grauioribus negotijs, præſertim ſi de bellis, pro imperij vel defenſione, vel ampliatione ſuſcipiendis agatur, obſeruant. Finita conſultatione, Imperatorem ſimul omnes in conclaue ſuum comitantur, deinde ad ſua reuertuntur ſubſellia, nec niſi ab Imperatore impetrata venia quiſquam diſcedere audet. Conuiuium mox opiparum ibidem humi ipſis pro Turcarum more diſcumbentibus, apparatur.

QVA SEVERITATE IMPERATOR IN EOS, QVI mortis ſupplicio addicti ſunt, poſt habitum ſenatum animaduertat.

Caput XXIX.

Habitus Capitaneorũ, qui ab Imperatore Turcico damnantur.

Solennis & auita Imperatorum Turcicorum eſt conſuetudo, vt habito ſenatu, veſte pretioſa & auro texta vnumquenq; Capitaneorum ornent diuerſi coloris. Quod ſi quis ſit ex Capitaneis, quem mortis reum Imperator ſupplicio deſtinet, ei atri coloris veſtem holoſericam inijci iubet. Quod ſignum eſt certiſſimum, nullum vel deprecationi vel gratiæ locum eſſe. Poſt prandium deinde omnibus diſcedendi facit poteſtatem. Atra verò veſte indutum, in arce retinent ad id officium deſtinati miniſtri, eumq; cæteris capitis ſupplicio, ſi qui in arce detinentur damnatis adiungunt. Nec vllus, quantacunque demum autoritate & gratia polleat, pro eo, qui hunc ad modum damnatus fuerit, interceſſione aliqua vel deprecatione Imperatorem compellare auſus fuerit: Nam ſimile ſibi ipſi eo pacto periculum & ſupplicium crearet. Omnibus tandem qui conſilio interfuêre digreſſis, Imperator iuuenes aliquot, quos Gelleth *vocant, miniſtros iuſtitiæ, munus quod apud nos ſpiculatores ſuſtinent, commiſſum ſibi habentes, accerſit, mox etiam Capitaneum adduci iubet, quem vbi paucis delicti admonuerit, in conſpectu ſuo ſupplicio affici præcipit. Quod ſi Baſcia fuerit, vel magnæ vir autoritatis, ſerica chorda vel faſcia ſuffocatur, cadauerq; equo impoſitum, atroq; panno intectum domum remittitur, præmiſſo miniſtro, qui ſupra portam ædium interfecti atrum baculum, de quo pulli coloris pannus dependet, infigit. Quod ſignum vbi vidêre ſerui, actutum progrediuntur cadauer heri ſui excepturi. Hoc ſupplicij genere afficiuntur, qui potentia aliqua & autoritate præditi ſunt. Inferioris verò conditionis hominibus caput præciditur, cadauerq; extra arcem ſtoreæ impoſitum ab ijs, qui fortunæ huic condolent, aufertur.*

Pro damnatis Capitaneis ab Imperatore, nemo audet intercedere.

Inferiorum Turcorum ſupplicia.

QVA

QVA SOLENNITATE LEGATI CHRISTIANOrum, Aethiopum, Tartarorum, aliorumq; Regum à Turcico Imperatore excipiantur.

Capvt xxx.

Vod ſi legatus vel à Chriſtianorum, vel ab Æthiopum, Tartarorum, aliarúmve gentium Regibus ad Turcicum Imperatorem mittatur, aduentum ſuum Imperatori denunciat, cum decem adhuc dierum ſpacio Conſtantinopoli, vel ab eo loco, vbi degit Imperator, abeſt. Quem ſi in conſpectum ſuum Imperator admittere velit, ei vt liberè progrediatur denunciat, obuiamq; è veſtigio mittit vnum ex Capitaneis cum militum cohortibus aliquot, qui legatum non ſolum per Imperij fines comitatur, ſed ex omnibus etiam vnà cum omni comitatu eum liberat diuerſorijs. Vbi vnius diei itinere Conſtantinopoli abfuerit, omnes ſimul Capitaneos obuiam ei procedere Turca iubet, qui non ſecus atq; Imperatorem magna cum veneratione & honore eum excipiunt. Cum vrbi appropinquarit, triginta ſatellites cum præfecto ſtabuli, equum regifico ſplendore amictum adducunt, quem conſcendere iuſſus in domum ab Imperatore ei aßignatam deducitur. Hìc omnia ad ſplendorem vſq; ipſi Imperatori conuenientem ei ex Turcæ munificentia ſuppeditantur. Noctu & interdiu ſtipatores adſunt, qui ne quis ex ipſo cauſam aduentus reſciſcat, vel aliqua de re cum ipſo communicet, accuratè obſeruant. Statim etiam in ſignum gratulationis decem aſprorum millia ei ab Imperatore donantur. Per biduum vbi intra ædes quieuerit, tertio eum die conuentu procerum indicto Imperator ad ſe accerſit. Cui arcem ingreſſuro duo Capitanei & Eunuchi aliquot obuiam procedunt, eumq; ad ipſum Imperatorem deducunt. In palatium ingreſſus, Turcarum more Imperatorem ſalutare, honoremq; ei exhibere cogitur. Imperator ſeſe è ſolio ſuo erigens, manu porrecta perhumaniter eum excipit. Legatus ſi Chriſtianus fuerit, protinus ſella holoſerico tecta, infra Imperatoris ſolium apponitur, cui inſidere iuſſus, commißionis literas Imperatori offert, qui manu ſua exceptas clara voce & Turcica lingua interpreti legendas tradit. Conſeſſu dimiſſo, legatum conuiuio Chriſtianorum more & feſtiuitate apparato, in arce per proceros ſuos excipit. Conſtantinopoli, peracta legatione, diſceſſurum Imperator ipſe pro Chriſtianorum conſuetudine inſtructo conuiuio ſuæ menſæ legatum adhibet, humaniterq; dimiſſum, tribus pretioſißimis veſtibus ex tela, quam Damaſcenam vocant, holoſericea, & auro contexta, duobus inſuper vel tribus Ducatorum millibus ornat, eiq; fidos comites per imperij ſui fines abſque vllo legati ſumptu addit.

Legatis Chriſtianis à Turcico Imperatore habitus honor.

Legatus Chriſtianus quomodo ab Imperatore Turcico excipiatur.

QVAM

QVAM EDENDI CONSVETVDINEM OBSERuet Turcicus Imperator.

Capvt xxxi.

PRandendi, cœnandiúe tempus vbi adfuerit, praſtò adſunt iuuenes iſti, qui Chilergi ſupra vocantur, duas inſtruunt tabulas, quarum alteri caniſtrum, alteri argentea, aureaq́ vaſa imponunt, varijs potionibus ſaccharo, aromatibusq́ confectis impleta, patinaſq́ confectionibus ex herbis fragrantibus, plenas. Quæ omnia prælibata Eunuchis tradunt. Fercula iuuenes quos Ceſegnir vocant à coquis item prægustata, præſente Ceſegnir Baſcia, accipiunt, præeunteq́ Baſcia in cœnaculum Imperatoris deferunt, aureis vel argenteis operculis tecta. Decuſſatim Imperator diſcumbit. Tres præſtò ſunt cubicularij, linteoq́ ſubtili genua eius integunt. Ceſignir Baſcia in genua procumbens ei miniſtrat. Menſam ex corio factam, quam Tſopham nominant, expandit, ei fercula ordine à miniſtris excepta & prægustata imponit, menſam aſsiduo rotatu circum agit, vt, vndecunq́ lubeat, Imperator cibum carpat. Potum ei vnus ex tribus cubicularijs porrigit in nuce Indiana, quæ auro incluſa eſt, ſmaragdis tota lucens. Fulcrum eius creſcentis lunæ præ ſe fert imaginem. Solus & prandere & cœnare ſolet Imperator Turcicus, nec quiſquam præter miniſtros illos cœnaculum ingreditur. Nec aureis nec argenteis patinis vel poculis vti conſueuit Imperator. Ingens verò copia & ſplendor eorum cœnaculum ornat, quorum vſus eſt, peregrinis vel legatis præſentibus. Æſtiualibus diebus ter cibum ſumere ſolet, manè, circa meridiem, & circa veſperam. Hyemalibus verè bis. A prandio luctatorum ferè & pugilum ludos & certamina ſpectat, hinc quieti ſe tradit.

Edendi mos in aula Turcica.

DE CVBILI IMPERATORIS TVRCICI.

Capvt xxxii.

CVm ad ſomnum ſe compoſiturus eſt Imperator Turcicus, cubicularij (quorum eo tempore, quo mancipiorum more Sultano Baiazeti ſeruij, quindecim erant, & ipſemet eram vnus ex eorum numero) dormitorium Imperatoris ingrediuntur, lectos, quorum interdiu nullus ibi conſtructus eſt, ſtraturi. Pauimento cubilis ſtoreas aliquot inſternunt, ſtoreis tapetia, his verò lectum imponunt lana, quam Xylinon vocant confertum: iſti alium plumis refertum inijciunt, quem linteaminibus, puluinaribus, tapetibusq́ adornant, funiculos ſericeos ſuper lectum ita conſtructum expandunt, tapetibusq́ aureis quaſi cœlo lectum obtegunt, quatuor candelabra argentea, ad quatuor lecti angulos apponunt. Lecto hunc ad modum conſtructo, Imperatorem in cubile deducunt, & per vices quinq́

Lecti & cubilis Imperatoris conſtruendi ratio.

quinq; ſemper noctu, è cubicularijs excubant, ipſumq; ſumma fide, diligentiaq; cuſtodiunt.

QVA RATIONE TVRCAE BELLA GERANT, EX Bartholomæo Georgieuiz.

Poſtquam Macedonum potentiam Turci deuicerunt, eorundem diſciplinam militarem, rationemq; adminiſtrandi bella (quamuis non in omnibus conſentiant) imitati ſunt ac retinuerunt, ferreisq; loricis induti, haſtis clypeo, curuisq; gladijs armati eo impetu pugnant, vt frequentibus victorijs ſuam indies potentiam augeant. Cohortem Ianizarorum ab electiſſimis militibus Macedoniæ, quorum virtute Alexander Magnus orientales populos ſuperauit, ſuoq; imperio ſubiecit, nihil omnino differre certiſſimum eſt. Hos à prima ſtatim pueritia ad bella & pugnas educant, exercent, & inſtituunt. Nemo eorum ſuos parentes aut cognatos nouit. Sunt enim filij Chriſtianorum multis ac varijs depopulationibus ſurrepti, quos in hortum Principis traditos, vt in futurum viriliter ſeſe in acie gerere & defendere poſſint, varijs bellicis artibus informant. Si qui ex ijs moriuntur, aut in acie, vel vrbium munitionumq; oppugnatione occumbunt, confeſtim ex adoleſcentum exercitatiſſimorum ordine, in horum locum alios ſubſtituunt, numerumq; ſupplent. Atq; hoc pacto exercitus IaniZarorum, qui velut cor & arx eſt roboris & potentiæ Turcorum ſemper manet integer. Nec æquali mercede vel præmio ornantur, ſed vnicuique ſecundum ſuam virtutem, & egregia facinora, datur ſtipendium. Quæ cauſa eſt præcipua cur audaciſſimi, & ad omnem conflictum, facinusq; egregium paratiſſimi & promptiſſimi euadant, quemadmodum ſuperioribus annis non ſine maximo noſtro incommodo & malo de his certiores facti, & edocti ſumus. Nam inde vſq; ab Amurathe ſecundo qui Ianizaros inſtituit, & hoc ordine diſpoſuit, nuſquam eos integrum aliquod generalis exercitus robur amiſiſſe legimus. Tanta autem iuſtitia & ſeueritate Turci diſciplinam militarem, belliq; gerendi leges obſeruant, vt hac in re Græcos & Romanos longè exſuperent. Nunquam inter ipſos factiones, ſeditiones, proditiones, aut mutuæ cædes exiſtunt. Siquidem leui ſaltē crimine conuicti capite plectuntur. Milites Turcarum, aliarum gentium bellatores multis in rebus excellunt. Primum enim Principi, Ducibusq; ſuis ſine contumacia promptè obediunt, quod inter noſtros rariſſimū eſt. Deinde quamuis duriſſima neceſſitate vrgeantur, nunquam tamen terga vertunt, ſed potius audacius cum hoſte congrediuntur. Credunt enim diuinitus præfinitū eſſe, quo tempore quóve modo vnicuiq; ſit moriendum, ideoq; nihil ſibi aduerſi ante conſtitutam horam accidere poſſe arbitrantur. Poſtremò & pane & vino facilè abſtinent, multoq; tempore ſola aqua & oriZa ſe ſuſtentare poſſunt.

Turci Macedonum diſciplinam militarem imitati ſunt.

Ianizarorum exercitus robur potentiæ Turcicæ.

Diſciplinæ militaris apud Turcos ſeueritas.

DE GYNAECEO TVRCICO.

CAPVT XXXIIII.

Ltera Magni Imperatoris arx, quam Eſchizarai, *hoc eſt, arcem veterem vocant, in media vrbe Conſtantinopolitana ſita eſt, quam ipſi primum Imperatores Turcici incoluerunt. Magna huius arcis eſt capacitas, ambitus octo ferè ſtadia continet. Figura eius eſt quadrilatera. Murus viginti vlnarum eſt altitudinis, latitudinis verò quatuor. Nullæ muro additæ ſunt turres, duæ verò portæ, quarum altera ſemper clauſa eſt. Ad alteram patentem, triginta ſemper tam noctu quàm interdiu excubant milites. Egregia circiter 25. intra arcem hanc constructa ſunt ædificia, ſplendore ſingula regali apparata. Duo tamen reliquis præeminent, in quæ per æſtatem frequenter Imperator animi gratia ſe conferre ſolet. Quatuor deinde ædificia Imperatoris filiabus, earumq́ matribus, quæ concubinæ ſunt Imperatoris, ſunt deſtinata. Omnes hæ eius concubinæ, Imperatoris ſunt mancipia, Chriſtianorum pleræq́ filiæ, quas vel dono à piratis & prædonibus accepit, vel precio comparauit: ſunt earū circiter ducentas. Præfectum, quem magiſtrū palatij vocant, habent Eunuchū, Turcarum lingua* Chapiangaſi *dictum. Huic ſubſunt 40. alij Eunuchi, omnes gynæceo miniſtrantes. Præfecti Eunuchorum diurnum eſt ſtipendium 100. aſprorum, præter veſtitum auro inſignem. Reliquorum 10. aſprorum in ſingulos dies eſt ſtipendium, præter veſtitum, quē geminū quotannis ſericeum accipiunt.*

Concubinæ Imperatoris Turcici 200.

Concubinæ iſtæ, ex quibus liberos ſuſtulit Turca indies trecentos aſpros accipiunt, & quicquid ipſis neceſſarium fuerit abunde ad ſplēdorem & luxum vſq́ ſuppeditatur. Filiæ Imperatoris 100. indies aſpros habent, regaliq́ veſtitu quemadmodū & matres ornantur, apud quas, donec ab Imperatore Baſſarū præcipuis deſponſæ fuerint, ſplendidè educantur. Reliquis in gynæceo iuuenculis 15. indies aſpri, ancillis verò decem numerantur. Omnes ſplendidè ter in anno veſtiuntur. Quotidie decem matronæ Turcicæ, quas Terdizler *vocant, gynæceū manè accedunt, iuuenculasq́ & virgines telam texere acuq́ pingere docent. Quæ antequā gynæceum ingrediantur, Eunuchi, amotis operculis, capita ipſarū denudant (ea enim per Turciam conſuetudo eſt, vt aperta facie mulieres in publicum nunquā prodeant, ſed ſericeo velamento caput obtegant) ne forte ſub velamento muliebri vir latens, in gynæceum irrepat. Imperator quoties in hanc gynæceo deſtinatā arcem tendit, quæ ab ipſius palatio 4. ferè ſtadijs diſtat: Eunuchus mulieres ſplēdidiſſimè ornatas in medium palatij producit, quæ vtrinq́ longo ordine ſtantes Imperatoris aduentū præſtolātur. Ingreſſus Imperator cū Eunuchis inter eas medius obambulat, ſingulasq́ blandè & humaniter ſalutat. Si qua præ reliquis ipſi arriſerit, eius humeris ſtrophiolum, quod manu geſtat, reliquis aſpectātibus imponit. Deinde hortos peluſtrat, in quibus variæ aluntur feræ,*

Concubinarum Imperatoris ſtipendium diurnum.

Filię Imperatoris elocantur Baſsis.

Exercitia gynæcei.

feræ, diuerſæq́ volucres, vt ſtrutiones, pauones. Cœnam in eadem arce ſumit, ibiq́ pernoctans adduci ſibi iubet, cuius humero ſtrophiolum impoſuerat, quod abſq́ vlla dilatione Eunuchi exequuntur. Iuxta hanc conſuetudinem, ordine cum ſingulis fere concubinis Turca rem habet. Manè veſte aurea concubinam hanc ornat, diurno eius ſtipendio nouem aſpros addit, duas præterea famulas eius ſeruitijs deſtinat. Sæpe tres vel quatuor dies continuos in gynæceo perdurat, ſe cum concubinis quæ ipſi ſunt gratiſſimæ, ex animi ſui ſententia oblectans.

Turcici Imperatoris ſtrenua fornicatio.

DE TERTIA IMPERATORIS TVRCICI arce.

CAPVT XXXV.

EX ea parte Conſtantinopoleos, quæ Callipolim verſus tendit, in mare procurrit arx munitiſſima, quam Iadiculam *vocant, quaſi dicas, arcem turribus ſeptem conſpicuam. Septem enim præaltis firmiſſimisq́ turribus arx ea munita eſt. Vndiq́ muris præaltis, adeoq́ validiſſimis arx hæc circumdata & incluſa eſt. Machinæ bellicæ per muros vndique ſunt diſpoſitæ. Cura eius & cuſtodia quingentis iam emeritis & rude donatis militibus, qui in collegio Ianizarorum antea fuêre commiſſa eſt. Annuum ſingulorum ſtipendium eſt quinq́ millium aſprorum. Quod ſtipendium ipſis præbetur ex decimis & tributis, quæ paſſim Imperatori Turcico penduntur. In ſingulis turribus ingentia & varia diſpoſita ſunt vaſa, aſpris, ducatis, regijsq́ theſauris omnia referta, à ſuperioribus Imperatoribus collecta & eò repoſita. Ea enim Imperatorum Turcicorum eſt conſuetudo, vt peculiares ſibi theſauros colligant, quos vrgente neceſſitate aliqua in promptu ſemper habeant. Quoties enim aduerſus Chriſtianos, vel alios Reges gentiles bellum ſuſcepturus eſt Turca, per omnia ſua regna & regiones tributa indicit, à ſingulis ducatum, vel pro ratione vniuſcuiuſque conditionis plus minúſve exigens, quam pecuniam, prætendens aduerſus Chriſtianos eam impẽdendam, per aulicos miniſtros oppidatim colligit, & in turribus iſtis reconditam aſſeruat.*

Turca à ſingulis ſubditis ducatum exigit bella moturus.

Rarò arcem hanc Imperator ingreditur, nec etiam alijs patet aditus, præter quingentos iſtos, quibus cuſtodia eius commiſſa eſt. Præfectum iſti habent Diſdargam *nomine, qui in magna apud Imperatorem eſt gratia, magnisq́ Conſtantinopoli ditatur reditibus.*

DE MACELLO CONSTANTINOPOLITANO.

CAPVT XXXVI.

Macelli Turcici lanij 200.

*A*Rci huic adiunctus eſt locus, mare verſus ſe extẽdens, quem Turcarum lingua vocant Chaanare, hoc eſt, macellum, vbi ducenti degunt lanij, quos Capſapler nominant, quorum ſupremus Capſabaſcia dicitur. Huius officium eſt curare, vt per totam vrbem Conſtantinopolim recentium, minimeq́ noxiarum carnium ſemper in promptu ſit copia. Redimere cogitur hoc officium quotannis ab Imperatore ducentis aſprorum millibus; nec abſque huius permiſſu pecudem vel qualecunque animal mactare, niſi ſacrificij cauſa, quiſquam audet. Quotidie mille verueces, præter iumenta, boues, aliaq́ id genus animalia mactare cogitur. Carnes iſtæ hinc inde per ciuitatis macella diſtribuuntur à lanijs, qui item certo pacto cum Capſabaſcia conuenêre. Hoc etiam loci ingens ſeui copia coquitur, per vniuerſam Turciam diſtrahendi. Sunt præterea ex Iudæis quindecim lanij, qui cum Capſabaſcia pacto inito, Iudæis, quorum cœtus haudquaquam exilis eſt Conſtantinopoli, carnes procurant. Quod ſi querelæ de hoc Capſabaſcia ad Imperatorem deferantur, eius auaritia carnes maiori pretio, quàm lege cautum ſit, diuendi, protinus ex mandato Imperatoris, nulla vel gratia vel deprecatione quicquam valente, in quatuor partes diſſecatur, artusq́ diſſecti, ſuper præcipuum vrbis macellum ſuſpenduntur. Qua pœnæ atrocitate in officio Capſabaſcia iſte ſic continetur, ne plus priuati lucri quàm publici commodi ſit ſtudioſus.

Macello præfecti officium

Lanij Iudæi 15. Conſtantinopoli.

FINIS QVARTAE PARTIS, LIBRI II.

QVINTA

QVINTA PARS SECVNDI LIBRI, IN QVO DE IIS AGITVR CAPITANEIS ET MILITIBVS, QVI AVLAE NON

inſeruiunt, ſed paßim per Græciam & Natoliam ſunt diſtributi: Item de facinoribus aliquot memorabilibus, & prælijs inter patrem Baiazetem, eiusq́ filios geſtis.

PRÆFATIO HENRICI MVLLERI.

IN hac parte candide lector vaticinium illud Zizimi, quo in fratrem ſuum Baiazetem maledictiones congeſſit, qua de re ſupra in primo libro facta eſt mentio, verè impletum eſſe oſtenditur. Quanquam autem multa in hac parte in medium adducuntur, quorum & ſuprà meminimus, vt diligens delicatusq; lector hæc vt ſuperflua reijci poſſe, & in ijs legendis operam ludi fortè iudicaturus ſit: attamen iuſtis de cauſis nequaquam hæc omittere voluimus.

Primò, nequaquam mearum eſſe duxi partium, Genuenſi, qui Italica lingua librum hunc conſcripſit, ea quæ ipſemet per Turciam vidit & expertus eſt, decurtare. Nam hæc inter filios Baiazetis geſta, omnia ipſo in aula Turcica agente accidêre. Præterea beneuolus lector facilè hinc rei veritatem penitius perſpiciet, idemq; animaduertat, hiſtoriæ, licet à diuerſis conſcriptæ, & in nonnullis interdum circumſtantijs diſcrepantes, quomodo in genere conſentiant. Nec enim fieri poteſt, vt diuerſi eadem per omnia ſcribant, licet rebus, quas deſcribunt, ipſi interfuerint, id quod videre eſt in plæriſque omnibus hiſtoriographis, qui diuerſo ſtylo, diuerſisq; circumſtantijs res eaſdem, & in genere minimè diſſentientes conſcripſere. Nec rarò accidere videmus, duos eidem rei & prœlio interfuiſſe, alterum tamen ab alterō circa modum & circumſtantias diſcordare, in ſumma interim rei maximè cōcordantes. Quod hîc etiam in multis rerum geſtarum circumſtantijs accidere videmus, vt in prælio Baiazetis eiusq; filij Selimi, tum in coronatione filij Corcuthi, ad hæc de ſæuitia Acomathis, qui legatis parentis ſui nares auresq; præcidit. Quæ à ſuperioribus quidem nonnihil diſſentiunt, in ſumma tamen rei cum ijs conueniunt. Ne itaque candidus lector eo rigore de his iudicet, vt tanquam ſuperuacaneas nugas ea repudianda eſſe cenſeat, ſed potius hanc declarationem eſſe putet eorum, quæ ſupra breuius explicata fuêre.

Haud quidem difficile mihi fuiſſet, hanc poſtremam partem primo libro ita inſerere, vt totius hiſtoriȩ integrè continua eſſet ſeries, nec opus vlla hic eſſet repetitione. Verum haudquaquam decuit huic autori ſua auferre, & alij attribuere. Hiſpanus ſiquidem iſte, primi libri Turcicarum rerum autor, ex diuerſis hiſtoriographis, qui rerum Turcicarum mentionem fecêre, ſuum opus concinnauit. Hic verò Genuenſis, quæcunque ſcripſit, ſuis ipſe oculis vidit, ſuisq; auribus hauſit, tum re ipſa, quicquid Turcicarum rerum, poſterorum memoriæ mandauit, expertus eſt. Quæ cauſa eſt, vt in nonnullis à reliquorum autorum ſcriptis diſcrepet, & quæ ſuis accidêre temporibus præter ſummam rei plenius deſcribat. Qua de re ſyncerum lectorem circa poſtremam huius libri partem, paucis monere volui.

PRAEFATIO GENVENSIS.

PRæluſtris illa & ſublimis magnatum, Principum, Regum, Imperatorum terræ ſibi dominium vēdicantium corona, ſceptrumq; præfulgidum, ſępe ipſis dominis extremi exitij cauſa eſt, præſertim cum eò omnes neruos ſuos intendunt, vt imperij ſui terminos prorogent, & vi alijs ſua ablata ſibi adiungant. Vbi ſiquidem potentia faſtusque fuerit maximus, ibidem maximè inuidia, odium, iniuriæ, cædes, graſſantur. Ita rem ſe habere complures teſtantur hiſtoriæ, tum etiam in primis illud oſtendit faſtuoſi illius Turcarum Imperatoris fortuna & exitus. Complures Suldano Baiazeti fuêre filij, quorū nonnulli naturali morte extincti, fatis conceſſere. Quoſdam parens ipſe venenis è medio tolli iuſſit. Alij verò patrem regno exturbare conati, eum non modò ſolio tandem Imperatorio detruſere, ſed regno eiectum vita etiam ſpoliârunt, omnemq; eius faſtum & ferociam ſopitam extinxêre. Qua de re in hac poſtrema & vltima parte huius libri agere conſtitui. Nam ipſemet vt geſta ſunt vidi, adeoque rebus ipſis interfui, tum etiam recenti adhuc omnia memoria complector: Ad hæc cum aulæ Turcicæ conſtitutionem, ritus, ordinem, officia tam ciuilia quàm militaria ordine hactenus expoſuerim, operę pretium me facturum putaui, ſi in eorum gratiam, quibus hactenus iſta incognita fuêre, deſcribam, ad quantam rabiem ambitio dominandiq; libido Turcas adigat, & quod omnes in ipſorum cordibus ſtorgas adeò extinguat, vt leuius eſſe ducant cognatum haurire ſanguinem, fraternoque & paterno ſanguine manus polluere, quàm aquam, quibus pedum ſordes abluerunt profundere. Quemadmodum immani hac impietate graſſatus fuit Selimus, qui non ſolum atroci crudelitate fratres ſuos eorumq; filios perſecutus eſt & occidit, ſed patrem etiam ſuum Baiazetem, vt Imperium ſibi ſoli vindicaret, & abſq; vllius æmuli metu regnaret, regio ſolio perfidè deturbauit, eumque ætate iam imbellem viribusque omnibus exhauſtum, impiè vita ſpoliauit.

DE MILITARIBVS COPIIS IN GRAECIA, AD IMPERATORIS MANdata ſemper expeditis.

Capvt I.

Capitaneus Græciæ, maximæ potentiæ & autoritatis Vromeli Beglerbei, *quaſi dicas, Rex omnium Regum vocatur. Hic Turcici Imperatoris ſeruus eſt, maximiſq; inſtructus reditibus ſub ſe quadraginta equitum armatorum millia habet, quorum ſinguli ex Imperatoris fiſco, annuum habent ſtipendium viginti vel triginta millia aſprorum, vt quocunq; moneantur tempore, armis equiſq; inſtructi ſint & expediti. Capitaneus iſte ſummus Græciæ Gubernator eſt, eiuſq; imperio reliqui omnes Duces & Cẽturiones ſubiecti ſunt. Suſcepturus expeditionem Turca, ei mandat, vt cum vniuerſo ſuo equitatu exquiſitis armis inſtructo, intra menſem Adrianopoli compareat. Quod Imperatoris mandatum Gubernator ille omnibus protinus equitibus ſignificat, indicans, eos, qui adeſſe ad præfixum terminum contumaciter neglexerit, non ſolum omnibus beneficijs & ſtipendijs priuatum iri, ſed in ſumma etiam Imperatoris indignatione futuros. Vbi omnes Adrianopoli ad conſtitutum diem conuenerint, ſinguli in magna campi planitie recenſentur, armaq; eorum explorantur. Quod ſi grauior aliquis caſus ingruerit, vt maioribus copijs Imperatori Turcico opus ſit, mandatum promulgat Gubernator, vt ij, quorum annuum ſtipendium ducẽtorum circiter ducatorum eſt, præter ſolitum numerum duos adhuc vel plures in armis expeditos equites adducat. Hi conferri poſſunt cum ijs, qui inter Chriſtianos nobili prognati proſapia, Principibus Regibuſq; ijs, à quibus ſolenni ritu ſua accipiunt, vt vocant, feuda & regalia, ſeruitio obſtricti ſunt. Congregato recenſitoq; exercitu, agricolis per vniuerſam Græciam iniungitur, vt commeatum, annonamq; magna copia conuehant, & exercitui iuſto pretio diuendant. Præterea per ſingula oppida & ciuitates, quintus quiſq; opificum, quemcunq; ſors exegerit, caſtra armatus ſequi cogitur.*

Capitaneus Græciæ 40000. equites inſtructos ſemper alit.

Opifices quoq; ſorte in militiam protrudũtur

DE GVBERNATORE VRBIS MODINI.

Capvt II.

Odini, quæ vrbs eſt ampliſſima Gubernator, Turcici item tyranni ſeruus eſt, Merabegi *dictus. Hic vniuerſæ præeſt Aethiopiæ. Annuum huius ſtipendium eſt ſeptingentorum circiter aſprorum millium. Hic, vt primũ Imperatoris mandata ad eum perlata fuerint, mille equites armis inſtructos ad Imperatorem tranſmittit, ijſq; de ſuis reditibus ſtipendia, ſumptuſq; ad bella neceſſarios ſuppeditat.*

Aethiopiæ Capitaneus equites alit 1000.

DE

DE GVBERNATORE BOSNAE.

CAPVT III.

Boſnæ ſeu Vngariæ præfectus 800. alit milites.

INgens etiam eſt Boſnæ præfectura. Gubernator huius regionis Turcici tyranni ſeruus, vltra decem ducatorum millia, annui ſui ſtipendij nomine habet. Hic cum ſuis copijs Vngariæ ſemper limitibus eſt oppoſitus, nec exercitum aliò traducere ipſi licet, vt ſemper in armis ſint, qui Vngarorum impreſſiones prohibeant, terramq́ hoſtilem infeſtent. Octingentos circiter armis equisq́ optimè inſtructos habet milites, qui caſtra Imperatoris nunquam ſequuntur, ſed Vngaris oppoſiti eorum fines infeſtant; & quibus poſſunt cladibus atque iniurijs laceſſunt. Quanquam parum fœliciter perſæpe ipſis hic cedit impetus, dum in manus hoſtium incidentes, corporis vitæq́ iacturam faciunt.

DE GVBERNATORE SALONICI.

CAPVT IIII.

SAlonicum ciuitas præpotentem ſub ſe habet regionem, compluresq́ arces, caſtella, vicos. Et huius gubernator ſeruus eſt Turcæ, octo circiter millia ducatorum ex reditibus Turcicis habens ſtipendium, quod ipſi, pro temporis ratione ſæpius, eò quòd ampla ſit, cui præeſt regio, augetur. Equites hic ſub ſe habet circiter quingentos. Imperatori expeditionem ſuſcepturo, quadringentos armis inſtructos tradit. Centum reliquos ſecum retinet, quorum opera in regione, quam ſibi commiſſam habet, coërcenda, annuisq́ reditibus colligendis vtitur.

Salonici præfectus equites habet 500.

DE DVOBVS IN GRAECIA DVCIBVS, QVOS Sangiarbegler vocant.

CAPVT V.

Duo in Græcia prædones ordinarij, alentes equites quisq; 200.

PRæter eos quos diximus, duo ſunt in Græcia duces, quos tamen æquius latrones vel prædones, quàm duces & præfectos nominaueris. Pobulabundi enim prædonum more hinc inde per Boſnam Valachiam vagantur, quicquid obuium habent, diripiunt, nec viris nec mulieribus, nec etiam pueris nec ſenibus parcentes. Quos in ſeruitutem abreptos pro ſuo arbitrio vel diuendunt, vel Turcico Imperatori donant. Vocantur duces hi Sangiarbegler. Ducentos quiſque ſub ſe habet equites. Annuum vtriuſq́ ſtipendium eſt triginta millium aſprorum. Hi Turcam, quando aduerſus hoſtes expeditionem ſuſcipit, ære eius militantes ſequuntur. Supremus omnium ducum eſt ille Græciæ Bellerbei vel Gubernator. Is reliquas etiam præfecturas ſub ſua habet manu, duces, gubernatoresq́

toresq́ pro ſuo arbitrio eis præficit, ſtipendia conſtituit & immutat, præfecturisq́, ſi qui minus commode eas adminiſtrent deijcit, pœnasq́ irrogat.

DE COPIIS MILITARIBVS, QVAS IN NATOLIA VEL ASIA, IMPERATOR TURCICUS IN ARMIS EXPEDITAS HABET.

CAPVT VI.

Natolia ſiue Aſia, amplitudine, diuitijs, vrbiumq́ ſplendore Græcia haud inferior, ſummum etiam præfectum vel gubernatorem, aut Bellerbeium, Turcici Tyranni ſeruum quemadmodum Græcia habet. Gubernator iſte, Turcæ etiam filijs, ſi qui regionibus Aſiæ præſunt, vt ſeruis ſuis imperat. Sedem habet in ciuitate, quam Cuſtagen *vocant. Annuum eius eſt ſtipendium, præter varios reditus, triginta millium ducatorum. Ab Imperatore expeditionem ſuſcepturo copias educere iuſſus, per totam Natoliam properè miſsis veredarijs, intra paucos dies triginta millia equitum colligit, quibus de commeatu & annona per agricolas & prouinciales commode proſpicit, & dicto fere citius inſtructiſsimas copias Imperatori adducit.*

Capitaneus ſeu Bellerbeius Aſiæ ſeu Natoliȩ, equites promit 30000.

DE PEDITIBVS, QVOS AZAPPI VOCANT.

CAPVT VII.

Hactenus equitatum Turcicum paucis deſcripſimus. Jam pauca etiam ſubnectemus de peditibus, ijs videlicet, qui præter Ianizaros ad arma, tumultuaria quaſi opera euocantur. Quoties Jmperatori nouas peditatui copias addere opus eſt, erecto per Natoliam vexillo publice proclamat, vt quibuſcunque ære militare ſit animus, ij rectà Conſtantinopolim tendant, ſtipendium ibi accepturi. Eius etiam regionis Caldeleſcher, *hoc eſt, ſupremus iudex & prætor, vexillum ſupra palatij ſui portam erigit, & quicunq́ apud ipſum ex iuuenibus nomina ſua profitentur, eos humaniter excipit, numeratoq́ trium menſium ſtipendio, viatico, vſque ad locum, vbi exercitus recenſendus eſt, inſtructos dimittit. Eundem ad modum &* Caldeleſcher *Græciæ milites colligit, qui in centurias diſtribuuntur. Centuriones nomine militum, quibus præfecti ſunt, Imperatori Turcico militari ſacramento ſe obligant. Jn hoc peditum exercitu tumultuariè euocato, iuuenum vltra quadraginta millia plærunq́ recenſentur. Matrimonij hi fere omnes ſunt expertes. Nec ſane ingratum eſt Imperatori, quod expeditioni interſint. Eius enim plæriq́ ſunt ingenij, vt foris agēte in caſtris domino, tumultibus interim domi omnia turbent, latrocinijs & prædationibus regionem infeſtam reddant, nec vllo modo in*

Milites tumultuaria opera in Aſia & Grȩcia collecti, 40000.

officio contineri poſsint. Arma ipſorum ſunt arcus, ſagittæ, & lanceæ. Hæ ſunt copiæ, quas præter ordinarios exercitus, per Græciam & Natoliam Imperator Turcicus ſolet conſcribere.

Deinceps agetur de Soldani Baiazethis filijs, qui Natoliæ regionibus præfecti, regnum Turcicum inteſtinis bellis inuoluêre, fraternisq́ cædibus funeſtum reddidêre.

DE FILIIS IMPERATORIS TVRCICI BAIAZETIS, qui in Natolia Satrapias habuêre.

Capvt viii.

Filij Soldani Baiazetis ſex.

SOldano Baiazeti, præter ingentes reditus, imperia, prouincias, regna, arces, caſtella, vrbes, nationes, ſex etiam filij erant, quos præfecturis regali maieſtate illuſtribus in Natolia donarat. Nihilominus autem Natoliæ Bellerbeio, Caragio Baſciæ parêre cogebantur.

Filius primogenitus erat Sciemſcia, prouinciæ Caramanniæ præfectus. Reditus eius annui fuêre circiter octuaginta ducatorum millia. Seruorum aulicorumq́ miniſtrorum vltra quatuor habuit millia, quibus ex Imperatoris reditibus ſtipendia decernebantur.

Secundus, Soldanus Alemſcia ei regioni præerat, quæ Perſarũ regno eſt cõtermina. Reditus eius erant circiter ſexaginta ducatorum millia. Huic præter mancipia, quorum numerus erat haud exiguus, aulici ſeruiebant miniſtri circiter tria millia.

Tertius, Soldanus Achomates, dominus Amaſiæ, quæ Natoliæ eſt contermina. Et huius circiter 60000. ducatorum reditus erant annui. Familia aulica, quæ & fratrũ ſuperiorũ. Huius in primo hiſtoriæ libro meminimus.

Quartus, Soldanus Mahometes, Magneſiæ dominus. Huius annui reditus, vltra 40000. ducatorũ cenſebantur. Huic, quemadmodũ & reliquis, miniſtri aulici fuerunt additi, numero tamen aliquanto pauciores.

Quintus, Soldanus Selimus, qui reliquos fratres ſuos crudeliter perſecutus eſt, & è medio ſuſtulit, patreq́ eiecto, & perfidè necato Imperium ſibi vendicauit, Solimanni Imperatoris Turcici pater. Hic Trapezontij fuit dominus, in annuis reditibus circiter quadraginta ducatorum habuit millia. Aulæ apparatu, miniſtrorumq́ & ſeruorum turba reliquis, licet reditus eius minores eſſent, longè ſplendidior.

Minimus natu Soldanus Corcuthus. Huius ſedes fuit in ciuitate Caſtemol, quæ Turcici imperij finibus adiacet. Et huius 40000. ducatorum reditus fuêre annui. Apparatus aulicus idem qui & ſuperiorum. Huic, cum abeſſet parens Baiazethes, Ianizari & Purpurati coronam Imperatoriam impoſuerant, fidemq́ vt Imperatori ſacramento aſtrixerant. Quæ de re in primo libro mentio facta, & deinceps idem fuſius explicabitur.

DE

DE OBITV ALEMSCIAE SECVNDI, BAIA-zetis filij.

Capvt ix.

Beatus ſibi tot filijs, in quibus heroica animorum magnitudo elucebat, videbatur Baiazetes. Singulos etiam opibus regio ſplendori ſufficientibus ditârat. Verum ea fortunæ eſt natura, vt nunquam ſit ſtabilis, & voluptatem vnicam geminus plærunq; ſequatur dolor. Id quod ſuis tandem calamitatibus Baiazetes, qui inter Turcicos Imperatores facile & potentiſſimus & fortunatiſſimus fuerat, oſtendit. Nam ad decrepitam ætatem cum perueniſſet, quaſi agminatim fraternis in eum conſurgentibus furijs, fortunam in rebus maximis aduerſam expertus, inter luctus acerbiſſimos, miſeram vitam violenta morte finijt.

Cum filij Alemſciæ ægritudo ipſi renunciata eſſet, medicos protinus, quos habuit peritiſſimos, quanquam ſerò ad eum miſit, tum etiam per omnia templa pro ſalute filij ſupplicationes fieri mandauit, quinquaginta & centum veruecibus mactatis. Biduo deinde elapſo adeſt veredarius pulla veſte indutus, literas offerens atras candidis characteribus inſignitas, mortem filij Alemſciæ denunciantes. Quas vbi reſignauit literas, ſomnio, inquit, de morte filij mei præmonitus ſum. Nec plura effatus, in lachrymas ſubitò ſolutus eſt, abiectoq; diademate, auulſisq; tapetibus, quibus omnia palatij conclauia corruſcant, luctum omnibus indicit, Conſtantinopoli officinas opificum, mercatorumq; tabernas per triduũ claudi, muſica inſtrumenta in vniuerſum omnia obmuteſcere iubet. Pro ſalute animæ filij victimas mactat, per ſingulas ſeptimanas, inter pauperes ſeptem aſprorum millia diſtribui præcipit. Cadauer Pruſiam vehi, ibiq; ſolenni ritu ſepeliri curat. Vxorem filij, nepotemq; & duas neptes vnà cum regijs eorum theſauris Conſtantinopolim accerſit. Nepoti paternam præfecturam reſtituit, neptesq; honeſtè elocauit, miniſtros filij aulicos nouis ſtipendijs ditatos, partim nepoti adiunxit, partim ſecum reſeruauit.

Obitus filij Alemſciæ ſecũdi, luctuoſus Baiazethi patri.

SOLDANVS MAHOMETES, MVTATO HABItu fratrem Acomathem Amaſiæ Dominum inuiſit.

Capvt x.

Tertius Baiazetis filius Mahometes, Magneſiæ dominus, ingenij fuit peracuti, prudentiæ & autoritatis magnæ, duobus aſcitis ſocijs, monachorum more, quos Ioamaïler *vocant, de quibus ſuprà monuimus, fratris ſui Soldani Acomathis Amaſiæ domini vitam & ſtatum*

Soldanus Mahometes habitu monachi inuiſit fratrem Acomathem.

tum clam explorare aliquando conſtituit. Germani ſiquidem erant fratres. Amaſiam itaq; profecti, ſe cantores eſſe ſimulârunt, librum manu tenentes, cymbaliſq; clangentes ciuitatem peruagati ſunt, eleemoſynaſq; à populo collegêre. Die deinde feſto, qui, vt ſæpius dictum, apud nos dies eſt Veneris, ad templi fores acceſsêre, Acomathis aduentum ibi præſtolantes. Quo prætereunte, ea dulcedine & cymbalis & viua voce luſere, vt attonitus Acomathes aliquandiu auſcultaret. Finito concentu muſico, cum eleemoſynam peterent, quinq; ipſis aſpros Acomathes numerari iuſsit. Vili adeò munere donatū ſe eſſe indignatus Mahometes, nequaquam arcem ingredi, vt primum conſtituerat, voluit, ſed confeſtim equis conſcenſis, retro ſimul vnde venerant, in regionem ſuam reuerſi ſunt. Domum reuerſus, Mahometes literas ſcommatibus refertas ad fratrem Acomathem dedit, quibus ſordes Ottomannico ſanguine indignas ei exprobrauit, & quinq; illos aſpros cera conglutinatos literis impoſuit. Indigne admodum hoc tulit Acomathes, & perpetuæ inde ſimultates fratres hoſce exercuêre. Facinus hoc Mahometis per vniuerſam Turciam emanauit.

IDEM MAHOMETES MVTATO HABITV CONſtantinopolim adit.

Capvt xi.

Mahometes habitu piratæ Conſtantinopolim ſe confert.

HAud contentus hoc facinore Mahometes, breui poſt aſſumpto Capitanei vel piratæ habitu celocem conſcendit & Conſtantinopolim adit. Egreſſus naui totam ciuitatem, tum etiam Peram ex aduerſo Conſtantinopoleos ſitam, duobus eum comitantibus diligenter perluſtrat, attentè conſiderans, quæ dexteritate & prudentia à patre ſuo omnia eſſent diſpoſita. Fortè eo die cum purpuratis ſuis ſenatū habebat Baiazetes. Cum arcem etiam ingredi pararent à ianitoribus, qui ex veſtitu haud eos aulicos eſſe miniſtros agnoſcebant, prohibiti ſunt. Inito itaq; cum ſocijs conſilio, puerum Chriſtianum, forma inſignem emit. Poſtridie deinde vnà ad arcem progreſsi ſe piratas eſſe ſimulârunt, & ad Imperatorem, cui munus offerre velint, ſe admitti petierunt. Sic intromiſsi cum eſſent ad Imperatorem, vnus ex comitibus ſe piratarum Principem eſſe ſimulans Imperatorem acceſsit, manuſq; eius exoſculatus, munus obtulit. Verebatur enim Mahometes, ne ſi ipſe propius accederet, forte indicio aliquo proderetur. Puer iſte Baiazeti pergratus fuit, ideoq; ei, qui munus repræſentârat, veſtem auro textam, reliquis duobus Damaſcenam inijci curauit. His ornati veſtibus arce egreſsi diuerſorium repetiêre, cum in tres purpuratos inciderunt, qui cum Mahometem agnoſcerent, protinus equis deſilientes, ei decentem honorem exhibere voluêre, ſed nutu moniti vt rem celarent cœpto ſuo de-

ſuo deſtitêre. Mahometes verò diutius haud moratus, ad celocem cum ſocijs ſuis perrexit, & in ſuam propere regionem reuerſus eſt. De hoc Mahometis facinore rumor per Conſtantinopolim, & ad Imperatorem vſq; breui pòſt emanauit. Quæ res Baiazeti varias iniecit ſolicitudines. Cum tribus itaq; Baßis inito conſilio, cum ſimili fraude erga fratrem Acomathem eum vſum eſſe reſciſceret, eum quouis modo è medio tollendum eſſe decreuit. Verebatur enim, ne ingens aliquot facinus vel ſibi vel reliquis filijs exitiale fraude iſta moliretur. Jubet itaque vt vni ex præcipuis filij miniſtris, quem præ reliquis ad facinus hoc idoneum iudicarent, ſuo nomine ſcribant, vt Mahometem capta occaſione, veneno interimat.

BAIAZETHES FILIVM MAHOMETEM VENENO interfici iubet.

CAPVT XII.

VArijs angebatur curis Baiazetes, vbi filij ſui facinus reſciuit. Suo itaq; nomine ei, qui à ſecretis eſſet filij, à Baſcis ſcribi mandat, vt Mahometẽ pharmaco, quod literis erat incluſum, è medio tollat, pro quo facinore ingentia ei munera amploſq; dominatus offert. Monet etiam, vt rem, ſi ad effectũ eam perducere nequiret, accurate celaret, ne quâ ad Mahometem permanaret, ipſiq; certum inde exitium crearetur. Purpurato iſti, cui nomen erat Aſmehemedi, *haud ingrata erat iſta conditio, præſertim cum alioquin offenſo in Mahometẽ eſſet animo. Itaq; in omnem occaſionem paratus fuit, vt Baiazetis mandatum exequeretur. Tandem feſto die, cum in hortis ſeſe oblectaſſet Mahometes, ſitibundusq; potum ſibi porrigi iuberet, Aſmehedi iſte in aureo ſcypho pharmacum ei præbuit. Paulò pòſt cum dolores ſentiret, accerſitos medicos cõſulit, qui ex auidiore hauſtu eum languere rati, nullum veneni indicium agnouêre, donec intra ſextum diem extinctus eſt.* Mahometes veneno ſublatus à patre.

Rumor de filij morte per veredarium pullatum protinus ad patrẽ Baiazetẽ delatus fuit. Qui licet autor mortis eius eſſet, à luctu tamen ſibi temperare haud potuit. Pullatos eſſe iubet omnes ſuos purpuratos, & reliquos aulicos, ſupplicationes in templis fieri, & eleemoſynas pro ſalute animæ eius diſtribui, corpus verò Pruſiam deferri, ſolenniq; ritu ibi ſepeliri præcipit. Purpuratum deinde, qui veneficij miniſtrum ſe præbuerat compræhendi, & in atrum carcerem conijci mandat. Nec quid cum ipſo actum fuerit, in hodiernum vſq; diem innotuit. Filijs Mahometis præfecturas parentis ipſorum commiſit. Filias purpuratis ſuis deſpondit. Perfidiæ præmium.

DE MORTE SCIEMSCIAE PRIMOGENITI BAiazetis filij.

Capvt XIII.

Mors Sciemſciæ, primogeniti Baiazethis.

Soldanus Sciemſcia, qui in magna ob eximias, quæ in eo elucebant, virtutes, apud BaiaZetem fuit gratia, naturali morte è viuis conceßit, ingensq́ deſiderium & grauem luctum tam patri quàm ſubditis omnibus poſt ſe reliquit. Quem vbi ſepulturæ, quemadmodum & reliquos pater mandauit, filios eius regionibus iſtis, eadem poteſtate, qua præfuerat Sciemſcia, præfecit.

DE TERRAE MOTV, QVO MAGNA EX PARte corruit Conſtantinopolis.

Capvt XIIII.

Terræmotus Conſtantinopolis ſub Baiazethe.

Circa hæc tempora, menſe Auguſto, circiter horam noctis tertiam, ingenti terræ motu Conſtantinopolis concuſſa, maximum terrorem ciuibus extrema iam inſtare metuẽtibus, incußit. Per horam dimidiatam quaſſatio illa durauit. Sequutæ deinde ſunt plures terræ cõcuſſiones, ſed minus vehementes. Diſiectæ ſunt turres templorum, ædificiorum, & quæ per vrbis mœnia extructæ fuerunt. Murus etiam ipſe, omniaq́ vrbis ædificia vel prorſus collapſa ſunt, vel rimis actis fathiſcere cœperunt. Ingens hominum multitudo ruinis iſtis obruta perijt. Eorum, qui è terra effodiebantur, vltra mille quingentos fuêre. Miſeranda admodum vrbis fuit facies. Nec quicquam prius habuit Baiazetes, quàm vt collapſa vrbis mœnia & ædificia redintegraret. Tributum itaque per omnes Imperij ſui regiones viritim indixit. Seuerè præcepit, grauißimum mortis ſupplicium contumacibus interminatus, vt quotquot per vniuerſam Turciam eſſent lapicidæ, ex omnibus prætereà pagis & oppidis decimus quiſque Conſtantinopolim ſe conferrent. Ingentes lapidum, calcis, arenæ, aceruos, & quicquid ad ædificandum eſſet neceſſarium, eò congeri mandauit. Sic effectum eſt, vt intra menſem vltra octuaginta opificum & mercenariorum millia, in reparandis Conſtantinopoleos ruderibus exercerentur. Baiazetes interea Adrianopolim aulam ſuam tranſtulit, relicto Conſtantinopoli Capitaneo cum decem Ianizarorum millibus. Opifices iſti & lapicidæ ita labores inter ſe partiti ſunt, vt intra trium menſium ſpacium muros Conſtantinopoleos, licet ambitu ſuo tria Germanica miliaria complectantur, in vniuerſum reparârint. Turres deinde paßim per muros & ciuitatis ædificia, tum etiam templorum, arcium, palatiorum collapſas, omnes de integro extruxêre, præſertim quæ Peræ, quæ Conſtantinopoli eſt oppoſita, corruerant. Perfecto opere omnibus promptè merces ſoluta fuit. Et breui

Ambitus murorum Conſtantinopolis tria miliaria Germanica.

pòſt

poſt ipſe Baiazetes Conſtantinopolim reuerſus eſt, vt ex ſequentibus latius patebit.

DE SELIMI ADVERSVS PATREM BAIAZEtem rebellione.

Capvt xv.

EX multis ſæpe viris, qui non ſolum ætate graues, ſed etiam intellectu & prudentia fuêre inſignes audiui, deteriorem patri, cum ſenuerit, hoſtem haud eſſe, quàm proprios liberos, præſertim ſi erga eos in adoleſcentiæ flore cõſtitutos, indulgentia blandus, educatione mollis, diſciplina facilis fuerit. Verè ita rem ſe habere, præter varias hiſtorias, hic etiam Baiazetes teſtatur. Nam cum adhuc Adrianopoli, ob Conſtantinopolis ruinas moraretur, rumor ad ipſum perfertur, Selimum filium natu minimum relicto Trapezontio, Greciam verſus magnis itineribus tendere, ducentem ſecum virorum, qui armis ſint inſtructiſsimi, viginti quinque millia, eo prætextu, quod regnum Vngariæ debellare, & in formam prouinciæ, in qua ſibi ſedem figat, redigere velit. Hac filij ſui audacia vehementer turbatus Baiazetes, quòd citra ſuam veniam, ſe etiam inſcio, tale moliretur facinus, ſatis mirari nõ potuit. Miſsis itaq; ei obuiam legatis, extemplo in ſuam prouinciam eum egredi iuſsit, & ſeriò, quicquam mouere aut moliri, vel vlterius progredi, vetuit. Contrà, Selimus ſe in prouincia ſibi aſsignata diutius morari haud poſſe reſpondit, propter fratrẽ ſibi vicinum Acomathem, à quo multis afficeretur incommodis. Si verò vlterius progredi omnino ſibi haud liceat, petere ſe à patre theſauros, quos in bello aduerſus Sophum Perſarum acquiſiuerit. Pater vt turbulenta filij conſilia ſedaret, viginti ei ducatorum millia donat, annuos etiam reditus magna ex parte auget, denuo mandans, vt citra vllam deliberationem in ſuam reuertatur prouinciam. Verùm mandata patris floccipendens filius, in ſuſcepto itinere impigrè progreditur, & præter oblata munera, decem millia virorum à patre ſuis copijs adiungi petit, quò ſibi facilior aduerſus Vngaros eſſet expeditio. Corruperat iam antea muneribus duos ex purpuratis Baiazethis præcipuos, cum quibus per literas conſilia conferebat. Iſti autores ei erant, ne procul inde diſcederet, patrem ætate iam grandem eſſe, ad imperij molem ſuſtinendam inualidum, nec per ætatem diu ſuperſtitem eſſe poſſe. Quòd ſi è viuis ille excedat, facile eius præſentis rationem haberi poſſe, vt ad imperij faſtigium euehatur. Hoc nequaquam pro nihilo ducens conſilium, cum exercitu ſuo Adrianopolim vſq; Selimus progreditur, per totam Græciam, Imperatorem Turcicum ſe proclamari, affixisq́; paſsim tabulis denunciari curat, validamq́; perditorũ hominum manum, numeratis liberaliter ſtipendijs ſibi conciliat, ſic vt quadraginta virorum millia iam in armis

Filij proprij patri ſeni hoſtes pernicioſiſsimi.

Selimus patri Baiazethi bellũmouet.

armis haberet. Quibus auditis pater Baiazetes, denuo miſsis legatis ei denunciat, ni cœpto deſiſtat, ſe paternas in eum maledictiones congeſturum. Dum hæc aguntur, quidam interim à ſecretis Selimi, literis, nullo ſubſcripto nomine, clam Baiazetem monet, Selimum conſtituiſſe, rectà Conſtantinopolim verſus tendere, ſoliumq́ Imperatorium vi ſibi vendicare. Quibus cognitis Baiazetes, theſauros protinus omnes & arma colligere iubet, & quanta potuit celeritate Conſtantinopolim verſus iter direxit. Adrianopolim, egreſſo Baiazethe, è veſtigio Selimus occupauit, Turcicumq́ Imperatorem ſe publicè proclamari præcepit, protinus inde caſtra mouens, & ipſe Conſtantinopolim verſus magnis itineribus perrexit, ſperans futurum, vt patrem anteuertat, ſuaq́ celeritate Conſtantinopolim ipſi præripiat.

DE PRAELIO INTER SELIMVM EIVSQVE PAtrem Baiazetem geſto.

Capvt xvi.

Magnis ſimul itineribus & pater Baiazetes, & filius Selimus Conſtantinopolim properabant. Vi ſiquidem filius patrem anteuertere conabatur. Vix iam quatuor ſtadijs inter ſe aberant, cum pater filij impetum vi retundendum eſſe ratus, arma expediri, vexilla erigi, aciesq́ inſtrui iubet. Verùm ex purpuratis præcipui, qui Selimi ſtudentes partibus, clam cum eo conſilia conferebant, veriti ne penes Baiazetem eſſet victoria, prælium diſſuadebant, maiores inquiunt Selimi eſſe copias, quàm Baiazetis (erant ſiquidem in patris exercitu non vltra triginta virorum millia, in Selimi verò quadraginta millia) nec etiam victoriam iſtam, qua pater filium debellârit, glorioſam eſſe poſſe. Ad quæ Baiazetes, parui, inquit, duco, numero ſuperiores eſſe filij copias, dummodo meæ ſint animis paratiores, & virtute potiores. Ibi rurſus illi, ventum ſolemq́ ſuis copijs aduerſum eſſe, ideo haud facile victoriam ſperare ſe poſſe. Contrà Baiazetes: Sit licet & ſol & ventus nobis aduerſus, attamen iuſtior nobis cauſa eſt belli, quàm filio: Nec mihi cauſam hanc, qua ſuperior ſum, vel ſol vel ventus, nec etiam contumacis filij exercitus eripere poterit. Nam omnis ille pietatis & obedientiæ, quã mihi debet, oblitus, impia arma temere aduerſus patrem expediuit, adeoq́ impij eius temerarijq́ conatus exitum qualem merentur, fortuna, Deoq́ nobis fauente ſortientur. Quare vt decet meis acquieſcite mandatis, ne meæ ſalutis proditores videamini. Verbis hiſce Baiazetis victi, protinus arma & vexilla expediri, claſsicum cani, acies inſtrui iuſſere. Nec minor in ſuis exhortandis & ordinandis militibus Selimi fuit induſtria. Cum acies inter ſe iam committendæ eſſent, ducenti vtrinq́ milites primũ progreſsi ſunt, vt facto initio pugnæ, velitatione quadam de

Cauſa niſi iuſta eſt, excutit arma pudor.

dam de

dam de totius agminis virtute & robore periculum facerent. Victoria ſtetit penes Baiazethis milites, qui præciſa hoſtium capita ad Imperatorem attulerunt, is pro ſingulis capitibus mille aſpris victorem militem donauit. Quæ conſuetudo ſolennis eſt, in initio conflictus Imperatoribus Turcicis. Baiazethes extra conflictum in lectica quieſcens, ſpectator erat prælij, nec enim propter podagricos dolores equo vehi commodè poterat. Satellites decemq́ Ianizarorum millia eum cingebant. Jnitio ſtatim pugnæ ventus conuerſus, Selimo contrarius eſſe cœpit. Cum acri vtrinq́ prælio certaretur, ſubitò Baiazethes totum Ianizarorum agmen in hoſtes immiſit, qui impetum eius nequaquam ſuſtinentes, turpem fugam, plurimis eorum occiſis, inire coacti ſunt. Selimus etiam nulla in virtute militum ſpem reliquam habens, equo ſpadicei coloris vectus in triremem magna cum trepidatione delatus, ſuis rebus fuga conſuluit. Plærique militum (paucis fuga diſſipatis & elapſis) trucidati fuêre. Jpſemet vidi iam duos, iam quatuor, iam ſex copula nexos, à militibus Baiazethis ad Jmperatorem adduci, ipſoq́ aſpectante trucidari. Maximos vidiſſes capitum, quæ ipſis præcidebantur, aceruos, tum cadauera turrium more congeſta. Parta inſigni hac victoria, abſque magna ſuorum iactura Baiazethes, triduum ibidem quieti & tripudio, donec milites ab hoſtium inſectatione colligerentur, dedit. Recenſitoq́ exercitu ſeptingentos ſuorum deſiderauit. Ex quadraginta verò millibus Selimi octo tantum millia fuga euaſiſſe compertum eſt. Conſtantinopolim deinde qua ob terræ motum per biennium abfuerat triumphans ingreditur, regiaq́ munera ob partam victoriam inter milites & purpuratos diſtribuit.

Selimus à patre Baiazethe profligatus.

ACOMATHES AMASIA EGRESSVS AD IMPErium aſpirat.

Capvt XVII.

Acomathes vbi de victoria patris, & Selimi clade certior factus eſt, planè à Selimo Baiazethis animum alienatum eſſe ratus, certam potiundi Imperij ſpem animo concepit. Aſſumptis itaque quindecim virorum millibus, Amaſia lætus egreditur, & rectà Conſtantinopolim magna ſpe erectus petit. Sexaginta forte ſtadijs Conſtantinopoli aberat Acomathes, cum de inopinato eius aduentu certior factus Baiazethes, ex purpuratis præcipuum Suluſtarem Baſciam ei obuiam mittit, quærens ex ipſo, quibus impulſus cauſis non accerſitus cum exercitu auſit accedere? Ad quæ Acomathes, ſe nulla alia de cauſa aduenisse, ait, quam vt patris manus, ea qua decet filium pietate & veneratione exoſcularetur, eiq́ de parta victoria gratularetur. Hoc prætextu ſperabat ſe impe-

Acomathes in patrem ſeditioſus, 15000. inſtructus.

traturum, vt in ciuitatem intromitteretur, miſsis interim clam literis ad purpuratorum præcipuos, quibus animos eorum ſolicitabat, petens, vt apud patrem de imperio ſibi committendo inſtarent, ingentia ſimul ipſis promittens munera. Verum illi Selimo ſtudioſiores, parum admodum reſponſis ſuis animum eius confirmabant. Suluſter Baſcia hoc ad Baiazethem delato filij reſponſo, denuò ad Acomathem ablegatur, iuſſus ei patris nomine indicare, victoriam de filio partam non magni eſſe momenti, paternam tantummodo caſtigationem fuiſſe, qua cõtumax rebelliſq; filius ad officium fuerit reuocandus. Quod ſi & ipſe ſuo contumaciter inſiſtat propoſito, nec in regionem ſibi aſsignatam propere reuertatur, fore vt ſimili coërceatur caſtigatione. Spe itaq; ſua excidens Acomathes, plenus irarum, cum paternam illam caſtigationem experiri nollet, retroceſsit.

ACOMATHES PATRI REBELLIS NATOLIAE Imperium inuadit.

Capvt xviii.

Spe ſua fruſtratus Acomathes, vbi indignabundus domum reuertit, filios ſuos integræ ætatis iuuenes, Madinum Celebi, & Amurathem Celebi accerſitos edocuit, quo animo Conſtantinopolim verſus armata manu progreſſus fuerit, nempe vt ſibi ſuiſq; Conſtantinopolitanum Imperium acquireret. Verum aduerſantem in omnibus fortunam expertum ſe eſſe. Itaq; virtute ipſorum iam opus eſſe. Decreuiſſe enim ſe, vt repulſæ iſtius ignominiam aboleret, omiſſo Conſtantinopolitano Imperio, vniuerſam ſibi Natoliam ſubiugare. Quod patris propoſitum vtriq; filiorum haud ingratum erat, magis quod dominandi eos libido ſtimularet, quam vt parenti obedientiam eſſe præſtandam putarent. Nec mora quinq; armatorum millia vtriq; filiorum pater addit, vt vi in Natoliam impreſsionem facientes, ſe totius regni dominos proclamarent. Solicitauit etiam Acomathes in fœderis ſocietatem, filium Sciemſciæ fratris natu maximi vita iam defuncti, Caramanniæ, quam Sciemſcia rexerat dominum. Verum ille ſe ſua contentum eſſe ſorte reſpondit, regioni ſe præeſſe à patre ſibi relictæ, eamq; ex aui beneficio tranquillè hucuſque poſsidere, vi & ſeditionibus plura ad ſe rapere animum ſibi haud eſſe. Quod reſponſum indigne ferens Acomathes, adiunctis ſibi filijs eum adoritur, victumq; principatu omnibuſq; bonis exuit, & in vinculis detinet, donec Baiazethes miſſo filio Selimo hanc eius inſolentiam puniuit.

Acomathes Natoliam inuadit.

BAIA-

BAIAZETHES FILIVM SELIMVM ACcerſit.

Capvt xix.

Hanc Acomathis inſolentiam, qua Natoliam vniuerſam inuaderet, nepotem bonis omnibus ſpoliatum in vinculis detineret, nec quicquam à violentia ſua remitteret, vbi reſciuit Baiazethes, conuocatis purpuratis, conſultationem de coërcenda filij impietate inſtituit. Plæriq; omnes Selimo ſtudebant, itaq; vnanimi conſenſu Baiazeti autores ſunt, vt claſſe citra moram inſtructa, filij conatibus obuiam iret, magis verò idoneum belli ducem haud fore quàm ipſum Selimum, nec ſanè vllum ex miniſtris id oneris ſuſcepturum, vt aduerſus filium Imperatoris bellum gerat. Selimum itaq; accerſendum, eumq; bello ſummum ducem præficiendum. Sic enim futurum, vt dolor, quem ex perpeſſa clade, paternaq; caſtigatione conceperit, leniatur, ipſeq; erga patrem humilior à Græcia auertatur, & in Natolia recuperanda occupatus, patrem ab alijs curis liberet. Hoc ſuo conſilio id vnum ſpectabant, vt Selimum intra vrbem accerſerent. Quo facto facilè ſe deinde effecturos ſperabant, vt Imperij ſceptra ipſi committerentur. Selimus patri reconciliatus, & bello contra fratrem præfectus.

Hanc purpuratorum fraudem Baiazetes, licet in alijs callidus & aſtutus haud intellexit, ſed conſilio eorum acquieſcens Selimum belli ſummum ducem proclamauit, & vt literis ſuo nomine ſcriptis Conſtantinopolim accerſeretur præcepit. Quæ res purpuratis ſedulò conſilia ſua diſsimulantibus pergrata accidit. Selimus etiam ſaluo conductu à patre accepto, nihil cunctandũ ratus, propere copias ſuas armans Conſtantinopolim ſe recepit.

CORCVTHVS MINIMVS NATV FILIORVM Baiazethis, clam Conſtantinopolim aduenit.

Capvt xx.

Hoſce mirandos fratrum ſuorum aduerſus patrem Baiazetem motus, vbi Corcuthus cognouit, omnino perſuaſum habuit, reliquos duos fratres à patre vt ſceleratos impioſq; filios reiectos & damnatos. Itaq; haud dubia ſpe conſequendi Imperij erectus fuit, nam iure id ſibi deberi, ſeq; iam olim legitimum eius hæredem eſſe, haud temerè putabat.

Mahomete enim iam mortuo, cum abeſſet Conſtantinopoli Baiazethes, plenaq; turbarum omnia eſſent, quemadmodum in interregno fieri conſueuit, Purpurati hunc Corcuthum, Baiazethis filium, in arce Conſtantinopolitana inter regios pueros bonis literis operam nauantem Imperatoria corona, abſente patre eius, ornarunt, Imperatoremq; publicè pro-

Baiazethes quomodo ſoliũ Imperatorium, contra filium occupauerit.

clamarunt. Baiazetes deinde pater eius cum ad vrbem aduentaret, miſsis legatis filio ſignificauit, ſe & videndi & ſalutandi eius teneri deſiderio, quatenus ipſius pace id fieri poſsit. Filius aduentum patris nequaquam auerſatus, vt in cœpto itinere pergeret iuſsit. Pater itaque cum purpuratis inito conſilio, ingentia ipſis pollicitus eſt munera, ſi ad Imperij faſtigium ipſorum opera eueheretur. Illi accepta hac conditione, rectà ad Corcuthum puerum, electum Imperatorem acceſſere, eumq́; vt puerum inſtruxêre, qua veneratione parentem excipere deberet. Cum parens tuus, inquiunt, te ſalutaturus acceſſerit, ei vt filium decet, aſſurgens, blandeq́; vt ſolium ipſe Imperatorium occupet, monebis. Nec enim metuendum, vt oblatum iſtum honorem pater accipiat. Cui purpuratorum conſilio facilè, nullam ſubeſſe fraudem ratus acquieuit. Nam patre ingreſſo palatium, decentur ſolio ſurrexit filius, patriq́; ſalutaturus eum, obuiam procedit. Quo nihil optatius Baiazeti accidere potuiſſet, qui nihil cunctatus ſolium Imperatorium occupauit, filiumq́; inde protinus abduci iuſsit. Hac arte eluſo filio, Baiazethes Imperium ſibi acquiſiuit. Hiſce nequaquam leuibus motus cauſis, vt ſibi iam olim iure debitum imperium recuperaret, Conſtantinopolim aduenit Corcuthus, quinq́; vel ſex comitatus perſonis, & apud Ianizaros diuertens, vnũ ex Capitaneis ad patrem ablegat, ei ſignificans, ſi pace eius fieri poſsit, ſe eius ſalutandi, & qua filium decet, obedientia & veneratione compellandi deſiderio teneri. Pater vt poſtridie in palatio compareret iuſsit, & quinq́; eum ducatorum millibus protinus ornauit. Filius cum poſtridie in cõſeſſu Principum patris manus & pedes oſculatus eſſet, nullo vlterius prolato verbo, effuſe lachrymatus eſt. Hoc viſo Baiazethes, quæ lachrymarum cauſa eſſet, ex eo quæſiuit. Ibi filius, nihil ſe dubitare, inquit, quin patri ſit notiſsimum, qua humilitate & obedientia Imperio olim vltro ceſſerit, quod iam tot annos ille, nemine interpellante, obtineat. Nec verò pro tanto beneficio vlla hactenus ſe gauiſum eſſe remuneratione, ſed vt ſeruum à patris conſpectu procul ablegatum eſſe, nec per triginta annos in patris cõſpectum admiſſum eſſe, ſed in Magneſia, vt obedientem deceat filium, priuatam quietè vitam egiſſe. Quare ſi Imperij mutationem aliquam inſtituturus ſit, vel illud reſignaturus, æquum eſſe, vt hac in re beneficij olim à Corcutho accepti, memor eſſe velit, quippe cui Imperium iure debeatur. Audita hac filij petitione Baiazetes, eum bono animo eſſe iuſsit, nec enim alij quàm ipſi imperium ſe deſtinare velle. Nec Selimum accerſitum eſſe, vt imperij habenæ ei committerentur, ſed vt belli dux eſſet aduerſus impium, contumacemq́; filium Acomathem, ſperare ſe, futurum, vt mutuis vulneribus in conflictu pereant, ſic nemine obſtante, imperij adminiſtrationem ei quietiorem fore. Hiſce patris ſui promiſsis erectus Corcuthus, ad Selimi vſq́; aduentum Conſtantinopoli permanſit.

SELI-

SELIMVS CONSTANTINOPOLIM ADVENIT, VIque patri Imperium extorquet.

Capvt xxi.

PAucis interiectis diebus Conſtantinopolim etiam Selimus aduentat, cui ex Baiazetis mandato Corcuthus, cum purpuratis, aulæq; proceribus obuiam proceßit. Fratres hi duo mutuò ſeſe complexi, nulla inter ſe verba cõmutantes, protinus digreßi ſunt. Ingreſſus vrbem Selimus, tentoria, in loco, quem pater ei deſignârat, fixit. Poſtridie indicto concilio, Baiazethes filium Selimũ accerſiuit, qui vbi patris manus pedesq; oſculatus fuit, in ſolio iuxta patrem aſſedit. Pater lõga oratione grauiter filij ferociã incuſauit, nec alia de cauſa eum accerſitum eſſe ait, niſi vt ſummus eſſet dux exercitus aduerſus fratrem eius Acomathem, cuius contumaciam punire conſtituiſſet. Patri ſuo reſpondens Selimus, ſe dicto parentis per omnia audientem fore ait, nec quicquã eorum, quæ pater ipſi iniuncturus eſſet neglecturũ, ea tamen lege & conditione, vt Corcuthus vrbe prohibeatur. Verebatur enim, ne, ſe abſente, Corcutho Imperij adminiſtrationem committeret. Ad quæ pater ſe curaturum reſpondit, vt ſimulatq; expeditionẽ moliatur Selimus, Corcuthus etiam in ſuam remittatur prouinciam, quo accepto reſponſo Selimus, ſpe plenus in ſuum palatium reuerſus eſt. Poſtridie Corcuthum rurſus ad ſe Baiazethes accerſiuit, eumq; decem ducatorũ millibus donatum, in prouinciã ſuam remeare iußit, eò quod Selimus expeditionem aduerſus Acomathem ſuſcipere grauetur, niſi ipſe prius relicta vrbe in prouinciam ſuam reuerſus eſſet. Certam etiam imperij potiundi ſpem ei facit. Corcuthus patri ſe obſequentem præbens, eius voluntati & mandato haud grauatim paruit. Sub inſequentem deinde diem, in conuentu procerum Baiazethes, Selimum ſummum belli ducem eſſe iuſſit, iniectaq; ipſi veſte aurea, decem ducatorum millia honoris ergo ei donauit, præcepitq́;, vt nihil amplius cunctatus Natoliam verſus iter arriperet, & de rebelli Acomathe pœnas ſumeret. Ad quæ Selimus ſe inde nequaquam moturũ ait, niſi prius de imperio potiundo certus eſſet. Quin etiam purpurati id vnice in votis habentes, vt Selimo Imperium reſignaret Baiazethes, omnibus modis inſtant, vrgentq́;, vt Selimo Imperij habenas pater committat. Contrà pater, vt expeditionem prius ſuſcipiat, hortatur, vbi victor reuerſus ſit, tunc Imperij adminiſtrationem ſe ei vltro commiſſurum pollicetur. Rurſus Selimus, nihil de victoria ſe dubitare, de imperio verò obtinendo ſe multum ambigere. Itaq; Imperium prius ſibi committi, quã expeditionẽ moliatur, ſe petere, ſic enim fore, vt præſentiore animo maioreq; auſu rẽ gerat. Incertus cõſilij Baiazethes, cum aliã, qua filium amoliretur, rationẽ, in prõptu haud haberet, filij ferocia purpuratorumq́;

Selimus Imperium occupat, cedente patre Baiazethe.

vnanimi conſenſu victus, præſertim cum per ætatem, nam octuageſimum annum attigerat, ad res gerendas minus eſſet idoneus, imperio cedit, filioq́ eius adminiſtrationem inuitus committit. Hunc ad modum impetrato, quod votis omnibus petiuerant purpurati & prætoriani, vexilla omnia in Selimi tentoria actutum tranſportauerunt. Omnibus ſtatim militibus ſtipendia ſunt aucta, magnaq́ cum feſtiuitate & ſolennitate Selimus Imperator proclamatus eſt, omneſq́ Duces, Capitanei, Centuriones, Purpurati, Prætoriani, in Selimi fidem ſe commiſere, eiq́ vt Imperatori iureiurando ſe obſtrinxerunt, manuſq́ eius & pedes ſunt oſculati. Per quinq́ deinde dies arcis ingreſſu, donec Conſtantinopoli Baiazethes diſcederet, Selimus abſtinuit.

BAIAZETHES DIMOTOCVM PETENS, IN itinere moritur, veneno extinctus.

Caput XXII.

HVnc ad modum Imperio deiectus Baiazethes, quingentos ex aulicis miniſtris, & quinq́ pueros corporis ſui cuſtodes, (quorum vnus & ego fui) ſecum retinuit, quinq́ iumenta aſpris, duo vero ducatis onerari iuſsit, quæ Dimotocum ſecum auferret, præter magnam gemmarum copiam, ſuppellectilemq́ regiam. Sic non citra grauem animi dolorem & lachrymas vrbe relicta, Adrianopolim verſus iter dirigit, inde Dimotocum petiturus, vbi annui eius fuiſſent reditus, quadraginta millia ducatorum. Selimus patrem per duo fortè miliaria comitabatur, inde Conſtantinopolim reuerſus, arcem protinus Imperatoriam occupauit. Baiazethes tardè progrediebatur, nec vltra quinq́ vel ſex miliaria Italica interdiu conficiebat: paucis deinde elapſis diebus, cum in viridario tentoria fixiſſet Baiazethes, ecce aliæ Selimum cogitationes inceſſunt. Verebatur enim, ne, ſi relicta Conſtantinopoli aduerſus fratrem Acomathem arma expediret, pater interim Baiazethes vrbem repeteret, & Imperatoris ſibi titulum denuò vſurparet. Qua ſolicitudine vt liberaretur, patrē quouis modo è medio tollere animum inducit. Nec ipſi expeditior alia videtur ratio, metum ex animo omnem eximendi, quàm ſi eum veneno extinguat.

Baiazethes veneno ſublatus per Iudæum medicum.

Paciſcitur itaq́ cum Iudæo patris Baiazethis medico, vt Baiazethem interficiat pharmaco, ex contrito adamante, quod nullam ſalutis recuperandæ ſpem relinquat. Præmium Iudæo pollicetur ingens, in ſingulos dies decem ducatos. Minas etiam addit, quibus ei mortem denunciat, niſi rem hanc accurata induſtria gerat. Pharmacum Iudæo ipſemet tradit, & vt Conſtantinopolim, vbi Baiazethi illud porrexiſſet, feſtinus reuertatur præcipit. Iudæus & metu mortis, & ſpe ingentis præmij motus, pharmacum

aurea

aurea patera incluſum ad ſe recepit. BaiaZetem deinde adiens, ſe præparaſſe ait potionem, quæ valetudinē eius & corpus valde corroboratura eſſet, ſi poſtridie eam manè in lecto cubans ſumpturus ſit. Manè, dormiente adhuc BaiaZethe adeſt Iudæus, pateram, cui pharmacum incluſum erat, in ſolium reponit, ipſe interim obambulans, donec Imperator vltro expergiſcatur, rei gerendæ opportunitatē obſeruat. Verùm diutius ſomno indulgentem, moræ vlterioris impatiens, BaiaZethē excitat, horam inquit, ſumendi pharmaci ferè elapſam eſſe, & num pharmaco vti velit interrogat. BaiaZetes nullam ſubeſſe fraudem ratus, illud ſibi porrigi iubet, quod cum prælibaſſet Iudæus, (munierat enim ſe antidoto) BaiaZethi bibendū offert, pueris etiam mandat, ne aquam Imperatori præbeant, niſi prius ſudore euacuatus eſſet, accuratè etiam corpus eius integi, calidisq́ tegumētis foueri præcipit. Interea clam ſeſe inde Iudæus ſubducit. BaiaZethē verò grauiſſima ſubito inuadunt tormina, qui doloris vehemētiam miſerando eiulatu teſtatus, animam inter dolores acerbiſſimos efflauit. Quo mortuo, miniſtri theſauros, regiamq́ ſuppellectilem, vnà cum cadauere Conſtantinopolim reuehunt. Sepulchrum ibi maximis ſumptibus extructum fuit, & exequiæ ſolenniter celebratæ. Sacerdotes etiam conſtituti fuêre, qui preces quotidie pro defuncti anima funderent. Quingenti illi BaiaZethis miniſtri in priſtinū locum reſtituti fuêre. Nos verò quinq́, quia pullati Imperatorem noſtrum lugebamus, iuſſu Selimi in carcerem compacti fuimus, duo interfecti, reliqui tres precibus Solimanni, qui filius erat Selimi, duorumq́ purpuratorū, vinculis liberati, vitaq́ donati fuimus. Ademptus autem nobis fuit omnis pretioſus veſtitus, tum quicquid auri vel argenti ſub BaiaZethe collegeramus, relicto ſolo ſtipendio. Ex arce etiam dimiſſi, in numerum militum in caſtris vitam agentium ſub Capitaneo Suluſtare Baſcia aſcripti ſumus. Vbi tamdiu varijs expoſiti periculis ærumnas pertulimus, donec oblata commoditate in fugam me conijciens inde euaſi. Fuga elapſus autor huius hiſtoriæ.

Iudæus Conſtantinopolim reuerſus, cum à Selimo beneficij præmium expectaret, meritas ſceleris ſui pœnas accepit. Nam protinus capite eum truncari Selimus præcepit. Eadem ſiquidem, dicebat, aduerſus me etiam auderet Iudæus iſte, ſi patrandi ſceleris occaſio, vel ſpes præmij ei affulgêret. Perfidiæ præmium.

SELIMI ADVERSVS ACOMATHEM EXPEDITIO.

CAPVT XXIII.

PArricidio perpetrato, celebratisq́ paternis exequijs Selimus, ſummū Græciæ præfectū cū expedito exercitu adeſſe iuſſit, eiq́ vt ſubita impreſſione Natoliā inuaderet præcepit. Ipſe cum reliquo exercitu nauibus ſubſecutus eſt. Cōſtātinopoli Gubernatorē reliquit filiū ſuū vnicū Solimannū. Intra paucos dies angulū delatus, Acomatē, relicta Caramānia, mōtana

Perſiæ

Perſiæ vicina occupâſſe reſciuit. Protinus itaq; diuiſo exercitu, partem ad inueſtigandum fratrem miſit, partem ſecum retinuit. Verùm fruſtra omnem in eo indagando ſumpſit operam. Ne tamen nullum interea ſanguinem effunderet, fratrum ſuorum filios, tres Mahometis, vnum Sciemſciæ, vnum item Alemſciæ accerſiuit. Græciæ Bellerbeium vel gubernatorem cum exercitu in prouinciam ſuam remiſit. Ipſe cum reliquo exercitu, & fratrum filijs, Pruſiam contendit, ibi hyematurus.

SELIMVS QVINQVE NEPOTES EX FRATRIbus interficit.

CAPVT XXIIII.

PRuſiæ cum hyberna conſtituiſſet Selimus, fortè eo die, quem nos Saturni vocamus, omnibus ſubitò Capitaneis, Ducibus, aulicisq; mandauit, vt omnes in armis eſſent: conſtituiſſe enim ſe, recenſere exercitum, vt videat, num ad debellandum fratrem Acomathem ſatis inſtructus ſit. Recenſito exercitu, armisq; exploratis, quinq; ducibus præcepit, vt ſinguli vnum ex fratrum filijs ſecum in arcem Pruſiæ adducerent. Mandata capeſſentes duces illi quinq;, Baiazethis nepotes in arcis Pruſianæ palatium adduxêre. Adoleſcentum ætas erat, à quinto decimo ætatis anno vſq; ad viceſimum. Niſi quod minimus inter ipſos, Mahometis filius vel ſex vel ſeptem eſſet annorum. Poſtridie deinde circiter tertiam noctis horam, lictores accerſiuit, quibus vt regios hoſce iuuenes interficerent, mandauit. Lictor cum apprehenetder Mahometem Sciemſciæ filium, ei pugni ictu iuuenis brachium confregit, ex reliquis verò vnus cultello, qui ſub veſtibus eius latebat, lictorem alterum adortus, ilia eius læſit, vt moribundus ex vulneris dolore concideret. Irritus ita lictorum iſtorum fuit conatus. Verùm Selimus, qui huius rei, prope in alio conclaui aſtans, ſpectator erat, alios ſtatim ſubmiſit, qui ligatis manibus eos ſtrangulârunt. Equis deinde impoſita cadauera auferri, & iuxta parentes & conſanguineos ſepeliri mandauit.

Selimi parricidia.

CORCVTHVS A FRATRE SELIMO INTERficitur.

CAPVT XXV.

REgijs iuuenibus parricidiali ſcelere à Selimo, vt omni metu æmuli careret, è medio ſublatis, circa brumam decem armatorum millia ſubito in armis eſſe iuſſit, & vt omnibus relictis impedimentis, equis, leuiq; armatura ſe inſtruerent præcepit. Conſtituiſſe enim ſe clam & de improuiſo in hoſtium fines irrumpere, omnesq; intra triduum armis cæteroq; apparatu inſtructos eſſe mandauit. In numero iſtorum equitum

tum

tum temporis & ego fui. Tertius vbi illuxit dies, omnes equis armisq́; inſtructi ad Imperatoris mandatum collecti fuimus, & in turmas cohortesq́; diſtributi, rectà magneſiam verſus, vbi Selimi frater Corcuthus degebat, Imperatorē ſequentes. Decreuerat enim ſimili modo Corcuthū, quo fratrū ſuorū filios, è medio tollere. Quod vbi cognouit iuuenis quidā, qui aliquando vni ex Baſsis Corcuthi ſeruierat, clam ſe ab agmine ſubduxit, & ad Corcuthum delatus, eum de imminente periculo monuit, & vt fuga ſalutē quæreret hortatus eſt. Corcuthus magnis muneribus transfugā hanc ornat, aſſumptoq́; vno ex Baſciјs, propere fugā ante Selimi aduētum capeſsit. Poſtridie ad arcem, in qua Corcuthus egerat, delatus Selimus, ante ſolis exortum eam vndiq́; oppugnari, viq́; portas reſerari iuſsit. Sperabat enim fore, vt in lecto adhuc cubantē Corcuthum offendat. Verùm vbi ſpe ſua fruſtratum ſe eſſe cōperit, irarum plenus, omnes aulæ miniſtros, eunuchosq́; adhibitis tormentis, de fratre Corcutho, vbinā deliteſceret, examinauit, ex quibus tandē cognouit, eum pridie à transfuga monitum, fuga ſibi conſuluiſſe. Quo verò ſeſe recepiſſet, id nemini conſtabat. Quindecim ibi dies morabatur Selimus, omnesq́; regionis aditus & latebras, miſsis exploratoribus exquirebat, nec tamen quicquā de ipſo reſciſcere potuit. Interim omnes arcis theſauros triremi impoſitos Cōſtantinopolim tranſportari curauit, relictoq́; ibi Capitaneo cum mille virorū præſidio, Pruſiā reuerſus eſt, omnino ratus, in Italiam aufugiſſe fratrem Corcuthum, ibiq́; ſaluti ſuæ præſidium quæſiuiſſe. Verùm Pruſiam vix ingreſſus fuerat, cum rumor ad eum defertur, fratrem in ſpelunca quadā deprehenſum, captumq́; eſſe. Fama hæc pergrata fuit tyranno: qui, cum vnius diei itinere Pruſia abeſſet Corcuthus, vnum ex Capitaneis ei obuiā mittit, mandans, vt in itinere Corcuthum ſtrangularet, cadauerq́; Pruſiā tranſportaret. Capitaneus iſte circiter quartā noctis horā Corcuthū in cubiculo dormientē offendit, cui excitato ait, ſe à Selimo Imperatore miſſum eſſe, vt ipſum interficiat, nec contra Imperatoris mandatū quicquā agere ſibi licere. Grauiſsime hiſce verbis turbatus Corcuthus, ductis ex imo pectore ſuſpiriјs, tantiſper vitæ ſuæ parci flebiliter rogat, dum per breues exaraſſet literas, ſibiq́; papyrū & calamum porrigi petit. Quod cum facile impetraſſet Corcuthus, Turcica lingua rithmis aliquot cōpoſitis, (omnē enim ætatem in ſtudio literarum fere cōſumpſerat) de perfidia immaniq́; ſæuitia fratris Selimi, qui nec cognato ſanguini parcat, ſed eius hauriendi ſiti inexplebili teneatur, cōqueritur, exprobrans ei, quod imperio nō ſolū patrem impiè deiecerit, ſed nefario etiā parricidio vita priuârit, nec contentus ea rabie, fratrum etiā filios crudeliter necarit, pariq́; immanitate iam & ſuū & fratris Acomathis ſanguinē ſitire, licet eius imperium nihil ipſi turbare cupiant. Voto deinde concludit, petens, vt Deus ſuis fratrūq́; precibus exauditis, tantæ impietatis & ſæuitiæ vltor eſſe, pœnisq́; infernalibus eā vindicare

a *velit.*

Corcuthus ſuſpendio tollitur.

velit. Hæc vbi chartæ illeuit, à Capitaneo petijt, vt vnà cum cadauere ſcriptum hoc ſuũ fratri Selimo offerre velit, nec mora, eliſo arcus chorda ſtrangulatus eſt. Poſtridie vbi cadauer ad Selimum allatum fuit, faciem eius, vt certus eſſet de morte fratris, reuelauit, ibi chartam manibus eius appoſitam vbi vidit, eam ad ſe recepit, corpusq́; condiri, & regio more ſepeliri iuſsit. Vbi verò ſcriptum fratris legit, effuſè lachrymatus eſt, nullius cognatorum fato vnquam ita ſe motum eſſe teſtatus, atq; Corcuthi huius morte turbetur. Luctum deinde toti aulæ indixit, triduoq́; elapſo, 15. exploratorũ, qui Corcuthũ ceperant, capitibus truncari, & cadauera in mare demergi præcipit, inquiens, eos, ſi fortuna aduerſa ad capeſſendã fugam ſe etiã cõpelleret, tum & ſibi ab ipſorum inſidijs metuẽdum eſſe. Sic eodem, quo & Iudæus ille medicus, qui Baiazethem veneno extinxit, præmio affecti fuère.

Perfidiæ premia.

MVSTAPHA BASCIA PVRPVRATORVM PRAECIPUUS, à Selimo interficitur.

Capvt xxvi.

Corcutho interfecto, reſtabat adhuc Acomathes cum ſuis filijs. Ex purpuratis itaq; præcipuum, & à conſilijs intimum Muſtapham, cuius opera ad imperij faſtigium potiſsimũ conſcẽderat, cum exercitu Selimus miſit, vt Amaſiã vrbẽ ſubita impreſsione occuparet, filiosq́; Acomathis, vxoresq́;, cum reliqua familia captiuos abduceret, arcẽ diriperet, theſaurosq́; omnes inde auehi curaret. Norat enim tyrannus, Acomatẽ, qui arcẽ tutaretur, præſentẽ haud eſſe, ſed in colligendo exercitu per Caramanniã occupatũ. Muſtapha dolens vicẽ liberorũ Acomatis, clam miſſo nuncio ad Acomatẽ, eum de imminente clade, niſi propere domũ ſe recipiat, armisq́; ſua tueatur, monet. His ita cognitis Acomates, nihil cunctandũ ratus, Amaſiã repetit, miſsisq́; exploratoribus, vnde Selimi exercitus progrediatur, ſolicitè obſeruat. Muſtapha Amaſiam verſus tendente, Selimus alterũ etiã ducẽ Vſegi Baſciam cum 5000. virorum, cum ijſdẽ mandatis, quibus etiã Muſtapham dimiſerat, ad occupandã Amaſiã ablegat, vt omnia abſq; vlla cunctatione diriperet, ſecumq́; inde auferret præcipiens. Hic ante Acomatis aduentum Amaſiã ingreditur. Verũ Acomathes ſtatim ſubſequens, omnes eius copias diſsipat, & trucidatis aliquot, reliquos vnà cum duce, alienus ſiquidẽ erat ab effuſione ſanguinis, capit. Ex Capitaneo quærit, quid ipſum impulerit, q ſua diripere, & clade omnia defedare auſus fuerit. Ad quæ Capitaneus, ſibi omnino parendũ eſſe ait Imperatoris mandato, nec vllã in ſe culpã recidere. Acomates deinde eum, reliquosq́; captiuos carceri firmo incluſit. Hæc cũ ad Selimũ delata eſſent, vehemẽter turbatus, de captiuis liberandis in primis fuit ſolicitus. Porrò in carcere ex certis indicijs, Capitaneus iſte Vſegi Baſcia reſciſcit, à Muſtapha præmonitũ Acomatẽ, ſuorum cladem præcauiſſe.

Clam

Clam itaq; ad Selimum datis literis, eum, quem credat fideliſſimum, Muſtapham ſcilicet Baſſam cladis acceptæ autorem eſſe denunciat. Qua re cognita Selimus, poſtridie purpuratos & conſiliarios conuocat, cumq; pro more poſt habitum concilium, reliquis veſtes vel auro textas, vel ſericeas inijci præciperet, Muſtaphæ veſtem atram holoſericam tradi iubet: reliquis deinde permiſſu Imperatoris digrediētibus, ipſe in arce detinetur, perfidiæq; erga dominum inſimulatus, protinus in conſpectu Selimi ſtrangulatur, & reliquis veſtibus exutus, pulla amictus veſte in publicam viam abijcitur. Qua de re certior factus Acomathes, pari ſupplicio in captiuum Capitaneum animaduertit, reliquos verò milites liberatos vinculis, dimiſit. Nec enim ſanguine effundendo delectabatur.

Muſtapha Baſſa morti deſtinatus.

PVGNA INTER SELIMVM, ET ACOMATHEM commiſſa, & mors Acomathis.

Capvt xxvii.

Orat Acomathes fratrem Selimū cum aulico ſuo comitatu Pruſiæ hybernare, nec vllum, ex Bellerbeijs ipſi adeſſe. Collectis itaque vigintiquinq; virorum millibus, de improuiſò eum nihil tale metuentem, obruere conſtituit. Et ſanè ex voto ei res ſucceſſiſſet, niſi proditores hoc eius conſilium Selimo detexiſſent. Cum enim expeditionem iam moliretur, duo protinus clam ad Selimum transfugientes, quid animi haberet Acomathes ei denunciant. Selimo res ea pergrata accidit. Qui magnæ vſus feſtinatione, veredario Conſtantinopolim miſſo, Duci Ianizarorum mandat, vt intra triduum cum decem Ianizarorum millibus Pruſiæ compareat, & ne quid celeritati obſtet, iubet vt exercitum triremibus imponat, & montana Pruſiæ contermina petat, vbi aduentum eius ipſe præſtolaturus ſit. Nec cunctatus Selimus, vrbe relicta, planiciem, loco iſti, vbi Ianizarorum aduentum expectabat, conterminam occupat, ſtatimq; Ianizarorum decem millia, & quingenti ſclopetarij ſe ei coniungunt. Qui cum aduentarent, tumultus in Selimi caſtris ortus eſt, plærisq; putantibus Acomathem cum ſuis adeſſe copijs. Verùm vbi Ianizaros adeſſe Selimus cognouit, plurimum aduentu eorum confirmatus, haudquaquam ferendum eſſe, ait, vt Acomathes Pruſiam vſq; cum ſuo exercitu accedat, ſed obuiam ei progrediendum, cum tantæ haud ſint eius copiæ, vt earum impetus ſit formidandus. Nec mora, poſtridie ſtatim inſtructam Ianizarorum, cæterorumq; militum aciem ducens, caſtra mouet, præmiſſo Bellerbeio cum quindecim virorum millibus, qui poſtero die cum Acomathis copijs manus conferentes, cæſi, & in fugā acti ſunt, & ex quindecim millibus octo millia euaſere, qui retro fugientes, cum Selimi exercitu ſubſequente ſe coniunxerunt. Parta hac prima victoria Acomathes vlterius progreſſus eſt, ea celeritate,

Proditiones in bello magni momenti.

vt circa meridiem vtrinq; exercitus ſe contuerentur, exilisq́; fluuij alueus eos ſeiungeret. Itaq; quod reſtabat diei reficiendo exercitui dederunt, poſtridie fortunam Martis experiri vtrinq; parati. Fortè eodem die, Principis cuiuſdã Tartarorum filius cum 500. equitibus, quorum ſinguli duos equos ſeſſore vacuos ducebant, vt in prælio, vno proſtrato, alius ſtatim viribus integer præſtò eſſet, Selimo gratulaturus de Imperio, eiq́; nomine patris, manus exoſculaturus, aduentat. Tartarus iſte Selimo, cum Trapezontij, Baiazete adhuc regnante, præfecturã obtineret, familiariter notus, adeoq́; percharus fuerat. Qui vbi reſciuit, Selimi eiusq́; fratris Acomathis copias poſtridie manus conſerturas, circa intempeſtam noctem, nemine conſcio cum ſuo equitatu caſtris ceßit, vicinumq́; montem occupans, gratificandi Selimo opportunitatem aucupatus eſt. Sub ortum ſolis, fluuium, qui caſtra ſeparabat, Selimus cum exercitu ſuo tranſgreſſus eſt, locumq́; quem vocant Iengiſcerouaſi, *quaſi dicas, campi planiciem, occupauit, vbi vniuerſum equitatum & exercitum aduerſus hoſtiles copias iuſto ordine direxit. Nec minor Acomathis in inſtruenda acie fuit induſtria. Vtrinq; iam vexilla coruſcabant, & bellicum canebatur, cum ſubito equo vectus præco, ex Acomathis exercitu Selimi caſtra petit, qui admiſſus ad Selimum, Acomathi inquit placere, duello certamen hoc finiri: iniquũ enim eſſe, propter duos tantã Turcarum turbam in vitæ diſcrimen vocari. Si verò cõditio hæc Selimo diſpliceat, Acomathem palàm coram Deo & hominibus profiteri, haud ſuam ſed Selimi culpam eſſe, quod tantum humani ſanguinis effundatur, nec ſibi, ſed Selimo acceptũ ferri debere, quòd poſthabita pace, turba inſons in vitæ diſcrimen adducatur. Ad quæ Selimus, ſibi modo integrum haud eſſe, reſpõdit, ex Acomathis præſcripto rem gerere, nec, ſi maximè velit, exercitum id paſſurum. Præconi itaq mille aſpros dari iubet, eiq́; vt ad ſuos quamprimum reuertatur, denunciat. Hoc accepto reſponſo Acomathes, ab armis haud diu feriatus eſt. Prima fuit velitatio inter equites, quos* Carthagiler *vocant, quorum vtrinq; centum in medium progreßi, acriter manus cõſeruêre, donec 10000. equitum Acomathes aduerſus Selimi exercitũ produxit, quibus tria equitum millia Selimus oppoſuit. Quo agmine vi perrupto Acomathes, ad cõdenſatã vſq; Selimi aciem progreſſus eſt. Quo Acomathis impetu Selimus animaduerſo, ſclopetarios ante primam aciem ſtatuit, quorum ea fuit violentia, vt per ipſos iſti etiam equites, qui ab Acomathe dißipati in mõtana cõfugerant, inde læderentur. Tartari, quos in montes ſeceßiſſe diximus, vbi vidêre, quo in loco res Selimi eſſent, ſubitò erumpẽtes à tergo Acomatis copias inuaſere, perculſasq́; terrore facili momẽto dißipârunt, vt deiectis proſtratisq́; omnibus vexillis in fugã verterentur. Acomathes etiam ipſe fuga ſalutem quærere cogitur, qui in locum paluſtrem in tanta trepidatione delatus equo excutitur, viuusq́; in manus hoſtium perfertur. Quod vbi*

Acomathes Selimũ prouocat ad duellum.

Turcæ etiam præcones in bello muneribus afficiunt.

Acomathes profligatur, & parricidialiter occiditur.

vbi Selimus cognouit, nulla interiecta mora, Capitaneum iſtum, qui Corcuthum interemerat, mittit, vt ſimili modo, quo Corcuthum interfecerat, Acomathẽ etiã, arcus chorda eliſo guttere occidat. Cadauer deinde ad Selimum allatũ eſt, quod regio more condiri, & Pruſiæ iuxta reliquos, qui Ottomannico ſunt creati ſanguine, ſepeliri iuſsit. Poſt hanc victoriam dies aliquot cum Tartarorum Principe, in campi iſtius planicie tripudio & hilaritati dedit, omnesq́; fratris theſauros Conſtantinopolim auferri præcipit.

INTERFECTO ACOMATHE DVO EIVS FILII fuga ſibi conſulunt.

Capvt xxviii.

DE morte patris ſui Acomathis certiores facti duo eius filij, ex matris cõſilio, ne & ipſi in manus Selimi peruenirent fugam capeſſunt. Maior natu Aladinus, 20. aſſumptis famulis Cairum, quæ eſt Memphis Aegypti petijt. Alter Amurates ad regem Perſarum, quem Sophum vocant, iter dirigit. Aduẽtu eius cognito rex Perſarum, eum ad ſe accerſit, & qua cauſã ſit aduentus quærit. Iuuenis exilio ærumnisq́; grauatus, lachrymis potius, quã verbis cauſam fugæ ſuæ oſtendit, paucis tandem indicauit, patrem ſuum & patrueles crudeliter à Selimo interfectos eſſe, idem ſibi & fratri ſuo Aladino, ſi in manus eius inciderent fatum imminere. Rex his auditis vehementer iuueni condoluit, eumq́; perhumaniter verbis patrium amorem ſpirantibus cõſolatus eſt, bonoq́; animo eſſe iuſsit, pollicitus, ſe armis ita eum inſtructurum, vt iniuriam ſibi patriq́; Acomati illatam, quatenus ei res hæc cordi ſit, vlciſcatur. Et ne de fide ſua dubitaret, filiam ei vltro vxorem obtulit, & quicquid ad bellum eſſet neceſſarium promiſit. Nuptiæ, duobus elapſis menſibus, ingenti cum feſtiuitate celebratæ ſunt: pauloq́; pòſt fama de morte fratris Aladini, qui in itinere Aegyptum verſus morbo correptus diem ſuum obierat, ad Amurathem allata fuit. Amurathes fugitiuus recipitur honorificè à Perſis

SELIMVS PARTA VICTORIA CASTRA MOVET.

Capvt xxix.

SElimus cum per menſem eo in loco, vbi prælium cõmiſſum fuerat, quieuiſſet, Conſtantinopolim redire conſtituit. A quo eius propoſito ſummopere eum Baſſæ dehortati ſunt, eò quod peſtis atrociter ibi graſſaretur. Miſſo itaq́; veredario, vt res ſe haberet, explorari, numerum etiam & nomina eorum, qui morerentur diligẽter annotari præcipit. Deprahẽſumq́; fuit intra duos menſes, 60000. hominum, eorum, qui vrbem incolerent mortuos eſſe. Itaq́; Callipolim verſus, & inde per Græciã Adrianopolim Selimus profectus eſt, vbi per æſtatem illam, & per ſubſequentem hyemem moratus fuit. Sopita deinde peſte Conſtantinopolim reuerſus

eſt, deprahenſumq́ centum & ſexaginta hominum millia peſte extinctos fuiſſe. Clades illa vnà cum terræ motu, quo ſub Baiazethe vrbs concuſſa fuit, in perpetuam rei memoriam, in peculiari libro annotata fuit.

PERSARVM REX ADVERSVS SELIMVM SE armat.

Caput xxx.

Amurathis expeditio Perſica in Natoliam.

REx Perſarum Sophi, quem illi Scia Iſmaël, nos Iſmaëlem nominamus, per hyemem illam cum genero ſuo Soldano Amurathe quieuit. Sed vere ineunte triginta equitum millia ipſi tradidit, vt ſub eius auſpicijs Selimum tyrannũ oppugnarent; maiores etiam copias ſe contracturum ei pollicitus eſt, aliaq́ ad bellum gerendum neceſſaria prompte ſubminiſtrauit, omnibus modis ei ſuadens, vt poſthabitis alijs rebus, paternum regnum occuparet, omneſq́ Natoliæ ciuitates ſibi ſacramẽto obſtringeret, & ſi quæ vltro deditionem facere nollent, vt in eas ferro igniq́ graſſaretur, vt territæ exemplo reliquæ ciuitates promptius eius armis ſe ſubijcerent. Nec eſſe quod metuat Selimum, qui, licet contrà arma moturus ſit, intra duos tamen menſes in Natoliam vſq́, integrum exercitum adducere haud poſsit, Nouas interea ſe coacturum copias, quæ ſi res ita poſtulet, ipſi ſubſidio futuræ ſint. His ita dictis frontem eius pro more oſculatus eſt, beneq́ precatus, eum dimiſit. Impiger fuit Amurathes in exequendis ijs, de quibus eum Sophus Perſarum monuerat: nemine reſiſtente omnes Natoliæ ciuitates occupauit, vltro deditionem omnibus ferè facientibus. Multos odium tyranni, & memoria Acomathis indigna morte perempti mouebat, multi etiam arma Amurathis validiſsima metuebant. Quæ cauſa erat vt omnes Natoliæ ciuitates facilè eius ſequerentur auſpicia, indieſq́ exercitus eius creſceret. Rebus ſuis ita confirmatis, Selimum vltro ad arma prouocauit, & vt ſua tutaretur hortatus eſt.

SELIMVS INGENTES COPIAS ADVERSVS SOphum Perſarum contrahit.

Caput xxxi.

INtra paucos dies Selimo nunciatũ fuit, quòd Natoliam, omneſq́ regni iſtius regiones & ciuitates valida manu Amurathes occupârit, patriſq́ ſui Acomathis, tum etiam patruelium mortẽ vindicare conſtituerit, vltroq́ Selimum armis laceſſere nihil vereatur. Quibus vehementiſsimè exacerbatus Selimus iurauit, ſe eodem funiculo, quo Acomathem interfeciſſet, interempturum etiam Amurathem. Adhæc minas cædemq́ ſpirans, ſe facilè, inquit, animaduertere, fatalem impendere Perſarum Regi omnibuſq́ eius regnis internecionem. Nam ita ſe res eius attri-

attriturum, vt nec memoria nominis eius ſuperſtes futura ſit. Miſsis deinde mira celeritate veredarijs, omnes qui ære militarent, intra viceſimum diem armatos in Natolia apparere mandauit. Græciæ Bellerbeio mandat, vt exercitum adducat duplo maiorem, quàm aliâs adducere ſoleat. Præterea triginta peditum millia, quos Azappi *vocant, conſcribit. Omnes, qui decimis numerandis per vniuerſam Græciam ſunt grauati, in armis eſſe iubet, eiſq; decimarũ remiſsionem per triennium pollicetur. Ducentas tormentarias machinas, rotis impoſitas adduci, & centum alias minores, quarum binas Cameli ſinguli vehebant, copijs ſuis præſidio eſſe curabat. Ad hæc militibus, præter ordinarium ſtipendium, direptionem omnium vrbium, quas occupaturus eſſet, promittit. Sic intra paucos dies exercitum magnitudine ipſa formidabilem collegit.* Selimi formidabilis exercitus cõtra Perſas. *Amurates vbi de Selimi aduentu, ingentibuſq; eius copijs certior factus eſt, omnia protinus igni circũquaq; vaſtauit, ne equi iumentaq; cætera in tanto exercitu pabulo refici poſsint. Ipſe deinde ad fines regni Perſarum progrediens Euphratem tranſit, caſtra in oportuno loco figens, vbi ſubinde nouis copijs exercitum ſupplere poſſet. Qua re cognita Selimus, duos Bellerbeios præmittit, quos ipſe cum exercitu pedetentim ſubſequutus eſt, Sebaſtiam vſq;, quæ hodie Suias appellatur, ſequente eum ingenti exercitu peditum, quos Azappos vocant.*

PRAELIVM INTER SELIMVM ET SOPHVM Perſarum, eiusque generum Amurathem.

CAPVT XXXII.

Selimus vbi cum omni exercitu, in quo erant circiter trecenta virorum millia, machiniſq; bellicis, & omni inſtrumẽto Euphratem attigit, pontem ab Amurathe deiectum eſſe offendit, hoſteſq; in vlteriore ripa caſtris locum idoneum occupaſſe, nouiſq; copijs à Perſarum Rege ſubmiſsis auctos. 30000. exercitus Selimi. *Erant autem in Perſico exercitu peditũ equitumq; circiter 90000. quorum ſinguli duobus equis inſtructi erant.* Exercitus Perſarum equitum 90000. *Quanquã autem anxiè ſcire deſiderabat Selimus, Perſarúmne Rex ipſemet in caſtris eſſet, an verò (quod in primis verebatur) nouis colligendis in Perſia copijs intentus eſſet, id tamen explorare haud poterat. Ponte itaque denuo extructo, duos præmittit Bellerbeios Græciæ & Natoliæ, qui vbi Euphratem tranſiêre, caſtriſq; locum commodum elegêre, poſtridie duobus ante ſolis exortum horis, Amurates ſubitò in caſtra Bellerbeij Græciæ irruit, magnoq; impetu agmen Turcarũ cædit, caſtra fauente victoria vaſtat & diripit.* Amuratis ſecunda fortuna in Bellerbeium Græciæ. *Inde tantus terror & pauor caſtra Bellerbeij Natoliæ perculit, vt milites aquis ſe committentes, in vlteriorem ripã trepidè euaderent, ſeq; cum reliquo exercitu rurſus cõiungerent. Qua ſuorum clade cognita Selimus, tormentarias ma-*

chinas longo ordine per citeriorem Euphratis ripam diſpoſuit, & ne id hoſtes animaduerterent, agmen militum eis prætendit, quos, ſi claſſicum caneretur, loco cedere iubet, ne à tormentis in hoſtem directis læderentur. Machinæ iſtæ, cùm ſuccenſo tormentario puluere, horrendo fragore exonerarentur, cõplures ex ijs nimio impetu ruptæ ſunt, quæ ingentem etiam Turcis cladem attulêre. Equi etiam & muli complures diſploſarum machinarum ſonitu perculſi, in Euphratem deſiliêre, & vna cum ſeſſoribus ſubmerſi fuêre. Magna clade affecti Perſæ in vlteriorem montis partem ceſſerunt. Fama eſt circiter viginti Perſarum millia tormentarijs glandibus ictos cecidiſſe. Euphrate ita, nemine reſiſtente tranſito, Selimus ad hoſtium caſtra tendit. Perſæ Turcarum aduentu minime territi magno animo eorum impetum ſuſtinuêre. Pugna diu fuit anceps, & vtrinq; cruenta admodum. Et niſi prælium nox diremiſſet, Perſarum acies iam inclinata & cedere coacta, victa nõ tam virtute quàm numero hoſtium maximam cladem perpeſſa eſſet. Verum noctis beneficio tuti ab hoſtium inſectatione Perſæ fuerunt. Decreuit itaq; Selimus relictis omnibus impedimentis vnà cum peditatu, ſubitò aſſumpto ſolo equitatu Tauriſium, antequã fama huius victoriæ eò deferretur, occupare. Verum haud minus interim Perſæ in rem gerendam ſolicitè intenti fuerunt. Aduenerant pridie decem virorum millia, qui fortunam Martis nondum experti, integris adhuc erant viribus. Hos callide Turcis opponunt, eosq; velut territos hoſtibus ingruentibus fugam ſimulare iubent. Selimus vbi manè hoſce in propinquo eſſe vidit, eos & nocte impeditos, & prælio feſſos, fugæ inſiſtere haud potuiſſe ratus eſt. Itaque ſuos vt hoſtem iam victum adoriantur hortatus eſt. Hoſtes compoſitò fugam ſimulant. Turcæ nullam ibi fraudem ſuſpicati, propere eos inſectati ſunt, donec circa meridiem, inſequendo laſſati, iuxta fluuij, qui ipſis erat obuius, ripam, vt curarent corpora, ſe feſſi reclinarent. Tranſi rurſus fugientibus Perſis inſtiterunt, relictis à tergo impedimentis omnibus, & ijs, qui feſſi ad inſequendum minus idonei eſſent. Certam etiam ſpem adhuc fouebant animis, fore, vt ad inſtantem noctem Tauriſium inopinatò occuparent & diriperent. Verum Perſæ in inſidijs relicti, peditatum interim Turcicum aggrediuntur, ſecuros periculi omnes trucidant, theſauris regijs machiniſq; bellicis omnibus potiuntur. Quæ clades circa noctis horam ſecundam Selimo, qui iam animo Taurisij direptionem conceperat, per veredarium nunciatur, hoſteſq; à tergo ipſi etiam imminere ſignificatur. Selimus hoc nuncio, ſuorumq; clade vehementer territus aciem protinus vertit. Perſæ etiam, qui fugam antea ſimulauerunt, verſa acie Selimi copias inuadunt. Sic vtrinq; ab hoſtibus incluſus ingentem ſuorum ſtragem Selimus perpeſſus eſt. Turcæ à tergo & à fronte hoſtem dira minantem conſpicati, deſperata ſalute, vexillis omnibus iam proſtratis, tranſuerſa

via

Inſidiæ Selimi cõtra Perſas.

Perſæ propulſi, amiſerunt 20000.

Perſæ denuò propulſi noctis beneficio ſeruãtur.

Perſarum inſidiæ.

Perſarum victoria.

Turcarũ clades ingens.

via fugam capeſſentes euaſere. Ipſe etiam Selimus, vbi de ſuorum ſalute actum eſſe animaduertit, equi vſus beneficio fuga in Amaſiam euaſit, vbi reliquias ſuarum copiarum recollegit. Trepidatio & fuga per totam illam noctem inter Turcas durauit. Si qui tardi remanerent, ij omnes à Perſis fuêre trucidati. Euphrate tranſito, põtem, quem paulò ante exſtruxerant, rurſus deſtruunt, ne Perſis vlterius eos inſequendi facultas daretur.

GENVENSIS AVTOR HVIVS LIBRI, IN CLAde iſta & fuga Turcarum, in Italiam fuga euaſit.

CAPVT XXXIII.

SElimi Turcarum Imperatoris, tanta in immani hac ſuorum clade fuit conſternatio & dolor, quantum in animo meo inde gaudium & tripudium extitit. Nec dubito, quin illa animi mei voluptas, diuinus motus fuerit. Certè nunquam crediderim, tantam apud Regem Perſarum parta inſigni hac victoria, fuiſſe exultationem, quantam ego in corde meo perceperim. Iam illum diem illuxiſſe credebam, quo ex diuturna triſtiq; ſeruitute liberatus, dulciſsimam patriam, parentesq; exoptatiſsimos mihi recuperarem. Lachrymas effuſum illud gaudium eliciebat. Quæ commodiſsima eſſet fugiendi via & ratio anxie diſpiciebam. Clam itaq; vnà cum Capitaneo meo fuga inita Trapezuntem delati ſumus. Inde cum alijs quatuor fugæ ſocijs Adrianopolim petimus, nec in tanta Turcarum clade & trepidatione, fugæ cauſam, vel quinam eſſemus, quiſquam ex nobis quæſiuit. Relictis ibi ſocijs, & pedeſtri itinere Salonicum delatus, in naues aliquot Chriſtianorum frumento oneratas incidi. Qua vſus commoditate, cum nautis conueni, vt Scium vſq; me portarent. Inde læto Italiam, patriamq;, vultu petij. Ibi parentes meos chariſsimos adhuc ſuperſtites offendi, qui iam diu de mea ſalute & reditu deſperârant. Nam decimus iam annus erat, quo inter Turcas ſeruitutem tuleram.

Quo illi me animo, quo gaudio attoniti amplexi fuerint, id cogitatione quam verbis quiuis facilius conſequi poterit.

Liberatio Genuenſis, hiſtoriæ huius autoris.

FINIS.

AD LECTOREM.

HVcuſq; rerum Turcicarum hiſtoriam cõtexuit Genuenſis, ea literis tradens, quæ ipſemet coram in aula Turcica vidit, & quibus magna ex parte interfuit. In hanc lanienam Turcicam reſpicientes Deo agamus gratias, quòd Eccleſiæ inter immaniſſimos ſæuientis maris fluctus, aliquam tranquillitatem largiatur, Tyrannoſq;, qui Eccleſiam vaſtare Christiq; nomen delere deſiderant, mutuis cladibus ita atterat, vt in ſua ipſi viſcera gladios ſtringentes impietatis ſuæ pœnas luant, ſuisque efferis moribus ipſi teſtatum reddant, nec eorum religionem, nec imperium Deo cordi eſſe.

Similis immanitas in Solimanni nefario parricidio, quo filium ſuum Muſtapham natu maximum interfecit, nobis ob oculos ponitur. Quam hiſtoriam, vt à Nicolao Burgundo conſcripta eſt, ſub finem huius libri huc annectere viſum eſt.

SOLTANI SOLIMANNI TVRCARVM IMPERATORIS HORRENDVM FACINVS IN proprium filium, natu maximum Soltanum Muſtapham, Anno Domini 1553. patratum.

Autore

Nicolao Bvrgvndo.

VOlenti mihi tam ſceleſtum facinus ſcriptis tradere, operæ pretium eſſe viſum eſt, ad pleniorem huius tam impiæ ac ſceleratæ coniurationis demonſtrationẽ, aliquantiſper pedem retrouertere, ac in primis cauſam indiciaq́; tam inhumani facinoris breuibus attingere.

Sciendum igitur Seulimannum ex ſerua quadam Muſtapham hunc ſuſcepiſſe, cui ab ineunte ætate Amaſiam prouinciam tradidit. Tandem illuc ſimul cum matre profectus eſt. Ibi ante annos ea virtus eius enituit, vt omnibus teſtimonio fuerit, ſe fauore cœleſti ſuæ nationi conceſſum eſſe. Poſt iuuenis huius, eiusq́; matris in Amaſiam diſceſſum, Rex tandem formoſitate Roſæ alterius pellicis ſuæ, ſupra quam dici poteſt, raptus eſt: ex ea quatuor maſculos ſuſtulit liberos, & fœmellam vnicam. Primo nomen fuit Machomet, huicq́; Caramannia aſsignata eſt prouincia. Secundo verò Baiaſith, atque hic Magneſiam regionem tenuit. Tertius fuit Selimus, cui, Machomete mortuo data eſt Caramannia. Quartus Giangis *dictus eſt, cognomine illi à gibbis, quibus ante & à tergo deformatus*

erat, impoſito: verùm prudenti & acuto ingenio. Fœmella verò Ruſtano Baſſæ nuptui elocata eſt. Hic autem interfecto Hybrachimo, Veſiri *(quem nos ſummum conſiliarium vocare poſſumus) adeptus eſt dignitatem. Verum eo officio pro innata ſibi auaritia abutens, omnia vel renouabat, vel etiam immutabat: militibus, quos* Ianizaros *vocant, ſtipendia minuebat: Capitaneorum, quos* Saniachos *appellant, reditus alleuiabat: Vectigalia ac tributa prouincijs augebat, nec minus etiam in ordinatis domus regalis expenſis modum imponebat, nihil aliud, quàm quòd ſibi infinitos theſauros ex ſuis doloſis ac fictis rapinis accumularet, penſi habens: eoq́; pacto fidelis ac diligens ſeruus exiſtimatus, Regis animum ſibi facilè deuinxit: parui interim faciens, ſe omnibus alijs infeſtum ac odioſum fieri.*

Jnterea Roſa hæc, de qua meminimus, videns ſe præ alijs à Rege diligi, ſub Religionis tegumento mota eſt indicare Muchty, ſe pio deſiderio motam, ſummo Deo *ac in honorem Machometis, templum & Xenodochium recipiendis peregrinis extruere quidem velle: verùm id non ſine eius conſilio facere decreuiſſe. Sciſcitabatur igitur, an tale opus* Deo *gratum foret, vergeretq́; in animæ ſuæ ſalutem. Talibus Muchty reſpondit, opus quidem* Deo *acceptiſſimum fore. Quanquam enim id animæ ſuæ ſaluti non proficeret, Regis tamen animæ maximè profuturum, ſub cuius dominio eſſent & facultates eius omnes, & vita etiam (ſerua enim erat) ſua. Hoc reſponſo, mulier magis magisq́; indies triſtis, ac animo perturbata viſa eſt, adeò, vt in plures dies ſolari nequiuerit. Eius interea perturbationis certior factus Rex, illam quàm humaniſſimè ſolari cœpit, affirmans ſe breui reperturum modum, quo tandem ipſa ſui deſiderij optatum conſequeretur finem. Jllam igitur illico manumiſit, facto ſuper eo etiam inſtrumento (ſicuti apud illos fieri cōſueuit) ne amplius ſeruituti ſibi mancipata foret. Tanto ergo tamq́; admirabili obtento fauore, Roſa cum ingenti pecunia ſe ad opus prius cogitatum, fabricandum contulit. Jnterea Rex Roſæ cupidine (vt ſupra dictum eſt) effrenatè ſuperq́; omnem modum ineſcatus, illi vt ad ſe veniret, per internuncium mandat. Ac callida ac verſuta fœmina, quam nihil inſidiarum latebat, vafrè nuncio iubet, dominum vt honeſtatis ac legum admoneat: agnoſcere ſe etenim non amplius ſeruam, ſed liberam eſſe, atintereà minimè negare, ſuam Regiam maieſtatem adhuc pro libito ſuo, & vitæ & necis eius diſpoſitionem arbitriumq́; penes ſe habere: verùm quod ad copulationem carnalem attineat, id fieri minimè gentium citra grauiſſimi peccati patrationem poſſe. Et ne fortè tale quippiam à ſe commentum, fictumq́; eſſe exiſtimaret, de eo ſe in omnibus iudicio Muchty acquieſcere. Hæc repulſa adeò Regis inflammata excitauit præcordia, vt omni poſthabita mora, Muchty ad ſe accerſiri iuberet: dataq́; illi libera reſpondendi facultate, interrogat, an ſeruæ ab eo manumiſſæ, citra violationem legum*

commiſceri carnaliter poſſet? Quibus reſpondit Muchty, id nequaquam licitum eſſe, niſi prius cum ea legitimum contraheret matrimonium. Sed hæc difficultas adeò Regis adauxit cupidinẽ, vt libidine ſupra omnem modum obcæcatus, in libertæ matrimonium conſenſerit.

Factis igitur nuptialibus pro ſuo more inſtrumentis, quinquies mille Ducatos Soltanos, donationis propter nuptias nomine ei numerauit, non ſine magna omnium admiratione, præcipuè quòd id præter Ottomannæ ſtirpis eſſet conſuetudinem. Vitandæ enim in Imperio ſocietatis gratia, vxores liberas & legitimas non ducunt: verùm earum loco, ad ſatisfaciendum ſuis delitijs, ac libidinoſis cupidinibus (quibus ſupra omnem nationem viliſſime ac ſpurciſſime ſubijciuntur) habent ex varijs mundi regionibus raptas omnis generis formoſiſſimas ac elegãtes fœminas, quas in regia (Sarai vocant ipſi) honorificè ac regaliter enutriunt, ac in omnimodæ commoditatis occaſionem educant, honeſtisq́ ac ciuilibus moribus inſtruunt, quibus quidem per vices pro animi ſui voluptate commiſceri ſolent. Quod ſi forte illarum quæpiã à Rege grauida facta pepererit, tum illa præ alijs omnibus honorata incedit, maiorisq́ dignitatis ac reputationis ergo Soltana vocatur. Atq́ eiuſmodi fœminæ poſt partum magnis Dominis, Baſſis, ac Saggachis nuptui elocantur.

Verum vt ad propoſitũ reuertamur, ſeruæ huic iam manumiſſæ, ac fortunæ beneficio eò vſq́ elatæ, vt iã omniũ totius Aſiæ mulierũ præcipua facile videretur, ſicq́ omnis fœlicitatis comitatæ ſucceſſu, quò omnibus eius ambitioſis ſatisfieret conatibus, reſtabat ſolum, vt modum & occaſionem adinueniret, quò Seuleimanno defuncto, ad ſuorũ vnum Imperij ſucceſſio deferretur. Cui rei tantũmodo obſtabat generoſitas Muſtaphæ, magnanimi adoleſcentis ac præſtantis ingenij, nec minus animo quã etiã viribus valentis, quiq́ propter magnanimitatẽ ac fortitudinẽ mirum in modum militibus gratus, propter prudentiã verò iuſtitiãq́, populo maxime cõmendatus atq́ acceptus erat. Quæ quidẽ omnia in eo cõſiderans callidiſſima fœmina, ac ob id cum Ruſtano clãculè colludens: nouerat enim (vt ex rationis debito probabile eſt) Ruſtanum magis affinẽ ſuum, ſuæq́ vxoris germanũ ad imperij gradum euehi cupere, quàm Muſtapham, apud quem pro certo cõpertum habebat, ſe maximè odioſum eſſe, vel ob id præcipuè quod apud illũ in maximam cõtumeliã inciderat. A principio enim, dum alijs omnibus (quemadmodũ ſuprà attigimus) reditus extenuaret, conatus etiã fuerat, ſed incaſſum quidẽ, de reditibus Muſtaphæ aliquid detrahere: ex quo facilè exiſtimabat, tã generoſum animũ, ſi forte ad imperiũ euectus eſſet, talẽ iniuriã vix obliuioni daturũ: adeò etiã, vt imperante illo, in periculũ officij nõ ſolum, & dignitatis, ſed etiã capitis facile caſurũ ſe, ex ſuæ anteactæ vitæ ratione ſuſpicaretur. Hæc igitur omnia nequiſſima mulier animo ſceleratiſſimo perpendens,

dens, conata eſt animo Regis nõ minimas de Muſtapha ſuſpiciones impingere: nempe q̃ is regnandi cupidine feruens, ac etiam omnium erga ſe beneuolentiæ ac fauori cõfidens, ſuaq́ (qua maxime abundabat) militari manu tumens, nihil aliud de ſe expectandum relinqueret, q̃ quòd ſemel imperium affectaturus, ac in patris necem aliquid machinaturus eſſet. Atq́ quò melius rem omnem palliaret, omnia per Ruſtanum (qui ſemper magnarum rerum gerebat curam) opportune expediri curabat: nec ei etiam defuit quicquam, quod in necem ac criminationem adoleſcentis non machinetur. Nam omnibus, qui ad Syriæ prouinciæ adminiſtrationem mittebantur, clancule Muſtapham tanquam parenti ſuſpectum indicauit: committens ſingulis, vt ad ſtatum Muſtaphæ diligentiſsime animaduerterent, deq́ omnibus, quæ in eo vidiſſent, vel de eo intellexiſſent, ad ſe quàm diligentiſsime ſcriberent: callide affirmans, quod quantò odioſiora de eo ſcripſiſſent, tantò illos Regi etiam gratiores & acceptiores fore. Proinde per iſtos ſæpius regalis præſtantiæ, magnanimitatis, prudentiæ, fortitudinis, ac etiam in omnes beneuolentiæ ac liberalitatis Muſtaphæ, quibus omnibus omnium ſibi facile cõciliauerat fauorem, nec minus etiam ardentiſsimi deſiderij, quo omnes ferè in electionẽ illius accendi videbantur, factus certior Ruſtanus, non tamen ideo primus eius tam nefariæ coniurationis ſemen ſpargere auſus eſt: verùm literis peruerſæ mulierculæ traditis, reliqua ſcelerato illius capiti relinquebat. At Roſa, ſuccedente illi pro ſuo impio voto temporis occaſione, fœmininis (quemadmodum nouerat egregie) illecebris ac adulationibus, nõ deſiſtit Regis animũ corrumpere, vt ſi quãdo Muſtaphæ incideret mentio, cõmodiorem ex tempore literas aperiendi ſumeret occaſionem. Nec etiam expectatione fruſtrata eſt: arreptaq́ occaſione, nõ ſine lachrymis (ſicuti etiam mulieribus, fictis in negocijs deficiunt nunquam) Regem periculi, cui ſubijciebatur, admonet: commemorans inter alia, quemadmodum Selimus parens ipſius, patrem etiam ſuum eiuſmodi medijs, Imperio pariter & vita priuauerat. Sibi igitur exemplo vt caueret, enixe rogabat. Sed argumenta hæc ſuſpicionis, prima facie non vſq́ adeo probabilia viſa ſunt Regi, atq́ inde factum, vt eo pacto perfida mulier parum profecerit. Id quod pro ſua inuidia animaduertens, tandem ſceleratum animum ad alias technas dirigit, omnibus modis adoleſcentem veneno necandi opportunitatem perquirens. Nec defuerunt ad quodcunq́ maleficij genus patrandum prompti ac dedicati, ſcelerati homines, ni prouidẽtia diuina ſe tam nefando conatui oppoſuiſſet. Parentis quippe nomine miſſas à muliere hac venenatas veſtes non prius attegit, quàm ab alio indutæ eſſent prius: qua quidem accurata prudentia, nefarias improbæ nouercæ præuenit inſidias, venenumq́ palàm patefecit omnibus. Nec tamen adultera ceſſauit adhuc, quin nouas illi ſtrueret inſidias: nam conata tantam ſibi conciliare beneuolentiam, familiari-

Nouercæ in Muſtapham inſidiæ.

liaritatemq́, quantam nemo vnquam in regia Ottomanna conſecutus eſt (freta enim amatorijs venenis, quibus Iudææ cuiuſdam incantatricis famoſiſſimæ ope; Regis animum ſibi attraxerat, magna ſibi ac maiora indies de Rege pollicebatur) impetrauit: vt per vices filij ſui in regia parentis verſarentur: nimirum, quò diutina præſentia aſſiduisq́ blandimentis paternum amorem ſibi magis magisq́ allicerent, quod ſi fortè fortuna Muſtapha veniret, opportuniorem illum opprimendi nanciſceretur occaſionem: Sin minus, tempus quo illum per medias perſonas interficeret, expectaret. Sed non veniente Muſtapha (non enim conſueuerunt regij filij adſignatas ſibi prouincias inſcio patre egredi, ac ſe Conſtantinopolim conferre, niſi patre mortuo, ad recipiendum Imperium, ingenti militum comitati caterua venerint) aliud facile excogitauit facinus. Obtento enim quod poſtularat, effecit, vt non ſolùm in vrbe, verùm & in prouincijs, filij ſui parentem Regem comitarentur. Sed in caſtris etiam Giangis gibboſus patrem ſemper ſequebatur. Verùm enimuerò nouercalibus commentis annis aliquot ità in ſuſpenſo exiſtentibus, fortuna tandem impijs fœminæ conatibus fauere volens, ſuſpicioſas apud Baſſam, qui regimini Muſtaphæ ac gubernationi Amaſianæ prouinciæ (quilibet enim Regis filiorum apud ſe Baſſam vnum, hoc eſt, locum tenentem, qui populo de iure reſpondet, ac in rebus bellicis conſulit: & Doctorem vnum, à quo bonarum diſciplinarum ac regalium morum ratione imbuitur, habere ſolet) præfectus erat, literas parturiuit: quibus continebatur, matrimonium inter Muſtapham, & filiam Regis Perſarum tractari: eamq́ rem propterea ſe ad ſacram portam referre, vt ſi quid inde ſiniſtri eueniſſet, ab omni ſuſpicione haberetur immunis. Perlatis igitur ad Ruſtanum literis, viſus ſe dudum deſideratam Muſtaphæ ruinam ad optatum finem deduxiſſe. Nec cunctatus vlterius omnia Roſæ ſubitò indicat: ac ſubinde ſe ambo in regiam conferunt, omniaq́ Regi indicant. Qua in re, quò regium animum, quanquam dubium ac hæſitantem anxijs ſuſpicionibus imbuerent, omnem mouerunt lapidem, inquientes: Muſtapham tanquam ambitioſum, ac animi rabie quodammodo ad dominationem tam magni Imperij, contra omnem tam diuini, quàm etiam humani iuris rationem accenſum, in necem etiam parentis coniurare: atq́ quò ſuis fraudibus maior fides haberetur, Regem tractatæ cum Perſis Ottomannæ ſtirpis antiquiſſimis ac capitalibus inimicis, à Muſtapha affinitatis commonefaciebant. Quapropter ſummopere cauendum illi, ne iunctis Perſianis viribus, Sanggachis, ac Ianizaris, quos ſibi dudum liberalitate ſua deuinxerat Muſtapha, in breue tempus parentem Imperio pariter & vita priuaturus eſſet. His ac eiuſmodi alijs criminationibus perturbatum ſenis animum eò induxerunt, vt morte filij ſuis rebus conſulere decreuerit, in hunc modum.

Anno Domini 1552. ſumma cum diligentia ac celeritate, omnibus ferè prouincijs publicari facit, Perſas finibus ſuis egreſſos, ingenti armatorum manu Syriam inuadere, vrbes expugnare, homines captiuos abducere, omniaq́ igne ferroq́, reſiſtente nemine, vaſtare: cui tam ſecuræ ac liberæ audaciæ vt mederetur, ſe coactum, Ruſtanum illuc cum exercitu mittere. Collecto igitur milite tacitè committit Ruſtano, vt quàm ſecretiſſime fieri poſſet, ac citra omnem tumultum, Muſtaphæ manus inijceret, vinctumq́ Conſtantinopolim duceret, quòd ſi fortè commodius rem exequi nequiret, tum quocunq́ modo mortem illi inferret. Nefario igitur ac crudeli accepto mandato Ruſtanus, ingenti comitatus militum manu Syriam verſus proficiſcitur. Quò cum perueniſſet, Muſtapha eius aduentus factus certior, omni poſthabita mora, ſeptem millibus omnium totius Turcicæ validiſſimis ac inſtructiſſimis ſtipatus militibus, Syriam verſus iter dirigit. Quod quidem intelligens Ruſtanus, videnſq́ ſe impium ſceleratiſſimi ac crudeliſſimi parentis mandatum pro ſuo voto exequi non poſſe: illico terga vertit, ac priora recalcans veſtigia, ſe iterum cum exercitu Conſtantinopolim confert, adeò celeriter, vt ne puluerem quidem ab equitibus Muſtaphæ in aëra agitatum videre, nedum illum expectare ſit auſus. Reducto igitur milite, perſuaſit omnibus, ſe prouinciam quietam ac ſecuram reperiſſe. Tandem clanculò ſui reditus cauſam Regi aperit: addens, ſe totius exercitus animum in fauorem Muſtaphæ inclinatiſſimum, apertiſſimis ſignis & coniecturis vidiſſe, nec in tam periculoſo negocio, rem aperto Marte tentare auſum fuiſſe: atq́ ea propter ſe maieſtatis eius prudentiæ rem omnem voluiſſe referre. Hæc relatio crudeli ac impio patri, nec quicquam ab innata maiorum ſuorum crudelitate degeneranti, nouas easq́ maximas generauit ſuſpiciones: quibus ſe vt liberaret, nefarium facinus animo concepit.

Anno igitur ſequenti, ingentem exercitum conſcribi iuſſit, ſignificans Perſas multò maiori manu Syriam inuadere: ſeq́ ipſum ea propter, amore Reipubl. impulſum, illuc exercitum deducere, hoſtilibusq́ conatibus obſiſtere decreuiſſe.

Coniuncto igitur exercitu, omnibusq́ ad rem militarem neceſſarijs ordinatis, dataq́ proficiſcendi facultate, ipſe tandem parricida parens paucis pòſt diebus exercitum ſubſequitur. Qui vbi in Syriam appulit, Muſtaphæ illicò, vt ſe Alepem conferret (ibi enim caſtrametaturus erat) mandat. Nec tamen interea Seuleimannus nefandum ac parricidiale odium, quod aduerſus filium animo geſtabat externis indicijs (quamuis ſedula adhibita cura) adeò celare valuit, quin ad bonam Baſſarum aliorumq́ maioris dignitatis penes ſe hominum notitiam peruenerit. Ex quo Achmat Baſſa clam per internuncium, quo ſuæ ſalutis ac vitæ diligentiorem rationem haberet, admonuit. Nec etiam Muſtaphæ admiratione

indi-

indignum viſum eſt, præter probabilem vllam rationem parentem ſuum cum tam ingenti militum manu aduentaſſe: attamen ſuæ innocentiæ confidens, anxietate ac perturbatione animi extremè vexatus, mandato patris (licet etiam cum maximo vitæ ſuæ periculo) obtemperare ac ſatisfacere ſtatuit. Exiſtimabat enim honeſtius ac laudabilius fore, obtemperando parenti mortem incurrere, quàm viuendo in criminationem incidere inobedientiæ. Sub tam graui igitur animi anxietate, multa ſecum ipſe diſputans, tandem Doctorem, quem ſemper in curia ſua penes ſe (vt ſuprà diximus) habebat, intrepidè ac conſtanter interrogat, vtrum totius orbis imperium, an verò vita beata homini præoptanda eſſet. Cui liberè Doctor reſpondet, mundi quidem huius imperium penitius conſideranti, nihil fœlicitatis, quàm ſub vana & inani boni apparentia afferre, nam eo nihil fragilius inſecuriusq́: cum ſecum meros timores, anguſtias, tribulationes, ſuſpiciones, homicidia, impietates, iniuſtitias, deprædationes, ruinas, captiuitates, ac omnis generis alia pleraq́ homini ad veram beatitudinem peruenire cupienti haudquaquam optanda, afferre ſoleat: quorum gratia quidem vita beata amitteretur, non autem retineretur. Verùm quibus diuinitus datum eſſet, fragilitatem ac breuitatem huius ſtatus noſtri (quem quidem vitam eſſe vulgus exiſtimat) conſiderari ac perpendere, mundiq́ vanitatibus reluctari, ac honeſtatem tandem amplecti: illis ſanè in cœlis locum aſſignatum, ac à ſummo DEO *præparatum eſſe, vbi æternis tandem fruerentur gaudijs ac vita beata. Hoc Doctoris reſponſo perturbato adoleſcentis animo, mirum in modum, tanquam finis ſui quodammodo præſago, ſatisfactum eſt: nec longiore ſermocinatione remoratus, illico verſus parricidam patrem iter vertit, acceleratoq́ gradu tandem ad caſtra parentis peruenit, ac non procul inde ſub dio tentoria fixit. Sed hic tam feſtinatus Muſtaphæ aduentus impio parenti maiorem ſuſpicionem attulit: nec interea Ruſtanus ſuis nequiſsimis commentis ac fallacijs ea in re abſtinuit ſuſpicionem augere, nam ſigno dato Ianiſcharos ac alios totius exercitus primarios milites, vt Muſtaphæ irent obuiam, incitat. Nec mora omnes quàm promptiſsimè iuſſa eius exequuntur, ac ſeſe itineri accingunt. Interea callidiſsimus nebulo, vultu indignationem (ſicuti egregiè fingere callebat) oſtentans, ſe illico in Regis tentorium confert, affirmans impudentiſsimè, primarios ferè omnes milites ſponte ac ſine vllo mandato Muſtaphæ obuiam iuiſſe. Hoc audito Rex animi perturbatione impalluit: egreſſusq́ tentorium, facilè vera eſſe, quæ Ruſtanus retulerat, ſibi perſuaſit. Nec etiam Muſtaphæ, ſuæ tam infœliciſsimæ ſortis prodigia defuerunt. Nam die, antequam itineri accingeretur, tertio, circa crepuſculum diei dormiens viſus eſt videre ſuum Machometum refulgentibus indutum veſtibus, ſe manu arreptum, ad locum quendam amœniſsimum, ſtructiſsimis ac ornatiſsimis de-*

Muſtaphæ mortem præſentiſcentis animus.

Calũniæ aulicorum Turcicorum.

Prodigia ante cædẽ Muſtaphæ.

mis decoratum palatijs, amœniſsimoq́ horto conſitum deducere, digitoq́ omnia demonſtrantem ita eum affari. Hic, inquit, in æternum quieſcunt, quicunque in mundo piam iuſtamq́ egerunt vitam, quiq́ legum & iuſtitiæ adſertores, vitiorumq́ improbatores extitêre. Ac in aliud tandem latus verſa facie, rapidiſsima ac latiſsima duo flumina conſpexiſſe, quorum alterum aquam pice nigriorem rebullire, atque in illis plærosque immergi, plærosq́ in altum apparere, ac miſericordiam horridiſsima voce clamitare: atq́ illic (inquiebat) cruciantur, quicunque ſub vitæ huius fragilitate, malitioſe operati ſunt iniuſtitiam. Illorumq́ præcipuos, Principes, Reges, Imperatores ac magnates eſſe affirmabat. Hoc facto, Muſtapha ſomno pariter ac viſione ſolutus, Doctorem accerſiri iubet, illiq́ negocium totum exponit. Ille verò diu multumq́ cogitans (etenim ſuperſtitioſi Machometiſtæ plurimum ſomniorum deliramentis tribuunt) dolore ac mœſtitia plenus, tandem reſpondit: viſionem hanc timendam ſane eſſe, quippe quæ illi ſummum vitæ periculum præſagiret. Rogat igitur, vt vitæ ac dignitatis ſuæ ſedulam habere velit curam. At Muſtapha, vt erat magnanimitate ac fortitudine præditus, nullo eius reſponſi habito reſpectu, intrepidè reſpondit, inquiens: Ecquid puerilibus ac friuolis timoribus me vinci ac terreri patiar? Quin potius impauido ac cōſtanti animo feſtino ad meum parentem, eò etiã audacius, quòd certò ſciam, me ſemper illius maieſtatem (vt æquum eſt) tam pie reueritum eſſe, vt inuito illo, aduerſus ſedem ſuam neq́ oculos, nedum pedem vnquam verterim, multo minus imperium affectarim, niſi ſummi DEI *voluntas illum ad meliorem euocaſſet vitam: nec etiam ſine communi totius exercitus publica electione, vt tandē ſine cæde, ſine ſanguine, ac omni crudelitate, piè ac iuſtè regnarem, fratrumq́ meorũ amicitiam inuiolatã ſeruarem. Conſtitui enim apud me, elegiq́ potius, quandoquidem id voluntas parentis mei exigit, obediens vitam finire, quàm multis annis regnans, ab omnibus, præcipueq́ æmulis meis rebellis reputari. Hoc habito ſermone, Muſtapha ad caſtra parentis peruenit, fixisq́, vt diximus, tentorijs, veſtibus albis veſtit ſe, literasq́ aliquot, quas Turcæ aliquo ituri, ſemper ſecum (nam in ſuperſtitionibus valde delirant) portare ſolent, ſinui imponit: ac tandem ſuorum fidelium aliquot comitatus, cum ſumma reuerentia parentis ſui manus (pro more illis vſitato) exoſculaturus, impij parentis tentorium verſus contendit. Sed vbi peruenit ad limen, recordatus, adhuc ſe pugione quodam accinctum eſſe, nō prius introiuit, quàm pugionem depoſuiſſet: nimirũ ne in ſui parentis conſpectum armatus peruenire videretur, omnemq́ ſuſpicionē à ſe remoueret. At vbi interiora tentorij ingreſſus eſt, hilariter ſatis ab eunuchis parentis, ac ea, qua decebat, reuerentia excipitur. Verùm nihil aliud, quàm ſedem vnicam, vbi ſolus ſederet, præparatã videns, anxius animi, cogitabundus aliquantiſper conſtitit, ac tan-*

Diabolus Turcicus in Angelum lucis ſeſe transformat.

dem, vbinam eſſet Rex interrogat, tum verò, ſe ſtatim Regem viſurum, reſpondent. Interea ab altero latere ſeptem mutos (quos Rex Turcarũ penes ſe, ſecretorum ſuorum cõſortes, & ad omnia homicidia exequenda ſecretius promptos habere ſolet) ad ſe venire conſpicit: ſummoq́ terrore perculſus, En mea mors, inquit, ſurgensq́ aufugere conatus eſt, ſed fruſtra. Acceptus enim ab eunuchis & cuſtodibus, vi ad ſuæ ſortis locum deſtinatum tractus eſt, nec mora, muti ſubitò neruum arcus collo eius alligant: reluctanteq́ miſero, ac vt duo tãtùm verba cum patre ſibi loqui liceret rogante, tandem inhumanus ac impius parricida, qui tam nefandũ ſpectaculũ ex altero tentorij latere conſpiciebat, immani atq́ crudeli voce increpat illos, inquiens: An igitur iuſſa tandẽ mea non exequimini? nec proditorem iſtum, qui iam decennio ne vnicam noctem quietum dormire me paſſus eſt, occiditis? Quibus tam immanibus, nefarijs, ac imperioſis auditis vociferationibus, tandem eunuchi cum mutis, miſellum humi deijciunt: tractoq́ ab vtroq́ latere nodato neruo infœliciſſimum, iuſſu parentis ſceleratiſſimi ſtrangulant.

Muſtapha crudeliter circumuentus.

Nex Muſtaphæ.

Expedito hoc ſcelerato ac impio facinore, iuſſu Regis Baſſa Amaſianæ prouinciæ capitur, ac in Regis conſpectu capite plectitur. Quo patrato, Giangir gibboſum, eorum omnium, quæ geſta erant, inſcium accerſit, ac quaſi rem laude dignam perfeciſſet, ludens, vt fratri ſuo Muſtaphæ eat obuiam, iubet. Tum Giangir hilari ac læto animo fratrem excepturus feſtinat. Sed vbi peruenit ad locum, vbi fratrem ſtrangulatum & humi iacentem conſpexit, dici haud poteſt, quanta animi perturbatione affectus ſit. Ad locum cædis vix peruenerat, cum pater quoſdam ex miniſtris mittit, qui ei omnes Muſtaphæ theſauros, equos, ſeruos, tentoria, ornamenta, inſuper & Amaſianã prouinciã offerrent. At Giangir extremæ mœſtitiæ, propter chariſſimi fratris inhumaniſſimã mortẽ, in hunc modum eos affatur. Proh ſceleſte, & impie Caim, proditor, ne dicam, pater, fruere nunc theſauris, equis, ornamentis, ac prouincia Muſtaphæ. Siccine tuo inhumano, impio, ac crudeli animo incidit, vt egregium, bellicoſum, ſummæq́ expectationis filium, cui parem domus Ottomannica nec habuit, nec vnquã habitura eſt, tam impiè, ac præter omnem humanitatis, ne dicam cognati ſanguinis reuerentiã, necares? Cauebo igitur, ne in poſterum eum in modũ de miſero, gibboſo, tam impudẽter glorieris. Sic præfatus, pugionẽ, quo erat accinctus, per intima viſcera coẽgit, ſicq́ ſubitò animam efflauit. Quod vbi ad aures Imperatoris peruenit, quanto ſit affectus animi mœrore dictu difficile eſt. Verum nõ propterea auarum eius animum tanta vicit animi perturbatio, atq́ anxietas. Nam illico omnia Muſtaphæ ornamenta in ſua tentoria deferri iubet. At milites iſta omnia in prædam fortè conceſſa eſſe exiſtimantes, promptis animis ad exequenda Regis mandata feſtinant. Interea in caſtris Muſtaphæ milites eius, quod cum domino actum erat,

Turci à Turcis repræhenſi.

inſcij,

inſcij, videntes tantam militum cateruam ſine omni militari ordine irruere, quò illorum ſe tumultuariæ inſolentiæ opponerent, armati in medium prodeunt: viriliterq́ue, nec ſine multorum cæde illorum repellunt impetum. Tunc demum illius tragœdiæ fama ad Regis milites perlata, videntes tumultus magis magisq́ue incaleſcere, ſuis etiã auxilio eſſe ſtatuunt: ac tandem hinc inde ad arma proclamatum, ac vtrinque pugnatum crudeliter, adeò vt circiter duo millia ceciderint, pluresq́ue vulnerati ſint, proceſsiſſetq́ue vlterius hæc tragœdia, ni Achmat Baſſa homo ſanè grauis, ac propter experimenta virtutis non mediocris apud milites autoritatis Janiſcharos retroegiſſet, illorumq́ue furorem frenaſſet, verſusq́ue ad Muſtaphæ milites beneuolis ac lenibus verbis, exhortationibusq́ue animos illorum mitigaſſet. Num, inquit, chariſsimi fratres, à noſtra, qua tot ſeculis probati eſtis animi prudentia degenerantes, mandatis magni Soltani, ac domini noſtri refragari vultis? Non poſſum, me hercle, ſatis mirari, quídnam vos, quos ego hactenus clariſsimos ac valentiſsimos probaui, mouerit, vt in hoc ciuili conflictu ea, quibus fœliciter aduerſus Ottomannæ ſtirpis hoſtes vſi fuiſtis, arma, in ſocios & fratres veſtros ſtringere, gratumq́ue hoſtibus ſpectaculum edere ſtatuatis, vt quorum armis ſe deuictos doleant, eorum mutuis cædibus ſibi inuicem congratulentur. Quocirca filij mei ſedulò pro veſtra magnanimitate curate, ne eam, qua hactenus, præ omnibus, commendati fuiſtis, animi prudentiam ac fortitudinem, veſtra hac inſolentia amittatis. Hæc igitur arma, quibus hactenus inter veſtros plus ſatis vſi eſtis, aduerſus hoſtes, vnde plus laudis & gloriæ aſſequemini, reſeruate. Huiuſmodi verbis Achmat Baſſa militum animos emollijt, adeò vt omnia ex tentorijs Muſtaphæ ad Regem liberè deferri permiſerint. Vbi verò mors Muſtaphæ ad aures Ianiſcharorum totiusq́ue exercitus peruenit, altera inter eos ſeditio orta eſt. Ab omnibus igitur ad arma clamatum denuo, factoq́ue ingenti ſtrepitu, commixtis etiam lachrymis & planctu, tandem vt erant rabido ac feruenti animo, ſtrictis gladijs in regiam cum magno impetu irruunt. Atque hæc renouata ſeditio, tantum trepidationis Regis animo attulit, vt omni ratione conſilij deſtitutus, cum maximo ſui capitis periculo fugere voluerit. Verùm à ſuis retentus, occaſionemq́ue ex neceſsitate nactus, rem, quam ſecurus ne cogitaſſet quidem, aggreſſus eſt, foraſq́ue egreſſus, milites (ſed pallido vultu) ſic affatur. Qui rumores, qui ſtrepitus, quæ tandem iſta eſt inſolentia, quid inflammati, ardentes, iracundiq́ue vultus denotant? An me Regem veſtrum, eumq́ue qui vobis imperandi ius habeat, ignoratis? Siccine veſtrã maiorumq́ue veſtrorum inuictam, inueteratamq́ue militiam, Regis ac Imperatoris veſtri cruore maculare decreuiſtis? Jn hunc modum adhuc loquente Rege, milites intrepide reſpondent: Haud ſe diffiteri, eum illum ipſum eſſe, quem ante multos annos Imperatorem elegiſ-

Cędes tumultuaria orta ob necẽ Muſtaphæ.

Altera ſeditio ob Muſtaphę necem.

c 2 ſent,

ſent, quod verò ſua virtute amplum ei imperium acquiſiuiſſent, idemq́ conſeruaſſent, ideo ab illis factum, vt piè ac iuſtè regeret, non autem, vt inconſideratè cruentas manus in quemlibet iuſtum inijceret, ſeq́ impiè innocentum ſanguine macularet. Quod autem armati prodiſſent, id iuſta ſe cauſa commotos feciſſe, nempe ad vindicãdam innocentis Muſtaphæ mortem, nec ea de cauſa meritò ſibi Regem ſuccenſere poſſe. Petunt igitur, vt ſibi liceat, ſe publice de proditionis crimine, cuius ab hoſtibus Muſtaphæ inſimularentur, purgare, & vt accuſator ſuam acturus cauſam prodeat. Non enim ſe arma prius depoſituros, quàm accuſator in iudicio compareat, accuſationemq́ more legitimo ſub talionis pœna inſtituat. Dum hæc geruntur, ſceleris atrocitas omnibus lachrymas elicit, ſic vt Rex ipſe nefarium illud parricidium perpetratum eſſe, dolere videretur. Rex ergo militibus, quicquid petebant, promittere, illorumq́ inflammatos animos, quantum poterat, ſedare. Milites interim, ne Rex callide aufugeret, illosq́ promiſſis ſuis, atq; expectatione eorum, quæ petierant, fruſtraretur, expedita cura ac diligentia, in ſtatione omnes & excubijs manſerunt.

Turci Turcos reprehendunt.

Perfidiæ premia.

Interea Rex Ruſtanum omni penitus dignitate priuauit, annulumq́ regium, cuius cuſtos fuerat, illi adimit, & Achmat Baſſæ tradit. At Ruſtanus timore ac trepidatione perculſus, videns ſe in ſuis non ſatis tutum, ad Achmat Baſſæ tentorium tacitè confugit, illumq́ quid in negocio hoc dubio & periculoſo agendum foret, conſuluit. Qui reſpondit, vt Regis conſilio vteretur, & quod iuberet Rex, id ſedulò exequeretur. Id conſilium Ruſtano ſatisfecit. Nec diu cunctatus, per internuncios, fidosq́ ſibi ac familiares amicos Regẽ de omnibus conſulit. Accepto ergo reſponſo, vt omni poſthabita mora, ſe quàm citiſſime à conſpectu Regis, & caſtris amoliretur, ille rurſus id ſine pecunijs, & tentorijs cõmode haud fieri poſſe ait. Verùm Imperator, nec tempus, nec moram vlteriorẽ ei concedi poſſe reſpondet. Ibi demum Ruſtanus citra vllam moram enormium ſuorum ſcelerum ſatis ſibi conſcius, octo fideliſſimis comitatus amicis Conſtantinopolim verſus iter dirigit, acceleratoq́ gradu, timor enim alas addere cõſueuit, peruenit Conſtantinopolim, illicq́ cum Roſa, ac alijs plærisq́ eius cõiurationis participibus, fortunæ ſuæ euentum non ſine magno capitis periculo expectat. Ferunt etiam Seuleimannum tam immanis facinoris ſibi conſcium, pœnitentiæ ſuperſtitione, vt Mecham peregrinaretur, impulſum eſſe, arreptoq́ itinere, tandẽ Perſarum viribus coactũ ſe Hieroſolymã cõferre, illicq́ pro defuncto filio ſacrificium (corbã vocant) obtuliſſe. Sed hæc, vt tandem finiã, de Muſtapha mihi dicenda, ſeu magis admonenda occurrerunt: Eum nẽpe omnibus ob militarem diſciplinã, promptũq́ ad effundendũ Chriſtianũ ſanguinẽ animũ, adeò gratũ fuiſſe, vt extitiſſe in ſtirpe Ottomannica neminẽ vnquã exiſtiment, qui tanta de extẽdendo illorum imperio polliceretur: adeò vt de rebus apud

Muſtaphæ in Chriſtianos animus crudelis.

illos

illos deſperatis natum ſit prouerbium: GIETTI *Soltan Muſtapha, quo quidem ſignificari volunt, de rebus apud illos prius cogitatis actum eſſe.*

Erit igitur, vt ob tanti tamq́ nobis crudelis futuri hoſtis mortem nobis ipſi congratulemur, exiſtimemusq́ id non ſine prouidentia diuina, quæ rebus noſtris ea in parte conſulere voluit, factum eſſe: Tum demū nobis ſummopere curandum, vt tandem ciuilibus abſtineamus bellis ac diſsidijs, exiſtimantes aduerſus communem non ſolum patriæ vitæq́, ſed & animarum noſtrarum hoſtem communibus auxilijs progrediendum eſſe. Quod ſi fecerimus, Chriſtiani nominis hoſtem à nobis repellere non erit difficile: ſin minus, periculum erit, ne inteſtinis noſtrorū diſcordijs, quod reliquum eſt Europæ noſtræ, inuadat, ac ſua tyrannide vaſtet, quod quidem auertat, nosq́ omnes ad concordiam reuocet per CHRISTVM *filium,* DEVS *optimus maximus. Hactenus Nicolaus Burgundus.*

DE LANIENA TVRCICA EX CHRONICIS Philippopeucericis.

IN hac laniena Turcica præcipuè exempla ſpectemus, & ingentis iræ DEI *aduerſus peccata totius generis humani, & miſericordiæ reprimentis pœnarum atrocitatem, ac parcentis illi multitudini, in qua eſt Eccleſia* DEI. *Ruunt in ſeſe mutuò cæca diraq́ libidine imperandi, & vindictæ rabioſa cupiditate ex leuiſsimis occaſionibus nata, gentes prophanæ, ac blaſphemæ, horribilibus cædibus, ſingulari permiſſu diuino incitantibus eas Diabolis, cum vt ipſæ ſeſe puniant, rabie indomita viq́ inſuperabili in ſemetipſis conflictu mutuo conſumptæ, tum vt hac bellorum barbaricorum tempeſtate inter ipſos deſæuiente, interea halcyonia ſint in ijs regionibus, in quibus ſonat vox doctrinæ de filio* DEI. *Erat autem maximè opus quiete ac tranquillitate hoc tempore renaſcenti in Germania Eccleſiæ, cum emendatio doctrinæ ſacræ multipliciter corruptæ, ac vitioſorū rituum ex verbo* DEI *voce Lutheri inchoata eſt. Si tunc enim tenera Eccleſia impetu externorum armorum quaſſata fuiſſet aut diſiecta, conſiſtere confirmariq́ aut recipere ſeſe vix vnquam potuiſſet. Cumq́ deinceps etiam in Pannoniam ſeſe hoſtilis impetus effudit, pœnarum exempla propoſita fuiſſe Germaniæ non dubitemus, propter odium & contemptum illuceſcentis doctrinæ, quàm multò maxima pars procerum ita auerſata eſt, & abominata, vt cupiuerit extinctam, oblita & præceptorum & comminationum, quas collocatis ad gubernacula, denunciat concio Pſalmi ſecundi: Et nunc Reges intelligite: Erudimini qui iudicatis terram. Oſculamini filium, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, cum exarſerit in breui ira eius. Beati qui confidunt in eo.*

Reſpicientes ergo ad triſtiſſima tyrannidis Turcicæ exempla, vtriuſq; recordemur, iræ & miſericordiæ DEI, *& flectamus animos ad agnitionem, & inuocationem filij* DEI, *cuius contemptum grauiſſimis & publicis ſupplicijs ſe vlturum comminatur, & vindicare oſtendit cœleſtis & æternus pater. Cogitemus etiam de communi miſeria generis humani, & de diaboli furore, qui odio* DEI, *& contemptu generis humani, tantis flagitijs ac ſceleribus deformat imagines* DEI, *& quidem ſummo loco, in Imperijs, vbi excellere virtus debebat, vt illa horrenda diaboli ſpectacula vniuerſa rerum natura abominetur. Quare filium* DEI *oremus, vt opera Diaboli graſſantis, cum in toto genere humano, tum verò præcipuè in ſummis ordinibus deſtruat, ſicut ſcriptum eſt: Filium* DEI *apparuiſſe, vt deſtruat opera Diaboli.*

Cætera in Turcorum hiſtorijs talia ſunt, vt ſi quem delectant, illum Hircanica tigride feriorem: Si non dolore afficiant, Caucaſeis rupibus duriorem eſſe oporteat. Nec alia fuit cauſa, vt in hanc epitomen, hæc quæ recenſui inſererem, niſi vt conſiderata aliquo modo Tyrannidis & latrociniorum ſpecies, Principibus orbis Chriſtiani & militibus, pia tandem & iuſta arma induat.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER

LIBER TERTIVS, DE REBVS TVRCICIS, EX BARTHOLOMAEI GEORgieuiz *Peregrini Hieroſolymitani Epitome deſumptus.*

PEr tredecim annos Bartholomæus Georgeuiez triſtiſſimam ſeruitutem inter Turcas paſſus, in Epitomen ea quæ ad Turcarũ ceremonias, diſciplinamque militarem ſpectant, coniecit. Addidit nonnulla de Chriſtianorum afflictionibus, tum etiam vaticinium Turcicum, de Turcarum imperij interitu interpretatus eſt. Ex illa Epitome, quæ ad inſtitutum noſtrum faciunt huc in vnum faſciculum collegimus. Miſeriam quam perpeſſus fuerit Peregrinus ille, ipſemet in præfatione exponit, quam hîc etiam præfigere viſum eſt.

PIO ET CHRISTIANO LECTORI BARTHOlomæus *Georgieuiz Peregrinus Hieroſolymitanus S. P. D.*

SAEua diſcordia, & Principum noſtrorum inteſtina bella hoc mihi Peregrino pepererunt, Chriſtiane Lector, vt omnibus bonis ſpoliatus, catenis vinctus, per aſpera atque horrida Thraciæ Aſiæque minoris loca, vt iumentum hinc inde per oppida & vicos, venum ductus ad grauiſſimos, varioſque ruſticos labores ſuſtinendos ſepties venundatus, & ſub Turcica ac ruſtica ferula, & aſpera diſciplina, famem, ſitim, frigus, nuditatem perpeti, gregeſque ouium & armenta paſcere, agriculturam ſeruiliter exercere, equos curare, militiæque artem addiſcere compulſus ſim. Quare capta fuga, glandibus, herbis agreſtibus, earumque radicibus amaris modico ſale conditis victitans, in ſolitudine arctico polo duce errans, inter voraciſſimas feras verſatus ſum. Helleſponticum mare cum trabibus fune colligatis traijcere conarer, captus ſum, vinctusque ad herum reductus, à quo immaniter cæſus ad mangones atque Ianiſtas venum reiectus fui. Sic tredecim annorũ ſpatio aduerſæ fortunæ fluctibus agitatus, ſub Imperio Turcarum multas grauesq; miſerias, calamitates, afflictiones, & perſecutiones pertuli. Cumque magis compendioſa via, hoc eſt per Thraciam, tantam tyrannidem, grauiſſimam ſeruitutem, & crudeliſſimam infideliũ afflictionem effugere nequiuiſſem, alia via, videlicet antarcticum polum verſus, per Caramanniæ ac Syriæ deſerta & periculoſiſſima loca fugiens, per varios caſus, per tot diſcrimina rerum, in terram Sanctam, ad Fratres Diui Franciſci Hieroſolymæ in monte Sion habitantes perueni. Inde poſt curſum vnius anni, quaſi à mortuis Diuina voluntate ſuſcitatus, illiusque voraciſſimi, & inſatiabilis Draconis Orco, & faucibus ereptus, dirisque tormentis & ſupplicijs liberatus, fratribus meis Chriſtianis illarum pœnarum certiſſimus nuncius veni, vt dignam ſuorum ſcelerum atque errorum pœnitentiam facerent, ne & ipſi in eum tormentorum ac cruciatuum locum veniant: vt etiam intelligant, quo odio digni ſint, qui Chriſtianum gladium, noſtrarum miſeriarum futurum vindicem iam ante tot ſecula, tam fidelium, quàm etiam infidelium prophetico ore prædictum, & ad illud Sathanæ regnum deſtruendum & demoliendum prædeſtinatum, ab hac ſanctiſsima & diu deſiderata expeditione remorantur.

Quum igitur poſt ærumnoſas peregrinationes, illarum crudelitatum tragœdias leuiter delineaſſem, aliaque nonnulla, quæ vel vſu ipſo didiceram, vel à ſenioribus olim dicta aut lecta cognoueram, ſingulaque diuerſis locis & temporibus conſcripta diuulgaſſem, eaque deinde per probos doctoſque viros in varia idiomata traducta & publicata comperiſſem, eaque & neceſſaria & vtilia, adeoque grata lectoribus perſpexiſſem, omnia in vnum faſciculum collegi; nunc verò in meliorem formam redacta, tibi ea optime ac Chriſtiane Lector legenda offero.

Tu igitur exemplo CHRISTI ſaluatoris, qui illius pauperculæ viduæ munuſculum tot principum pretioſis muneribus prætulit, hoc exiguum munuſculum afflicti peregrini æqui bonique conſulere velis.

Vale. Romæ, Idibus Septembris, Anno M. D. LII.

VATI-

VATICINIVM INFIDELIVM LINGVA TVRCICA.

Vaticiniũ de Turcorũ internecione.

PAtiſſahomoz ghelur, Ciaferum menleketi alur, Keuzul almai alur, Kapzeiler iedi yla degh Giaur Keleci cſikmaſſe on iki yladegh on laron beghligh eder: Cui iapar, baghi, diker bahciai baghlar, oglikezi olur: onichi yldenſora Hriſtianon, Keleci cſichar, ol Turchi ghereſſine tus chure.

INTERPRETATIO EIVSDEM.

IMperator noſter veniet, ethnici Principis regnũ capiet, rubrum quoq; pomum capiet, in ſuam poteſtatem rediget: Quòd ſi in ſeptimum vſq; annum Chriſtianorum gladius non inſurrexerit, vſq; ad duodecimnm annum eis dominabitur. Domos ædificabit, vineas plantabit, hortos ſepibus muniet, liberos procreabit, & poſt duodecimum annum (ex quo rubrum pomum in illius poteſtatem redactum fuerit) apparebit Chriſtianorum gladius, qui Turcam quaqua verſum in fugam aget.

COMMENTARIVS.

PAtiſſahomoz. *Eſt nomen dignitatis, compoſitum cum pronomine pluralis numeri, & ſignificat Rex noſter, ſiue Imperator noſter. Solent enim eodem nomine dignitatis Romanum Cæſarem, ſimul & reliquos Reges Chriſtianorum appellare, vt Vrum patiſſah, id eſt, Romanus Imperator. Vngruz patiſſah, id eſt, Hungarus Rex: & Frenk patiſſah, id eſt, Gallus Rex. Nec attribuitur inferioris conditionis magnatibus, niſi Imperatoribus ac Regibus Patiſſah. Plærunq; etiam pro Duce ab eis accipitur, nec abs re, cum dux à ducendo ſit dictus, id tamen dubium haud eſt, quin ille vates Turcicus per iſtud vocabulum Patiſſah potiſſimùm Tyrannum, qui Chriſtianos oppreſſurus ſit, ſignificare & indicare voluerit. Præterea & Rex Perſarum eodem nomine ab ipſis ſolet appellari: Sed frequentius vocatur Sultan, quod nomen deſignat Principem, vt Sahi Sultan Zmail. Quia Rex Perſarum, qui hodie rerum potitur, quem aliâs Sophi vocant, proprium habet nomen Zmail, quod ſignificat Iſmaëlem. Habent & aliud nomen dignitatis Regum Hunker. Sed hoc nomine nullum audiui vnquam vel ex Chriſtianorum vel infidelium Regibus appellari, præterquam ipſum Suleimannum eorum Regem, qui nunc rerum potitur, quod tamen neſcio, an ſignificet Hunnorum dominum. Id enim Germanica propemodum vox indicare videtur, Hunch heer, id eſt, Hunnorum dominus.*

Chelur,

Chelur, *eſt verbum futuri temporis, quod ſignificat Veniet.*

Chiaferun, *eſt nomen, quod ſignificat gentilem ſiue ethnicum. Solent enim omnes Chriſtianos hoc nomine appellare, quamuis etiam alia habeãt vocabula ad interpellandos Chriſtianos, vt ſunt,* Gyaur, *ſiue* Kaur, *id eſt, Chriſtianus,* Gyaurlar, *ſiue* Kaurlar, *id eſt, Chriſtiani. Sed* Chiafer *etiam ſine illa terminatione, quæ plurali attribuitur numero, multitudinem nationum deſignat: Sed quia textus habet* Chiaferun, *eſtq́ genitiui caſus per additionem* Vn, *vt* Chiaferun, *id eſt, gentilis in genitiuo, quaſi dicerent gentilis regis, vel gentilium.*

Memleket, *ſignificat regnum, quamuis & alia habeant diuerſa vocabula ad ſignificandum regnum, vt* Iſtan: *Quia cum Italiæ ſiue Franciæ, aut etiam Hiſpaniæ regnorum mentionem faciunt, tunc dicunt,* Frankiſtan: *quod ſignificat tam Italorum, Gallorum, quàm Hiſpanorum regna.* Frank *ſignificat hominem harum regionum, vt* Frank Gyaur, *id eſt, Italus, Gallus, vel Hiſpanus Chriſtianus. Cæterùm cum Græciam nominare volunt, mutant vocabulum dicentes,* Vrum elli, *id eſt, Græcia, & non,* Vrum iſtan: *id eſt, Græcum regnum. Solent interdum &* Vrum Memleket *dicere, & tunc intelligunt totum Imperium Græcorum. Breuiter vocabulum hoc* Memleket *Imperium potius ſignificat, quàm regnum apud illas Turcarũ Perſarum nationes.*

Alur, *verbum, quod ſignificat Capiet, ſiue Accipiet.*

Ikuzul almi, *eſt nomen, quod ſignificat Rubrum pomum, quia* Kuzul *ſignificat colorem rubrum, & alma, pomum, & dicunt eſſe vrbem aliquam fortiſſimam, & ampliſſimam Imperialem.*

Oritur hîc quæſtio inter Doctores hanc ob cauſam, quia ſunt qui per vocabulum illud vrbem Conſtantinopolitanam accipiant, eò quòd in nonnullis eorum voluminibus dupliciter legitur, videlicet, Kuzulalmai, *&* Vrumpapai, *id eſt, rubrum pomum, per quod nonnulli volunt intelligere* Budam, *ſiue Græcũ Sacerdotem vel Patriarchã: Quia, vt iam diximus,* Vrum *ſignificat Græcum, eò quòd olim erat ſub Imperio Romano tota Græcia, & eſt corruptum per adiunctionem* V *literæ in principio, & mutationem* O *in* V, *qui huic nomini* Vrum ſi demas *primum* V, *& medium mutetur in* O, *erit Rom. Itaque multi ſunt huius opinionis, quòd ſignificet Imperium Conſtantinopolitanum, nonnulli Romanum.*

Kapzeiler, *eſt verbum, & ſignificat opprimere iugo ſeruitutis, & nemo dubitat illorum tyrannicam afflictionem eſſe crudelem oppreſſionem, quod facilè probabunt ij, qui captiuitatem & tributi exactionem ſub ipſis experti ſunt, quemadmodum ſunt Græci, Armenij, Thraces. Qua de re ſequens tractatus de Afflictione captiuorum legatur.*

Iediyladegh. *Septimum annũ vſq́, poſt captionem eius loci ſupra dicti*

d Giaur,

Giaur, Kelezi cſichmaſſe: *id eſt, ethnicus ſiue gentilis gladius ſi non apparuerit, & contra illum non inſurrexerit. Putant hæc fata anni ſeptimi in poteſtate Chriſtianorum eſſe, qui ſi vellent communi opera gladium contra ipſos ſtringere, haud dubiè eſſent plena victoria potituri. Verùm quò minus id fiat, noſtram ignauiam in culpa eſſe, dum mutuò inter nos bello ciuili digladiamur, vel turpi otio conſeneſcimus.*

Cnychy gydelegh, *hoc eſt, vſque ad duodecimum.*

On larum begh ligheder, *id eſt, eorum (videlicet ethnicorum) dominabitur. Verùm quia neque poſt ſeptimum, neque poſt duodecimum annũ (capto Imperio Conſtantinopolitano) Chriſtianorum contra ipſos gladius diſtrictus eſt; iam enim ferè centum elapſi ſunt anni, quod tota Thracia, & Imperium orientale ſub eorum ſit ditione, augurantur aliã Imperij ſedem ſub nomine rubri pomi ſignificari. Ita certum & definitum temporis ſpatium intelligetur, vbi vaticinium re ipſa completum fuerit.*

Eufi iapar: *id eſt, domum ædificabit Sed miror vnde illis id, & quomodo ſint intelligenda hæc verba. Nec enim in ædificandis domibus Turcæ, ita vt noſtri, ſunt curioſi, ſed potius ædificatas expugnant & demoliuntur, quemadmodum res ipſa indies oſtendit. Nec in ædificia, quæ vel priuatam vtilitatem vel delectationem ſpectent, theſauros ſuos expendunt, ſed eos ad publicum potius commodum & communem vtilitatem reſeruant. Quare per ædificationem domorũ ſignificari putant, quod templa noſtra ſuo Mahomete ſit dedicaturus. Quemadmodum factum eſt per totam Aſiam, & magnam Europæ partem in Græcia, Thracia, Vngaria, Sclauonia, Dalmatia, Non iam dicam, qua nam ratione iram* DEI *aduerſus nos ita prouocemus, vt templa noſtra à fœdis illis Mahometiſtis prophanari & pollui patiatur. Haud dubiè pœna eſt idololatriæ, quæ in templis graſſatur, tum multiplex templorum abuſus. Videmus enim multos venatorum ritu canes ſecum in templa adducere, alios de vſuris, alijsq́ prophanis impijsq́ rebus ſermones conferre, multos puellarum potius, quam diuini cultus gratia ea ingredi, ijsq́ peccatis, dum templa frequentant, indulgere, quæ ipſi gentiles abominantur. Itaque non eſt quod miremur, ſi ex permiſſu* DEI, *templa noſtra à gentilibus prophanari videamus.*

Baghi diker: *id eſt, vineã plantabit. Per vineæ plantationẽ nouas colonias, & gentiũ è ſuis ſedibus emigrationes, imperijq́ dilatationẽ intelligũt.*

Batheſai, *id eſt, hortos, ſiue illas plantationes vinearum, id eſt, vrbes, & arces captas.*

Baglar, *id eſt, Inueniet. Subintelligunt nouas prouincias vndecunque muniet, vt recuperatu ſint difficilimæ. Et ſanè mirandum, quòd à tot annis poſtquam ſæuire incepit, ita munierit, vt ne pagum quidem ab eo recuperare potuerimus.*

O glu

O glu Kezi olur: *filium & filiam habebit. Hic per procreationem liberorum intelligunt propagationem Mahometanæ gentis. Nec eſt qui neſciat, ita eam propagatam & multiplicatam eſſe, vt vlterius vix progredi queat. Itaque nihil aliud reſtare credimus, quàm interitum & diminutionem fidei & nationis eorum.*

Oniki yldenſſora: *id eſt, poſt duodecimum annum.*

Hriſtrianon: *Chriſtianus.*

Keleci: *gladius.*

Cſicar, *id eſt, inſurget ſeu apparebit. Et circa hæc verba inter illos eſt controuerſia. Dubitant enim, vtrum gladius ille, quo Chriſtianorum natio in libertatem vindicabitur, talionem Mahometanis redditurus ſit, atque Rex Chriſtianus magnis copijs totum Imperium Turcarum ſit expugnaturus: An verò paſtor aliquis Chriſtianus ſua doctrina Turcas ſit conuerſurus ad noſtrã religionem. Quamobrem vltima verba huius oraculi, viri cum gemitu, pueri cum fletu, mulierculæ cum planctu & eiulatione excipiunt. Vtinam tandem Itali ſua pila, Hiſpani ſuas lanceas, Galli ſua gæſa, Angli ſuas baliſtas, Germani & Hungari ſuas frameas contra iſtos canes diſtringere, animum inducãt. Verùm diſcordia noſtri temporis eſt, quæ moratur noſtras victorias.*

Turchi, *id eſt, Turcam ipſum hactenus regnantem.*

Ghereſſine, *id eſt, retrorſum vnde egreſſus eſt, adeo vt vel latebras Bithyniæ vnde primùm erupit, vel Scythiam vnde originem traxit, trepidè diſquirat, eum, Turcam videlicet, Chriſtianus ille gladius, Tuſchure, pellet, ſiue profligabit. Cæterùm quia neſciunt Turcæ, vnde vel quando gladius ille vindex oriturus ſit, nihil temere Chriſtianis credunt, nec ipſos ferro accingi vel qualicunque telo armari patiuntur. Vſum tantummodo armorum ruſticorum, quibus terram colant, concedunt, nec rarò accidit, vt Chriſtiani, cum nimis duriter ab heris tractantur, eos vel ligone vel dentali, occaſionem aliquam nacti trucident. Itaque dubium non eſſet, ſi iuſta expeditio aduerſus Turcam ſeriò ſuſciperetur, quin Chriſtiani, qui duriſſima ſeruitute inter Turcas premuntur, iugum illud excuſſuri, vltro ad opprimendos eos vires ſuas coniuncturi eſſent, nec enim ferè minor eorum eſt numerus, quàm Turcarum. Tum etiam Turcæ nullo vel perexiguo animorum feruore ſunt præditi, canumq́ ritu ſolo latratu ſunt formidabiles, ſola multitudine freti.*

Quanquam autem à Chriſtiana fide tantum abſunt Turcæ, quantum Sathanæ regnum à regno DEI *abeſt, inueniuntur tamen inter eos, qui eius ſint ſuperſtitionis, vt in aciem prodituri, primũ caput Euangelij Iohannis Græcè conſcriptũ de collo ſuſpendunt, perſuaſum habentes, certũ hoc aduerſus hoſtilem impetum & inſidias eſſe amuletũ, nominantq́ illud Homaili.*

Quemadmodum ſimiles ſuperſtitionum ineptiæ, rudi plebeculæ ſub papatu frequenter commendatæ fuerunt. Cum æquius ſit DEI *voluntatem & verbum cordi inſcribere, quàm chartæ illitum de collo ſuſpendere. Itaque ſpes aliqua eſt, Turcas, etiamſi à Chriſtiana Religione iam alieni ſint, ad Chriſtum tamen conuerti poſſe. Nam omnium ferè temporum Hiſtoriæ teſtantur, quòd contemtum verbi ſui æternus Pater atrociter puniat, reiectisq; ijs, quibus gratia Diuini verbi oblata fuerat, ad regnum* DEI *vocentur, qui prius reprobi populus* DEI *haud erant.*

FINIS VATICINII TVRCICI.

DE AFFLICTIONE TAM CAPTIVORVM, QVAM SVB TRIBVTO INTER TVRcas *viuentium Chriſtianorum.*

QVOMODO CHRISTIANI IN BELLO A Turcis capti diſtrahantur.

CAPVT I.

Vendeti emtique Chriſtiani captiui.

Suſcipienti Turcarum Imperatori, aduerſus Chriſtianos expeditionem, inter reliquos mercatores ſemper comes eſt ingens turba mangonum & Ianiſtarum, camelis inſidentium: hi in ſpem mancipiorum longiſſimas catenas ſecum deferunt, in quibus facilè quinquageni aut ſexageni per ſeriem colligantur. Iſti, quoſcunque non abſumit hoſtilis gladius, à prædatoribus emunt, quod illis ea lege permiſſum eſt, ſi principi decimas mancipiorum præſtent, reliquos ipſis vel in ſuum vſum, vel ad nundinationem retinere fas eſt, nec vlla apud illos vberior aut frequentior eſt mercatura, vt & olim apud Romanos fuit, qui merces nullo vitio emptas, et in quibus euictio timeri non debuit, res mancipi appellabant.

QVOMODO CAPTIVI A TVRCARVM Imperatore tractentur.

CAPVT II.

Quomodo tractentur captiui Chriſtiani.

Senes, & vtriuſque ſexus iuuentutem, quæ illi decimarum nomine obtigit, ita diſcernit, vt qui grandioris ſunt ætatis ad agriculturam adhibeantur. Quanquam rariſſimè ijs parcunt, quos ætas multorum annorum parum vendibilis facit. Puelias & iuuenes ad certum locum relegant, qui ipſorum lingua Sarai vocatur, vt ibi certis artibus inſtruantur, quò inpoſterum commodius illorum opera vti poſſint. Ac primum id agitur, vt abnegata Chriſtiana fide circumcidantur. Itaq; eorum ceremonijs initiati, diligenter penſitatis per Phyſiognomiam lineamentis corpo-

corporis, pro cuiusq́; indole, vel ad leges eius gentis diſcendas, vel ad militiam deſtinantur, ſi maior vis corporis, quàm ingenij appareat, dantur q́; in ſtipendium quotidianum duo vel tres Achſe nummi, quos aſpros vocant, qui ſexaginta faciunt vnum coronatum: id ad cibarium & veſtiarium ſufficere arbitrantur, donec in expeditionem ſit abeundum. Rudimentis militiæ ita imbuuntur: primùm pro teneritudine virium datur leuior arcus, mox creſcente robore & peritia, grandior ac grauior, donec bello ſit idoneus. Adeſt magiſter, ſeueriſſimus exactor quotidiani exercitij, quotieſcunque à ſcopo aberrant, toties flagris cæduntur. Hi deinde adſcribuntur ordini Solacrarorum, id eſt, ſagittariorum. Alij in hoc erudiuntur, vt Ienitſeris cooptentur: iſti quoq; ſuos præceptores habent, qui in pugillatu lucta, & paleſtra eos exercent, duosq́; qui baculis decertent componere conſueuerunt. Reliqui, proh nefas, in quibus maior formæ gratia, ita abſcinduntur, vt nihil virile in toto corpore appareat, grauiſſimo cum diſcrimine vitæ: quòd ſi euadant, non in aliud ſunt incolumes, quàm in obſequium ſceleratiſſimæ libidinis. Seneſcente pulchritudine ad officia eunuchorum, vt matronas ſeruent, deputantur, aut cuſtodiendis equis & mulis, aut culinæ miniſterijs addicuntur.

QVAE CONDITIO SIT PVELLARVM, RELIquarumq; mulierum.

Caput III.

QVæ luculentæ pulchritudinis ſunt eliguntur in concubinas: mediocres matronis adduntur pediſſequæ, quarum nõnulla adeo fœda ſunt miniſteria, vt honeſtè dici non queant. Coguntur enim illas ſequi cum vaſculo aquæ, quando ad exonerandũ aluum, & purgandas eas partes, quas natura tectas eſſe vult, egrediuntur. Aliæ ancillaribus operibus vt textrinæ mancipantur. Nullis ex omnibus liberum eſt vel Chriſtianam fidem reſeruare, aut ſpem libertatis, quandiu viuit concipere. Fœminarum captiuarum conditio.

QVOMODO RELIQVI TVRCAE MANCIPIA ſua tractent.

Caput IIII.

HActenus quomodo Turcicus Imperator captiuos tractet expoſitum. Deinceps etiam indicabimus, quomodo vulgus Turcarum, Chriſtianos, ſi eos vel pretio vel alio modo in ſuam poteſtatem redigant, tractare ſoleat. Ante omnia, vbi nouitium adepti fuerint, minis, precibus, blanditijs, promiſſis id agunt, vt mancipium illud circumcidi ſe patiatur. Id ſi fecerit, humanius aliquantò tractatur, cæterùm redeundi in patriam ſpes planè abſciſſa eſt. Conanti enim id, pœna incendij deſtinata Mãcipiorum captiuorum tractatio.

eſt. Hi quia ſirmiores creduntur, ac minus fugaces, à dominis ad miniſteria caſtrenſia aſſumuntur, libertas tum demum competit, vbi vel ipſe annis inutilis potius reÿcitur à Domino, quàm dimittitur. Vel vbi dominus in bello inter pericula mortis libertatem legarit. Matrimonia illis quidem permiſſa ſunt; ſed liberi eorum pro arbitrio domini diſtrahuntur, quæ res ſapientiores à nuptÿs abhorrere facit.

Alios, qui circumciſionem repudiant immaniter tractant, quam ego miſeriam per tredecim annos expertus ſum, nec vllis verbis conſequi poſſum, quid ſit calamitatis in hoc genere vitæ.

QVAE SIT CONDITIO CAPTIVORVM Chriſtianorum, qui artium mechanicarum ſunt ignari.

Capvt v.

Captiui, qui nulli arti faciendæ ſunt idonei.

DVriſsima illorum ſors eſt, qui artes mechanicas non didicêre. Eæ enim ſolæ ibi in honore ac pretio ſunt. Quamobrem literati, ſacerdotes, viri nobiles, qui in otio vitam degerunt, vbi in horum manus venêre, omnium miſerrimè tractantur. Mango enim in illos, vtpote vix vendibiles nullos ſumptus facere ſuſtinet. Hi pedibus capitibusq́ ac plærunque maiore corporis parte nudi incedunt. Nullus enim nouus cultus, detritis veteribus veſtimentis ſuccedit. Per niues, per ſaxa, & hyeme, & æſtate hinc inde raptantur. Nec finis miſeriarum, donec vel moriantur, vel parum cautus emptor malam mercem, ſic enim tales iudicant, coëmat. Cæterum nemini, cuiuſcunque ſit vel conditionis, vel ætatis, vel artis, vel formæ, illud obtingit beneficium, vt in itinere, ſi morbo opprimatur, eum in diuerſorio apud hoſtem deponat. Flagris quantumcunque langueat, vt pergat impellitur. Quod ſi vires omnino deficiant, iumento imponitur. Vbi ſi viribus exhauſtus ſedere nequeat, prono corpore in morem ſarcinæ vel manticæ iumento alligatur. Morientem detractis veſtibus, in proximam foueam aut vallem, canibus, vulturibusq́ eſcam abÿciunt.

QVOMODO RECENTER CAPTI IN ITINERE tractentur.

Capvt vi.

CAptiui non ſolùm catenis incluſi ducuntur, ſed manibus etiam inÿciuntur manicæ, vniusq́ paſſus inter ſingulos eſt interſtitium, ne ſe mutuò conculcent. Quod ideo faciunt mangones, ne à mancipÿs lapidentur. Cum enim ſinguli mangones ingentem numerum ducant,

cant, ſic vt decem eorum, quingenta ſæpe mancipia concatenata habeant, vim tantæ multitudinis metuunt, ſi ad iactum liberas manus haberent. Vbi verò nocti concedendum, vinculis quoque pedes onerant, eosq́ue ſupinos omni iniuriæ aëris exponunt.

Mulierum humanior conditio eſt. Quæ valent robore, pedibus incedunt: teneriores iumentis vectantur. Quæ verò ob exhauſtas vires nec iumenti vectationem ſuſtinere poſſunt, in corbibus tanquam anſeres geſtantur. Nox illis triſtior eſt, aut enim munitis locis includuntur, aut mangonum impuram libidinem pati coguntur. Auditur per noctem ingens ploratus adoleſcentium vtriuſq; ſexus vim patientium, nec ſexennis aut ſeptennis ætas miſeros à tali fœditate defendit, adeo ſcelerata gens etiam contra naturam libidine ſæuit..

QVAE CAPTIVORVM, CVM VENVM EXPONVNtur, ſit conditio.

Capvt VII.

VBI dies illuxit, in forum venales, tanquam greges ouium aut caprarum producuntur. Conueniunt mercatores, ſtatuitur pretium: ſi placet mancipium, detractis veſtibus futuri domini oculis exponitur, inſpiciuntur omnia membra, tentantur, explorantur, nunquid vitij in iuncturis aut articulis reſideat. Si diſplicet, reijcitur miſer ad mangonem, toties id paſſurus, quotiens empturiens aliquis aduenerit: Si placet, abducitur ad grauem ſeruitutem, vt vel arator, vel paſtor ſit, ne duriora cõmemorem. Multa ſunt ibi inaudita exempla miſeriæ. Homines iugo copulatos aratrum ducere nonnunquam vidi. Ancillæ perpetuis laboribus diſtinentur. Nec vel cum viris vel cum conſeruis colloqui ipſis licet. Si quis cum vxore & liberis captus fuerit, hunc libentiſſime magnates emunt, villisq́ue præficiunt, vt curam vel aruorum, vel vinetorum, vel paſcuorum agat. Nati ex illis vernæ fiunt. Si in Chriſtiana fide perſeuerauerint, ſtatuitur certum tempus ſeruiendi, quo elapſo liberi fiunt. Filij tamen eorum, niſi redimantur, in ſeruitute manent, pro domini arbitrio, vel in iiſdem ſedibus manſuri, vel aliò transferendi. Nulli enim ibi ſunt adſcriptitij glebæ, quibus certa ſit ſedes ſeruitutis. Si libertatem adepti in patriam redire cupiant, dantur diplomata commeatus. Verùm illis, qui noſtram religionem abiurarunt, nec certum tempus eſt ſeruiendi, nec vllum ius in patriam redeundi. Spes libertatis ex ſolius domini arbitrio pendet. Vbi libertatem nacti fuerint, ſoluunt decimas, vt cæteri Turcæ, à reliquis tamen oneribus, quibus Chriſtiani premuntur, immunes ſunt.

DE CAPTIVIS, QVI AGRICOLIS ET PAſtoribus cooptantur.

Capvt viii.

Dvra eſt vita agricolarum, durius tamen agunt, qui ad paſtoricias curas emuntur, viuendum illis in ſolitudine, perpetuo noctes & dies ſub dio agendum. Dominus cum vxore ſolus in tentoria verſatur. Præter tuendi gregis officia, penulas & tapetia ſucciſiuis horis texere cogũtur. Singulis menſibus paſcua mutant, de montibus in montes ſe transferentes. Qui humaniores ſunt, dant aliquam mercedulam ſeruis, quale demenſum fuiſſe apud Romanos legimus, id in peculium cedit, quod cõſeruatur vel in viaticum, ſi in patriam recuperata libertate redire velint, vel ad alios neceſſarios vſus. Paucorũ autem ea eſt humanitas, vt hoc beneficio ſeruos dignentur, quod ſi qui faciant, eo modo à conſilio fugæ eos retrahere volunt, vt ſic miſerũ illud ſit blandimentũ ſeruitutis. Illis qui Chriſtũ abnegârunt, factiq́ ſunt recutiti, quia eorum fugam haud metuunt, nihil tale indulgetur.

DE FVGA CAPTIVORVM EX EVROPA.

Capvt ix.

Facilior illis fuga, qui in Europa agunt, quàm qui in tranſmarinas regiones diſtrahuntur. Præter flumina enim nihil illis traijciendum, maior difficultas eſt, in tranſmittendo Helleſponto. Qui fugam inſtituunt, tempore meſsis potiſsimùm id facere conſueuerunt, vt & facilius in ſegetibus lateant, & inde victum habeant. Noctu fuga initur. Per diem aut in ſyluis, aut in paludibus, aut in ſegetibus ſeſe abdunt, maluntq́ à lupis alijsq́ beſtijs deuorari, quàm ad veteres dominos retrahi.

DE FVGA EX ASIA MINORE.

Capvt x.

Qvi ex Aſia fugam moliuntur, Helleſpontum petunt, inter Callipolim & arces illas, olim Seſton & Abidon, nunc autem Bogaz Aſar, quod interpretari licet, Caſtella fauciũ maris, ibi enim mare anguſtiſsimum eſt, dictas, mare tranſmittentes. Securim, funesq́ ſecum fugam 808ituri huc adferunt, vt ligna cædant, ijsq́ colligatis, ratem ad maris traiectionem conficiant, præter ſalem, nihil cibi ſecum auferunt, noctu raticulam inſcẽdunt. Si venti & fortuna maris fauet, tribus aut quatuor horis traijciunt. Sin minus, aut pereunt in fluctibus, aut ad littora Aſiæ reijciuntur. Emenſo mari montes petunt, polumq́ & Bootem inſpectantes ad Boreã tendunt. Famẽ ſolaturi, glandibus aut herbis ſale cõditis veſcuntur.

Si plu-

Si plures ſocietatem fugæ inierint, noctu opiliones inuadunt, quibus occiſis, quicquid ibi alimenti inuenerint, ſecum aſportant, ſæpe tamen & ipſi pereunt occiſi ab opilionibus, vel ab eiſdem capti, & priſtino hero traditi in ſeruitutem duriorem retrahuntur. Cæterùm longè plures eorum ſunt, quos abſumunt pericula, quàm qui incolumes euadant. Aut enim naufragijs, aut dentibus beſtiarum, aut ferro inimicorum, aut poſtremò fame pereunt, vbi longior erratio in fuga contigerit.

DE POENA FVGITIVORVM.

CAPVT XI.

F*Vgitiuis multiplex pœna. Aliquando ſuſpenſi pedibus duriſſimè flagellantur. Si qui homicidium in fuga commiſerint, illis plantæ pedum in ſulcos diſſecantur, diſſectisq́; ſal inſpergitur. Quibuſdam furca ingens cum ferro collari inſeritur, quam dies noctesq́; per multos annos geſtare coguntur.*

DE GRAECORVM ET ARMENIORVM PIETATE erga captiuos.

CAPVT XII.

M*Ortis pœna, & confiſcatio omnium bonorum illis infligitur, qui captiuorum fugam adiuuant. Verùm nihilominus Armenij & Græci captiuos Chriſtianos occultant, mutatoq́; habitu ad naues Venetas, vel aliorum Chriſtianorum deducunt, viatico eos inſtruunt, neceſſariaq́; ipſis ſuppeditantes, nullum pietatis genus omittunt. Eandem enim pietatem noſtrorum aiunt ſe experiri, ſi quando Romam, vel Compoſtellam venerint.*

DE INCANTATIONE TVRCARVM CONtra fugientes.

CAPVT XIII.

G*Enere quodam incantationis vti ſolent Turcæ, quo inuitos retrahunt. Nomen ſerui in ſchedula ſcriptum in tabernaculo, vel domicilio ſerui ſuſpendunt, dirisq́; verbis & deuotionibus caput illius impetunt, viq́; dæmoniaca efficiunt, vt fugiens putet, ſibi in itinere vel leones, vel dracones occurrere, vel mare aut flumina contra ſe exundare, vel omnia tenebris nigreſcere. Quibus terriculamentis repulſus ſeruus, ad herum redit.*

MEMORIAM CHRISTI IN PROVINCIIS olim Chriſtianis paulatim aboleri.

Caput XIIII.

Superſunt adhuc aliqui, qui meminêre expugnationem Conſtantinopolis, & regna Græciæ, Albaniæ, Valachiæ, Seruiæ, quam Boſnam vocant Turcæ, in prouincias redacta. Iſti quidem Chriſtum tenaciter retinent, ſed inter iuniores Chriſti nomen ferè incognitum, vt metuendum ſit, breui Chriſtianæ religionis obliuionem, omnium animos occupaturam. Idem futurum in Croatia, Hungaria, Sclauonia, quæ recentia additamenta ſunt, & auctaria Turcici imperij.

QVAE CONDITIO SIT DEBELLATORVM.

Caput XV.

Vbi prouinciam Turcicus Imperator cepit, omnia prouincialium bona, tam mobilia, quàm immobilia, in prædam cedunt. Nobilitatem ſtirpitus excindit, præcipuè regiam ſobolem. Et quòd nunc Regis Iohannis filio fauent, non alio conſilio faciunt, quàm, ſi illis Hungaria adimatur, vt eum immittant ad res nouas moliẽdas. Vbi illis ſecura Hungariæ poſſeſsio fuerit, haud dubiè è vita tolletur. Nam Turcæ ea in re nec generis, nec ſoceris, imò ne fratribus quidem parcunt.

Clericos ſi non occidunt, omni tamen fortuna & dignitate nudatos ad mendicitatem redigunt, omniumq́ ludibrio exponunt. Campanas, organa, aliaq́ inſtrumenta muſica templis adimunt, imò ipſa templa prophanata ſuo Mehemmete conſecrant. Humilima & ruinoſa ſacella Chriſtianis relinquunt, vbi ſacra non publicè, ſed diſsimulanter & cum ſilentio faciant. Quæ vbi vel terræ motu corruerint, vel incendio deflagrauerint, vel ætate computruerint, non licitum eſt inſtaurare, niſi magna pecunia depenſa.

Concio & annunciandi Euangelij munus planè interdicitur. Nec fas eſt quenquam Chriſtianum publicum aliquod munus gerere, aut arma geſtare, aut ſimili cultu cum Turcis indui, aut quæ hilarioris vitæ ſunt, ſpectacula edere, vel choreas ducere. Si iniuria fit contumelioſiſsimis verbis, vel tibi, vel Chriſto, tacendum atq; ferendum eſt. Quòd ſi quid indignius contra loquaris de eorum religione, inuitus circumcideris: tum ſi hiſcas contra Mehemmetum, ignes & incendia tibi parantur.

Si Chriſtianus eques prætereat Muſulmannum, id eſt, Turcarum religione initiatum, neceſſum eſt, vt de equo deſcendat, & cernuo vultu ſedentem adoret: quod niſi faciat, fuſtibus ab equo deijcitur.

DE SA-

DE SACERDOTVM ET MONACHORVM SVB Turcæ tributo viuentium conditione.

CAPVT XVI.

SAcerdos & monachus peſſima illic conditione ſunt, ſacrilegia & catharmata iudicantur. Nihil ipſis unde viuant Eccleſiæ nomine ſuppeditatur, niſi quòd feriatis diebus honeſtæ quædam matronæ, ipſorum miſeriæ condolentes, modicum panis ipſis largiantur. Cæteris diebus lignationibus viuunt. Ligna in ſyluis cædunt, quibus dorſum aſelli onerant. Ea cum merce per plateas paßim obambulant, ligna venalia proclamantes.

DE TRIBVTIS CHRISTIANORVM.

CAPVT XVII.

QVartas omnium fructuum dant Chriſtiani: & iſtiuſmodi quartatio non ſolum ex prouentibus agrorum & pecorum colligitur, ſed etiam mechanici de ſuo quæſtu quartas dependunt. Deinde eſt & aliud genus capitationis, qua ſinguli, quotquot ſunt in vna familia, ſingulos ducatos ſoluunt. Si parentes ſoluendo non ſint, liberos ſuos vendere coguntur. Sunt qui catenis vincti oſtiatim ſtipem emendicent, quod ſi ne tum quidem iniunctum tributum exſoluere valeant, perpetuis carceribus mancipantur. Præter hæc, ſemper ius eſt Turcæ optimum quenque ex liberis Chriſtianorum deligere, quem circumciſum, ſummotumque à cōſpectu parentum militiæ deſtinat, nec vnquam ad parentes ei reditus datur. Et quia puer adhuc in triſtißimam ſeruitutem rapitur, facilè & Chriſtum obliuione deđiſcit, & parentes, cæterosque conſanguineos omnes. Nemo verbis explicare poteſt, quibus lachrymis, quo gemitu, & ſingultibus iſtiuſmodi diuulſio fiat. Pater filium, quem in cultum Chriſti educauerat, rapi videt ad militiam Sathanæ, vt Chriſtum oppugnet. Filius abſtrahitur à parentibus, perpetuò inter alienißimos victurus, quicquid charum eſt ſanguine, ſodalitate gratum, familiaritate amicum relicturus: poſtmodum in eorum numero futurus, quos Græci ἀπάτορας καὶ ἀμήτορας *vocare ſolent.*

Quartæ, non decimę, Chriſtianorū ſub Turca degentium.

DEPLORATIO CLADIS CHRISTIANORVM.

CAPVT XVIII.

SI vſquam mors cum vita commixta eſt, imò ſi vſquam vita diu ſupereſt, vt diu moriaris, id in Turcia eſt. Nihil Aegyptiaca ſeruitus, Babylonicum exilium, Aſſyriaca captiuitas, Romanorum euaſtatio ad has miſerias, vbi quotidie audiuntur threni Ieremiæ, nec verbis, ſed rebus conſtant.

Miſeri, qui quaſi in fornace illa ardenti Hur Chaldæorum viuunt, & votis gemitibusq́ cœlum petunt: vſq; quo dormis Domine? Exurge & ne repellas in finem. Vbi cum omni ſpe ſe vndiq; oppreſſos atq; aggrauatos ſentiunt, rurſus à cœlo ad patriam oculos reiectant, quam & ipſam in ſeruitute vident. Relegati tamen à patria, in patria ſeruitute agere cupiunt, Vota illorum non libertatem, ſed eandem ſeruitutem, mutatis tantum ſedibus, concipiunt. Quidam, vt votis ſatisfaciant, vitam ſuam morte commutare cupientes, fugam ineunt. Quorum alij relicto grege in deſerto, alij bobus aratroq́; abeunt. Nonnulli mactatis hero & familia, quidam etiam ſuccenſis ædibus primùm, ſeſe vindicare volentes, magno ac manifeſto periculo expoſitos, per deſerta atq; aſpera loca, glandibus, herbis agreſtibus, & earum radicibus amaris, ſale modico conditis, miſerrimam vitam ſuſtentantes fugiunt, interdiu in antris latitantes, noctu autem polo arctico duce, ad Helleſponticum mare concurrunt, aut etiam, ſi locus fugæ non datur, in ſummitate arborum, propter immaniſſimas feras, fune ramis alligati vigilant: quorum plæriq; aut fame pereunt, aut ferarum dentibus dilacerantur, vel etiam antequam ad mare traijciendum perueniant, ab opilionibus capti, in duriſſimam ſeruitutem retrahuntur. Alij verò vbi ad mare magno labore, poſt longos, diurnos & nocturnos errores delati fuerint, dum rate conſtructa mare traijcere contendunt: vel à tranſeuntibus nautis capti ad Chadiam, id eſt, Iudicem deducuntur, aut tempeſtate maris obruti intereunt. Qui ſanè omnes inter miſerias ſuas grauiſſimas, & ſupplicia, atq; tormenta, quibus crudeles domini, ſi ad eos reducti fuerint, illos afficiunt, ad vos Monarchas, Reges, Principes, & Chriſtianæ Reipub. Rectores miſerabilem vocem conuertere ſolent, veſtramq; opem grauiſſimis ſuſpirijs exoptant.

In primis optant Auguſtiſſimum & inuictiſſimum ſacri Imperij Romani Cæſarem, ac vniuerſos eius Principes, Duces, & Heroas, poſthabito domeſtico bello, conuocatis ſuis proceribus, electoribus, ac primatibus ſui Imperij, ad defendendum & augendum ſtatum ſuum, contra vicinum & iam imminentem ſibi hoſtem victricia arma mouere. Sciunt illi parere Hiſpanos in bello acerrimos, Belgas ferociſſimos, Italos corpore & ingenio præſtantiſſimos, Germanos animoſiſſimos. Sciunt illi addictiſſimum Regem Romanorum, Turcarum bellis aſſuetiſſimum, Illyricis & Subalpinis gentibus ſubnixum.

Optant etiam Chriſtianiſſimum Regem Gallorum Eulogij ſui conuenientia, ſuas opes & arma ſua bellicoſiſſima, ad defenſionem ac liberationem fratrum ſuorum apparare.

Optant præterea fortiſſimos ac potentiſſimos Reges atq; monarchas, nec non vniuerſos Chriſtianiſſimæ Reipub. Rectores, ac potentatus, Poloniæ, Norue-

Noruegiæ, Sueciæ, Daniæ, Gotiæ, Datiæ, Angliæ, Scotiæ, Luſitaniæ ad id ſanctiſsimum bellum venire, & contra hunc immaniſsimum hoſtem eorũ, ſanctiſsimæ fidei, ſacræ coronæ, & imperij, libertatis, parentum, vxorum, filiorum, & filiarum, fratrum, amicorum, totiusq́ Chriſtianitatis incolarum, perpetuum inimicum & aduerſarium, omnibus opibus & viribus vnanimes pugnare, ipſumq́ è medio tollere.

Optant etiam, vt ij, quibus vel ſpiritualis vel ciuilis gladius commiſſus eſt, ſe tales circa diſciplinæ emendationem præbeant, vt dignum quiſq́ ſui officij adminiſtratorem, & villicum ſe præſtet. Sceleratos & diſſolutè viuentes, propter quos ira diuina ſuper filios perditionis breui ventura eſt, ad ſanctam caſtamq́ vitam tum ſuo exemplo, tum legum pœnarumq́ rigore reuocent.

Optant etiam, vt omnes ij, qui Chriſtianos ſe profitentur, fratres & amici in Chriſto colendi, eorum miſerijs ex animo condoleant, ardentibusq́ ad DEVM *fuſis precibus, pro ipſis intercedant, vt miſereatur populi ſui, ſuamq́ iram auertat, ne in ſempiternum dentur opprobrium crudeliſsimo hoſti fidei, Religionis, ac libertatis Chriſtianæ. Et vt ipſe pro æterna ſua miſericordia & bonitate moueat animos Chriſtiani Imperij monarcharum, Regum, principum, vt ad concordiam & vnitatem reducti, arma aduerſus hoſtem & tyrannum immaniſsimum expediant, vt fratres ipſorum, conceſſa diuinitus victoria, triſtiſsima ſeruitute liberati, & in patriam reducti Chriſto ſoli ſeruiant, qui eſt benedictus in ſecula. Vt ſic deuictis tandem & profligatis hoſtibus, Chriſtianus orbis, à tot tantiſq́ cladibus reſpiret.*

EXHORTATIO CONTRA TVRCAS.

BARTHOLOMÆI GEORGIEVIZ.

SAEPE mecum admiratus ſum, Monarcha inuictiſsime, cur, cum omnia videantur nobis Chriſtianis polliceri victoriam, nunquam tamen eam inter tot annos conſequamur. Habemus Chriſtum DEVM, qui vnica nocte caſtra Sennacherib deleuit: qui Pharaonem ſubmerſit: qui fœminæ manu, Iudith puellæ, Holophernum extinxit, & vt breuiter dicam, à cuius numine voluntateque omnes victoriæ pendent.

Turcæ contrà Machometum habent, & in vita flagitioſum, & poſt vitam ſepulchro perpetuò inhærentem, vt tantum inter vtrumque interſit, quantum inter viuum viui DEI filium, & inter hominis, & ab homine nati cadauer putridum, adeo, vt in cladibus Chriſtianorum ſi natura vtriuſque numinis expendatur, mortui videantur viuos armis potentiaque ſuperare.

Iam cum robore corporum, dotibusq; animi eos excellamus, quæ magna præſidia videntur ad hoſtes profligandos, ipſi vbiq; miſerrimè profligamur. Quid Hungaro audacius? Quid Germano vaſtius? Quid Gallo procerius? Hiſpano ſolidius? Quid Italo ſapientius? aut Polono robuſtius? Vt de cæteris nationibus taceam, quorum dotes animi aut meliores ſunt, aut certè æquales.

Iam ſi apparatum videas, armorumque genera, multis rationibus Turcis præſtantiores videmur. Noſtra inuenta ſunt bombardæ, noſtra tot genera panopliæ. Ipſi verò nudi aut ſeminudi ad bella prodeunt. Illis arcus, nobis ſclopetæ, id eſt, nobis fulmina: Illis ſagittæ, quæ per ſe dura armorum nullam vim penetrandi habent, cum bombardis ſeu machinis Chriſtianorum vix vlla rupes obſtiterit. Sunt equidem & Muſalmannis ſui bombardarij, ſed rariores & indoctiores. Nunc quæſo quas gentes ſecum in expeditionem trahunt? Scythas & Thraces, in quibus non ſapientia Italica, aut induſtria Hiſpanica, ſed inhumana quædam feritas, barbaries, animi ſumma inſcitia, indocta, ſtolida. Iſtis ſe addit Græcus ignauia perditus: Aſiaticus luxu perditiſſimus: Aegyptius, non minus animo quàm corpore euiratus: Arabs excoctus, minutus & exanguis. Quis à tali milite crederet Gallos bellicoſiſſimos, Belgas ferociſſimos, Germanos animoſiſſimos, Hungaros audaciſſimos, Italorum ingenia, Hiſpanorum ſolertiam vinci poſſe? Attamen, proh dolor, vincimur, & vincimur ab his, qui in ſeruitutem ducti, ſerui pro ſeruitute bella gerunt contra nos, qui à proauis & atauis indelibata nobis relicta libertate geniti ſumus.

Quod ſi inſtituta & leges vtriuſque nationis inſpicias, neque hac in parte inferiores ſumus. Quid enim Euangelio diuinius? Quid Iure Ciuili ſapientius, aut æquius? Cum illi ex Alchorano viuant, re nõ minus ſtulta & vana, quàm contumelioſa in Deum: qui liber nunc inter Chriſtianos verſatur & circumfertur, vt maturè alienas leges diſcamus, qui breui noſtras amiſſuri videmur, vt antea animo, quàm dictione Turcæ ſimus. Quid igitur cauſæ eſt, quòd inter tot bellandi prærogatiuas, in bello ſemper deuincamur? Cur vexilla crucibus inſignita, olim terribilia, non minus infidelibus nationibus, quàm infernalib. ſpiritibus, nunc toties in fugam ſe auertant?

Dicam paucis, & dicam verè. Deum habemus & ſummum & verum, ſed à nobis alienatum, adeo vt prophetico vocabulo ferme appellari poſſimus, non populus DEI. Cur enim Chriſtus nobiſcum eſſet, qui à nobis per tot hæreſes, in tot partes dilaniatur? Nam præter nomen, quid nobis Chriſtianis chariſſimi eſt? Ruſticus impurus eſt & factioſus, oppidanus fallax, & auarus, magiſtratus ſequuntur retributiones, diligunt munera, & proſopolepſiam: Nobilitas luxum & ignauiam, diſcordiam, atque ſuperbiam: miles verò præter ſtipendium & prædam nihil ex bello quærit, ſecurus quò ſceptra cadant, non minus infeſtus in ſuos, quàm in hoſtes. Eccleſiaſtici præter pompam Eccleſiaſticam, vix quicquã Eccleſiæ habent, non ſanctitatem, non pietatem, non eruditionem debitam profitentur. Omnes ferè quærere videntur, quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti: & verè prophetæ ore dicere poſſumus: Omnes declinauerunt,

clinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum. Quid igitur mirum, ſi talibus moribus Chriſtus amicus eſſe nolit?

Bellamus igitur ſine DEO, & (quod calamitoſius) aduerſario DEO. Apud nos circumferuntur cruces, ſed ipſe crucifixus ſuo fauore apud hoſtes verſatur. Pereunt igitur omnia, & infinitis cladibus inuoluuntur: & cum vna gens contra Turcam pugnat, alia interim domeſticis ciuilibusq; inuoluitur bellis, adeoq; vt acrius oppugnet Chriſtum, infidelium auxilia accerſit. Alia verò vel priuata curat negocia, vel in ocio degit, crapulæ alijsq; voluptatibus indulgens. Miles verò qui in aciem deducitur, numo inſeruit, non Chriſto: Si deſit ſtipendiũ, ſtatim vel deſertor vel transfuga futurus.

Quid igitur prodeſt ibi Italica ſapientia, aut induſtria Hiſpanica, aut robur Germanorum, aut ferocitas Gallica, vel audacia Hungarica, vbi miles nec Chriſtũ nec gloriam cogitat, ſed ad bellum venit tanquam ad ganeum, ibi potationes ſuas exerciturus?

Bonas leges habemus, ſed peſſimos mores: bona arma, ſed peſſimos animos. Laus eſt ſi inter ſe acriter dimicent, in hoſtem ſi non acriter pugnent, vel dedecus non eſt, vel certè impunitum eſt. Quando quis vnquã audiuit, militem vel ob fugam, vel ob abiecta arma mulctatum fuiſſe? Cum olim pœnæ capitales & decimationes non ſingulos, ſed vniuerſas legiones perſuaſerint.

Trahimus igitur exiguum numerum, eumque moribus corruptum, contra tot myriadas hoſtium optima diſciplina vtentium. Nam Turca ſua vitia domi deponit, Chriſtianus aſſumit: In caſtris Turcarum nullæ delitiæ, arma tantummodo & neceſſarius victus: in caſtris verò Chriſtianorum luxus, & omnis luxuriæ commeatus, adeſt grauior turba meretricũ, quàm virorum. Latrocinatur Hungarus, prædatur Hiſpanus, potat Germanus, ſtertit Bohemus, oſcitat Polonus, libidinatur Italus, Gallus cantat, Anglus lurcatur, Schotus helluatur, militem, qui moribus miles ſit, vix illum reperias.

Quid igitur mirum, ſi vincant illi, apud quos ſobrietas, parſimonia, vigilantia, fidelitas, & ſumma obedientia? Vincantur illi, qui ab hoſtibus vel vagi ad prædas, vel inter pocula, aut apud meretricem, aliáſve abominandas & execrandas nequitias inueniantur? Verùm culpa hæc eſt ſuperiorum, qui ſi ſubditos in officio continerent, miles Chriſtianus nunquam inferior fieret Turcico. Altera ex parte Principes ipſi, dum mutuis bellis ſeſe conficiũt, cauſam præſtant, vt nunquam pares vires contra Turcas afferamus, dum pro vno & altero oppidulo digladiamur, & poſt acerrimas præliorum conflictationes, poſt exhauſtas opes, nihilo Imperio & regno auctiores efficimur.

Heu quantum terræ potuit, pelagiq́; parari
Hoc quem ciuiles hauſerunt ſanguine dextræ.

Sed ſeræ ſunt querimoniæ. Amiſimus Aſiam atque Africam. AEgrota eſt vſque ad mortem Hungaria. Occupata eſt iam noſtro tempore Illyria, ſubiecta eſt nuperrime Turcico imperio Sclauonia, debilitata eſt Auſtria, vis peſtis huius iam Germanorum ceruicibus, atque vniuerſæ Chriſtianitatis dorſo incumbit: adeò vt nemo ſit qui Turcicã rabiem ingruentem non extimeſcere cogatur, ſed omnibus triſtiſſima ſeruitus incumbat, niſi placato per vitæ emendationem numine, ſuis rebus commodius conſulant.

Quo facto, ſi potentiſſimi Chriſtiani orbis monarchæ & Rectores ad concordiam (vt ſperamus) reducantur, & quiſque ſuas opes ad hoc ſanctiſſimum, atque œcumenicum ſeu generale bellum iuxta vires contulerit, quis dubitabit nos, vel numero exercitatiſſimi, ac robuſtiſsimi militis, Turcæ æquales vel etiam ſuperiores fore, in victoria verò longè lateque excellentiores futuros?

Nam Romanorum Imperium facilè armabit quinquaginta millia equitum, & centum millia peditum. Idem, vel aliquantò plus, ex Gallia & Hiſpania ſperandum. Reliquiæ Hungariæ & Illyriæ, cum cæteris Romanorum Regis prouincijs facilè ſexaginta millia equitum producent. Summa Chriſtiani militis ita fuerit. Centum ſexaginta millia equitum. Ducenta millia peditum. Præterea vbi Veneti & Luſitani nauales ſuas copias conferant, Angli, Scoti, Dani, Daci, Gothi, Poloni, cæterique Reges, Principes, Duces, & Chriſtiani orbis proceres & Rectores militem ſubminiſtrent, præſertim tali Chriſtianiſſimo Cæſare rerum gubernacula tenente, non diutius obſiſtet Turca Chriſtiano, quàm Darius Alexandro, Xerxes Themiſtocli, Antiochus Iudæ Machabæo. Vbi autem victoria potiti fuerimus, hisque viribus ſecundo flumine Danubio, Conſtantinopolim verſus deſcendatur, placato numine, corre-

correctis etiam moribus, in procliui erit vincere hoſtes fidei, recuperare Græciam & Thraciam, vbi adhuc maior pars hominum Chriſtum colit: qui auidiſſimis votis expetunt Chriſtiana arma, ad quamlibet occaſionem defecturi, & ſuos dominos & Tyrannos à quibus miſerrimè vexantur, oppugnaturi, quæ res ſola victoriam dare, vel maturare poteſt.

Vtinam, Monarchæ potentiſſimi, domeſtica bella vos illuc ſinerent penetrare, videretis omnia vobiſcum contra eos ad arma cooriri. Nulla ætas, nullus ſexus, nullus ordo hominũ veſtra arma relinqueret. Domi quiſque Turcarum in ſuis ſeruis percuſſorem haberet, in caſtris proditorem, in pugna deſertorem. Omnino Chriſtiani, qui illic ſunt, contemptiſſimè de armis Turcarum ſentiunt, vt quos ad velitarem tantum pugnã idoneos agnoſcant. Hoſtes velut aues clamore perterrent, ſi non eo terroris impetu fuga fit, ipſi fugiunt, præter clypeos & galeas nihil habent, plærique nudi ſunt. Et ſi iſti Chriſtianæ fidei perpetui hoſtes è medio noſtri tollerentur, & ad latebras Bithyniæ propulſi, noſtro gladio (vt eorum fatentur præſagia) vel ad fidem Chriſti conuerſi, in gremium ſacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ reducerentur, quis dubitaret, quin breui ſit futurum, vt Chriſtianus Imperator non minus Conſtantinopolitano, quàm Romano Imperio inſignis futurus ſit? Rex Romanorum Hungariã & Thraciam recuperaturus? Rex Franciæ Aſiam minorem ſuis ditionibus additurus? Angli, Schoti, & Luſitani AEgypto potituri? Hiſpani tota Africa? Itali omnia littora, quæ habet mare mediterraneum in ſua poteſtate habituri, item etiam Poloni, Dani, Daci, Noruegi, Sueci, Gothi quoq; & Iſlandi Septentrionalis plagæ ditiſſimarum regionum & nationum populo dominaturi. Ita ſentiunt non ſolùm captiui, & ſub tributo Turcarum viuentes Chriſtiani, verùm etiam omnes, qui aliquam de Turcarum militibus & bellandi ratione cognitionem habent. Idem ego tredecim annorum curſu experientia didici, Turcam ſcilicet in fugientes eſſe fortiſſimum, aduerſus inuadentem fugaciſſimum.

Turca igitur cùm natura ſit fugitiuus, oppugnandus eſt. Impius enim nemine perſequente fugit. Exurgat DEVS, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie DEI, & ab Eccleſia eius ſancta, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor.
Quod concedat nobis trinus & vnus Pater, Filius & Spiritus ſanctus, Amen.

FINIS LIBRI TERTII.

IOHAN-

IOHANNIS AVENTINI VIRI CLA-RISSIMI LIBER, IN QVO DECLA-RANTVR CAVSAE MISERIARVM, QVIBVS CHRISTIANA RESPVB. PREMITVR, REMEDIVMQVE ADVER-ſus præſentia, aliaq; grauiora, niſi cauſis tempeſtiuè occurratur, imminen-tia mala, & quæ ſit ratio Turcarum rabiem compeſcendi, grauiſſi-maſq; ærumnas amoliendi oſtenditur. Item de Saracenorum Turcarumq; origine, & in imperio ſucceſſione, & de bellis præcipuis aduerſus Chri-ſtianos geſtis.



FRANCOFVRTI AD MOENVM,
Impenſis Sigiſmundi Feyrabend.

M. D. LXXVIII.

AMPLISSIMO, PRVDENTISSIMOQVE SENATVI INCLYTAE RATISBONENSIVM REIPVB.

GRATIAM ET BENEDICTIONEM *à Deo, & Salutem.*

INDEFESSO STVDIO, PER TRES ANNOS continuos, ab eo tempore, quo Vngarorum Rex prælio auctus occubuit, ſcriptis & latinè & germanicè editis cauſas præſentium calamitatum, certaq; grauiorum malorum ceruicibus noſtris imminentium iudicia demonſtraui, ea Principibus & Epiſcopis, alijsq; Reipub. proceribus legenda tranſmiſi, eosq; fideli animo, pioque candore, de impendentibus malis præmonui. Verùm paucorum animos res ea commouit. Plæriq; hoc ſtudium meum riſu, & ſannis proſecuti ſunt. Nec præter odium & inuidiam quicquam inde ad me redijt. Nec enim veritas omnibus, præſertim quibus pecunia, quàm iuſtitia magis cordi eſt, grata eſt, lucro & culinæ haud inſeruit, plus odij quàm gratiæ conciliat: Simplex & agreſtis eſt, à delinimentis aliena, auribus gratificari neſcia. Contrà munera animos hominum effaſſinant, ſuisq; delinimentis fauorem & gratiam vbiq; captant.

Iam olim vel ante ducentos quinquaginta annos, potentia, prudentiaq; clariſſimus Princeps, Imperator Fridericus, eius nominis ſecundus, Rex potentiſſimus Hieroſolymæ, Siciliæ, Neapolis, Dux Sueuiæ. Deindè Imperator Henricus, eius nominis ſeptimus, Comes Lutzelburgenſis, & qui ei ſucceſſit, Imperator Ludouicus, eius nominis quartus, qui Monaci ſepultus eſt, Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandenburgenſis, Dux Boiariæ, Holandiæ, Selandiæ, Hennagoniæ, Carinthiæ, Comes Tyrolis, ſcriptis publicè editis, omnes Chriſtianæ Reipub. principes, ciues, & ſubditos, paterna cura de cladibus incumbentibus præmonuerunt, & noſtris etiam temporibus Imperator Sigiſmundus, & Imperator Maximilianus. De reformando Imperij Chriſtianæq; Reipub. ſtatu libellum peculiarem edidit, Imperator Sigiſmundus, qui ante annos triginta Auguſtæ Vindelicorum impreſſus fuit. Imperator verò Maximilianus libellum aduerſus Imperij ſtatus, alium verò aduerſus Iulium Pontificem, per totum orbem diuulgauit. Quæ ſanè præmemoratorum Imperatorum ſcripta hodiernum in diem proſtant, in quibus omnis generis vitia, tum etiam præmonitiones, auxilia, & conſilia, de imminentibus malis ſatis ſuperq; detecta fuerunt.

Verùm neminem video, quem iſta moueant, vel qui benè monentibus obtemperet, qui de auertendis impendentibus malis conſilium ineat. Plærique nullam querelis noſtris fidem adhibent, eas malitioſè irrident, nec vnquam futurum putant, vt mala, de quibus præmonentur, eos vrgeant. Itaque & ego, ſusque deque facilè ferre poſſim, ſi ad omnia & tacerem & conniuerem, omnesque ex animo ſollicitudines eijcerem, & præmonitionibus (cùm nemo eas curet, adeoque clariſſimi illi & potentiſſimi Imperatores & Principes, ſuis ſcriptis nihil effecerint) omninò ſuperſederem, ſoliusque mei, cætera Dijs fatisq; committens, curam agerem. Quoniam verò veſtra à me petijt Prudentia, vt in miſerabili hoc rerum ſtatu (premente graui obſidione Viennam Auſtriæ Imperatore Turcico, malisque iam ſuperantibus, vaſtumq; toti Imperio ruinam minitantibus) ſcripta illa præmemorata nobis legenda offerrem, veſtræ petitioni facilè parui, ſingula diligenti cura denuò relegi, & tranſſcribi curaui. Ea enim veſtræ Prudentiæ erga me ſunt merita, vt in rebus multò grauioribus me obſtrictum vobis agnoſcam.

Cæterùm vt facilius ſingula intelligi percipiq; poſſint, librum hunc in quinq; partes diſtribuimus.

Summa totius Scripti.

In prima parte, Cauſa indicatur præſentium malorum.

In ſecunda, certa indicia grauiorum malorum, niſi cauſæ tollantur.

In tertia, Quomodo olim, Chriſtiani, Gentiles, Iudæi, Fideles, Infideles, in his ſimilibusque ærumnis ſe geſſerint, quid ijs obtigerit, quoties huiuſcemodi præmonitiones oſcitanter neglexerunt, vel malitioſè irriſerunt.

In quarta, quomodo præſentibus ijsq; miſerrimis cladibus ſit occurrendum.

In poſtrema parte agitur de ortu Saracenorum, & Turcarum, quæ bella aduerſus Chriſtianos geſſerint, de expeditionibus aduerſus Turcas è Germania factis, de quibus nonnulli indocti, ſuperbi, ſanguinemque ſitientes Theologi, concionatores, & ſacrificuli, vana impudenter, pro ſuo more, effutiunt mendacia.

Bono hæc omnia animo ſcribo, vt de triſtibus ærumnis, quæ internecinam cladem nobis minantur, vos præmoneam, nec amori nec iræ quicquam indulgens, rem ipſam, vt ſole meridiano clarior eſt, detegens, vt quiuis lethalia ſua vulnera, & morbum agnoſcat, ſeipſum noſſe diſcat, & de auertendis malis conſilium diſquirat, adeoque iram & grauem indignationem, atrocesque pœnas & iudicium Dei (quod ſanè vobis ipſi accerſitis, & indies illud grauiora mala mundo vniuerſo inferet) penitius intelligat, & ſimul rationem ineat, quomodo liberari ab eo poſſit, gratiam & ſanitatem ſibi quærat, & ad Medicum accurrat. Qui morbum non agnoſcit, is de Medico haud eſt ſolicitus, imò nec quidē optat ſibi Medicum. Et eum ſanè in finem decem Præcepta æternus Deus præſcripſit, & Chriſtus ipſe, in prima illa Concione, quam in monte habuit apud Matthæum, ea vehementer acuit, vt homo ſuperbia effaſcinatus, adeoq; natura excæcata, ſuam indè

miſeriam

miſeriam intelligat, Deus ſiquidem, ſolus eſt, & erit Dominus, gloriam ſuam alteri non dabit. Hoc ſummum eius nomen, ſummaque eſt gloria, quod ipſe ſolus ſit iuſtus, eiusq; ſit potentiæ, bonitatis & gratiæ, vt auxilium eius implorantibus, & ex animo ſeſe humiliantibus, adeſſe, peccata condonare, Iuſtitiamq; impartiri poſſit & velit. Chriſtus ſolus eſt Propitiatorium, ſolus ipſe imperium Cœli, Inferorum, Terræque obtinet, verus & æternus Pontifex, & Imperator, noſtra Salus, Propitiatorium, & Iuſticia. Hæc erit immota veritas, aduerſus quam nullæ inſulſorum monachorum è ſuggeſtu clamitantium vociferationes præualebunt. Omnis Homo mendax, inquit Regius Propheta Dauid. Homo ſe ipſum iuſtum eſſe putat, & probum, pœnæ correptionisq; impatiens, quid ſibi faciendum, quid omittendum ſit, ſe penitùs ſcire putat, nec tamen vlli mandatorum Dei obtemperat, imò ne minimum quidem, ſi iuſtitiam ſuam æqua lance trutinare velit, ideoque grauiſſimis pœnis, indignationi & iudicio Dei, ſubiacet. Nam qui minimum ex mandatis violat, is totius legis reus eſt. Verùm de his hactenus. Nunc ad rem ipſam progrediemur.

Iohannes Auentinus.

DE CAVSIS FOEDISQVE ABVSIBVS, TAM IN CIVILI QVAM ECCLESIASTICA REPVB. EX QVIBVS PROMANAT IRA DEI, VRGENSQVE LVES ET CLADES, MIſeriarumq́; cumulus, per quas vniuerſæ nationes, tàm pecora, quàm homines ſimul intereunt.

NEMO eſt, quantumuis ἄμουσος καὶ ἀναλφάβητος, qui ignoret, ei, qui curſum fluuij ſiſtere velut ſcaturiginem primò inquirendam eſſe, vel omnem operam inanem eſſe atq; irritam. Quemadmodum etiam periti Medici, antè omnia cauſam morbi inquirunt, qua inuenta morbo facilè ſuccurri poterit, niſi fidele medici conſilium ægrotus reſpuat. Quare apud veteres tàm Græcos quàm Latinos celebratiſſimum illud dictum vulgò innotuit: Poſita cauſa, ponitur effectus. Vbi ignis, ibidem calor, feruor, & incendium. Si cauſa non tollatur, ſi flamma non ſuffocetur, lignáq; diſiecta amoueantur, ſed potiùs materies vberior ſuggeratur, labor omnis perijt, adeoque incendij vires magis magiſque augentur. Cauſa verò ſublata, ſuapte ſponte incendium ſopitur, & flammæ impetus omnis euaneſcit.

Quocirca ante omnia neceſſe eſt, cauſam diligenter inquiri, vnde clades illa nationum, hominum, pecorumque exiſtat: Nec enim temerè dici conſueuit, Nihil ſine cauſa. Tanta certè æterni illius Dei, qui cœlo terræque imperat, eſt gratia & bonitas, vt neceſſe ſit, graues apprime cauſas ſubeſſe, vbi tot tantaque mala graſſantur. Nec enim vlli facit iniuriam, nec quemquam citra meritum pœnis atrociſſimis affligit, Deus ille benigniſſimus, ſummæque miſericordiæ.

Poſita cauſa ponitur effectus.

Plurimis hactenus, intra trecentos vel plures annos, in Imperij Comitijs, Concilijs, alijsque conuentibus Principum, procerumque Imperij, publicè indictis, conſultatum fuit de reprimendis Turcarum atq; infidelium armis. Verùm quid laude dignum effectum? Turcæ vires indies validiores factæ ſunt. Nec enim vnquam quæſitum fuit, nec ijs, qui rem intelligerent, commiſſum fuit, vt inquirerent, quæ vera eſſet cauſa, cur tanto ſucceſſu Turcarum vires augerentur contra nos, vnà cum fide noſtra, religione, ipſaque Eccleſia tantùm deficeremus? Multò minus etiam cauſa huius noſtræ ruinæ ſublata fuit. Adhæc in publicis Imperij procerum conuentibus tales ferè in conſilium adhibentur legati, qui & rerum gerendarum & literarum ſunt rudes, nec vllam earum rerum, de quibus conſultatio inſtituitur, cognitionem habentes, & ſæpenumerò, inſani, indocti, ſanguinemque ſitientes ſacrificuli, quibus ius Canonicum, & decreta ſanctorum patrum, ſub graui anathematis interminatione, aula omninò interdicunt. Qua de re in ſequentibus plura adducemus. Cùm ergò res noſtræ tam incommodè adminiſtrentur, quis miretur, nos adeò Turcæ non eſſe formidabiles.

Sæpius de reprimendis Turcarum armis conſultatum.

Rhodienſes aliquando ad Imperatorem Fridericum, eius nominis III. & Principes Electores perſcripſêre, Turcicum Imperatorem, cùm Conſiliarij & Duces ei authores eſſent, ne Chriſtianos, inprimis verò Germanos armis laceſſeret, eis reſpondiſſe: Se nequaquam Chriſtianorum, inprimis verò Germanorum arma exhorreſcere, & quidem his de cauſis. Primò quia ſint diſcordes, & quemadmodum quinque ſui digiti, nunquam in vnum coaleſcant.

Imperatori Friderico tertio Rhodienſes ſcribunt.

Cauſæ quare Turcicus Tyrannus arma Chriſtianorum non exhorreſcit.

I. *Deindè quia laborum ſint impatientes: & præ alijs Germani ſint helluones, potatores, in caſtris ſcortorum turbam foueant, Ducesque belli plumis potiùs quàm armis militaribus gaudeant.*

II. *Tertiò, quod temerè, cæco impetu, citra ordinem, ad res gerendas ruant.*

III. *Quartò quòd legum & iuſtitiæ ſint negligentes, nullis virtutem præmijs ornent; nec etiam meritis pœnis ſcelera afficiant, quodque erga eos, qui veniam & miſericordiam mereantur, ſint aſperi & crudeles, contrà, erga eos, in quos ſeuerè animaduertendum erat, ſint lenes & miſericordes.*

IIII.

Ex quibus ſanè patet, Turcæ, ſi verum fateri velimus, notius eſſe quàm nobis ipſis, quid nobis deſit, & quæ cauſa ſit noſtræ cladis internecinæ. Nemo ex animo Deum curat: Nec ipſe viciſſim nos curat. Nemo à ſemel concepta malitia abſiſtit: Nec viciſſim Deus à pœnis irrogandis quieſcet. Paſſim Regius vates Dauid inculcat, propter hominum peccata Deum exaſperari. Vbi deſertus aliquandiu locus fuit, eum & homines & pecora circumquaq; occupant, & excolunt. Poſtmodum idem locus vaſtatur, eiectiſq; homi-

Vita horribilibus peccatis conſpurcata præcipua cauſa infelicitatis.

hominibus & pecoribus, vulpium ſuccedunt latibula. Sic etiam gens genti, Regnum Regno, Imperium Imperio cedere cogitur, ſeque ipſos more ferarum ſedibus pellunt, mutuisque vulneribus trucidant homines.

Iuſtitia & vero rerum vſu regna ſtabiliuntur.

Omnes Philoſophi, & quicunq; tàm inter fideles, quàm infideles aliqua rerum cognitione & iudicio pollet, vnanimi conſenſu ſtatuunt, ex Iniuſtitia, & abuſu regiones vnà cũ hominibus & pecoribus interire; & contrà per Iuſtitiam & verùm vſum rerum foueri & conſeruari. Res enim in vniuerſum omnes, ſua natura, teſte etiam Philoſopho, ſui conſeruationem, ſibique benè eſſe, expetunt, itaque nec malè nec iniuſte adminiſtrari volunt: Quocircà vbi Iniuſtitia rerumque abuſus præualet, ibi ſanè Regnum illud, ſimulque homines in vniuerſum omnes perire neceſſe eſt. Vires ſiquidem iſthic legibus præpollent. Verùm nec ipſa natura patitur, id quod violentum eſt, ſtabile & perpetuum eſſe.

Omne violẽtum non diuturnum.

Iniuſticiæ fundamentũ

Cæterùm quibus in rebus Iniuſtitia illa tùm etiam abuſus conſiſtat, ea de re alij aliter ſcribunt & iudicant.

Gentiles Iniuſtitiam illam promanare aiũt, ex ſacra auri fame, vel Auaritia, quam Diuus Paulus Idololatriam nominat. Inde enim oritur luxus in cibo, potu, veſtitu: ex faſtu præterea nimioque ſplendore circa ædificia exſtruenda, inde enim ſequuntur & graues exactiones, & compilationes ſubditorum, & pauperum, in quorum gratiam omnis Magiſtratus à Deo ordinatus eſt, nimirum, vt tueatur viduas & orphanos, aduerſus iniuſtam vim potentiorum, qui diuitijs plerunque confidentes, ſibi, quicquid libet, licere putant, nec ſe vllis teneri legibus credunt, vnde promanant rixæ, inimicitiæ, contumacia, ſeditiones, bella, hinc verò nationum & regnorum ruinæ ſequuntur, abuſusque abuſum procreat. Malorum enim ſeges longè ſemper eſt fertiliſſima.

Rapacitas præſidum. Calumniæ litium.

Porrò veteres illi longo vſu edocti, alia duo, ex ſuperioribus promanantia, ponunt, quæ ruinam Imperijs afferant. Rapacitatem præſidum: & Calumnias litium, per quæ duo veteris Romani Imperij Maieſtas & potentia corruit. Nec etiam minima cauſa eſt, vt teſtantur ij, quos doctrina & rerum vſus commendatos reddidit, per quam Imperia & Regna concidunt, quòd Magiſtratus à ſubditis non tàm amari, quàm timeri velit, & vt terrorem ciuibus incutiat, ad effundendum ſanguinem ſit procliuis. Quæ ſanè adminiſtrandi Rempub. ratio fœlix diuturnaq; nunquam eſſe potuit.

Hi alijque conſimiles abuſus nonnulla imperia prorſus defœdarunt. Itaque diu illa ſubſiſtere haud poſſunt, ſed vt ſuis ipſa viribus ruant, quemadmodum Turcicus Imperator ipſemet haud perperam indicat, neceſſe eſt. Vereor ſanè nullum vnquam fuiſſe imperium, in quo tanta rerum omnium confuſio fuerit, tantaq; Inobedientia locum habuerit, atq; in hoc noſtro Imperio.

Perſæpè talibus ſubditorum cura, & præcipua Reipub. munia committuntur, qui pecunia & lucro nihil prius habentes, vel à mortuo & ſtatuis tributum exigere haud vereantur, qui cùm ſint manticulatores, Polypi, & Lauerniones, id vnum quærunt, quî lacunam rei familiaris expleant, non quî ſubditorum commodis conſulant. Cumque ij ſint eorum reditus, vt Nephalium ſacrum ipſis rectè conueniat, ipſi tamen σελλίζοντες, Maſchalamq; domi tollentes, Sybaritico luxui ſunt dediti, factiq; λακκόπλουτοι, prædia & arces coëmunt. Vnde ergo tantæ tam ſubitò diuitiæ? Ex pauperum ſcilicet ſudore, iſtos ſcilicet, imò pagos, Oppida, Ciuitates, Comitatus inuicem committunt. Quos deindè vbi in gratiam redigere ſtudent, ſuis ipſi rebus, ſuoque luxui ſimul ſtudent atq; conſulunt. Huiuſcemodi expilatores Pagorum, Ciuitatumque, nemini ſe faciles præbent, mendacijs & fraudibus quoſuis inuoluunt, publicum commodum, vbicunque poſſunt, remorantur: Inimici ſunt omnibus. Niſi quis argenteis ſubindè haſtis eos expugnet, vel Dorica Muſa inſtructus eos compellet, eorum fauore nunquam gaudebit. Quòd ſi vel Principum ſuorum nomine debitam mercedem ipſis etiam mercenarijs, & opificibus exſoluere cogantur, id tamen, niſi & ſuum inde aucupentur lucrum, nunquam, nec niſi difficili animo faciunt, nec tamen vnquam tales videri volunt. Ipſemet vel digito commonſtrare tales poſſim. Verùm de abuſu verba ſolummodo faciam, perſonis ipſis parcam.

Dorica Muſa.

Calliditas quorundam præfectorũ.

Genuinum ſuum aduerſus quoſuis acuunt, neminem, quamuis probum & inſontem, quamuis aulicum, principiq; ipſi officijs deuinctum, intentatum relinquunt, ipſoq; Hyperbolo improbiores mendacijs ſuis callidè conſutis in diſcrimen vocare quemuis conantur. Multis ſanè bonis viris id vſuuenit, vt cauſa ipſorum, ſi vel apud Turcas, vel Iudæos aut Gentiles, diſceptanda fuiſſet, iam diu deciſa eſſet, cùm per hos φαίνακας apud Chriſtianum magiſtratum nihil proficiant. Quod ſi princeps Iuſtitiæ amans inſontem tueri, eiuſque cauſas, vt decet, ſecundum leges decidere & promouere velit, illi tamen Alaſtores aulici pecunia corrupti improborum cauſam agunt, nec bonos viros vllo ſucceſſu gaudere patiuntur. Verùm ſi illis ipſis, qui principum aulis ſunt addicti, adeò aduerſa eſt per iſtos Eurybatos fortuna, quid metuendum miſeræ plebeculæ?

plebeculæ? Vidi ipſius quoq; principis acta non rarò iſtis purpuratis diſplicuiſſe. Malim certè iratum principem, quàm huiuſcemodi Iouem aulicum aureo ſemper imbre irrigandum. Qui hoſce acceſſurus nihil attulerit, is foras extrudetur. Nihil enim ijs gratius eſt, quàm alios quouis modo bonis eijcere, eaq; ad ſe per fas & nefas rapere. Ingens ſanè hac de re Volumen conſcribi poſſet. Gaudent Sycophantæ iſti muneribus, nec horrent fumos vendere, aliosq; rurſus donis aucupari, eoq; modo Pagos, Oppida, & Ciuitates dolo malo confictis literis in fraudem vocant, nec vllum ſcelus tantum eſt, à quo abhorreant.

Niſi ergo Princeps ipſemet patriæ pauperumq; paterno animo curam ſuſceperit, tum Sycophantæ iſti δωροφάγοι καὶ χειρολῆκαι ſua malitia exſuperant, ſubditorum animis rerum omnium. Inprimis laboris tædium ingenerant, ſicut ex deſperatione quaſi animum confirmantes haud dubitent in hæc verba prorumpere: Quid nihil profuturo mihi, meisq; labore me macerem? Lictorum & Iudicum ſunt omnia. Satius fuerit in diem viuere, indulgere genio, & poculis facultates abſumere, quàm eas prædam obijcere Paraſitis aulicis. Quod ſi quis de Iniuria iſtorum adulatorum conqueri velit, is laterem lauet. Nec enim Lupum Lupus voraturus ſit, nec vnquam futurum, vt ad Principis ipſius aures querelæ iſtæ aliquã permanent. Et licet querelas caſu quodam Princeps audiat, informari ſe petit Princeps ab illis ipſis ſubditorum expilatoribus, quos querelæ iſtæ petunt. Qui ſanè nunquam ſuam ipſi cauſam damnaturi ſunt. Nec certè quiſquam facilè Crabrones iſtos, irritare audet. Dummodò illi quieſcerent, nemo eos querelis exagitare, vel alio quouis modo negocium ipſis faceſſere ſuſtinebit.

Priuatis vtiq; rebus publicæ præpollent, maior etiam totius Conuentus & Concilij, quam vnius vel Præſidis vel Abbatis eſt autoritas. Vniuerſa Patria & Regio pluris eſſe debebat, quàm vel labrax Mileſius vel Sycophanta aulicus. Maior etiam fides adhibenda erat Pauperibus, quàm purpuratis iſtis Lictoribus. Pecunia hominem nequam ad frugem nunquam perducet, imò ſi cuius mores & animum velis pernoſcere, publicum ei munus demanda. Quod ſi tum incommodare alicui poterit, haud illud intermittet. Nam Magiſtratus virum oſtendit: Quare publica illa munia meliorem rarò virum efficient; ſed facilè peiorem, tum auaritia, odio, faſtu, ferociorem, id quod experientia ipſa teſtatur, & veteres etiam Germani prouerbio idem innuunt, quando nullum exile adeò munus eſſe aiunt, quin ſuſpendio dignum ſit. Haud ideò maior alicui fides idcircò adhibenda eſt, quia publicum ſuſtinet officium, præſertim in cauſis priuatis, & quidem aduerſus ſubditos eosq; pauperes. Nec credibile fuerit, præpotentem opulentumq; præfectum à paupere afflictoque homine eoq; ſubdito lædi. Contrà verò pauperes & inopes à potentioribus opprimi tàm notum eſt, quàm quod notiſſimũ. Nam & vulgò dici conſueuit, Magnates, Pictores, Circumforaneos mendacij haud facilè inſimulari poſſe, & potius quiduis credi, quàm aduerſus tales contentionem ſuſcipi.

Maior totius Concilij quã pſidis ratio.

Magiſtratus virum oſten dit.

Nullum exile adeò munus qn ſuſpendio dignum.

Hac in re gentilium Diſciplina multò fuit laudabilior. Quin etiam à Turcico Imperatore ita conſtitutum eſſe legibus aiunt, vt, ſi quis ſubditorum de iniuria Præfecti vel Ducis querelas ad aulam deferret, protinùs diem præfecto iſti dici, accuſatoriq; in aula, ad deciſionem vſq; cauſæ, commeatum dari neceſſe ſit.

O quàm infideliter principum bona à Vulturibus iſtis diſſipantur. Creſcunt diuitijs purpurati iſti, contrà Principes ipſi ad pauperiem redacti vnà cum ſubditis pereunt. Nec enim fieri poteſt, vt eius res fideliter curentur, qui ipſemet eas oſcitãter negligit. Domini oculus equum ſaginat: Diu Regnum tale ſubſiſtere haudquaquam poteſt; ſed inteſtinis illud diſſidijs perire neceſſe eſt. Vicinus vicini lupus eſt. Plebẽ indignatio ad tumultus & ſeditiones impellit, contumacia & rebellio animos ſubditorum inceſſit. Vnde non dubium eſt, quin totius regni interitus ſequatur. Timor & violentia Imperij fulcra ſunt admodum fragilia. Haud ſanè fallunt, quæ vulgò iam olim audiuntur: Vox populi, vox Dei: Amicus non cogendus. Neruus ſi nimium tendatur, rumpitur. Equo ſponte currenti calcar non eſt addendum. Quæ ex Ethnicorum hiſtoricis vt Tito Liuio & Saluſtio lectori non prorſus oſcitanti facilè patent. Prolixè etiam docentur eadem ab Ariſtotele in Politicorum Libris. Quin etiam captant ijsq; ſe corrumpi facilè patiuntur Euparyphi iſti Sãguiſugæ, à faſtuoſis illis indoctis, auaris, pigris, impudicis, ſanguinarijs Sacrificulis, Sacerdotibus, Canonicis & Prælatis, in illorum gratiam ſanguinem humanum effundũt, homines non ſecius atq; verueces aut vitulos mactãt, nec honeſtatis nec pietatis rationem vllam habentes, nec viris nec matronis, nec teneris etiam virginibus parcunt, nec à prægnantibus mulieribus manus abſtinent. Citra diſcretionẽ in vincula conijciunt, compedibusq; conſtringunt, omnisq; generis tormentis afficiunt quoſuis, tàm doctrina excellenti præditos, quàm illiteratos, tàm nobiles, quàm ignobiles, mendaciſſimis delatoribus & Sycophantis, & nugigerulis fidem habentes, contra omnia cùm Ciuilium tùm Pontificiarũ legum iura & decreta. Nec quicquam hîc prodeſt erroris confeſſio. Crudeli nouoq; exemplo eorũ etiam, qui ſe erraſſe confitẽtes veniam ſuppliciter petunt, ſanguinem effundunt, q nec à Pontifice ipſo nec ab vllo tyrannorũ factitatum.

Violentia & timor Imperij fulcrã fragilia.

Vi homines ad fidē haud cogendi.

Vi alios adigere volunt, vt credant, quod ipſis probatur, cùm nec ipſe Deus id facere ſoleat. Quis quæſo Tyrannorum vnquam eo modo ſæuijt? Euoluantur omnes hiſtoriæ. Vera fides Dei donum eſt, eam dare nequaquam in ipſorum eſt viribus. Ipſimet cæci ſunt, nulla doctrina vel iudicio pollent, quid ſit fides, quid diffidentia ignorant, tantùm in myſterijs illis diuinis intelligunt, quantum Cumanus aſinus, id vnum agunt, vt pro ſua libidine miſeros homines excarnificent, ſuiq́ odij virus in inſontes, quorum opibus inſidiantur, ſub prætextu diuini Zeli euomant.

Plæriq́ enim maleuolentiæ inuidiæq́ ſtimulis exagitati, eos, quos in bonorum vitæque diſcrimen vocare ſtudent, hæreſeos inſimulant. Lutheranum eum eſſe clamitantes, nec alia vindictæ commodior ipſis videtur ratio, quàm hunc ad modum, lanienæ & carnificinæ, viros inculpatam alioquin vitam agentes tradere. Et quidem adeò effaſcinata impietatis & mendaciorum tenebris ipſorum mens eſt, vt perſuaſum habeant, Deo proditionem iſtam & ſanguinis effuſionem gratam eſſe, quam ſeueriſſimè paſſim in ſua lege prohibet.

Quæ ſunt iſtæ intemperiæ, quæ ad ſanguinem pauperum & inualidæ plebis effundendum carnifices iſtos impellunt? Si tanta ipſos ſanguinis ſitis premit, quin in aduerſos Turcas gladios ſtringunt? Sitimque ſuam, hauriendo ſanguinem non eorum, quibus arma contrà capere non licet, verùm hoſtium immaniſſimorum, ſedant? Quis quæſo pietatis vel humanitatis ſtudioſus probare, vel conſilijs ſuis iuuare tam fœdam humani ſanguinis profuſionem poſſit? Chriſtianos ſe profitentur, nec gentilibus externas virtutes colentibus annumerari merentur. Summam principis virtutem eſſe, aiunt gentiles, miſericordiam, animumq́ ab effundendo humano ſanguine alienum. Quid quæſo aliud per tot annos hactenus factitatum inter nos, quàm quod à Turca aduerſus nos aſſiduè factitari videmus? Viris iam aduerſus hoſtes opus eſt: Verùm ſi adeò humani ſanguinis iactura in oculis noſtris leuis eſt, vnde tãdem virorum copia ſuppetet? Ciuilia Imperatorum iura affirmant, multò ſatius eſſe multos, mortis ſupplicio dignos liberare, quàm vel vnius inſontis ſanguinem effundere. Temporis ſucceſſu, docendi aſſiduitate conuertendi erant homines, non perdendi. Hominem interimere, carnificemq́ agere non magnæ artis opus eſt, idem vel aranea præſtabit. Qui vitam reddere nequit, is nec auferre eam debet. Vitam reddere poſſe magni res eſt momenti, ſoliusq́ Dei. Haud diu aberit vindicta diuina à tyrannis iſtis & homicidis. Sanguis iſtæ cœlum verſus clamat. Quid eſt quòd cauſam præſentium malorum quæramus? Sanguis innocentum effuſus eſt, mactantur adhuc quotidie inſontes, contra Ius diuinum, ciuile, naturale, gentile, infernale. Putáſne Deum nihil ſcelera iſta curare? Non certè Deus eſt, & crudelitatem tantam non punit. Haud penes Magiſtratum eſt, pro ſua libidine fidei rationem ab aliquo exigere, ſi in cæteris rebus debita ei præſtetur obedientia. Dei illud munus eſt. Quid tu alterius Domini ſeruum iudicas? Si errat vel cadit, ſuo Domino errat & cadit: Si ſtat, ſuo ſtat Domino. Si hæreſes puniendæ ſunt, cur non Epiſcopi, Monachi, Sacrificuli puniuntur? Illi, euincente illud Iure diuino & pontificio, conteſtantibus etiam veteris Eccleſiæ Concilijs, hæreticorum ſunt deterrimi, & virulentiſſimi, illi graui anathematis fulmine, ſpiritus Sancti teſtimonio, percuſſi ſunt, omnesque qui Idololatriæ illorum adhærent, quod etiam veteris illius ſyncerioris Eccleſiæ Doctores, Patres, & Pontifices ſuis teſtimonijs comprobant.

Principis ſumma virtus miſericordia.

Qui vitam reddere nequit, is nec auferre eam debet.

Falx in alienam meſſem non immittenda.

Cōtumacia & diſsidia inter Principes.

Quanta etiam inter Principes, cæterosq́ ſtatus Imperij hactenus contumacia, quanta diſſidia fuerint. Imperator Maximilianus, peculiari hac de re edito libello conqueſtus eſt.

Rex Galliæ aſinorũ Rex. Rex Angliæ Diabolorũ Rex. Rex Hiſpaniæ hominũ Regem. Maximilianus Regum Rex.

Principes, Imperij impatientes facilè ferrent, nullum eſſe Cæſarem. Quare etiam Maximilianus ille aliquando dixiſſe fertur. Regem Galliæ, regem eſſe aſinorum, ſubditos enim eius aſinorum more impoſita onera & grauamina ſuſtinere. Regem Angliæ, regem eſſe Diabolorum, ſubditos enim Reges eijcere & trucidare. Regem Hiſpaniæ, regem eſſe hominum, vtrinque enim humanitatis & æquitatis iura ſeruari. Se verò regem eſſe regum. Imperij enim Principes parum officij memores ſuo quodam iure viuere, & vnumquenq́ ſuæ regionis eſſe regem, ſe verò eorum dici Regem & Cæſarē. Hæc Imperator ille Maximilianus de Imperij Principibus dixiſſe fertur. Vulgò etiam muſſant, eſſe in Imperio Principes, qui ex inſtinctu Alaſtorũ aulicorum clàm cum Gallorũ Rege, Pontifice, Veinoda, Vngariæ, aduerſus Imperatorem, eiusq́ fratrem Bohemiæ & Vngariæ Regem conſpirarint. Quæ alia vulgò ſpargantur, notiora ſunt, quàm par eſt. Verbum ego de his non amplius addam.

Ipſi quoq́ Principes & ciuitates inter ſe ijs conflictantur diſſidijs, qualia hucuſq́ Germania non vidit. Quæ ergo fœlicitatis proſperiq́ ſucceſſus ſpes eſſe poteſt? Qui ante hæc noſtra vixerunt tempora, Clariſſimi Principes, Ludouicus, Albertus, Boiariæ Duces, concordiam cum Imperij ciuitatibus firmiter coluerunt, viciſſim illæ manus porrexêre Principibus. Hoc verò ſeculo, furiæ iſtæ aulicæ Principes aduerſus ciuitates irritant, munera interim captantes à faſtuoſis iſtis indoctis, auaris, ſolique ventri &

ſcortis

ſcortis inſeruientibus Sacerdotibus. Nec quiſquam eſt qui in hiſce turbis autor eſſe Concordiæ ſeriò velit.

Hæ præcipuæ ſunt cauſæ & abuſus, de quibus gentiles Philoſophi meminêre, nempe quod inde Rerumpub. ruina & interitus ſequatur. Taceo iam grauamina illa, quibus per monetas, vectigalia, tributa, vſuras, miſerè ſubditi vexantur, & ira Dei aduerſus mortalium genus exaſperatur. Ipſis etiam magnatibus monetæ frequens imminutio & deprauatio calamitatem affert, licet idipſum modò nondum illi intelligant. Aureum nummum ſi quis habuit, modò is valorem precij vix habet dimidium, interim quicquid pecunia comparandum eſt, precio excreſcit. Quam rem viris prudentibus conſiderandum relinquo.

ABVSVS CIRCA CVLTVM diuinum.

INiuſticiam illam, de qua diximus, quòd internecinum afferat exitium Regnis, Imperijs, & tàm pecoribus, quàm hominibus, ij, qui ſacras tàm Ebræorum, quàm Chriſtianorum ſcripſerunt hiſtorias, Idololatriam potiſſimùm eſſe aiunt, diuinæq́ legis & mandatorum Dei Opt. Max. contemptum. Nec enim vel apicem legis ſuæ intercidere patitur Deus ille iuſtiſſimus. Imò cœlum terramq́ & quicquid creaturarum in ijs degit, interire potius neceſſe eſt, quàm vel vnicam legis diuinæ literam. Contemptus ille diuinorum mandatorum ad iram laceſſit æternum Deum aduerſus omnia terræ animantia, inprimis homines, ipſumq́ Magiſtratum, cuius officium eſt diuinum cultum tueri, blaſphemiamq́ omnem & Idololatriam compeſcere. Faciens enim, vt vulgò dictitant, & conſentiens pari pœna plectuntur. Eadem ſimul omnes pœna proſternit, cùm ira eius exarſerit, æternus ille rerum conditor. Id quod totius orbis terrarum per diluuium interitus oſtendit, tùm etiam quinq́ Ciuitátũ, quæ mari Erythræo vicinæ fuerunt, præterea vrbis Hieroſolymitanæ, Paleſtinæ, terræ benedictæ, gentis Iudaicæ, veteris iſtius Romanorum Imperij, noſtraq́ hac ætate, Vngariæ, aliarumq́ complurium nationũ. Certè ſi Saturnias illas lemas oculis abſterſerimus, apparebit, quomodo ex diuina ira gens gentem, populus populum exſtirpet.

Propter Idololatriam regnà transferuntur.

Cõtemptus diuinorum mãdatorum.

Blaſphemia iſta, quemadmodum veterum perhibet doctrina, duplex eſt: altera ſpiritualis, interna, & occulta, quam ij ſoli deprehendunt, quibus id ex peculiari gratia Dei donatum eſt. Altera verò externa eſt, omnibusq́ obuia, quam facilè Turcæ, Iudæi, Gentiles, omnesq́ fideles intelligunt. Prior illa, & quidem ſumma blaſphemia ea eſt, ſi ſub prætextu diuini cultus, quo, vt vulgò dici ſolet, Deus honoretur & colatur, viduæ & pupilli bonis ſuis & facultatibus ſpolientur, dum ſacrificuli iſti longam precum ſeriem prætendunt, interim verò, quemadmodum per Prophetas Deus ipſe paſſim conqueritur, viduarum & pupillorum opes deuorant.

Blaſphemia duplex: Alia Spiritualis interna & occulta. Altera externa & omnibus obuia.

Ipſemet nuper ſcriptum legi, quo Franciſcani illi, quos de obſeruantia vocant, apud Senatum & Iudices inclytæ cuiuſdã ciuitatis ſolicitè inſtantes, ea arte & fraude bona viduæ cuiuſdam, aduerſus pauperculum quendam ciuem, conſobrimũ viduæ iſtius, copiaq́ liberorũ ex diuina benedictione donatum, petũt, vt & Ariſtoteles & Cicero, alijq́ boni inter Ethnicos viri, Horatius, Plinius, Martialis, dolos huiuſcemodi, vbi Romanæ ciuitatis corruptam diſciplinam repræhendunt, inter extrema recenſeant flagitia. Ipſemet etiã Seruator Chriſtus rapinam & homicidiũ vocat deterrimum, ſi ſub prætextu ſacroſancti eius nominis longarumq́ precum viduarum & orphanorum facultates deglutiantur. Si preces ipſorum tanti ſunt, vt ipſi prætendunt, precij, cur eas diuendunt? Profectò in futuro illo iudicio, nemini, quod alij impertiat vel accommodet, ſupererit. Deuotis iſtis ſanctisq́ patribus idem accidet, quod ſtolidis iſtis virginibus, quibus oleum deerat, nec reliquæ ipſis quicquam de ſuo communicare, vel vendere audebant, ne deinde ipſis quoq́ deeſſet. Quiſquis furatur, iſte, ſiue ſit gentilis, ſiue Chriſtianus, Iudæus vel Turca, ciuilis vel Eccleſiaſtici ſtatus, Monachus vel Laicus, certè fur eſt, vtcũq́ demum fraudem ſuam & furtum palliet. Vulgò huiuſcemodi impoſtores & fures vocant, Hæredipetas, captatores Teſtamentorum, Vultures. Qui in primitiua Eccleſia floruerunt Chriſtiani, ij Gentiles irrident, quod Sacerdotes habeant mendicantes, & in delubris ſuis lampadas incẽdant, cæcos, inqunt, ipſorũ Deos eſſe, ideoq́ faces in tẽplis incendi neceſſe eſſe. Quid de picturis, diuorumq́ ſimulachris ſcribat Diuus Hieronymus, ex ipſius ſcriptis patet. Vſum autem iſtum lampadum, picturarũ, ſimulachrorũ in templa potiſſimùm inuexêre, Monachi iſti de mendicantium ordine, quemadmodum id teſtantur templa recentiora ſi conferantur cũ templis olim ante introductam Monachorum cateruam extructis. Suffragatur ẽt hiſce vulgò celebratum Prouerbiũ, quo aiunt: Veterum caliginoſa fuiſſe templa, corda verò illuminata: iam illuminata eſſe templa noſtra, corda verò caliginoſa. Qua etiam de cauſa primò mendicantium Monachorũ ordinem Pontifices confirmare noluerunt, & multi doctrina excellentes Epiſcopi ſcriptis ſuis eum inſectati ſunt, quæ hodiernum in diem in Bibliothecis antiquis extant.

Preces non diuendendæ.

Chriſtiani Gẽtiles irrident quod Sacerdotes habeant mẽdicantes.

Veterum tẽpla caliginoſa, corda illuminata: iã illuminata tẽpla, corda verò caliginoſa ſunt.

Quare verò ordinem iſtum Pontifices tandem approbârint, quinto libro Annalium, quibus contexendis intentus adhuc ſum, ex vetuſtis ſcriptis indicò.

Mendicãtes Monachi infelicis Eccleſiæ ſtatus autores.

Nunquã ſanè ab eo tempore, quo mendicantes iſti Monachi exorti fuêre, ſtatus Eccleſiæ fuit felix. Nouationibus ſemper ſtuduêre, plebem aduerſus Eccleſiaſtas ſuos, Epiſcopoſque concitarunt, more Coruorum cadauera hiante rictu ſectati ſunt, vetera tàm Chriſtianorum quàm gentilium Philoſophorum monumenta & artes oppreſſerunt. Profectò quocunque tandem modo ſuam Hypocriſin tueantur, extra controuerſiam eſt mendicare, æquè atq; fornicari à Deo prohibitum eſſe, nec apud veteres illos Chriſtianos mendicantibus locum vllum fuiſſe. Sacra Scriptura mendicitatem vt ſummum probrum deteſtatur.

Decimæ tripartitò diſtributæ.

Chriſtiani illi veteres, tripartitò decimas diſtribuebant. Vna pars erat pauperum, qui vel per ætatem vel per languorem corporis laborare haud valebant. Mendicare inter eos nefas erat.

Audiui quendam iſtorum, qui ſe de obſeruantia profitentur, in Boiaria palàm de ſuggeſtu concionatum fuiſſe: Aſcoperam ſibi eſſe, non qua Verborum excipiat Conuitia, ſed Farcimina, Sumina, & Scriblitas. En hi ſunt religioſi iſti, quos rectius Paraſitos vocaueris, quorum Deus venter eſt, qui Ventri ſuo, & non Deo ſeruiunt, q; Culinas principũ & diuitum ſectantur, & Vulturũ more ad eſcam aduolant: doctos verò bonoſq; Viros, & pauperes, ad quos Chriſtus ſuos ablegat, negligunt, pecuniam attrectare horrentes, centuplò interim precioſiora aucupantes, & ſub p̃textu ſanctitatis alienas facultates Gnathonũ ritu deuorantes. Quod ſanè & Gentiles illi Poëtæ, ne dicam de Prophetarum teſtimonijs, vt ſummum probrum deteſtantur. Quorũ verſum Diuus Paulus, aduerſus Paraſitos iſtos, religionis titulo & prætextu feroces citat:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί.

Honor pediculoſi cuculli.

Raſi ſemper mendaces, malæ Beſtiæ, ventres pigri. Pediculoſo ſuo cucullo plus honoris & ſanctimoniæ tribuunt, quàm ſanguini Chriſti, quem pro totius Mundi redemptione vltrò effudit, adeoq; defunctos fœtenti ſuo cucullo inuoluunt.

Dulciſsimũ eſt accipere.

Sanctuli iſti & deuoti Fratres Regulam iſtam antiqui cuiuſdã Philoſophi accuratè obſeruant, cuius Seneca meminit: Dulciſſimum eſt accipere. Verùm alij, qui eruditione vitæque probitate inſignes ſunt ex Philoſophis, contrario modo ſcribunt, beatius eſſe dare, quàm accipere, cui doctrinæ & Chriſtus ſeruator, & Diuus Paulus adſtipulantur.

Lignipedum iſtorum, tùm etiam prædicatorum, qui Sanctiſſimi eſſe volunt, ſeq; Eccleſiæ columnas eſſe perhibent, Vociferationes, Scripta, Libri, tota deniq; Vita oſtendunt, eos faſtuoſos eſſe Homines, Indoctos, ſuperſtitioſos, ſanguinis ſitientes, rabidoſq; Canes, adeoq; mutos Canes, vt Propheta eos vocat, qui latrare nequeant, principum ſuorum aures demulceant, ſuiſq; labyrinthis cladem humano Generi inferant, principeſq; ad ſanguinem humanum effundendum incitent, & quidem tanta crudelitate & iniquitate, vt vel apud inferos execrabile illud futurum ſit. Quare paſſim à Doctis haud iniuria πτωχοτύραννοι *vocantur. Longè plura his de rebus in medium afferri poſſent, verùm prolixior eſſe nolo. Nemini etiam ignotum eſt, Quid ſceleris Bernæ cõmiſerint. Tùm etiã quæ fraus Auguſtanæ iſtius Virginis, qua gloriabantur, fuerit, dum aliquandiu cibo abſtinuit. Nulla vnquam in re præſtigiatores iſtos offendi, attamen hæreticorum numero me inſcrere haud verentur, mihiq; interminati ſunt, quòd Romam me citare velint. Metuunt ne ſcelera ipſorum in lucem proferam. Nec etiam horrent vulgò hæc verba euomere, ſe malle aduerſus Lutheranos, quàm aduerſus Turcas gladium ſtringere. Verè de ijs Spiritus ſanctus loquutus eſt, Manus eorum ſanguine immundas eſſe.*

πτωχοτύραννοι.

Ingens in vetere Eccleſia dedecus, adeoq; plagam diuinitùs immiſſam iudicaſſent, ſi mulier Eccleſiam gubernandam ſuſcepiſſet. Verùm hodie eas, qui vitam agunt impudicam & flagitioſam, hodie videmus Eccleſijs imperare, ex earum lubitu & præſcripto Verbi miniſtros Eccleſiæ præfici, homines indoctos & adulandi artifices. Grauior certè hæc plaga eſt, quàm cùm Amazones iſtæ olim Sapientes Græciæ armis oppreſſêre.

Periurium Epiſcoporũ ſuffraganeorum.

Nemo ſanæ mentis inficias iuerit, grauiter blaſphemari Deum ab Epiſcopis illis, quos Suffraganeos vocant, qui ante trecentos primùm annos extitere, qui peierantes diplomatibus acceptis, pecunia ſibi à pontifice Epiſcopatum emunt, in Turcica, vel alijs infidelium nationibus ſitum, Iurant ſe eò profecturos eſſe, & ad fidem Chriſtianam infideles conuerſurus. Nec eſt quod minus in animum inducant, quã quî id, quod iureiurando confirmant, re ipſa præſtent. Quæſo quî non offendatur Deus Opt. Max. tali periurio? Niſi prorſus ſimus plumbei et ſtipites, adeoq; in ipſa meridie cæcutiamus, blaſphemiam iſtã vel palpare poſſimus. Si hic non ſit diuini nominis abuſus, q̃ſo quis erit? Ipſemet ex Doctore ſacrarũ Literarum, q profeſſione erat Carmelita, audiui, quod expreſſis verbis ad Quæſtorẽ quendam diceret, ſuffraganeos Epiſcopos oẽs periuros eſſe & ſceleratos. Qua etiã de cauſa Sigiſmundus Imperator in reformatione ſua tales creari prohibuit.

Chriſtus

Chriſtus Dominus & Deus noſter, Bonus, ait, Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus, verùm bona pars Paſtorum, quales hodie viuunt, minus ſalutem animarum curant quàm canis. Potius et ſe & plebem vniuerſam per præceps ad inferos abripi paterentur, quàm circa priuatũ commodum vel obolum ſibi detrahi, Vicarios conſtituunt, argentoq; accepto, peccata deuorant, hominumq; malitiam ingurgitant. Potius vel Cani animam commiſerim, quàm adeò indocto, rudi & inſulſo aſino. Nihil ipſi prorſus penſi habentes, à nemine tamen ſe vel moneri vel doceri patiuntur. Quî Deus ille cœli terræq; Dominus tantam cæcitatem, impietatem & iniquitatem non puniat? Vbi quæſo tantæ fuerit patientiæ Dominus, qui ſeruum contumaciter rebellem ferat?

Talibus ſanè Epiſcopis, Monachis, & Sacrificulis priuilegia minimè fuerunt conceſſa, ſed viris doctis, qui omnem in artibus optimis, & ſtudijs vitam conſumunt à reliquarum rerum cura immunes, ex quorum numero electi olim fuêre, Epiſcopi, Monachi, Sacerdotes, quemadmodum id antiquiores Bibliothecæ teſtantur, quales ſunt in Eccleſijs cathedralibus, & Cœnobijs ordinis Benedictini, quæ olim vices publicarum Academiarum, & Typographiarum ſuſtinuerũt. Prætereà antiquis Imperatorum vt Caroli Magni, & Ludouici, Conſtitutionibus prohibitum fuit, ne vllo modo Epiſcopi, prælati, & quicunq; Eccleſiaſtici eſſent Ordinis, bona nobilium ad ſe pertraherent, ſed Decimarum fructu contenti viuerent. Verùm hodie maximè opima Imperij prædia, Ciuitates, Oppida, Pagos, Arces, poſſident, ipſiq; omnium rerum immunes grauamina pauperi & inopi turbæ imponunt.

Priuilegia viris doctis conceſſa.

Eccleſiaſtici Decimarum fructu contenti eſſe debent.

Legatur hac de re Imperatoris Sigiſmundi Reformatio. Longè plura de his ſimilibusq; abuſibus, quibus ira Dei aduerſus humanum genus irritatur, ſcribi poſſent. Verum hæc monuiſſe ſuffecerit. Hæc quem non mouent, eum nec prolixa verborum ſeries mouebit. Quiſq; ſuæ ſalutis rationem habeat. Qui de fugienda ira Dei maturè ſolicitus haud fuerit, is opinione citius, quid ſit irã Dei contemnere, experietur.

Imperator Fridericus, eius nominis III. hæc verba vſurpaſſe fertur. Felix ciuitas, quæ cogitat tempore pacis ea quæ ſunt belli. Iam miſerabilis adeò rerum facies haud eſſet, ſi triennio ab hinc de placanda Ira Dei ſoliciti fuiſſemus, cùm Turcicus Imperator cæſo Vngarorum Rege Budam diripuit, & Viennæ Auſtriæ Deus vt pater mitis & miſericors virgam oſtentauit. Iam etiam Boiariæ Deus virgam oſtendit, prætereà monſtris portentoſiſq; ſignis, in cœlo, terra, aëre, aquis, vndiq; nos de imminentibus pœnis præmonet. Verùm nemo attendit, nemo hanc vel plagam vel iram Dei eſſe credit. Certè niſi cauſas noſtrarum miſeriarum ſeriò expenderimus, eaſq; quò ad eius fieri poterit, amoliti fuerimus, & ad Deum, ex intimo cordis affectu confugerimus, has noſtras Regiones eadem manebunt fata, quemadmodum Imperator Sigiſmundus per Aſtrologos quoſdam id præmonuit.

Felix ciuitas quæ cogitat tempore pacis quæ ſunt belli.

ALTERA BLASPHEMIA.

BLaſphemia altera craſſa & externa eſt, cùm promiſſa temerè indemnitate præcepta Dei apertè palàm violantur. Qui ſe religioſos hodie profitentur, iſti fœdam adeò in Regionibus quibuſdam vitam tranſigunt, vt iure etiam gentium & naturæ homines ſint omnium deterrimi. Nullibi ſanè inter Ethnicos tam naturæ aduerſa libidinũ fœditas reperitur. Contendunt Sanctuli iſti, ſatius eſſe fornicari, quàm legitimum inire coniugium, quo argumẽto itidẽ aſſerunt, impudicitiam, infamiam, dedecus, ſcelera, proditionẽ præſtare Pudicitiæ, pudori, honeſtati. Nonne excæcati prorſus & obſtinatione effaſcinati iſti ſunt, qui iram Dei vi ſibi accerſunt, quæ cum ceruicibus ipſorum modò incumbat, more Canum rabidorum ſæuiunt.

Vulgo trita prouerbia, quæ rarò fallunt, Sacerdotes iſtos faſtu inflatos, auaros, indoctos, fornicatores, ſanguinis humani auidos, & Simoniacos vocant, Quales ſanè omnes iure diuino vnà cum omnibus ſuis complicibus damnati ſunt. Id quod etiam Imperator Sigiſmundus fideli animo, bonoq; cõſilio iudicat, omneſq; Chriſtianos, vt ab imminente ſibi interitu caueãt præmonet, in primis verò Vngariã, Bohemiam, & Nationes aliquot Germaniæ. Ius Pontificium Simoniacos vocat, qui cùm ſint rudes, indocti, vitamq; agant impudicam, abſq; vocatione legitima, ex fauore magnatum, vel precio, aut aliena commendatione Eccleſiæ ſe obtrudunt, nec vna, vt vocant, Præbenda contenti plures ambiunt, & bona pauperibus deſtinata ad ſe pelliciunt, deterrimi ipſi Sacrilegi & Hæretici.

Simoniacos quos vocet Ius Pontificium.

Sanctorum Patrum Concilia omnes iſtos excommunicant, qui Miſſam audiunt à talibus celebratam Sacerdotibus, qui fœminas ſecum fouent, quarum Fama minus ſit integra. Interdictũ etiam eſt Monachis & Sacerdotibus ſub graui indignationis diuinæ indignatione, ne quis eorũ Principis vel Imperatoris aulæ ſe inſinuet. Nonne ergo ſuo ipſorum iure Sacerdotes iſti & Monachi damnãtur? Quod ſi iuxta

normam diuini verbi, vita eorum examinetur, patebit eos peruerſiſſimos Dei hoſtes eſſe, diuini honoris proditores, adeoq́ lutum, vt dicitur, ſanguine maceratum, in quos verba illa competunt. Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labijs me honorat, cæterùm cor eorum procul abeſt à me, ſed fruſtra me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Preces ipſorum in peccatum ipſis tergunt, eò quòd manus habeant ſanguine pollutas. Nemo eſt qui inficiari poſſit, quibus minis in miſeram plebem ſæuiant, qua audacia inſontes prodant, & muneribus corrumpant iudices, vt eò faciliùs lanienæ viros doctos & ſpectatæ probitatis tradant. Nec ſanè immanius ſæuire poſſit aduerſus Chriſtianos Turca ipſe, quàm ipſi, qui ſe Eccleſiæ iactitant columen, faciant. Verùm & ipſis accidet, quod Dauid impio minatur, inquiens: Foueam fecit, & incidit in eam.

Cùm de fide ſit diſceptatio, vt in duas partes ij, qui Chriſti dogma amplecti gaudent, diuidantur, & vna pars alteram, nempè eorum, qui fide ſola in Chriſtum ſolum nituntur, & abuſus aliquot nihil ad ſalutem facientes repudiant, nec Monachorum ordines, ſanctos iudicant, perſequatur, iugulet, trucidet. Et cùm alterutra mihi & ſtandum & moriendũ ſit: cuius facilè cõiectu erit, vtram mihi partem electurus ſim. Nec enim verè Chriſtianus Chriſtianum perſequitur, nec proximi ſui inhiat ſanguini. Ad hæc qui verè Chriſti vult eſſe Diſcipulus, eũ in hoc mundo contemptum eſſe, crucem variasq́ ærumnas, præſertim extrema hac mundi ſenecta ſuſtinere neceſſe eſt: Cùm alij, qui eos perſequũtur & trucidant, qui fidei in Chriſtũ ſimplici corde adhærent, contrà putent, ſe cultum præſtare Deo, dum pios omnibus tormentorũ generibus affectos mactant. Ipſe Beda ſcribit, quòd ante extremum diem, Chriſtiani iſti, pecuniæ non Chriſto ſeruientes, qui reliquis præſtare volent, cæteros perſecuturi ſint. Hoc primùm anno liber iſte euulgatus eſt. Verùm quæ maximè ſunt neceſſaria, in eo ſunt omiſſa. Quòd ſi caſu factum, incuria & negligentia eſt: Sin conſultò, peruerſi ſunt qui librum mutilatum edidêre.

Eraſmus Roterodamus. *Sunt quædã Academiæ, & Doctores, qui doctiſſimi viri, & optimè de Chriſtiana religione meriti Eraſmi Roterodami, cuius ſimilis modò nec viuit, nec multis retrò ſeculis vixit, aliorumq́ doctorum virorum, qui præter Chriſtum nihil docuerunt, libros legi prohibuêre, Interim baptizatum Iudæum fouent, qui ſacroſanctam ipſis Scripturam interpretetur, ingens ipſi pretium numerant, lectiones eius frequentant, fidemq́ diſcere animum inducunt ab infidelibus, qui hoſtes ſunt Chriſti acerrimi, Chriſtum eiusq́ matrem virginem Mariam quotidianis conuitijs inceſſunt, licet inter Chriſtianos hac noſtra ætate inueniantur, qui Ebraicæ linguæ longè ſint Iudæis peritiores. Nonnè tales & Pontificio & Imperatorio Iure, ne quid de diuino addam ſunt damnati? Certè ſi vel boni viri inter Gentiles perhiberi velimus, ne dicam de Chriſtianis, concordiæ & pacis autores eſſe debebamus, nec alter alterum contemnere, & quouis modo lanienæ tradere. Verùm ad vulgò vſitatos abuſus redeo.*

Conuitia in Deum. *Quid præter Conuitia in Deum, vel inter pueros auditur? Mirum ad tantam blaſphemiam tam leni animo Deum conniuere poſſe. Adulterium inter prophanos & religioſos licitum eſt, licet Spiritus Sanctus ipſemet teſtetur, Deum grauiùs per adulterium, quàm per furtum offendi, tum etiam per ſtuprationes virginum & viduarum. Quanquam Furtum à pauperibus commiſſum potiſſimùm punitur, quod* Adulterium. *reſpectu ſuperiorum peccatorum, exile imò vix peccatum dicendum eſt. Quantam cladem populi, quantam etiam infamiam perpeſſus ſit Dauides propter admiſſum adulterium, ex libris Regum patet. Nec alia fuit exordij Troiani paſſim decantati origo, quàm adulterium. Nota mihi eſt mariti cuiuſdam vxor, quã* Mulier taceat in Eccleſia *Sacerdos mediocris dignitatis raptã multos iã annos detinet. Hæc hodiernum in diem Parochiarum reditus percipit, iam diu totum Epiſcopatum rexit, ſi quis ex Sacerdotibus illius gratia excidit, iſti haud ſanè commoda in Epiſcopatu iſto ſedes fuit. Conata eſt pro ſua libidine Sacerdotes ordinare, Parochos vel confirmare, vel munere docendi priuare. Lictores plus ei honoris, quàm honeſtiſſimæ alicui matronæ exhibuerunt. Prælati & Sacerdotes lubentiore animo ei, quàm terræ iſtius Principi, equos currusq́ commodârũt.*

*Sunt qui non vereantur duas vxores ducere, & quæ duobus viris nubere nihil metuant, Sunt qui parentes ipſos verberent. Si qui impiè aduerſus magiſtratum inſurgant: Ad peculatus & furta perſæpè & Iudices & Sacerdotes, ſuum etiam lucrum captantes cõniuent. Nec inexploratum mihi eſt, vbi viri boni, pij, docti in vincula conijciantur, fures verò, prædones, & latrones & vinculis & pœnis liberantur. Quod ſi mulcta aliqua irrogetur, portio minima Magiſtratui cedit, Procuratoribus verò res ea prædæ eſt. Genti*Alea. *les graui conſtituta pœna, aleam prohibuêre. Noſtri verò Iudices & Lictores, poſthabitis etiam Legibus, in diebus feſtis, publicisq́ nundinarum conuentibus, accepta pecunia, ludendi aream vltrò patefaciunt, blaſphemiisq́ Deum affici pro nihilo ducunt. Noſtri etiam Sacerdotes hîc Ratiſponæ plebem erroribus com-*Feriæ. *plent, dum diuerſimodè Feſta proclamant. Eſt qui ſub denunciatione excommunicationis ferias indicat, rurſus qui pro conſuetudine eas celebrari denunciet, alius iuxta formulam Ordinis, vnde diſſidia, &*

religionis

religionis contemptus in plebe oriuntur. Sunt qui ferias celebrent,ſunt qui prorſus eas contemnant. Satius eſſet,nihil ordinari,ſi id quod ordinatū eſt,haud ſeriò & ſtrictè obſeruetur. Ipſemet Ariſtoteles,Cornelius Tacitus,Horatius,Imperator Iuſtinianus,legum multitudinem Reipub.interitū eſſe affirmant. Et veteres Græci dicere ſoliti ſunt,vbi multitudo ſit legum,ibidem multitudinem eſſe delinquētium. Noſtri etiam vulgò dicunt. Vbi multæ leges,ibi multi inobedientes. Conqueruntur etiam Sacerdotes,quòd veritatem apertè profiteri minimè ipſis liceat:Hæc ergo ſcelera,hos abuſus,Deus,cū ſit iuſtus,non poteſt nō grauiſsimè punire. Anilia ſomnia de indulgētijs emendis magno rigore defenduntur. Verū ea,quæ Deus ipſemet,per os Prophetarū ſuorum,& Apoſtolorum mandauit & ordinauit,exſtibilantur & irridentur.

Vbi multi leges,ibi multi inobediētes.

Indulgētiæ.

Quanquam aūt plebis mores ſunt corruptiſsimi,& quales Sacerdotes,tales & Laici,dignumq́; plærunq; ſit patella operculum: neceſſe tamen eſt, ad placandam iram Dei,caput ante omnia ſanari:hoc vbi reſtitutum fuerit,facilè & reliqua membra curari poterunt. Omnes ſanè probatæ fidei Hiſtorici,adeoq́; literæ antiquæ,de Pontificum vita & moribus ad principes noſtros ſcriptæ teſtantur,quod ex odio,inuidia & ſuperbia eorū,qui ſpirituales eſſe debebant (cùm interim ſanguinem ſitiant,aliorū ſint cōtemptores,precioq́; crudelitatis ſuæ miniſtros ſibi cōparent,nec bonis viris inter ethnicos comparari mereātur) omnis generis miſeriæ,tā Iudæos,quā Chriſtianos oppreſſerint. Quoties iſti ad normā legis diuinæ in ordine redacti fuēre,felix ſimul rerū omnium ſucceſſus ſubſequutus eſt. Quoties verò in vitæ ſuæ diſſolutæ impietate perſeuerarunt,omnia ſimul peſſum iêre. Turbæ illæ,quæ Chriſtianā rempub. vndique infeſtant, magna ex parte, Roma tanquam ex ſcaturigine promanant,nempè è ſummo capite ipſo Pontifice,eiusq́; ſatellitio. Quemadmodū ipſemet Hadrianus Pontifex Norinbergæ in Imperij conuentu confeſſus eſt, in quo generale Conciliū vniuerſæ Chriſtianitatis decretū fuit. Idē affirmauit Imperator Maximilianus,Rex Gallorū Ludouicus,ipſiq́; Cardinales ſcripto publicè edito aduerſus Pontificē Iuliū illud teſtati ſunt. Qualis Rex talis ciuitas,vulgò dici conſueuit,Si caput ægrū fuerit,omnia ſimul membra languent,quæ vt curētur,primò caput ipſum curari neceſſe eſt. Nec medicamenti acerbitas metuenda eſt. Amara amaris pellenda ſunt,malo nodo malus quærendus Cuneus,contraria contrarijs ſemper curantur. Hac de cauſa Pontifex Iulius iureiurando,cū eligeretur Pontifex,ſe obſtringere coactus fuit,quod intra bienniū,generale Concilium indicere vellet. Verùm Pontifices generale Concilium Chriſtianorū ſuſpectū habent,& tergiuerſando amoliuntur. Conſtantienſe,tū etiā Baſilienſe Conciliū cautos ipſos reddidit,vbi quatuor Pontifices fuēre Papali dignitate exuti. Generale certè Chriſtianorum Conciliū vni Papæ præſtat. Sed hoc qui affirmāt,ij vt teterrimi hæreticorū dānantur. Hæc diuturna Chriſtianorū diſsidia Chriſtianū orbē in tātas miſerias coniecēre,id quod palā ſcriptis ſuis cōqueſti ſunt Imperatores,Reges & Epiſcopi. Hodiernū adhuc in diē præſtigiatores,indoctiq́; Monachi diſsidia alunt,& ne Conciliū generale inſtitui poſsit,quauis audacia prohibēt. Ipſemet Pontifex per ſuos complices,Concilium Norinbergæ decretum impedijt. Viri docti beneq́; reipub. conſultū cupiētes,apud Imperatorē ſubindè inſtitēre,vt Concilium decretum inſtitui vrgeret,alioquin ſeditionē in Imperio metuendam. Verùm ex Pontificis nutu res acta eſt,is deceptis principibus,Ratiſponā indoctos aliquot, ſuperbos,impuros,impudicos Matæologos ablegauit,quibus haud cōmiſerim,vt vel de Alphabeto iudicarēt,nedū de fidei noſtræ articulis. Deindè ad Imperatorē ſcribebatur,Conciliū celebratum eſſe. Imperator Pōtifici obſequens,alios fieri cōuentus prohibebat. Ipſemet interdictū illud & vidi & legi. Quanta clades, innocuiq́; ſanguinis profuſio præcaueri potuiſſet,ſi habita æquitatis ratione. Cōcilium illud legitimo modo continuatum fuiſſet. Non tot hominum ſequuta fuiſſet laniena,non tot diſsidijs Eccleſia Chriſti diſsipata.

Qualis Sacerdos, tales Iaici.

Roma ſcaturigo omniū turbarum.

Regis ad exemplū totus componitur orbis.

Pontifices generale Concilium ſuſpectū habent.

Actus Concilij Ratiſponæ celebrati.

Nec interim Pontifex Imperatori parcit,nec ſanè poſthac quieſcet nouis conſilijs in fraudem eum allicere. Quemadmodum etiam cum eius maioribus Auſtriæ Ducibus,Imperatoribus & Regibus fecit. Gallum aduerſus eos concitauit,nec prius quieuit,quàm eos in diſcrimen vitæ,regnorum,facultatumq́; omniū & honorum adduceret. Quæ diſcordia Chriſtianam Rempub. peſſundedit. Certum imminentis excidij indicium eſt,cùm neuter alteri cedit,ſed contumaciter ſuæ quiſq́; libidini obtemperat.

Mendicos ditarunt Principes:Iam illi principibus dignā referunt gratiā. De loco & ſeſsione cū ipſis in Imperij conuentibus pugnant. Et plærunq; tales ad Comitia Imperij amandantur,qui nec rerū experientia nec doctrina pollent,qui eorum,de quibus conſultandum eſt, prorſus ſunt rudes. In quos culpa recidat, ipſemet Imperator Maximilianus indicat,libro quodam aduerſus ſtatus Imperij edito. Legati Vngarici & Polonici in Auguſtanis Comitijs inter cætera Imperatori Maximiliano ſignificabant, Turcicum Imperatorem vulgò de Chriſtianis iſta loqui,ipſi conſulant,& ego faciam. Et quidem hoc re ipſa teſtatur. Cū ante bellum Bauaricum,Comitia agerentur Ratiſponæ,ac Veneti,& Alexander VI. Chriſtianos principes in Turcā concitārent,ipſi etiam Reges Poloniæ,Bohemiæ,Vngariæ,Galliæ,Hiſpaniæ,Budæ,de reprimendo Turca conſultarēt,interim Turca impreſsione facta in forum Iulij,Venetos grauiter afflixit, ingentiq́; multitudine abducta,vi Methonen occupat.

Veneti à Turca magna clade affecti.

Pari

Alba Græca expugnata. *Pari modo VVormatienſibus Comitijs durantibus, Albam Græcam expugnauit. In Norinbergenſibus Rhodum, In Spirenſibus Vngariam cæſo Rege occupauit. Nemo arma tulit auxiliaria, licet ea aſsiduè implorarentur. Saltzburgenſi interea Epiſcopo ſubueniendum erat. Satius fuiſſet vnum periiſſe hominem, quàm vniuerſam Chriſtianorum Rempub. peirclitari.*

Rex & Imperator fruſtra leges ſanciunt, iniuſtè oppreſsis nemo ſuccurrit, Iuſticia vbiq; opprimitur. In Spirenſibus hiſce Comitijs, quid aliud effectum, niſi quòd de innocentum ſanguine effundendo conſultatum fuerit. Interim Turca adeſt, mercedem ſanguinarijs iſtis hominibus meritam daturus, in Auſtriam cum magnis Copijs penetrans Viennam obſidione cingit, quis rei huius futurus ſit exitus adhuc incertum eſt.

Canonici iſti quales ſint homines, Imperator Sigiſmundus indicat, Monachi ſunt, quales hactenus Salisburgi fuêre. Epiſcopus qui modò clauũ tenet, perfecit, vt à ſtricta ordinis ſui regula liberaretur.

Canonicus qui ſit. *Nec enim Canonicus aliud ſignificat, quàm perſonam non ſuo iure, ſed ex præſcripto Canonis vel Regulæ viuentem. Verùm omnia inuerſa ſunt. Nemo legibus obtemperat, quisq; ſuam libidinem ſequitur. nec quod regula, ſed quod monet Superbia, Auaritia, Impudicitia, præſtat. Nulla ibi regula, nulla diſciplina ſpectatur. Nulla vel honeſtatis vel pietatis vel doctrinæ ratio habetur. Itaq; pœnæ diuinæ aduerſus nos cumulantur.*

Hæc de cauſis dicta ſint, ex quibus pœnæ diuinæ tàm aduerſus pecora quàm aduerſus homines promanant. Si morbi leuationem optamus, neceſſe eſt vulnera prius oſtendi, deinde commodè curatio inſtitui poterit, ſiue ea lenis ſiue aſpera fuerit.

SECVNDA PARS HVIVS LIBRI, QVA CERTA GRAVIORVM CALAMITATVM indicia explicantur, quæ Chriſtianæ Reipub. incumbunt, niſi præmemoratæ cauſæ è medio tollantur.

DE futuris rebus aliunde, quàm ex veterum Hiſtorijs, certius indicium fieri haud poteſt, nempè eæ diligenti cura obſeruentur, & ex præteritis futura dignoſcantur. Cùm itaq; præmemoratas illas cauſas altius animo reputo, ſtatum haud quaquam meliorem, ſed deteriorem ſequuturum vereor, eandemq; imminere cladem occidentali Imperio, qualem orientale perpeſſum eſt, auguror. Faxit æternus & Miſericors Pater, vt & mea et reliquorum qui iam olim hac de re vaticinati fuerunt, vana ſint præſagia. Nam & veterum quædam oracula docent, in fatis eſſe, vt Latinam Eccleſiã ipſumq; Pontificem & Clerũ pari modo Deus puniat, funditusq; extirpet, quo Græcam Eccleſiam puniuit. Iohannes Lichtenberger ante annos quadraginta Palatino Principi vaticinatus eſt, Turcam ad tractum Rheni Coloniam vſq; progreſſurum. Idem prædixit alius quidam VVintſchelburger, qui Ambergæ verbum Dei prædicauit. Quæ alia iſti prædixêre, ea omnia re ipſa completa ſunt. Sic Abbas Ioachimus ex Sicilia ante annos ducentos quinquaginta prædixit, pontificem, eiusq; aſſeclas ſub Friderico III. magnis difficultatibus conflictaturos, & Papatum tandem planè collapſurum.

Johannes Lichtenberger. VVintſchelburger. Ioachimus Abbas ex Sicilia.

Lactantius. Hydaſpes Rex Medorum. *Lactea fluens eloquentia Lanctantius ſeptimo libro Inſtitutionum ad Imperatorem Conſtantinum Magnum, docet ex vaticinijs Sibyllarum, aliorumq; Prophetarum, & Hydaſpis Medorum Regis antiquiſsimi, Romanum nomen ſublatum iri de terra, ac Imperium in Aſiam reuerſurum, vt rurſus Oriens dominetur, & Occidens ſeruiat.*

Ezechiel. Ambroſius. *Vaticinatur etiam Ezechiel de Gog & Magog, quod ante extremum diem fideles ſint afflicturi. Diuus Ambroſius per Gog & Magog, ad Imperatorem Gratianum ſcribit, veteres illos Germanos, à fide Chriſtiana alienos intellexit, ij enim Romanos Chriſtum profitentes, pari ſæuitia, qua Turcæ iam noſtris imminent ceruicibus, impetebant. Alij per Gog & Magog Turcas & Saracenos accipiunt.*

Daniel. Philippus Melanthon. *Quæ etiam Daniel vaticinatus eſt de Regno, quòd ante extremum diem aduerſus Sanctos arma moturus ſit, ea vir longè Doctiſsimus Philippus Melanthon de Turcis intelligit, in libro, quem hoc anno in Spirenſibus Comitijs publicauit, & Vngariæ Bohemiæq; Regi dedicauit. Si Philippi illius Conſilium Reges ſequerentur, in feliciore ſtatu res noſtræ eſſent. Verùm ſolummodò indoctis, ſanguinem ſitientibus*

tibus

tibus faſtuoſis Monachis fides habetur, iſti aulas principumq́ menſas ſectantur, quemadmodum Vultures cadauer, doctis viris viam omnem intercludunt, ſemper veriti, ne ipſorum faſtus, auaritia, & aſinina ruditas detegatur.

Sigiſmundus etiam Imperator ſolicitè omnes Chriſtianæ Reipub. Proceres, in primis verò Pontifices, Epiſcopos, & Prælatos, de imminentibus malis fideliter & ſeriò præmonet. Adhæc Aſtrologi nonnulli dicunt, Vngariam & Viennam ploraturas, Boiariam in luctu & ſqualore futuram. Signa in cœlo & aëre viſa ſunt, ſtellæ cruentæ triſti lùmine mortales terruerunt. Qua de re multi magnæ etiam dignitatis viri ſcripſerunt. Verùm cuius animum ea moueant, rariſſimus eſt.

Sigiſmũdus Imperator.

Nec alia certiora cladiũ impendentiũ ſigna ſunt, quã ſi excæcati & obſtinati homines ſigna irrideant, ipſiq́ contemptores viciſſim infamia & ignominia affecti irrideantur, & plebs conſpiratione facta aduerſus Magiſtratum inſurgat. Ipſe Rex Dauid in Pſalmis ſuis impium iram Dei, nec videre nec intelligere affirmat. Nónne palàm eſt omnibus, quòd iram ſuam, adeoq́ irriſionem & ignominiam effuderit Deus ſuper principes? Intra paucos annos præcipui ex magnatibus, ex permiſſu Dei, cladibus ſunt affecti varijs, præcipuæ Chriſtianorum munitiones à Turcis ſunt occupatæ. Quæ altius animo perpendere debebant reliqui principes & iram Dei ingruentem agnoſcere. Humani ſanguinis nimium effundunt, periculum eſt vt in eo ſubmergantur. Deus itaq́ pœnis ſuis appropinquans primũ magnates confuſione, irriſione, & ignominia deprimit. Nónne ingẽtem effudit ignominiam ſuper terrenum iſtum Deum, patrem ſanctiſſimum, mundi Caput, vicarium Dei, cui ſceptra cœli, terrarũ, inferorumq́ commiſſa ſunt? nónne gladium ei è manibus excuſſit, vt non ſolùm ſcòmmàtibus eum paſſim inſectentur, qui doctrina & ingenio pollent, verùm etiam in triuijs eum Antichriſtum eſſe pueri clamitent, & cantitent, nec quiſquam ei adhæreat, niſi qui lucrum ab ipſo captant, quo denegato & ipſi deterrimi eius hoſtes ſint futuri? Cœlo, & inferis, quorũ ſibi claues eſſe iam olim gloriatus fuit, adeò friuolè nunquam excidit ſibi gladium èxcommunicationis, quo vniuerſo mundo erat formidabilis eripi paſſus. Neminem qui eum timeat video, præter eos, qui ſui commodi cauſa eum ſectantur, quo prærepto, & ipſi acrius alijs eum impugnaturi ſunt. A viris doctis diu ſed fruſtra fuit monitus, quibus ille neglectis, quid indocti, faſtuoſi, ſanguinemq́ ſitientes, & δωροφάγοι *impoſtores inculcarent, potius ſequendum ſibi putauit. Cæſareani, vel inuito Cæſare ante biennium, capta Roma, eum Cardinalesq́ miris modis exagitarunt. Chriſtianiſſimus potentiſſimusque Gallorum Rex turpi clade affectus eſt, licet ante triennium ab Aſtrologo Hasfurtenſi, & ante complures annos à Iohanne Lichtenberger ſedulò præmonitus fuerit, vt à Germanis manus abſtineret, niſi & capi & Aquilam lilijs ſuis immittere velit. Quicquid Iohannes iſte Lichtenberger Palatino principi, ipſiq́ Pontifici vaticinatus eſt, id euentus ita comprobauit, periculum ſanè eſt, ne & reliquis principibus ea obtingant, quæ de Turcica tyrannide prædixit. Prætereà Rex ille Chriſtianiſſimus in quantam ſe ipſum ignominiam coniecit, cùm ab Imperatore dimiſſus periurij ſe reum fecit, conſenſu hac in re Pontificis fretus, id quod teſtantur ſcripta Pontificis aduerſus Cæſarem edita. Amicè Pontifex & Rex ipſe negocium totum tranſigere volunt. Verùm ſi quis rem accuratiùs penſiculare velit, deprehendet, meram eſſe impoſturam & malitiam. Quod ſi eadem à vilioris conditionis hominibus committerentur, quis non flagitioſos, ſceleratos, & periuros homines eſſe clamaret? Philoſophorum hac de re legantur iudicia; quid opus ad oſtendenda hæc ſcelera, Sacrarum literarum teſtimonia adduci? Turcicam itaque rabiem, quæ tantam malitiam inter ipſos etiam principes, & monarchas graſſantem puniat, ingruere neceſſe eſt. Anglorum ille Rex & ſapientia & opibus eminentiſſimus, quantis conuitijs à mendicantiũ ordinis Monacho diffamatus eſt? Theologorũ ſe negocio immiſcere voluit, eorũ diſceptationes & rixas dijudicare & decidere conatus: Cũ rectiùs quomodo ſaltus indagine cingendi ſint principes iſti intelligant, quàm quali iudicio de arduis Sacrarũ literarũ quæſtionib. ſit diſputandũ. Aduerſus Sueuos illos & Francos, qui milites & equites ſemper bellicoſiſſimi perhiberi voluerũt, ſubditi ipſi & Ruſtici inſurrexerunt. Quod imminentis exitij certum eſſe indiciũ, & veteres & recẽtiores teſtãtur hiſtoriæ. Chriſtus ipſe cùm verbum ſuum è ſinu patris reuelatum doceret, ſeditioſi ſtatim homines ſub prætextu legis diuinæ Cæſari tributa pendere negabant. Ii cùm maximè ſecuros ſe eſſe arbitrarentur, à Syriæ præfecto Pilato ſubitò obruuntur, miſereq́ trucidantur. Deindè cùm annunciarẽt quidam Chriſto cladem iſtam Galilæorum, quaſi ipſe ſua doctrina eius cauſa eſſet, ijs reſpondebat. Putatis quòd hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non dico vobis, imò niſi reſipueritis, omnes ſimiliter peribitis. Arbor quæ fructum denegat, ſucciditur, & in ignem conijcitur.*

Aſtrologus Hasfurtẽſis.

Sueui, Franci.

Dux VVirtenbergenſis fortiſſmus bellicoſiſſimusque princeps, iam tertia vice, paterno ſuo Ducatu eiectus eſt. Longè potentiſſimus clementiſſimusque Imperator Carolus V. potentia & felicitate reliquos Germanorum Imperatores ſuperans, quantas ſororum affiniumque calamitates experitur? Rex

Dux VVirtẽbergenſis.

Carolus V.

Chriſtiernus

Ludouicus Rex Vngariæ occiſus.

Chriſtiernus affinis eius regnis ſuis ducatibusque ampliſſimis, Noruegia, Suecia, Dania, Holandia, Selandia, Gotlandia, Iſlandia, Finlandia à ſuis ſubditis eiectus, omniumque auxilio deſtitutus vnà cum Imperatoris ſorore exul & extorris mortuus eſt. Alter verò affinis eius Ludouicus Rex Vngariæ & Bohemiæ hoc anno à Turcis miſerè circumuentus, fruſtraque aliorum auxilia implorans occiſus eſt. Salisburgenſi interim Epiſcopo aduerſus ſubditos eius ſuccurrendum erat. Tum temporis anxiè & fideliter, ſed fruſtra, quoſuis præmonebam, vlterius malum illud graſſaturum docens, quod hoc anno Imperatoris fratrem premit. Turcicus Imperator magna vi in regionem eius impreſſione facta Viennam ipſam graui obſidione premit. Faxit Deus Opt. Max. vt conatus eius ſint irriti.

Vienna à Turcis obſeſſa.

Principes ipſi ſcriptis in publicum emiſſis conuiciorum plauſtris ſe inuicem onerarũt. Maiori infamia notari haud poſſint, quàm ſe ipſos inuicem notant.

Præfationes Emſeri teſtamento præfixæ.

Nec ipſe Lutherus in ſuis libris, Principum plærisque parcit, monens eos, vt iuſticiam tueantur, viduarum pupillorumque cauſam ſuſcipiant, nec temerè ijs cauſis, quas intelligere nequeunt, ſe immiſceant. Sũt etiam qui præfationes Emſeri Teſtamento præfixerint, quibus demonſtrare conantur, verſionem illam, Lutheri verſione accuratiorem eſſe. Quî hac de re principes iudicent, cùm Græcæ linguæ peritiam nullam habeant? Quin imò ipſum Emſerum linguæ illius rudem eſſe ipſa oſtendit verſio, cùm multa vel ex innata inuidia, vel inſcitia, quæ omni caret vitio, carpere & calumniari auſit. Quî quæſo iudex aliquis eſſe queat in cauſa ea, quam non intelligit, præſertim ſi vtramq; partem audire non deſideret? Contentiones & diſſidia aluntur, vt immaniſſimo hoſti nos opprimendi maior detur facultas. Quanquam hæc Monachi illi irrident, id quod facere ſoliti ſunt ij omnes, quibus graues diuinitùs pœnæ imminent. In alios culpam transferunt, aduerſus Chriſtianos, quàm aduerſus Turcas, quemadmodum palàm id profitentur, gladium ſtringere malunt. Cùm verè omnis culpa in ipſos, ipſorumque malitiam, faſtum, auaritiam, aliaque manifeſta ſcelera recidat. Multis ab hinc annis aduerſus Turcas bella geſſimus, ſed victi ſemper diſceſſimus, cùm magna hominum, Principum, adeoque Imperatorum iactura. Cauſam verò exitij noſtri nunquam amoliti ſumus, nec quidem de ea amolienda vnquam ſoliciti fuimus. Verùm auditu hæc ingrata ſunt, ſemper enim veritas odium parit. Quanquam multò grauiora ſunt, quæ & ſcribenda & dicenda eſſent, nec ſanè ijs deſcribendis ſufficerent, omnes illi veteres Poëtæ, qui in taxandis hominum vitijs & ſceleribus operoſi fuêre.

Reges gentium poëtas iſtos, qui ſeculi ſui vitia taxarent, in magno habuêre precio. Verùm modò religioſi iſti Monachi & Sacerdotes, plus faſtus, auaritiæ, & inſcitiæ, quàm ſanctimoniæ, religionis, & ſcientiæ animo circumferentes, veritatem omnesq; eos qui eam profiteri audent, immani proſequuntur odio, ipſos etiam Principes, Reges, & Monarchas aduerſus veritatem irritant. Alia impendentis nobis excidij ſigna modò non addam. Nempè quod omne vitium in præcipiti ſtet, nec omnis generis grauamina vlterius quò progrediantur habeant, tum etiã quòd grauiter impijs verbique ſui contemptoribus interminetur Deus. Ecce dies venient dicit dominus, & emittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini. Et commouebuntur à mari vſque ad mare, & ab Aquilone vſque ad Orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient.

Fames & ſitis verbi Dei.

Finis Secundæ partis.

TERTIA PARS HVIVS LIBRI, QVID VETERES ILLI CHRISTIANI, GENTILES, IVdæi, Fideles & Infideles, tali rerum ſtatu vrgente egerint, & quid præmonitionum contemptores ſubſecutum fuerit.

EXpoſitis hactenus noſtrarum miſeriarum cauſis, indicijsque minimè fallacibus, iam in id intentos eſſe nos decet, quî cauſas iſtas amoliamur. Deinceps ergo breuiter indicabo, quomodo veteres, noſtrique maiores, in huiuſcemodi caſibus ſibi ſuisque conſuluerint, præterea, quid pijs, qui temerè præmonitiones piorum hominum irriſere, obtigerit.

VETE-

VETERES ROMANI VRGENTE PERICULO QUALES ſe geſſerint.

VEteres illi Romani, cùm libera adhuc eſſet Reſpub. in magno honore & precio libros Sibyllinos habebãt, eos vt ſacroſanctos in templo adſeruabant, Senatorũ præcipuos & doctiſsimos eis præficiebant, quos vocabant Pontifices. Iſti libros illos Sibyllinos conſulebant, inde modũ auerruncandi mala, quæ premebant Rempub. quærentes. Eandem conſuetudinem obſeruarunt Gentiles illi Romanorum Imperatores, ad libros Sibyllinos confugientes, quemadmodum nos ad libros Prophetarum confugimus, vel confugere debebamus. Libri Sibyllini.

Deindè etiam Romanis vſitatum fuit, grauiore aliquo caſu vrgente, abrogatis omnibus alijs Magiſtratibus, Dictatorem, penes quem ſolũ ſumma rerũ eſſet poteſtas, eligere. Ad hæc plebis grauamina ſubleuarunt, vel omninò ſuſtulerunt, vt eò obedientioribus vterentur ciuibus. Æs alienum, abrogatis tabulis, ſublatiſq́ litibus, remisêre, omniumq́ iniuriarum ἀμνηστείαν *decreuêre, Seruos manumiſſos ciuitate donarunt, captiuos nexoſq́ vinculis liberarunt. Diuites quicquid habuêre auri, argenti, mundiq́ muliebris comportare iuſsi ſunt. Vniuſcuiuſq́ precium aſsignabatur, vt locupletato ærario ciuibus reſtitueretur. Qua in re noſtri Cimmerijs inuoluti ſunt tenebris: Non ſolùm enim nulla fit grauaminum leuatio, ſed ea magis magiſq́ indies augentur, vt eò magis vulgi aduerſus Magiſtratum exaſperentur animi, citiusque & faciliore momento clades nobis appropinquet. Ii qui vitia & iniuſticiam reprehendunt, ad lanienam rapiuntur. Quæ ergo fata eos manent, qui quoſuis iniuria laceſſunt, nec vllum flagitiorum modum ſciunt? Prætereà apud Romanos ea erat conſuetudo, vt omnes ſimul & Senatores & Plebeij in Foro cõuenirent, nec vllius conſilium reijceretur, publico etiam edicto mandatum fuit, vt quicunq́ commodam contra hoſtes pugnandi rationẽ ſciret, eã Senatui exponeret, quod ſi quis ex pauperibus vtile conſiliũ daret, præmio ornabatur.*

IVDAEI QVOMODO SE GESSERINT?

IVdæorum Reges & Duces ad ſolum Deum confugiebant, in eum omnem ſpem ſuam & fiduciam collocabant, Legem Dei per vniuerſum populum annunciari mandabant, ipſi etiã circumeuntes populum exhortabantur, vt ad Legem Dei attenderent, mandata eius ſeruarẽt, & firmiter in patrum ſuorum Deum ſperarent, quicquid Deo eiusq́ legi aduerſum erat, abrogabant, quintumq́ Moyſis librum Ceremoniarum ſuarum normã & regulam ſibi conſtituebant. Plana hæc ſunt ex Regum Iudaicorũ Chronicis, prolixè ea de re diſſeri præter rem fuerit, conſulãtur ſacra Biblia. Progredior ad priſcos illos Romanos Imperatores, qui Chriſtianam religionẽ amplexi fuêre.

QVID CHRISTIANIS SVB ROMANIS IMperatoribus Chriſtianam religionem amplexis, ex contemptu præmonitionum euenerit.

EVſebius in Chronicis ſuis autor eſt, immanem illam Chriſtianorum perſecutionem ſub Diocletiano ortam eſſe ex ſuperbia, auaritia, inuidia, odio Epiſcoporum inter ſe diſsidentium, dum alter alteri præferri voluit, ſeq́ hæreſeos inuicem inſimularunt. Moti enim his illorum diſsidijs Imperatores putabant, cùm nulla inter Chriſtianorum Præſides & Epiſcopos ſit concordia, nequaquam Religionis eorum ſanctitatem ſyncerã eſſe poſſe, ideoq́ prorſus Chriſtianorum nomen extirpare animum inducebant. Verùm quò maior Tyrannorum erat ſæuitia, eò magis Chriſtianorum numerus augebatur. Poſtquàm verò Imperatores ipſi Chriſtianam fidem amplexi fuêre, tum quidem Eccleſiarum præſules externis bonis plurimùm profeciſſe ſcribit Hieronymus, ſpiritualibus verò donis defeciſſe. Magna etiam diuo iſti Hieronymo fuiſſe certamina cum indoctis Monachis & Sacerdotibus, ex ipſius ſcriptis patet. Paſsim enim in ſuis libris in ipſos quoque Epiſcopos, & ritus Romanorum inuehitur. Palàm fatetur, ingentia illa diſsidia, quibus ſub Conſtantino Eccleſia diſsipata fuit, ex infidelitate & maleuolentia Epiſcoporum extitiſſe.

Queritur Diuus Auguſtinus, cuius querela in Decretis Iuris Pontificij citatur, ſuo tẽpore crebras innouationes in Eccleſiã inuectas eſſe. Quiuis hypocrita peculiares ritus in cibo potuque, in ieiunijs, veſtitu, ferijs, precationibus inſtituere voluit, licet Deus ſuam fidem, vt Auguſtinus ipſe palàm aſſerit, prorſus ſynceram & immunem eſſe voluerit ab humanis traditionibus, qua etiam de cauſa legem Moſi traditã, licet

ipſemet eius autor eſſet, ſuſtulit. Et quidem Auguſtini ſententia eſt, huiuſcemodi ceremonias humano arbi-
trio inſtitutas prorſus abrogandas eſſe, licet, cur ſint vituperādæ, nulla ſubſit cauſa, vt fides iuxta Dei ver-
bum impolluta & ſyncera maneat, nec vllum Iudaiſmum ſapiat, nec Christiana religione, Iudaica videa-
tur leuior. Ipſi quoq́; Gentiles de Chriſtiana religione perhibuerunt, eam eſſe puriſsimam; & ab omni fuco
humanarum conſtitutionum alienam. Cùm verò ante mille centum annos Patres iſti de religionis corru-
ptela conqueſti ſint, quæſo quid eos dicturos putas, ſi reuiuiſcentes præſentem Eccleſiæ ſtatum aſpicerent?
tot ritus, & ceremonias, tot inſulſorum hominum ordines, vt vbi vera fides, vbi verus Dei cultus quæren-
dus ſit, nemo facilè dijudicare poſsit? Veteres Poëtæ & Philoſophi de religione melius iudicant, quàm illa
raſorum hominum turba, arbitria principum & opulentorum hominum conſuetudinem pro religione ob-
ſeruantium. Cùm nec Ariſtoteles nec Plato tantum conſuetudini (quamuis bonæ tribuere dignati ſint, vt
eos iuſtos bonosq́; iudicarint, qui ſola niterentur conſuetudine. Ait idem Ariſtoteles de principibus & ma-
gnatibus, id quod & hodie plærique principum ſuis teſtantur moribus (pios bonosque principes ſemper ex-
ceptos volo) quod nihil ex virtute & ratione agant, ſed vi quiduis gerant, & ex diu recepta conſuetudine.
Quiuis iudex, lictor, præfectus, quamuis indoctus, formam & modum religionis pijs doctisque viris ex ſuis
mendacijs & prauè conceptis opinionibus præſcribere contendit. Porrò queritur Auguſtinus de ſuperſti-
tioſis Monachis & ſacrificulis, veretur, quod iam factum eſt, niſi maturè malo occurratur, futurum, vt re-
ligio Chriſtiana humanarum ſuperſtitionum tenebris & præceptis ita obruatur, vt Iudæorum leges ſint fu-
Quæ religio coram mūdo vera iudicetur.
turæ leuiores, quàm Chriſtianorum. Eò certè res redijt, vt coram impio hoc mundo ea vera iudicetur reli-
gio, is cultus Dei optimus, ſi inuicem, quemadmodum Chriſtus ipſemet prædixit, ſe prodant, laniēnæq́; tradi-
tos crudeliter mactent. Nec longè pòſt, Leo I. Pontifex, & Sidonius Auernenſis Epiſcopus, Poëta, de eo-
Leo I.
Sidonius Auernenſis.
rum, qui ſe religioſos profitentur, faſtu & auaritia conqueruntur, nec affirmare dubitant, quòd per priua-
ta Epiſcoporum, quos ſubditis Imperatores præficerent, commoda, Chriſtiana Eccleſia à priſcis moribus et
pietate degeneraret, Romanumq́; Imperium in maximas clades incideret. Iidem, quemadmodum & Poë-
Exactiones Quæſtorum
ta Claudianus, affirmat per præfectorum & Quæſtorum exactiones, ita ſubditos paſsim in prouincijs Impe-
rij onerari, vt facilior ipſis vitæ ſit ratio futura ſub infidelium principū Imperio. Quæ certè cauſa fuit ſedi-
tionum, quæ in Imperio excitabantur, quibus ſopitis, cùm nulla vitæ morumque emendatio ſequeretur, ira
Dei citò exarſit, infidelesq́; Germani, Saxones, Franci, Sueui, Gothi, Vandali, Alani, Burgundi, Hunni,
Boij magno impetu Chriſtianorum regna Imperiumq́; Romanū non minore ſæuitia, quàm qua modò Tur-
cæ graſſantur, obruerunt, nempè Italiam, Romamq́; ipſam, Galliam, Rheni tractum, Hiſpaniam, Africā,
occupatisq́; hinc indè ciuitatibus templa demoliebātur, Monachos, Sacerdotes, Epiſcopos, Principes, citra
vllam diſcretionem crudeliter interficiebant, templa in equorum permutabāt ſtabula, præmemoratas na-
tiones, & Chriſtianis & Romano Imperio vi eripiebant, ipſi ſibi ſuisq́; vxoribus & liberis ſedem ibi figen-
tes. Veteres illos colonos & ciues, qui Chriſtianam religionem profitebantur, immani crudelitate occide-
bant. Maguntiæ in templo ſummo, teſte Hieronymo, tanta Chriſtianorum multitudo ab infidelibus occi-
debatur, vt riuis ſanguinis templum exundaret. Idem in alijs paſsim templis accidit. Toloſanus Epiſcopus
Toloſanus Epiſcopus.
ab infidelium ſæuitia ciuitatē ſuam liberabat, eò quòd idololatriam è templo eijceret. Quicquid nempè ad-
erat auri argentique, calices, capſulas, aliaque κειμήλια *inter pauperes diſtribuebat. Quòd exemplum ſi &*
hodie ſequerentur Epiſcopi, Sacerdotes, & Monachi, ſuamq́; idololatriā, hoc eſt, aurum & argentum, quo
lapides & ligna ornant, inter pauperes diſtribuerent, viuaq́; templa erigerent, de ira ſua Deus Opt. Max.
haud dubiè multum remitteret. Quid in ſtructura lapidum proſunt ipſorum boatus & vociferationes, tum
etiam aurū & argentum, gemmæ, veſtes ſericæ? Cùm Chriſtus interim, vt Diuus Hieronymus queritur,
in pauperibus frigore enecetur, ſiti fameq́; conficiatur, exilio plectatur, varijsque ſuppliciorum generibus
à Turcis, nemine reſiſtente, affectus pereat.

Breui pòſt in haſce regiones noſtras Iſtro conterminas, quæ tum à Chriſtianis incolebantur, Romanoq́;
Imperatori parebant, mittebat æternus Deus S. Seuerinum, eiusq́; fratrem Victorem ex Africa, vbi infi-
deles iſti Germani, Vandali, & Hunni, magnam aduerſus Chriſtianos exercebant ſæuitiam, ſuam ciuita-
tem Auguſtinus liberare precibus ſuis haud poterat, ſed fatis ipſe concedens hoſtium ſæuitiæ & prædæ ex-
poſitam relinquebāt. Fratres iſti duo idiotæ erant, Epiſcoporum Sacerdotumq́; auaritiam taxabant, prin-
cipes etiam ipſos ob crudelitatem erga ſubditos variaq́; quibus indies illos premebant grauamina, magna
vſi libertate repræhendebāt, palā iram Dei aduerſus homines & pecora, niſi reſipiſcerent eis denunciantes.

Verùm Sacerdotes iſti & Epiſcopi eos, quemadmodum & hodie faciunt, irridebant, nefas eſſe ducentes,
à laudabili diuq́; recepta & cōprobata conſuetudine deficere, Seuerinus itaq́; cum ſurdis fabulā ſe cantare
animaduerteret, cū paucis, qui monitis eius fidem habebant, fugā capeſſens indè diſcedebat. Breui pòſt infi-
deles

deles Sueui & Boij traiecto Danubio Romanũ ibi Imperium & Chriſtianos miſerè affligebãt, ferro & igni in quæuis obuia graſſabantur, homines captos, vnà cum pecoribus abigẽtes. Inter cæteras occupabant præclaras ciuitates, Pataviam, Ratiſponam, Salisburgum, Sacerdotes & Epiſcopos in templis ſuper baptiſterijs trucidabant, cadauera per murum in foſſas ciuitatem ambientes abijciebant, cuius rei indicia & veſtigia hodiernum adhuc in diem Salisburgi apparent. Nullius vitæ parcebant, paucis, qui agros colerent, & tributa penderent, relictis, donec veteribus illis Chriſtianis funditùs extirpatis, & ipſi Chriſtianiſmum amplecterentur. Hæc calamitas inter Chriſtianos in Romano Imperio incidit in annum Chriſti quadringenteſimum, durauitq; in hiſce regionibus in annum vſq; quingenteſimum, in quibuſdam etiã diutius, nempè in Syria, Paleſtina, Ægypto, Africa, vbi veteres illos Chriſtianos Saraceni & Arabes internecino item excidio delerunt. His ita geſtis, quæ deindè ab anno quingenteſimo ſexageſimo ad annum ferè ſexcẽteſimum perpeſſi fuerint veteres illi Chriſtiani in Italia, & Romæ, ab infidelibus iſtis Sueuis & Longobardis, ex S. Gregorij I. Pontificis literis & libris patet? Is rerum ſtatus erat, vt orbi terrarum extrema iam imminere viderentur.

Perſecutio Chriſtianorum in Romano Imperio an. 400.

QVOMODO IN HVIVSCEMODI CASV SE geſſerint veteres Germani maiores noſtri.

POſt annum Chriſti ſeptingenteſimum, ſtatus erat Chriſtianorum in Germania infeliciſſimus. Eo tempore cũ infidelibus adhuc iugum trahebãt, Auſtria, Vngaria, Stiria, Carinthia, Croatia, Saxonia, VVeſtphalia, Friſia, Vãdalia, Bohemia, Miſnia, Morauia, Polonia, Sileſia, Dania, Brandenburgum, Meckelburgum, Pomerania, Ruſſia, Pruſſia, harum regionũ incolæ reliquos Germanos Chriſtianam fidem amplexos, ingentibus aſſiduè cladibus afficiebant in Franconia, Haſſia, Thuringia, Bauaria, Sueuia, & circa Rheni tractũ. Idem in Gallia, quæ tum Germaniæ iuncta erat, factitabant Saraceni, qui ex Hiſpania in Galliam magna vi irruentes interfectis incolis ſibi perpetuam ibi ſedem pollicebantur, quemadmodum in Hiſpania fecerant.

Internecinũ odium propter Religionem.

In hiſce turbis & motibus Principes aliquot de aſſerenda patriæ libertate conſilia conferebant. Carolus & filius eius Carolomannus & Pipinus, Dux Hauprechtus, eiusq; filius Vlatiſlaus. Ad quos Zacharias Pontifex Roma datis literis, quæ adhuc in promptu ſunt, monet, nullam ipſis victoriam ſperandã eſſe, quamdiu Sacerdotibus indoctis, & faſtu auaritiaq; perditis, Eccleſiam committerent: Nam ab infidelibus, ideò ex permiſſu Dei eos puniri, quia per impios Sacerdotes nomen Dei prophanaretur. Conſilio iſti obtemperantes principes, Eccleſiarum emendationẽ committebant Bonifacio & VVilibaldo, matronis etiam quibuſdam eruditione excellentibus, id quod monumenta ipſarum teſtantur, ex Anglia oriundis, vbi tum temporis Græcæ literæ docebantur. Alij etiã viri docti, Græcæ literaturæ haud rudes principibus iſtis ſe coniungebant, à quibus, monaſterijs præficiebantur. In Galliam aduentabat Ægidius, Apollonius Ratiſponam, Virgilius Salisburgũ, alijq; complures viri docti, vt S. Erhardus, eiusq; frater Hidolffus, S. Pirmannus, S. Burchardus, qui paſſim indoctis illis faſtuoſisq; Sacerdotibus opponebantur. Iſti viri S. Epiſcopi cæteris rebus abdicatis, ſtudijs tantùm vacabant. Inueniuntur adhuc in vetuſtis Cœnobijs, S. Bonifacij, VVilbaldi, aliorum complurium libri, verſus etiam latini à S. Erbio Epiſcopo Freiſingẽſi ſcripti. Quid verò turbarum aduerſus doctos iſtos viros & Epiſcopos cõcierint ſuperbi iſti auariq; Monachi & Sacrificuli, id ex Bonifacij literis animaduertere licet. Verùm nihil eos ſcelera ſua iuuabant. Impetrata ſiquidẽ à Pontifice & Principibus poteſtate Bonifacius, Epiſcopũ Moguntinum exauthorabat, aliosq; paſſim Epiſcopos ordinabat, viros doctos, qui literarũ ſtudio addicti, ab auaritia, ambitione, libidine alieni erant. Idẽ Bonifacius infidelibus, quo verbum Chriſti annunciauit, tandemq; martyrio coronatus eſt. Tum temporis decimæ, & q̃ bona vocantur Eccleſiaſtica, in tres, ſæpè ẽt in quatuor partes diſtribuebantur: Vna pars cedebat religioſis, qui libris tantũ vacabant, altera pauperibus, q labore manuum victum quæritare haud poſſent: Tertia militibus. Deindè principes, quorum paulò ante meminimus coniũctis viribus Reip. regniq; reformationẽ inſtituebãt, eiectis Sueuiæ, Tigurinorum, Alſatiæ principibus, q indoctorum Monachorũ & Sacrificulorum cauſam agerent. Vlterius deindè progreſſi prælijs aſſiduis ad Iſtrum, ad Rhenum, in ipſa interiore Gallia, in Gaſconia hoſtes attriuere, ſemperq; victores Galliã & Germaniam ab infidelibus liberarunt, Pipinusq;, priorib. regibus in monaſteria ſe abdentibus, Germanorũ Rex creatus eſt. Paulus VVarenfridus, Caroli Magni Diaconus, vir eius ſeculi doctiſſimus teſtatur, Longobardorũ regnum ex ſola Sacerdotũ inſcitia euerſum exſtirpatũq; eſſe. Ipſe etiam D. Hieronymus de indoctis Monachis & Sacerdotib. cõquerens, eos bipedes vocat aſinos. Quid hodie dicturus eſſet, cũ inter Monachos & Canonicos plæroſq; videre licet ſtupidos, bardos, ipſiſſimosq; ignorãtiæ Magiſtros, q niſi religionis titulo ſe armaſſent, porcis paſcẽdis p̃ficiendi fuiſſent, & qui ſub opulento Satana in hoc mundo viles fuiſſent balneatores, ij in ſpiritual. ſuo

Bonifacius Epiſcopum Moguntinũ exautorauit.

Bonifacius martyrio coronatus.

Paulus VVarenfridus.

Canonici & Monachi plærIq; hodie indocti.

ſtatu eſſe volunt ſummi Pontifices, clementes Domini, cùm ſint aſini rudes, qui nec ipſi quidem diſcere deſiderant, nec alios diſcere patiuntur, imò nemini, bono doctoque viro & pio fauent. Noti mihi ſunt nonnulli ex Prælatis, qui luxu ſuo inter ſcorta plus abſumunt, quàm vniuerſum Monachorum Collegium. Et licet adoleſcentes iuuenesque in Collegio iſto ſint ingenioſi, gratius tamen ipſis eſt, ſi Ruſticorum filias ſtuprent, quàm ſi bonis literis incumbant. Imò libros arreptos flammæ addicunt: Malunt ſtupidos aſinos & fatuos Monachos, quàm literis ſtudijsque honeſtis excultos iuuenes. Quod ſi Prælati iſti, plebei eſſent homines, nemò facilè ipſis haram committeret, in iſto verò ſtatu & aræ, & animæ hominum ipſorum fidei creduntur.

Ludouicus primus.

Imperator Ludouicus primus Caroli Magni filius Monachis Sacerdotibusque omni vſu, argenti, auri, gemmarum, veſtiumque ſericarum, armorumque penitùs interdicebat. Omnium Monachorum, virginumque monialium vnam eandemque eſſe regulam, eundemque veſtitum, iuxta ordinem S. Benedicti iubebat. Iſte ſiquidem ordo fuit antiquiſſimus, libriſq; conſcribendis, adoleſcentibusq; in vtraq; lingua erudiendis Eccleſiæ multum inſeruijt. Poſtquàm verò alij etiam ordines extitêre, in quibus pecuniæ quàm pietatis ſtudium magis eluxit, ipſi quoq; Benedictini remiſſiores facti preces ſuas venales habere, ingentéſque immunitates magnosque reditus aucupari cœperunt. Nec quicquam ipſis quàm accipere gratius, nihil verò quàm dare ingratius fuit, licet Ariſtoteles alijque gentiles Philoſophi dicant: Dare honeſtum & laudabile eſſe: Accipere verò inhoneſtum.

Ludouicus III. Arnolphi filius. Chriſtiani victores.

Poſt Carolum Magnum, eiusq; filium Ludouicum, & Lotharium Ludouici filiũ, Chriſtianis in Gallia & Germania maximam cladem intulêre infideles, Nortmanni ex Dania, Vandali, inprimis verò Vngari, quos Imperator Arnolphus, qui Ratiſponæ in Cœnobio S. Heimerani ſepultus eſt, infra Theiſam fluuium aduerſus Regem Suadebocũ collocarat. Imperator itaq; Ludouicus III. Arnolphi filius copias ſuas aduerſus Vngaros fœdifragos, pacem enim perpetuam cum eis Arnolphus inierat, Duce Leopoldo Boiariæ Principe mittit. Chriſtiani primo prælio, occiſo Vngarorum Rege, victoria potiuntur, verùm mox recollectis viribus Vngari circa Presburgum Chriſtianorum exercitus, omnesq; Duces & Epiſcopos trucidãt. Deindè vlterius progreſſi vſq; ad Enum, Ludouicum Imperatorem ad Enopontem, commiſſo cum eo prælio, in fugam vertunt. Oenopontem Imperator fugiens dolore animi extinguitur. Inde in Boiariam reliquamq; Germaniam irruentes infideles, cœnobia paſſim diripiebant, ipſos Monachos, Abbates, Epiſcopos, vnà cum ipſis Principibus trucidabant, ſuburbia Ratiſponenſium incendio vaſtabant, homines & pecora nullo diſcrimine abigebant. Noſtri Imperatores pacem ab ijs auro redimere, quadragintaq; annis tributũ pendere coacti fuêre, vſq; ad tempora Saxonicorum Imperatorum, Henricorum & Ottonum. Ii enim omnẽ Simoniam (ſic vocant religioſorum auaritiam, fraudes & impoſturas) funditùs eradicare animum inducebant. Paſſauienſem Epiſcopum S. Bilgirinum reformandis Eccleſijs præficiebant, Vngaris etiam infidelibus Euangelium annunciari curabant. Reformationi iſti cùm ſe ſubijcere nollet Heroldus Salisburgenſis Epiſcopus, Boiariæ Principes eum Mildorffij captum, & à Pontifice excommunicatum, oculis priuarunt, Vandalis Chriſtum prædicabat S. Albrechtus, martyrio ab infidelibus affectus. Nec minus in plebe reformatio vbiq; inſtituebatur. Induciæ nouem annorum cum Vngaris factæ ſunt. Interim quidquid ad bellum eſſet neceſſarium magna cura comparabatur. In pagis tabernæ occludebantur, nundinæ aliaque ludicra abrogabantur. Statutis diebus in ciuitatibus omnes conueniebant, ſe in omni armorum genere exercentes. Omnibus ita in ordinem redactis, rebusq; neceſſarijs magna cura præparatis, Imperatores iſti Saxonici ſanguinis, infideles Danos, Normannos, Vandalos, Vngaros Imperij finibus exterminabant, eosque ad vas redigebant anguſtias, vt benè ſecum actum putarent, ſi intra ſuos fines ſibi quieſcere liceret. Deindè verbi ſaluifici prædicatoribus ad eos miſſis, initisq; fœderibus, cõiugijsq; inuicem contractis, paulatim ad Chriſtianam fidem eos perduxêre.

QVARTA PARS HVIVS LIBRI, QVID NOBIS CIRCA PRAESENTIA PEricula auertenda agendum videatur.

HÆc breuiter monere viſum fuit, vt seriò tandem rẽ ipſam intelligere, & ſtrenuè, quæ agenda ſunt, moliri incipiamus, ne, quod & pluribus accidit nationibus, vnà tandem miſerè omnes internecina clade peſſum eamus. Quid eſt, quòd inuicem nos deprædemur, vel, quæ per ſe mala non ſunt abrogemus? Nemo alterum lædat, quisq; pro ſe iuſticiam & pietatem colat.

colat. Veritatis curſus ne impediatur, quemcunq́ demum ea inceſſat. Mandata Dei ante omnia ſtrictè obſeruentur, nec vlli, qui ea vel verbis vel factis violârit, parcatur. Ad Deum ſimul confugiamus omnes, vitam emendemus, cauſamque malorum, iniuſticiam, pauperum grauamina, auaritiam, ſuperbiam, ſanguinis profuſionem, adulteria, & Sacerdotum fornicationes amoueamus.

Qui verò fidem profitentur, & Euangelium ſemper in ore habent, ij mittantur vt infidelibus Euangelium prædicent, cum ijs diſputent, fidemq́ operibus ipſis declarent, quemadmodum duodecim Apoſtoli, de quorum doctrina gloriantur, factitarunt. Concordiam colamus, neuter alterum contemnat, quia omnes in vnum Chriſtum credimus, & ab ipſo ſolo Chriſtiani vocamur. In externis illis ceremonijs, quiſque ita conſcientiæ ſuæ cõſulat, vt Deo ſe redditurum eſſe rationem cogitet. Hac in re nec Cæſar, nec vlla creatura in quemquam aliquid iuris habet. Sibi enim quiſq́ moritur. Nec alter alterius in ſubeunda morte vices ſuſtinet. Diuus etiam Paulus docet, ne is qui carne veſcitur, alterum qui carne abſtinet, contemnat. Et inter priſcos illos Philoſophos, & Chriſtianos ipſos, ſemper opinionum fuêre diuerſitates, nec tamẽ ideò mutuis ſe conuicijs proſcidêre, nec alter alterum contempſit, proditumq́ lanienæ tradidit. Tollantur è medio conuicia illa & homicidia. Si quis vetitis diebus fortè per inſcitiam carne veſcatur, vel eam foco imponat, magno is cum rigore, nulla ibi clementiæ habita ratione punitur, cùm id nec coram Deo nec coram hominibus nec inter fideles nec infideles peccatum ſit: Cùm interim ferantur lupanaria, adulteria, fornicationes, inter ipſos etiam Sacrificulos, cùm hoc grauiſſimum inter gentiles quoq́ ſit peccatum, grauiſſimèq́ à Deo ſit vetitum. Quæ hæc eſt obſtinatio, quæ inſania? Quis tales Chriſtianos eſſe agnoſcere poſſit? Mandata Dei cuſtodiantur, & veritas propugnetur, ſic de Turca actum erit. Sacerdotes iſti non ſalutem ſed ſanguinem hominum ſitientes, auari, ſuperbi, indocti, impudici ab officio remoueantur. Quòd ſi in his negligentes fuerimus, non eſt quòd aliam, quàm maiores noſtri fortunam expectemus, qui iam tot annis infeliciter aduerſus infideles arma mouentes nihil effecêre aliud, quàm quòd ſibi ipſis miſerandas clades intulerint, ab eo nimirum tempore, quo Pontifices cum ſuo complicio, ſeſe, annitentibus Gallorum Regibus, ab obedientia Imperatoribus debita ſe ſubtraxêre, eoſque, quantum in ipſis fuit, non ſolum omni potentia & dignitate, corpore & vita ſpoliarunt, ſed etiam in Gehennam ignis fulmine ſuo detruſere, peculiaremq́ ſibi conſtituêre Hierarchiam, in qua neminem niſi qui ipſorum eſſet partium, paſſi ſunt, nec ea quæ Chriſtianæ Reipub. vtilitati ſeruirẽt, quæſiuere; ſed per quæ ſuam ſtabilirent tyrannidem, ſuoq́ faſtui in perpetuum conſulerent, & noctes dieſque omnem mouerent lapidem, quemadmodum conqueritur ipſemet Imperator Ludouicus eius nominis IIII. Monaci ſepultus, quî Chriſtiani orbis principes inteſtinis diſſidijs turbarent, id molientes, quî Germanorum vires vt æneum illum ſerpentem prorſus contunderent. Qui hæc tam ex præſentium, quàm præteritarum rerum ſtatu non animaduertit, eum vel in meridiana luce cæcutire, vel peſſima animo agitare conſilia neceſſe eſt. Nihil ſanè iſtis auaris doniuoriſque canibus eſt pernicioſius. Pecunia ipſis venalis eſt fides, ſaluſque principum, adeoque totius patriæ, nec horrent interim ſeſe Chriſtianiſſimos profiteri. Hæc & ſcribi & dici nefas eſſe putant. Verùm niſi maturè hiſce malis occurratur, religioniſq́ pia ſimplicitas, qualis in primitiua fuit Eccleſia, reducatur, & abuſus illi manifeſti & peſſimi abrogentur, non eſt quod meliora ſperemus. Nec enim mentitur ille qui ipſa veritas eſt, cùm ait: Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Errores indies inualeſcunt, nec eorum vllus modus eſt. Mutuis conuicijs ſacerdotes Eccleſiæq́ Doctores ſe inceſſunt, hæreſeos & furoris ſe inuicem inſimulant. Vtinam in vnum coacti tamdiu pane & aqua vitam miſeram traducere cogantur, donec de omnibus ipſis conueniat. Deus iuſtus eſt. Quî ergo, cùm nulla ſit vitæ emendatio, ſcelera noſtra nõ puniat? Ipſa natura animis noſtris legem eam Dei inſculpſit, ne quis ſuum honorem aut commodum ſed potius proximi quærat. Lex naturæ dictat, quòd talem me erga pauperem gerere debeam, qualem optarim, vt ipſe viciſſim ſe erga me gereret, ſi ipſius fortuna me fortè preſſura eſſet. Pauperibus ſanè incumbit, vt ipſi ſuſtentent armẽta, pecudes, homines, principes, magnates, cæſares, oppida, ciuitates, ſacris initiatos, prophanos, imò feras in agris, volucres cœli, mures in terræ meatibus deliteſcentes. Nec tamẽ modus eſt grauaminũ, dum pro ſua libidine in eos graſſantur, viliſſimi etiam lictores, Monachi, Sacrificuli. Nunquam ipſis quies à laboribus datur, nihil minus quàm cuticulã curare ipſis licet, genium defraudant, calamitas ſæpè ingens in fruges, in iumenta, pecora, ouilia incidit. Nec quicquam illud mouet carnifices iſtos, hianteſq́ lupos. Ipſi etiam mendicantes Monachi, aſcoperam ſuã fundo carentem implere ſtudentes, quaſi iure ſuo, plura, q̃ regula & ordo ꝑmittat, ab afflictis iſtis hominibus exigũt. Nihil iã dicã de grauaminib. illis, quibus ꝑ venationes principũ miſerè torquentur. Nemo eſt omnium, quotquot viuunt, qui de leniẽdis iſtis miſerorũ grauaminib. ſolicitus ſit. Vniuerſa rerum natura ad ruinam & interitum vergit. Cœlum, aër, terra, agri, arbores deficiunt, nec vſpiam priſtinus ille vigor in fructibus apparet. Quæſtores, raptores, lictores diteſcunt, principes vnà cum

Auaritia Monachorum.

Venationes principum.

vrbibus

vrbibus & nationibus peſſundatur. Conqueritur paſsim Deus Opt. Max. de iniuſticia potentiorum, inprimis verò eorum, qui ſanctimonia præ reliquis inſignes eſſe volunt, quod pauperes vt panem deuorent, & deglutiant, ideoque potentibus iſtis pœnas minatur atrociſsimas, contrà pauperibus ſuam promittit miſericordiam, ſeque patrem & protectorem eorum fore affirmat. Maximus Dei honor eſt, nomen ſummum, titulus præclariſsimus, quem ipſemet ſibi tribuit, quod viduarum & pupillorum, qui omnium conſilio & auxilio deſtituti ſunt, patrem & protectorem ſe nominet. Si veritatem profiteri licet, in nullo vnquam Cõcilio, in nullo Conuentu, in nullis Comitijs vel Imperialibus vel Prouincialibus, plebis cauſa acta fuit, vt abrogatis grauaminibus eius commodis conſuleretur. Ea vnumquemq; cura ſolicitat, ne quid de ipſius faſtu, immunitatibus Priuilegijs, prouentibus decedat. Fatalia fortè hæc mala ſunt, vnde etiam fatales ſequuntur pœnæ. Nec enim Deus peccatores, niſi reſipiſcant, exaudit, adeoq; grauiter ijs ſuccenſet, qui de lege quidem Dei gloriantur, ſed interim diſciplinæ legumq; negligentes, re ipſa verbi diuini ſe contemptores eſſe oſtendnnt.

Deus peccatores niſi reſipiſcant non exaudit.

Sunt prætereà duo, in quibus rectè inſtituendis, & conſeruandis magna veterum fuit cura & induſtria. Videlicet coniugium & militia. Quibus neglectis, imperium firmum & durabile eſſe, haud vnquam poteſt.

Cõiugium.

Coniugium, quemadmodum veteres ſcribunt, fons & ſcaturigo eſt omnis boni. Ex eo promanat, honeſtas, virtus, gloria, animi magnitudo, humanumque genus perpetua ſucceſsione propagatur, & augetur, ideoque in magno apud veteres precio & honore ſemper fuit habitum. Apud veteres illos Romanos, qui ternos procreaſſet liberos, peculiaribus donabatur immunitatibus. Qui minus, tempeſtiuè coniugij vinculis ſe aſtringeret, is veluti defraudans Rempub. quotannis in ærarium conferre cogebatur, quantum alendis liberis ſufficeret. Fornicatio molles & effœminatos reddit homines, qui laborum impatientes nec gloriam nec honorem ſpectant. Vbi honor exulat, ibi nullus ordo, nulla diſciplina poteſt eſſe ſtabilis. Quare etiam ſancti Apoſtoli, Paulus & Petrus honorificam vbiq; in ſuis Epiſtolis coniugij mentionem faciunt. Quod ad milites attinet, nec ordo, nec diſciplina inter eos vlla eſt. Qui vitam corpusque pro ſalute Reipub. impendere coguntur, ij mendicando ſtipem victumq; quæritant. Nullis gaudent immunitatibus, prædijs reditibusq; ad militum vſum olim ordinatis fruuntur pigri & ocioſi ventres. Si militibus opus ſit, citra delectum obuij quiuis tumultuario motu colliguntur, aurei montes illis promittuntur, pòſt vbi nullus eorum vſus fuerit, vt claudicantes canes eijciuntur, nec inter eos latronesque & prædones quicquam habetur diſcriminis. Vetus illud Romanum Imperium certum ſemper militum aluit numerum, qui peculiaribus donati priuilegijs certos habebant reditus, prædia, fundos, & feuda, quemadmodum hoc noſtro ſeculo, Canonici, Abbates, Epiſcopi. Milites iſti ſemper in armis fuêre, hoſtiumque finibus oppoſiti imperium non ſolùm tutati ſunt, ſed etiam terminos eius prorogârunt,

Militia.

Si Turcam finibus noſtris eijci cupimus, idem nobis faciendum erit. Milites perpetuò in ſtatione & præſidijs in hoſtium finibus collocari neceſſe eſt, ijs ſi donentur feuda, prædia, Comitatus, quemadmodum Epiſcopis donata fuêre, Turcarum impetum cohibere non erit difficile. Eo vſus conſilio Imperator Maximilianus feliciter Bohemos, & Marauos aduerſus Venetos armauit. In regiones illas vaſtas & deſertas coloniæ traducantur. Nemo per Germaniam, exemplo veterum Romanorum, aliarumque quarundam nationum, interficiatur. Si quis mortis reus fuerit, ij perpetua ſeruitute conſtricti ſeruilibus operis aduerſus hoſtes imperij in regionibus iſtis recuperandis adhibeantur. Si quis virtute & honeſtate priorem maculam eluat, is in libertatem rurſus aſſeratur. Omnes cogantur procreandæ ſobolis gratia matrimonium contrahere, nec periculum erit inopia nos hominum preſſum iri.

Id feciſſe legimus omnes priſcos illos Imperatores & Reges, qui maximorum Imperiorum fuêre protectores. Hanc ipſa Roma, quamdiu rerum potita fuit, rationem dextrè obſeruauit. Bellis quidem gerendis intenti nos eſſe volumus, verùm diſciplinæ militaris negligentes, milites fouere & alere neſcimus. Cur non ipſi Turcæ nobis exemplo ſunt, adeoq; ij, qui bonis fruuntur Eccleſiaſticis, quæ feuda olim militaria fuêre? Verùm ijs iam per fraudem partis fruuntur Prælati iſti, quos in Eccleſia verbum Dei docere æquius erat, vnde maxima clades Imperio illata eſt. Quemadmodum Imperator etiam Sigiſmundus in ſua reformatione haudquaquam diſsimulanter hæc indicat.

Adhæc vetus illud Romanum Imperium expeditam ſemper habuit claſſem eamq; ingentem, in ripis præcipuorum fluminum, vt Iſtri, Rheni, Saui, vt vrgente aliqua neceſsitate nauibus ſubitò ponte extructo exercitus citra difficultatem aut remoram vllam traduci poſſent. Quod quidem belli adminiculum Turca nequaquam negligit, cùm noſtri circa illud ſint negligentiſsimi.

Hæc ſanè præcipua ſunt, in quibus Imperij adminiſtratio conſiſtit, adeoq; cardo ipſe vertitur. Quòd ſi ex-

ſi exactiore cura ijs conſulatur, hoſtium vires facilè infringi poſſint & pax coli. Sin hæc oſcitanti negligentia deſpectui habeamus funditùs interijmus.

Quod meum eſt more eorum, qui vel hiſtorias ſcribunt, vel carmina concinnunt, præſtiti: ſi cui ſalus ſua odioſa eſt, is vltrò interitum ſibi accerſat. Qui veritatem audire nolit, is mendacia ſectetur. Exitus tandem acta & conſilia probabit.

Semper fuêre, quanquã pauci, qui veritatem profeſſi veras rerum cauſas oſtenderint. Verùm odioſa & contempta ſemper fuit veritas, vnde infelix rerum euentus ſubſequutus fuit. Tempus me defecerit, ſi quæ p̃ſens rerum ſtatus poſtulat, omnia prolixè referre inſtituã. Hiſce iam acquieſcamus. Omnes hiſtoriæ, omnia Chronica eadem clamitant. Quod ſi Deus Opt. Max. priſcis illis Chriſtianis, qui pietate longè nobis præſtitêre, non pepercit, certè nec nobis parcet. Imò momento citius ex Turcis Chriſtianos ſibi adſciſcere poterit: reiectis nobis, qui Chriſtum, quẽ ore profitemur, vita negamus. Sic & Iudæos, qui populus Dei electus erant, quibus ſuam peculiariter promiſerat gratiam, cum quibus varijs modis per Prophetas loquutus fuerat, repudiauit, & ex gentibus Idololatria perditis Eccleſiam ſibi collegit, quemadmodũ per Prophetam ait: Populus meus non populus meus. Iam tertius annus eſt, quo aliquot principibus potentia eminentibus hæc ſcripta mea bono animo communicaui. Verùm nemo eſt, qui vllam rei gerendæ curam ſuſcipiat, nunq̃ futurum omnes putarunt, vt Turca ceruicibus noſtris ita immineat, vt ad Viennam vſq; egrediatur. Verùm etiamſi hoc anno in fugam actus obſidionem ſoluat, nequaquam tamen cura nos liberati erimus. Satius fuiſſet nos in aliena regione impetum eius repreſſiſſe, nec ei in penetralia regni noſtri aditum patefeciſſe. Murem in marſupio fouere & alere haudquaquam conſultum fuerit, ſuffocari eum optimum. Verùm vt ad pauca redeam, quid in grauiſſimis hiſce malis (quæ propius nos vrgent & affligunt, quàm ex oſcitantia & ſecuritate noſtra vnquam putaſſemus) agendum ſit breuiter exequar.

Duplici porrò ratione hac de re loqui licet, vel more fidelium, vel more gentilium. Quod ſi more eorũ, qui veritatem fidei amplectuntur, hanc rem examinare velimus, haud aliunde plenius & rectius quæ huc faciunt intelligi & cognoſci poſſunt, niſi plumbei & ſtipites eſſe velimus, quàm ex Iudæorum hiſtorijs, præſertim ex vita Regis Dauidis, Ioſophati, Ezechiæ, Achas, Iehu, aliorumq; complurium. Duplices ſententiæ.

Attentè legamus, animoq; rem ipſam penitùs complectamur, quæ ſit voluntas Dei inprimis diſquiramus. Quicquid ea exegerit, id citra omnem hæſitationem faciendum & præſtandum eſſe ſtatuamus. Qui lectioni ſacrarum literarum intenti ſunt, & ſe omnia penitùs intelligere putant, ij circumſpectè & cautè agant, ne paſſim & ſe & alios in fraudem illectos decipiant. Res ea curæ eſto fidelibus verbi miniſtris. Attentè conſideremus Prophetarum oracula, vitam etiã Ieremiæ, Imperatoris Babylonij, adeoq; ipſius Chriſti. Indè planũ erit, inprimis vitæ emendationem iuxta legem Dei requiri, ſcortationem & adulteria è medio tollenda, ſacerdotes indoctos, & impios, q̃ ſanguinis gaudent effuſione, & mendacijs ab officio remouendos, omnib. cuiuſcunq; ſint loci aut ordinis iuxta mandata Dei viuendũ, nec vlli parcẽdum. Quod ſi fiat ſedulò, omnia plana & proſpera erunt, ſuam gratiam largietur Deus, & media oſtendet p̃cõmoda, per quæ hoſtis immaniſſimi potentia refrenari & retundi poſſit. Si verò neglecto verbo Dei in vitæ impietate p̃ſtiterimus, rationi noſtræ tenebræ ſic offundentur, vt apertis ẽt oculis idonea media nec q̃ramus nec videamus.

Gentiles verò ex ductu rationis quid hac de re ſenſerint, quemq; rei gerendæ modum obſeruârint, in ſuperioribus magna ex parte ſignificatum eſt. Duo autẽ ſunt, in quibus omne vertitur negocium, Pax & Bellum: Quæ & Virgilius coniungit, vbi pauciſſimis exponit, quæ ſit adminiſtrandi & conſeruãdi Imperij ratio optima: Parcere ſubiectis, inquit, & debellare ſuperbos. Quem verſum Imperator Maximilianus poſt bellũ Bauaricum machinæ tormẽtariæ, adhibito Conrado Celte Poëta, imprimi curauit. Vbi Iuſticia floret, ibidem pax & concordia regnat, ibi omnium rerum copia ſuppetit, nemo ibi, ſi neceſſitas vrgeat, alterum deſerit, modico ibi quis facilè cõtentus viuit, pecuniæ cura pauciſſimos angit, alter alterũ corpore & ſanguine ſuo defendit, nemo alterũ grauaminibus affligit: Id ꝙ vel Heluetiorum exemplo patet, inter quos (abſit inuidia verbo) pulcherrima Reip. forma apparet. Contrà vbi graſſatur Iniuſticia, ibi omnis pauperũ cura exulat, ibi nulla pax, nulla proſperitas, nulla cõcordia, alter alterius honori, bonis, vitæ inſidiatur. Vndè ſubditorum animos ſubit indignatio & deſperatio, ſic vt omnia turbis miſceri, & ex fundo ipſo deſtrui optent, nec flagitia pœnis, nec virtutes ibi præmijs afficiuntur. Nullus in ſubditis amor erga Magiſtratum viuit. Quî quæſo tale regnum ſtabile eſſe queat? Hæc ergo principum cura erit præcipua, vt iuſticiam colant, pauperibus ſint præſidio, & omnium facilè ſui amorem conciliabunt, vt viciſſim ſubditi bonis omnibus, adeoq; corpore ipſo eos tutari auſint. Virtus enim & Iuſticia parit amorem. Quomodocunq; aliâs corrodatur pecunia, certum eſt ex hiſtorijs, eos qui ſubditorum exugentes ſanguinem pecuniam colligunt rarò ſucceſſu gaudere proſpero. Nõnne id aliquot Imperij ducum & Principum adeoq; opulentiſſimi Gallorum regis exemplum declarat? Illi qui pecuniæ negligentiores virtute & amore ſubditorũ freti pugnarunt

Duo in quibus negociũ vertitur, Pax & Bellum.

Iuſticia colenda.

victores plerunq; euaſerunt. Quare huc velut in ſcaturiginem omnium malorum [illegible] ciæ ante omnia ſtudeamus, ſubditorum onera, quò ad eius fieri poteſt, minuamus. Nec enim aliud certius imminentis mutationis & excidij inditium fuerit, quàm ſi nulla grauaminum, quibus ſubditi attenuantur, habeatur ratio. O cæcos principum animos, qui tum demùm ſe beatos & à periculis immunes putant, cum ſubditis miſerè preſsis ingentes pecuniarum aceruos cumulant. Cùm eum ad modũ imminentia potius mala grauiora reddant, & accelerare faciant. Nam cùm animo reputamus, vt de Rep. ordinanda ad Iulium Cæſarem ſcribit Saluſtius, quæ res populus nationéſue magnis autoribus auxiſſent, ac deinde quibus cauſis ampliſsima regna & Imperia corruiſſent, eadẽ ſemper bona atq; mala reperiemus, omneſq; victores diuitias contempſiſſe, & victos cupiuiſſe. Idem Philoſophi oẽs, qui Imperiorũ mutationem attentis animis conſiderarunt, teſtantur, idem agnoſcet, & manu quaſi palpabit, quiſquis pſentium rerũ ſtatum animo ponderabit.

Porrò primum & præcipuum grauamen ſubditorum eſt, ex quo omnia alia promanant, q ſubditorum cauſam & querelas principes ipſimet nõ audiant, id quod & diuinæ & humanæ leges ab ijs exigunt. ſed temerè ſubditorum curam auaris, indoctiſq; præſtigiatoribus cõmittunt. Sic enim frequenter accidit, q olim Imperator Diocletianus conqueſtus eſt, vt tres vel quatuor conſpiratione facta, principis vel Imperatoris animũ quò lubet, inflectant. Quiſquis iſtorũ partes ſectatur, muneribuſq; eorum fauorem venatur, is facilè emergit, reliquis omnibus miſerè depreſsis. Quod malum facilè præcaueri poterit, ſi princeps ipſemet ſubditorum querelas audiat, eaq; in re exemplum Philippi regis Macedonũ ſequatur, qui audiens querelas accuſatoris, alteram aurem obſtruere ſolebat, vt reo eam ſeruaret integram. Haud ſanè aliunde principe dignius eſt officium, nec quod Deo ſit gratius, etiamſi nec Sacrificulorum, Miſſas, nec Monachorum boatus audiat. Hanc virtutem & Martialis ad Domitianum Imperatorem ſcribens commendat, cùm inquit:

Diocletianus Imperator.

Philippus rex Macedonum.

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

Hoc ſi è medio ſublatum eſſet grauamen, omnibus ſimul alijs conſuleretur. Ingentia prætereà ſunt grauamina, dũ citra modum domus, agri, prata tributis vexantur. Tabernæ etiam paſsim in pagis magno ſunt tàm incolis quàm vicinis oneri. In ijs omnes contractus ineuntur, omnia pacta deciduntur. Oenopolæ æquo carius quicquid crapulæ inſeruit diuẽdentes ſuo intenti ſunt lucro. Interim blaſphemia & mores beluini illic laudi ducuntur, adeoq; multi alea facultates ſuas dilapidant. Imperator Henricus omnes in pagis & agris tabernas tàm vinarias, quàm cereuiſiarias abrogauit. Si qui compotatione gauderent, ij ciuitates adire cogebantur. Quî quæſo Turcæ vitam ſuã ſuſtentant? Nec vini nec cereuiſiæ potu gaudẽt. Quin etiam veteres illi Romani mulieribus vino prorſus interdixerunt, nec plebeios vel in vino vel in ædificijs luxu aliquo vti paſsi ſunt. Addit prætereà Liuius duo mala, ex quibus Imperiorum & nationum ſequatur interitus, Luxum in cibo & potu, hinc in ædificijs & veſtitu ſplendorem nimium. Verùm præcipuum & primum eſt, iniuſtorum præſidum auaritia.

Imperator Henricus tabernas abrogauit.

Hunc ferè ad modum gentiles de cauſis incumbentium malorum diſſerunt. Quod ſi eadẽ iuxta normam ſacræ legis & fidei examinare velimus, potiſsimùm ſe nobis offerunt, qui Eccleſiaſticis dignitatibus ſunt conſpicui, Iſti lapides & parietes auro argentoq; ornant, id q D. Paul. & Hieron. Idololatriũ vocant, Chriſtus interim in ſuis pauperib. frigore & fame conficitur. Doctrina & ſcriptis præcauêre debebãt, pauperũ grauamina, imò oẽs ſuas opes & fortunas, corpus & vitam pauperum ſaluti impendere debebant, idq; exemplo Chriſti, & Apoſtolorum, quorũ ſucceſſores eſſe contendunt, ſerui eſſe debebant (qualem verbis quidem Papa ſe profitetur) verùm ipſi contra expreſſum Dei verbum, Domini eſſe volunt terrarum, ſuo faſtu & auaritia, quam Apoſtolus Idololatriam nominat, vniuerſum mũdum onerant, ſibi ipſis immunitates fingunt, quæ ſolis viris doctis conceſſæ fuerunt. Quæratur ex ijs, qui harum rerum certam habẽt noticiam, & re ipſa comperiemus, q cum reclamantibus Iure Cæſareo, & ipſorum Decretis, immunitates, & feuda Imperij præcipua, eorum more, qui Imperio olim militabant, poſsideant, ab omnibus tamen tributis, exactionibus, vigilijs, aliiſq; grauaminibus immunes prorſus eſſe volunt, cùm ipſi vt opulentiſsimi, & Eccleſiæ præſides, publicam vtilitatem præ cæteris promouere, pauperumq; miſerijs ſuccurrere deberent.

Iis qui tantùm ſtudijs vacant, prætereà militibus, qui vitam corpuſq; pro Reip. ſalute periculis exponunt, immunitates iſtæ conceſſæ ſunt. Verùm ventrib. iſtis indoctis, auaris, faſtuoſis, impudicis, fruges conſumere natis, ſanguinemq; ſemper ſitientibus, verbum Dei nequitiæ eſt operculum. Quocircà in mediũ conſulant principes, ne vnà cum iſta impia & ignaua turba peſsimo exitio pereant. Id quod & priſci illi Imperatores adeoq; Pontifices ipſi præcauendũ eſſe iam olim præmonuerunt. Ad cultum verbi diuini & obedientiam legibus Dei præſtandã omnes cogantur. Concionatores ordinentur ſpectatæ fidei, qui non gaudeant ſeditionibus, ſed veritatem apertè palàm profiteantur, nec vllius ibi perſonæ reſpectum habeant.

Alterum cuius in Rep. dextrè adminiſtranda gentiles meminêre, eſt bellum. Quod vt ritè geratur, & viris & pecunijs opus eſt. Et quidem primas ſibi facilè vendicant pecuniæ. Nec ſanè earum, ſi

Bellum vt ritè geratur & viris & pecunijs opus eſt.

verum

verum fateri velimus, inter nos fuerit inopia. Frumento etiam paſſim omnia granaria differta ſunt. Neceſſitate vrgente, potus aquæ, ſiti reſtinguendæ ſuffecerit, nec vulgaris cibus, cum ſale vel caſeo panis nobis pudori fuerit. Quæ ſanè Temperantia Heluetios commendat, eorumq́ vires auget, noſtriſque maioribus, ad ortum & occaſum vſque, Imperij terminos extendit. Ex tributis & exactionibus plus ſatis pecuniæ acquiritur, ne quid dicam de argenti auriq́ue copia, adeoque gemmis maximi precij, quibus paſſim templa exornantur, licet cultus iſte Deo minime probetur, id quod & Satyricus ille teſtatur:

Dicite Pontifices, *inquiens*, in ſacro quid facit aurum?

Quem Verſum & veteres illi Chriſtiani ſummoperè commendant, eumq́ gentilibus occinentes, eorũ Idololatriam, qua aurum argentumq́, vt rem ſanctam oſtentant, ſalsè irrident, adeoq́ ipſemet Diuus Paulus, & Hieronymus cultum iſtum apertè Idololatriam nominant. Quanti pecuniarum acerui Romæ cumulantur, ex venditione miſſarum, parœciarum, diplomatum, tum etiam ex annatis. Pecuniæ iſtæ reſeruentur in Imperio, & pauperibus interim parcatur. Quid quæſo obfuit Bohemis, quod frementibus etiam Pontifice & Imperatore, pecunias iſtas inter ſuos diſtribuerint. Omnes Imperij principes tàm Eccleſiaſtici quàm ſeculares, à Pontifice & Imperatore aduerſus illos ad arma concitabantur, verùm quinquies eos bello adorti, victi ſemper diſceſſere. Quantò quæſo fuiſſet ſatius, ſi theſauros illos in templis reconditos Rex Vngariæ inter milites ſuos diſtribuiſſet, quàm quòd omnes ſimul in prædam Turcis ceſſerint? Quod ſi & hoc tempore per Bauariam aliasq́ nationes Germaniæ ex argento iſto auroq́ in templis recondito moneta cuderetur, eiusq́ beneficio milites conducerentur, & agricolæ agrorum cultui vacare iuberentur, certè felicior rerum euentus ſperandus eſſet, aliâs periculum eſt, ne omnes in vnum aceruum congeſti theſauri à Turcis tandem diripiantur. Hæc ſanè ratio ſubditos erga Imperatorem & Principes, ad quæuis officia, & obedientiam redditura ſit promptiſſimos, & peregrinus barbarusq́ miles facilè iſtum ad modum excluderetur. Etiamſi arces & caſtella omni vi & arte muniantur, quid inde ſperandum ſubſidij, cùm interim Turca, ciuitates, oppida, pagos exurat, cateruatimq́ vt pecora homines abigat? Ciuitates erant muniendæ, vt bello ingruente omnibus eæ vt aſylum, refugiumq́ paterent. Quemadmodum olim factum eſt ab Imperatore Henrico & Romanis. Omnes in vniuerſum nundinæ & tabernæ in pagis abrogabantur, omnesq́ intra ciuitatum mœnia conuentus indicebantur, vt armis ibi bellicis tàm ciues, quàm ruſtici exercerentur. Idem fecit Dux Arnolphus in Boiaria. Aduerſus infideles Hunnos Ratiſponam & Patauiam validis muris cingebat, vt eſſet totius regionis incolis ibi refugium. Muri ædificandi partes inter Nobiles & magnates regionis diſtribuebantur, vt intra paucos dies abſq́ plebis grauamine vniuerſum opus abſolueretur. Quo facto theſauros in templis aſſeruatos, vt plebi & pauperibus parceret, in vſum militiæ conferebat, primusq́ ipſe infideles ad pacem colendam & petendam compellebat. Quanquam multa impudenter de pio hoc principe Monachi & Sacrificuli mentiuntur. Id quod alia vice plenius declarabitur.

Bohemi fortes ſe gerũt.

Veteres illi Romani & Imperatores magnis donabant immunitatibus milites, quibus iam gaudent Eccleſiaſtici Romani, cum aliquot cladibus meis ipſorum imminutæ eſſent, bellum arte trahebant, & Duce Fabio Hannibalem cunctando vicerunt, ſeruosque manu miſſos militaribus priuilegijs, vt ad arma eſſent promptiores ornabant. Idem fecit Imperator Henricus eius nominis I. Vouebat is, ſe omnem in Imperio Simoniam, hoc eſt, fraudem faſtumq́ Eccleſiaſticorum abrogaturum, inducias deindè nouennales cum infidelibus Vngaris paciſcebatur. Interim in armis exercebat militem, & ad gerẽdum bellum ſe ſuosq́ præparabat.

Imperator Henricus I.

Auguſtus Imperatorum potentiſſimus & feliciſſimus, cùm milite opus haberet, ſeruos omnes manu mittebat, eosq́ militaribus priuilegijs donatos in militum contubernia adſcribebat.

Auguſtus.

Veſpaſianus Imperator X. cum per ſuperiores Imperatores grauamina magna Imperium premerẽt, diuitijsq́ Præfecti & Quæſtores creuiſſent, exinanito interim Imperij ærario, attentè Procuratorum Quæſtorumque mores obſeruabat, eosq́ vel in minimo delicto deprahenſos condemnabat, vnde & vulgò in eum dictum fuit, quod præfectis vteretur vt ſpongijs, quas vbi aquam imbibiſſent, exprimeret.

Veſpaſianus Imperator X.

Marcus Antoninus aduerſus Marcomanos, Quados, & Sarmatas bello ſuſcepto, cùm exhauſto fiſco pecunijs ſe deſtitutum videret, vt nouorum tributorum irrogationem Imperator optimus vitaret, omnia ſua κειμήλια, mundumq́ vxoris muliebrem in foro Traiani publicè vendidit, victis deindè hoſtibus è bello reuerſus emptoribus reddita pecunia ſuos recepit theſauros.

Marcus Antoninus.

Tiberius Imperator præſidibus onerandas tributo prouincias ſuadentibus ſcripſit: Boni paſtoris eſſe, tondere pecus non deglubere.

Tiberius.

Rarò etiam victoria gaudent iſti milites, qui temerè cum hoſtibus manus conſerunt, & ſimul vniuerſas copias in diſcrimen vocant, nec quicquam vnde amiſſo vno prælio vires reparent, reliquum ſinunt.

Veteres Romani, quemadmodum & Turcæ faciunt, temerè cum hoſtibus nunquam congreſsi ſunt, & ſi prælium inière, validiſsimam tamen exercitus partem vt feſsis, vel etiam victis ſubſidio eſſe poſſet, præliumq́ amiſſum reparare, à tergo habuêre. Peculiares fuêre tyronum cohortes, quemadmodum & veteranorum militum, & ſociorum, amiſſo vno atq́ altero prælio, non idcircò de ſumma rerum actum fuit, ſed eò animoſiores, viribusq́ maioribus prælium mox redintegrarunt. Noſtri verò milites vt cæco impetu ad arma ruunt, ſic amiſſo ſemel prælio ad ea deteriores ſemper redeunt. Accedit & hoc mali, quod Duces & Centuriones ferè tales eliguntur, qui rei gerendæ rudes optimo etiam milite vti rectè neſciunt, cùm tota belli fortuna pendeat à virtute prudentiaq́ Ducis, vnde & olim in prouerbium abijt: Formidabiliorem eſſe ceruorum exercitum Duce leone, quàm leonum Duce ceruo. Noſtri licet militum ſe profiteantur optimos, victoria tamen vti neſciunt, nec ea potiti, vel ſibi vel alijs quicquam emolumenti afferre ſciunt. Vbi prælio hoſtem fuderint, retrò pedem vertunt, hoſtiq́ & animum & vires recolligendi vltrò poteſtatem faciunt, partamq́ victoriam è manibus ſibi eripi patiuntur, nec cogitant quantò præſtabilior ars ſit parta tueri, quàm quærere, & ſcire vti victoria, quàm vincere, id quod intellexit, qui Hannibali obijciebat, quòd vincere quidem ſciret, ſed victoria vti neſciret.

Noſtri vno omnia impetu ſe euincere poſſe arbitrātur, nec de eo belli fine ſolliciti ſunt, vt bello parta ſtabili victoria retineant. Huiuſcemodi bella patriæ ſunt exitialia, nec præter multorum cædem, & tandē Imperij ruinam quicquam afferunt. Quemadmodum ipſi Romano imperio alijsq́ compluribus nationibus accidit. Per triennium Turca ad bellum neceſſaria ſolicitè præparauit Hoc ſcilicet opus eſt Prudentiæ, præparatum ad rem gerendam accedere, Vbi verò conſulueris, nihil cunctandū, ſed maturato opus eſt. Noſtri in momento temporis rem maximam imparati aggrediūtur. Cùm periculo inuoluti tenentur, tum primum quomodo ex eo ſit emergendum diſpicere incipiunt, nec tamen tum etiam ſatis ad gerendam rem expediti procedunt, vel de periculo amoliendo conſilia, quamuis ſerò, ſeriò conferunt. Turca omnibus rebus neceſſarijs inſtructus ſpacio noctis & diei tantùm itineris emetitur, quantum noſtri intra menſem haud Anno 1529. *emetiri poſsint. Hoc anno intra menſis ſpacium validiſsimas ſecum ducens copias vltra centum milliaria, aduerſo flumine progreſſus eſt, regna & nationes vno impetu occupauit, Viennam Auſtriæ, iam in quartam ſeptimanam graui obſidione premit. Noſtri verò vt oues diſperſæ, palantes tardè conueniunt, & licet ſecundo flumine iter ipſis expeditum & facilè ſit, iam tamen tertius menſis elabitur, quò ad arma, & iter nondum ſatis inſtructi ſunt. Hæc prima ipſorum cura eſt, vt veſtes, auro, argento, gemmisque niteant, vt præda Turcis obtingat optatior. Quemadmodum Hannibal Syriæ Regi Antiocho ſtulticiam iſtam in comparando armorum veſtiumque inſigni apparatu ſalsè exprobrabat.*

Longè plures præter hos ſunt abuſus, vt furandi, prædandique fœda licentia, & blaſphemia. Verùm qui ea curet, vel de emendatione ſolicitus ſit nemo eſt. Morum improbitas, & impietas vbiq́ graſſatur, præcepta Dei pedibus quaſi conculcantur, ira Dei indies peccatis noſtris acuitur, donec tandem & poſt vitæ huius pœnas æternæ in vniuerſum omnes obruant.

Finis quartæ Partis.

QVINTA PARS HVIVS LIBRI DE ORIGINE ET BELLIS SARACENORVM ET Turcarum aduerſus Chriſtianos.

INſulſa Monachorum Sacrificulorumq́ turba, cùm in concionibus ſuis ad vitæ emendationem, ad concordiam & pietatem auditores exhortari deberent, ipſimet vitam agunt ſceleſtiſsimam, fornicationibus & adulterijs polluti, auaritia perditi, faſtu inflati, tum etiam ſemina diſsidiorum inter principes & magnates ſpargūt, cauſas præſentium malorū mendaci ore impudenter conferunt, in optimas artes, ſacras literas, gratiam Dei, Euangelium, nec præter Lutherum quicquam crepare norunt.

Annis ab hinc noningentis, Mahometanæ religionis aſſertores, Chriſtianos, inprimis Magiſtratus & Principes funditùs extirpare cœperunt, cùm Lutheri nomen vltra decem annos haud ſit notum.

Veteres hiſtoriæ culpam imputant auaris Quæſtoribus & Præfectis Romanorum Imperatorū. Patres & Pontifices vſq́ ad Caliſtum II. qui matrimonio ſacerdotibus interdixit, in Pontificem electus, anno Chriſti 1120. omnem culpam conferunt in indoctos, faſtuoſos, auaros, impudicos, ſimoniacos Epiſcopos, Monachos, Sacerdotes, adeoque in Reges, Imperatores, & Principes, qui clientelam huiuſcemodi Sacrificu-

Sacrificulorum ſuſceperunt. Cuius rei teſtimonia ſatis euidentia nobis ſunt in literis ipſorum Pontificum, quæ adhuc extant, & partim Iuri pontificio ſunt inſertæ. Docti verò Epiſcopi, & Reges, atq; Imperatores acceptum id omne ferunt, Pontificibus, pontificijsq; Prælatis, & Gallis, qui omnium calamitatum & diſſidiorum in Eccleſia autores fuerunt. Quiſquis demum ſit Lutherus ille, ſit vel hæreticorum deterrimus, manifeſtum tamen cuiuis eſt, principes illos & ciuitates, qui eum fouent, paci ſtudêre, nec innoxio ſanguine manus polluere, ſed ſuam cuiq; religionem relinquere liberam, fouere etiam adeoq; in precio habere viros doctos, bonas artes, & honeſtatem, adeoq; liberalia ſtipendia ijs decernere, qui ingenuas diſciplinas, linguas & pietatem profitentur, nec ſe muneribus corrumpendos obijcere indoctis Monachis & ſiti ſanguinis irreſtinguibili fatiſcentibus. Inter eos qui Lutherum impugnant, munera regnant, viri docti, & pij crudeliter vel eijciuntur, vel necantur, nec cuiuſquam verba, niſi Monachorum, quos rectè lutum ſanguine maceratum dixeris, valent. Nulla ibi eruditionis, nulla pietatis, nulla honeſtatis ratio habetur. Fertur Morio Ludouici Ducis Landshutæ ad regem Bohemiæ, cùm ei vinum generoſum eſſet porrectum, dixiſſe: Tale ego vinum biberem, & in perpetuum ſim morio. Eundem admodum & ego dixerim: Vinum ego ſuaue & generoſum biberem, & in perpetuum ſim hæreticus. Quis nō malit vel hæreticorum ſummus eſſe, quàm inter Chriſtianos adeò ſanguinis effundendi auidos verſari? Videmus, quòd eos, qui Lutherum impugnant, & ex inſtinctu indoctorum Monachorum multum Chriſtiani ſanguinis profuderunt, bello Turca impetat. Quò ergo tendunt inſanæ illæ Monachorum vociferationes, quibus cœlo terram miſcentes omnem malorum culpam in ſolum Lutherum transferunt?

Ludouicus Bohemorum & Vngarorum Rex I. fuit, qui inſanis Monachorum, Sacerdotumq; ſanguinem ſitientium conſilijs obſequutus eſt. Regem qui modò rerum potitur eadem vrgent fata. Quàm propè nos vrgeat periculum, & quæ grauiora mala incumbant, nemini non manifeſtiſſimum. Quare Sacerdotes iſti, indocti, ſanguinisq; profuſione gaudentes, in extremas terras deportandi erant. Nec enim aliud iſti agunt niſi quod frigidam ſuffendētes inteſtina odia inter principes incendant. Nec eſt quod alter in alterius caput, malorum cauſam transferat: Quiſq; ſibi ipſi culpam imputet, vitæq; emendationem, quatenus ex diuina gratia licet inſtituat. Profectò rei indignitas cogit me nec circuitione nec diſſimulatione vtentem, hæc & apertè & acerbè, vt ſe habent, in medium proferre. Quanquam nec eos, qui ſe Euangelicos iactitant omnis planè culpæ immunes eſſe cenſeo. Sunt inter eos, qui Germanicis Biblijs & Scriptis inſudantes, omnem ingenij cultum & literarum ſtudia planè negligunt, donaq; Spiritus ſancti linguas & humaniores artes contemnunt. Qui ſanè cōtemptu iſto grauiores ſibi pœnas accerſunt. Seruus enim qui Domini ſui volūtatē perſpectam habet, nec tamen ei obtemperat, atrociores meretur pœnas, quàm ſeruus qui voluntatis heri ſui ignarus peccat. Metuendum certè ne eadem eos, quæ & Iudæos, pœna maneat, nempè vt apertis oculis nihil videant, legentesq; nihil intelligant.

Verùm ad Saracenos redeo. Saraca, autoribus Ptolomæo, Plinio, & Stephano de vrbibus Arabiæ, quam à metropoli Petra, Petream nominant, locus eſt, vnde Saraceni nomen ſortiti ſunt. Locus iſte verſus Septentrionem ad terram benedictam & montem Sinai tendit, verſus Auſtrum ad Mare rubrum, occaſum verſus, ad Ægyptum, verſus ortum ad deſerta Arabiæ. Petra in valle ſita eſt, amplitudine dimidiati miliaris, cincta vndiquaq; deſertis montibus. Poëtæ veteres & hiſtorici Nabatheos vocant, Indocti vulgò Agarenos, cùm Agarenorum gens diuerſa ſit à Saracenis, vt Dion autor eſt. Agareni enim in tertia parte Arabiæ in regione vaſta ſub tentorijs & papilionibus verſantur, ſic dicti à monte Agar, qui ipſis verſus occaſum ſolis tendit, & duas illas Arabias à ſe inuicem diſcernit. Sunt qui montem Sinai eſſe autument, Catharinæ ſepulchro inſignem, & legis diuinæ promulgatione clarum. Diu olim ſub Romanorum Imperio fuerunt Saraceni.

Saracæ Petreæ deſcriptio.

Nabathæi montes. Agareni.

Mons Sinai Catharinæ ſepulchro inſignis.

Anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo, regnante in Germania Lothario II. eiusq; filio Degenprechto, Romani Imperij habenas moderabatur. Heraclius: ſub eo aduerſus Perſarum Regem, militabant Saraceni, inſigniq; potiti victoria, Regnum Perſarum opulentiſſimum ſexennio integro vexabant, & diripiebant, Romanorumq; Imperio ſubijciebant. Cùm deindè Quæſtores Imperatoris Heraclij ſtipendia eis negarent, mercedeq; fraudatos conuitijs etiam inceſſerent, illi deficientes à Romanis Ducem ſibi eligebant Muhamad, quem nos vulgò Mahometem vocamus. Is peculiarem ipſis religionem & leges præſcribebat, quatuorq; alijs electis Ducibus, illorum opera, Perſarum regnum occupabat, Reges indè pro ſuo arbitrio Saraceni conſtituebant. Magnis prælijs ipſos Romanos adorti ſucceſſu proſpero vſi ſunt, victorijsq; elati, Syriam, ipſam etiam vrbem Hieroſolymam poſt biennij obſidionem, vniuerſum Ægyptum & Africam occuparunt.

VETE-

VETERES SARACENORVM REGES, QVI IN ASIA, AFRICA, HISPANIA. PERSIA, AEGYPTO, SYRIA, PALESTINA VETERES ILLOS Chriſtianos paſsim trucidarunt, & exſtirparunt.

Numerus Regum.		Anni regni.
I.	*Mahumath primus fuit Saracenorum Rex, Dux, & Propheta mortuus, anno Chriſti, 633.*	
II.	*Ebenbehor.*	3
III.	*Haumar.*	12
IIII.	*Hothman.*	10
V.	*Muhauias. Hic Inſulam Siciliam bello adortus diripuit. Hiſce temporibus circiter annum Chriſti 680. infideles Bulgares, tranſito Danubio & Sauo in Romani Imperij fines impreſsione facta ingentem cladem Chriſtianis inferebant.*	25
VI.	*Girith.* } *cùm his Imperator Iuſtinianus pace inita Africam recepit.*	3
VII.	*Maruan.*	1
VIII.	*Habdalon.*	1
IX.	*Hedimelech.*	22
X.	*Vlid.*	10
XI.	*Zuleman. Hic Conſtantinopolim anno Chriſti 719. in tertium annum obſidione preſsit. Mortuus in caſtris obſidioni finem attulit.*	3
XII.	*Haumar. Circa hæc tempora, anno Chriſti, 722. Saracenorum Dux Habditham, filius Muham in Hiſpaniam irruit, eamq; trucidatis Chriſtianis, Gothis & Sueuis, qui annis trecentis & quinquaginta ibi regnarant; occupat, Romanisq; ademptam Saracenis ſubijcit, quam illi deinceps tenuere donec tandem à Ferdinando Rege Hiſpaniarum materno auo Caroli V. eiecti fuere.* (Alij Abdimaram.) regnauit	2
XIII.	*Gizid.*	3
XIIII.	*Eluelid.*	20
XV.	*Gizid.*	1
XVI.	*Hiſgens.*	1
XVII.	*Muruhan.*	6
XVIII.	*Muhamat.*	5
XIX.	*Habdalas. Hic Chriſtianos grauiter afflixit. Regnauit circa ea tempora per Germaniam Pipinus. Græci etiam Imperatores aduerſus Saracenos, quorum potẽtia erat formidabilis, validas conſcripsêre copias anno Chriſti 762.*	19
XX.	*Mady.*	9
XXI.	*Moſtech.*	2
XXII.	*Acheron. Moſtechi frater.*	2
XXIII.	*Mahamath. Cum his duobus Carolus Magnus perpetuam inijt pacem, miſsis legatis in Perſiam vſq;, vt Chriſtianorum ſaluti & quieti aliquo modo conſuleret.*	5
XXIIII.	*Habdalas.*	17
XXV.	*Muhumeth. Hic Turcarum auxilia ſibi accerſiuit, eorumque auxilio ingentia bella geſſit. Orto deinde, diſsidio inter Turcas & Saracenos, Turcæ Saracenos magnis cladibus affectos oppreſſerunt.*	40

Quibus

Quibus temporibus Saraceni Italiam, Romam, Siciliam, regnum Neapolitanum, vrbem maritimam Genuam magnis frequẽter cladibus circiter annos centum quinquaginta affecerunt; noſtri Imperatores interim & Reges, Imperator Lotharius I. filius eius, Imperator Ludouicus II. Lotharius II. Imperatoresq́; Saxonici, Ottones & Henrici crebras in Italiam expeditiones fecêre, vt eam è manibus Saracenorũ liberarent. Normannos etiam infidelibus illis Saracenis oppoſuêre. Qui Saracenos quidem profligarunt, verùm à Romanis Imperatoribus & Pontificibus deficientes ſibi ipſis in Sicilia & Neapoli regnum conſtituerunt, donec Imperatores illi Sueuici armis in ordinem, & poteſtatem ſuam eos redigerent. Quos deinde rurſus Pontifices regno Normannorum ſpoliarunt, illudq́; iam Gallis, iam Hiſpanis, adeoq́; ipſis etiam Hungaris vendiderunt, Regesq́; & Imperatores eo pacto diſsidijs & bellis inter ſe commisêre. Et licet Imperatores noſtri in reprimendo infidelium Danorum, Vandalorum, Hunnorum impetu fuerint occupatiſsimi; Italiam tamen oppreſſam eſſe haud patiebantur. In caſtris & armis vitam ſemper degebant, nec prius quicquam habebant, quàm hoſtium furorem compeſcere. Iam verò principes maior cura conuiuiorum, aleæ, luxus, & venationum, quàm bellorum angit. Summa rerum auaris præfectis committitur. Quæ cauſa eſt, quòd nulla vſquam vel in bello, vel extra bellum ſit diſciplina, nec vlla Reipub. habeatur ratio. Qui feuda imperij obtinent, ſuas tantum immunitates quærunt, non quî Reipu. conſulant, licet in eum finẽ feuda ipſis cõmiſſa ſint, vt Reipu. ſint præſidio, quod vt præſtant ingentibus præmijs ſunt alliciendi. Olim omnia feuda Imperij eo pacto vaſallis commiſſa fuêre, vt quid cuiq; in protegendo Imperio propulſandisq́; hoſtibus præſtandum eſſet, certò definiretur. Iam ſi Turcarum rabiem cohibere velimus, conſuetudinem illam reuocari, & milites in armis ſemper excubantes præſtò eſſe neceſſe eſt. Quæ ratio ſi negligatur, totius Imperij ruina & internecina clades metuenda eſt.

Normanni Saracenos profligarũt.

DE TVRCIS ET EORVM ORIGINE.

Pomponio Mela, Plinio, Agathio, alijsq́; pluribus vtriusq; linguæ & hiſtoriarum peritis autoribus, Turcæ primum Moſcouiam obtinuere, in finibus Tartariæ, à Romanis Græcisq́; Imperatoribus aduerſus Saracenos & Perſas conducti, tandem in limitibus Cappadociæ & Armeniæ, inter Romanorum & Perſarum, ipſorumq́; Saracenorum regna, ſedem ſibi fixêre, occupata vrbe Iconio, vbi quondam virgis cæſus fuit Apoſtolus Paulus, diu libertatis amore nullum agnouêre Dominum, incertisq́; ſedibus circumuagati ſunt. Sunt qui reliquias Hunnorum & Alanorum eſſe exiſtiment, qui quondam Boiariam, Auſtriam, & Vngariam peruagati ſunt, & primũ à Carolo Magno ex Germania, inde ab Vngaris, ex Arnolphi Imperatoris, qui Ratiſponæ ſepultus eſt, mandato, ex Europæ finibus eiecti fuêre.

EXPEDITIONES GERMANORVM contra Saracenos.

Prima expeditio ex Europa & Germania in Aſiam aduerſus Saracenos ſuſcepta incidit in annum milleſimum nonageſimum ſextum. Quæ magna & memorabilis fuit expeditio, ingẽs militum multitudo in ea, fame confecta perijt. Prima clade in Iudæos ſæuitum fuit. Turcæ eo tempore aduerſus Saracenos Chriſtianorum partes ſequuti fuêre. Gotfridi Bilionei Ducis Antuerpiæ, & Geldriæ, virtus in expeditione ea potiſsimum enituit. Is Hieroſolymam, Antiochiam, Syriam Saracenis eripuit, et Hieroſolymæ ſibi ſuisq́; poſteris regno ſedem conſtituit. Boiariæ Dux VVolfgangus huic cùm intereſſet expeditioni, in Cypro fatis conceſsit.

Gotfridus Bilioneus.

VVolfgangus Dux Boiariæ in Cypro fatis conceſsit.

Altera expeditio aduerſus Saracenos facta eſt, anno Chriſti milleſimo centeſimo, quadrageſimo ſeptimo. Interfuerunt expeditioni iſti Imperator Conradus Bauarus, Rex Francorum Ludouicus, Rogerius Neapolis & Siciliæ Rex, alijq́; complures Principes & Epiſcopi. Diu in oppugnatione Damaſci detenti fuêre, verùm nihil aliud effectum, niſi quòd pecorum more cateruatim ex commeatus penuria homines interierint. Eidem expeditioni interfuerunt Fridericus Sueuorum Dux, Henricus Bauariæ Dux, qui poſteà Imperium infeliciter affectauit, frater eius Otto Epiſcopus Friſingenſis, S. Leopoldi filij, Comites Bogenſes, Rittenburgenſes, Burckhauſenſes, Ratiſponenſes.

Conradus Bauarus.

Tertiam aduerſus Saracenos expeditionem ſuſcepit Fridericus Barbaroſſa, multos ſibi coniunctos habens Principes. Satis felices eius fuiſſent conatus, niſi fata tantum Principem Imperio inuidiſſent. Imperator fluminis vorticibus abreptus perijt. Magnam exercitus partem peſtilentia abſumpſit. Imperator,

ne ſe abſente Reſpu. eſſet ἀκέφαλος, Imperium commiſit filio Henrico. Filius alter Fridericus Sueuorum Dux expeditioni interfuit. Anno Chriſti milleſimo centeſimo, octuageſimo nono.

In Aſiam ſimul aduerſus Saracenos tum arma mouerunt Philippus Francorum, & Richardus Anglorum Rex. Verùm contentione inter eos orta, Philippus omiſſis hoſtibus, domum reuertitur, hoſtilemq́ in Angliam facit impreſſionem. Qui motus domum etiam Anglorum Regem reuocant, ſed is Viennæ Auſtriæ captus, Ratiſponam captiuus ad Henricum Imperatorem deducitur.

Anno deindè Chriſti milleſimo centeſimo, nonageſimo octauo, Imperator Henricus Friderici filius ingentes copias duce Epiſcopo Moguntino ex Germania in Aſiam aduerſus Saracenos tranſmiſit. Sed & hac vice nihil profectum. Fuitque hæc quarta expeditio, cui interfuêre Rex Vngariæ, Duces Saxoniæ, Boiariæ, Auſtriæ, Brabantiæ, Thuringiæ, & complures Epiſcopi.

Quinta expeditio incidit in annum Chriſti milleſimum, ducenteſimum decimumoctauum. Interfuit ei Ludouicus Bauariæ dux, & Palatinus Rheni, præter multos & comites & principes.

Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo viceſimo nono, Imperator Fridericus eius nominis ſecundus, Rex Siciliæ, Neapolis, & Hieroſolymæ, aduerſus Saracenos expeditionẽ mouit. Proſperoq́ vſus ſucceſſu, Hieroſolymam & Palæſtinam occupauit, & in eas Saracenorum Soldanum anguſtias redigebat, vt pacis leges peteret, & ex præſcripto Imperatoris acciperet. Pontifex interim in abſentis Imperatoris regnum Neapolitanum irruit, Anathemate Imperatorem ipſum ferit, & importunis iniquiſſimisq́ ſuis machinationibus conſpiratione facta cum Gallorũ & Bohemiæ Vngariæq́ Regibus, Imperatorem è curſu victoriarum ad ſua defendenda, domeſticasq́ calamitates propulſandas auocat.

Circa hæc tempora Tartarorum Imperium exortum eſt, quod maximas clades toti Europæ Aſiæq́ intulit. Pontifice enim aduerſus Imperatorem quouis modo ſæuiente, interim Tartari in Vngariam, Bohemiamq́ impreſſione facta, maximam hominum multitudinẽ, vnà cum Henrico Duce Sileſiæ trucidarunt, vtq́ gloriari poſſent de cæſorum numero, ſingulis cadaueribus aurem abſcidere, nouemq́ ſaccos aurib. cæſorum hoſtium implerunt. Rex Vngarorum fuga elapſus ſaluti ſuæ conſuluit. Penes quem tantæ calamitatis culpa fuerit verboſè indicari poſſet. Pontifex in Imperatorem, Imperator in Pontificem culpam transferebat, interim miſerandæ hominum turbæ miſerè pereundum fuit. Nec longè poſt, dum Pontifex aduerſus Sueuorum Duces de Regno Neapolitano & Siciliæ bella mouet, Gallosq́ aduerſus Germanos, aduerſus Gallos verò Hiſpanos laceſſit, interim Saracenorum Reges Bondogober, filiusq́ eius Melchſait per vniuerſam Aſiam & Syriam Chriſtianorum nomen delent.

Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono, Rex Francorum Ludouicus vnà cum fratribus ſuis Ruprechto & Carolo, cum magnis copijs aduerſus Saracenos per mare profectus eſt. Verũ prælio captus à Saracenis, quicquid cœperat reſtituere, ſeq́ è captiuitate redimere coactus fuit.

Ludouicus Sanctus.

Anno deindè milleſimo ducẽteſimo ſeptuageſimo, Francorum Rex Ludouicus cognomine Sanctus, vnà cum filio Philippo, aduerſus Saracenos expeditionem mouit. Conatus eius primò non erant infelices. Verùm peſtis exercitum inuaſit, eiusque magnam partem vnà cum ipſo Rege & filio abſumpſit

Pontifex Georgius X.

Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, Pontifex Georgius X. Lugduni conciliũ indixit, recuperandæ terræ ſanctæ gratia, Epiſcopis cœnobijsque tributa irrogabat, vt ſex continuis annis decimas omnium redituum & bonorum penderent, quæ exactio multa compulit monaſteria, vt κειμήλια ſua & calices oppignorarent. Ipſemet etiam Imperator Rudolfus ciuitates aliquot Italiæ Pontifici conceſſit. Verùm nihil aliud ſuis conatibus effecit Pontifex, niſi quod pecuniæ magnam vim corraderet, ciuitatésque Imperij perpetuo iure ſibi vindicaret.

DE INCREMENTO TVRCARVM.

ANno Chriſti milleſimo ducenteſimo nonageſimo nono, Saraceni & Tartari armis ſe mutuo atterebant. Tartari ſuperiores Saracenos pellebant, Hieroſolymis potiti. Sub idem tempus magnis diſſenſionibus Imperator & Pontifex conflictabantur, Francorum Rege aduerſus Imperatorem Pontificis partes defendente. Quemadmodum Imperator ipſemet Ludouicus Quartus, Monaci ſepultus ſcripto aduerſus Pontifices edito conqueritur. Interim Turcæ in ſuam rem intenti bellicoſiſſimum Ducem Ottomannum ſibi Regem eligunt, is Saracenis Chriſtianisque pulſis, nouo imperio haud infirmum fundamentum iecit. Huius eiusque ſucceſſorum ductu Turcarum vires ita creuêre, vt non ſolùm per Aſiam & Africam, ſed etiam magnam Europæ partem rerum ipſi potiantur. Hoſpitalarij S. Iohannis Rhodum etiam tum temporis à Saracenis receperunt.

IMPE-

IMPERATORES TVRCICI, ET EXPEDITIONES Germanorum aduerſus eos ſuſceptæ.

OTtomannus annis regnauit octo & viginti, mortuus anno Chriſti 1328.
Orchanes Ottomanni filius, Græcorum Imperatoribus inteſtina bella mouentibus, ciui- I.
tates aliquot Græcas occupauit. Regnauit annis duobus & viginti, mortuus anno Chri- II.
ſti 1350.
Amurathes Orchanis filius tribus & viginti annis regnauit, Hunc Græci ciuilibus labo III.
rantes diſsidijs vltrò in Europam accerſiuêre. Qui fortuna ſibi optata vſus Callipolim & Adrianopolim,
anno Chriſti milleſimo tricenteſimo ſexageſimo nono, Græcis ademptam occupauit. Bulgariam Seruiamq́
hoſtiliter peruagatus magnam cladem Chriſtianorum Imperio intulit. Mortuus anno Chriſti 1373.
Baiazethes Amurathis filius, Croaciam, & Boſnæ regnum populatus eſt. Conſtantinopolim octo anno- IIII.
rum obſidione preſſit. Aduerſus hunc arma mouit, vt Græcis eſſet ſubſidio Imperator Sigiſmundus, vnà
cum Duce Burgundiæ Iohanne, & Ruprechto Ambergenſi. Copias ſuas cùm Sauum traiecissent, Baiaze-
thes ipſis ad Nicopolim obuiam factus eſt, grauiq́ commiſſo prælio Chriſtianorum copias profligauit. Dux
Burgundiæ captus eſt. Imperator Sigiſmundus vnà cum Noribergenſi Burggrauio naui Conſtantinopo-
lim præteruectus ad Venetos confugit, Dux Ruprechtus fuga elapſus eſt, domumq́ reuerſus mœrore breui
extinctus fuit. Miſerandam grauiſsimamque in hac expeditione cladem noſtri paſsi ſunt. Reuerſus dein-
dè ad Conſtantinopolitanam obſidionem Baiazethes, eam in alterum vſque annum continuauit, cùm Ta-
merlanes ex Perſia torrentis inſtar ruens in Turcæ regnum impreſsionem fecit. Relicta itaque Conſtan-
tinopoli, ſua tueri Baiazethes coactus fuit, prælioque ad fines Galatarum, ad quos Diuus Paulus ſcripſit,
commiſſo à Tamerlane captus eſt, anno 1394.
Prælio eo bis centena Turcarum millia cecidêre. Baiazethes aureis catenis vinctus caueæ incluſus, &
per Aſiam, vt ſpectaculo eſſet omnibus, circumductus fuit, donec ærumnoſam vitam in vinculis, anno 1403.
clauſit. Iohannes Schiltberger Monacenſis, Albrechti Ducis cubicularius prælio iſto interfuit, & in eo ca-
ptus fuit. Qui & totam hiſtoriam eruditè deſcripſit.
Orchanes ſecundus duobus annis regnauit. Obtruncato eo frater Mahometes regnum occupauit. Hic V.
VValachos & Bulgaros acerrimo bello attriuit. Regiam ſibi conſtituit Adrianopolim. Annis regnauit
ſeptendecim, mortuus anno 1417. Cum hoc Mahomete item Sigiſmundus Imperator conflixit propè ciuita
tem Columbarium, ſed pari fortuna & euentu, quo cum Baiazethe antea conflixerat.
Amurathes ſecundus annis regnauit triginta quatuor. Seruiam Chriſtianis eripuit, duobus trucidatis VI.
principibus, in Vngariam & Romaniam impreſsionem fecit. Theſſalonicam Venetis in Macedonia eri-
puit. Vngari inducias cum Amurathe decem annorum pepigêre. Pacem illam firmam eſſe Pontifex Eu-
genius noluit, miſſoq́ in Vngariam legato, Iuliano Cæſareo Cardinale, violandæ pacis autor fuit, eò quod
citra ſuum conſenſum pax cum infidelibus inita nequaquam rata ſit habenda. Ladiſlaus Vngarorum Rex
importunis Pontificis eiusq́ Legati conſilijs inductis, violato fœdere & iureiurando, armata manu Turcæ
regnum impetit. Verùm victus ſerò Pontificis conſilia periuriumq́ damnauit. Internecina clade prælio
iſto inter Adrianopolim & Varnam commiſſo Chriſtianorum exercitus deletus fuit. Vngari in ſuis ſcri-
ptis omnem cladis huius culpam in Pontificem autorem periurij transferunt. Philippus quoque Callima-
chus Caſimiri Polonorum Regis Cancellarius, qui cladem illam Varnenſem prolixè deſcripſit, affirmat,
quod euentus oſtenderit, Pontificis conſilia Deo diſplicuiſſe. Mortuus eſt Amurathes, anno 1457.
Mahometes magnus, ſeptimus Turcarum Rex, Imperator verò vel Cæſar Turcicus primus, annis VII.
vno & triginta regnauit, mortuus anno Chriſti 1481. Maij die ſeptimo, Imperij ſui anno viceſimo ſeptimo,
menſe ſecundo, die quinto, duo Chriſtianis imperia eripuit, Conſtantinopolitanum & Trapezuntium, re-
gna duodecim, centum vrbes celebres. Conſtantinopolim occupauit, anno 1453.
Belgradum obſidione tentauit anno 1458. Verùm vulneratus, virtuteq́ Hunniadis victus turpiter ob-
ſidionem ſoluere coactus eſt, in die S. Sixti. Quæ cauſa eſt, quod Calixtus III. Pontifex feſtum glorifi-
cationis Chriſti in diem iſtum tranſtulerit. Anno 1458. Nobiliſsimam ciuitatem Corinthum, & Moream,
olim Peloponneſum dictam occupauit. Anno 1460. Pontifex Pius II. Ducem Auſtriæ Sigiſmundum ex-
communicabat, indicto deindè Concilio Mantuæ de reprimendis armis Turcicis conſultabat. Intereà Tur
ca Imperium Trapezontium, regna Boſnæ, Albaniæ, & partem VValachiæ occupat.
Anno 1462. Imperator Turcicus Mahomet inſulas Lesbum & Mitylenen vi armorum cœpit.
Anno 1463. Corinthum repulſis Venetis, qui obſeſſam vrbem recuperare fruſtrà conabantur, liberat

Pontifex Pius inito fœdere cum Venetis de Turca reprimẽdo deliberat. Philippus Dux Burgundiæ bello gerendo præficitur. Turca interim regiones, quæ infra Sauum ſunt occupat, Albaniam Dalmaciæ vicinã vaſtat, ſequentibus deindè annis in Aſia vicinos ſuos bellis infeſtat.

Anno 1469. Stiriam formidando impetu ingreditur, vnde tantus terror, & trepidatio tàm Stirianos, quàm vicinos inuaſit, vt Salisburgo etiam Monacum vſq; fugerent, adeoq; infantum ex cunis decidẽtium vix rationem vllam haberent. Hodiernum adhuc in diem fuga illa Turcica appellatur.

Anno 1470. Imperator Fridericus ex inſtinctu Ludouici Ducis Landshutæ comitia Imperij Ratiſponæ indixit, vt de compeſcendo furore Turcico inſtitueretur conſultatio. Interim Turca Nigropontem, quam veteres Euboeam vocant, occupat. Pontifex deindè Paulus II. indicto Iubilæo, magna cum deuotione & humilitate ipſemet ſolenni proceſsioni Romæ interfuit, Mariæ virginis ſimulachrum manu geſtãs. Hinc bellum gerit Turcicus Imperator cum Rege Perſarum & Armeniorum Huſſacaſſano, commiſſoq; acri prælio, Perſæ amiſsis omnibus machinis bellicis cedere coacti ſunt.

Anno 1475. Mahometh vrbem ampliſsimam negociationibusque opulentiſsimam Capham, olim Theodoſiam dictam occupat. Sequenti anno adiunctis ſibi Tartaris VValachiam, fugato rege Matthia vaſtat.

Anno 1477. complures occupat Inſulas. Impreſsionem ſimul facit in Croatiam, Dalmatiam, Vindeliciam. Veneti pacem cum Turca inire coacti aliquot ipſi ciuitates in Albania & Morea ex pacto tradunt. Interim Sixtus IIII. Pontifex, Monachus Franciſcanus, Venetos Florentinosq; bello petebat, & ſub prætextu legationis Cardinalem quendam, & Archiepiſcopum Florentiam mittebat, qui in templo, cùm miſſa celebraretur, potentiſsimum ciuem Iulianum Medicem interficiebant, cuius filius Laurentius Medices captos Cardinalem & Epiſcopum patibulo affixit, reliquis eorum ſocijs trucidatis. Interim Turca in Macedoniam irruens, quæ reliquæ erant ciuitates, occupat.

Anno Domini 1479. Rhodum obſidione cingit, fruſtraque oppugnatione tentata turpiter retrocedere coactus eſt. Anno deindè ſequenti ternos exercitus in diuerſa loca ablegat, ſimul infeſtans Rhodum, Alexandriam, Italiam. In Italia Hydruntum Apuliæ ciuitatem, circumquaque incendijs vniuerſa regione vaſtata Turcæ occupant. Quo tempore Imperator Turcicus moritur, ſuoque fato ingenti terrore vniuerſam Italiam, orbemque Chriſtianum liberat. Nam & Romæ & totius Italiæ dominium tum videbatur adipiſci poſſe, eò quod inteſtinis diſsidijs Chriſtiani principes vehementer laborarent. Veneti omnem culpã Sixto Pontifici imputabant, quos ille excommunicarat, ſed Pontifex Innocentius eos deindè ab excommunicatione liberauit.

VIII. *Baiazethes ſecundus cum fratre Ziſimo de Imperio certauit. Victus Ziſimus ad Rhodios, inde ad Imperatorem Fridericum, tandem Romam confugit. Cùm inter Chriſtianos quadriennij exilium pertuliſſet, veneno extinctus eſt. Frater Baiazethes Hydruntũ Calabriæ reſtituit, ſuas copias ab Italia reduxit, quæ in diſceſſu magnã cladem finitimis intulere, reliquis etiã Chriſtianis principibus magnam pecuniarũ vim præbebat, quòd fratrem Ziſimum apud ſe fouerent. Ibi nõ minima debellandi vires Turcicas occaſio afful gebat. Verùm pecunia bello gratior erat ſanctiſsimo Patri Pontifici, Cardinalibus, Rhodijs, Regiq; Vngariæ. Turca interim Modonem Venetis eripuit, magnamq; hominum cateruam è Foro Iulij abduxit. Cum Imperatore Maximiliano pacẽ coluit. Legatos ſuos apud Turcicum Imperatorem habuit Maximilianus, Nobilem virũ de Turri, & alios complures. Regnauit annis vno & triginta, mortuus anno Domini 1512.*

Anno 1494. Francorũ Rex Carolus Gibboſus à fatidicis quibuſdam præſtigiatoribus perſuaſus, in fatis eſſe, vt Rex ipſe fiat Neapolis, Siciliæ, Hieroſolymæ, Imperatorq; Conſtantinopolis, armata manu Romam Neapolimq; petit, à Pontifice Alexandro Ziſimum illum Imperatoris Turcici fratrem extorquet. Verùm ille in itinere mortem obijt. Rex Carolus anno deindè ſequenti ſubitanea morte extinctus fuit.

IX. *Selimus tertius Imperator Turcarum, Ægyptum, Syriam, Arabiam, duobus Suldanis interfectis, occupauit. Annis regnauit ſeptem, mortuus anno Chriſti 1519.*

X. *Solimannus tertius Turcarum Imperator, Chriſtianis eripuit Belgradum, et Rhodũ, Budam diripuit. Hoc anno, qui eſt à natiuitate Chriſti milleſimus quingenteſimus vigeſimus nonus, reuerſus, Vngariam, partemq; Auſtriæ occupauit. Viennam Auſtriæ iam in quintam ſeptimanam obſidione premit. Vbi iã morantur ſanctiſsimus pater Pontifex? Chriſtianiſsimus Rex Gallorum, quin iam vt ampliſsimi tituli exigunt paterna cura, Chriſtianoq; amore Chriſtianis miſerè afflictis ſuccurrunt? Chriſtiani miſerè & crudeliter trucidantur, nulla ætatis, nulla ſexus ibi diſcretio. Qui poteſt, fuga ſalutem quærit, omnium facultatum & bonorum facta iactura. Viri vxoribus, vxores viris ſpoliantur. Parentes omiſsis liberis in exilium pelluntur. Vbi ſunt iam hæreticæ prauitatis inquiſitores? En præſtò ſunt cateruatim infideles, quin eos oppugnant, & ad fidei veritatem eos perducere inſtituũt? Aduerſus imbellem hominum turbã, & libros innoxios,*

noxios, qui nec loqui nec tueri ſe poſſunt, bellatores ſunt ſtrenui, leonesq́ validiſsimi, aduerſus Turcas verò ignauiſsimi, & quouis lepore pauidiores. Hunc videmus diſſenſionum exitum; dum alter alterum contemnit, & nulla concordia, nulla pietas, nulla vitæ emendatio animos noſtros mouet.

Nec ſanè in expeditione illa Turcica, cùm Vienna grauem obſidionē perpeſſa fuit, memorabile quicquam effectum eſt. Turca quidem obſidionem ſoluit, ſed ita vt metuendum ſit, ne breui maiore cum impetu & terrore redeat.

Anno Domini 1532. Imperator Carolus V. Ratiſponæ Imperij comitia agebat. Eodem anno Turca in Vngariam cum maximo exercitu reuertebatur, Viennam & Auſtriam occupaturus. Verùm Imperator & reliqui ſtatus Imperij inſtructiſsimum peditatum & equitatū aduerſus Turcicum tyrannum comparabant. Viennæ conueniebant milites. Multi ſuis etiam ſumptibus, armis inſtructiſsimi ex Hiſpania, Italia, Burgundia, & inferiori Germania Imperatorem vltrò ſequebantur. Carolus Imperator ipſemet, fraterq́ eius Ferdinandus, Romanorum, Vngariæ, Bohemiæq́ Rex expeditioni intererant. Certam opprimendi Turcas ſpem animis conceperant. Viennæ & vndiquaque in vicinis locis vltra duos fermè menſes quieſcebant milites. Cùm Imperator, incertum quo conſilio milites dimittit, nec tum quicquam memorabile tanta expeditione, tantisq́ ſumptibus effectum fuit. Cæſar circa autumnum eius anni in Italiam tendebat Mantuam verſus. Certè ſi inanes illos ſumptus, exactionumq́ grauamina conſideremus, fatendum erit, Imperium à Turca, etiamſi procul abſit, ita affligi, ac ſi in ipſis penetralibus bellum aduerſus nos gereret.

FINIS LIBRI IOHANNIS AVENTINI.

Fletcher

CHRONICORVM TVRCICORVM, IN QVIBVS DIVERSORVM REGNORVM, VRBIVM, INSVLARVM, VASTATIONES, ET OCCVPATIONES, A' DIVERSIS AVTORIBVS EXPONVNTVR: QVAE ANtehacquidem excuſa fuerant: ſed nunc à mendis repurgata, & concinnis Figuris illuſtrata, caſtigatiùs expreſſa ſunt:

TOMVS SECVNDVS.

Catalogum Autorum poſt Præfationem inuenies.



Cum Gratia & Priuilegio Cæſareo.

FRANCOFVRTI AD MOENVM, EX OFFICINA Georgij Coruini, impenſis Sigiſmundi Feyrabendij,

M. D. LXXVIII.

VIRTVTVM SPLENDORE, MAIORVMQVE IMAGINIBVS NOBILI VIRO, GEORGIO LEONI A' STEINFVRT, DOMINO SVO OFFIcioſè colendo.



QVOTIES Regnorum, quæ olim Eccleſię præbuerunt hoſpitium, vaſtationem, hominumq́; in ijs miſerandam ſeruitutem & lanienam intuentur, quicunque humanis calamitatibus condolent, vt verè inter ἀειδακρύας ἄνδρας ſunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt, profectò nō poſſunt non cohorreſcere, dum animaduertunt tantam eſſe Diaboli malitiam potentiamq́;, vt ex ipſius furore mundus, qui Paradiſus eſſe debebat DOMINI, gratumq́; ſacroſanctæ Eccleſiæ hoſpitium, ſit domicilium impietatis, diabolicæq́; iſtius tyrannidis, quæ Eccleſiam perſequitur, honeſtas Leges euertit, humanam ſocietatem diſſipat. In tot enim tantisq́ue Europæ, Aſiæ, Africæq́; Regnis, in quibus olim Eccleſiæ ſtatus fuit florētiſſimus, quantula queſo pars reliqua eſt, quę Eccleſię CHRISTI hoſpitium præbeat? Nónne plęraq; omnia vel iam per Turcicam tyrannidem occupata & deuaſtata ſunt, vel ægrè intra anguſtos concluſa limites, aduerſus eam ſe tuentur? A' pręcipuis orbis terrarum Regnis Chriſtianæ Religionis ſinceritas exulat. Quàm latè ſeſe Turcicæ

 poten-

tentiæ rabies extēdit, tam latè etiam Mahumetana blaſphemia virus ſuum euomit, quin etiā Regna plurima, quæ Turcico Imperatori minimè parent, vt ampliſſima Perſarum, Arabum & Tartarorum Regna, abnegato vel reiecto CHRISTO, ſeductorem Mahumetem ſequuntur. Et licet Chriſtiani milites Tyranno iſti, Turcicæ blaſphemiæ propugnatori ſeſe opponant, attamē nihil ferè aliud tot expeditionibus efficere videntur, quàm Hydræ caput amputare. Nam quemadmodum vno capite Hydræ reſecto, tria alia enaſcebantur, ſic quoties illi vnicum vel caſtellum vel oppidum è Turcarum manibus eripiūt, vel vnum è Turcarum Ducibus proſternunt, alij complures multoq; immaniores prodeunt, qui vnius oppidi vel caſtelli loco erepti, ampliſſima Regna, vaſtiſſimas Inſulas, vrbesq; complures munitiſſimas occupant, & è Turcarū manibus extorquent. Cuius mali cauſam, quia perpauci animaduertunt, haud ſanè, cauſa minus cognita, malum illud vnquā auerti poterit. Nec iam de ijs cauſis verba facio, quas haud immeritò magni faciunt periti Duces, qui victoriam animis certam concipiunt, ſi præſto eſſe videant promptum & obedientem militem, Ducis ipſius induſtriam, armorum idoneorum copiam, ad neceſſarios vſus pecuniarum, commeatusq; ſufficientiam. Verùm eas iam conſideremus cauſas, quas Spiritus ſanctus nobis ob oculos ponit, paſſim in ſacris hiſtorijs, quæ ſunt ſyncerus DEI cultus, ardens diuini numinis inuocatio, certa in DEVM fiducia, vitæ morumque iuxta mandata DEI emendatio. Per hæc arma Moyſes de Pharaone, Amalecitis, alijsque Regibus plurimis triumphat. Per hæc arma Gideon, Iephthe, Simſon, Dauid, Ezechias, Macchabæi, immaniſſimorum hoſtiū arma retundunt. Cōtrà, his armis neglectis, Iſraëlitæ vel millies victi, & in duriſſimā tandē ſeruitutem rapti & diuenditi fuère. Quę arma cum perinde ſegniter admodum Chriſtiani milites capeſſant; haud ſanè difficile eſt, cauſam tantorum malorum, quibus Orbis terrarum per Turcicam vaſtationem inuolutus eſt, inde agnoſcere. Reuelauit humano generi verbi ſui gratiam verus ille & vnicus mundi Seruator CHRISTVS, eamq; per Apoſtolos, & pios Doctores, per vniuerſum Orbem terrarum annunciauit, ſed mundus plus amauit tenebras & mendacia quàm lucem veritatis, ad CHRISTVM eiusq; Apoſtolos opprimendos, velut ad publicum reſtinguendum incendium, omnes ſuas vires conuertit. Reges & Principes terrarū, qui portas attollere debebant, vt introiret Rex gloriæ, in vnum cōuenerunt, vt Principem gloriæ è medio tollerent. Qui CHRISTI verbum prædicare auſi ſunt, fuère oues ad lanienam deſtinatæ, nec vlla pietatis ratio alibi habita eſt. Quin etiam vbi ſaluifica Euangelij doctrina prædicari cœpit, impijs ibi erroribus doctrina veritatis protinus obfuſcata & contaminata fuit, nec fructus in ingrato mūdo vllos tulit ſaluifici verbi prædicatio. Hac itaque ſua impietate CHRISTVM diuiniq; numinis fauorē à ſe alienarūt homines, & quia CHRISTVM hoſpitio ſuſcipere dedignati fuerūt,

menda-

mendaciorũ patrẽ vt ſuſciperent neceſſe fuit. Sic florentiſſima Aſiæ, Græciæque Regna, vbi olim CHRISTVS prædicatus fuit ampliſſimè, per ſuam impietatem CHRISTVM à ſe eiecêre, & impietati Turcicæ, ſuo merito, ſubiecta ſunt. Hoc etiã ſeculo, qui Chriſtianam profitentur fidem, tantum idolomaniæ, tantum impietatis, præ ſe ferunt, fouentque, vt CHRISTI doctrinam potiùs ludibrio habere videantur, quàm ſeriò pietatem & veritatis doctrinam amplecti. Turcica itaque rabies DEI flagellum eſt, quo impietas gentium punitur, quantoque maior diuinæ veritatis neglectus fuerit, inter eos, qui ſe Chriſtianos profitentur, tantò felicioribus vſque ſucceſſibus Turcica potentia gaudebit, nec vllis armorum viribus retundi poterit. Ita rem ſe habere frequentiſſimæ Chriſtianorum oſtendunt clades, per quas ſuperiores facti Turcæ, clariſſima Imperia, Regna, Inſulas, Regiones, Ciuitates, occuparunt, & in ijs Mahometanã blaſphemiam plantarunt. Quod ſanè accurato ſtudio omnes eos, qui à Chriſtiana pietate haud ſunt alieni, conſiderare decebat, vt tantarum cladium agnita cauſa, vera aduerſus tyrannidem illam Mahometiſtarum arma arriperent, vitæ nimirum emendationem, verum diuini numinis cultum, ardentem inuocationem, & in moribus DEO placentem ſanctimoniam. Hæc arma ſi capeſſerent Chriſtiani Principes & milites, haud ipſis difficilius eſſet hoſtes, quamuis immaniſſimos, proſternere, funditusque delere, quàm Moyſi Amalecitas in Raphidim, dum ſublatis cœlum verſus manibus diuinum implorat auxilium: vel Moſis ſucceſſori Ioſuæ, cum vnum & triginta Reges, tranſito Iordane, debellat, omnesq; eorum copias delet, vel Gideoni, cum Midianitarum multa millia, trecentis aſſumptis viris, in fugam verſa, ingenti clade afficit. Hæc, vt ſedulò perpendamus, & inde ad vera arma arripienda nos exhortemur, neceſſe eſt, vt hiſtoria ipſa de Turcicæ tyrannidis initijs & progreſſu, in promptu nobis ſit, & iram DEI aduerſus contemptum verbi diuini agnoſcere diſcamus, eamque à nobis auertere vel lenire per inuocationis aſſiduitatem ſtudeamus.

Cùm itaque in concinnanda hiſtoria Turcica, quam motus petitione Sigiſmundi Feyrabendij, Bibliopolæ clariſſimi, in Latinum idioma tranſtuli, eum mihi finem propoſuerim, vt pio Lectori incitamentum præberem, ad agnoſcendam iram DEI, aduerſus peccata mortalium, & ad ſupradicta vera arma aduerſus Turcicũ furorem capeſſenda: abſoluto iſto labore annotaui diuerſorum Autorum memorabiles aliquot hiſtorias, vt: *P. Callimachi Experientis, de clade Varnenſi: Leonhardi Chienſis, Mitylenæi Epiſcopi, de capta Conſtantinopoli: De Nigroponti captione: Sabellici, de pugna inter Turcas & Venetos ad Sontium amnem: De bello Rhodio, Iacobi Fontani: Melchioris Soiteri à Vinda, de bello Pannonico: Iohannis Criſpi, de Naxo inſula à Turcis occupata: Iohannis Martini Stellæ, de Turcarum in Regno Hungariæ ſucceſſibus.* Quas hiſtorias, cum Sigiſmundus ille Feyrabendius in peculiarem Tomum

 diſtri-

diſtributas,ſuperiori libro,quo Chronologia Turcica continetur, attexere conſtituiſſet,tuæ nobili Præſtantiæ, nobiliſſime Georgi, eas in peculiarem faſciculum congeſtas, offerre & dedicare viſum eſt. Tum quòd olim Nobilis animi tui candorem perſpexerim, cum Marpurgi ſub parente meo chariſſimo, Iohanne Lonicero, ſacræ quondã Theologiæ Linguarumq; profeſſore publico, humanitatis ſtudia in Muſarum caſtris militans colebas, tum quòd poſthac etiam plurimis indicijs ſingularem Nobilis tuæ præſtantiæ humanitatem & beneuolentiam expertus ſim, ab eo tempore, quo relictis Francofurtẽſium Muſis, ex diuina prouidentia ad ſacroſanctum munus Eccleſiaſticum, ab illuſtris Teutonici ordinis proceribus Francofordiæ cõmorantibus, Morlinum Kǒnigſteinenſis ditionis oppidum euocatus, te vicinum habeo exoptatiſſimum. Vt ergo grati animi teſtimonium adeoq; pignus aliquod meę obſeruantiæ apud Nobilem tuam Pręſtantiam relinquerem, haſce de bellis, prælijs, oppugnationibus, vrbium direptionibus, Inſulis occupatis, & Turcarum in Regno Hungariæ ſucceſſibus hiſtorias, ex piæ beneuolentiæ gratiq; animi candore tibi offero, enixeq; rogo, ne hoc meum factum ita interpreteris, quaſi ex aliqua arrogantia proueniat, ſed potiùs, quòd ex pio grati animi candore proficiſcatur. Quanquam, cum exploratum habeam, ab humanioribus ſtudijs minimè alienam eſſe, Nobilem tuam Pręſtantiam, nihil opus eſſe puto, ſolicita circa hanc rem petitione, ſed firmiter potiùs ſtatuo, grata tibi eſſe ea munera, quæ ab ijs, qui Humanitati etiam ſunt addicti, offeruntur. Fateor quidem, parum iucunditatis afferre huiuſcemodi hiſtorias, quæ triſtiſſimam florentiſſimorum Regnorum & Imperiorum ruinam cõtinent: neminem tamen inficias iturum credo, quòd pius animus dum vaſtationes illas Imperiorum euoluit, inde ſimul quæ ſit hoſtium Eccleſiæ immanitas, non ſine maximo fructu addiſcat, & ſanctis illis, quæ Spiritus ſanctus commendat, armis, aduerſus illos vti aſſueſcat. Qui ſanè fructus, ſi ex hiſtorijs hiſce percipiatur, haud parum iucunditatis pijs mentibus afferet. Adhæc, cum hiſtorię iſtæ doceant, quòd multa Chriſtianorum millia duriſſimam ſeruitutem ſub Turcis ſeruiant, qui ardentiſſimis precibus & votis ad DEVM ſuſpirent, noſtrorumq; Principum ſubſidia expectent, piæ mentes ex hiſce hiſtorijs mouentur, vt captiuis iſtis cõdoleant, & ſuas etiam pro eorum liberatione ad DEVM preces fundant. Quo ſanè officio quid queat eſſe ſanctius, quid honeſtius, quid vtilius? Quin etiam heroicæ mentes inde excitantur, vt omnes ſuas vires, aſſumpta ſimul ſancta illa panoplia, quæ Chriſtianum militem potiſſimùm ornat, fide, ſpe, charitate, inuocatione, &, quæ reliquas virtutes omnes ſub ſe continet, pietate, ad retundendam illam Turcarum tyrannidem dirigant, & de Eccleſiæ commodis, CHRISTIQVE honore propagando, vnicè ſint ſoliciti. Quocirca, vt Chriſtianum militem & heroa decet, hiſce hiſtorijs fruere, meque pro Nobilis animi tui candore, inter eos recenſe,

cenſe, qui Nobilis tuæ Præſtantiæ ſunt quàm ſtudioſiſſimi. Morlini, Calendis Martij, Anno reparatæ ſalutis, M. D. Lxxviii.

Nobilis tuæ Præſtantiæ

ſtudioſiſſimus,

Philippus Lonicerus.

CATALOGVS AVTORVM, QVORVM OPVSCVLA IN HOC VOLVMEN REFERENDA DUXIMUS.

P. *Callimachi Experientis, de clade Varnenſi.* fol. 1.

Leonhardi Chienſis, Mitylenæi Epiſcopi, de capta Conſtantinopoli. 84

De Nigroponti captione, incerto Autore. 102

Sabellici, de pugna inter Turcas & Venetos, ad Sontium amnem. 105

Iacobi Fontani, de bello Rhodio. 113

Melchioris Soiteri à Vinda, de bello Pannonico. 184

Ioannis Criſpi, de Naxo inſula à Turcis occupata. 220

Ioannis Martini Stellæ, de Turcarum in Regno Hungariæ ſucceſſibus. 226

FINIS.

P. CALLIMACHI EXPERIENTIS DE VLADISLAO REGE SIVE CLADE VARNENSI, LIB. I.

SIGISMVNDVS *rex Hungariæ, qui vltrò ad imperium accitus, Boëmos quoque ſibi poſtea ſubiecerat, tanta moderatione annos ſupra quinquaginta regnauit, vt cùm ſine virili prole tandem mortem obijſſet, Hungari nemini ſubeſſe maluerint quàm Duci Auſtriæ Alberto, cui iampridem Sigiſmundus vnicam filiam ſuã matrimonio iunxerat. videbatur leniri poſſe deſiderium mitis & ſancti regis, ſi eius filiam apud ſe regnare intuerentur. quæ perſuaſio ſubinde etiam penè profuit illius nepoti nondum nato. Nam cum Albertus quoque haud multò poſt delatum ad ſe regnum grauida vxore vita exceſsiſſet, optimates Hungariæ frequentes vnà cum oratoribus Deſpoti Raſciæ ac Ciliæ Comite ad reginam Budæ agitantem conuenére: cœptúmque eſt agi de regni ſtatu conſtituendo. & primò quidem nõ exaudiebantur præter voces, felicem fauſtúmque partum reginæ ominãtium, aſſerentiumq́; minimè prius de nouo rege referendum, quàm illa peperiſſet. deberi id recentibus Sigiſmundi meritis, qui paterna in omnes caritate omnes tenuiſſet: non tentandam temerè fortunam externis regibus experiendis, cum domi iam forſan affuturus, qui aui ſui eos æquabilitate gubernaret. Valuiſſétque publicus fauor, & gratiſsima omnibus Sigiſmundi memoria, ſi Ioannes Hunniadianus ante omnes prioris ſuæq́; ætatis magnos viros rerum militarium ciuiliúmque artium peritia memorabilis, vrgentium periculorum nõ admonuiſſet, propter Sunderouium oppidum cum vniuerſa penè Raſcia iam tum à Turcis occupatũ, ſublatúmque veluti murum: quo illis obiecto, Hungaria ſatis tuta videbatur. Ea vox quaſi frenum à mortui gratificatione curam omnium in præſentes neceſsitates conuertit: cœperéque ipſorum animis obuerſari regni orbitas, & Turcorum maiores indies vires, iterq́; ad ſe planè illis patefactum. Præterea in partu reginæ, & vt votis omnium correſpondiſſet, dum puer coaleſceret, parum momenti fore conſtabat ad regni curam & tutelam, cum interim virorum animi muliebre regimen aſpernarentur, propter imbecillitatem plerunq; illi inſitam ſexui, & ſi curatores poſthumo aſsignarentur, intelligebãt regium faſtũ regiasq́; cupiditates in paulo antè paribus conditione vel perferre, vel explere, duriſsimum fore. Sed & regina nõ mediocriter animo ſollicita, haud ſatis conſtituebat ſecum quidnam maximè in deliberatione tam ancipiti eſſet expetendum, cũ aut filio, ſi naſceretur, regnum abrogandum, aut Turcis prodendum appareret: ſed neq; exploratũ habebat marem naſciturum, vel tam beneuola in ſe & ſuos Hungarorum ſtudia, ſi difficultas aliqua ingruiſſet, ad extremum permanſura.*

Sigiſmundus Hungariæ & Boëmiæ Rex Alberto Auſtriaco filiam vnicam matrimonio iunxit.

Iohannis Hũniadis conſilium.

Diuerſis igitur diuerſa probantibus, nihil æquè ab omnibus laudabatur, quàm ſi Vladislaus rex Poloniæ paulo antè puberem ætatem ingreſſus, cuiúſque indoles ac virtus velut humanum modum ſupergreſſa, iam tum magno famæ conſenſu celebris erat, viduam reginam vxorem duceret, vtriuſque gentis rerum ſummæ præfuturus, id vnicum columen aduerſus domi foríſque imminentes turbas, ſi ea affinitate Polonorum robur inuictum rei Hungaricæ iungeretur. Sed nihil æquè Vladislai aſſenſum remoraturum apparebat, quàm naſcendorum ſibi liberorum incerta ſucceßio, propter ventrem quem Regina ferebat: atque ideo non aduerſante illa, in id conſenſum, quòd ſi puer naſceretur, Auſtriæ ac Boëmiæ: liberi autem noui regis ſi qui procrearentur, in Hungaria regnarent: eáque conditione regnum & coniugium perferri ad Vladislaum placuit: ita tamen, vt prius de liberorum ſucceßione diceretur, quàm ex diuerſo eius rei mentio nata foret. Deſignati ad id munus omniũ cõſenſu, Epiſcopus Strigonienſis, Mathico Thalautius, Emericus Marcellus, Ioannes Perenus, Vladislaus Palocius. Quibus Cracouiam venientibus, Vladislaus ad mille paſſus obuiam miſit fratrem ſuum Cazimirum: à quo mutua gratulatione ſuſcepti, atq; in ciuitatẽ inducti ſunt. Poſtridie verò in curiam acciti, ita ad regem verba feciſſe traduntur: Si vicinitas, & rerum variæ occaſiones ac tem-

Ladislaus rex Polonię, Hungariæ regno pręficiendus.

Legatorũ Vngaricorum ad Regem Poloniæ Oratio.



pora, non coniunxiſſet regnum noſtrum cum tuo multis fœderib. officijsque mutuis, virtus tamẽ & felicitas tua, rex inclyte, nobis digniſsima viſa foret, quæ dubijs rebus noſtris imploraretur. Cum enim cordi non fuerit Deo Opt. Max. Albertum apud nos regnare (in cuius electione ſequuti eramus, non quod expediret, ſed quod à gratis animis recens atq; eadem acceptiſsima omnibus Sigiſmũdi memoria expoſcebat) quod facturi prius fue-

rant,

rant, ſi ſaluo officio licuiſſet, te qui Rex noſter ſis, vniuerſi, quorũ intereſt,
vnanimi ſententia elegerunt. Omittimus illa proſequi, quòd indoles tua
verè regia, quòd maiorum tuorum decora illos pellexerint, vt crederent
te vnum tam ampliſſimis duob. regnis vtiliter præeſſe poſſe. Coniuncta eſt
vtriuſq; gentis fortuna. & proſpera omnia vtriſq; ſemper fuiſſe animad-
uertimus, niſi cum mala quæpiam ratio, conſilia & res alterius ab altera
ſeparauit. Sic olim Gothi, ſic Vandali, aliæq; gentes, penè ignotos terrarum
tractus: ſic poſtea Tartari per Poloniam & Hungariam primò, deinde in
alias etiam regiones, irrupêre. ſic niſi eandem mẽtem tibi ad ſuſcipiendum
regnum, quàm noſtris ad deferendum, Deus dederit, propè eſt, quod omina
ri animus horret, vt Turci patefacta ſibi Hungaria, in vos inde bellum
vaſtitatemq; conuertant, dum pro Ruſcia & Bulgaria, quæ duo ſepimen-
ta regni noſtri erãt, lentius paulo quàm expediret, arma nuper induimus,
in diſcrimen rerum noſtrarum venimus, & bellum quod ab alienis finibus
propulſare oportuit, in noſtris cogimur ſuſtinere. Si nihil vltrà peteretur
quàm vt ſuccurreres diſcrimini noſtro, vtique præſtaret aliena defendere,
quàm pati ſua in periculis rapi. Nunc quando non ſola tutela, ſed ius & ar
bitrium opulentiſſimi regni ad te defertur, quid eſt quòd maximopere à te
deliberandum ſit, debeáſne cum tam ingenti & glorioſa mercede eam dimi
cationem, etiam geminatis viribus, ſuſcipere, cui noſtris copijs, noſtriſq;
armis ſemper pares fuiſſe nos, ſcias. Periculum eſt, arbitramur, ne ſemier-
mem & ex fuga pugnantem hoſtem, quem ſine vllis externis auxilijs propè
contempſimus, ſi tu paululum cum tuis anniteris, finibus noſtris non ſubmo
ueas. Nomen hercle tuũ ſine vllis armis ad id ſuffecerit: vel ſi molienda vis
erit, haud indifficili conatu regni vtriuſq; rem perpetuò ſtabilies. Neq; ideo
quòd vltrò expeteris, relinqui omnia deſperata à nobis putes in maximo
multorum ambitu. Te iudicio, non neceſſitate prætulimus, qui ſcires æquè
atq; illi regnum adminiſtrare. Sed cõmodius forſan tueri nos iunctis vtri-
uſq; regni viribus poſſes, & inprimis deberes propter communia vtriuſq;
diſcrimina. Silemus felicitatis cumulũ, qui exinde Maieſtati tuæ accedet,
quantum veræ gloriæ & in præſens & ad poſteros conciliauerit tibi tam in-
clyti regni de virtute tua conſenſus. Quanta laude effereris, quòd tam be-
nignè de te ſentientes, gratiſſima voluntate in fidem ſuſceperis: qui, omen
Deus auertat, ſi repudiati in diſcrimẽ raperemur, omittimus quòd eadem
fortuna res tuas manet. non ſolum vicinum ac ſocium regnum in periculo
deſtituiſſe diceris, verumetiam euertiſſe columen ac propugnaculum Chri-
ſtiani nominis, cuius Maieſtas viribus armiſq; noſtris ſtetit hactenus, ſta-
turamq; confidimus. Sed & fortunam dicunt volubilem deam: nec facilè
poſtea comprehendi, ſi ſemel oblata contemnitur. Non libet gloriari benigni
tate cœli ac terræ, quam regno noſtro natura indulſit. neq; vicinitas, neq;
magnitudo rerum geſtarum illius eam te ignorare permittit. ſingula illic
ſunt eiuſmodi, vt magnis periculis etiam bello expeti debeant, nedum ſpon-
tè oblata ſuſcipi. atq; vt intelligas quòd ſimul omnia conſentiunt ad felici-
tatem tuam, idipſum quod nos petimus, regina, in qua aliquid momenti in

contrarium videri potuit, etiam vnà nobiſcum petit, pignusq́ & ſtabilimentum tam ſalubris vtriq́ genti incœpti, matrimonium ſuum offert. Ea eſt ipſius nobilitas & fortuna, vt magnopere probari poßit abs te: forma verò & ætas, non contemni. Sed neq́ in tanta deliberatione audienda eſt mentio de reb. tam caducis & momentaneis: neq́ voluptatis gratia initur matrimonium, maximè inter reges, à quib. nihil aliud quæri ſolet quàm dignitas, vt quàm illuſtres ſucceſſores relinquant. Et ſi altius attenditur, propterea quod regna nõ niſi vnũ capiũt, illarũ cõiugia maximè ſunt expetenda à regib. quæ minus fœcũditatis videntur habitura. Tu modò illa quæ alij per ferrũ ac ignes aſſequenda nõ dubitarent, vltrò ad te delata non ſpernas: nec velis eſſe aut dici minus felix quàm Deus atq́ homines velint. Dũ

Turcici Oratores ad Regẽ Poloniæ.


hæc agerẽtur peterenturq́ ab Hungaris, aderãt etiã Turci oratores, quos iamprid ẽ miſſos deprehenderat in via mors Alberti, qua ſeu verè incõperta, ſeu ad tentandũ dißimulata peregerãt mandata. Offerebat per eã legationẽ Amurates Turcorũ Imperator militẽ ac pecuniã Vladislao, ad gerendũ bellũ contra Albertũ in Bohemia, quæ mortuo Sigiſmundo in duas factiones abierat: & vna quidẽ Cazimiro Vladislai fratri regnũ deferebat, altera propter vxoriã ſucceßionẽ Albertũ ſequebatur. Cæterùm fœdus in id ſanciri petebat, q̃ redacta vniuerſa Boëmia in poteſtatẽ Cazimiri, Vladislaus ab amicitiã & fœdere Hungarorũ abſtineret. Itaq́ cũ defuncto Alberto res integra nõ eſſet, oratores per varias ſimulationes Cracouiæ retinebãtur, in expectationẽ quò res Hungarica poſt regis mortẽ inclinaret. Eos, q̃ ex vultu facilè notari potuit, vbi per interpretẽ quæ poſtulata erant, cognouere, ingens mœror cæpit, & ſubita cõſternatio animorũ. Sed neq́ eodem ſenſu à Polonis omnibus accipi, prius oculi & facies motusq́ diuerſi, deinde eti-

Conſiliorum diuerſorũ agitatio in Aula Polonica.

am verba indicauere, cum eſſent qui dicerent: nihil præterquàm bellũ offerri ab Hungaris: poſt cæteros omnes fruſtrà imploratos ad ſe iri: minimè id onus aſſumendũ, quod cæteri omnes ferri poſſe deſperaſſent: ſed & malæ rationis eſſe, regẽ ſuũ dimittere, vt peregrè regnaret. omnia futura in regno turbarum plena & ſeditionũ, ſi ſine rege agitandum foret: neminem vnquam cenſuiſſe, aut nauem ſine rectore, aut exercitũ ſine duce eſſe oportere: aut vnum quempiam duabus nauibus, duobúsue exercitibus vtiliter cõmodeq́ præeſſe poſſe: non eſſe exploratum homini, quid indies accidere valeat: infinita penè, quæ abſente rege regnum perturbare queant: proceſſuram improborum licentiam in infinitum: bonis verò præſidium & tutelam defutura. ſed vt cætera tolerari poſſent, perpetuum bellum quod domi gerendum cum Tartaris, certè nullo modo ſine rege aut ſuſtineri, aut propulſari poſſe. Quorum ſententiam Vladislaus, cuius iuuenilis animus adhorrebat ab eo matrimonio, quod cum regno adeundum erat, cùm Regina grandæua foret, facilè ſequebatur: alijs multis in contrariũ nitentibus: inprimisq́ Oſtrorogeo Dobrogoſio, & Cyſouenſi Ioanne cũ Gregorio Sanoceo: diuitias viresq́ regni quod offerebatur extollendo, Turcorũ verò res deprimendo, magno animo conditionẽ ſuſcipiendam affirmabant: quæ de regis abſentia dicerentur, nihil ad rem attinere, iampridem aſſuefactos homines, etiã ſine eo agitare,

cum

cum ſæpe in Lituaniam ſe recipere ſolitus eſſet: viciniorémq; eſſe Budã Cracouiæ, quàm Vilnam. De ijs quæ timeri ſperaríue poſſent, facilè eſſe iam cũ volente rege ſtatuere. quòd ſi quid inopinatum caſus afferret, régem futu-



rum in propinquo: coniuncta eſſe inter ſe regna, ita vt non quaſi duobus, ſed vni tantùm regno rex eſſet præfuturus: & eo magis fore in vtroq; venerabilem, quo vtriſq; inuicem cuiq; alterius vis notior eſſet, & auctoritas. Contra furtiuas Tartarorum incurſiones ſatis ſupérq; indigenas Padoliæ ac Ruſsiæ ſufficere. Quòd ſi iuſtum bellum inferretur, multò faciliùs fore illud vtriuſq; regni virib. propulſare. non eſſe tantæ gloriæ occaſionem omittendam, vt rex Poloniæ etiam in Hungaria regnare diceretur, & vnus præ cæteris principibus viſus, qui tantum regnum ritè regere ac tueri poſſit: nullam conditionem repudiandam, nullum periculum non ſubeundum, pro tam ingenti laude: non inferri id bellum Hungariæ, in quo tantummodo libertas foret amittenda. quanquam quid non audendum ſubeundúmq; pro libertate? ſed magis, ne degenerarent omnes à morib. inſtitutiſq; maiorum, templaq; & ſacra omnia profanarentur: ſepulchra parentum dirui, & oſſa diſsipari, coniuges verò ſororeſq; & liberos aut ad ſeruitutem, aut ad libidinem rapi intuerentur: longè præſtare tantam immanitatem ſubmouere in alienis finibus, quàm in ſuis poſtea ſuſtinere. nullã vnquam ætatẽ taciturã immortalem gloriã, quã adipiſcerentur, ſi tã calamitoſam neceſsitatem à ceruicib. regni inprimis incliti, ſed & vicini, & fœderati, & quod non niſi per ſummũ ſcelus deſeri poſſet, propulſaſſent. Ad hæc ſolã famã eo inter ſe vinculo coniunctarũ viriũ duarum inuictarum nationum, ſatisfacturã ad Turcũ Tartarumq; intra fines ſuos continendos. Et iã deducta eò res

Alberti Auſtriaci poſthumus ex regina Vngariæ.

erat, vt nemine aduerſante Vladiſlaus conditionem ſuſciperet, cum renunciatum eſt reginam poſthumum ex Alberto peperiſſe. Itaq; cum videretur Vladiſlaus fruſtra vxorem ducturus, ſi filij ſui ad regni ſucceſsionem peruenire non poſſent, ex integro tota res cœpta eſt repudiari. Sed vbi oratores Hungari explicatis omnibus quæ apud ſuos conſtituta erant, etiam de filio, ſi naſci contingeret, hanc quoq; difficultatem amouerent: rurſus expugnatus eſt regis animus, vt ad gloriam & amplitudinem tantarum rerum ſe potiùs erigeret, quàm deprimi pateretur à breui voluptate, quam ex viridiore vxoris alterius ætate cõſequi poſſe arbitraretur. Decreta igitur dies ſolennis, & templũ auguſtius in arce Cracouienſi, vbi reſponderetur Hungaris ibi, cum frequentiſſimi ex omni ordine ad ſpectaculum conueniſſent, vniuerſiq; regni proceres in ſuggeſto ad id præparato conſediſſent.

Ladiſlaus Poloniæ Rex ius & tutelã regni Hungarici ſuſcipit.

Conuerſus ad oratores Vladiſlaus, vbi protulit ea quæ, pro loco & tempore, ad grati animi teſtimonium, propter præſens in ſe beneficium, viſa ſunt attinere: Quod benè verteret vtriq; genti, quibus conditionibus ad ſe delata erant, ius & tutelam Hungarici regni ſuſcipere profeſſus eſt: quantumq; humana ope fieri poſſet, daturũ ſe operam dixit, ne tam benigni de ſe iudicij Hungaros pœniteret. ipſorum iam eſſe, curare vt quæ ſuorum nomine ſpopondiſſent, rata permanerent: ſe in tempore promiſsis ſuis affuturum. Sub hanc vocem ſecutæ acclamationes, fœlicia omnia vtrique genti ominantium: & in publica gratulatione laudes Deo & grates actæ omnib. in templis. Thurcis ſubinde reſponſum, rerum mutationem, quæ mortem Alberti ſubſecuta eſſet, eorum legationem irritam reddidiſſe. Cæterùm quando & in Hungaria Vladiſlaus erat regnaturus, factam exinde maiorem occaſionem fœderis amicitiæq; ineundæ, ſi modò ea res cordi foret Amuratho: & ſi finibus ſuis contentus, pacis conſilia complecti vellet. Hungari reſponſo accepto, conſtituere inter ſe illicò, vt alij apud Vladiſlaum remanerent, qui eius in Hungariam profectionem vrgerent: alij ad Reginam optimateſq; perferrent ea, quæ acta erant & decreta in Polonia. Manſere Epiſcopus Strigonienſis & Vladiſlaus: cæteri gratulabundi retrò iter ad reginam conuertêre. Viſum eſt Vladiſlao mittere cum illis etiã legatos ſuos, qui tam reginæ quàm optimatibus publicè ac priuatim gratias agerent, tempuſq; aduentus illuc ſui nunciarent. decreti igitur ac miſsi ad eam rem obeundam Sandiuogius Oſtrorogeus & Ioannes Cogneſpolenſis, ſcriba regius. Cæterùm feſtinantibus Hungaris, vt quæ ad nutũ ſuorum feliciter tranſacta putabant, nunciando omnes gaudio opplerent, Poloni in via ſubſtitêre, paulatimq; ſubſequebantur. Interea regina, ſeu, quia deſperaſſet marem parere, cum natum videret in ſpem tantarum rerum, crudele nimium & immane appariturum ſenſit, ſi veluti propter noui mariti charitatẽ ſacratiſsimorum affectuum oblita, mater à debita ſucceſsione regni filium excluſiſſet: ſeu adducta perſuaſionibus quorundam, qui rei Polonicæ malè affecti erant, præſertimq; Comitis Ciliæ, qui tutorem ſe poſthumi fore, ac ſummam rerum obtenturũ credebat, ſententiam mutauerat. atq; ideò redeuntes ad ſe oratores ſuos in vincula coniecit, moxq; voluntatem ſuam immaturam promulgauit.

Regina ſuaſu Comitis Ciliæ ſententiã mutat.

gauit. Ea res, prout cuiusq; animus ad hanc vel illam perſuaſionem accli-natus, accipiebatur, nonnullis indigniſſimè ferentibus, tā ſalutare vtriq; regno incœptum vel vnius mulieris inconſtantia, vel Comitis Ciliæ cupidi-tate in irritum verti, & reginæ ſi perſuadendò adduci nequiret, vt conuentis ſtaret, afferendam vim cenſentibus, cum videretur ſpes profligandi externum bellum in id recidiſſe, vt ſi Vladislaus proſequi perſeueraret euocationem ſuam, regnū domeſticis ſeditionibus lacerari oporteret: apparebat enim, fore qui omnia extrema paterentur & facerēt, priuſquàm publicā & communi conſenſu datam Vladislao fidem violarent, & qui ſpe melioris fortunæ, ſi res tumultuarentur, in contrarium agerent, reginæque aſſiſterent. Multi etiam diuinitùs eam mentem reginæ datam interpretabantur, quaſi Deo eam regnorum inter ſe veluti confuſionem improbante, in qua vt inficiari nequiret, quædam ineſſe commoda, ſubmouendo bello quod à Thurco immineret: maieſtas tamē & nomē rei Hungaricæ interitura eſſet, actionumq; omniū gloria domi atque foris ad Polonos peruētura. neminem vnum exinde crediturū ab Hungaris peregrinū regem alia ratione accitum, niſi quòd ſine Polonis ſubſiſtere deſperaſſent. Vladislaū quoque propenſiore affectu erga ſuos futurū, ſatis experiendo compertū prioribus temporibus. Hungariam ad retinendā dignitatem ſuā externa ope non indigere: denique Deum ipſum in partu reginæ planè indicaſſe, quem regē vellet apud eos eſſe. Hæc, & plura eiuſmodi, iactabantur non vulgò ſolùm, verùm etiam in concilijs optimatum. ſed & ciuitates nonnullæ, inprimíſque Caſſouia, Baradinum, Lubolia, Cremnicia, & cæteræ finibus Poloniæ obiectæ, iam tum in tanta voluntatum varietate imminentium certaminum diſcrimina intuentes, vt ocioſæ rei euentum expectarent, comportatis intra mœnia eis quæ vſui fore credebant ſeu ferendæ obſidioni, ſeu ad vim propulſandam, ſi ingruiſſet, foſſas, muros, propugnacula, impigrè reficiebant ac firmabant, quæ vt agebantur vulgò ad legatos Polonos delata, eos vt retrò in patriam iter verterent, adegerunt. Et cum à regina impenſius reuocarentur, non auſi ſunt illius ſe fidei committere. Quodſi feciſſent, fama tenuit potuiſſe facilè omnia in integrum, re tunc recenti, per ipſos reſtitui. non ſolùm reginæ voluntas immutata, ſed cædes etiam Sigiſmundi Ducis in Lituania ſub idem tempus commiſſa: ſecutæq; illam diuerſæ ibidem factiones, & fames, qua deperditis frugibus, propter æſtatis intemperiem, eo vſq; laborabatur, quòd promiſcuè cum pecoribus non humanis cibis, ſed arborum corticibus, cannarumq; radicibus mortales veſci cogebantur. hyems præterea inuſitatè conſtanterq; rigens vsque ad perniciem iumentorum, hominúmque ad extremum lues, quæ inſolitis alimentis fluida labefactaq; corpora vulgò extabeſcebant, poterant Vladislaum à tranſcendendo in Hungariam retinere, ſi modò fatales neceſſitates euitabiles eſſent. Itaque tam multis aduerſis penè inuitum retinentibus, ille nihilo ſegnius ad tranſitum equos, arma, militē præparabat, indicto conuentu in Sandecio, in quo referretur ſtatueretur q; tā de rebus dome-

Diuerſa muliebris Inconſtantiæ interpretatio.

Poloniæ legati in patriam reuertuntur.

Fames magna.

ſticis conſtituendis, quàm de ordine proſequendi ſuſceptam profectionem. Præceſſerant Vladiſlaum ad locum conuentui deſtinatum mater eius regina Sophia, Duxq́; Maſouiæ Boleſlaus. Et præter paucos qui regem ſequebantur, vniuerſi etiam regni proceres & Lituanorum legatio. itaque vbi rex cum fratre ſuo Cazimiro aduenit, Lituani prius auditi, qui principatum ſuum poſt cædem Sigiſmundi in tumultu eſſe dicebant, & diuerſis factionibus laborare, optimatibus Vladiſlaum pro principe habendum cenſentibus, multitudine verò ad Michaëlem Sigiſmundi filium inclinante. ſed & Suidrigalem, qui & ipſe ex principum erat progenie, nonnulla oppida occupaſſe, Ruthenorumq́; primores ſpe nouarum rerum quotidie ad illum congregari. præterea Ducis Maſouiæ copias Droicinum expugnaſſe: atque ideo, niſi ſubitò ſuccurreretur, propè eſſe vt factionibus inteſtinis Lituanorum nomen ac res interiret. De quibus cum ſententiæ rogarentur, quàm plures erant qui Hungariã omittendam ſuaderent, amplexandámque conſulendi rebus ſuis domi occaſionem oblatam per inconſtantiam reginæ: ſatisfactum eſſe fœderatæ ac vicinæ nationi, tutelã ipſius, cum id efflagitaret, ſuſcipiendo. Nunc quando per illam ſtaret, quo minus conuenta perficerentur, temerarium videri, ſi neglectis opportunitatibus ſuis, cum periculo alienos etiam inuitos ſeruare aggrederentur. Tunc demum fuiſſe glorioſum Polonis in Hungariam proficiſci, quando contra Thurcos aduocabantur: nunc inteſtinis ciuilibusq́; certaminibus immiſceri, calamitoſum & turpe fore. dimittendos eſſe ad ſuos, Hungaros legatos: ſi ſenſiſſent illi operæpretium fore, coniungi eos cõmunis regis vinculo & ſocietate cum Polonis, inuenturos quomodo id ſine controuerſia fieret: culpam non ſeruatæ in præſens fidei penes ipſos remanſurã: interim rem Lituanam ſtabiliendam. Quorum ſententiã laudabat in primis regina, tum quòd ægrè filium à ſe diuelli, ac peregrè regnatum ire, patiebatur: tum quòd oriunda ortaq́; Ruſsia, magnopere angebatur, patriam ſuam mutuis ſeditionibus propter Lituaniæ motus periclitari. Vladiſlaumq́; & Cazimirum ſolicitos habebat res Lituana, vtpote patrius & auitus principatus Sed & Dux Boleſlaus cuius intererat regem non abeſſe à regno, propter ſuſceptam à ſe contra Lituanos actionem, quam iure decidi cupiebat, multa in eandẽ ſententiam diſſeruit. Gregorius verò cum Ioãne Ciſſouenſi & Creſlao Curoſuancheo cæteriſq́; qui iam tum à principio conditionem ſuſcipiendam perſuaſerant, dicere Hungaros aut non audiri oportuiſſe, aut pacta implenda. Non propter illos tantummodo conditionem ſuſceptam, ſed quia commune periculum propulſandum: eò conſtantius in incœpto perſiſtendum, quo illi iam diſcordes inter ſe propiores eſſent, vt alieno ſubderẽtur imperio. tutius multò fuiſſe, concordes initiò quàm in ſeditione deſtituere: ſi viderent in incœpto Polonos perſeuerantes, depoſituros ſimultates, redituroſq́; in fidem omnes Reginam quoque ceſſuram viribus, vbi eas adeſſe ſenſiſſet: ſi res committeretur, ſeditionibus inteſtinis perituros, aut ad alium quempiã ſe conuerſuros cuius poſtea vel potentia timẽda, vel imbecillitas maiori & ſumptu & diſcrimine fouenda eſſet. Nihil ſatius, quàm etiam per bellum ad inſtitu-

Legatio Lituanorum ad Regem Poloniæ.

Deliberatio de Hungaria omittenda.

Lituania periclitatur.

ſtitutum peruenire: ſi tum demum abſtineretur, & cupidè ſuſcepiſſe, & timidè deſtituiſſe apparituros. Ad Lituaniam pacandam Cazimirum cum aliquibus copijs mitti poſſe. ſed & Lituanos moderatius ſe habituros, intelligentes Vladiſlaum etiam in Hungaria regnare. Ad hæc Hungarorum legati parũ momenti in regina ad reſiſtendum vniuerſorum voluntati aſſerebant: paucosq́ illi affuturos, & eoſdem ſine auctoritate, aut gratia. Eos autem quos penes rei totius arbitrium, ſatis intelligere, nihil poſſe vtilius vtrique regno & inprimis ſuo inueniri. Non paſſuros ad nutum vnius mulieris ſummam libertatis ſalutisq́ ſuæ periclitari: abundè prius dilibe-raſſe ſtatuiſſeq́ quod optimum videretur. Sed & reginam facilè aut ſanioribus conſilijs aut vi expugnari poſſe, reduciq́ in ſententiam rectam, proſequerentur modò Poloni ea quæ cum ſumma ratione inchoaſſent. Decretum itaque ſecundum Gregorij ſententiam, vt progrederetur in Hungariam Vladiſlaus: Cazimirus verò cum certo numero copiarum in Lituaniã proficiſceretur, adiunctis ei primarijs viris, Derſlao Ritiſianeo, & Palatino Lublinenſi. Cum Boleſlao autem Maſouiæ duce inducias ſeruari placuit, quòd diu à regno Poloniæ rex abeſſet: eaq́ decreta ad cætera quæ dicta ſunt de neceſſitate & commodis ſuſceptæ profectionis, pro reſponſo data ſunt Lituanis oratoribus. Deſignati ſubinde qui abſente rege veluti vicarij in locis opportunis præeſſent ac ius dicerent. in præfectura quidem Cracouiana Ioannes, in Ciſſouenſi Ioannes Ciſſouenſis, in Poſnanienſi Petrus de Buyno, in Podolienſi Theodoricus Gunaſcanus. Vladiſlaus verò vbi ſatis conſtituta, prouiſaq́ reliqua apparuere, dimiſſis cæteris quoq́ ad munera, ſibi commiſſa, cum illis quos delegerat ad conſtitutam expeditionem progreditur. Matrem ac fratrem ſuum Cazimirum biduo ſe proficiſcentem proſecutos, tertia die ab ſe dimiſit: admonito prius fratre, qua ratione, quibúsue artibus cum Lituanis agitare oporteret. Eduxit verò ſecum præter militarem multitudinem viros magnos, & magnis præfecturis honoratos, quos conſiliorum actionumq́ omnium ſocios adiutoresq́ haberet: inprimis Andream & Ioannem Tancinenſes, Dobrogoſium & Sandiuogium Oſtrorogeos, duos Ioannes Tamouianos, Vicentium ac Scidouam Sciamatuleos, Lucam Goremſem, Nicolaum Laſſouianum, & Gregorium Sanoceum. is poſtea vigintiquinque annis præfuit metropoli Leopolienſi. Sed tunc maximè ingenio florens & doctrina, videbatur ad omnia gerenda ſuadendaq́ facilè idoneus, & de quo rex plurima ſibi polliceri poſſet. Ad quæ accedebat cum decora corporis proceritate, præcipua quædam animi ſanctitas & religio, in quibus adeò eminebat, vt nemo regem Deum propiciaturus facilius crederetur: eaq́ eſt ſibi in primis cura delegata. Cæterùm vt diuina per hunc rex procuraturũ ritè ſe credebat, ita prælijs conſerendis haud minus momenti fore putans, in virib. Leſconis Bobritij, cuius robur & audacia maximo cõſenſu vulgò laudabatur, ipſum quoque inter præcipuos educendum delegit. fuit autẽ Leſco auus diuæ Fanniæ carminibus noſtris celebris, ſi qua tamen ex illis gloria eſſe poteſt. inter progrediendum verò quotidie cateruatim confluebant ad regem alij multi ex

Ad expeditionem progreditur Vladislaus.

Laus Gregorij Sanocei.

Poloniæ

Polonia impigri & magni viri, partim ne velut ignaui repudiati viderentur, partim cupiditate, oſtendandæ virtutis in tam nobili expeditione. cæterùm volente vnoquoq; armis, equis, & reliquo apparatu eminere, incredibile memoratu eſt, quàm inſignis erat exercitus rerũ omniũ excellentia, cũ ferè miles quiſq; egregij ducis ſpeciem præſeferret. fama etiam, vt in magnis conatib. vſuuenit, omnia augebat, copiasq; & apparatum bellicũ vix tolerabilẽ reginæ, ad quam Dionyſius Archiepiſcopus, Ladislausq; Gara Banus, & pleriq; alij defecerant, nunciabat. quæ cum edixiſſet, arceri Vladislaum omnibus munitis in Hungaria locis, vbi receptũ audiuit in Cheſmarchum, ſollicita, vt ſit in re trepida, cogitationes in partes omnes cœpit agitare: cæterùm ſeu deſperans poſt adeò ingentem belli molem excitam, pacis aut fœderis audiendam mentionem, ſeu non inueniens apud ſe conditiones, quæ vtrinq; ſuſcipi honeſtè poſſent, ad ſuſtinendam vim cum ſuis animum conuertit: inprimisq; cum haud ignoraret ſuſceptas vulgo perſuaſiones, ceremoniasq; aliquas in rebus non leue momentum habere ſedandis concitandiſue populorum animis, Viſſegradum, vbi præerat Ladislaus, Gara properè contendit: coronam qua vetuſta religione ac more Hungariæ reges initiantur, in poteſtatem ſuam redactura, ne ſi eius Vladislaus potiretur, veluti rex legitimus populos ad ſe conuerteret. Itaq; non aduerſante præfecto, penetrale, in quo ſanctiſſimè aſſeruabatur, cũ effregiſſet, illam tantum modo extulit, relictis cæteris induuijs, quæ ad ritum ceremoniamq; coronãdorum regum pariter adhiberi cõſueuêre. nec mora, cum omnib. qui palàm ſibi ac poſthumo fauebant, in Comarum ſe recepit. Alij verò quos aut nouarum rerum ſtudium, aut per legatos data fides Vladislao, aut timor ne bello cogerentur, ſollicitos habebat, quanto quiſq; poterat cõitatu, quotidie ad illum confluebant. in ea feſtinatione pleraq; hoſtilia commiſſa ſunt diuerſis in locis contra illos qui reginæ affuturi videbantur. inprimisq; Simon Roſgonius Agrienſis epiſcopus, cum cõperiſſet in oppido Emperiaſcio non vigiliarum ordinem, non ſtationes iuſtas ſeruari, ſed ſecurè ac ſolutè agitari, per occaſionem noctu illud intercepit. Quo ſubinde firmato munitionib. ac præſidio, Cheſmarchum venit. ibi Polonorum animi, quos propter reginæ motus demiſſos labefactósq; conſtabat, rurſus erecti ſunt & confirmati, cũ viderent ad ſe conueniſſe magnam partem ex primorib. Hungarorum, quorum auctoritatem cæteros ſecuturos: aut ſi qui aduerſarentur, minimo negotio cogi poſſe apparebat. Itaq; alacres renouata ſpe, facile ac celeriter incepti perficiendi, alteram Lituanorum legationem, quæ illuc vsq; ad auertendum in Lituaniam Vladislaum ſollicita aduenerat, dimiſêre retrò ad Cazimirum, cui Lituanicæ rei cura delegata eſſet: etſi pleriq;, quos non minus diſcrimina & progrediendi difficultas quã ea quæ nunciabantur à Lituanis mouebant, cum Ioanne Tancinenſi vel illinc regredi in Poloniam ſuaderent: ſed ne id fieret, annuentib. Ioanne Iaroslauienſi & Gregorio Sanoceo tenuit pudor famæq; verecundia. Conſtitutum itaq;, vt relicto cum valido præſidio ad cuſtodiam Cheſmarchi Nicolao Pereno, Budam verſus progrederentur. vtriuſq; regni copijs ſimul coniũctis, inter proficiſcendũ lentè,

Exercitus inſignis.

Simon Roſgonius Emperiaſcium oppidum occupat.

lentè, vt par erat tanto exercitui, viſum eſt mittere qui regni caput Budam præoccuparent: ne regina, ſi muniendi ſe illic facultas ſpaciumq; daretur, conatus Vladiſlai ac ſuorum ſubinde aut retardaret, aut irritos redderet. Datum eſt ideo negotium Agrienſi Epiſcopo, & cum eo miſsi Vincentius Sciamatulienſis, Andreas Tancinēſis, & Leſco Bobricius. eos, vbi aduenere, populus intra vrbem vltrò admiſit, ducendisq; munitionum operibus manu & cætero omni ſtudio frequens affuit. Cum interim præfectus arcis Laurentius Endreuèra deliberabundus, neq; aduerſando, neq; obſequendo iis quæ fiebant, videretur in eā partem inclinaturus, ex qua minus perturbationis in regno crederet excitari. veniebat ex parte altera Federicus Comes Ciliæ cum quingentis equitibus, miſſus & ipſe à regina eodem conſilio præoccupandæ Budæ: qui vbi à Polonis iam teneri cognouit, nihil vltra tentandum ratus, demiſſo animo ſtatim retrò abiit in Comarum. Augebantur ſemper copiæ Vladiſlai, accurentib. ad eum in itinere Hungaris. Cæterū cum perueniſſet Emperiaſcium, diemq; vnam ad quietem indulſiſſet exercitui, ſecretarius, quem chariſsimum habuit, dum in fluuiolo ignobili præproperè opitulari pergit accipitri cum anate periclitanti, ſubmerſus eſt: & prodigioſæ magnitudinis grando cum ingenti procella & fragore cœli decidit, quibus nonnihil conſternati ſunt animi in Polonis, minimè referentium vel illud ad fortunæ caſus, vel hoc ad aëris intemperiem, ſed vtrumq; velut in prodigium auertentibus, vt cuiuſq; vel mens erat, vel religio, diuerſis in diuerſum interpretantibus. Regina verò vbi ad Polonos Budam defeciſſe intellexit, & Vladiſlaum, qui Agriam iam attigiſſet, hilari conſenſu illic à populo expectari, ad cæteras ciuitates in officio retinendas feſtinato itinere Albam regalem ſe contulit: cui præerat tunc partium ſuarum fautor Nicolaus Friſtarchi. ibiq; ſuadentibus qui illam ſequebantur, filium ſuum iam trimeſtrem in templo conſueto, regio titulo & corona ſolenniter inſignitum, auguſtiorem & veluti ſacroſanctum populis ciuitatibusq; Hungariæ reddidit: putans futuros plures qui veri & legitimi domini partes ſequerētur, quàm qui contaminare ſe vellēt nota defectionis. Affuere coronationi eiuſmodi ex illis qui paulo antè Vladiſlaū accerſendū cenſuerant, Archiepiſcopus Strigonienſis, Iaurinenſisq; epiſcopus Benedictus, tū Ciliæ Comes, Nicolaus Friſtarchi, Stephanus Roſgonius, & pleriq; alij, omneſq; mox cū regina cōtulere ſe Iaurinum. Res ipſa tum etiam auctores magnopere Polonos conturbauit: ſed eò ventum erat, vnde regredi, niſi re perfecta, turpitudo non patiebatur. itaq; mouens ab Agria Vladiſlaus, per commoda interualla tandem Budam peruenit. cum appropinquaret, factus eſt ei obuiam præfectus arcis Laurentius Endreuera cum liberis duobus, & populus effuſè, cum ipſe inſtructis aciebus, ne quid ſubeſſet inſidiarū, ingrederetur. Poſt mutuam gratulationem viſum eſt ea die ab ingreſſu vrbis abſtinere, placuitq; ſubſiſtere in Peſta. Interim regina per nuncios maria monteſq; pollicendo Endreueræ, enixè conabatur perſuadere vt in fide atq; officio maneret: parumq; abfuit quin impetraret, magis in gratiam memoriæ Sigiſmundi, quàm ſponſione ditiſsimarū conditionū quas proponebat. præua-

Agrienſis Epiſcopus Budā intercipit.

Secretarius Vladiſlai ſubmergitur.

Alberti Auſtriaci poſthumus ex Regina iam trimeſtris corona donatur, & regio titulo ſalutatur.

luit

luit tamen in animo bene inſtituto ea ſentētia, quæ tutior videbatur ad ſtabiliendam fortunam naufragantis regni. Itaq; ille Vladiſlaum & ſuos liberaliter in arcem admiſit: pro quo beneficio Vladiſlaus vt præfecturam, in qua erat, continuaret, edixit: ſatis confidens manſurum eum conſtantiſſimè in ea parte, in quam primò incolumitate ſuadente, non impetu animi, ſed iudicio acceſſerat. Super omnia inſigne fuit ſpectaculum, cum Budam Vladiſlaus ingrederetur: nam præter magnificentiam ornamētorũ nauium, quibus cum inſtructo exercitu per Danubium tranſuectus eſt, maximè eminebant vbiq; ſtudia procerum regni vtriuſq;, certantium inter ſe officij ſedulitate, ad inducendum ipſum quàm maximè fieri poterat ſolenni ac omni genere ornatus inſtructiſſima pompa. Sed & milites cum ducibus ſuis, qui præmiſſi illuc fuerant, armati obuiam prodierant. Præterea ſacerdotes cum ſacris & religioſo apparatu, populiq; promiſcuè omnis ordinis turba innumerabilis. procedebat ergo militib. ſtipatus inter voces gratulãtium, felicemq; ac fauſtum regi, ſibiq; & regno ingreſſum eius exoptantiũ, ſubſequebantur proceres regni vtriuſq; pro dignitate ac meritis, vt quiſq; eminebat, ita ordine antecedētes. Vbi ad templum auguſtius peruentum, laudes grateſq; Deo immortali actæ. Subinde in regiã perducto Vladiſlao, populus quidem gratulationem ſuam in multam noctem produxit, varijs diſcurſib. per ciuitatem cum cantu, tripudijſq; & hilari ſaltatione. Proceres verò cum crederent ſuſcepti negotij partem maximam tranſegiſſe, recepta Buda quieti ſe dedere: mox conſulturi quibus medijs reliqua ſine contentione vel mora perfici poſſent. Vbi Budam teneri per Vladiſlaum vulgatum eſt, non ſolùm qui apertè partibus ipſius fauebant, ſed multi alij qui ad id temporis diſſimulauerant, fidem atq; obſequium pollicentes cum gratulatione ad eum confluxere, inprimiſq; Matthico Talautius eiſdem diebus cura atq; opera tonſoris ſui elapſus cuſtodia, in qua reginæ iuſſu aſſeruabatur: tum Nicolaus Friſtarchi, Stephanus Roſgonius, Iohannes maior Perenus, & in quo plurimum in vtramq; partem momenti Ioannes Hũniadianus: præterea Epiſcopi, Veſperinenſis, Quinq; eccleſienſis, Tranſyluanienſis, Nitrienſis, Sirmienſis, Vaccienſis, Varadienſis, & Colocenſis Archiepiſcopus: paucaq; præter Caſcouiam reliquaſq; ciuitates, quæ cum illa ſe in euentum à principio communiuerant, in regno toto ſupererãt, quæ non profiterentur ſe in fide Vladiſlai eſſe ac fore. Venit & à rege Boſſinæ legatio apparatu viriſq; inſignis: quæ repetito gentis ſuæ primordio, eoſdem cum Polonis auctores generis & cõmunem linguam Boſſinenſes habere cum dixiſſet, ob eamq; linguæ & originum veluti cognationem, regem ſuum magnoperè gaudere, propterea quòd cœptis Vladiſlai felicitatē adeſſe vulgabatur, multa diſſeruit de commodis quibus ſe mutuò propter cognationem vicinitatemq; releuare poſſent ac deberent, communicatis virib. & conſilijs aduerſus imminentē Turcarum crudeliſſimam tyrannidem, fœduſq; præterea & amicitiam ſanctiſſimè cultam ſeruatamq; inter Boſſinæ & Hungariæ reges ad id locorum inter ſe commoda cuiuſq; ad alterum & ſubſidiaria connexio: propterea fœdus & amicitiam inter reges vel iniri, vel renouari, poſtula-

Vladiſlaus in arcem admittitur.

Ingreſſus in vrbem deſcriptio.

Legatio regis Boſsinæ.

Legatorũ ad Vladiſlaum Oratio.

poſtulauit. quibus benignè reſponſum, incrementa ſucceſſusq́ Vladislai meritò regi placere, tum propter eam quam repetiſſent linguæ penè tantundem intereſſet, vt quàm celerrimè pacata omni Hungaria, contra communes hoſtes integris viribus expeditio duceretur. Gratiæ ſubinde actæ, quòd in tempore affuturum ſe contra Turcos communicando actiones & conſilia rex vltrò polliceretur. Et vt ſic animatus ad extremum perſeueraret, adhortationes adhibitæ. fœdus deniq; inter reges & regna confirmatum.

Oratores Deſpoti Vladislao gratulantur.

Aduenerant etiam oratores Deſpoti, cuius demiſſior gratulatio fuit, vt par erat: quippe quòd à principatu ſuo per Turcos eiectus, priorum Hungariæ regum munificentia alebatur: qui caſum tanti viri miſerati, collocauerant eum in finibus regni, aſſignatis ſibi nonnullorum oppidorum vectigalibus & iuriſdictione, quibus haud indecorè præſentis fortunæ ſtatum ferret, & præteritæ deſiderium leniret. Itaq; ante omnia oratores ſui magno verborum ambitu, commemoratis propè eiſdem quæ Boſſinenſes de cognatione originum ac linguæ cum Polonis, purgauere Deſpoti factum, quod per nuncios id munus aggreſſus, quòd obire ipſum oportuerat: ſed accinctum iam itineri, Turcos auertiſſe, ne coràm veniret. Cæterùm ambigere ipſum, ſpeine ſuæ, quæ poſt ademptum ſibi principatum, abductosq́ in ſeruitutem liberos, tum primùm reuiuiſcere incipiebat, an felicitati Vladislai prius magisq́ gratulandum foret. acceſſiſſe quidem acceſſurumq́ in dies benignitate Dei ad gloriam dignitatemq́ Vladislai multum, cum nihilominus in ſumma gloria ſummaq́ dignitate exiſteret: ſibi omnibus patrijs auitisq́ ornamentis ſpoliato, nec ſolùm principatu & patria, ſed domo & lare eiecto, extorri, indigo, alienaq́ viuenti miſericordia, tum primùm oriri lucem aliquã non ſolùm melioris conditionis, ſed priſtinæ etiam dignitatis & fortunæ recuperandæ. Ac felicitatem inceptorum polliceri, tum geminatas vires duarum inuictarum nationum, quarum neutri vlla præter alteram diſciplina militari & alacritate pugnandi par foret in terris. obuerſari iam tũ oculis ſuis fugã formidinemq́ cõuerſas in Turcos: agrumq́ illorũ igne, ferro, vaſtitate infeſtum: ſe verò ad maiorũ ſuorum ſedem reſtitutum: atq; ideo vltra omnẽ humanã lætitiã gaudere ſibi: Vladislao autẽ gratulari, qui tã magnarũ actionũ gloria nõ modò præſentis æui reges, ſed vetuſtos omnes eſſet ſuperaturus, ſi priſtina fortuna adeſſet, oblaturũ fuiſſe ſe comitẽ atq; adiutorem. Nunc quando integrum non eſſet ſibi maiora polliceri, voluntarium regis ad omnia periculoſa & difficilia obeunda miniſtrum ſe offerre & debere. mouit tum Vladislaum, tum cæteros & fortuna viri, & tam ſubmiſſa oratio. itaq; reſponſum legatis, vt Deſpotum bono animo eſſe iuberent, ſatis multas affuturas occaſiones ad mutuam paremq́ gratulationẽ.

Vladislai reſponſio benigna.

Interim cum ratione ab eo factum, quòd loca in quibus regi gratulari poſſet, ab hoſtili incurſu tuenda ſibi in tempore putaſſet, perſeueraret modò ſtrenuè: Vladislaum primo quoq; tempore annixurum, vt expectationem ſpemq́ de ſe cõceptam adimpleret. Interea Strigonienſis Archiepiſcopus & Ladislaus Cara, qui coronãdi poſthumi inprimis auctores adiutoresq́ fuerãt, ſeu deſperatis reginæ rebus ꝓpter ſucceſſus Vladislai, ſeu rati pertrãſi-

tionem ſuam, quam reliquos dignitate inferiores ſecuturos credi par erat, reginæ animos infringi, & ad concordiam conuerti poſſe, cœperunt cum Vladislao clàm per internuncios agere, vt impunè ad eum tranſire liceret: acceptaq́; in id fide, Budam properabant. Vladislaus verò qui ſciret magnam eſſe talium virorum apud populares ſuos auctoritatem, multumq́; huc vel illuc mouere animos vulgarium pariter & nobilium poſſe, vbi appropinquaſſe ciuitati percepit, obuiam progreſſus, benignè complexos bene de ſe ſperare iuſsit. Die ſequenti cum ex compoſito vtriusq; gentis primores quàm magnificentiſsimo apparatu ad regem conueniſſent, miſsi ſunt qui illos in curiam inducerent, vbi Archiepiſcopum in hanc ſententiam locutum tradunt: Intelligo, rex inclyte, purgandum eſſe, quod in rebus ferè omnium maximis conſilium ter variaſſe videmur. Primum, cum te, qui apud nos regnares, accerſendum cenſuimus: deinde, cum reginam filium ſuum coronantem contra te ſecuti: nouiſsimè, quando illius partibus omiſsis, nunc ad te reuertimur: ne aut ſpernendi à te, velut imbecillitate animorũ laborantes: aut cum ſuſpicione accipiendi, ceu parum fideles ijs ad quos inclinauerimus, exiſtimemur. Non enim ſententiam fidemue mutando totiens velut in contrarium acti ſumus: ſed cum ageretur de conſeruando augendoq́; regno noſtro, idq́; quantum rei magnitudo poſtulat, nos ſolicitos haberet ſeu nimia cupiditate, ſeu humana ignoratione, quod optimum foret, nõ ſatis conſtituebamus, atque ideo nunc hoc, nunc illud approbantes, minimè mutato propoſito ad id quod efficaciſsimum videbatur, confugimus non ſtudio partium, ſed caritate patriæ, cuius ſalutem dignitatemq́; periclitari intuebamur. Nec enim vt de me fatear, quod de alijs etiam ſentio, cum à nobis accitus es regnatum, ideo tantum conſenſi, quòd ob virtutem tuam, maiorumq́; tuorum gloriam digniſsimus videreris. Immutabant ea quidem vt conſentirem, verùm non de ornando augendóue te conſultatio erat: ſed cum poſt mortem Alberti regnum noſtrum in orbitate velut prædæ Turcis expoſitum appareret, inuictum regni tui robur inprimis occurrebat, quod per vicinitatem & fœdera nobis coniunctum, velle deberet, per amplitudinem autem facilè nos poſſe tueri & conſeruare videbatur: & tua tuorumq́; intereſſe: vt quæ nobis imminebant pericula, propulſarentur. atque ideo freti viribus & amplitudine regni tui, cum de fide dubitare non poſſemus, quando in rebus veſtris idem exitus quem in noſtris pateremur, foret à nobis expectandus, vnanimi conſenſu ad te confugimus, rati fore vt in ditione & tutela tua res noſtræ domi foriſque maximè florerent. Poſtquam verò regina ſeu mala ratione, ſeu malo fato percita, cœpit à communibus conſilijs reſilire, quanquam & ego, & qui illam me cum ſecuti, intelligebamus ad publicas etiam neceſsitates parum momenti illinc eſſe, acceſsimus tamen: tum quia nefarium apparebat, reginam noſtram, & eandem Sigiſmundi regis noſtri filiam deſerere, priuſquam patriæ periclitatio nos cogeret: tum vt in viam rectam, ſi fieri poſſet, reuocaretur: & tu defectionẽ noſtrã veritus, tantiſper deliberabundus ſubſiſteres, dũ inueretur ratio ſedãdi ciuiles diſcordias, quas celer aduẽtus tuus, tumultuãte

Strigoneinſis Epiſcopi oratio.

adhuc regina, videbatur excitaturus. cruciabamur enim animo intuentes exarſurum bellum inteſtinum euocatione tua, per quam externũ extinguere volueramus: atq; ideo omnia prius experiri certi, quàm patriam ſuo ſe gladio conficientem intueri, tamdiu in parte altera perſeuerauimus, quo ad non officium erga reginam & gratiſſima noſtris animis memoria Sigiſmundi charitati patriæ conceſſit. vbi verò ambitione reginã elatiorem vidimus, quàm quæ adduci poſſet, vt periculis ſuorum parceret, & in illis anguſtijs eſſemus, quòd aut patriæ aut officij iacturã facere oporteret, maluimus boni ciues quã officioſi clientes dici: & relicta illa, quæ niſi per ſummas omnium noſtrorum calamitates nec regnum aſſequi, nec adeptũ tueri poſſet, rurſus ad te conuerſi ſumus, in cuius auctoritate pacẽ domeſticã, in armis verò foris poſitam victoriam intuemur. Idem patriæ ſalutis ſtudiũ, quod ad te vocandum, quod ad ſecedendum pauliſper ad reginam nos compulit, nunc ad te reducit. Debet probari abs te tam propenſa conſtansq; in patriã fides noſtra, cum intelligas propter illam nos etiam famæ ſubijſſe diſcrimen. maluiſſemus quidem quòd prima conſilia noſtra proceſſiſſent, & vt ſic apud nos regnaſſes, quòd officioſi erga reginam, eiúſque parentis memoriam immortalem manſiſſemus: & vt quieti inter nos, tua tuorumq; auctoritate accedente, non ſolùm finibus noſtris hoſtem ſubmouere, verumetiam agrum illi ſuum infeſtum reddere potuiſſemus. Nunc quando vtrumque aſſequi non licuit, incolumitatem patriæ cum felicitate tua ſequentes, petimus, quod vt verecundiæ noſtræ indulgeri debet, quòd aliquandiu cum regina fuimus, præſertim vt conciliaretur tibi, ita nobis fraudi non ſit, quòd illa quieta conſilia contemnente, ſalus & pax regni nos abſtraxit, in futurum quales nos experieris, habeto. Vladiſlaus contrà minimè daturum fuiſſe fidem, vt ſe accederent, niſi bonos forteſq; viros iudicaſſet: ſatis ſcire, tranquillitatem patriæ vnicuiq; chariſſimam eſſe debere, ſed ante omnes illis qui in ſummis ornamentis ſummaq; dignitate collocati, quæ egiſſent, omnia ſic accipere tanquam pro pace ac firmamento regni geſta eſſent, non contra ſe. neque enim quicquam commiſiſſe propter quod hoſtilem animum aduerſus ſe gerere deberent: niſi propterea ſibi iraſci vellent, quòd relicto florentiſſimo regno ſuo, & omiſſa cura pacandæ Lituaniæ, in qua propter cædem principis perpetratam, bellum exardeſceret, vires animumq; ſuum conuerteret ad tutelam ſtabilimentumq; regni eorum. quòd ad reginam attineret, minimè reprehendi poſſe, ſi ad extremum voluntati illius publicam ſalutem prætuliſſent. nec enim regibus fidem obligari euertendis regnis, ſed conſeruandis: hortari vt adeſſent animis ac viribus ad cætera quæ ſupereſſent expedienda: breui affuturam tranquillitatem illam quam optaſſent, modò ipſi factis & conſilijs opportunis orationi ſuæ fidem facerent. Regina quamuis, vbi ſuorum fidem labefactari vidit, & ad Vladiſlai felicitatem deficere, malo animo affecta, tamen diſſimulata muliebri trepidatione, ne ſi quantum metuebat indicaſſet, reliqui in deſperationem adducerentur, Ciliæ Comitem ad ſe vocauit: cõmunicatoq; cum eo conſilio, nuncios cũ literis Caſcouiã, & ad cæteras

Præſtat bonus ciuis officioſo cliente.

Reſponſio Vladiſlai.

ciuitates quæ Vladiſlaum ac ſuos ſub ipſum belli initium excluſerant, circummiſit: iubens vt bono eſſent animo, properè affutura auxilia quibus tueri ipſi commodè ſe poſſent, & Vladiſlaus toto regno facilè excluderetur. Moxq́ conductitium militem ex Bohemia acciuit, & conſentiente in id Epiſcopo, Iaurinum diligentiſſimè communiuit, collocatisq́ illic copijs ſuis, velut in loco opportuno incurſionibus faciendis aduerſus Vladiſlaum & ſuos, cum filio tranſtulit ſe in Poſonium. Id vbi à Polonis compertum, miſit Vladiſlaus ex gente vtraq́ numeroſum exercitum ad Iaurinum obſidendum, ducibus Ioanne Hunniadiano, & Staniſlao Oſtrorogenſi. fortè ita euenit

Iaurinum ab Vladiſlai exercitu obſidetur.

vt Comes Ciliæ, qui illuc acceſſerat, inſpecturus an ſatis omnia firma munitáq́ eſſent, & an conſtantes conſentientesq́ inter ſe perſeuerarent omnes tuendis reginæ partibus, cœptus ſit cum alijs qui illic erant, obſideri, ſuperuenientibus qui ab Vladiſlao miſsi fuerant. At ille vt erat vir acri & elato ingenio, ante omnia confirmatis ſuorum animis tolerandæ obſidioni, factáque ſpe affuturi properè ſubſidij ex Auſtria & Boëmia, ne alicui deeſſet occaſioni retinendæ reginæ in ſententia, ſi fortè propter efficaces conatus Vladiſlai, animus eius demitti cœpiſſet, cum videret ſe cum ſuis imparem, aperta eruptione conſtituit clàm euadere in Poſonium. Cum paucis igitur ſilentio noctis profectus per hoſtium ſtationes, moxq́ Rauo ſuperato, in inſulam quæ non procul à Danubio circumplectitur, quàm occultiſſimè ſe tranſtulit, ratus illac commodè ſe elapſurum ad reginam. Quare ab hoſtium ſpeculatoribus comperta, miſsi ſunt illico cum Leſcone Bobritio impigri & expediti aliquot milites, qui inſequerentur comprehenderentq́ fugientem. Senſit & Comes patefactam fugam ſuam, & ſequi à tergo hoſtes. itaque diffidens euadendi celeritati, latendo illos fallere inſtituit. edixit ergo ſuis quòd ab inſequentibus ſe facilè capi paterētur, ſubindeq́ à domino ſuo, qui in oppido remanſiſſet, miſſos ſe cum mandatis ad reginā profiterentur. nec mora, in ſiluam, qua profundiſſima erat, ipſe ſe immiſit. captis è familiaribus nonnullis, cum ſingulorum aſſeuerationi vnum congruens ferè per

Stratagema Samſciæ.

ſuaderet, inquiſitio à Polonis propemodum omittebatur. tum Samſcia quidam haud militaris diſciplinæ rudis, eos aſtuta argutia increpuit, tāquam deſertores domini ſui, qui per imprudentiam minimè noſcitantium eum, haud procul in ſilua foret interfectus. Ad eam vocem bene ſimulatum mendacium aperuere humani affectus. itaq́ inſtaurata diligentius inquiſitione, erutisq́ hincinde omnibus latebris, tandem à Leſcone ipſo inuentus eſt

Comes Ciliæ captiuus Budam ad Vladiſlaum perducitur.

Comes, & captus: mòxque cum ingenti militum gaudio in exercitum ſubindeq́ ad Vladiſlaum Budam productus eſt. Cum exhiberetur in conſpectu, nō ſolùm vtriuſq́ gentis principes conuenerant, ſed promiſcua etiam omnium ordinum multitudo partim miſerantium præſentem viri cōditionem, memoria priſtinæ dignitatis, partim aſſeuerātium verè iuſtum humanarum rerum inſpectorem Deum eſſe, qui debitas ab eo perfidiæ pœnas expetiſſet. Ille nihil purgans, oblitusq́ inſitæ & ingenitæ ferociæ, ſubmiſſa & ef-

Vladiſlai ad comitem oratio.

fracta nimium voce ac geſtu veniam precatus eſt: Vladiſlaus autem minimè duro vultu ſupplicem alleuans: Maluiſſem, inquit, vt fides tua te amicum

amicum huc adduxiſſet, quàm felicitas mea captiuum. Idq́ factum foret procul dubio, ſi ambitio expugnata, animi tui fide & conſtantia non extorſiſſet, vt debiti mihi principatus vicarium te potius quàm ſocium eſſe velles. Nunc quando fortunam meam potius quàm beneuolentiam & experiri, & vana ſpe beneficij in me tui gratias corrumpere placuit, impugnando iudicium quod de me feceras, cum vnanimi omnium conſenſu electus ſum qui apud vos regnarē, placidè feres, ſi ego viciſſim ergà te magis factorum tuorum præſentium, quàm electionis, à qua nulla mea culpa defeciſti, memor eſſe cogar. Moxq́ in cuſtodiā tradi iuſſit. Poſtridie Vladiſlaus, ſeu periclitantis ciuili tumultu Lituaniæ diſcrimen ſolicitum haberet, ſeu patrij regni deſiderium malè ferret, ſeu abhorrens ab immanitate inteſtini belli, q̄ gerendū illic videbat, ſeu cupidus denuò coramq́ experiri qua tandem mēte Hungari erga ſe forent, conuocatis in arcem omnib. quorum auctoritas aut publicè aut priuatim eminebat, huiuſcemodi orationem habuit: Satis intelligebam, cum me apud vos regnatum vocaretis, non mihi, ſed neceſſitatib. veſtris id tribui. Sed neq́ id oratores ad me miſſi diſſimulauerunt, & pleriq́ ingenuè ſubinde profeſſi eſtis, cum tamen benignitate Dei maiorumq́ meorum virtute longè lateq́ haberem vbi feliciter regnarem: ſtabiliendi res veſtras curam ſuſceperam magis, ne fidem meam in periculo ſuo implorantib. vicinis fœderatisq́ deeſſem, quàm quod amplitudini meæ neceſſarium putarem. ſed & quieta omnia domi conſentientesq́ inter ſe voluntates veſtras nunciabatis. Quidquid verò laboris ac periculi bellicis actionibus exhauriendum eſſet, ab eo hoſte imminere, cuius impetus frangere ac retundere, longè pulcherrimum &glorioſum foret apud omnes populos & nationes quæ religionem noſtram profiterentur. quæ ſine inuidia loqui liceat, multo ſecius ſe habent: quippe quòd ex vobis multos ab inuicem video diſſidentes: & longè maior dimicatio domi propoſita apparet, quàm timeri foris potuerit. itaq́ diſtrahitur ſæpe animus in diuerſum, cum vel deſiſtendum ab incepto, vel præbendum me ducem in ea acie, quæ propemodum ad parricidium ſit animata, conſidero. cæterùm ex veſtra ſimul & mea re magis eſſe videtur abſtinere, quàm per inteſtinum bellum ad propoſitam mihi per vos ſpem peruenire. Occurrit enim iam nunc animo totius belli ſpecies. Video vos gentem vnam, non vt multæ aliæ, ex conuenarum multitudine caſu congregatam, ſed vnius linguæ ſtirpisq́ ac propemodum familiæ circumſpectos vos ſingulos & vniuerſos, adeò eſtis inter vos iuncti ſanguine & affinitatibus, vt veriùs domus vna quā natio dici poſſitis. Nemo vnus ex vobis violari poteſt, quin eius iniuria penè ad omnē pertineat, atq́ in illū ipſum qui intulerit per quendam veluti circuitū cognationum redeat. hanc vnitatem coniunctionemq́ ſanguinis inter vos, quam vobis ſemper profuiſſe, mihi verò inprimis profuturā externo bello ſubmouendo exiſtimabam, diſtrahi in diuerſum, violariq́ mutuò, non aliud mihi quidē videtur, quàm naturā ipſam, & quidquid in ea venerabile ſanctūque eſt, euertere. Dubius eſt (vt aiunt) euentus belli. ſed blandiamur nobis & ſuccubituros armis noſtris aduerſarios concedamus, poſt fratrum paren-

Oratio Vladislai ad Hungaros.

túmue ac cæterorum propinquorum exhauſtum ſanguinem. Reſtat, vt ſi Turcus laceßierit, aduerſus illum nos producamus ante omnia inteſtinis cladibus debilitatos, ſed & pleroſq; cognati aut propinqui cuiuſq; cæde imbutos: quam ſpem victoriæ mihi proponitis tam nefariè cruentum agmen & ſuorum ſtrage ac vulneribus conſceleratum educenti? Deus meliora velit: non ætas, non fortuna mea ea eſt, vt per tam abominandam dimicationem properandum mihi cenſeam ad ſpem maioris amplitudinis. Nec corpus, nec virtus, aut animus deerunt gerendis honeſtiorib. bellis. nunc antequàm mutuis ſceleribus coinquinetis manus, dum integræ adhuc regni vires, & nondum cruentatis armis inter ſe conciliari poſſunt vel ad retinendam ſimul priſtinam dignitatem, vel ad patronum concordi voto deligendum, tum grato erga vos animo meo digniſſimum, tum rebus meis veſtriſq; conducere arbitror, vt ego, propter quem tumultuari cœpiſtis, retrò iter flectam. facilè, vbi ego abſuero, in gratiam mutuò redibitis. Et quod in magnis diſcriminibus aliàs ſæpe feciſtis, minimè difficulter rationem inietis publicæ ſalutis expediendæ. Quòd ſi ad me rurſus confugiendum cenſueritis, tam primæ quàm ſecundæ euocationis veſtræ memor, enitar vt in ceſſione hac mea nihil aliud à me quæſitum intelligatis, quàm ſalutis veſtræ remedium. Interim aſſequar vt haud perpeti potuiſſe dicar in gratiam meam periclitari fœderatum & bene de me meritum regnum: & rem Lituanam ſic conſtitutam, vt multo liberius, ſi opportunum duxeritis, incolumitatis veſtræ curam denuò ſubire poßim.

Euentus orationis Vladislai.

Verba Vladiſlai cum ſumma laude moderatißimi animi accepta, pleriſq; etiam lacrymas excuſſere. Cum verò vt liberius conſultarent, è conſpectu abiturus aſſurgeret, voces vndiq; auditæ aſſeuerantium neminem magis intereſſe oportere, quandoquidem vſque eò afficeretur rebus ipſorum, vt amplitudinis & gloriæ ſuæ videretur oblitus: vel ex eo digniſſimum eſſe quem regem apud ſe vellent, quòd ſalutem regni anteferret cupiditati regnandi. Non tantum ſperaſſe, quando eum elegerant. Nunc veram in eo fidem regiámque virtutem experti, non commiſſuri ſint vt prudentiores in eligendo, quàm conſtantiores in conſeruando ſibi rege fuiſſe dicerentur, & iam rurſus Vladiſlaus aſſederat, cum cæteris haud ſanè ciuiliter neque in conſultantium morem ſtudia ſua offerentib. ſilentium fecit, exaudita vox Hunniadiani;

Conſilium Hunniadiani.

ille peregrini Regis euocationem contra imminentia diſcrimina velut in neceßitatem reijciens, ne priuſquam poſthumus coaleſceret, aut externo bello aut domeſticis ſeditionib. regnum ſuccumberet, quicquid in eo eligendo actum dictúmue eſſet, conſilia tempori accommodando, deliberatè factum. Si quid contrà ab aliquo tentatum, aut humano errori, aut ſuperuacuæ fidei erga regiam ſtirpem aſcribendum prius aſſeuerauit. Tum ſatis ſe ſcire inquit, ſupra muliebrem ſexum conſtantem reginam eſſe, verùm haud facilè deſiſtere ex toto à naturalib. affectibus. Nata ſibi præter ſpē virili prole, indulgendũ, vt matri, ſi pro filio ſolicita foret, ſi quæ ſaluberrima ſibi ac regno eſſent nõ proſpiceret, tolerandum in fœmina: non alios ad eã conueniſſe, quàm quib. tãti incœpti vtilitas nondũ ſatis intellecta foret.

Quos

Quos publicæ opportunitatis ratio ad Vladiſlaum congregaſſet, eos exploratam iam virtutem eius in fide retenturã, eos etiamq; ipſos licet haud ſanè multos errore iudicandi, aut officio erga reginã in diuerſum abſtractos, plurimorum conſenſum reuocaturum: facileq; vbi noui regis tam ſingulares animi corporisq́; dotes vulgarentur, ſeſe illi dedituros. longè maxima difficilioraq́; tranſacta: teneri iam Budam ſedẽ regiam, tum Comitem Ciliæ, cuius vnius ſpe maximè regina elata ad tumultuandum foret, felicitate publica in poteſtatem datum. Reliqua ſine armis, ſine cæde ac ſanguine in deditionẽ ventura: non futuros qui vim potius quàm clemẽtiam regis vellent experiri, præſertim quòd longè impares viribus, nedum victoriæ, ſed ne tuendi quidem ſe ſpem concipere poſſent. Non facturum regem ex inſtituto grati animi, ſi tam benè de ſe meritos in eo tumultu deſtitueret, præſertim quòd longè plus periculi ex diſceſſu ſuo immineret. Nam & reginæ partes quoſdam pertinacius ſubinde defenſuros: & quos ratio publicæ ſalutis ab illa abduxiſſet, acrius in propoſito permanſuros. facile ita Turco fore mutuis ſeditionibus occupatos, & à defenſore deſtitutos aggredi & expugnare. ſed vt cum regina in gratiam omnes rediſſent, ſine duce, ſine capite tam grauis belli impetum minimè laturos, fieri poſſe, vt aut tædio aut pudore muliebris dominatus ſe ad alium quempiam conuerterent, in cuius poteſtatem veniſſe Hungariæ regnum, Poloni poſtmodum grauiter ferrent. ſed neque honeſtum regi, ad ſuos alienòſue talem reditum fore. Nemini veriſimile appariturum ob aliam cauſam tam inclytum regnum omiſſum, niſi quòd aut regere aut tueri poſſe deſperaſſet: rogaréque per ſalutẽ vtriuſque gentis & regni, vt in propoſito perſeueraret, & benè initum columen vtriuſque nationis conſtanter expediret: omnia breui & quieta ſibi & libera fore. qui adeſſent: ſcire eos ſatis paratos iam tum præſentem ipſum denuò regem dicere ac cõſtituere, & iureiurando fidem atque obſequium deſpondere. Non altius verba quàm auctor in animum Vladiſlai deſcenderant, propter inſitam eminentemq; in viro indolem: ſed & ſubſecutæ vniuerſorum acclamationes, flagitantium ne ſe in tam diſcriminoſa conditione deſereret: & cum dicto, vnanimi conſenſu ſe ac ſua omnia illis committunt deduntq; fidei & auctoritati: regemq; iterum ipſum decernunt & cooptant. nec mora, cœpta eſt eius coronandi conſultatio: ſed occurrebat difficultas vetuſtæ conſuetudinis & religioſè ad id temporis ſeruatæ, quòd ſacra ad eam rem corona in poteſtate reginæ erat. Nec placebat committere, vt videretur ad eiuſmodi ſolenne in qualibet corona tantundem momenti ineſſe. Itaque cum neque ſpes foret perſuaderi aut cogi ſubitò reginam poſſe, nec vellent cæremoniam coronandorum regum vulgari per nouas coronas, ad illam quæ maximè proxima ſacræ apparebat, confugere conſtituerunt, pro temporis ac rerum neceſſitate. ad eam rem corona, qua ſancti Stephani primi Hungariæ regis caput exornatum fuit, ceu veræ virtutis exemplar atque incitamentum poſt ipſum regnaturis, religioſiſſimè ſeruatur. in ea diſceptatione multa probra iactata in Ladiſlaum Garam, cuius maximè permiſſu regina coronam ſacram interceperat, ægréque

Hungari Vladiſlaum iterum decernũt & cooptant.

S. Stephanus primus Hungariæ Rex.

à vulneribus & cæde temperatum, intercedente rege propter fidem accedendi ſe liberè obligatam: captus tamen eſt & cuſtodiæ traditus. Cumq; Rex deprecaretur, & fortunæ ſe quàm fidei iacturam facere ſatius diceret, vix poſt triduum vt liberaretur, impetrauit. amotus eſt tamen præfectura Viſegradi: ſubrogatusq; in eius locum Vincentius Scamatulicus. Regina interea cum ſe orbatam conſilio, actionesq; ſuas magna ex parte debilitatas videret, capto abductoq; in cuſtodiam Comite Ciliæ, & labante iam ſuorum fide, poſt defectionem Strigonienſis, id quod minimè in tanta muliere ſuſpicandum arbitror, ſunt qui inſimulent ad fraudem animum adieciſſe: propoſitaq; ingenti mercede, ſi facinus tranſigeret, adegiſſe quendã ex ſuis,

Conſiliũ init Regina de veneno adminiſtrando Vladiſlao.

quem ſibi cumprimis fidum credebat, vt Budam ſe conferret, & Vladislaum quoquo modo veneno extingui curaret: Sed cupiditas eadem quæ leue ingenium hominis ad partes ſuſcipiendi facinoris adegerat, compulit etiam vt rem Vladislao aperiret, ſpe cumulatioris remunerationis, quàm foret precium, quod pro ſcelere contempſiſſe videri volebat. Id ſeu non crediderit, ſeu credere diſsimulauerit, ne ſi veneno in ſe graſſatam reginam affirmaſſet, ſpem omnem reconciliationis in poſterum excluderet, Vladiſlaus hominem execratus, quàm ſceleſtum & falſa indicantem, è cõſpectu ſuo abire iuſſit. Verùm primores procerum vbi nefas quod attulerat agnouêre, per omnes cruciatus excarnificandum robuſtiſsimorumq; deinde equorum caudis illigandum, in partes quatuor diſtrahendum tradidere, iuſtiſsimas ab

Iuſtiſsima proditoris pœna.

eo pœnas exigentes, ſiue vera ſiue falſa detuliſſet. Itum deinde Albam regalem, vt Vladiſlaus coronaretur, quò perlata iam erat ex Viſegrado arcula in qua cuſtodiuntur ornamenta ad cæremoniam coronationis religioſa. Quibus in medium prolatis, adiecta eſt, prout conuentum ſtatutumq; erat, ſancti Stephani corona. Proditum memoriæ eſt, cum primùm Hungaria regni nomen accepit, ſacram coronam induuiasq; initiandis regibus religioſas ſancto Stephano primo Hungarorum regi à Romano Pontifice cœlitus monito deſtinatas ſeruatasq;, deinde ſolenni cuſtodia, veluti fauſtum auſpicium futuris regibus, eadem qua ille regni felicitate coronandis: ordinem verò ritumq; initiandi illic regem talem vetuſto more ſeruari: Sa-

Ritus Hungariæ Regem coronandi.

crificante qui in Hungaria ſummus eſt pontificum, circumſiſtentibusq; omnibus ad quos regis pertinet nominatio, in templo quod auguſtius eſt in Alba regali ad altare ſiſtitur qui rex futurus, ſtatimq; à Canonicis exuitur. deinde pontifex precationes ſolennes præit, quibus regno regiq;, cuius caput dextra tenet, Deum propiciet, veniamq; & pacem impetret, vt fœliciter fauſteq; publicè ac priuatim ſibi, oppidis, vicis, ciuitatibus, populis, nationibus ineat geratq; regnum, facultates fructusq; multiplicet, fines & imperium propaget, auctoritatem denique & gloriã augeat. Tum manus eius dorſúmque arcano oleo perungit, & mox veſtiri iubet. Ornato deinde ſacris induuijs, crucem inprimis tradit, per quam ſignificari volunt, ius apoſtolicæ legationis in deſignandis Epiſcopis ab ipſo initio regibus Hungariæ permiſſum à Romano pontifice. Deinde ſceptrum pomumq; aureum & vexillum regia inſignia exhibet, & vniuſcuiuſque inter tradendum

ſacris

ſacris verbis interpretationem proſecutus, tandē prolatis in medium regni legibus inſtitutisq́, exigit vt in verba ipſorum iuret. Ille vbi in ea quæ concepit Pontifex verba iurauit, illicò coronatus ſuggeſtum ad id præparatū conſcendit, & pleroſque in equeſtrem ordinem cooptat, vt intelligatur regnum ab armis auſpicari: nihilq́ prius maiúsue apud reges eſſe oportere ratione incrementóque militaris diſciplinæ: cætera ornare, illam tueri & augere imperia. In eodē apparatu poſtea procedit ad templum Diuis Petro & Paulo conſecratum. ibi in tribunal ſe recipit, & cōtrouerſias aliquot audit & decídit, vt ſecundum rem militarem, iuſticiam præ omnibus colendam & ſciat, & doceat. Tandem ſublatus in equum, poſtquàm ciuitatem luſtrauerit, progreditur extra portam ad Diui Martini ædem, turrimq́ illic altiſſimā conſcendit: & quàm maximè poteſt protenſo extra turrim brachio, ad quatuor mundi partes nudatum enſem porrigit, quaſi vndiq́ regnum tutaturus, aut certè illius fines & ditionem propagaturus. vbi verò in ciuitatem rediјt, ſolennia conuiuia celebrantur, ſtrepúntque publica gratulatione viæ ac domus omnes. quibus omnibus vbi Archiepiſcopus Vladiſlaum de more coronauit ritè atq́ ordinè ſeruatis, poſtridie ex vniuerſorum qui conuenerant ſententia conſtitutum, vt corona ſancti Stephani cum ſacris induuiјs reconderetur aſſeruareturq́ ad futuros reges initiandos, ſi nō contingeret recuperari ſacrā. Abrogata deinde poſthumi coronatio, & ne quis eum pro rege duceret, edictū ab Agrienſi Epiſcopo, cuius vſq́ ad inuidiam auctoritas apud Vladiſlaum eminebat. Nouum ei ſigillum regni commiſſum: & ne qua fraus errórue committi poſſet, veteris ſigilli fides exauctorata: pronunciatumq́ ad populum, ne literis aliquibus præterquam nouo ſigillo ſignatis crederetur. præterea vt omnes immunitates priuilegiáque à prioribus regibus conceſſa, eiuſdem ſigilli fide confirmarentur. Multorum qui de regno aut de rege benemeriti dignitas & conditio adaucta, cæteris ſpes facta, modò ſe dignos exhiberent, in quos liberalitatem ſuam rex exerceret. Paulò poſt cum haud magni diſcriminis negotium ſupereſſet pacandis reliquiјs tumultus à regina concitati, ſatisq́ ſine externa ope virium affuturum conſtaret, plurimi Polonorum cum bona regis venia retrò in patriam abiere. Regina verò cognita Vladiſlai coronatione, multis dirisq́ imprecationibus Hungaros execrata, quòd in re ſimili longè ſe diſpares Polonis exhibuiſſent. Ab illis namq́ impuberem regem cum ſumma fide educatum, nec ſolùm intra paternū regnum cultū ſanctiſſimè, verumetiam cum ſuarum rerum diſcrimine ſtrenuè productum ad poſſidendum aliena. Ipſos verò legitimum dominū paulò antè ab ſe coronatum Alberti regis filium, & eundem Sigiſmundi nepotē, per ſummum ſcelus paterno & auito regno exturbare, peregrinumq́ apud ſe præter ius faſq́ regnaturū admittere: & quia viriū plus haberent pro libidine ſua, tum fœminæ ſibi, tum infanti regi, quos cum maiorum meritis & ſexum & ætatē tutari oportuit, inſultare. Oblitos vindicem Deum certè longè magis quàm ipſos poſſe ac pollere. Submiſſisq́ deinde qui clàm circumeundo ciuitates, quoad fieri poſſet, populorum in fide manentium animos confirmarent, conſiliúmque illis ſuum aperirent,

Poſthumi coronatio abrogatur.

Regina cum poſthumo & ſacra Hungariȩ corona in Auſtriã proficiſcitur.

aperirent, ipſa in Auſtriam commigrauit. Et Frederico Imperatori paruulum ſuum, ſacramq́; Hungariæ coronam commendauit. Qui vtpote patruelis curam poſthumi & coronam haud grauatim ſuſcepit. Ipſa deinde freta nonnullarum vrbium conſtantia & fide, non deſtitit procerum quoque voluntates clandeſtinis nuncijs ad ſe acclinare: cum Auſtralibus verò ac Boëmis congregandi exercitum conſilia inire, vt quoquo modo Vladiſlaus Hungaria exturbaretur. Interea Turcus per occaſionem inteſtini belli Hungariam facilè à ſe occupari poſſe ratus, Belgradũ oppugnare adoritur: & cum parum vno atq; altero impetu profeciſſet, obſidendo in poteſtatem redigere volebat. Id oppidum inter Danubium Sauumq́; vbi commiſcentur, ſic eſt ſitum in cliuo, vt ab vtroq; amne inferiora eius abluantur, ſiquidem quà Eurum ſpectat, in ripã vſque latè proneq́; deuexum, deſinit in Danubium: quà Auſtrum excipit, Sauus allabitur. Reliqua ipſius per cliuum extenſa, muroq; & foſſa velut diuiduntur à continente. itaque fabricatis nauibus, quibus in vtroq; flumine adhibita cuſtodia tam ſubſidia quàm cõmeatus arcerẽtur interciperenturq́; Turcus caſtra ſic ex aduerſo metatus eſt, vt nemo omninò ab obſeſsis emitti induciue poſſet: ſibi verò quotiens libuiſſet, murum aggredi ac tentare facultas foret. nec ſubinde deſtitit aut opplere foſſas, aut machinis quaſſare muros, coædificatis etiã ligneis turribus è re-

Belgradum Turcus aggreditur.



gione propugnaculorum arcis, ad defenſores è muro exturbandos. Cum interim ſui quoq; inopia cõmeatuum afficerẽtur, neq; appareret diuturnam moram obſidionis toleraturos, quandoquidẽ paſsim in exercitu exaudirentur querelæ fame extabeſcentium: ſolumq́; id ne iam tum oppugnatio intermitteretur, retinebat, quòd deſperato ſuorum auxilio, propter intrinſeca

certa-

certamina, quibus regnum agitabatur, minimè credibile erat oppidanos diutius ſe defenſuros. Præfectus iampridem cum valido illic præſidio erat Ioãnes Vranus, vir audax, & rei bellicæ peritus, quippe quòd Florentia ortus atq; oriundus, Tuſco ingenio Hungaricam ferociam adiunxerat, conſtabatq́; ſtrenuè oppidum defendi vndiq;. Sed cùm veluti de porta regni ea in oppugnatione agi omnes ſentirẽt, Vladiſlaus cùm cenſuiſſet Turci conatus retundendos, dum copias colligeret inſtaretq́;, memor expetitæ paulò ante à ſe amicitiæ, oblatiq; ſibi ſponte in rebus ſuis difficilibus auxilij, ante omnia per legatos de diſſoluenda obſidione agendum putauit. Miſsi igitur, Dobrogoſius, Oſtrorogeus, & Lucas Gorcenſis, qui renouata memoria legationis, vltrò Cracouiam miſſæ, petitum fœdus atq; amicitiam, cum aſſeueratione ſubmittendæ opis ad Boëmiam expugnandam, ſi ex vſu ſuo Polonus eſſe cenſuiſſet, profiteretur, meritũ benignæ adeò in ſe voluntatis tam altè in animum Vladiſlai deſcendiſſe, vt bellum quod inferebatur, non prius armis propulſare voluiſſet, quàm viciſsim pacis & beneuolentiæ mutuæ conſilia proponeret. itaque ſi Turcus abſtinere vellet ab infeſtanda Hungaria, quæ Deo atq; hominibus volẽtibus iam Vladiſlai facta eſſet, facilè fore vt de fœdere conuenirent, in quo ineundo ſeruandoq; daturũ Vladiſlaum operam, ne pacis ſtudio aut officiorum cõmutatione inferior deprehenderetur: quodſi arma mallet, & vires experiri, annixurum, ne illis etiam quoquo modo vinci contingeret. Turcus vbi ea audiuit, legatos quaſi ſubducerentur ab omni occaſione iniuriæ, inter tot armatos infeſtosq; & commodius dum deliberaretur habitarent, in Sunderouium perduci commiſit: certus ſecum prius omnia experiri & tentare, quàm illis reſponderet. itaque deditionis ſpem prius aggrediens, captatis colloquijs maiori quàm aliquando ambitu, ad defectionem ſollicitare cœpit. Sed & literæ ſagittis illigatæ paſſim ſupra murum à militibus excutiebantur in oppidum, ingentia defectionis præmia continentes. Verùm vbi nihil pacati ab aliquo reſpondebatur, aduocata concione: Pax, inquit, cuius ab hoſte mentio illata eſt, detur, nécne, licet in me ſitum intelligam, placet tamen & ſententiam veſtram milites cognoſcere: quandoquidem id bellum gerimus, in quo cum felicitate humana, cuius ego principatum apud vos teneo, periclitatur: etiam religio ſanctitasq́;, quarũ tutela & cura ex æquo ad omnes pertinet. Quippe quòd vt multũ forma viuẽdi diſtemus, eandem poſt obitũ omnes beatitudinem ſperamus. Itaque velim cuncta quæ dixero, ſic à vobis accipi, vt quæ non à mea, ſed ab vniuerſorũ publica opportunitate proficiſcũtur. Nam quod ad me priuatim attinet, tantũ in Aſia, tantũ in Europa poſsideo, vt, quod abominor dicere, pars altera minimè pudendũ regnũ videre queat, conſeruandisq; meis plus curæ quàm operæ ſubigẽdis alienis, fortunam meam fortaſſe inſumere decet: veſtrûm magis eſt videre an ſua cuiq; ſufficiãt: & quàm rata diuturnaq; ſentiatis, præter id ꝙ cum humanis fortunis ſacra & diuina omnia ſunt à nobis aliquando omittẽda, ſi vltrò nunc arma depoſuerimus. Petit enim hoſtis à bello abſiſti, & tum demum de pace cõueniendum cenſet. omitto indignitatem, quòd obſidentibus armatisq; obſeſſi & inermes, fortibus

Ioannes Vranus præfectus vrbis.

Legationem Vladiſlaus ad Turcicum exercitum mittit.

Turci Oratio ad milites.

tibus & exercitatis, imbelles ac deſides pacem pollicetur: Omitto quantum laboris in molienda obſidione conſtruendisq; operibus, quantum deducendis fabricãdisq; nauibus ſit exhauſtum. quæ omnia hoſtis quaſi vinctos nos incluſosq; iam teneret, deſeri iubet. Bulgaria omnis & Raſciæ pars maior, armis noſtris iam pridem paret. In Seruia etiam pleraque ditionis noſtræ fecimus: quæ omnia vel retinenda ſunt, vel vnà cum illis cætera quoq; in Europa poſſeſſa relinquenda. Quicunq;, quod planè etiam hoſtis intelligit, habuerit in poteſtate oppidum quod obſidemus, habet non ſolùm quoddam veluti pignus & ſtabilimentum rerum ſuarum, ſed arcem etiam & munimentum efficaciſsimum alienis ſubigendis. Sciſſum eſt inter ſe nunc regnum, laboratq; domeſticis ſeditionibus. Nec tantum viriũ adiecit res Polonica illi coniuncta, quantum detrahunt inteſtinæ factiones: ac pacis mentione facultas tempusq; illis ſedandis quæritur, vt nos integris geminatisq; ſubinde viribus aggrediantur. Si re infecta obſidionem diſſoluemus, facilè nectendo cauſas tamdiu de pace non conſentient, quoad certaminibus domeſticis aut Vladiſlai felicitas, aut Hungarorum voluntas & ratio ſanior finem imponet: quas fœderis conditiones domũ inter ſe conciliati & contra nos armati exigent, quando nunc mutuis diſcordijs periclitantes, & armis noſtris penè oppreſsi, tanquam acie viciſſent, oppugnationem prius omitti, quàm de pace agi æquum cenſent, aures iam nunc obtundunt ſuperbæ petitiones de reſtituendis Bulgaria, & Raſcia, tum cæterarum regionum vrbibus labore ac periculo noſtro expugnatis: quod ſi facere voluerimus, bellum quod aduerſus diſcordantes inter ſe mutuisq; certaminibus occupatos per occaſionem noſtram nunc gerimus, inferent nobis, non ſolùm vnanimes tunc Hungari, ſed adiecti etiam illis Poloni. quod etiamſi pacis ſtudio tam pudendas & miſeras reſtituendorum omnium quæ repetent cõditiones ſuſcipere poſſemus, nunquid contentum ſuis Deſpotum quieturum poſtea putamus? Cuius animus, certum habeo, elatus coniunctione inter ſe virium duorum adeò præpotentium regnorum, non ſolùm recuperandis amiſsis, imminet: ſed quicquid vbique in Europa noſtrũ eſt, iam nunc ſperat. Non prius ſibi ſatisfactum putabit, quàm adducto contra nos Hungarorum Polonorumq; impetu, eandem ferro atque igne ſæuiente in agro noſtro vaſtitatem intueatur, quam à nobis in ſuum illatam prius vidit. Quod ſi belli fortuna (omẽ auertat Deus: ſed tamen fieri poteſt) conſilijs ſuis affuerit, præter omnia fœda & indigna, quæ ab irato victore timeri debent, pium ſanctumq; apud eos eſt, dira infandaq; in gentem noſtram exercere, niſi à ſacris religionibusq; nobis à maioribus noſtris traditis deſciſcamus, in nouos incredibilésque ritus degenerando. Neque alio ſacrificij genere aut obſequio Deum cõciliare ſibi faciliùs efficaciúsque poſſe arbitrantur, quàm ſi templa quæ colimus, diruant & profanent: ſi ſacroſanctis arcanis & cæremonijs illudant, ſi numinibus & ſacerdotibus noſtris inſultent. & vt omnem rabiem qua in nos & ſacra noſtra graſſantur, deprehendatis, inter ſanctos referunt omnes qui nobiſcum pugnando trucidantur. Non eſt, milites, quòd per vanã ſpem pacis expectemus, dum colligit vnitq; vires, dum ſe armat. Is hoſtis, qui non

prædam

prædam aut humanam laudem, ſed immortalitatem ipſam præmium victoriæ ponit. longè plus laboris inſumptum eſt quàm ſuperſit. foueas tumultuario opere oppleuimus, & propugnacula ereximus, quæ muro imminent: cuius etiam partem machinæ ſolo æquauere, vt ſemiapertum iam oppidum eſſe videatis: & id ſanè oppidum, per quod noſtra omnia tuta pacataq́ue nobis reddantur, hoſtibus verò ſua infeſta, prædæq́ue ac populationibus noſtris expoſita remaneant. Si parumper annitimini, ſi fœlicitatis virtutisq́ue noſtræ memores, cogitabitis delubra, ſacra, religiones, cæteraq́ue diuina & humana fundari nobis, quando cras hoſtilis muri fundamenta demoliemini, vicimus, milites, non in præſens modò, ſed in perpetuum. Quòd ſi nihil aliud quàm certiſſimam rerum noſtrarum ſecuritatem, hoc certamen foret nobis pariturum, ſatis dignum præmium eſſet, pro quo pericula omnia ſubire alacriter, mortemq́ue etiam ipſam fortiter laceſſere deberemus. Sed vt victoria hæc noſtra omnia velut ſepto quodam & muro nobis munit, ſic hoſtilia ad prædam patefacit ac denudat. Hactenus cum natura luctati ſumus in confragoſis præruptisq́ue Bulgariæ atque Raſciæ montibus. Fames, ſitis, labor, deſperatio, vincenda fuit. Vicimus, non alia mercede illecti quàm vt beatæ Hungariæ opulentiam aliquando attingeremus. hinc iam militiæ noſtræ præmia, hinc gloria initur. Ad portas peruentum eſt: quibus patefactis, non ſaxa inacceſſa, non inuiæ ſolitudines emetiendæ nobis, ſed per loca natura ipſa & humano cultu longè amœniſſima ingrediemur. hominum iumentorumq́ue omnis generis alimenta paſſim, non ad neceſſitatem, ſed ad luxuriam cum vbertate ſoli, temperies cœli, aquarumq́ue abundantia ſuppeditat. Quidquid alibi operoſa cura vix educat, illic ſponte ſua fert terræ benignitas: vt credi poſſit, naturam colendi agri cæteris regionib. exemplum daturam, præcipuo quodam cultu Hungariam excoluiſſe. Sed neque vſquam liberaliorem indulgendis diuitijs fuiſſe conſtat. Aurum enim quod alij mortales rariſſimis in locis laborioſiſſimè effodiunt, Hungari velut quoddam virgulti genus etiam pullulans decerpunt. Veſtrum eſt, milites, an ad ea omnia perpetuum vobis aditum cras aperire, an hoſtibus ad veſtra patefactum relinquere velitis. Memineritis ſubeundo murum omnem beatiſſimæ fortunæ opulentiam, ſine alio munimento, ſine præſidio, ſine cuſtode, poſt illum vobis ad prædam expoſitam. A tergo verò eſſe liberos, coniuges, lares veſtros, delubraq́ue, & religiones, ſimul & victoriarum veſtrarum præmia: quibus niſi in oppidum tranſcendatis, ira & libido quantum victorib. licet, per omnia dira & nefanda mox ſit inſultatura. Ego prout vos pugnantes videro, quam mentem vel ad imperandum, vel ad ſeruiendum habeatis, ſimul quid ſuperbiſſimis legatorum poſtulatis reſpondendum ſit, intelligam. Vos interim curate corpora, & quæ ex vſu ſunt, cum armis expedite, vt ſimul cum luce cras murum aggrediamur. Digreſſi milites à concione, non ſecus ac ſi cum victoria propoſitam quoq́ue eis prædam iam tenerent, alacres epulati. quod noctis ſuperfuit, vt ad certamen vegetiores aſſurgerent, quieti dedere. Vbi illuxit, ad murum producti, malleolos crateſq́ue æquando itineri per foſſas ligno ac

Laus Hungariæ.

C ceſpite

Belgradi oppugnatio.

ceſpite coniecto iam pridem tumultuariè oppletas, nec minus ſcalas & vectes, cæterumq́; excidendarum vrbium apparatum ferentes procedebant. Cum interim qui ex turribus ligneis pugnabant, haudquaquam defenſores in muro conſiſtere permitterent, & crebris ſagittis hoſtem impetendo propè ocioſum acceſſum ſuis exhibebant. Quod haud ſanè ægrè ferebant oppidani. Certè enim fore exiſtimabant, vt Turcus vim experiretur, ſi deditionis ſpes non ſuccederet. dum itaq; ille ad defectionem allicit, ipſi partes oppidi ad flumina porrectas contra naualem impetum hominibus propugnaculisq́; & machinis, ignem aut lapides excutientibus, tacitè firmauerant. Ex parte verò altera quantum muri tormentorum vis aperuerat, rudere ſimul & gleba ſtrenuè prope iuſtam altitudinem coædificauerant: & per noctis ſilentium pice, oleo, ſulphure, incendiarioq́; puluere, quantum copia fuit, ligna imbuerant, quæ temerè in foſſas prouoluta erant, tum cætera omnia quæ aut res aut cogitatio ſubiecit adminicula defenſionis prouiderant, parauerantq́; nec in armis modò & miſsilibus, ſed in obſequijs quoque & parendi ſtudio. itaque cùm eo incautius quo licentius Turci ad murum properantes conſtitiſſent in cratibus quibus iter ſubſtrauerant, coorti repentè à muro oppidani, faculas aliumq́; multipliciter paratum miſsilem ignem contorquendo, terrorem ingentem prius, mox haud minorem ſtragem intulere. Excitato pluribus in locis incendio, & vno veluti momento per omnem quam calcabant materiam ſic propagato, vt neq; in eodem veſtigio impunè perſeuerare, neq; progredi, neq; regredi facultas eſſet, tetra ibi luctatio formidoq́;. nam turres etiam ignem conceperant, trepidabaturq́; in caſtris, in quæ fumum flammamq́; conuoluebat aura quam matutinis temporibus flumina exhalant. Quæ res ab incendio imminente oppidum ſeruauit. Ruptis igitur conturbatisq́; ordinib. quiſque ſaluti ſuæ expediendæ intentus, circumſpectare vndiq;, arma abijcere: & quà propius liberiusq́; effugium in tanto malo apparebat, excurſare. Sed ignis tam ſuo quàm auræ impetu temerè per materiam incendio præparatam volitans, aut fugientes perſtrictis in curſu neruis retinebat, aut exitum per quem effugere properabant, præueniendo occupabat. Sed & quibuſdam fumus proſpectum ad fugam, quibuſdam conturbatio etiam mentem abſtulerat, abſumebanturq́; ab igne, quaſi ſubitum nouæ rei diſcrimen immobiles reddidiſſet. Pauci ex vltimis ordinibus & ijdem ambuſti debilitatiq́; in caſtra refugere. Cæteros ingenti numero conſumpſit incendium, cum reliquo totius oppugnationis apparatu. neque verò à nauibus felicius pugnatum; quarum nonnullas vis lapidum tormentis efflata diſsipauit, nonnullas ignis implicuit, reliquas ferè aut remigum gubernatorumq́; conſternatio, aut conatus recipientium ſe à periclitantibus ad integras naues quàm longiſsimè ab oppido naufragas exegit. Ea clade perculſus Turcus, quaſi non ope aut conſilio humano, ſed à numine aliquo ſuis inflicta eſſet, graſſanteq́; etiam fame ſuprà quàm vt ſine tumultu & ſeditione, in exercitu ferri iam ſpes eſſet, obſidionem diſſoluere conſtituit. Sed & fama erat exercitum ſatis validũ cõgregatũ iam à rege ad Segedunũ, accurſu-

curſurumq́ propediem, tamen ne animandis hoſtibus ſignum aliquod trepidationis oſtenderet, legatos in caſtra reuocatos, minimè benignè allocutus eſt: Aſſeuerans ſe tum demum pacis mentionem auditurum, ſi Vladislaus ceßiſſet ea particula Raſciæ quam tenebat, & Belgradum ſibi veluti obſidem pignusq́ fœderis vacuum tradidiſſet. Abſceſſurum ſe tum quidem ab obſidione, vt conſultandi ſpacium Vladiſlao exhiberet, ſuadere vt malit ea conditione in amicitiam recipi, quàm negando pauca quæ poſtulabantur, de ſumma vtriuſq́ regni diſceptare: petere ſe ea quæ iure belli ſibi deberentur, priuſquam Vladiſlaus foret in Hungariam accitus, nec potuiſſe Hungaros id quod ipſi non habebant ius, in alium transfundere. Si Vladiſlaus perſeueraret, malle de alienis contendere, quàm ſua quietè poſſidere, affuturum ſe in tempore, & ſecum vnà inſpectorem vindicemq́ iuſtitiæ Deum. Ea denunciatione, tum etiam quia domi haudquaquam ocium à regina fore apparebat, rex adactus eſt mittere in Poloniam nunciatum quo in ſtatu res Hungarica eſſet, & quæ belli moles à Turco immineret, petitumq́ vt miles & pecunia in ſtipendium mitterentur. Decretus eſt ad eam legationem Sanoceus, cuius eloquentia non minus quàm rei neceßitas perſuadebat, facilè poſſe poſtulata impetrari. Polonorum primores ſub aduentum ipſius cõuenerant ad Gorcinum, quos ita allocutus perhibetur: Referre vobis quæ in Hungaria feliciter tranſacta ſunt: & quàm non longè abſumus, vt difficilibus omnibus ſuperatis: noſtra ociosè, aliena verò vtiliter ac tutò poßideamus, intelligo eſſe hominis qui foret oblitus, quanta animi magnitudine etiam per omnia diſcrimina regnum illud obtinendum cenſueritis, ſimul putantis apud animum veſtrum plus conſequendæ dignitatis commoditatem poſſe quàm gloriam. Nunc quando adhuc inſonant auribus meis magnifica decreta veſtra, nullius vel laboris, vel periculi habendam rationem non modò fortunis, ſed ſanguine etiam ac vita adiunctæ rebus veſtris Hungariæ laudem paciſcendam. Non dicam propè eſſe, vt regis veſtri virtus & felicitas voti compotes vos fecerit. Emperiaſcium interceptum: & Budam caput regni obtineri, tum Comitem Ciliæ, à quo omnes actiones conſiliaq́ reginæ inprimis pendebant captum vinctumq́ ſub cuſtodia eſſe: à Deſpoto autem & rege Boßinæ legationes aduenisſe, petentes amicitiam, & obſequium pollicentes. Præterea omnes penè Hungaros optimates fortunæ regiæ ſe dediſſe, imperataq́ facturos, archiepiſcopúmque & cæteros qui in primo tumultu reginam ſecuti, rurſus ad nos defeciſſe, & mox eorum omnium quorum maximè intereſt conſenſu, cum ſolenni cæremonia, illic quoq́ regem noſtrum coronatum, iam eo vsq́ formidabilem omnibus, vt ad primam eius denunciationem Turcus ab obſidendo Belgrado diſceſſerit. Reginam verò deſperatis iampridem rebus trepidè cum filio in Auſtriam profugiſſe, relicto modico præſidio in Iaurino, & ipſum à noſtris obſideri, pauculas denique ciuitates, quæ ſe in euentum muniuêre, magis veſtrum quàm reginæ nutum reſpicere, & iam minimo conatu illic debellari poſſe. Iſta & alij proſperæ fortunæ ſuceſſus iactentur apud illos, quibus non deus, non gloria, ſed cupiditas

Reſponſio Turcici Imperatoris legatis Vladislai data.

Sanocei legatiorat io.

bellum ſuſcipere perſuaſerit. at vobiſcum ſic agam? peruulgata eſt non in Europa ſolum, verumetiam in Aſia fama, ſuſceptæ à nobis conditionis conſeruandi tuendiq́ Hungariæ regnum. Et tam illi qui inceptis veſtris fauent, quàm qui aduerſantur, ſuſpenſo animo ſunt in euentum, vident omnes qui religionem noſtram profitentur in manu veſtra ſitum eſſe, ſtabiliatur nécne in perpetuum, an paulo poſt intereat Chriſtianum nomen. Contrà fore ſentiunt profani vt eorum ſuperſtitio aliquando deleatur, ipſi verò Europa omninò exterminentur ſi tanta conſtantia ſuſcepto negocio aderitis, quanta animi magnitudine ſuſcepiſtis. Nolite committere vt aut ij timuiſſe, aut illi ſperaſſe fruſtra videantur. Cum ſententiam de ijs quæ rex poſtulat, dicetis, cogitabitis vos eſſe velut in theatro humani generis: innumerabiles populos, infinitas nationes, vos circumſtare, expectantes quam fortunam, quam conditionem ſibi, liberis, coniugibus, parentibus, rebusq́ charis alijs, tum aris, templis, religionibus, & ſacris, ab hodierna die repromittant. Et ſimul cogitabitis, à decreto quod feceritis, non Hungariæ ſtatum, ſed totius penè terrarum orbis pendere. prout hoc, vel illud decernetis, ita ijs aut illis regionibus & gentibus, diuina omnia & humana rata eſſe permanſura: licuerit fortaſſe vobis recuſare, cum poſtularemini. Nunc haud liberum eſt non perpeti & facere omnia extrema, priuſquam ingenti animo ſuſceptam tantarum rerum curam deſeratis, antequam in Hungariam regem veſtrum mitteretis, conſentiens ipſa inter ſe, ſuis viribus, ſuis opibus, multos annos veluti muros, ab alijs Chriſtianis regnis Turcorum impetum ſubmouit. In eius vicem vos ſucceßiſtis: & cum ipſius tuendæ negocio Chriſtianæ quoque reipublicæ tuitionem ſubijſtis, pedem referre neque fas eſt, neque expedit: quando eò peruentum eſt, vt cum Hungaria etiam vniuerſa res Chriſtiana aut prodenda ſit, aut conſeruanda. Non vacat referre, quàm multi pro dignitate patriæ vel retinenda, vel augenda, vltrò ſe morti obtulere: quàm multi etiam vnius à ſe ſeruati ciuis gloriam, quàm vitam maluerunt. Quòd ſi pro vnius aut ciuitatis maieſtate, aut ciuis ſalute, bene impenditur vita, eſtq́ id glorioſißimum: quanti comparanda eſt laus, qua vos omnis mortalitas efferat neceſſe eſt, nō vna ciuitate, ſed multis regionibus ac regnis: non vno ciue, ſed innumerabilibus gentibus & nationibus conſeruatis, longè, vt ſentio, minus præmium vobis proponebatis, cum de mittendo illuc rege ageretur. Et tamen cum difficilia multa domi foríſque obijcerentur, maluiſtis cum omnium periculo eam, quam tunc videbatis, gloriam quærere, quàm tutè neceßitatibus veſtris incumbere. Quod ſi tantum ſperaſſetis, exiguum mehercule tam immortalis gloriæ precium viſum foret, non ſua cuiuſq́ ſalus, ſed cum fortunis omnibus liberorum quoque ac parentum vel vita, vel libertas, ſed Deo propitio, non capitis, non libertatis à nobis ſubeunda dimicatio: paucis militibus, & haud magno ſtipendio, tam diuinam laudem conſequi poteſtis, modò regem veſtrum iuueritis. Id ab eo expetitur non fortunæ ſuæ, non virium, non gratiæ, non auctoritatis eorum qui ſe ſequuntur diffidentia: ſed vt ſine ciuili ſangui-

ſanguine aut cæde poteſtati ſuæ illic ſe tradat, quicquid hominum ciuitatúmue magis adhuc deliberat, quàm repugnet: intelligitq́ quàm immortale odium inteſtina bella ſequatur. Quantum vel virium, vel conſilij domeſticæ factiones, vbi gladium cruentauerint, detrahant, ad externas actiones videt ſe ſola fama ſubſidiorum veſtrorum poſſe illic debellare: & mauult beneficijs veſtris integram iam nunc Hungariam debere, quàm paulò pòſt armis ſuis dilaceratam poſſidere. Sed neque in re veſtra eſt, regnum illud ſic ſubigi, vt viribus ſuis prius conficiatur. Laceſſitus eſt Turcus denunciatione regis, & ſic ab obſidione diſceſſit, vt qui mox multiplicatis viribus & numero copiarum ſit affuturus. Si aut tum etiam diſcordans, aut iam tum mutuis ſeditionibus confectum regnum inuenerit, maiori conatu repellatis oportebit, quàm ſint nunc in poteſtatem redingendæ ciuitates paucæ, quæ de ſe inter reginam regemq́ deliberantes propiores ſunt, vt illius res profligatas deſerant, quàm vt huius felicitati aduerſentur: præſertim quòd earũ validiores finibus veſtris obiectæ, & illinc à rege, hinc à nobis propè circumſeſſæ, fiduciam defenſionis habere non poſſunt. Quòd ſi integris membris ſuis ac virib. regnũ id obtinebimus, præterquam quòd nobis ſecuris ocioſisq́ vt ſemper antea & Turci impetus refringi, & res Chriſtiana defendi poterit, licebit coniunctis viribus id quod Chriſtianum nomen ab initio huius expeditionis ſibi de nobis polliceri cœpit, vltrò bellum inferre, & diræ gentis nefandam ſuperſtitionem non ſolùm ab Europa exterminare, verumetiam in Aſiam perſequi ac delere. Proponite nunc vobis ex parte altera regnum celeberrimum ac ditiſſimum, non ſolùm vicinum vobis & fœderatum, ſed tutelam etiam & munimentum veſtrum. addite ipſius in vos recentiſſimum beneficium, quòd regi veſtro ſpontè ſe ſubiecerit. Coniungite cum illo Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, Græciam, reliquasq́ omnes prouincias Chriſtiani nominis. Cogitate vobiſcum, quot in illis nationes, populi, ciuitates, vrbes, oppida, quæ publica, quæ priuata ornamenta, quot delubra, quot ſacra, quot ſacerdotia, quæ ciuitatum mœnia, quæ priuatorum ædificia, quàm multi principes, ac reges maximi, quàm innumerabiles illuſtresq́ virorum ac fœminarum ordines, quæ omnia cum rege veſtro periclitentur. Ex parte verò altera ſint non multæ copiæ militum & mediocres pecuniæ veſtræ, quas rex à vobis poſtulet, vt ſuam & eorum quæ dixi omnium ſalutem libertatemq́ expediat. Nónne malitis ſine ſpe aliqua milites ac pecunias tales perire, quàm tot támque inſignes res atq́ homines in diſcrimine verſari. Quòd ſi nõ ad periculum aut iacturam expetuntur, ſed ad ſocietatem partæ iam victoriæ laudisq́ tantæ, quanta debetur tot regionum gentiumq́ ac ciuitatum ſeruatoribus, non videretur ex grauitate ac ſapientia veſtra, nunc tandem propè partam gloriam omittere, pro qua aſſequenda neceſſitatum veſtrarum obliti, aliena tuenda vobis ſuſcepiſtis, atq́ ideò in decernendo iterũ atq́ iterum cogitare, velitísne non ſolùm vos & veſtra, ſed vniuerſam quoq́ rẽ Chriſtianam in tuto collocare, ſtipendio ac ſupplemento exercitus minimè multo, reſpectu magnitudinis gloriæ qua immortaliter celebrabimini,

 conſer-

cōſeruata, cum regno de vobis benemerito, vniuerſa Europa, & quæ in ea ſunt humanis diuinisq; rebus omnibus, an per ignauiã & auaritiam diſcedendo ab expectatione de vobis excitata, cum rege veſtros ſocios & fœderatos in periculo ſuo nunc deſtituere, & mox tanquam publici Chriſtiani nominis deſertores ab omnib. alijs deſpecti ac derelicti, à vobis verò proditi ac deſperati, cum potentiſsimo hoſte, vitæ ac libertatis veſtræ dimicationem ſubire? Vbi ille obticuit, mitenda eſſe auxilia omnes quidem pari aſſeueratione cenſuerunt: ſed quo numero, aut pecunia, aut miles mitteretur, ea fuit diſceptatio. Erant enim qui vniuerſas regni vires in expeditionem decernerent: & pacata Hungaria, ſtatim contra Turcum prodeundũ dicerent, dum trepidus adhuc imparatusq; hæſitaret, exercitu à Belgrado, velut è naufragio ingentis tempeſtatis reducto.

Diuerſorum conſiliorum agitatio.

Cæteri negantes oportere regnum vacuum dimitti propter Tartaros & tumultuantem Lituaniam, milites & pecuniam definiebant, ſed numero minimè eodem. nam qui plurimum duodecim, qui minimum duo milia, ſubmittenda dicebant. decretum tandem, vt ijs qui ſpontè vellent, ſine fraude eſſet, ad regem priuatim proficiſci: & vt publicitùs quinq; milia militum cum annuo ſtipendio mitterentur. Eum numerum ſatis tunc regi ad pacandam Hungariam facilè augeri poſſe, ſi alia neceſsitas ingruiſſet. Se verò haud minus exinde, quanquam regni viribus exhauſtis, non ſecuros ſolùm ab externis interim certaminib. verumetiam pacatos in omnes occaſiones fore. Dum hæc apud Hungaros Polonosq; aguntur, regina interim Caſcouiano reliquisq; populis, qui vrbes ſuas ab initio inteſtinæ diſſenſionis communiuerant in euentum, perſuaſerat vt præſidia ſua contra Vladiſlaum admitterent, nec

Regina inquieta principes Hungarorũ aggreditur.

minus modò ſuppliciter rogando, modò maxima quæque pollicendo, principum Hungarorum animos aggreſſa, interdum etiam iurgando, quòd immemores priſtini decoris, quo dudum apud patrem, mox apud ſe & maritum ſuum refulſiſſent, vni Agrienſi Epiſcopo à Vladiſlao poſthaberi paterentur, quaſi aut nobilitas, aut rectè facta illius tanti eſſent, vt præ illis ſolis & patriæ communis amor, & omnium fides nihili ducenda, memoriaq; benemeritorum negligenda & abolenda foret. quibus ita eos pellexerat, vt Archiepiſcopus & Ladiſlaus Gara cum pleriſq; alijs rurſus ad ſe deficerent. Itaque communicatis conſilijs, vt eodem tempore Vladiſlaum, quem ſuos in patriam dimiſiſſe ſciebant, diuerſis locis anceps trepidatio circumſiſteret, in id conueniunt:

Regina copias ex Auſtria, Morauia, Bohemia colligit.

Quòd regina copijs, quas ex Auſtria Morauiáque & Boëmia exciuerat, deſtinatis, ad Caſcouiam, illiusq; appendices vrbes firmandas exercendasq; illinc populationes in eos qui Vladiſlaum ſequebantur: adauctoq; præſidio in Iaurino, ipſa ſe in Strigonium reciperet: Ladiſlaus autem adiunctis ſibi quoscunque ad deficiendum allicere potuiſſet, ex parte altera bellum excitaret: & ſi fortuna cœpto ſuo affuiſſet, ſe ad Iaurinũ cum reginæ copijs coniungeret, vt Budã ſimul aut expugnarent, aut obſiderent. Impigrè omnia vt conuenerant, tranſacta: & bello quidem ꝗ per Boëmos Auſtralesq; cōductitios ex Caſcouia geri volebãt, præfectus eſt Ioannes Giſcra, acerrimi vir ingenij, ducũq; illius tẽporis militarib.

Ioannes à Giſcra Dux exercitus.

artib.

artibus & robore virium facilè princeps: & vt bello optimus, ita in pace haud aſpernandus. Reliquum autem quod fuit copiarum, regina Strigonij ſe continens, in Iaurinum ſubmiſit. Ladiſlaus igitur apud ſuos criminando indignandoq́; quòd gratia quæ vniuerſis debebatur, vni tantùm Agrienſi Epiſcopo referretur, nō illius tantummodo opibus & auctoritate accitum coronatumq́; Vladiſlaum eſſe, plusq́; in id valuiſſe gratiā & auctoritatem pleruncq; aliorum, qui nobilitate ac fortunis multisq́; priuatis ac publicis ornamentis longè ante illum eminerent. Si ad Agrienſis nutum ſpectandum, ſi ab illius voluntate dependendum, fruſtrà peregrinū regem accerſitum: potuiſſe ſine ſumptu, ſine tanta molitione domi vltrò ad eum ſummam rerum deferri. Quid euitatum in poſthumo, niſi curatorū inter pares diſpar licentia & auctoritas? Quam ſi vtiq; tolerare oporteret, multò eſſe officioſius, id fieri in gratiam aui patrisq́; poſthumi, quàm pro augenda nobilitandaq́; re Polonica. Sed & plura eiuſmodi ad inuidiam regis Agrienſisq́; ſæpe ac multum vulgò iactando attraxit ad defectionem ſecum penè vniuerſam eam regni partem, quæ Dalmatia continetur, tantò populorum conſenſu, quòd in paucis diebus propè iuſtum exercitū in armis habuit. Vladiſlaum tot vndiq; oborta diſcrimina minimè ſanè pro rerum difficultate cōturbauere, ſed conſilio ſingula dimetiens, dum ex Polonia pecunia milesq́; adueniret, dum vires contraheret, quibus in omnes partes hoſti par occurreret, inſtituit motus in quibus minus periculi apparebat, in præſens artibus elidere, viresq́; illuc conuertere vnde magis diſcrimen, ſi negligeretur, affore ſentiebat. Itaq; belli quod à Caſcouia oſtendebatur, quia confici cùm voluiſſet, admotis ex parte altera Polonis in arbitrio ſuo ſitum credebat. interea ſubſtinendi curam Ioanni Pereno præfecto Cheſmarchi delegauit, aſsignato ei milite qui in opportuna præſidia diſtribueretur. Ipſe ne cui ſe abſente nouandarum rerum occaſionem faceret, propter copias reginæ quæ in propinquo erant, ſimul ad omnes ſuorum opportunitates velut in medio intentus eſſet, Budæ ſe continuit. Aduerſus autem Ladiſlaum, in cuius conatu properè coërcendo antequam aut Dux imperio, aut tumultuaria turba militaribus obſequijs aſſueſceret, rerum omnium ſummam planè verti conſtabat. Miſit Hunniadianum, quem præter ſingularem peritiam rerum bellicarum manu etiam ſtrenuum ac ſermone promptum ſciebat, ad eáque accedere naturalem quandam dexteritatem conciliandis ſibi animis hominum populorumq́; ſtudijs promerendis, vt de concordia prius ageret, auctorq́; illius fieret, ſi fortè citra ferri diſcrimen cum ſuis Ladiſlaus ab inſtituto ſe retrahi permitteret. Cæterùm vt ſi parū perſuadendo proficeret, vires adhibere poſſet, adiunxit illi Nicolaum Friſtarchi, & ad milites qui ſub vtroq; militabant, adiecit curiales ſuos, & quidquid copiarum Iaurinū ad id locorū magis infeſtauerat, quàm obſediſſet. profectus Huniadianus ac ſi omnia infeſta circa eſſent, cōpoſito agmine itineribusq́; exploratis ingrediebatur edicto ſuis propoſito, quòd quamdiu ab aduerſa parte ſpes tota reconciliationis non excluderetur, quiſq; præda populationibusq́; abſtinendo ſedulò operā daret, vt beneficio ad concordiam potius quàm vi ad certamen

Ladiſlaus ad defectionem Dalmatiam perducit.

Hunniadianus de concordia agit.

gentis ſuæ homines prouocaret. Non amplius iam quinq; milibus paſſuum
aberat ab oppido Batta, penes quod Ladiſlaus ſe cum ſuis receperat. dum
verò impenſius circumiens vniuerſos & ſingulos monendo hortandoq; de-
xtra læuaq;, nec minus à fronte & à tergo aciem firmauit, ne quid per occa-
ſionem ex diuerſo committeretur, quod pacis cōſilia in irritū verteret: tan
dem haud amplius quàm mille paſſus ab hoſte ſe muniuit in loco vnde ca-
ſtra oppoſita minimè conſpici poſſent: veritus humanorum affectuum lubri
cum, proſpectu ſuæ gentis militum animos remolliturum. Miſit deinde qui
accepta dataq; fide Ladiſlaum ad colloquium inuitarent, deſignato loco in
quo pariter cōuenirent. Ea poſtulatio negligenter audita, ſuperbeq; reſpon
ſum, eò ventum eſſe, vbi gladio, non lingua decertandum, ſatis intellectum
antequam arma induerent, quid ſibi, quid regno expediret. Si nihil vltrà
quàm eos alloquendos deſtinaſſet, inanem laborem regem aſſumpſiſſe. Ea
Adhortatio Hunniadiani.
prout referebantur, prolatis ad concionem nuncijs, Hunniadianus recita-
ri fecit. Et ſubinde intulit maluiſſe ſe laudem promereri reconciliatarum
voluntatum publicæ ſaluti, quàm reportare victoriā de hominibus ad in-
teritum patriæ obſtinatis. nunc quando non facinoris, ad quod accincti ſta-
rent, conſcientia, non periclitantis patriæ diſcrimine, non Dei, nō hominum
verecundia, commouerentur, ſtringendum eſſe gladium, & ſalutem patriæ
ferro expediendam. Non aduerſus ſuæ gentis homines, ſed contra immanes
parricidas (nec enim corpora, veſtitum, ora, habitum, ſuos ab hoſte ſecerne-
re: ſed mentes, conſilia, facta, dictaq; omnia in illis non hoſtilia modò, ſed etiā
parricidalia eſſent) ac proinde cauerent omnes & ſinguli, vbi ad manū ve-
niſſent, ne hebetarentur animi, & pugnandi ardor refrigeſceret aſpectu pa
trij habitus, atque habitudinis in hominibus equiſq;. veſtimenta tantum-
modo & arma Hungarica apud illos eſſe, cætera omnia minimè à ſæuiſſimo
hoſte differre. Sed & plerunque animis æquioribus aduerſus externos impe
tus prodeundum. Iuſtas belli cauſas multas ſubeſſe poſſe, & eorum qui pro
imperio & gloria decertarent, cupiditates longè tolerabiliores. Agi enim
tunc non de interitu, ſed de maieſtate populorum, illos non ſolùm ſine iuſta
cauſa, ſed contra etiam fidem & iuſiurandum ſuum: non ad augendam di-
gnitatem, ſed ad exterminandum funditus ac delendum nomen gentis ſuæ
arma ſumpſiſſe. Quanto igitur odio ſtringendum ferrum putarent aduer-
ſus eos qui temeritatem paucorum ſecuti, non oppugnatum, ſed euerſum
chariſſimam patriam per cupiditatem atque ambitionem venirent, tanto
in aciem prodirent ad eripiendam ex vltimo diſcrimine patriam. Indican-
dumq; ſceleratis hominibus, Deum perfidiæ vltorem eſſe: fidem deniq; pu-
blicè ac priuatim Vladiſlao datam pro ſalute regni, perfidorum ſanguine
ſtabiliendam. haud magni conatus eam rem fore. tumultuariam ac ſemier
mem turbam ex diuerſo ſtare, non ducibus, non ordinibus aſſuetā, nec quic-
quam aliud in prælium afferentem, quàm malæ cauſæ conſcientiam. Si in-
terrogarentur quid armis peterent, non habituros quid reſponderent. ea-
dem qua proſilijſſent temeritate, ad primum ſtatim congreſſum fugam om
nes molituros. productis ſubinde copijs inſtructiſq;, in hoſtem aciem direxit.

Nec

Nec Ladiſlaus certamen detrectauit, ſed eadem ferocia qua prius legatis reſponderat, caſtris egreſſus, ſequentes ſe ſuos, vt quiſque primùm ſe offerebat, ita eum in ordinem collocabat, magis temerè tumultuantium more, quàm ex inſtituto militari. Itaque armorum quidem genus par vtrumq; erat, ordo verò & diſciplina longè diſpar. In altera enim acie omnia instructa prouiſaq; non ad pugnam modò, ſed ad ſubitos etiam fortunæ caſus. In altera nulla ferè ſpecies militaris diſciplinæ. Cæterùm hos ira, illos conſcientia ſtimulante, magno vtrinque ardore concurſum. Et à principio quidem aliquandiu ancipiti fortuna pugnatum, accurrentibus vbique ducibus, & ſuos per omnia ſpei metúſque extrema cohortantibus. Sed cùm ſeruatis ordinibus recentes feſsis, integri ſaucijs, ab Hunniadiano vbique ſubſtituerentur, Ladiſladiani aliquando extracto certamine, cùm ſine intermiſsione pugnarent, vulneribus & laßitudine confecti, tandem referre pedem ſenſim cœpere. Quod animaduertens Hunniadianus, Nicolao, quem ad fortuitos caſus in ſubſidijs locauerat, ſignum dedit: & totis viribus adortus, iam tum nutantem aciem, vtpote collectorum temerè, nec caſtra, nec ducem ſatis noſcitantium, quibusq; tam ignotum vincendi decus, quàm fugiendi flagitium eſſet, in fugam vertit. Multi & in prælio & in fuga cæſi. inter quos plerique auctoritate atque opibus inſignes: ſed nec pauciores aut inter fugiendum aut in caſtris capti. Ladiſlaus verò multis in locis effuſam ſuorum fugam cohibere fruſtra conatus, tandem cum paucis elapſus, cum magis quæ vitanda eſſent, quàm quibus fideret, animo ſuccurrerent, nullibi prius ſe credere auſus eſt, quàm Strigonium ad reginam magnis obliquisq; itineribus peruenit. Hunniadianus verò re bene geſta, retrò quà venerat,



Hunniadianus victor ad Vladiſlaum redit.

venerat, ad Vladiſlaum cũ captiuis & præda redijt. Ille captiuos haud ſanè duriter increpitos, fideiq; & iuriſiurandi admonitos, præterea cognationis quæ propter cõmunia vetuſtæ originis primordia inter Polonos Croatiæq; & Dalmatiæ cultores eſſet, quaſi contra ſanguinẽ ſuum arma ſumpſiſſent, in cuſtodiam tradi edixit. deinde ad laudes & munera, quibus Hunniadianum Nicolaumq; affecit, dignitatem etiã adiecit, declarato vtroq; Tranſiluaniæ duce. Cæterùm quia in Hunniadiano maior eminebat indoles ad res bellicas, ea potiſſimum oppida quæ Turcis obiecta erant, illi commiſit: & copiarum quantum res tunc ſinebat, aſſignauit: vt non ſolùm ſua defendere, ſed per occaſionem etiã fines hoſtium tranſcendere, atq; operæprecium facere poſſet, quod poſtea ſæpiſſimè fecit. Et Turcis quidem magnum de ſe terrorem incuſſit, apud ſuos verò ingentẽ ſpem excitauit. Multa tum prudenter, tum feliciter ab Vladiſlao conſtituta. Eum autem virum ad id negotium diuinitùs delegiſſe, euentus tandẽ indicauit, vt eſſet qui rem Chriſtianam prolapſuram ſuſtineret. poſt paucos dies captiui omnes liberaliter dimiſſi: plerique etiam viatico alijsq; rebus neceſſarijs adiuti, qui grato animo fidelem ſubinde operam regi in multis actionibus præſtitere. Cumq; pollicerentur ex ea parte ad quam acie debellatum fuerat, reconciliaturos ſe Vladiſlao quoſcunque victoria non attraxiſſet, miſſi ſunt cum primoribus eorũ Nicolaus Laſſonianus & Sanoceus, vt ciuitates vnà circuirent, & populorum animos à regina auertendo, ad Vladiſlaum acclinarent, breui ferè omnibus perſuaſum, non alia re magis quàm repetitione communium inter ſe primordiorum atque ſanguinis. Nec ſolùm fides, ſed pecunia etiam impetrata in ſtipendium militibus, quos ad reprimendos conatus Giſcræ conducendos apparebat. Non enim æquè feliciter ex parte illa res gerebatur à Ioanne Pereno: quippe quòd Giſcra per occaſionem magnas plerunque prædas abigebat, Scepuſienſemq; agrum ferro & igne propè ad vaſtitatem mulctauerat: nonnulla præterea oppida interceperat, & diripuerat. Inter quæ Emperiaſcium, Scharuſcium, Cliſtium: quod aliquandiu obſeſſum, per cuniculos tandem expugnauerat. id oppidum in monte ſitum velut ſpecula Caſcouiæ imminet. Et pleræque illinc clades ad id locorum illatæ Giſcranis, dum aut prædatum proficiſcerentur, aut prædas abducentes, in Caſcouiam ſe reciperent. Non deerat tamen opportunitatibus ſuorum Ioannes Perenus: & aut per inſidias hoſtium carpebat copias, aut in aperto illis occurrens, & particularia certamina committens, pro varietate locorum & fortunæ interdum victor, interdum etiam victus abibat. Nec ſegnius aut infrequentius quàm Giſcra in hoſtilem agrum prædatum incurrebat. Cæterùm cum per omnia tentamenta ageret de recuperandis amiſſis oppidis, nullibi fortuna affuit: circũactusq; eſt annus irritis conatibus. Regina autem vbi omnes preces adhortationesq; conſumpſit ſuadendo Ladiſlao quòd arma rurſus indueret, quia nõ eſſet viri nõ ſæpius fortunam aggredi, & fruſtrata ſpe ſemel ſtatim animos ſubmittere: nullibi ſæpius euentũ variari quàm in bello, vbi minima quæq; dictu, maxima momenta excitare ſolerent: tandẽ agebat vt inſtaurando exercitu pecunias

Hunniadianus & Nicolaus Tranſiluaniæ Duces declarantur.

Nicolaus Laſſonianus & Sanoceus populorum animos à Regina auertunt.

Giſcra Scepuſienſem agrũ mulctat.

ſibi

ſibi crederet. Sed neq; illis impetratis, in Iaurinum ad ſuos perrexit. nec mul-tò pòſt cum renunciaretur, Boëmos de præficiendo ſibi rege agitare, vt in ſi de poſthumi ac ſua eos retineret, in Auſtriam commigrauit. Quò cum eam Ladiſlaus ſequeretur, à Frederico captus eſt: habitusq; in cuſtodia, donec petentibus id impenſius Hungaris, rex eum redemit, quanti Fredericus æſti-mauit. Interea ſubſidia ex Polonia petita, ab Vladiſlao numero & appara-tu inſigni aduenerant. Itaq; principio inſequentis anni licet annona gra-uiter laboraretur, hyemsq; perniciosè rigeret, tamen quia feſtinabat ani-mus ad pacandum regnum vndiq;, Vladiſlaus Caſcouiam verſus è Buda mouit. cui cum multò inferior multitudine ac robore copiarum Giſcra eſ-ſet, nullibi auſus occurrere, intra muros ſe continebat. Itaque oppidis quæ priori anno vel defecerant, vel intercepta fuerant, haud difficili conatu in poteſtatem redactis, inſtituerat rex proficiſci expugnatum Caſcouiam, cæ-terasq; ſubinde vrbes quæ à præſidijs reginæ tenebantur, vt ſi quid poſtea innouaretur à Turco, paribus illi virib. poſſet occurrere. Sed veriti Hun-gari, locorũ propinquitatem præbituram regi occaſionem tranſcendẽdi in Poloniã, vulgata fama quòd regina de pace cogitaret, quaſi temerarium foret bello ea quærere quæ per cõcordiam facilius conſequi poſſent, Budam reuerti perſuaſere, dimiſſa illic copiarũ parte, ad belli reliquias perſequen-das. Ab initio cum vulgaretur regia expeditio, timuerat Fredericus, ne expugnatis vndiq; reginæ præſidijs, & recepta in ditionem omni Hunga-ria, bellum mox in Auſtriam à rege transferretur, propter ſacrã coronam quam apud ſe depoſitam à regina ſeruabat: ferturq; de illa reſtituenda ſe-cum agitaſſe. Sed cum audiſſet poſtea dimitti exercitum, remq; non per re-gem, ſed per vicarios gerendam ad Caſcouiam, recreatus eiuſmodi cogita-tione, ſuperſedit. Simul & regina demiſſos animos extulit rurſus: & cum antea pacis mentionem vtiq; non aſpernaretur, ſuperbè reſpondit optima-tum nuncijs, qui de concordia tractaturi ad illã perrexerant. Sed & peſtis quæ in regno graſſabatur, præſertim Budæ, vbi eius mali vis adeò ſæuie-bat, contactu & curatione ægrorum vulgante morbos, vt quotidiana tan-tùm funera oculis, deſperatio verò & mors omnium animis obuerſaretur, faciebat illi ſpem tantiſper fore ociũ à bellicis actionibus, dum cõmodè præ-parare poſſet ea quæ ipſa ex vſu ad partium ſuarũ vires inſtaurandas ar-bitrabatur. Vladiſlaus tamen vbi à regina pacem ſperni percepit, nihilo ſe-gnius edixit, quòd Caſcouia oppugnaretur: Ioannemq; cui à galero cogno-men fuit, cum non exigua peditum atq; equitũ manu miſit, vt ſe coniunge-ret cum præfecto Cheſmarchi: & cõmunicatis viribus & cõſilijs, Giſcram ſubinde quocunq; ſe recepiſſet, aut exturbarẽt aut obſiderent. Giſcra verò cum ciuitates quæ à regina ſtabant, regia vectigalia volẽtes iam pridẽ pen-derẽt ſibi, & percuteretur moneta in Cremnicia, ſub titulo & nomine poſt-humi, nouas copias ex Boëmia cõductas veteribus ſuis adiecerat, nõ tamen regio exercitui adeò par erat, vt occurrẽdi in aperto viribus fideret, ſed in omnes occaſiones Caſcouiæ intentus exſpectabat videre quò ſe potiſſimum regij conuerterent. Inclinata itaq; illuc tota belli mole, ſumma vi vtrinque

Ladiſlaus à Frederico capitur.

Peſtis Budæ graſſatur.

oppugna-

oppugnabatur, & defendebatur. Et ab initio quidem eruptiones crebræ fiebant ab Giſcranis, cõmittebanturq́ particulares pugnæ, in quib. ex vtraque parte multi cadebant. Sed non tam facilè oppidanis quàm regijs erat interfectorum ſupplementa ſubſtituere. Itaq; cum numerus apud eos indies carperetur, appareretq́ haud ſatis virium tuendis mœnijs, tandem in vltimo diſcrimine affuturum, rarò admodum & non niſi magna ſuadente occaſione, Giſcra cum ſuis erumpebat. Ad expugnandam igitur vrbem neceſsitatibus humanis regij animũ adiecere: ductisq́ operibus, & munitionibus circùm firmatis, incluſos penè ocioſè obſidebant. maior erat intus hominum numerus, quàm pro annonæ copia. Itaq; congeſtis in publicum omnibus quæ eſui forent, præfecti ſunt duo ex præſidiarijs, & duo item ciues, qui cibaria in ſingula capita quantum ſuſtentandæ naturæ ſatis videbatur, quotidie expenderent. Cõtrahebaturq́ menſuræ modus indies, quo plus temporis & minus alimentorũ ſupereſſe apparebat, donec, cogente fame, nec ab immundis quidem animalibus abſtinebatur. intolerabile ſuapte natura malum etiam deſperatio augebat, quòd non occurrebat vnde affuturam opem aliquam ſibi pollicerentur. Itaque cum manaſſet murmur, oppidanos de traditione agitare, varia erãt præſidiariorum conſilia: idq́ tantummodo remorabatur fugam, quòd impeditior apparebat, quàm vt tutò poſſent euadere. Quæ cum ignorarẽtur à regijs diuturnæ obſidionis tædio affectis, vrgente iam hyeme ſine commeatu elabi ab exercitu, cœptum eſt. Et in ipſius victoriæ aditu obſidio paulatim diſſoluebatur, præterquã quòd alia Boëmorum præſidia, quæ in ciuitatibus complicibus erant, crebris incurſionibus omnia circumuicina infeſtabant, vt regios ab obſidione ad tuendos ſuos auerterent. Nunciabaturq́ Cheſmarchum oppidum non ſolùm parum ſtrenuè defendi ab illorum incurſionibus, verumetiam defectionis ſpectare conſilia. Itaque cum dux regius videret etiam iniuſſu ſuo militem elapſurum, vt ſaltẽ in fide Cheſmarchum retineret, diſſoluta Caſcouiæ obſidione, illuc properè mouit. Sed id quoq; irritum fuit. nam pridie quàm eò perueniſſet,

Cheſmarchũ Boẽmi per proditionẽ occupant.

Boëmi admiſſi per proditionem oppidum occupauerant. Cæterùm etſi præſidij caput Nicolaus Perenus, in primo tumultu cum pleriſque ex ſuis trepidè ex Cheſmarcho effugerat, tamen retinentibus qui manſerant præſidiarijs nonnullas turres, cum appareret, ſi affuiſſet auxilium, facilè poſſe oppidum recuperari, fortè ita euenit, vt Podolinum perueniret nouæ copiæ, quæ à Polonis regi ſubmittebantur, ducibus Laurentio Zaramba & Nicolao Stora: quæ cum à regijs per internuncios ad Cheſmarchum implorarẽtur, neque dubia res videretur, quin excludere Boëmos illinc poſſent, petitã tamen ab ſe opem negauerunt: ſeu timentes iter ſubinde ſuum impeditius reddere, ſi Boëmos prouocaſſent: ſeu quia priuſquam ad regem, quò miſſi erãt, perueniſſent, minimè æquum videbatur, aliquo ſe bellico negotio implicare. Itaque petitione ſuorum contempta, neminem laceſſentes, inuicemq́ ipſi ab omnibus inuiolati Budam peruenere. Capto Cheſmarcho, bellũ ab ea parte conuerſum eſt in Podolinum, vbi regij præſidij caput Nicolaus Comorocenſis, & vtrinque per omnes conatus arteſq́ bellicas res gerebatur. Ex

parte

parte verò altera regina ſibi victoriæ ſuorum famam accepit, diſſolutámque ad Caſcouiam obſidionem, & ipſa elata ad Poſonium mouit, quæ ciuitas in fide ipſius perſeuerabat. Etſi Vladiſlai præſidium teneret arcem, præfecto Stephano Roſgonio, quem ſubitò obſidere cœpit, fauentibus ciuibus, expugnationemq́; admirantibus. Sed cum neq; æquum videretur, in ſuos prædas exercere: neq; ſi id factum foret, pro ciuili ac militari multitudine ſuffecturum commeatum appareret: populatores in Tarnouienſem agrum immittebat, indeq́; omnis generis quotidianæ prædæ aduehebantur, ſimul vt commodè in Preſburgo alerentur omnes, ſimul vt Tarnouienſes ſuarum rerum cladibus adacti à rege deficerent. Quæ omnia Roſgonius per occaſionem elapſus Budam, regi expoſuit: ſimulq́; indicauit quo in diſcrimine res foret, niſi ſubitò frumentum milesq́; & apparatus reliquus aut propulſandæ aut ſuſtinendæ obſidioni neceſſarius in arcem mitteretur.

Incommodi expoſitio.

Eũ ſecuro animo rex eſſe iuſſit, omnia in tempore affutura, ipſe quàm ocyſſimè ad præſidium reuerteretur. Nec mora, Andream Tantzinenſem cum valida Polonorum Hungarorumq́; manu Tarnouiam miſit, ſimul ſuos tuitum ab incurſionib. hoſtilibus, ſimul Preſburgenſem agrum viciſſim populatum: & vt obſeſſis inferret per occaſionem opem neceſſariam, edixit. Ille impigrè mandata exequens, frumento ac milite tum machinis miſſilibusq́; varij generis in arcem ſubmiſſis, illius potiundæ ſpem omnem reginæ videbatur ademiſſe: ſed & crebris populationib. quicquid erat agri Preſburgenſis adeò mulctauit, vt verius obſeſſos quàm obſidentes ſe ſentirent.

Andreas Tãtzinenſis Preſburgenſem agrum deuaſtat.

Crebra inter arcendas populationes vtrinq; certamina ſerebantur, cadebantq́; ex vtraq; parte multi, donec actos in inſidias hoſtes Andreas tam ingenti clade afflixit, vt parum abfuerit quin vrbs quoq; per tumultum, dum proſequitur victoriam, ab ipſo caperetur.

Andreas Reginæ exercitum ingenti clade afflixit.

Ea ſtrages reginalibus finem excurrendi fecit: foſſa itaq; & muro ſubinde ſe tuentes, oppugnandæ arcis conſilia ex integro per omnes artes machinationesq́; quotidiæ ſolertius agitabant. Sub anni finem ægerrimè omninò nutriebantur, neceſſitasq́; & deſperatio propè intolerabili impetu rem geri cogebant. Igitur coædificatis turribus ambulatorijs, omni genere miſſiliũ regios à defenſione prohibebant: & muro, quem crebris tormentorum ictibus die noctuq́; impetebant, locis aliquot detruncato ac diruto, nitebantur ſumma vi aut per ruinas, aut admotis ſcalis partem aliquam arcis occupare. Nec ad extremum regij tam acres in ſe conatus ſuſtinuiſſent, niſi audito ſuorum periculo, in ipſo rigore hyemis rex ex Buda accurriſſet cum egregia vtriusque gentis manu. eius aduentu & ſuorum animi erecti, & regina adeò conſternata, vt copiarum parte illic relicta, clàm cum cæteris Viennam ſe receperit.

Regina Viennam ſe recipit.

Rex immiſſo in arcem ſubſidio, tentauit vrbem ſi fortè in poteſtatem redigere poſſet. Tandem cum diu continuata obſidio intus & extra omnia conſumpſiſſet, appareretq́; in difficiliori anni tempeſtate non minus diſcriminis à cœli ac terræ rigore quàm ab hoſte affuturum, tumultario opere inſtaurauit quicquid munitionum hoſtis circa arcẽ labefactauerat, móxque in Budam redijt. Eodem tempore Poloni, voluntaria manus, nulloq́;

ſtipendio publico adiuta, duce Petro Odronoſano in Hungariam tranſcenſuri, arcebantur à Boëmis, qui anguſtias in montium iugis occupauerant. Itaque illi die frigidiſſima cum lenta, ſed iugi pluuia caliginoſa, atque ob id minimè ſuſpecta, præmiſſis impigris robuſtisq; quibuſq; iuuenibus, à quibus reſiſtentes, ſi qui fortè affuiſſent, obtruncarentur, per ſolutas Boëmorum cuſtodias, nemine omnino aduerſante, ſaltum ſuperauêre. Mox cum adorti eſſent expugnare Capuſtanum, quod oppidum non longè ſitum eſt à Baradino, accerſente eos rege, ſtatim, vt par erat, omiſſo incepto, Budam ſe receperunt, non ſine laude atque admiratione Hungarorum, & quòd multi, & quòd opulenter inſtructi, ſed in primis quòd indefeſſi opitulando regi ſuo viderentur. Vladiſlaus vbi omnes & ſingulos pro cuiusque dignitate ac meritis laudando benè de ſe ſperare iuſſit, Caſcouiam miſit oppugnatum: ex quo oppido frequentes & magnæ clades in ea regione quotidie inferebantur, perſeuerantib. in fide regis, Poloni commiſſum ſibi negotium breui abſoluerunt: & vt cæteris qui in præſidijs erant, trepidatio incuteretur, Boëmos qui in manus venerant, ad vnum omnes trucidauere. Interea nũciatur, Tartaros prædabundos in Podoliã incurſuros. itaq; Vladiſlaus qui poſt reginæ fugam ſatis ab ea parte omnia tuta arbitrabatur, bellũ verò quod Giſcra inferebat, à regionis indigenis ſtrenuè propulſari videret, ne defẽſorib. vacuã barbarorũ incurſus Poloniã inueniret, Odronoſanũ cũ ſuis retrò in patriã dimiſit, quibus honoris gratia deducẽdis ad regni fines, nõnullos proceres Hũgaros adiecit. Cum itaq; Agriã perueniſſent, liberalitérque ab Epiſcopo accepti, licentius quàm ratio tẽporis & vicini hoſtis ſolertia patiebatur, cõuiuijs hilaritatíque indulgerent, ſeu quia numero ac viribus fidentes, periculum contẽnebant: ſeu quia ſecundis rebus negligentia familiarior eſt, quàm aduerſis: Telephus qui per id tempus præſidij caput erat in Caſcouia, ratus bene gerendæ rei oblatã ſibi occaſionem, cũ manu expedita profectus, concitatiſſimo gradu per ſilentiũ noctis illuc ſe recepit. Cumq́; omnes cuſtodias velut in media pace ſolutas inueniſſet, ab ea parte qua facilius ac tutius fieri poſſe arbitrabatur, murum nullo nuſquã obſiſtente tranſcendit: excitatoq́; deinde ad terrorem nonnullis in locis incendio, canentibus ſignis, & velut in capta vrbe clamore ſublato, inermes ſopitosq́; adoritur. Et primo ſtatim impetu domos quàm plures & Polonorum ferè omnes currus tumultuariè diripit. Cumq́; hoſtes inter clamorem, cædem, populationem, ignem, trepidi ac ſemiſomnes vix arma expedirent, cum ingenti præda cæterarum rerum, ſed & iumentorum atque hominum, retrò abijt. Hungari verò ac Poloni tandem ſomno & trepidatione diſcuſſa, cum ſimul armati conueniſſent, nec difficile videretur fugientem hoſtem aſſequi, & abactã prædam recuperare, curſu effuſiſſimo ægrè propter impedimenta & laſſitudinem properantes inſequuntur. Itaq; prius multo quàm inclinare ſol cœperat in occaſum, cum inſtans à tergo exaudiretur hominum ſimul & equorum fremitus, Telephus, qui ſuos nocturni itineris celeritate ac labore fatigatos ſciret, tum præda onuſtos atque impeditos, deſperata fuga, ad vires ſe cõuertit: & in quo, propterea quòd Leopolienſis Pala-

Vladiſlaus Polonos ad Caſcouiam oppugnatum mittit.

Telephus Polonos vino ſomnoq; ſepultos adoritur.

Palatinus erat, plurimum reponebat, ſeu redimi cogeretur, ſeu permutatio captiuorum aliquando fieri contingeret, Petrum Odronoſanum, quem cum alijs captum abducebat, familiari cuidam ſuo Soloma nuncupato, cuius fidem ſatis, vt arbitrabatur, cognitam perſpectamq́ habebat, in propinquum oppidũ perducendum cuſtodiendumq́ commiſit. Nec mora, vltima experienda percipiens, impedimentis ad viam præmiſsis, ſuos monet: Qui à tergo inſtarent, tumultuariã manum eſſe, inermes, incompoſitos, & adhuc inopinatæ noctis præteritæ pauore fluctuantes, ac trepidos: nonnullos etiam ſaucios, debilitatosq́. Quibus cum tuendis ſe domi vires atq́ animi defuiſſent, temerè poſtea proſiliendo arma cepiſſent, quaſi facilius foret in aperto campo res ſuas pugnando recuperare, quàm fuiſſet clauſas intra vrbem parietib. tueri. Quicquid aut periculi fuerat, aut laboris, iam eſſe exhauſtum, & celeriter eundo & inopinantes inuadendo prædam eſſe in manibus: quam vtiq́ multo facilius foret inter pares vires defendere, quàm fuiſſet rapere. Sed & multos ex hoſtibus teneri vinctos, & eoſdem magis ſtrenuos, quos non ſomnus, non metus, non ſubitarius tumultus à conſerenda manu auertiſſet: qui ſupererant, vino adhuc ſomnoq́ graues aut vulneribus afflictos eſſe, regendisq́ tantũmodo equis vix ſatis aut viriũ aut animi habere. Quod etiã ſi paria eſſent cætera, inter tam diſpari cauſa pugnantes: fortiores eſſe debere, qui ſine ſpe veniæ de vita dimicarent, quàm illos quos modicæ abactæ prædæ dolor armauiſſet. Meminiſſent eorum quæ in ſuæ gentis præſidiarios paucis antè diebus ad Caſcouiam fœdè ac crudeliter commiſſa fuerant: adniterenturq́ pugnando acriter virorum fortium exitu vitam relinquere potius, quàm ſe capi paterentur per ignauiam & trepidationem, vt veluti pecora per ludibrium poſtea trucidarentur. Quo maiori impetu in hoſtem ferrentur, eo minori diſcrimine partam prædam retenturos, multoq́ incolumiores abituros. Superuenerant iam hoſtes: itaq́ conuerſus in eos Boëmus, magnis animis ac viribus impetum, quo in ſe ferebantur, excepit: propulſatq́ tam acriter, vt neque in equis, neque in hominibus præteriti laboris laſsitudo appareret. Suggerebat vires cùm veniæ deſperatio, tum retinendæ prædæ cupiditas. Polonos autem & Hungaros non iactura ſolùm ſuarum rerum, ſed verecundia etiam ſtimulabat: turpiter ſe deprehenſos putantes, & à paucioribus inter vinum ſomnumq́ rebus ſuis exutos. vnicamq́ eſſe illius abolendæ maculæ rationem, ſi vincerent. Pugnatum igitur aliquandiu ancipiti Marte. Cumq́ vtrinq́ multi & vulnerarentur, & caderent, tandem laſsitudo peruicit, vt Telephini loco cederent, in fugamq́ verterentur: In qua multi trucidati, multi equorum pedibus obtriti, præda omnis recuperata. Telephus autem cum pleriſq́ Auſtralibus Boëmisq́ viuus in poteſtatem venit: ductusq́ eſt Agriam, & cuſtodiæ traditus. at Soloma ſuorum fortunæ ignarus, & commiſsi ſibi Odronoſani curæ ſolicitus, vt quàm celerrimè ſe in tutum reciperet, Nicolai Zuderis, quæ proxima erat, arcem petijt. Is paulo antè ad reginam defecerat: itaq́ putans oblatam ſibi occaſionem reconciliandi ſe Vladiſlao, cuius auctoritati & rebus poſt reginæ in Auſtriam cõmigrationem

Telephus ſuos adhortatur.

Telephus vincitur & capitur.

videbat plurimum acceſſiſſe, captiuum, quem propter generis nobilitatem auctoritatemque inter ſuos non iniuria magnifaciendum putabat, paulo poſt Budam perduxit ad regem, atque eo munere defectionis veniam impetrauit. in tam præcipiti & diuerſa fortunæ commutatione, nox, caſus, trepidatio, impetus, multa tulit aut inuſitato genere mortis, aut rapiendi obſiſtendique conatu, variè memorabilia. Inter quæ id vt maximè literis prodendum, ita etiam maximè miſerabile. Ex media ſorte populi, forma & iuuenta florens Agrienſis, ſuæ conditionis atque ætatis iuuenculam perditè amabat, mutuoque felici ſorte amabatur. Conſueuerat verò ſeruatis occaſionibus ſe ad eam noctu recipere, deſideriumque ſuum, non tam fructu amoris ſatiare, quàm nouis ſemper alimentis augere. Cum itaque direptio ciuitatis apud amores ſuos ipſum deprehendiſſet, ratus forſan diſcurrentium ad prædam atque cædem tumultum eſſe ebriorum, propterea quòd largius quàm ſobrios deceret, pridie vino indulgeri viderat, non ſtatim ad primum clamorem exiliit: deinde cum non ſolum clamor & ſtrepitus armatorum augeretur, ſed mulierum quoque eiulatio puerorumque vndique ploratus maior quàm pro compotantium rixa & iurgio diſcriminis aut mali grauioris trepidationem incuteret, quò euocabat conturbatio, proripere ſe voluit: ſed retinente amica, & ne rectà properaret, admonente, ne ſi domeſticos quoque alios idem tumultus exciuiſſet, caſu in eorum aliquem ageretur, per feneſtram in veſtibulum domus ſe dimiſit. Quem vt foràs emitteret, illa ex diuerſo per ſcalas properè ſubſecuta, oſtium reſerauit. Cum ſuperueniſſent iam hoſtes ex parte altera, mox foribus demolitis irruperunt. Egredientem igitur armati gladiis vulneribusque excipiunt, eo etiam acrius, quòd ipſe cum ferro intrepidè per totam trepidationem ſtricto proſilierat, non tamen ſtatim concidit, etſi multis magnisque vulneribus petitus: ſed arciter ſe defendens, duos prius obtruncauit. Ibi mulier dolore ac deſperatione pluſquam viriliter elata, ſtatuens nolle amanti ſuo ſuperuiuere, viribus quantas amor iraque & deſperatio dabat, vni ex militib. qui exanime corpus circunſtabat, gladium extorſit: furioſeque inſultans, antequam cohiberi poſſet, pleroſque vulnerauit, viris ex diuerſo turpe ducentibus, ſi ferro cum fœmina decertarent. Tandem comprehenſa, vbi ferociæ, qua concita debacchabatur, ſtimulum indicauit, gladio quem vltura amantem arripuerat, pectus ſuum transfodit. Et vt ſuper cadauer vita ſibi carius occumberet, in partem in qua iacebat, ſe præcipitem dedit, tanta militarium animorum admiratione, quòd cæteris commilitonibus, cum præda diſcedentibus, illi quos ad eam domum fortuna congregauerat, vacui & mirabundi penè in manibus hoſtium remanſerunt. Similem ac Telephus caſum perpeſſi ſunt eiſdem diebus Caica & Comorocenſis, quorum ille Broſonitiam, hic Podolinum præſidio tenebat. Nam cum explorando comperiſſent oppidum Emperiaſcium negligenter aſſeruari, vacuumque eſſe defenſoribus, eductis ſecum ex præſidiariis quibus præerant fortib. expeditiſque quibuſque militibus, quam occultiſſimè ſilentio noctis illuc ſe receperunt, ſcaliſque muro admotis, velut in ſuas munitiones, nemine repugnante, in oppidum penetrauêre. Nec mora, vbi clamor

Amor Agrienſis.

Fœmina ferro cum militibus decertat.

clamor primùm, deinde cædes, non tam excitaſſet hoſtem, quàm ſenſibus alienatum, nec ad arma diſcurrere, nec prouidere quicquam ſineret, quaſi per ocium & licentiam omnis generis præda ſuos onerauere. fortè die præcedenti quinquaginta Boëmi profecturi ad Giſcram copias congregantem vt Richnonam obſideret, ſubſtiterant in Emperiaſcio. ab ijs, vt fit in re trepida, dum ſaluti quiſq; ſuæ, non quo debet, ſed quo maximè poteſt, modo conſulit, turris quæ egregiè munita erat, dum Poloni oppidum diripiunt, occupata ſtrenuè defendebatur. itaque cum eius expugnatio difficilis appareret, timerentq; Poloni Giſcram, qui in propinquo erat, cum exercitu ſuis accurſurum, nec ſuffecturos ſe putarent tuendo oppido, quòd non totum haberent in poteſtate, contenti præda, retrò quà venerant, abière. Non ſegnius quàm cogitauerant, Giſcra, vbi ad eum ſuorum clades perlata eſt, præparato inſtructoq; iampridem milite, illuc accurrit, ex improuiſo, vt aſſolet, victores oppreſſurus in negligentia hilaritatis rei benegeſtæ. Cæterùm cognita feſtinatione qua retrò prædam agebant, breui à tergo eos aſſecutus, non ſolùm quia ſuperior copiarum numero, ſed etiam, quia ſui recentes atq; integri, facilè omnes fudit, fugauitq;. Giſcra Polonos fugat. *Nec obluctatio cædésue fuit. nam feſſi ac prædæ onere laborantes Poloni, vix primum clamorem hoſtis ſuſtinuere. Capti Calca & Comorocenſis, cum paucis alijs, quos ſubita fuga eripere ab hoſtium manibus minimè potuit. Giſcra verò, vt erat dux belli acer, victoriam ſequens, ad Broconiciam caſtra mouit. capto enim à ſe præſidij illius capite, ſubitæ illius deditionis ſpem non fruſtra conceperat: ſed cum inueniſſet oppidanos ad ſe tuendum paratiores quàm crediderat, cum ſuis abiturus, re minimè tentata, apparebat: verùm aut caſu, aut humana fraude in altera arce (nam illic duæ ſunt) incendium exortum compulit defenſores ad alteram confugere. moxq;, ne quid tale illic in ea quoque contingeret, imperium hoſtis pene vltrò ſuſcepère. Quo ex euentu viſum eſt fortunam iuſta lance partis vtriusque gaudium & mœrorem adæquare eodem tempore voluiſſe. Poloni deinde nouum præſidium ſubmiſere in Podolium & Luboliam. Giſcra verò ab ea victoria oppugnatum Richnonam profectus, ex omnibus ciuitatibus quæ poſthumo fauebant, exciuit auxilia. & cum Poloni repugnarent, mœniaq; acriter defenderent, obſidione expugnaturus circumfudit exercitum, murosq; tormentis ac machinis admotis quaſſare cœpit, & diruere. Sed quicquid interdiu ſolo æquabatur, nocte opere tumultuario inſtaurabant obſeſſi: diſtractaq; eſt in menſes aliquot oppugnatio. Tandem cum vrgerent humanæ neceſſitates non minus quàm hoſtis, nec quicquam aliud neceſſariam deditionem remoraretur, quàm quòd Agrienſis Epiſcopus affuturus cum auxilio ferebatur, ceſſante illo diutius quàm aut fames, aut iam impigra expugnatio ferri poſſet, pacti vt cum armis rebusq; alijs ſuis incolumes abirent, vacuam arcem tradidere. fides Polonis ſeruata. poſt quorum deditionem illico Agrienſis cum exercitu ſuperuenit, & ſe non procul ab Giſcra communiuit, quaſi mox totis viribus decertaturus. Sed licet per occaſiones vterq; alter alterius copias plerunq; carperent, à generali tamen pugna cō-*

 feren-

ferendiſq; ſignis abſtinebatur. Nam & Giſcra felicitatem aliquot annorum vnius diei fortunæ committere nolebat. Et Agrienſis haudquaquam ſuis fidens, quòd maiori ex parte tumultuaria manus & militaris diſciplinæ rudis, tutius arbitrabatur cunctando in locis iampridem feſſis diuturna obſidione redigere hoſtem ad inopiam rerum omnium, quàm vires experiri. Itaque cum neque lenius, neque ſerius quàm ſperauerat Agrienſis, Giſcra & ſui, penuria alimentorum premi inciperent, futurúmque planè conſtaret, vt aut nullo modo, aut non niſi cum ſummo diſcrimine perſeuerare in eo loco poſſent, nulla inſigni pugna commiſſa, rediere in Caſcouiam. Nec multo pòſt cœptum eſt inter Giſcram & Agrienſem agi de concordia: multisq; hincinde variatum prius conditionib. tandem coniunctæ Giſcræ per matrimonium Epiſcopi nepte, non ſolùm pax ſed affinitas etiam inter eos inita eſt. Id bonàne fide factum fuerit, vulgò addubitatum, tum quòd reginæ, vt oportuit, approbatio ſubinde non acceſſit: tum quòd relaxandis vtrinq; captiuis, fidem Boëmi violauere. Cæteris enim ad ſuos dimiſſis, Caicam & Comorocenſem, de quorum etiam libertate tranſactum in pace fuerat, retinuere. Sed & poſt concordiam Giſcra intercepit oppidum quod in Scepuſio à ſocero ſuo tenebatur, prædasq; & captiuos ex illis qui regi fauebant, per occaſiones atq; inſidias abigere perſeuerauit.

Diſceptatio de ſacrorum generali Antiſtite.

Diſceptabatur per id tempus de ſacrorum generali antiſtite à Chriſtianis: & erant qui Eugenium in Italia à collegio Cardinalium electum, & qui Felicem in Germania, quem Baſilienſe concilium deſignauerat, pro ſummo pontifice comprobarent, ſequerenturq;. Multi etiam principes regesq; & nationes, inter quas Hungari & Poloni, tam ancipitis controuerſiæ finem expectantes, ſententiam ſuam diſſimulabant, cæremonias interim ritusq; quales à maioribus ſuis acceperant, religiosè obeundis ſacris continuando. Cum itaq; non ſolùm eos qui ex diuerſo ſtabant, ſed etiam qui ambigua deliberatione ſuſpenſi, & ſtudia ſua occultantes, neutrum alteri præferebant, tam Felix quàm Eugenius diuerſis artibus ſollicitaret, ſibiq; acclinare niteretur, ab vtroq; legatio diuerſa eodem tempore venit ad regem. Et Felix quidē fretus vinculo ſanguinis quo Tridentinus Epiſcopus Alexander à ducibus Maſouiæ oriundus, Vladiſlao coniunctus erat, illum iampridem à ſe Cardinalem deſignatum potiſſimè idoneum duxerat, cui partes ſuas committeret, vt ſi parum cauſa valuiſſet, propter propinquitatem ſaltem non aſpernaretur.

Iulianus. Cæſarinus.

Ab Eugenio autem venerat Iulianus Cæſarinus etiam Cardinalis, & hic quidem vrbem Romam non ſolùm diuinitus electum locum, ſed Petri & Pauli, aliorúmque innumerabilium religionis fundatorū ſanguine conſecratum, in quo crearetur præſideretq; maximus pontificum, ſacroſanctum Cardinalium collegium legitimam iugemq; ſucceſſionem, tum de more habitam, & ab illis quorum res eſſet, electionem: præterea totius Italiæ conſenſum, & Græcorum voluntatem iudiciumq; pro Eugenio allegabat. Nihil aliud ex parte altera eſſe dicens, præter tumultum perditorū quorundā, quos fortunis ſuis profligatis, abiectaq; Dei & hominū verecundia, ſpes nouarum rerū ſine auctoritate,

ſine

ſine ordine, ſine cauſa, velut ad nundinandum ſacra cõgregaſſet. Ille autem ex diuerſo non locum, ſed puritatem animorum, vitæq; ſanctimoniam pertinere ad religionem dicebat. nõ referre, vbi eſſet diceretúrue ſummus pontifex: ſed quis, & à quibus. nimis in arcto circumſcribi columen Chriſtianæ profeſsionis, ſi eius caput non niſi Roma & creare poſsit, & capere. Quid futurum, ſi ea vrbs aut poſſideretur à barbaris, vt aliàs contigit, aut omnino deleretur? Si fortuna loci ad rem quæ tota in animis eſt, momentum aliquod habere poſſet, Hieroſolymas ſanctiori multò quàm Petri & Pauli ſan guine conſecratas. Illic religionis noſtræ veriſsimum caput, immortalitatis noſtræ omnia myſteria conſtituiſſe. Illic ſummi ſacerdotij prima ſucceſsionis initia, & tradita & ſuſcepta, non humano aliquo caſu, vt in Petro factum & Paulo: quorum hic tanquam reus Romam perductus, ille Simonis magicis vanitatibus attractus, ſed voluntate electioneq; diuina, quo ad Cardinales non animaduertendos ex titulo & nomine, quæ laſciuientis fortunæ fauor etiam immerito cuique conferre poſſet. Eos etiam ſi vrbem Romam nunquam viderint, nunquam titulo Cardinalis inſigniti ſint, tamen veros eſſe apud Deum religionis noſtræ cardines & fundamenta, quorum doctrina, vita, mores, actiones deniq; omnes cum religione conſentiunt. Nihil intereſſe qua quis ſit fortuna & dignitate. Deum enim non quæ extra hominem ſunt, verum animos ipſos intueri atq; expendere: deq; ijs quæ ad ſacra pertinent, non fortunati, ſed optimi cuiuſque iudicium comprobare. ſed neque multum conſuetam cæremoniam eligendi in vrbe aut poſſeſsionem Romanæ ſedis ad veram Diuini vicariatus ſucceſsionem attinere, vbicunque bonorum cœtus conueniſſet, diuini ſpiritus ſenſum adeſſe intelligi debere. Et quæ dicta, acta, conſtitutaq; illic eſſent, vt ab eodem ſpiritu manantia accipienda: præterquàm quod temerarium, etiam periculoſum eſſe, præ paucorum obſtinatis animis, quos nihil aliud quàm mala conſcientia contumaces redderet, publico Chriſtianæ reipublicæ conſilio non adhærere. Non dubitare aut Eugenium, aut qui illum ſequerentur, vel de ſua, vel concilij auctoritate: ſed intelligere, non poſſe ſe & in religione eminere, & ab ea animóque & vita maximè abhorrere. Si non niſi pro religione ſolliciti eſſent, nequaquam aduerſaturos concilio, cuius non alius finis quàm religionis ſanctitatem dignitatémque conſeruare, & augere. verè ſanctos pontifices, qui ad id locorum eccleſiæ præfuerant, nunquam tantam rationem habituros fuiſſe de conſilijs, niſi intellexiſſent id, quod ad omnes ex æquo pertinet, omnium iudicio & conſenſu moderandum: longéque altius poſſe proſpici ea quæ veriſsima ſalutariáque ſunt in rebus diuinis, ab vniuerſali Chriſtianorum iudicio, quàm à paucis Romanis ſacerdotibus, aut metropolis eiuſdem epiſcopis. hinc non minus ferè quàm quatuor euangeliſtis tributum ſemper & tribui ab eccleſia quatuor Concilijs, Niceno ſcilicet, Conſtantinopolitanóque, Epheſino, & Chalcedonenſi: in quibus præter alia multa diuinitus ad decus amplitudinémque religionis conſtituta, confutatæ eſſent & exploſæ hæreſes nefariæ ac pernicioſiſsimæ, quibus profeſsionis noſtræ vera fundamenta ſubuertebantur. Si quidem Niceæ Arij,

Conſtantinopoli Macedonij, Epheſi Neſtorij, Chalcedoni Eutychis impietates conuictæ damnatæq́. reliquorum quoq; Conciliorum ſubinde omnia decreta ſuum ſemper pondus, ſuam maieſtatem tenuiſſe. Non poſtulare qui præſidebant Baſileæ, vt de vniuerſorum ſalute, deq́; vel in primo vel in quocunque alio ordine religionis noſtræ emendandis ſibi crederetur, quod temerarium eſſet atq; improbum: ſed ad diſceptationem iudiciumq́; illorum, omnes quorum intereſſet aduocare. quibus ſæpe iactatis vtrinque & à rege ac ſuis auditis, in comprobando hoc vel illo ſummo pontifice, neutri legatorum eſt aſſenſum. Cæterùm quia Iulianus ad ea quæ ad rem diuinã ſpectabant, adiecerat inteſtina certamina, quibus arx & præſidiũ Chriſtiani nominis Hungaria vaſtabatur, malè affectum habere Eugenium, cæteróſque qui rem Chriſtianam ſaluam vellent: ſuaſerat q; deponenda arma per concordiam, cuius æquas conditiones inuenturum ſe ſperaret, ſi cum bona vtriuſque partis venia tentare licuiſſet. vbi planum factum eſt ei, nihil omiſſum à rege eſſe quod ad pacem facere videri poſſet, multasq́; legationes ſubinde fruſtra ad reginam commeaſſe, conceſſum eſt vt quantum in ea re poſſet, experiretur. Ille poſtquàm regis animum à quietis conſilijs minimè abhorrentem vidit, profectus ad reginam, cum de vtilitate pacis, deq́; incommodis belli diſcriminibusq́; diſſeruiſſet ea quæ putauit ad id quod intendebat pertinere, ſexus illam conditionisq́; ſuæ admonuit: & quàm de facili populorum ſtudia cum fortuna mutarentur. non eſſe eius quæ paulò antè experta foret, quid paucorum tumultus poſſet, contrà penè vniuerſorum conſenſum, in eo bello perſeuerare, in quo viribus multò & facultatibus eſſet inferior: ſtare ex parte altera omnẽ vim Polonorum, & cum illis maiorem partem ex Hungaris, quorum opes & auctoritas, in regno emineret. hominum armorumq́; & iumentorum ſatis eſſe reparando exercitui, ſi quid aduerſi contigiſſet: partibus autem ſuis adeſſe paucos, præter militẽ conductitium, cuius fides non ex affectu, ſed ex precio penderet, præterquam quòd inita affinitas inter Giſcram & Agrienſem meritò ei ſuſpecta eſſe poſſet. Ea quoque quæ ſatis firma ſibi & apparata viderentur, in vnius prælij ancipiti fortuna expoſita eſſe: vixq́; ſperare poſſe reparaturã ſe rurſus ad pugnã vires, ſi ſemel acie vinceretur. victurum quidem poſthumum diutiſſimè: ſed cõſiderare oportere quàm innumerabilibus caſibus humana vita ſubiaceat: & quo minus roboris in ea ætate eſſet aduerſus malas valetudines, eò facilius extingui ſolere, magisq́; timendũ, quàm ſubinde ſibi, quàm adultis duabus filiabus ſuis fortunã repromitteret: cum etiam quos ſpes & gratificatio poſthumi tunc in fide retineret, orbitas regni eſſet in contrarium auerſura. Satius multò, præcauere, ne ſi præmatura fata filium regno ſubduxiſſent, filiæ quoque excluderentur: ſed ſaltem altera illius veluti vice regnaret. inter marem & fœminam quo ad parentes nihil intereſſe præter ſexum in Vladiſlao eſſe illa omnia, per quæ reginulæ vtrique aliquando coniugandæ meritò ab ea gener eſſet expetendus. Temporis verò & rerũ conditionem vtroſque ad affinitatem non ſolùm inuitare, verumetiam quadam veluti neceſſitate vrgere. ad extremũ, meminiſſe debere viri patrisq́;

ſui,

ſui, quibus præter diuinos honores, cætera omnia cum ſumma fide tribuiſſet: ea gens, quæ periclitatura erat, niſi ad pacem animum adieciſſet, indulgendum fortaſſe aliquando viris, vt pro tuenda aut augenda dignitate vnius, populorum multorum ſalutem in diſcrimen adducant. Muliebris certè verecundiæ non eſſe, opportunitati ac ſaluti tot de ſe bene meritarum vrbium & populorum præferre incertas ſpes vnius infantuli: famam hominum extimeſcendam: ſed & Dei immortalis vltionem ſi per eam ſtaret, quo minus à nefario bello & Chriſtianis rebus maximè periculoſo abſiſteretur. Ad ea regina, ſatis ſe ſuas hoſtisq́; facultates noſſe, inquit: & quantum vel vires vel fortuna poßit in bello, non ignorare. Cæterùm minus flagitioſum dolendúmque eſſe, reſiſtendo exturbari, quàm per ignauiam & vanum metum regno excedere: iuſtam eſſe cauſam ſuam: neque abſuturum vindicem iuſticiæ Deum: filium verò incolumem eſſe ac Deo propicio fore. Quòd ſi malum fatum contra ſpem quicquam afferret, nouam rem noua conſilia præbituram. Hungarorum quidem merita in ſe ac ſuos ingentia eſſe: ſed quo maiora erant, eò magis ſibi annitendum, ne cogerentur in ditionem ipſis inuiſam degenerare: ſi tamen ſine cæde & ſanguine id fieri poſſet, nihil eſſe quod mallet. Sub hæc verba Iulianus, collaudato reginæ animo, & quòd muliebriter bellum non expaueſceret, ſi neceſſariò gerendum foret: & quòd concordiam, ſi modò æqua offerretur, non aſpernaretur, de pacificationis forma cœpit cum ipſa agitare. Cæterùm multis vtrinq; conditionibus in medium adductis priùs, ac repudiatis, cum maternum animum æquè adulta filiarum ætas, atque infantis cura ſollicitum haberet, tandem adacta eſt regina, vt conſentiret has ſimul leges & ſtabilimenta concordiæ ad Vladiſlaum perferri: ante omnia, quòd alteram reginularum ipſe, alteram Cazimirus, qui tum Lituaniæ erat, vxorē duceret: & Cazimiro quidem expenſuram reginā dotis nomine centum & viginti millia aureorum: Vladiſlao verò collaturam ducenta millia in terra Sileſia, iure pignoris obſtricta: ceſſuramq́; iam tum illi poſſeßione, reſeruato ſibi redemptionis iure, quandocunq; commodum fuiſſet. Quod autem ad Hungariam attineret, Vladiſlaus mox ſe ſe regio titulo abdicaret, procurationem ac tutelam vſque ad integram poſthumi ætatem retineret: vbi ille adoleuiſſet, quòd & procurationem dimitteret. Quòd ſi intra pubertatem aut quandocunque poſtea ſine liberis poſthumum decedere contigiſſet, cum regio titulo ius atque arbitrium regni ad Vladiſlaum reuerteretur. Cæterùm compenſandis impēdijs ea in expeditione factis, terra Scepuſienſis perpetuo iure adijceretur Poloniæ regno. Hungari verò ſpontè ac bona fide antiquarēt quamcunque actionem & ius quod aut in Podolia aut in Valachia habere ſe crederent. Accepiſſet Vladiſlaus ſine dubio conditiones tam ſibi quàm regno ſuo commodas, & erāt ex Hungaris multi qui aut externum bellum timentes, aut inteſtinum execrantes, non fortiter ſententiam reginæ impugnabant. Cùm tamē agi appareret de facultatib. atq; amplitudine regni, placuit aut per nuncios aut per literas eorū quoq; procerum, qui præſentes non erant, voluntates exquiri: à quibus, vt fit, pro cuiuſq; ingenio allatæ ſunt ſentētiæ

Cum Regina de pacificationis forma Iulianus agitat.

non ſolùm variæ, ſed omnino etiã diuerſæ, cum forent qui iniquiores quoque conditiones domi perferendas cenſerent, dummodo foris tuti eſſent: & qui nullam omninò concordiam habendam dicerent, niſi quam arma conſtituiſſent. Itaque quo magis aut timidè nimium, aut periculoſa alij cenſebant, eo poſtquam recitata eſt ſententia Hunniadiani, maiori aſſenſu omnium accepta eſt, cum nihil in vtramuis partem affectatũ contineret. Scribebat enim, videri ſibi propter imminens à Turco negotium, neq; repudiandam pacem temerè, neq; tamen amplexandam cupidè: etſi natura ſua pax ſemper bello ſit anteferenda: neq; omninò aliam ob cauſam gerantur bella, quàm vt pace frui liceat: concordiæ tantummodo conditiones rectè animaduertendas. Et ſi iniquæ offerrentur, commodiores exigendas: quæ ſi impetrarentur, nihil ſatius quàm inuicem domi in gratiam redire: & depoſitis inteſtinis armis, pugnare foris. Si verò regina perſeueraret inire id fœdus, in quo ſui ſuorumq; habita ratione, membra regni non ſolùm ad tempus poſſidenda externis traderet, verumetiam à corpore ſuo perpetuò alienaret, omni ope reſiſtendum cenſere. Non animum, non vires defuturas, ad extorquendam æquam pacem: minori etiam ſumptu quàm foret impendendum pro concordia, quæ tunc offerebatur. Itaque Iulianus rurſus ad reginam profectus, pauca quædam in prioribus conditionibus commutata retulit. Sed cùm neque ea Hungari probarent, modò hac, modò illa cautione variata, vltrò citroq; multoties fruſtra commeauit. Tandem verò vt quod vltimum erat experiretur, vtrinque impetrauit, quòd in Iaurinum Vladiſlaus ad reginam proficiſceretur, ſi fortè præſentia & mutuũ colloquium ad concordiam inter eos eſſet efficacius, quàm alienæ perſuaſiones. Poſtquam conuenêre, poſt mutuam admirationem, cum in alterius ætate tam tenera procurationi & tutelæ tam ampliſſimorum regnorum par indoles emineret: alteram verò præter ætatem iam grauem, animi magnitudo in periculis maximisq; quibuſque actionibus explicandis, venerabilem redderet: primi congreſſus, vt par erat, querelas purgationésque mutuas habuere, aſſeuerantibus vtriſque ex diuerſo contra ius faſq; ab altero violari, armaq; neceſſariò non ſpontè ſumpta: tandem cum dies aliquot de concordia colloquendo conſumpſiſſent, ſic ab inuicem diſceſſere, vt conciliatos apparuerit, propter ditiſſima munera, quibus ſe mutuò benigniſſimè proſecuti ſunt. quo tamen ordine arma deponenda eſſent, non eſt vulgatum. id planè conſtitit, reginam paulò poſt Budam profectam. Quod cum feciſſet, emiſſo prius Ciliæ Comite è cuſtodia, in qua ferè ab initio belli ſeruatus fuerat, pax firmata eſt, & expreſſa. cuius dum forma diſcutitur, Vladiſlai virtus ac dexteritas in agẽdis mirè acclinauerat in ſe reginæ animum: manauitq; murmur, datæ in id mutuò fidei, quòd Vladiſlaus liberè in Hungaria regnaturus foret, ſi modò aut precibus impetraret, aut armis extorqueret ſacram Hungariæ coronã: & poſthumum, à Friderico Cæſare, qui poſt Alberti mortẽ, fretus reginæ viduitate, infantis patrimonio in Auſtria abutebatur. Cæterùm vbi regina in Iaurinũ rediịt, leuiter ægrotare cœpit, ac triduo pòſt torminibus interijt, non ſine veneni ſuſpicione,

Hunniadiani conſilium.

Vladiſlaus ad Reginam in Iaurinũ proficiſcitur.

Regina moritur.

propter

propter mortis celeritatem. ſed vt de veneno addubitatũ, ita quantum exterioribus ſignis licuit deprehendere, id maximè compertum, Vladiſlaum ſcilicet ægerrimo animo mortem eius tuliſſe, frequenterq́; aſſeueraſſe ſublato velut obſide ac ſtabilimento pacis, Boëmis rerum nouarum cupidis, non defuturas cauſas machinandi contra fœdus, vt bellum inſtauraretur. Nec ſecus accidit. paulò enim pòſt cum oppidis ſimul omnibus quæ præſidijs eorum tenebantur, ad Cæſarem defecere. Rurſusq́; non ex inſidijs, ſed vi aperta cœperunt regijs partibus inſultare. Eodem tempore apparatu & numero hominum inſignis legatio venit à Turco, magis, vt fama tenuit, explo-

Boemi cõtra fœdus deficiunt.

Inſignis legatio à Turco.



ratum, quis ſtatus eſſet rerum in Hungaria, propter inteſtinum bellum, de cuius euentu maximè ſollicitus erat, quàm quòd crederet ea quæ poſtulabat impetrare. Quandoquidem Hunniadianus, cui cohibendarum populationum Turci curam commiſſam fuiſſe diximus, non ſolùm incurrentis impetum ſæpe ſubmouerat: ſed felicitate etiam & virtute ſua fretus, in agrum hoſtilem populabundus ipſe irrumpens, occurrentibus ſibi Turcis haud ſanè ignobiles clades intulerat: & fortuna ſapiẽter vtendo paulatim extorſerat, vt non tam vincere, quàm vinci ſe poſſe ſentirent. Itaque cum ferè eiſdem verbis, quibus ad Belgradum regij legati dimiſſi, tunc etiam offerretur fœdus, eiusq́; velut obſes poſtularetur aut Belgradum, aut annuum tributum, ſuperueniente nuncio ab Hunniadiano, qui aſſerebat per eos dies cum Turcis bis feliciter pugnatum, multosq́; in prælio captos, plures in fuga trucidatos: inter quos cecidiſſent duces duo maximè inſignes: præterea ſigna militaria pleraque illis adempta, & cum victoria ingentem quoq; prædã à militibus reportatã: haud ſanè mitius reſponſum eſt, quàm inflata

Hunniadianus cũ Turcis bis feliciter pugnat.

inſtata legatio exigebat. Inquit enim rex, relaturum ſe de his quæ petebantur ad Hunniadianum, & ſecundum fortunã quæ aut illi aut Turcis affuerat, proximis diebus per legatos ſuos ad poſtulata reſponſurum. Cæterùm cum poſt reginæ mortem regni omnes proceres in fidem Vladiſlai rediÿſſent, nihilq́; hoſtile iam in regno ſupereſſe videretur, præter Caſcouiam cum appendicibus, & illic quoque affinitas inter Giſcram & Agrienſem inita, renouandæ cõcordiæ ſpem faceret: videreturq́; Cæſar, ad quem factio illa defecerat, etiam vt cætera parum eſſent apud eum efficacia, tamen propter quietis ingenio ſuo inſitum ſtudium, omninò pacem bello prælaturus. Iulianus ratus commodum tempus ſuadendæ cõtra Turcos expeditionis, & publicè apud regem, & priuatim apud primores regni, cœpit eam rem agere. Vladiſlaum admonebat ſpei quam ſibi propoſuiſſent omnes Chriſtiani principes, vbi eum accitum eſſe vt in Hungaria etiam regnaret, intellexerant, felix fauſtumq́; id Chriſtiano nomini viſum fore, & pro felicitate ipſius vota ſolennia ab hominibus nuncupata, quòd pacatum regnum propè totum iam poßideret, non minus precationibus aliorũ Chriſtianorum, quàm ſuis armis effectum: dandam eſſe operam, vt tam ingenti de ſe exſpectationi reſponderet. Expeti id etiam à religione quam profitebatur: ſed nec minus à neceßitate ſtatus ſui, & tuitione illorum quos in fidem ſuſceperat, non poſſe à ſe negligi eam expeditionem, aut ſalua fide præbita Hungaris, aut incolumi non ſolùm Hungaria, ſed etiam Polonia: cuius ſalus ab Hungariæ ſalute dependeret. vindicandam indignitatem poſtulati à ſe tributi, in tanta ſtatus ſui felicitate: indicandumq́; propè negligenter ad id locorũ rem geſtam, quídue intereſſet inter expeditionem quæ tantummodo regÿs auſpicÿs, & illam quæ non auſpicÿs ſolùm, ſed ductu etiam regio ageretur, de victoria dubitare non ſinere res feliciter ab Hunniadiano geſtas cum parua manu, reſpectu copiarum quas ipſe foret educturus. Apud Hungaros verò proceres aſſerebat, diuinitùs contigiſſe vt Vladiſlao regnum committerẽt. Eam mentem coniungendi inter ſe vires duorũ tam potentißimorum regnorum, Deum eis indidiſſe, vt imperium fineſq́; ſuos non ſolùm tuerentur, verumetiam ad Helleſpontum & Aegeum vſque mare propagarent. non prætermitterent opportunitatem, cui etiam fatum & fortuna fauiſſet, illata per reginæ obitum, veluti neceßitate imponendi finem ſeditionibus inteſtinis. ad felicitatem publicam expediendam, non in præſens modò, ſed etiã in perpetuum nihil eis deeſſe poſſe, præter rectam mentem: non deeſſent ipſi occaſioni ſuæ, quando reliqua omnia ad victoriã, ratio, fortuna, fatum, abundè accommodaſſent. Accedebãt ad hæc preces miſerabiles & lachrymæ Deſpoti, qui nõ ſolùm regem orando adibat: ſed quoſque etiam ſortis mediocris ſupplex prenſabat, rogabatq́; flendo, vt non omitteretur tempus & facultas vlciſcendi calamitates Chriſtianis inflictas, & pleraque omni cruciatus genere fœda ſupplicia, de alÿs multis per crudelitatẽ à Turco ſumpta, indignando filiorum ſuorum erutos oculos, nefarieq́; abſciſſa pudibunda, ſuprà quàm humanæ aures pati poſſent, miſerabiliter deflebat. Ad extremum regi ſimul & purpuratis alÿs memorando, quàm felix potensq́;

Iulianus expeditionem contra Turcos ſuadet.

Turci immane factum.

paulò

paulò ante imperio, liberis, & cæteris benignæ fortunæ blandimentis viſus eſſet, qui tunc aliena miſericordia aleretur: obteſtabatur regem ſimul & purpuratos alios, ne ſe, ne filios, ne Chriſtianum nomen inultum ſinerent, ad Hungariæ fines tempeſtatem, iam perueniſſe: potius alienæ calamitatis vindices ſe præbere vellent, quàm expectare dum ſua quoq; ſimul cum ipſis eodem naufragio obruerentur. Non tamen aut huius iuſtæ preces, aut Iuliani prudentes aſſeuerationes vltrà valuere, quàm vt qui aberãt proceres de ea re Budam accirentur. ibi maiori ambitu, maioriq́; aſſeueratione omnia hæc repetita, atque etiam aucta: cum ad ſuperiora hortamenta Iulianus adijceret, multorum quoque aliorum Chriſtianorum principum auxilia in tempore affutura. Conſtitutum igitur omnium miro conſenſu, vt veris ſtatim initio, rex quàm maximè fieri poſſet numeroſum inſtructumq́; exercitum educeret, moueretq́; in Bulgariam. interim verò cum Cæſare aut de pace, aut de fœdere tranſigi placuit. Et quod ad publicam Chriſtianorum omnium cauſam vel aduocaretur ipſe, vel auxilia ab eo expeterentur. legationes præterea decretæ, quæ non ſolùm Polonos, ſociam coniunctamq́; iã gentem, ſed Prutenos quoque & Valachos adirent, ad eamq́; expeditionem implorarent. Cæſar inducias dedit in biennium. Quòd verò ad expeditionem Chriſtianis rebus adeò neceſſariam, nec venire ipſe, nec ſubſidium mittere poſſet, Boëmiæ tumultuantem ſtatum in excuſationem adduxit. Magiſter quoq; Pruſſiæ allegata vaſtitate, qua proximis temporibus continua bella eam prouinciam afflixiſſent, nihil quale petebatur ab ſe ſperandum renunciauit. A Polonis & Valachis miſſæ ſunt cum ſemeſtri ſtipendio equitum peditumq́; auxiliares copiæ, quas ingens armatorum multitudo ſubſecuta, quibus domos, coniuges, liberos, patriam, cæteraq́; humanæ vitæ aut præſidia aut ornamenta propter eiuſmodi militiam relinquere, non conſilium aut merces publica, ſed priuata in Deum pietas, & ſtudium Chriſtiani nominis, ſimul tuendi, ſimul propagandi, perſuaſerat. Quod genus militum cruce ſignatum ex alijs quoque nationibus ad famam religioſæ expeditionis ingenti numero confluxit. Igitur præmiſsis ſupplicibus precationibus, rebusq́; diuinis dies aliquot per omnia fana ſolenni ritu & cæremonia peractis, circiter Kalendas Maias rex Buda mouit: transmiſſoq́; per Danubium exercitu, paruis itineribus ingrediebatur, ſuos, qui nondum conueniſſent, expectabundus. Superato deinde Tibiſco, rurſus ad Danubium ſe conuertit, copiasq́; ad Salſum lapidem traiecit. in Bulgariam mox rectà progreſſus eſt, Sophiam oppugnatum. quo in loco Deſpotus cum ſuis regio exercitui ſe coniunxit. vrbs ea naturali ſitu haud ſanè egregiè munita eſt, ſed regis ſubitus aduentus etiam improuiſam deprehenderat: itaque breui tempore, nec difficili conatu, capta. Cæterùm quia plus operæ ſeruanda ea inſumendum, quàm capienda inſumptum apparebat, direptam prius à militibus rex ſuccendi iuſsit. pari ſubinde felicitate, cum pleraque ignobiliora oppida expugnaſſet, diripuiſſetq́;, non procul à Morana fluuio caſtra poſuit, in loco qui vt non rectè collis, ita nec planicies queat appellari: ſed medius inter vtrumq́;, quantum à colle ſub-

Vladiſlaus Rex exercitũ contra Turcos educit.

Magiſter Pruſſiæ renũciat.

Sophia oppugnatur.

mittitur, tantum à planicie turgeſcit. Illic miſsi equites quingenti ſimul prædatum trans flumen, ſimul ſpeculatum quà tutius & minori cum vexatione progredi exercitus poſſet. Illi exoriente ſole profecti, ſub meridiem in ſpeculatoriam Turcorum manum inuecti quatuor cum cepiſſent, cognoſcunt duo millia hoſtium per proximam ſiluam aduentare: itaque impares ſe pugnæ intelligentes, qua propius ad flumen iter arbitrabantur, in fugam ſe vertunt. nec mora, Turci viſi à tergo trepidationem ſimul & fugiendi ſtudium auxere. Erat inter refugientes & fluuium tellus editior, ex cuius vertice cum pateat longè latéq; proſpectus in Ciſmoranam regionem, allabentis tamen fluminis alueus non apparet, viſu ſupra vallem, ceu per extenſam planiciem, longiſsimè in oppoſitos tumulos procurrente. Itaq; cum refugientes ad flumen regij, per collem tranſcendiſſent, & propter altitudinem præruptæ ripæ in citeriorem partem ad ſuos euadere poſſe deſperarent, pars quidem in aquam ſtratis equorum tenus ſe immiſerat: reliqui verò in extrema margine fluminis ſubſtiterant animo quo ſunt illi qui ſine alicuius aut defenſionis aut effugij ſpe, mox ab hoſte immaniſsimo trucidari expectant. nec vanus forſan eorum metus fuiſſet: ſed rex venatum magno cum numero armatorum, caſu cis flumen profectus, Turcorum oculis tunc maximè in ſummitatem aduerſi collis peruenientium, cum occurreret, inſidiarum metum illis incuſsit, cum & longius diſtaret, & maior appareret multitudo, quàm pro modo eorum quibus à tergo inſtitiſſent. quæ res fecit vt curſum pauliſper cohiberent. At rex vbi hoſtes adeſſe perpendit, à venatione in pugnæ ſtudium conuerſus, ingenti alacritate ſuos ad flumen dirigit. Nec procul aberat tum qui illic medij inter hoſtem ripámque inſuperabilem creditam, derelicti à ſe ac deſperati, iam tum mortis maximam partem in corpus admiſerant, conſpectu ſuorum velut ad cœlitus demiſſam opem recreati, animos ſimul & clamorem extulere: verſiq; per accliuum retrò, commiſſæ fugæ pudore ſtimulante, ad montem magno conatu ferebantur. Interim verò rex quoque cum ſuis ad ripam peruenerat, & ſine delectu placidioris alicuius deſcenſus per abrupta & præcipitia quæcunq;, in flumen proſiliebatur, tam cæca omnium feſtinatione, vt multi vorticibus impliciti ab aquæ violentia ſecundo amne agerentur. Multi etiam inter luctandum ab equis excuſsi, armorum pondere peſſundante, ſubitò in aliorum conſpectu ſubmergerentur: ſed Turci redeuntes contra ſe Chriſtianos minimè expectauere. Nec pugna fuit, ſed viciſsim fuga & trepidatio. progreſſus erat deinde rex trans flumen duorum dierum iter, præmiſsis ſpeculatoribus, per quos numerum hoſtium conſiliaq; & actiones exploraret. Ex ijs igitur duo trepidè renunciauere, Turcos non longè cum valida manu in inſidijs occaſionem ſuam expectare. Qua re audita, Vladiſlaus ſtatim habito ex omni multitudine delectu, cum decem milibus armatorum Hunniadianum miſit, vt per ſilentium noctis nil tale opinantes hoſtes adoriretur. Ille à meridie ad primam vigiliam ſpeculatores ſubſecutus, vbi Turcos haud procul eſſe comperit, cum luna pernox eſſet, ad ea loca per quæ maximè fuga patere illis poterat,

Rex inopinato aduentu ſuos in diſcrimine vitæ cõſtitutos liberat.

Hunniadianus Turcos noctu adoritur.

agmen

agmen tacitè circumduxit: & clamore ſublato, torpentes ſopitosq;, vt pote quos nulla cogitatio affuturi certaminis teneret, adoritur: primoq; ſtatim impetu tantum terrorem vulgo incuſsit, quòd fugam magis quàm arma pro ſe quiſq; ſpectare cœpit. Sed vbi ad effugium præcluſas vias omnes percipere, velut in vltimo diſcrimine per trepidationem alienatis ſenſibus, equorum frena ægrè atq; arma expediebant. Cum ex parte altera Hunniadianus ſuos adhortaretur, vt inermem adhuc hoſtem, ſomnoq; & inopinato pauore fluctuantem inuaderent, ac cæderent. Frequentes iampridem victoriæ nomen viri apud Turcos non ſolùm celebre, verumetiam formidabile reddiderant. Itaq; à principio quidem cum haudquaquam ſtrenuè à trepidantibus hoſtemq; ignorantibus reſiſteretur tumultus & cæca conflictatio verius quàm pugna fuit: deinde vbi Hunniadianum adeſſe percepere, ſuósque vbique ab obuijs proſterni, integrósque cum ſaucijs, ſemianimes cum expirãtibus, varia fœdaq; pereuntium imagine volutari, vt quemq; nox & timor præcipitem agebat, per loca inuia vepribusq; ac virgultis implicita euadere tentantes, facile inſtans victor conſequebatur: maiorq; longè cædes quàm pro numero eorum qui vicerunt, commiſſa eſt: ſiquidem ad triginta milia Turcorum ea nocte cæſa dicuntur, & ſupra quatuor milia capta, cum nouem ſignis militaribus: adeò improuiſus hoſtium impetus iam dudum vinci aſſuetis omnem ſenſum abſtulerat: nec aut multitudine ſuorũ

Triginta milia Turcorũ cæſa, & quatuor milia capta cum nouem ſignis militaribus.



aut fugantium cædentiumq; ſe paucitatem ſentire patiebatur: ſed & caſtra multa præda referta, in manus victoris venere. quibus direptis incenſisq; Hunniadianus haud ſanè magna ſuorum facta iactura, cum non minori laude eorũ à quibus expectabatur, quàm ſuo gaudio ad regẽ redijt,

Mamacus ſacerdos.

fuit fortè inter captiuos Mamacus, ſacerdos doctrina & religione apud ſuos clarus, à quo ſuper iis quæ in religioſa Muſamanorum hiſtoria vulgò feruntur, aut improba, aut obſcœna, cum multa Sanoceus, vt erat morum rituumq́ peregrinorum veſtigator curioſus, exquireret: ille nec ſortis ſuæ, nec profeſſionis oblitus, nõ licere inquit, de ſecta ſua vinctum diſputare. Cæterum Sanoceo inſtante vt vel fateretur, vel purgaret religioni ſuæ obiectas ſordes, propriumq́ id eſſe munus ſacerdotis aſſeuerante: ille præfatus, Turcos quoque homines eſſe, ab eiſdemq́ principiis, quæ mortales alij ſua eſſe profiterentur, corpus ſimul atq; animam ducere, ſubintulit: & quoniam in iis quæ percipiuntur tractanturq́ ſenſibus, cum reliquo humano genere conſentirent, maximè veriſimile eſſe, vt in illis quoq; quæ aut opinio aut intellectus ſuggerit, ſine probabilibus rationibus minimè ſe habeant.

Bulgarorum oppida pleraq; ad regem defecere.

Poſt eam victoriam, pleraq; Bulgarorum oppida ſimul Muſamanicæ impietatis, ſimul affectu Chriſtianæ profeſſionis pellecta, tum etiam linguæ commercio, & quòd eadem cum Polonis primordia generis haberent, eiectis Turcorum præſidiis, ad regem defecère. Nonnulla etiam in ipſa trepidatione expugnata partim per regios milites, partim per Volones cruce ſignatos, qui ductu Iuliani multa egregia facinora quotidie edebant, & iam cum victoria peruentum erat ſub ipſum Thraciæ aditum. Cæterùm licet multum bello quæſitum videretur, non minus amiſſum credebant, in vexatione per quam copiæ illuc peruenerant. Cum enim propè à fonte Tyabri amnis, qui à Myſis olim Triballos diſterminabat, Bulgaria per dorſum Hæmi montis in vulturnum aquilonemq́ porrigatur, à meridie in Thraciam declinat, à ſeptentrione verò in Danubium deuexa, inferioris partem Myſiæ occupat. Itaq; media huius regionis inuiæ rupes ac prærupta ſaxa tenent. decliuiora autem, & ſi qua in planiciem protenſa ſunt, profundis ferè ſyluis vaſtiſq́ ſolitudinibus occupantur. Ideo ager haud ſanè egregiè frugum fertilis: ſed neq; alendo pecori ſatis fœcundus, ac proinde ad cætera mala, quibus itinerum difficultas in ipſo iam hyemis initio exercitum mulctauerat, magna hominum iumentorumq́ vi rigore intolerabili, aut laſſitudine abſumpta, commeatus etiam inopia maximè vrgebat. Et licet pecunia ſuppeteret abundè, non erat vnde frumenta coemerentur, ex eoq́ ad famem deſperatio quoq; accedebat. Nec quicquam aliud victum iam malis ſuis exercitum, ne diſſolueretur, retinebat, quàm crebræ Hunniadiani adhortationes, cuius aſſeueratio, quo peritior earum regionum rerúmque habebatur, eo veluti ſolidiori ſpe ab omnibus accipiebatur. Ille quicquid malorum exhauſtum erat, frigus, famem, laſſitudinem, deſperationem, repetere, rurſusq́ perpetienda dicere, ſi regrediendum foret: tanto hominum iumentorumq́ vexatione maiori, quantum regionis naturalem vaſtitatem bellum etiam exhauſerat, longè plus ſolitudinis difficultatumq́ à tergo relictum, quàm emetiendum ſupereſſet. Si progredi perſeuerarent, multo etiam per altiora mœnium iuga ſuperata, quàm per quæ in Thraciam tranſcendendum. Stare eos in limine horrei felicioris iam agri, biduoq́ peruenturos non ad amœniora ſolùm loca, ſed rerum etiam omnium feraciora,

in qui-

in quibus præterquam quòd reficiendo exercitui abundè omnia ſuperfutura, tantum etiam prædæ paßim expoſitum, quantū referre faſtidiret, vnicum atque eundem vltimum laborem inſtare: ſubinde non bellum fore, ſed populationem. Meminiſſent qua alacritate per inacceſſas cotes & ſaltus inuios, etiam inuita natura paulò antè properaſſent. Qua virtute nihil actum foret, ſi victoriam non proſequerentur: cæſos quidem ab ſe ad ſatietatem hoſtes, ſed facilè inſtauraturos exercitum: veriusq́; irritatos, quàm victos dici poſſe: rurſus occupaturos ea quæ ipſi deſeruiſſent oppida, & à patria penatibusq́; & laribus domeſticis: poſtea propulſandum iterū bellum, quod in agrum hoſtilem vincendo conuerterant: incertum eſſe an eadem felicitate arma ſemper aſſumerent, dum Deus & fortuna cœptis fauerent. non temerè omittendam debellandi in Europa opportunitatem, præter id quod felicitatis ſuæ occaſioni defuiſſe flagitioſum videretur. Deum etiam ſubinde iratum fore. Hæc & plura eiuſmodi ſæpè vulgò & in concionibus iactata ab Hunniadiano, interdum etiam Deſpoto: cuius vnica ſpes erat rerum ſuarum iterum potiundi, ſi bellum non intermitteretur. Succumbentes aduerſis non ſolùm militum animos, ſed ducum etiam ſæpè firmauerant. Cumq́; illi audirentur, videbatur vnuſquiſque extrema quæque toleraturus: ſed premente ſubinde fame, cæterisq́; temporis ac locorum difficultatibus, rurſus in priſtinam deſperationem recidebant: viciſſentq́; humanæ neceßitates, vt contingit ſæpè, verecundiam, niſi aduentus hoſtium renunciatus, ne temerè dilaberentur, cohibuiſſet magis, ne ſegregatis ac diſperſis per loca incognita trucidari contingeret, quàm ſpe in tantis malis inſultantibus reſiſtendi: ſed iuuabat etiam vtcunque cum ſuis vitæ virtutisq́; ſupremum opus obire. Itaque vbi mox affuturum hoſtem cognouêre, lætari pro ſe quiſque & gratias immortali Deo agere propter oblatam occaſionem pugnando intereundi. paulò antè non mortem, ſed genus ipſum mortis grauißimum fuiſſe, cum veluti debilibus beſtijs fame in deſerto extabeſcendum foret. Tantóque ardore animorum arma vbique in caſtris expediebantur, vt facile intellectu foret, eos ſine ordine, ſine imperio, ſi appropinquaſſet hoſtis, eruptos. Interea Hunniadianus, qui cum paucis ad montem ſubierat, refert illos ſumma iuga inſediſſe, vt qui non acie dimicaturi veniſſent, ſed regem tantummodò tranſitu prohibituri. poſuiſſe illic enim caſtra, lapidésque & ligna comportando, tumultuario opere aditum ad ſe vndique communire. nec fefellerat eum coniectura. namq́; vbi Amurates ſuorum cladem acceperat, veritus id quod futurum fuit, vt bellum in Thraciam & Macedoniam transferretur, niſi properè miſiſſet qui arcerent, accitis ad ſe copijs quas in Aſia habebat, cum reliquijs paulò antè profligati exercitus ſui, eas coniunxerat: deſtinauerátque, vt per nullam occaſionem fortunæ ſe committendo, obſeßis montium anguſtijs, nihil aliud quàm tranſitu arcendo, Vladiſlaum ſub montibus retinerent: ſatis ſupérque hyemē famemq́; & cætera mala, quibus hoſtes vexari conſtabat, cōtra illos pugnatura. Sed quem cōſilij ſui exequendi principē fecerat, dux Phrygiæ Carambus, vir manu & ingenio promptus, cum ex loco edito

Hunniadianus & Deſpotus ſuccumbentes, animos militum & Ducum erigunt.

Coniectura Hunniadiani.

animaduerteret tumultuantes regios in exercitu, & pleroſq́; diuerſis in locis non legitimo imperio, ſed perturbatè ac temerè ad pugnam erumpentes, alacriusq́; quàm par erat, propter loci iniquitatem per accliuũ niti, ſimul ſe veluti contemni impatiens, ſimul quia & loco & numero militum ſuperior victoriam in manibus habere ratus, quaſi rei bene geſtæ decus præuaricationis culpam diluturum mox eſſet, etiam contra id quod in mandatis acceperat, pugnare inſtituit. Itaq́; explicatis aciebus, ſigna in hoſtem deferri iuſſit. Id vbi rex animaduertit, ad ſuos, quos magis honeſtæ mortis quàm victoriæ ſpes temerè ad montem agebat, cõuerſus, aduocatisq́; Hunniadiano ac Deſpoto, & cæteris primoribus, Deus inquit, Deus adeſt, fauetq́; ille hoſtibus, cùm inſidentes montis fauces, per ocium ſatiare poſſent oculos interitu noſtrorum, fame maliſq́; alijs paßim pereuntium, mentem illic manẽdi abſtulit, & nunc præcipites in eos agit: qui ſic armati proſiliere, vt certamini ſupereſſe nolint. Rapiamus occaſionẽ animiſq́; & alacritate, quam noſtri vt honeſtè occumbant, extulere: vtamur ad victoriam, ad quam nihil efficacius eſſe ſolet, quàm ſi ſine metu mortis pugnatur. quo maiori deſperatione in hoſtem feretur quiſque, eò violentius cedet ac proſternet obuios: & dum mori non recuſat, victor euadet. nec mora, producturus ipſe cum Deſpoto & Iuliano reliquos in aciem, Hunniadianum miſit qui temerè ſparſos colligeret: & quantum res ſubita properantiúmque ad vltimum diſcrimen, non ardor, ſed propemodum rabies ſineret, prouideret, ne cæca eorum temeritas plus hoſti ad victoriam conferret, quàm ipſius aut virtus, aut felicitas. Ille properè incompoſitæ multitudinis primos aſſecutus, vt quemque pleniori gradu ad montem feſtinare intuebatur, ita admonendo, ne cœco impetu, veluti paratum iugulum hoſtibus offerret (Cuiq́; enim non in ſua morte, ſed in hoſtium cæde laborum periculorúmque omnium terminum poſitum) rogabat vt ſe in acie locari pateretur. Et ſi tanquam victurus nollet, ſaltem in vltionem ſuæ quiſque mortis acriter pugnaret: non temerè, quod pecudum eſſet, ſed vt viros fortes decet, ex militari diſciplina, pertinere ad futuram famam, ne incruentam de ſe victoriam hoſti permitterent. Et cum dicto, ordini, qualem caſus & tumultus præſtare poterat, ſimul quemque applicabat, ſimul benignè retrò agebat, in proximam tumuli planiciem, ex qua placidius accliui colles haud difficilimum ad ſe aditum præbituri videbantur: cùm interim rex quoque cum cæteris copijs accurriſſet, & Turci nihilo ſegnius ex ſuperiori loco decurrẽtes, eò iam perũeniſſent, vt mißilibus ex interuallo prælium committerent. Quorum eò minus quicquam vani teli intercidebat, quo denſius regiorum agmen ardentiorique ſtudio ad excipiendum hoſtis impetum ſurſum nitebatur. Multi priuſquam cominus congrederentur, vulnerati: ſed vbi ad manum ventum, & gladio res agi cœpta eſt, ante alios Poloni deſperatione atque ira obcæcatis animis inuadunt hoſtem, ac proſternunt tam obſtinato impetu, quòd locis aliquot minimè ſuſtineri potuerunt: cœpitq́; aduerſa acies conturbatis ordinibus nutare: ſed accurrens ad omnia diſcrimina Carambus, & pleroſque ex ſuis gladio & vulneribus, alios voce ac maledictis increpitans,

Carãbus contra id quod in mandatis acceperat, pugnare inſtituit.

Rex ſuos alloquitur.

Pugna acerrima inter Polonos & Carambum.

crepitās, quòd à laßitudine, inedia, frigoribúsque enectis, per inanem trepidationem ſe vinci paterentur, certamen redintegrauit, ordinésque restituit: identidemq́ue, vbi acrius pugnari animaduertebat, circumclamitans, cæcum ſcilicet deſperatione hoſtem ſpontè in vulnera agit: tela tantummodo intendenda, ipſum ſe ſua ſponte iugulaturum, per omnes militis ducisq́ue optimi conatus tam periculoſæ ſibi pugnæ euentum diſtrahebat: cum interea multi vtrinque aut caderent ſubitò, aut tam grauiter vulnerarentur, vt delapſis in terram, vires minimè ad conſurgendum ſuppeterent, conculcantibusq́ue equorum pedibus, quantò ſerius, tanto miſerabilius interirent: ſed maximè inſigni atque horribili aſpectu patebant vulnera equorum per Polonos cruce ſignatos inflicta. Erant ferè pedeſtre agmen, lanceásque geſtabant: id tantummodo à venatorijs diſtantes, quòd nō punctim ſolùm, ſed cæſim etiam ferro prælato & oblongo infeſtæ vtroque modo feriebant. Itaque illi inter equites excurſantes per loca modicis virgultis implicita, non tantùm latera equorum mucronibus aperiebant, ſed crura plerunque tota à corporibus detruncantes, ceruicesq́ue altißimis vulneribus incidentes, magna ex parte ad pedeſtre prælium Turcos redegerant: qui eo genere pugnādi tantò facilius ſuperabātur, cedebantq́ue ſenſim retrò, quanto equeſtribus aſſueti inſultibus, peditum laborem minus ferre conſueuere. Cæterùm vbi equus à quo Carambus vehebatur, per ventrem lancea tranſuerberatus, dolore ſæuiens inter hoſtes equitem profudit in caput: vulgatumq́ue eſt, ducem aut cæſum, aut certè captum eſſe. multitudo ad montem conuerſa, quod reliquum præſidij erat, fugæ ſe cōmiſit. Inſequentibus Chriſtianis, & fugientium terga paßim cædentibus tanto ardore animorum, vt ad ſumma vſque iuga, per omnia aſpera atque inuia euaſuri viderentur: ſed cum plus negotij ab locorū iniquitate, quàm ab hoſtibus futurum appareret, & iam dies in noctem inclinaret, quo tempore etiam in plano locísque æquis errabunda obluctantium veſtigia periclitantur: rex prohibens vlterius in locis penè inſuperabilibus vim afferri, ſignum receptui ſuis dedit. Ex aduerſa autem acie qui cædem effugerant, pauore ac feſtinatione amentes, per ſaxa, præcipitia, rupésque abruptas, proiectis armis, & manibus, cotes innatáque illis virgulta prehenſantes, ægrè nitebantur, euadebántque ad ſuos, qui munitiones caſtráque verticibus impoſita ſeruabant. Inter pugnandum Carambus alijq́ue viri multi genere ac factis inſignes capti, plures tamen cæſi in fuga. Itaque amiſſo duce & roboris penè quantum fuerat in exercitu, cum appareret Turcos minimè toleraturos impetum, ſi ad eos infeſtum agmen ire pergeret, poſtero die rex ſub aditum quem inſederant, caſtra poſuit. extulerat ſuorum animos pugna proſpera, nec minus ſtimulabat cupiditas tranſcendendi in loca commoda releuandis malis, quibus miſerè adfligebantur: exindéque aut victoriæ, aut neceßitati, nihil imperuium arbitrati, contra ardua quæq́ue per accliuium obluctabantur. Nec ſegnius ab hoſte deſuper mißilibus penè obruebantur. Videns itaque Rex naturæ difficultatem obiectam ſuis, & quod ſuo ingenti; hoſtium verò nullo diſcrimine, ad montis vertices peruenire

Carambus capitur, & reliqui Turci fugā adornant.

nire

nire conabantur, temerè effuſum agmen in caſtra reducturus properabat. Moxq́ præterquam quod ſatis in ea expeditione factum credebat, animatis ſuis vincere & vinci deſuetis, hyemis locorumq́ aſperitati cedere inſtituerat. Cæterùm Hunniadianus obſtinatus, cuncta priùs experiri, quàm deſiſtere à proſequenda victoria, cum animaduertiſſet obliqua montis nuda vepribus, & agendo itineri clemẽter accliuia, illac euadere in ſummum iugum poſſe arbitratus, ſuos circumegit. Prominebat in abruptum vertex editiſſimus, & Turcis aſcendentium montem ſub ſe aſpectum adimebat: eoq́ non facilè ſolum, ſed etiam tutè miles ingrediebatur. quod vbi rex percepit, mutata ſentẽtia ſubſequi Hunniadianum cœpit cum reliquis copijs. Peruenerat iam prima militum manus in iugum, æquè editũ atq́ id quod inſederant Turci, ſed in immenſum hians ſaxum progredi vlterius non ſinebat. quò cùm Hunniadianus quoq́ aſcendiſſet, videretq́ hiatũ propter magnitudinem neque tumultuaria materia impleri poſſe, neq́ ponte coniungi, cũ haud plus ſtadijs duobus ab hoſte diſtaret, ſubmiſit impigram ex peditatamq́ militum manum, occupaturam recto itinere aditum in montem, ſi Turcos paululum ſubmoueri contingeret: confeſtimq́ obuerſis firmatisq́ in illos machinis, haud mediocris magnitudinis lapides contorquebat, quorum præter conſternationem quàm inſuetus horrendusq́ auribus fragor animis incutiebat, vis improuiſa minimeq́ tolerabilis, propter lapidũ magnitudinem multos in principio obtriuit: parumq́ abfuit, quin nouæ fœdæq́ ſtragis ſubito terrore & clade perculſi, omnes locum deſererent: quippe quod vnius lapidis impetu, quàm plures ſæpe diuerſa ſpecie, diuerſo genere mortis abſumi intuerentur. Nec mali illius euitandi alia præter quàm fugæ ratio ſuccurrebat. Sed Alibeus poſt captum Carambum, militari conſenſu dux à ſuis creatus, admonens eam peſtem vitatu facilem ſi fragore audito poſt eminentes cotes illicò procumberent, non modò ab incœpta iam fuga eos retinuit, verumetiam ad reſiſtendum animauit. Cùm itaque ſemel atque iterum efflata in ſe tormentis ſaxa feliciter eluſiſſent, intrepidè inde arcebant deturbabantq́ regios enitentes aditum occupare. Quod vbi Vladiſlaus animaduertiſſet, veluti ſecuris hoſtibus ac inſiſtentium ſuorũ eminus non hominibus, ſed locis expugnandis conatus omnes irritos fore iam credens, deſperataq́ cominus congrediendi facultate, cum rigor hyemis & in quã tranſcendendorum montium ſpes maximè pellexerat, commeatuũ inopia premeret vltrà quàm ſuſtineri iam poſſet, retroagendi copias rurſus conſilia cœpit agitare. At Deſpotus, cui omnia æquiora toleratuq́ minus dura apparebant, quàm belli eius intermiſſio, per quod fortunam dignitatemq́ priſtinam recuperaturum ſe credebat, ignominioſum fore aſſeuerabat, ſi capto duce, debilitatoq́ hoſtium exercitu, deuictis iam & qui nõ armis, ſed vt pauidæ feræ cotibus ac ſpeluncis ſe tegerent, terga verterent. Eadem illos, cùm rerum omnium penuria, tum aëris intemperie, qua & regij laborare, moxq́ humanis neceſſitatibus ceſſuros, ſi paululum perſeueraretur, non cõmittendum, vt fluentia luxu Aſiana corpora, tolerandis difficultatibus ſuperaſſe viderentur, Germanorum Hungarorumq́ iam tum

Hunniadiani animus infractus.

Alibeus poſt captum Carambũ Dux creatur.

Vladiſlaus de retroagendis copijs deliberat.

ab infantia cœli terræq; rigoribus duratos artus, daturum ſe pecuniæ quã tum foret opus frumentis coemendis, quorum copia circum omnia loca abundarent. Iulianus quoq; haud fermè iſs diſsimilia iactando, ab inſtituto regem auertere conabatur: ſed fame ac frigore extabeſcentibus hominibus iumentisq;, cum paterentur vulgò grauiora vtiq; quàm quæ ancipitis ſpei conſolatione leniri poſſent, peruicit in deſperatis animis neceſsitas, vt fit, honeſti rationem. Et conuerſò agmine, in planiciem deſcendêre: moxq; collectis impedimentis, præmiſsisq; retro quà venerant ſubſequebantur. **Exercitus in planiciē deſcendit.** *Turci verò vbi vinci ſe poſſe hoſtem deſperaſſe percepere, læti ſecum & inflati noua ſpe, iuga montium deſeruere: ſubſequendoq; abeuntes crebris à tergo impreſsionibus vexabant. Et licet non magnas, frequentes tamen clades inferebant, ſed & plerunq; accipiebant. Conuerſis enim in eos expeditiſsimis quibuſq; manumq; conferentibus, multi ex illis cædebantur: etſi regiorum quoque impetus plerunq; fruſtrabatur, refugientibus ſtatim Turcis, qui mox conglobati rurſusq; infeſti aderant. quandoquidem multa præda impedimentisq; grauis exercitus minimè properare poterat. Silua eſt denſa non tam frequenti & procera arbore, quàm ramoſa & adradicem fruticante. Præterea implicita vndique ſinuoſis quibuſdam & ſtagnandi cœno, voraginoſis anfractibus, quales obſoleti fluuiorum meatus, vbi aut humana arte, aut vi naturæ curſum aqua immutauit: eamq; ob rem ferè tota inperuia, & ſic vbi tranſitum præbet, anguſta admodum via, & frequentibus commiſſa ponticulis. ad eam ventum cum eſſet, præmiſſa cum ſarcinis leui armatura, in poſtremo agmine, qui veluti murus antecedentium terga protegerent, haſtatos equites collocarunt, progrediebanturq; ad iter. at Turci quotidiana inſultandi conſuetudine ſuperuenientes, cum magna pars equitatus in ſiluam progreſſa foret, impetum faciunt in vltimos, quorum clamor præcedentes ſubitò ad ſe conuertit: & vt quenq; ſuccurrendi ſuis ſtudium & feſtinatio inconſulta rapiebat, ita extra viã egit in loca cœnoſa & paluſtria. Ex quib. diu luctati, in pedesq; recepti,* **Turci Regios in difficultatibus conſtitutos laceſſunt.** *ægerrimè ſe atq; equos expedirent, propterea quòd vliginoſa terra hominũ iumentorumq; veſtigia altiſsimè in ſe recipiens, difficilius remittebat, datũ eſt Turcis ſpacium capiendi ex poſtremis equites circiter octuaginta. Sed cœno tandem regij atq; vligine expliciti, refugientes aſſecuti ſuos liberauere. Nec minus ſexaginta ſupra centum ex hoſtibus captos iugulauere, illico reliquis fuſis fugatisq;. multoq; difficilior eis cum natura loci luctatio fuerat, quàm fuit poſtea pugna in patentibus cãpis cum hoſte commiſſa. Cæterùm cum & fames quotidie grauius vrgeret, & tam frequens Turcorum inſultus, ad cætera mala per laſsitudinem tãdem penè ad internicionẽ exercitum mulctaturus appareret, placuit comportari ſimul ſuccendiq; quicquid erat inter ſarcinas, quod exercitui magis tunc oneri eſſet, quàm vſui poſtea futurũ, tum iumenta debilia aut ſuperuacua interfici, & arma quæ aut ex defunctis militibus, aut ex præda ſupererant, terræ infodi. quibus diligẽter peractis, exercitus ſubinde velut expurgatione ſuperuacuorũ nouũ quendã vigorẽ accepiſſet, maioribus itineribus quàm vt ocioſè inſultando*

Vladiſlaus Budam ſolenni pompa ingreditur.

inſequi Turcos poſſet, ad Belgradum ſe recepit, ibiq; per quietem & recreationem diebus aliquot conſumptis, rex vnde mouerat Budam contendit: vbi poſtquam cognitum eſt ciuitati appropinquare, procedentibus in ſacro ornatu & ſolenni cæremonia ſacerdotibus, ingenti numero, populus omnis generis promiſcuè effuſus, cum gratulatione reducem ſalutauit, excepitq;. ingrediebatur ipſe pedes ex voto templum priuſquam regiam aditurus. Præibant verò captiui inſignes cum Carambo: tum militaria ſigna hoſtibus adempta, cum parte prædæ quæ ſupererat, præferebantur. Subſequentibus militibus ante omnes Polonis cruce ſignatis, laudesq; ac nomen regis militari alacritate in cœlum ferentibus, ipſum vnum eſſe qui regias artes virtutesq; non noſſet ſolùm, verumetiam impleret. Cæteros per ignauiam & ſocordiam ætatem agere in domeſtico luxu, prodita ac deſerta re Chriſtiana: quæ tum primùm caput attollere incipiens, breui ad priſtinum decus amplitudinemq; eſſet peruentura. Sed & iuxta regium decus Hunniadiani nomen celebre apud multitudinem audiebatur, cuius maximè ingenio ac virtute in rebus bellicis victoriam adeptam credebant. Cæterùm multo inſignius futurum fuit ſpectaculum, ſi neceſſitas expediendi exercitum, magnam pompæ partem non ademiſſet, ſpolijs multis vltrò concrematis in itinere, alijs ſub terram relictis. Poſtquam verò laudes grateſque ob rem bene geſtam Deo actæ, ſigna tholis ſubfixa: & repetitis egregiè factis dictisq; cuiuſque ex ducibus, pro meritis ſinguli præmio affecti. Mox vt eorum virtus ad poſteros quoque teſtatior redderetur, inſignia cuiuſq; cum titulis in conſpectiore parte templi ditiſſima diligentiq; pictura effigiata.

P. CALLIMACHI GEMINIANENSIS DE VLADISLAO REGE, SEV CLADE VARNENSI, Liber II.

Legati ad Vladiſlaũ mittuntur.

VICTORIA *de Turcis virtute Vladiſlai regis parta, omnium ferè Chriſtianorum principum legatos ad ſe exciuit: ſed in primis frequentes conuenere ab vniuerſa Italia, quam ea tantummodò fiducia tenebat, minimè ſe vexatum iri à Turcis, ſi eos Poloni & Hungari, aut ſubigerent ſibi, aut certè non abſiſtendo à bello, iugiter oppugnarent: vno omnes ore ac conſenſu affuiſſe Deũ, affuturumq; aſſeuerabant pio & iuſto bello: & quæ ad id locorum geſta erant efferentes, ad reliqua exequenda exhortabantur. Sed ante alios Pontifex maximus Eugenius, Venetiq;, & Ianuenſes, cum Philippo Burgundionum duce ij ad laudes partæ victoriæ adhortationesq; nouæ expeditionis inſtaurandæ, adijciebant etiã pollicitationes ſubſidiorum: ſeq; ingentem claſſem in Helleſpontũ miſſuros ſpondebant, per quam Turci ex Aſia tranſmittere, ſeq; cum Europeis coniungere prohiberentur: qua ratione facillimum fore in Europa debellare, in qua pauci admodum ſupereſſent hoſtes, & ij trepidi ac perculſi & non niſi vinci aſſueti, modò paululum rex anniti vellet, exterminari omnino*

tota

tota Europa impiam execrandamq́; Muſamanorum ſuperſtitionem poſſe, re Chriſtiana in perpetuum aucta & ſtabilita. Ioannem etiam Palæolo-



gum, Græcorum Imperatorem, cuius fortunam maieſtatemq́; Turci non modò labefecerant, ſed penè euerterant, ſucceſſus Vladiſlai extulerant, in ſpem rei dignitatisq́; ſuæ in integrum reſtituendæ. Miſsiq́; ſunt etiam ab ipſo oratores, qui præfati ea quæ facere viſa ſunt ad tanti euentus gratulationem, diuina humanis commiſcendo, religioſa aſſeueratione nunciauerunt, viſum eſſe à pleriſque Conſtantinopoli ante portam quæ ad Macedoniam emittit, equeſtrem iuuenem candida veſte ornatum, per ſpeciem lætitiæ hac illac excurſare, eadem hora, vt poſtea compertum fuerat, qua res à Chriſtianis contra Carambum proſperè gerebantur, moxq́; euanuiſſe. Id viſum omnium animos primò ſollicitos habuiſſe: ſubinde cognita regis victoria, illius nuncium vulgò exiſtimatum. Cæterùm prudentiores & quos aut vitæ ſanctimonia, aut profundæ alicuius diſciplinæ cognitio peritos futurorum reddidiſſet, non tam credere Vladiſlai ſucceſſum diuinitùs Græcis nunciatum, quàm eos admonitos temporis & occaſionis ſuæ, Turcorum in Europa rem penè profligatam eſſe, in Aſia etiam fluctuare molientibus res nouas circumadiacentibus tetrarchis: ideoq́; non cunctandum vlterius, ſed trepidos ſuaq́; imbecillitate ac vi aliena laborantes, ſubitò opprimendos. qua perſuaſione Imperator eorum excitus, cum ſuis quidem armatus ex parte altera aſſuturus, ſi modò regi cordi eſſet primo quoq; tempore eam victoriam proſequi, quā Deo duce ac comite vel exinde adeptum eſſe conſtabat, quòd diuinis etiam nuncijs fuerat peruulgata. Accedebat ad hæc ſupplex Deſpoti ambitus, & quotidianæ pre-

ces obteſtationesq́; cum lacrymis: tum inſtans Iuliani adhortatio, vocesq́; aſsiduæ, multoq́; iam efficaciores apud animos primæ expeditionis ſucceſſu elatos. Quibus ne magno animo rex ſubitò aſſentiretur, res Polona continuit. Venerat enim eodem quoq; tempore legatio à Polonis, gratulatum & ipſa quidem regiæ felicitati. Cæterùm tentare iterum fortunam non prius oportere admonebat, quàm cum proceribus Polonis vel in finibus regni conſilio inito, prius rex illud expediret, quo tandem ordine rebus ſuis domi conſtitutis ac firmatis, externum bellum regni ſui ſecurus proſequeretur. Non videri rationi conſentaneum, ſollicitum eſſe quenquam de rebus alienis, antequam ſua in tuto collocauerit. Recenſebat deinde in qua deformitate Polonia eſſet, quid licentiæ vbiq; inſoleſceret, quis in priuatis cupiditatibus ardor, quæ in publicis opportunitatibus negligentia: ex quibus nactos occaſionem Tartaros, magnam Ruſsiæ ac Podoliæ partem depopulatos: ſed & præterquam quòd priuatæ procerum ſimultates ad vulnera & cædes iam peruenerant, à finitimis per latrocinia tanquam iuſto bello etiam prædas abigi, inprimisq́; à Boleslao duce Opoliæ. ad ea vulgari, Cazimirum ex Lituania bellum Maſouiæ propediem illaturum, tot malis ſuccubiturum omninò regnum, niſi ſubitò ſuccurreretur. Quæ regis animum eo mouebant magis, quo verius dici nunciariq́; ſciebat. Tamen ne regni vnius priuata neceßitas publicè omnium Chriſtianorum rei apud mentem ſuam præponderare appareret, prius collaudato ſingulorum, quorum legationes aderant, in ſe officio, ac beneuolentia, nec minus pietate in religionem ac Deum immortalem: cæteros omnes oratores ſic ab ſe dimiſit, vt qui ſperare poſſent facturum ipſum poſtulata. Polonis verò dixit, conuocaturum ſe illico Budam Hungarorum optimates: daturumq́; enixè operam, conſtitutis omnibus quæ ad pacem bellúmue eius anni attinere viderentur, vt mox ea quæ ipſi petierant, exequeretur. Conſtituta ſubinde Hungaris conueniendi die, vt ſi communi iterum conſenſu educenda cenſeretur in Turcos expeditio, ſtabilior quies domi relinqui poſſet, ſpondendo in id fidē, quòd abſoluto conuentu, ad ſua quiq; omnes inuiolati reuerterentur. Giſcram etiam magiſtatusq́; ciuitatum, quæ ab illo dependebant, placuit per literas accerſiri, licet aduerſante Iuliano, qui præſentibus Boëmis nil quod quidem ad religionem pertineret, ritè tranſigi poſſe arbitrabatur. Sed confirmauerat regem in ſententia Franco Banus, dicens non eſſe eius temporis quærere quid ſentirent, velléntue Boëmi de cæremonijs inſtitutisq́; Chriſtianæ profeßionis, deq́; Rom. pontificis aut ritu aut præceptionib. in ſacris tradendis ſuſcipiendisq́;. Aliam eſſe eorum cauſam, quibus ſatis eſſet verbo tenus de religione diſceptare: aliam verò eorum quorum cum religione ſimul vita & libertas periclitaretur, & manu, non lingua tueri ſe cogerentur. Si quid in Boëmorū mentibus foret, aut à ſacra ſaluatoris noſtri hiſtoria, aut ab eiuſdem myſterijs alienum, non defuturas poſtea emendandi occaſiones, & tempora, illis quorum intereſſet: interea nihil ſatius videri, vrgente non eius tantùm regni, ſed totius quoque Chriſtiani nominis opportunitate, quàm vti opera quorumcunque, ac inprimis Boëmo-

Legatio Polonica.

Boëmorum, qui & ad manum eſſent, & in priori expeditione, quo ad tuendam religionem, nõ ſolùm pij, ſed etiam obſtinati cogniti eſſent. Nec totidem Volones cruce ſignati ex reliquis omnibus Chriſtianis nationibus accurriſſent, quot ex vnica & haud ſanè numeroſa ipſorum gente, ad extremum adhiberentur, necne, ad eiuſmodi conſultationem, magis quàm alterius cuiuſque intereſſe eorum qui illos erant vocaturi: quandoquidem eo blandimento allecti, maiorúmque agendorum gloria incitati, ſi nihil aliud, ſaltem domeſticam ſecuritatem præſtare poſſent. Spreti verò præterquam quòd certi hoſtes etiã irritati in regni gremio forent remanſuri. Igitur poſtquam omnes cõuenerant, dies aliquot extracti extinguendo inteſtino bello. Verùm vbi nulla iniri ratio potuit eius ex toto abolendi, conſenſum eſt in biennales inducias: quibus durantibus, captiuos vtrinque dimitti placuit, ea conditione, quòd inducijs exactis, reuerterentur in vincula & cuſtodiam, ſi de pace interim nõ cõſentiretur. Lætis ſubinde omnibus, quòd datis acceptisq́; inducijs, domi nihil, quod inter ſuos magnopere timeri poſſet, relictum videbatur. Propoſita eſt belli externi conſultatio, & pleriſque alijs, ſed Deſpoto & Iuliano inprimis inſtantibus, publicéque ac priuatim aſſerentibus, præparari affuturáque in tempore auxilia à Pontifice maximo, cæterisq́; principibus Chriſtianis, facilè recenti adhuc victoria elatis: fidentibúsque animis perſuaſum, vt redintegrandam expeditionem cenſerent. apparebat enim accedentibus terra mariq́; tot potentiſsimorũ principum nationúmque auxilijs, facillimè deleri poſſe eum hoſtẽ, quem paulò antè præter haud ferè multos Volones cruce ſignatos, nemine omninò opitulãte, ſuis tantummodo armis ac viribus fudiſſent, fugaſſentq́;. In eum itaq; ſumptum decretum eſt extraordinarium tributum, ſubitò ab indigenis exigendum: quæſtoresq́; ad id deſignati. Bellici autem apparatus tota cura Hunniadiano delegata: ſed & nuncij cõſtituti, qui ea quæ apud Hungaros & Vladiſlaum decreta erant, ad quos maximè oportebat principes nationesq́; perferrent. venerant Budam ad eum cõuentum Pangratius de ſancto Nicolao, partium quidem Vladiſlai aſſertor: ſed qui omnem regionem quæ à præterfluente Bago abluitur, latrocinio infeſtam tenebat: in quem quia domeſticã quietem turbare videbatur, publicum plus odium valuit, quàm liberi cõuentus reuerentia. Captus enim eſt à multitudine tumultuoſius id efflagitante, præcipitanterq́; in vincula coniectus. Eodemq́; impetu ſubitarium de complicibus eſt ſumptum ſupplicium: nec temperatũ foret ab Giſcra, in tam præpropero ardore animorũ, contra publicæ fidei ſanctitatem, niſi Vladiſlaus vbi multitudinem vehementius concitatam vidit, quàm vt monendo hortandoq́; verecundia æqui boniq́; cohiberi poſſet, nõnullos Polonos confeſtim ſubmiſiſſet, qui per poſticum eductum, mutatis veſtimentis, in Iaurinum perduxere. Quo facto, rex ab Giſcra poſtea nunquam nominatus eſt ſine reuerẽtia & præfatione ſeruatoris. Rebus igitur ſic diſpoſitis in Hungaria, Vladiſlaus ad fluctuantẽ paterni regni ſtatum & molitionẽ Caziniri in Maſouios animũ conuerterat: volebatq́; dũ tributa exigerẽtur, dũ gerendo bello vſui futura parabãtur, tranſcedere in Poloniã, factiones inteſtinas illic

Induciæ biennales.

Belli deliberatio.

Hunniadianus præfectus exercitus declaratur.

Vladiſlaus abitum in Poloniam parat.

quoq; ſedaturus: conſultaturusq; quo pacto licentia latrocinantiū, ex Sileſia, & Lituanicus motus ſupprimeretur: ſed & magnopere geſtiebat ſecum poſt tot tātasq; res feliciter geſtas, ſeſe matri ac ſuis alijs oſtētare. Cæterùm præter id quod apparebat Polonos omnia facturos, vt nō niſi quæ ad pacem ſuam facere crederent, rectè prius conſtitutis, regem ab ſe dimitterent.

Deſpotus & Iulianus Vladiſlaū in Hungaria retinere moliuntur.

Hungari etiam veriti, ne aut iuuenilis animus dulcedine quietis in paterno regno remolliretur, aut à matre cæterisq; neceſſarijs auerteretur à periculis, in bello Turcico ſubeundis, Deſpotum & Iulianum tanquā duas machinas ad eam cogitationem expugnandam, regemq; in Hungaria retinendum admouere. illi ſatis ſuperq; ad id per ſe prompti, nec minus ab alijs ſtimulati, hortando rogandoq; peruicerunt, vt Polonis rex in præſens per legatos excuſaret neceſſitatem, ac magnitudinem ſuſcepti negotij, à quo præter ignominiam proditis illis, quos ad belli ſocietatem exciuerat, ſine ſummo etiam periculo abeſſe non poſſet: quia Turcus, cognitis quæ à Chriſtianis parabantur, ingentem congregaſſet exercitum, impetiturus vltrò Hungariam, niſi ſua defendendi neceſſitas ei prius obijceretur. Quibus adiectum eſt etiam negocium impetrandi propter nouam expeditionem auxilia, nec à Polonis ſolum, verumetiam à Prutenis:

Pruteni ad bellū vocantur.

à quibus præterquā quòd ex profeſſione ſua deberentur, apparebat etiam eo iuſtius peti, quo à priori bello ocioſius abſtinuerant. Cæterùm veluti ea poſtulatio irrita apud Prutenos fuit, ita dilatus regis aduentus, magno malo Polonis ſtetit. Cùm enim vniuerſorum animi erecti in expectationem illius, quieta ſecum & ciuilia agitare cœpiſſent, vbi intellectum eſt minimè affuturum, illicò veluti impunitiorem licentiam nacti, ſeſe ad conſuetas artes conuertēre: & præter id quod mutuis ſimultatibus multa inter ſe fœda committebant, facilè etiam externorum iniurias tolerabant. ſed nec minus finitimi eandem ob cauſam latrocinabantur impudentius, captiq; ſunt & rebus ſuis exuti ab illis multi negotiatores honeſtiſſimi. prædæ etiam ex agris propemodum licentius quam ſi bellum indictum eſſet, abactæ.

Rapina Ducis Opolienſis.

Sed ante omnes inſignis fuit rapina Ducis Opolienſis, interceptis per inſidias quamplurimis negotiatoribus Cracouienſibus, dum Vratiſlauiam ad nundinas proficiſceretur. quam iniuriam cum publico ſumptu ac viribus vindicanda cenſeretur, placuit tamen prius ad regem perferre. ille, ne quid ſe abſente viribus tētaretur, edixit: ſed vt iure res repeterent: ſeq; opportunè affuturum, ſi minimè reſtituerentur. Dum ea cùm Polonis agerentur, ſatisq; ad bellum prouiſa & cōſtituta eſſent omnia in Hungaria, viſum eſt denuò ſignificare Conſtantinopolitano Imperatori, vt ſe cū ſuis præpararet, moturus ex parte altera, vbi Vladiſlaus ad Thraciæ Macedoniæq; fines cum exercitu perueniſſet: nec minus admonere etiam fidei ac temporis Pontificem maximum, cæterósque qui paulò antè obſidendi Helleſponti vltrò negotium curámque ſuſceperant. itaq; illi nihil diſſimulantes, congregata inſtructaq; ad Caietam ſeptuaginta triremium claſſe, miſerunt illico Franciſcum Albertum, Cardinalem Florentinum, vt nauigaret in Helleſpontū: obſeſſisq; illic littoribus opportunis, obſiſteret, ne quid ſubſidiorum à Turco ex Aſia poſſet accerſiri. Ad quam rem ſummo ſtudio

matu-

maturandam, præter id quòd Vladiſlao data fides & religionis cura, intentos faciebat, fama quæ vulgabatur Carmanum Ciliciæ Carmaniæ regem, cum validiſsimo exercitu in Pontum & Bithyniã Turcos oppugnatum venire, etiam promptiores fecit. Cùm viderentur omnia veluti quodã diuino nutu ad id præparari, vt ſuperſtitio impia & fœda peſſundaretur, perculerat & Turci animũ moles inſtantis à Carmano belli: cui ſuſtinendo imparem ſe fore ſciebat, niſi integer illuc ſe conuerteret. & videbat diſpartitis viribus ſuis eodem tempore Polonis atq; Hungaris terra, Italis verò etiam mari eſſe occurrendum, cum nihil ignoraret eorũ quæ contra ſe ſummo conſenſu ſummóque conatu ab vtraq; gente parabantur. Et proximo etiam bello cum magna ſuorum clade Vladiſlai vires ac felicitatem expertus, timebat magis ex eo, quòd intelligebat adeò prævalida ſubſidia illi affutura. igitur ne copias ſuas diſtrahere in diuerſum, & propemodũ ſine ſpe reſiſtendi ſeparatim eas ſummis diſcriminibus obijcere cogeretur, ratus cæterorum animos facilè poſſe ad pacem acclinare, ſi Deſpoto prius perſuaderetur, nuncios ad eum clàm ſubmiſit: qui veluti de Carãbi redemptione agentes, per occaſionem proponerent ſibi cum libertate filiorum priſtinæ fortunæ decus atque amplitudinem, ſi æquabilis concordiæ cum rege ineundæ auctor ipſe fieri vellet. ille ſe dolo atque aſtu à perfido hoſte tentari primùm ratus, oratorum verba diffidenter audiebat. Cæterùm vbi inſtando agendóque, vt crederetur, extorſere, cœpitq; illius animus ab incerta ſpe victoriæ ad præſentem certámque principatus ſui poſſeßionem conuerti, cum non ignoraret filios interim fœdo in carcere cathenis vinctos, & iampridem crudeliter oculis mulctatos, ludibrijs quibuſque eſſe expoſitos, & vltrà quàm paternus animus pati poſſet, diutius indignis atque acerbis modis per opprobrium & calamitatem in ſorde ac ſqualore vexari, eáque res nõ minus quàm euerſa ſtatus ſui fortuna ſollicitũ haberet, rem prout offerebatur, ad Hunniadianum pertulit. qui etſi priſtinæ felicitati viribúsque fidebat, adeáque auxiliares etiã copias terra mariq; acceſſuras ſciebat: tamen inteſtinum bellum in Hungaria non extinctum, ſed dilatum, Fridericúmque in propinquo diuitijs & auctoritate præpotentem hoſtem cum videret, reputánsque quàm varij inopinatiq; caſus in bello dominẽtur, ne ſi quid aduerſi mala fortuna obieciſſet, Vladiſlaum ſubinde facili negocio, regno frui contingeret, illatam à Turco pacis mentionem haudquaquàm aſpernandam cenſuit, præſertímque etiam quòd Deſpotus per cõcordiam penè plura aſſequenda proponebat, quàm poſſet etiam bellum feliciſsimum repromittere. Sed ante omnia quibus tandem conditionibus reuera pacem firmare vellet, à Turco exquirendũ putauit. Cúmque nunciata ſibi per Deſpotum tam de redimendo Carambo, quàm de reſtituendis illis qui bello repetebantur, vera eſſe comperiſſet; tranſegit ante omnia de precio captiui, pro quo quinquaginta aureorum milibus acceptis, nihil interim prætermittendo ex ijs quæ ad acerrimi belli motum præparanda fuerãt, nunciat regi, quid quàm maximè fieri poſſet: numeroſo inſtructóque exercitu Idibus Iunijs ad Segedinum moueret, ibi legatos Turci petentes pacem affuturos.

Turcus cum Deſpoto per legatos de pace agit.

Res ad Hunniadianũ defertur.

offerri

offerri quidem vltrò conditiones haud aſpernandas tempori, & rebus regni. Cæterùm vim paratam in conſpectu, multò meliores extorturam. Sollicitus adhuc ſecum Vladiſlaus de ſtatu Poloniæ periclitante, mentionẽ pacis lætus audiuit: videns facilè fore, vt viribus quas ad externum bellum comparauerat, domi vtriuſque regni ſui res in perpetuum ſtabiliret, ſublatis omnino aut eiectis iniuriarum ſeditionumq́; principibus. ſed & cæteri omnes poſt tot annorum non intermiſſum bellum ceſſationem quietemq́; aliquam à Turcis deſiderabant: venit itaq; rex cum ſuis præſtituta die in Segedinum, quò Deſpotus Hunniadianusq́; anteceſſerant, cum Turcis oratoribus: quorũ princeps Græcæ nationis homo, ſed Muſamanorum ſectam profeſſus, vbi in conſpectum regis venere, ita verba fecit: Si commiſſo inter nos belli diſcrimine, rex inclyte, nunc demum ad petendã pacem veniretur, videri forſan poſſet Amurates Imperator noſter viribus ſuis diffidere: ſed cum multò antè quieta conſilia propoſuerit tibi, quàm manum conferendi aliquando tecum cogitatio quæpiã ſubeſſe poſſet, inq́; meliori fortuna ſua, iam tum egerit apud te de amicitia ineunda, non debes exiſtimare, noua potius aliqua neceſſitate nunc permotum, quàm conſilio eodem, quod à principio ſibi perſuaſit te fœderis ac pacis mentione prouocandum. Nec enim ſemeſtri victoria tua credere oportet fractos abiectosq́; eſſe animos noſtros, continua felicitate, iam tot annos ſupra omne fortunæ diſcrimen elatos. Quos etiamſi nihil aliud erigeret firmaretq́;, vtique vidiſſe tuos totiens à nobis effuſiſſimè fugatos, victosq́; reparare ſubitò copias, victoribusq́; ſubinde vltrò inſultare, ſatis efficax exemplum foret, ne mediocri clade accepta, & quæ tota ducum noſtrorum temeritati queat imputari, de fortuna viribusq́; noſtris ſubitò deſperaremus. Atq; ideò non tanquam aut neceſſitati aut deſperationi cedentes, nos audiendos putes: ſed vt qui minimè contra alienam felicitatem tendentes, modũ terminumq́; noſtræ conſtituimus. Cumq́; gloriam partæ nuper abs te victoriæ præſentisq́; apparatus magnitudinem, oculis atque animo metiris, quantum vtrique credere oporteat, tibi documento nos ſimus, totiens prius victores eiſdémque quibus tu modò humanæ felicitatis blandimẽtis inflati, nullius magis intereſt caſibus ſe ſubtrahere, quàm cuius felicia initia nondum ſortem alteram ſunt experta. paulò antè vix pubeſcente ætate, cum paterno regno adminiſtrando minimè ſatis par credi poſſes, accitus es ad alterum pariter regendum, prætérquam quòd magnitudine ſua fortiori ætati intolerabile externis bellis ciuilibúsque factionibus etiam implicitum, magno animo ſuſceptæ à te conditioni adeò ſucceſſus affuit, vt bello domi ſtatim penè extincto, arma in nos conuerteris. Et quorum nomẽ prius vix ſuſtinebatur, facilè vinci poſſe docueris. Quo benignius auſus tuos fortuna cõfirmauit, eò ne deſtituat, præcauendum eſt magis: præſertim quòd non qui plurima, ſed qui grata & firmiſſima quæque poſſidet, iure Felix appellatur. Porrò quid tibi gratius eſſe poteſt aut debet, quàm paternum regnum? quid firmius, quàm adiecta illi cum pace noſtra Hungaria? ſed blandiaris cœptis tuis: & quantumuis de ſucceſſu ſtabilitatéque fortunæ tibi pollicearis, nempe vt Deſpotũ in ſedem

Rex in Segedinũ venit.

Oratio ad Regem.

ſuam

ſuam reſtitueres, celeberrima duo tua regna in diſcrimen ſeruitutis adduxeris, haud ſanè æqua laborum periculorumq́; mercede illectus. Quòd ſi id quod tanta belli mole quæritur, minimè tanti eſt, vt tam magno diſcrimine peti debeat: quantum ſentimus, non minus tua quàm noſtra intereſt, videre ne de alienis ſolliciti, noſtra labefactemus. Concordiæ ac pacis multæ vtrinq; dici accipiq́; honeſtæ conditiones poſſunt, belli vnicus futurus exitus, euerſio ſcilicet patriæ, diuinorumq́; & humanorum omnium apud eos qui victi fuerint. Si præteritorum meminiſſe placet, habemus & nos qui arma nobis & vires polliceantur. Cæterùm cedere caſibus, quàm obluctari humanæ imbecillitati magis conuenire cenſemus. tuum eſt reputare cum tuis, malitíſne capere exemplum inſtabilitatis fortunæ ex rebus noſtris, an in veſtris eam experiri. acclinati in eam ſententiam iam dudum animi, facilè permoti ſunt, vt de pace ageretur. diſceptatio maior fuit, in conditionib. approbandi: agente Turco de reſeruanda ſibi Bulgaria, fodinisque argenti, cum pleriſq; oppidis in Seruia: Vladiſlao verò, legitimis dominis reſtitui ſingula volente, tandem in id conuentum, quòd Bulgaria tantummodo in ditione Turci remaneret: cætera omnia quomodocunq; occupata ab eo reſtituerentur illis quorum iuris fuerant ante bellum: captiui qui ſupererant, vtrinque ſoluerentur, inprimisq; Deſpoti filij. dies deinde conſtituta, in qua oppida ciuitatesq́; prout pactum erat traderentur. paxq́; in decennium concluſa, non aduerſante etiam Iuliano: non tam quia ex animo rem non improbaret, quàm quia aut non ſuccurrebat quid ſpei proponeret, tot tantisq́; vtilitatibus compenſandis, ſi in præſens negligerentur: aut quia in tam præcipiti conſenſu, omnium clauſas mentes admittendæ rationi intuebatur, expectabatq́; admonendi tempus opportunius. ſed miſerè interim cruciabatur, ſecum reputans, ſuis maximè factum adhortationibus, vt Veneti Burgundusq́; & Pōtifex maximus claſſem ad Helleſpontū mitterēt: ſeq; exinde aut vanitatis, aut perfidiæ ab illis arguendū videbat, ſi pax, vt conuentum erat, ſeruaretur. Cæterùm quā grata ea pax Hungaris fuerit, memoria veterum cladium ſanguinisq́; effuſi recuperandis illis quæ vltrò tunc reſtituebantur, vel exinde licebit æſtimare, quod eius vt videbatur auctori Hunniadiano virtutis & honoris gratia data ſunt oppida & loca omnia, quæ alendo in Hungaria Deſpoto fuerāt prius aßignata. Et cū Turci peterent, quòd in confirmādis pacis conditionibus, prolata in mediū Euchariſtia, rex iuraret, haud quaquā fortiter contrà tendebāt, ne ſi id iurādi genus deprecaretur, ſuſpicari poſſet parū ſincero animo trāſactū de cōcordia. Cuius adeò vehemēti ſtudio tenebātur, vt vitarent etiā ſuſpiciones ſingulas à quibus perturbari eā poſſe apparebat. Sed Gregorius Sanoceus vbi regis quoq; animū à tā improbo facto haud omnino abhorrentē vidit, religioſò veluti furore percitus, Deus, inquit, Deus, tā execrabile ſcelus auertat, vt qui paulo antè contra impios pugnantes, omnia triſtia difficiliaq; perpeßi ſumus, dū vinceremus: nunc rurſus pro religione armati, & propemodū victoriā manu tenentes, ſacroſanctum diuini myſterij arcanū ſub profanorum oculis ſpontè proferamus. Quid prima, quid hac ſecunda

Bulgaria Turco addicitur.

Pax inter Turcos & Regem in decēnium concluſa.

Gregorius Sanoceus Regis iuramentum intercipit.

expeditione, à nobis petitum, quid adeò ingentem belli molem, ex tam ſeparatis ab inuicem regionibus, ab Italia, à Burgundia, à Thracia euocare, quid denuò arma induere, quid hucuſq; progredi oportuit, ſi ſacra noſtra prodenda erant? minori noſtro facinore per ignauiã domi inermes ſedendo pati potuimus illa profanari, quàm nunc ſimus armati proditurí. pudeat nos gratulationum, quibus nuper victores accepti: pudeat laudum, quibus vt Chriſtianæ rei ſeruatores propè in cœlum modò elati ſumus. Pudeat deniq; obnoxios ijs nefarijs cogitationibus, nos dignos haberi, aut in quibus totius Europæ reges ac principes ſpes ſuas collocauerint, aut pro quibus innumerabiles populi & nationes omnibus in templis, ad Deum ſupplices ambiant, pro victoria noſtra vota nuncupando. Quanto ſanctius priſci Romani, qui capta à Gallis vrbe, ne ſacra ſua conſpici poſſent, terræ infodere. Nos victores noſtra vltrò impijs prodere cogitabimus, committemusq; vt religioſius ab illis inanes quædam diuinorum perſuaſiones ſeruatæ dicantur, quàm à nobis ſacroſanctum immortalitatis noſtræ pignus ac myſterium, & publicè nos illo facinore contaminabimus? Quod ſi vnus quiſpiam ſacrilega audacia perpetraret, ſeueriſſimè vindicaremus: omitto quantum piaculi apud Deum contrahemus, qui non modò ab ipſius cauſa defecerimus, ſed ipſum etiam teſtem ac pignus defectionis noſtræ impijs exhibuerimus. Quid de nobis hoſtes ſentire poterunt, videntes nos tanti pacem exiſtimaſſe, vt non minus ſacrilegè iurauerimus, quàm ipſi impudenter poſtulauerint. ſed vt hæc pacis vtilitas leuiora videri faciat, omnia quæ aut in noſtra, vel aliorũ ſecta religioſè altius elata ſunt, quàm quæ humanis ſenſibus attingi queãt, cæremoniarum velamento ſanctóque arcano mortaliũ animis infundũtur: quæ ſi nuda in mediũ protrahantur, quia nullo humanæ rationis argumẽto ſubſiſtũt, & temerè aſſeuerari & impudenter peti vt credãtur apparet, audiuere dudũ hoſtes Deũ à nobis præſentẽ coli, aſſeruariq; in ſacrariorũ penetralibus: & quia ignorãt quo id pacto cõtingat, cũ de eo cogitãt, nihil ſimile ijs quæ terrena & momentanea cognoſcunt: ſed quicquid extra mortalitatis ſortẽ poſitũ putant, mentibus eorum occurrit. Et id ꝙ quale ſit, neſciunt. tantæ noſtræ de eo aſſeuerationi par figurant nos. hanc ipſorũ perſuaſionẽ patefactis arcanis noſtris corrũpemus, elatasq; ad diuina & cœleſtia de ſacris noſtris mentes, ad caduca & terrena reuocabimus, ſpecie panis in conſpectũ exhibita: qua verũ corpus Chriſti contineri, vt nos quidẽ firmiter credamus, efficit diuina inſtitutio, gratiáque in qua nati ſumus. Quibus illi orbati, cum res per ſe fidẽ non faciat, reſtat vt nos irrideant, veluti minimè poſſibilia credamus. Nolite per Deũ cõmittere, vt aboleatur ſacer ille horror, quo ipſorum animi præſtringuntur in bello, cum ſecum reputant inituros ſe prælium contra nos, quibus adeò propicius ſit Deus, vt propemodum videndus nobis coràm pariter conuerſetur. Quantum de noſtra, deq; religionis noſtræ maieſtate hoc facto minuetur, tantum creſcet apud illos audacia, credituros ſubinde, vt ipſis quidẽ videbitur, ex ſpecie quã intuebuntur, nos non modò in veri Dei tuitione nõ eſſe, ſed nec in alterius cuiuſpiã. Multis modis ſtabilitati conuentorũ caueri aliter poteſt: quam-

quamuis ad fidei pignus, regium verbum ſatis eſſe deberet, aliaq́ inter priuatos cautiones, aliæ inter principes exhibentur. ad extremum, relicturum ſe profanata caſtra aſſerebat, ſi eo modo rex iurare pergeret. itaq; cũ videretur tam verè quàm è religionis, eq; ipſorum quos alloquebatur vſu & maieſtate dixiſſe, conſtitutũ eſt in confirmanda pace proferri vtrinq; in mediũ ſacrã hiſtoriam ſuã, quod Euangeliũ noſtri, Alcoranum illi vocant. quibus vbi ſuæ quiſq; dextram admouit, religioſè iuratum eſt, conuenta executũ iri, atq; inuiolata permanſura: hoc maximè modo datis acceptisq́ pacis conditionibus, cum Turci digreſſi eſſent promiſſa impleturi, venit à Franciſco Cardinale nuncius cum literis, in quibus cõtinebatur, Turcum aduerſus Carmanum cum ingenti copiarũ numero traieciſſe in Aſiam, inermiaq́ & vacua quæ poſſideret omnia cis Helleſpontum reliquiſſe: ab ſe verò cum claſſe littoribus vbiq; occupatis, iam tum ademptam hoſti facultatem reportandi exercitum in Europã, non prætermittendam tantã occaſionem, propè ſine armis aut certamine aliquo exterminandi propellendiq́ ad origines ſuas diram gentem, execrandamq́ ſuperſtitionem. Meminiſſet rex fidei ſponſionisq́ principibus Chriſtianis factæ, & quàm maximè fieri poſſet, properaret cum promiſſa expeditione, quando illi quoque, quod ſuum erat, auxilia præmiſiſſent. ad ea ſimilibus penè aſſeuerationibus à Græco quoque Imperatore per literas ſignificata, addebatur etiam, elatum ſe ſpe, belli maiori conatu à rege ſecundum ſponſionem renouandi, cum tentaretur à Turco de fœdere, non ſolùm repudiaſſe conditionem, verumetiam hoſtilia contra illum vltrò intuliſſe, & in armis eſſe cum ſuis, vt regi ſub ipſum montiũ deſcensũ vel accurreret, vel alibi expectaret, ſi id magis ex vſu fore videretur. inſtandum agendumq́, dum diſtractus ille multiplici bello tam diuerſis in locis mari terraq́ ſuis adeſſe non poſſet, dum nuper cæſus, fuſus, fugatusq́, nondum ſatis animum viresq́ collegiſſet: & proximis cladibus afflictus, nedum impetum, ſed nec nomen quidem regium laturus videretur: omnia per dolum fraudemq́ ab oratore Turco in fœdere trãsacta. Non committendum, vt glorioſa initia vecordi negligentia fœdarentur: ſed rapiendam opportunitatem delendæ ignominiæ religioni noſtræ inuſtæ, non vno atq; altero oppido, ſed multis regionibus Chriſtiani nominis partim direptis, partim ab execranda gente ſub ditionem ſuam miſſis. Turcum adeò feſtinanter per Helleſpontum copias traieciſſe, vt verius dici poſſet fugiſſe bellum, quod à tergo affore ſciebat, quàm profectum eſſe ad propulſandum id quod ab Aſia nunciabatur. Ad extremum rogabatur, ne veluti ſub cultro & prædæ relinqueretur crudeliſſimo hoſti, qui proculdubio exercitum reportaturus eſſet in Europam, vbi aduentus Vladiſlai metum depoſuiſſet. Non aliunde magis id diſcrimen ſibi imminere, quàm quòd regiæ fidei pollicitationibusq́ crediderat. Recitatis vtrorumq; literis in regis ac procerum conſpectu, quidam ſubitò quaſi languor omnium animos occupauit, memoria eorum quæ de ſe ſperare adduxerant principes Chriſtianos: cœpitq́ regis aliorumq́ velut oculis obuerſari ſpecies gratulationum, quibus tot regum populorumq́ veluti publico conſenſu

Prolato Alcorano religioſè iuratum eſt.

Turcus cum exercitu aduerſus Carmanum in Aſiam traiecit.

ſenſu paulo antè, tanquam Chriſtiani nominis ſeruatores excepti fuerant: & pudebat pigebatq́ ob præſentem vtilitatem perpetuum decus veluti cõtempſiſſe, ſecuturamq́ exinde ignominiam intuebantur: & meminerant obligatã ab ſe fidem Græcis, Latinisq́, & ab vtriſq́ implorata auxilia præſto eſſe audiebant, quæ niſi per ſummum ſcelus in diſcrimine in quod pellexerant, relinquere non poterant. Quibus adeò contrario affectu omnium ferè mentes diſtrahebantur, vt qui paulo antè pacem vltrò elegiſſent, bellum malle appareret. Et videbatur etiam quædam quaſi opportunitas & cauſa concordiæ repudiandæ: quandoquidem Turcus ad conſtitutam diem neque captiuos omnes ſoluerat, nec dum oppidis ciuitatibusq́ quibus oportuit ex fœdere ceſſerat. Itaque Iulianus apud tam ſuſpenſos animos, deſideriúmque inter & pœnitentiam initæ concordiæ, fluctuantes, occaſionem ſuam adeſſe ratus, cum multis magnisq́ actionibus antea expertus eſſet, Sanoceum perſuadendi vi & facultate, velut habere hominum mentes in poteſtate, conatus eſt ſibi illum adiungere in negotio pacis improbandæ, ſuadendiq́ inſtaurandum bellum. Quod, cum ab eo minimè impetraret, propterea quòd ille Deſpoti Hunniadianiq́ ſententiam probans, nec temerè dandam fidem hoſti, & datam minimè violandam contendebat, conuerſus ipſe ad circumſtantes: A fœdere, inquit, de quo cum Turcis tranſactum videtur, quanquam inane irritumq́, mallem abſtinuiſſemus: non quòd ius religionémue illius aliquam, ſi bellum proſequemur, violandum intelligi oporteat: ſed quia dandis accipiendisq́ conditionibus bonam partem temporis proſequendæ expeditioni aptiſſimi fruſtra conſumpſimus. Contradixiſſem iam tum ab initio: ſed acclinatiores animos veſtros ad concordiam vidi, quàm vt crederem poſſe oratione mea ad rem gerendam vos erigi. præterea ſciebam hæc omnia quæ nobis hodie nunciata ſunt de facilitate debellandi in Europa, Turcis implicitis detentisq́ bello Aſiatico, fore vti paulo pòſt nunciarentur: maluiq́ expectare donec ea crederetis aliis, quàm intempeſtiuè prædicendo committere vt fingi à me & per vanã ſpem iactari arbitraremini. Nunc quando vt volui aſſeueratio victoriæ veſtræ ad vos aliunde quam à me peruenit, & ita eſſe vt deſcribitur, non minus quàm optabã credere vos, indicat deſtituti incœpti pœnitentia, non gerendúmne ſit bellum, quod omnes neceſſarium intelligitis, ſi cũ decoribus prius partis ſalutem libertatemq́ veſtrã retinere vultis: ſed liceat nécne geri poſt qualemcunq́ hanc vtrinq́ fœderis iactationem, explicandum à me ſentio. video enim pleroſq́ inanibus fidei ac fœderis nominibus ſuſpenſos, intra ſe non tam quid facere velint, quàm quid æquum ſit deliberantes, quaſi verba quædam inconſulta per ſpem metumq́ mutuò iactata, nomen ſanctitatemq́ fœderis obtineant. Cum id demum iure ſit fœdus, quod ab illis quorum res eſt initur, non verborum ſponſio, ſed conuentorum expleta fides confirmauerit. Huic neque paciſcentium affuit auctoritas, neque pactorum ſubinde acceſſit executio: ſed nomen tantùm fœderis & cæremonia temerè iactata ſunt. Quæ non prius ſancta ſunt, quàm promiſſa vtrinq́ cum fide abſoluantur. atq́ vt incipiam ab eo qui ſponſionis caput eſſe videtur,

Mentes militum contrario affectu diſtrahuntur.

Iuliani Oratio.

tamdiu

tamdiu forſan liberum regi fuerit, de fœderibus & pace cum Turcis agere, quoad inclyti huius regni viribus & felicitate bellũ geßit, quoad nulla externa ope adiutus, priuato ſui regni diſcrimine ac ſumptu publicã Chriſtianæ rei ſalutem maieſtatémque tutatus eſt. vbi verò cum alijs quoque Chriſtianis principibus cõſilia totámque gerendi huius belli rationem communicare placuit, eorundem conſenſu bellum intermitti oportuit, quorum opibus auſpicijsq́; geri ſuſceptum erat: ſed vt res tota non ſecus atque ante adiunctam ſibi aliorum principum manum, regis tantummodo fuiſſet, nec dum fœdus cum eiuſmodi hominum genere, ſed vllius omnino rei commercium inire non licuit, & initum non tenet, iniuſſu Pontificis maximi. huc adde ſuſceptas ab hoſte conditiones minimè expletas eſſe: ex qua re etiam, ſi nihil aliud, omnia quæ dicta factáue dicuntur, inania redderet: tamen quia conuentorum fides quæ ab illis fruſtrata eſt, minimè confirmauit ſanctitatem religionémque fœderis, intelligendum eſt à ſponſione ſua, ſi qua fuit, non ſolùm abſolutum eſſe regem, verùm etiam per dolum ac ſimulationem propoſita tranſactáque eſſe ſingula ab oratoribus qui pacem petitum ad nos venere, vt ſi hoſtis initurus fuiſſet id fœdus, quod ſtabile ac ratum vellet. Si eiuſmodi poſtulatio & ſponſio fraude omninò vacua futura erat, non habuit quem de pace acturũ mitteret alium, quàm hominem lingua, genere, moribus, & denique præter ſimulatam religionem tota vitæ ratione ab ipſo alienum, qui nihil verè religioſè & ſanctè à Turcis promittere, neque ex diuerſo ſtipulari poſſet. Cæterùm cuius pacta promiſſaq́; omnia, ſi ex vſu videretur, ſine verecundia reijci atque improbari liberum foret: ſed & pudebat eum tam ſupplicis actionis ſimulationem explicare per hominem ſuæ gentis: cauitq́; verecundè, ne quid ſubmiſſè, ne quid infra vulgatam animi viriúmque ſuarum magnitudinẽ ageretur à ſuis. Et noluit regem gloriari poſſe, quòd ſupplicantem ſibi Turcum aliquãdo audiuiſſet: præterea cùm tota actione multa ſimulanda forent, nõ alterius artibus facilius decipi nos poſſe arbitratus eſt, quàm eius qui nobiſcum de religione paulò antè ſenſiſſet, vt quæ per ſe non ſatis fidẽ facerent, religionis velamento inuoluta in animum noſtrum deſcenderent. Cæterùm ſi quæ placuiſſent impetrata forent, cogitauit ſe pactis ſtaturũ. Sin minus ex ſimulatione concordiæ ſe id ſaltem commodum percepturum, vt ad gerendum bellum poſſet ſibi interim conſulere. quæ ita eſſe, indicat fruſtratus terminus eorum omnium quæ per fœdus ab ipſo fieri oportebat. Scio Deſpoti, ſed in primis Hunniadiani tantam eſſe rerum hoſtilium peritiã, tantum experimentum, vt nefas ſit dicere, non omnia ex vero ſic ſe habere, vt ſit eis perſuaſum: ſed illum cupiditatem ſimul liberandorum filiorum, ſimul recipiendi amiſſum decus & fortunas: hunc verò diffidentiam auxilij à complicibus belli affuturi adegiſſe crediderim, vt non tam acriter quàm poterant animũ intenderent, & blandis pollicitis diſſimulatã fraudem ſtatim nõ deprehenderint. Cæterùm non debet cuiuſquam gratia aut auctoritas apud animum veſtrum plus valere, quàm veritas, cũ intelligatis tali fœdere neminẽ teneri, vel ex eo quòd ſine auctoritate ictum, vel quod per fraudẽ ab hoſte minimè

impletis conditionibus ſit diſſolutum: ſed vt omnia legitimè à rege, nihil inſidiosè ab hoſte actum conſtaret, meminiſſe debetis ſponſionis quam Chriſtianis vocatis admiſſisq; in partem belli paulò priuſquam Turcis feciſſe vos conſtat. Et cum deliberatio veſtra illis anguſtijs incluſa ſit, quòd data fides minimè poteſt vtrinq; ſubſiſtere, ſintq; alterutri deſerendi, neminem dubitare conuenit, ita quenque potius ſeruandum eſſe, vt arctiore coniunctione nos contingit. Porrò quid vobis cum hoc genere hoſtium conuenit, à quibus profeßione, moribus, totiusq; vitæ inſtituto ac ratione diſtatis? quid cum Chriſtianis non coniunctißimum eſt? atq; vt omittamus communia immortalitatis initia, fana, ſacrificia, ſepulchra eadem, tum cæremonias & ſacrorum ritus, quibus animi veſtri multò arctiori neceßitudine inter ſe coniuncti ſunt, quàm ſi natura ipſa eiſdem parentibus orta corpora coniunxiſſet. Nónne qui paulò antè in Helleſpontum claſſem ſuam miſere, pro ſalute, pro gloria veſtra, cõmunicando vobiſcum vires, ſuſcipiendoq; belli vnà gerendi negocium, indiſſolubili omnino vinculo vos ſibi deuinxere? Quodq; niſi per æternam labem atque infamiam ingratorum animorum violare non poßitis, atq; ideò cùm ex parte altera illi ſint qui ad humana diuinaq; omnia vobiſcum communia, addidere recentißimum beneficium ſubmiſſorum vobis auxiliorum, quiq; vt nulla noua ſponſio interceßiſſet, tot humanis diuinisq; propinquitatibus vos contingunt, vt ſine inexpiabili ſcelere deſeri nequeant. Ex altera verò hoſtis immanis, perfidus, qui non per bellum tantummodo à vobis diſcrepat: ſed religiones alias cultosq; diuinos profeſſus, omnia quæ vobis ſacra ſunt, veluti profana contemnat, & ſi poßit, violet. Cuíque nec dari fides potuit, abſque nefario crimine: nec poſtquã data creditur, poteſt ſine grauiori culpa ſeruari. Non debet eſſe magna deliberatio, cum hócne, an cum illis conuenta ſint exequenda. Si perſeueratur in ſuſcepta concordia, præterquam quòd eluſi eſtis, fruſtratis ex parte altera conditionibus, contaminati inexpiabili facinore, amiſſaq; gloria priore bello parta, ſub quotidiana bonorum omnium execratione, infamem vitam agetis. Si verò, quod per ſe etiam vanum irritúmque eſt, repudiato impio fœdere, bene de vobis meritis aderitis, eo in diſcrimine, in quod per vos adductos non ignoratis, ad ſecuritatem, qua ſubinde veſtra poßidebitis, cum immortali gloria non modò ea de quibus in concordia mentio eſt, ſed cætera omnia quæ à dira gente poßidentur in Europa, recuperabitis. De cuius rei facilitate dicerem, niſi perpenderem ſatis per literas ſuas perſuaſiße vobis Græcum Imperatorem, & Franciſcum Cardinalem: quorum auctoritas in eo tanto grauior ſit oportet, quanto propinquiores ſunt hoſti, & indicant ex re præſenti: ſed & maior trepidatio hoſtis, quàm vt ſatis ab ipſius oratore dißimularetur, ſupra omnem orationem ſtimulare vos debet ad occaſionem iſtam capeſſendam. Quam ſi prætermittetis, cogemini tandem deſpecti ac deſtituti ab omnibus, dubium dedecore an periculo maiore, intra fines veſtros dimicationem eam ſubire, cui vos impares eſſe, implorando externa auxilia, iampridem profitemini. Ad hæc multa de iure pontificio, déque illius poteſtate ac vi præfatus, ſubdidit tandem, Pontificis ſe maximi

aucto-

auctoritate id fœdus qualecunque eſſet reſcindere, & abrogare: regemq́; ac cæteros quorum intereſſet, à iuramēto & ſponſione quam Turcis fecerant, abſoluere. Adeò à paucis Iuliani oratio non eſt probata, vt ex concione tota exaudiretur fremitus depoſcētium bellum, aſſerentiúmque ſuccurrendum eſſe illis, quos in belli ſocietatem attraxiſſent, quando non aliam ob cauſam periclitarentur, quàm quòd armati concurrerent ad propulſandum pericula, propter quæ Hungari ſimul & Poloni paulò antè coacti fuerant ipſos implorare: fortunarum potius omnium ac vitæ iacturam faciendam, quàm fidei fidelibus obligatæ: pertinere id non ad famam ſolùm ſpemq́; de ſe apud cæteros Chriſtianos excitatam, ſed ad conſeruationem etiam & tutelam rerum ſuarum: & vt nihil aliud ſtimularet, ſatius pro religione honeſtè occumbere, quàm deſerta illa & prodita, Deo atque hominibus violatis infenſisq́; indecoram vitam extrahere. decreta itaque fœderis ac pacis abrogatio, & vt cum Chriſtianis alijs ſuſcepta expeditio continuaretur. Cui ſententiæ nec Deſpotus quidem aut Hunniadianus tandem fortiter obſiſtebant. Ille inuitatus facilitate, quæ in debellando apparebat: hic regia ſponſione pellectus, cum Vladiſlaus promiſiſſet ei Bulgariæ regnum poſt victoriam, & literas quibus id continebatur, etiam quorundam procerum ſubſcriptione firmatas in fidem dediſſet. Decretum igitur quod erat contra pacem promulgatum, Franciſco Cardinali ad claſſem miſſum, ſimúlque Græco Imperatori & principibus cæteris, ad quos initi cum Turco fœderis iam pridem fama peruaſerat. Raro alias Poloni tam lætum nuncium acceperant, ac fuit, intellexiſſe quòd rex de pace cum Turco tranſegerat. Nam cũ Cazimirus indicto Maſouis bello totis Lituanorũ viribus Drochicinũ oppugnaret, Maſouíque iunctis penè caſtris ex diuerſo in armis ſtarent, nec tam virium inter vtroſque diſcrimen appareret, quàm ſuſpicio erat, ſi committi prælium contingeret, magnam partem copiarum Cazimiri defecturam ad Michaëlem Sigiſmundi ducis paulò antè interfecti filium, qui apud Boleſlaum inter Maſouos militabat, ingens ſpes animos ipſorum ceperat, regem ab ea pacificatione in Poloniam ſubitò, id quòd maximè cupiebant, profecturum. Anxij enim inter Boleſlaũ Cazimirúmque de euentu ſperabant interuentum regis id bellum diremptūrum, & ab armis partes vtrinque abſceſſuras. Cùm enim tam Lituani quàm Maſoui ſub tutela regis agitarent, Polonis neutros vinci expediebat. itaque vbi diſſolutum fœdus accepere: iterum conſternati animo vt conſilium caperent, ad Peterkouiam conuenere. ibi Vladiſlauienſis Epiſcopus & Ioannes Piltzanus deſignati Oratores ad Hungariam, qui præmonitum regem pactionis ac fidei etiam hoſti ſeruandæ, ſuadendo agendóque animarent ad paternum regnum reuiſendum, in quo multa eo abſente perturbata: ſed in primis ſedandum bellum, quo à Lituanis Maſouia premebatur. præſenſerat Vladiſlaus Cazimiri motum, & futurum conuentum Polonorum: atque ideò ne quid exinde nunciaretur ſibi, quod parum conduceret rebus quas parabat, vtque ſui cordi ſe ei eſſe intelligerent, miſit illico in Poloniam Ioannem Gruſcinenſem, qui diceret, Regem nullo modo ſalua famæ

Effectus orationis Iuliani.

Epiſcopus Vladiſlauienſis & Ioãnes Piltzanus in Hungariã ad Regem proficiſcuntur.

famæ verecundia, poſſe ſuſceptam denuò expeditionem intermittere: ſtatimq́ moturum ex Segedino, cogi neceſſariò illis adeſſe, quos in bellum implorando attraxiſſet. Cæterùm excitis paratisq́ tot maximorum principum auxilijs, victoriam paratam eſſe de ea gente quam ſuperiore anno paucis admodum Volonibus cruce ſignatis adiutus fudiſſet, fugaſſetq́: & quam niſi hyemis montiumq́ aſperitas niuibus ac ſpeluncis aditum victoriæ ſuæ ſubtraxiſſet, omnino ſubegerat, inter redeundum, quod propicio Deo breui futurum foret, conuerſurum ſe iter in Poloniam. interim viderent ipſi ne quid detrimenti regnum caperet: inprimisq́ Boleſlao duci adeſſent, contra Lituanorum conatus. Ea ſignificatio quia præter ſpem venerat, gratiſſima Polonis fuit: perfecitque vti rex videretur eſſe tam ſollicitus de quiete ac ſtatu regni, quàm ipſi volebant: ſed intercepta eſt exinde cauſa mittendæ in Hungariam legationis, atque ideò ſingula quæ regi domi forisq́ ex vſu fore credebant, per epiſtolas ſignificauere. Interea licet minimè ſeruata die, Turcus loca omnia de quibus in fœdere cauebatur, præſidijs ſuis euacuata,

Turcus captiuos & Deſpoti filios dimittit.

iuſtis dominis reſtituerat: ſolutis etiã magno numero captiuis, dimiſſisq́ cum Deſpoti filijs.

Vladiſlaus ſuaſu Iuliani ex Segedino mouit.

Vladiſlaus autem licet æger animo, quaſi euentum præſagiret, ſtimulante Iuliano, vndecimo kalendas Octobres, vt conſtitutum fuerat, mouit ex Segedino, ſed copijs aliquanto paucioribus, quàm anno ſupe-



riore. nam & Volonum minor numerus accurrerat, propter vulgatum fœdus cum Turcis. & multi etiam inter agendum de concordia dimiſſi Poloni & Valachi, quos futura pax ſuperuacuos reddit ura videbatur. vbi ad Orſanam peruentum, pridie nonas Nouembres Danubium cum ſuis traiecit. Expoſitóque in Bulgaria exercitu primo ad Florentinum, deinde ad Bidinum progreſſus, licet vndique circa iter oppida pleraque arcésque Turcorum

rum

rum præſidijs tenerentur, non ad prædam milites diſcurrere, non hoſtibus inſultare, non bellicæ quicquam cladis inferre agris patiebatur: inſtituerat enim minimè tempus aut vires ſuas præconſumere expugnandis munitionibus, ſerendisq́; certaminibus, priuſquam coniungeret ſe cum naualibus copijs ad Helleſpontum: atq; ideo, ne in planis & apertis locis vel inuitus pugnare cogeretur. Cum duæ ad Callipolim viæ ducerent, altera per extremam Thraciæ oram, qua Macedoniæ coniungitur, campeſtris & breuior inter Rhodopem ac Biſtoniam paludem: qua ſi progredi voluiſſet, currus relinquere oportebat propter viæ difficultatem in Hemo rectà tranſcendendo. Altera verò per inferiora Bulgariæ, prius ad ſolis ortum, deinde prope Pontum ad meridiem per Thraciam, vt obliqua, ita longior, ſed per quam licet montanam in pleriſq; locis & ſalebroſam, currus tamen haud ægerrimè euaderent, maluit illac exercitum circumagere, quàm veluti ſe nudare curruum munimentis quibus ſeptus contra hoſtiles impetus, ſe ac ſuos facilè tueri poterat, & quàm maximè integris copijs ac viribus ad Callipolim peruenire. Conuerſus itaq; in Pontum inter Danubium atq; Hemum, haud magnis, ſed continuis itineribus ad inſtitutum feſtinabat: vbi verò ventum eſt ad Nicopolim Bulgarorum metropolim, cuius vrbis pars altera à Danubio abluitur, altera in collem erecta, quia fama erat totius regionis diuitias illuc comportatas, miles cohiberi non potuit, quin per ſuburbana diſcurrens, ad prædam etiam in ipſas portas faceret impreſſionem, quicquid ædificiorum circumadiacebat, direptum incenſumq́;. Cum verò portæ ac mœnia ſtrenuè defenderentur, à proſequenda oppugnatione iuſſum eſt abſtineri. Cæterùm quia quantum fert regio, vberes circùm campi & colles videbantur affatim neceſſaria ſuppeditaturi reficiendis militibus, iumentisq́;, biduum triduúmue illic perſeuerare placuit. in eo loco percenſenti ſuos regi, & veluti totius belli apparatum recognoſcenti, dum miles non tam ſe reficit, quàm ſtodioſè illa præparat quæ opportuna fore credebat, viam iam & natura ſua magis difficilem, propter anguſtias ſalebroſiores, & propter frequentiam præſidiorum hoſtilium in oppidis caſtellisq́; vndiq; eminentibus multo diſcriminoſiorem: accurrit nunquam ſine præfatione magni & fortiſsimi Imperatoris nominandus Vladiſlaus Dracula, Valachiæ, quam montanam vocant, princeps: qui cum iampridem pacem à Turco accepiſſet, factum ſuum in neceſsitatem reiecit: quòd haud numeroſiſsimæ gentis princeps, nulláque externa ope adiutus bellum Chriſtianis ſimul omnibus intolerabile ſuſtinuiſſet magnitudine animi & virtute ſuorum diutius, quàm ſperari de tam imparibus viribus poſſet: plúſque ab ſe interim hominum amiſſum, quàm terris ſuis frequentandis colendisq́; ſupereſſet: cum euentus quotidie admoneret contra hoſtium multitudinem, paucorum ſuorum virtutem magis admirandam eſſe quàm efficacem: tandem eò peruentum fuiſſe, non vt in ſeruitutem venire oporteret, quæ forſan tolerabilis, modò æqua ſit, & contigiſſet antea multis magnisq́; populis & nationibus: ſed vt cũ patria & laribus familiaribus, cum altrice terra & cœlo relinquenda eſſent ſacra, religiones, aræ, degeneran-

Duæ viæ ad Callipolim.

Militum auaritia.

Draculæ conſilium.

dumq́; in obſcœnos mores ritúsq́; impiarum ſuperſtitionum, niſi conditionem accepiſſet, per quam citra profanationem diuinorum humanorumq́; omnium, reliquias ſuorum ſeruaret in occaſionem dignam, in qua tanta virtus periclitaretur. Ad hæc cum eorum qui regem ſequebantur paucitatem animaduertiſſet, rogare obteſtariq́; cœpit, vt retro iter verteret, ſe malis ſuis ſatis ſupérque doctũ, quanta foret Turci potentia, qui ad venationem propemodum plures ſeruos producere ſolitus eſſet, quàm illic ad bellum armati conueniſſent. abſtinendum omnino à tam audaci periculoſoq́; incœpto: communicandaq́; conſilia & rationes, quo pacto res æquis viribus geri poſſet. Interea nihil ſalubrius, quàm in occaſionem meliorem eas copias conſeruare. Quæ etiam ſi ſufficerent bello quod tunc cum hoſtibus gerendum, cæteráque omnia votis reſponderent, tamen eo tempore productæ inſtantis hyemis tempeſtate & malis omnino eſſent ſuccubituræ. Audiebantur ea, tanquam Dracula non ex animi ſui ſententia loqueretur, propter fœdus quod illi cum Turcis erat: tamen re ipſa per ſe fidem faciente, moti ſunt quàm plures, nec tantum ſuſpicio ſimulatæ ab illo orationis, quantum rei veritas vrgebat. Cæterùm rapiente regem fato ad deſtinatum propinquúmque iam finem, Iulianoq́; ad ſuperioris anni fortunam identidem iactante, nuſquã ſtringendum fore gladium, vacua omnia defenſoribus reperturos: Amuratum cum ſuis trans Helleſpontũ, vix Carmani impetum ſuſtinere: neq́; poſſe etiã, vt ocioſus à bello eſſet, propter Venetorum Burgundique & Pontificis claſſem ſuppetias ſuis ferre: Græcũ præterea cũ non mediocrib. copiјs ſub ipſis montibus accurſurum. Draculæ quidem officium ac ſermonem magno aſſenſu omnes commendauere, veluti benignæ in ſe voluntatis teſtimonium. Nec mirum. de eorum victoria deſperare ipſum dixerunt, ignorantem qua præparatione, quibusq́; auxilijs freti pergerent. Cæterùm nullo modo ea ſibi vt diceret in mentem ventura fuiſſe, ſi ſciuiſſet quãta claſsis, quantisq́; Italorum Burgundiorumq́; copijs inſtructa, quàm multis etiã equites peditesq́; Græcorum in armis eos præſtolarentur. Non regem, non ſuos adeò inconſideratæ audaciæ, vt bellum quod conficere non poſſent, vltrò inferrent. bono eſſet animo: quantum ad vires attineret, ſatis prouiſa eſſe omnia, & præparata. felicitatem Deum ipſum, cuius cauſa ageretur, & præbuiſſe antea, & in præſens præbiturum: conuerſus itaq́; rurſus ad regem Dracula: Quando, inquit, aut fortuna, quæ audentem magna quæq́; nuſquã hactenus te decipit: aut ſpes alienæ opis, quã ratã velim: aut occulta fatorũ neceſsitas, te in diuerſũ trahit à ſententia mea, cõſiliũ tuum quod ratione immutare nõ potuit, quantum tempus & improuiſa res ſinit, viribus adiuuabo. & cũ dicto quatuor milia equitũ duce filio ſuo, copijs regijs adiecit, orans obteſtansq́; immortalem Deum, quòd quicquid rex cæteriq́; de belli totius ſucceſſu animis ſuis repromitterent, feliciſsimo euentu cõfirmaret. Ad extremum dimiſſurus regem, duos ex ſuis impigerrimos iuuenes regionisq́; & viarum peritiſsimos, duosq́; item equos inuſitatæ admirandæque pernicitatis in conſpectu dedit, & vix lacrymis temperans: Habes, inquit, ad quod confugias, ſi caſus aliquis maláue ſors, quod abomi-

Dracula it in Regis ſententiam, coniunctis quatuor millibus equitum.

abominor dicere, viribus te diffidere coegerit. Malim equidem fore vt fruſtra dederim: idq́; eueniet, ſi vota & preces meæ non vanæ erunt. verùm ſi neceſſitas vti coegerit, ſaluberrimum munus experieris. Vtile ſanè conſilium Dracula attulerat, ſi tam fideliter auditum ſeruatumq́; fuiſſet, quàm dabatur. Vulgatum eſt poſtea, virum ingentis ſpiritus natumq́; ad bellicas actiones, vbi apparatum Burgundi Italorumq́; percepit, variè ac multum ſecum agitaſſe inter pœnitentiam fidei Turco per fœdus datæ, & religionem eius violandæ propter euentum & futuram fortunam hominum famam, ſiue ad tam glorioſam expeditionem cum Vladiſlao progrederetur, ſiue remaneret: pluſq́; omnino valiturum fuiſſe apud militare ingeniũ belli decus, quàm laudem ſeruatæ ſponſionis: ſed ſuapte natura ominibus diuinationibusq́; quibuſcunque alioquin obnoxium muliebre vaticinium retinuit. Pridie enim quàm in regia caſtra peruenerat, Secuſa mulier Bulgara, ſenio quidem confecta, ſed cognitione futurorum multis experimentis clara, ad vicum Sollonum, de exitu ac fine belli ab ipſo interrogata prædixerat, regem haud felici euentu pugnaturum: pluſq́; momenti contra eum hoſtem profligati exercitus reliquias habituras: foreq́; ſubinde vt res fœlicius gererentur. atq; ideo in ſe ac ſuos vaticinium deriuare volens, proſperioribusq́; actionibus ſupereſſe, periculo quod in præſens nunciabatur, ſe ſubtraxiſſe: filium verò cum à ſe dimitteret, magnopere monuiſſe, ne fortunæ obluctaretur temerè in acie, ſi res Chriſtiana inclinaret. Conuertit deinde Vladiſlaus ſe in Thraciã, ingentemq́; multitudinem fluuialis ſcaffæ in Paniſo amne compertam incendit. Oritur autem Paniſus in monte Hemo, & inter Meſſembriam Odeſſumq́; Euxino illabitur. Creditum verò eiuſmodi nauigia infeſtandæ Hungariæ gratia illic à Turcis præparata, vt demiſſa ſubinde in pontũ, per occaſionem trãquilli maris iuxta littus ſurſum agerentur in Danubium. Cuius maximè meridionale hoſtiũ, haud plus triginta milibus paſſuum diſtat ab Odeſſo. Ab eo incendio quà placidiorem aſcenſum Hemus ad ſe dabat, erecturus agmen, quia via vtiq; anguſta & confragoſa diuiſit copias, vt contra improuiſos hoſtium incurſus firmior eſſet, & paratior. Hunniadiano igitur cum auxiliaribus Valachis & tribus Hũgarorũ milibus præmiſſo, ſequebatur ipſe magno interuallo, cũ cruce ſignatis, reliquáque multitudine. Nã currus in medio agi placuerat, tam præcedentis quã ſubſequentis agminis præſidio tutos, inter progrediendũ nequid à tergo relinqueretur quod muniri in locis adeò anguſtis poſſet. nonnulla oppida hinc inde direpta, & propè funditus diruta, vici quàmplures incendio deleti. graſſatumq́; eſt à militibus licentioſè etiã in ſacra Bulgarorum Græcorumq́;, quorum templa veluti profana, manu, ferro, igne, cæteroq́; omni ſcelerum inſtrumento violabant. Id verò impiũ, vt certè erat, viſum Vladiſlao. edixit itaq; vulgo inquiri, ac reſtitui deſiderantibus quicquid religione inuiolatum eſſe oportuerat: nullius magis quàm ipſorum intereſſe aſſeuerans, abſtinere manus à ſacris, pro quibus arma ſumpſiſſent, multum quidem in armis reponendum eſſe, ſed in Deo plurimum: qui poſtmodum in bello non modò opem non laturus foret contaminatis ſacrilegio,

Oraculum Secuſæ mulieris Bulgaræ.

Ortus Paniſi amnis.

Vladiſlaus manus à ſacris abſtinere mandat.

ſed etiã pro templis, pro aris pro ſacris ſuis contrà ſtaturus, niſi à tã execrabili rapina abſtinuiſſet. dimiſsi exinde nõnulli ex captiuis Turcis cũ literis, in quibus ſpõdebatur, omnibus qui ex præſidijs ſuis elaberentur, liberũ fore aut ſtipendia facere apud regẽ, aut abire quo mallent. Cuius ſpõſionis fides integerrimè ſeruata, cũ multa loca in deditionem veniſſent, quæ acerrimè prius defendebantur, timentibus Turcis qui in illis erant aut iniquam ſeruitutem, aut mortem cum cruciatu. qui tamen Sumium ac Pezechium tenebant, in rupibus paulò editioribus, freti naturali locorum munitione, maluere experiri quid ſe tuendo poſſent, quàm fidei hoſtiũ credere. contra quos quia propter opportunitatem ſitus apparebat poſſe ab hoſte facilè reditum præcludi, ſi caſus aliquis illa redire coëgiſſet, viſum eſt omnibus vim oppug-

Sumium ac Pezechium oppugnantur.



nando experiri. itaq; non ſine multorum clade, cum difficultas nitendi ſurſum longè plus negotij, quàm hoſtis armato militi exhiberet, vtrunq; oppidum oppugnatum. in ea victoria multorum induſtria, multorum opera claruit, ſed in primis Tamonenſis Ioannis & Leſconis Bobricij: quorum ille dum portas refringit, duo vulnera accepit: hic Pezechij murum primus aſcendit, & multis alijs aſcendendi opportunitatem præbuit. Traduntur ad quinq; milia ex hoſtibus illic interijſſe, quorum magnã partem dum præda diriperetur, gladius abſumpſit: cæteri ad terrorem aliorum rupibus, per quas ſe tutos putabant præcipites acti. Dum hæc à rege agerentur, afferuntur Franciſci Cardinalis literæ nunciantes, Amuratum aut fruſtratis arte, aut corruptis precio ſpeculatoribus, qui littora ſeruabant, infra Callipolim, qua fauces Helleſponti arctiſsimæ ſunt, ingenti multitudine militem reportaſſe in Europã, & coniunxiſſe ſuis, qui non procul ab Iſthmo Thracij Cherſo-

Literæ Franciſci Cardinalis.

Cherſoneſi haud ſanè memorabili numero paulò antè ſe congregauerant. Qua nouitate regis deliberationem immutari oportuit, præſertimq́ quòd plurimi ex ſuis hortabantur regredi, aut ſaltem in tuto alicubi ſubſiſtere, donec certus numerus hoſtium, & quò ſe primùm conuerterent, intelligeretur: tamen à Pezechio vbi facilè per montana munire tueriq́ ſe poterat, rex in planum deſcendit. adeò eſt ineuitabile, quicquid id eſt, quod fatũ appellatur. deinde in obliquum, Rhodopeam vallem biduo emenſus, ad Pontum rurſus ſiniſtrorſum ſub Hemum declinauit: decimisq́ caſtris Tauarnam aſſecutus, in deditionem accepit: Turci enim qui illic fuerant in præſidio, auditis quæ per eos dies ad Pezechium & Sunnium geſta erant, aduentum regis minimè expectauerant. Eodemq́ modo Macropolis, Gallatium, Galata, Varna, & pleraque alia circum littus oppida deſerta ab hoſtibus recepta ſunt, & Chriſtianorũ firmata præſidijs. Hemus initium capit ferè à Meſembria, perpetuoq́ dorſo ad Macedoniam & ſuperiorem Myſiam porrectus, diuerſis in locis ab vtroque latere, velut cubitos genuaq́ modicè extendit. Et primò quidem non admodum longè ab origine ſua in dextram reflexus, atq́ in Pontum recurrens, paulatim in minora iuga decreſcit, donec per colles modicè tumẽtes tandemq́ euanidos deſinat in planiciem. in eo igitur tractu pro natura loci plurimæ ſunt valles agreſtes partim & infœcundæ, partim pecoribus hominibusq́ alendis & natura fertiles, & accolarum diligentia more ſuo conſitæ ac ſubactæ. Earum nõnullæ vndique intra colles clauſæ, aliæ ad mare conuerſæ littoribus excipiuntur: ſed in primis illa quæ Varnæ adiacet, humana cura & quantũ fert regio naturali ſitu amœna eſt, & ſpectabilis: Varna verò ipſa in ſinu anguſto & haud ſanè profũdo admittendis ferendisq́ nauigijs grauioribus poſita eſt ad littus, inter duo promontoria: in quorũ altero Galata, in altero Macropolis ſita, littoralia omnia, circa oppidum vineta, frugiferæq́ aliæ arbores tenẽt. interiora vallis ad dextram modicis infrequentibusq́ vicis agreſtes tum habitant, tum colunt: in ſiniſtra qua eminet Galata, paluſtris eſt ſub collibus lacuna, quæ ad occaſum in alterã vſq́ vallem reſtagnanti vnda protenditur. inuitante igitur non tam loci opportunitate, propterea quòd aquatio lignatioq́ & cætera neceſſaria in promptu militi erant, quàm valetudine regis, cuius in ſiniſtro crure quà femori cõmittitur, enatus furunculus inflammationẽ doloremq́ maiorẽ, quàm pro magnitudine tumoris cùm excitaſſet, viſum eſt illic ſubſiſtere, adhibitisq́ fomẽtis expectare, donec id vlceris in pus verteretur atq́ exiret, quo ſumendis tractandisq́ in equo armis ſubinde rex foret expeditior, ſi quid violentũ in itinere caſus attuliſſet. Interea Turci ab Iſthmo Adrianopolim profecti, qua hoſtis aduẽtare nunciabatur, citato agmine obuiã prodeunt: & ſeptimo tandẽ die haud amplius quatuor milib. paſſuum, à caſtris regijs cõſedere. quorum aduentũ & ſpeculatores nunciabãt & nocturni ignes: quamuis collium interuentu proſpectui eriperentur, tamen ſereno cœlo cum luna à coitu modici luminis adhuc eſſet, noctem ſic ea ex parte inalbabant, vt non propinquitas modò, ſed etiam multitudo ipſorũ indicaretur. duplicatæ igitur vigiliæ nocturnæq́ ſtatiões toto exercitu,

Deſcriptio Varnæ.

 edictum-

Deliberatio ſuper futuro certamine.

ediĉtumq; arma expediri & præparari. vbi autem lux appetere viſa eſt, Hunniadianus Iulianusq; & Deſpotus cum cæteris, quorũ aut cõſiliũ aut auctoritas requirebatur, frequẽtes ad regẽ coëunt, cœptaq; eſt conſultatio ſuper futuro certamine. Iuliano munire ſe intra currus placebat, diſpoſitis circum machinis, tormentisq;, quorum aut fragor terreret, aut impetus arceret hoſtem. ſi munitionibus inſultare voluiſſet. nihil prius in aperto aggrediendum, quàm præcognitæ prætentatæq; eſſent hoſtium vires. veriſimile aiebat maritimas copias, quarũ nullus iam vſus in claſſe eſſet, ſequuturas à tergo Turcos: daturasq; operam, quòd aut coniungerent ſe ſuis, aut diſtraherent hoſtem ex parte altera laceſſendo, in eoq; omne momentum rationémque vincendi reponebat. quam ſententiam Franco Banus Agrienſisq; epiſcopus, & pleriq; alij ex Hungaris & Polonis ſequebantur, rege etiã non tam probante, quàm non reprehendente moram dimicationis: quia lenito interim dolore quo fortè ea die grauiùs quàm vnquam aliàs premebatur, ſperabat ſubinde ſuis integer adeſſe poſſe. Hunniadianus verò & Deſpotus præpoſterum id dicebãt: includi enim vallo, non eſſe inferentiũ vltrò bellum, ſed vltimum confugium eorum qui acie victi ſint. Quod conſilium, ſi rogaretur hoſtis, aliud daturus, quàm vt poſitis armis obſidendos ſe traderent. omnium rerum, ſed in primis bellorum exitus, à principio auſpicari. prout primus congreſſus foret, ita toto bello aut audaciam aut formidinem hos vel illos in aciem afferre, atque ideò nullum trepidationis ſignum aut ſuis, aut hoſtibus indicandum eſſe. in celeritate tranſigendæ rei ſalutem conſiſtere. agendo audendóque id genus hoſtium terreri, non artibus. Quid futurum, ſi clauſos munitionibus Turci circunſtetiſſent: neque pugnandi copiam ſubinde facerent, cum tolerandæ illic obſidioni nihil omninò foret præparatum? Nam quod de naualibus copijs diceretur, ridiculum omninò eſſe. Vbi enim gentium viſum auditúmue aliquando, mediterranea bella claßiarijs peditibus geri: quorum non alius vſus in terra eſſe poſſet, quàm equitum in mari, quibuſque ſuas artes, ſuamq; eſſe diſciplinã, eaq; in re valere, quoſque plurimum ad quam ſtudium exercitationemq; adhibuiſſent. Quod ſi etiã contra inſtitutum & profeßionem ſuã, de claſſe deſcenderent, præter id quòd non niſi per longum tempus tam longum terræ ſpacium pedibus emetiri poſſent, ad terreſtre certamen cõtra equites in peditatu eodémque naualibus armis inſtructo paruum omninò, aut potius nullũ vſum fore, atq; ideò & ſerum & vanum eſſe quicquid à claſſe ſperaretur: in qua ſi quid momenti eſſe poſſet terreſtribus pugnis committẽdis totum impenſum in id fuiſſet, vt poſtquã hoſtis in Europam transfretauerat, ſaltem circa litora retineretur, dum rex eò perueniſſet. omiſſa igitur inani ſpe prodeundũ in aciem contra eundem illum hoſtem, quem ad ſatietatẽ ſuperiore anno fugaſſent, cæcidiſſentq;. Qui trepidus cõfuſusq; animo inceptaret omnia, & in nullo perſiſteret, ſed modò in Aſiam, modò in Europã, temerè ſe trãsferens, ad minimum quenq; famæ ſtrepitum, per ſollicitudinem & terrorem ſe circumferret. nõ quàm multi ex diuerſo eſſent referre, ſed quo animo & audacia, quantumlibet innumerabiles, in præliũ nihil aliud allaturos, quàm vi-

ctorum

ctorum conſcientiam & formidinem: non aſſuefaciendos milites tuendis ſe vallo & curribus quæ diffidentium armis præſidia ſunt. quorumq́ ut nullus vſus eueniat, inter prima adeò expetendum. Tunc quando integrum foret aut armis hoſtem inuadere, aut imbellis multitudinis more ſeptis ac munitionibus ſe includere. flagitioſiſſimum fore, viros fortes plus in curribus & vallo, quàm in armis ad ſe tuendũ præſidij poſuiſſe. Intelligebat Hunniadianus vltimi rerum diſcriminis eſſe, quod ſuadebat, ſed maioris animi viro, quàm vt ferre poſſet obſeſſorum tædia morasq́ dum vinceret. Cum eò ventum appareret, vt neque progredi neque regredi niſi victores poſſent, promptiſſimam ad victoriam viam aggredi placebat, militemq́ tum proximi anni felicitate, tum rebus per eos dies proſperè geſtis alacrem, antequam caſus aliquis animos ſpemq́ ipſius refringeret, quàm celerrimè ad pugnam producere geſtiebat: ſed etiam vt vim hoſtium non ſuſtinuiſſent, integrum fore videbatur, quid vallo & curribus tuendo ſe poſſent experiri. Mouerat cunctos Deſpoti & Hunniadiani ſententia. Rexq́ ipſe ſupra dolorem iuueniliter elato animo nullã pugnandi moram vltrà laturus videbatur, cum trepidè ſpeculatores nunciant armari hoſtes, ſeq́ inuadendis caſtris præparare. Itaq́ dato Hunniadiano ordinandarum acierum negotio, cæteri ad ſuos quiſque aduolant. Ille verò ante omnia circunſpectis locis, per quæ aut apertè inſultare, aut inſidioſè erumpere adueniens hoſtis poſſet, ne quid diſcriminis oboriretur per inſidias à tergo, ex valle in quam refundi lacunam diximus, inter colles & paluſtria ab ea parte fauces, per quas erumpendum erat, ſic præcluſit curribus retroactis, vt facilis ad eos receptus foret à loco pugnæ deſtinato. A tergo autem minimè vlla vis timeri poſſet, obſtructo aditu & conuerſis illuc machinis tormentisq́, aut exterrendis hoſtibus auertendisq́, aut deterrendis ſi cominus inſultarent, eminus deinde aciebus ordinandis mediam vallem regi tuendam cum curialibus Polonis atque Hungaris aſſignauit. At penes lacum ad paludem, vnde minus timoris erat, tum quia palus imperuia, tum quia prærupti montes deſuper impendent, quinque tantùm Hungarorum vexilla collocauit: dextrũ verò latus quà Varna caſtris obiecta erat, omni cætero robore exercitus firmandum ratus, cùm propter acceſſum qui inter littus paludémque patet, quicquid laboris ac diſcriminis futurum erat, venturum inde appareret, vexillum magnum Hungarorum ducibus Franco Bano, Agrienſiq́ epiſcopo illic potiſſimum ſtatuit: Deſpotũq́ cum ſuis, ac Iulianum cum cruce ſignatis illorũ ordinibus inſeruit. Nec procul à tergo penes currus & munitiones veluti ſubſidiariam aciem conſtituit, vexillum diui Ladiſlai ſub Varadienſi epiſcopo, adiecto ei Leſcone Bobricio, cum parua manu Polonorum: ſibi autem cum Valachis nullum certum locum deſignat, vt minimè turbatis ordinibus, quocunque res & periculum vocaret, accurreret, & nullum deſtinatum locum tuendo omnia tueretur. Amuratus autem cum peditibus reliquóque equitatu ſubſequens, præmiſerat expeditiſſimorum equitum, circiter ſex milia. Qui à principio minimè ſe apertis locis committentes, hoſtium vires magis inſpicerent, quàm tentarent: oſten-

Hunniadianus aciem inſtruit.

Copiæ Amurati.

oſtendereq́; ita ſe illi primam ad dexteram in collibus, vnde totum exercitum ordinemq́; facilè æſtimare poſſent. Cæterùm ſeu pugnæ auidi, ſeu Chriſtianorum paucitate contempta, ex interuallo ſagittis hoſtem irritabant. Sed cùm Franco Agrienſisq́; ſuos continerent, ne fracto per accliuum primo impetu, languidi ad hoſtem in collem peruenirent, Turci timorem idrati, paulatim deſcendêre in æqua, inq́; ipſos ordines impreßionem facere cœperunt. Tum Franco id verò minimè ferendum præfatus, hoſtes ſcilicet qui paucis antè diebus ſuppliciter pacem petendo ad decertãdum ferro nullum eſſe in ſe momentum confeßi forent: qui ſuperiori anno totiens ex acie fugiſſent, qui ſcopulorum niuiumque latebris veluti precariam vitam degerent, vltro victoribus inſultare. ſignum dedit ſuis: identidem iactans, vt virtutis felicitatisq́; ſuæ memores, in aciem prodirent. non ſuſtinuit irruentes Turcus: retròque per accliuum verſus, celeritate equorum ſe vulneribus eripiebat. Superuenit interim reliqua equitatus multitudo, pársque in deſinentem iam vallẽ ſe recepit. pars inuecta in regios ſubeuntes cliuum deturbat eos, agítque in præceps. Illi verò rurſus in plano congregati, aciem



reſtituunt: pugnandóque acriter, quantum hoſtium ex collibus in æqua deſcenderat, penes vallem ipſam in fugam vertunt, atque inſequuntur. itaq; Varadienſis non tam militarium artium quàm ſacrorum peritus, cum videret terga dari à Turcis, relicta iam pridem ſtatione ſua, cum magna militum manu veluti ad partam victoriam accurrit: fugientibúsque inſtando, temerè vnà cum Deſpoto & Agrienſi peruenerat ad confertißimum agmen in poſtremo vallis. vnde à multitudine reiecti in ſiniſtram, Deſpotus quidem ad ordines ſuorum, qui pauci adhuc ſtabant, ſe tranſtulit. Varadienſis autem eadem locorũ inſcitia quà acies turbauerat, per paludes ad

montes

*montes euaſurum ſe ratus, in aquam ſe immiſit: fœdáque equi ac ſua lu-
ctatione, diu prius in cœno vexatus, tandem ſubmerſus eſt. Agrienſis verò*

Varadienſis in cœno ſubmergitur.

*ad lacunam circumuectus, Galatam petere inſtituerat. Mox tamen mu-
tato conſilio ad ſuos in pugnam rediit, nec poſtea vſquam comparuit. pro-
ceſſerat vincendo Turcus iam ad diui Vladiſlai vexillum. nam Deſpotus
cum Franco & Iuliano ſuperabundante hoſtium multitudine, à collibus vl-
trà quàm ferri poſſet, cum ſuis retrò ad munitiones ceſſerat. ibi diu ancipi-
ti marte pugnatum. ſed vbi Leſco, qui audendo hortãdoq; certamen extra-
xerat, multis vulneribus vndiq; cõfoſſus, moribũdus ex equo cecidit, haud
dubiè res Turcorum ſuperior remanſerat: nec iam milites tantùm, ſed cur-
rus etiam oppugnabantur. Quorum nonnullos impetu primo euerſos, vt
diripi rex vidit, cum Hunniadiano properè illuc mouit, ne quod aduerſæ pu
gnæ vnicũ præſidium ſuis futurum erat, ab hoſte præriperetur. Eius aduen-
tu fortuna ſubitò mutata eſt. verſi enim in fugam Turci, vltra duo millia
paſſuum cæſi fugatiq; ſunt. tantus erat ardor inſequentis à tergo regis: qui
reuocante impenſius Hunniadiano, tandem omiſſis fugientibus, rurſus Iu-
liano & Franco laborantibus accurrit. Redintegrauerãt enim præliũ Tur
ci ex tota illuc valle conuerſi. Superuentu igitur regis acrius iterum cer-
tamen vtrinq; coortũ, variaq; adhortatio: hinc ſacra, religiones, aræ, tem-
pla, victoriæ cum decoribus prius partis, fœdæq; hoſtium fugæ. Gratulatio-
nes præterea & laudes à tot principibus nationibusq; adeptæ. Ad extre-
mũ, Chriſtianæ rei ſpes, ab eius diei fortuna pendentes iactabãtur: illinc nõ
tam imperij quàm etiã nominis Turcici finis, niſi vincerent, oſtendebatur:
Aſiã & mare illi obiectum, ab hoſtibus teneri: quæ in Europa ad id locorum
habuiſſent in euentu eius pugnæ periclitari: non fore quò reuerterentur vi-
cti: quacunq; declinaſſent, mortem cruciatumq; iãpridem præparatum in-
curſuros. ad neceſſitatem pugnandi accedere, quòd non tantùm viribus &
numero, ſed cauſa etiã ſuperiores eſſent. nã contra ius faſq; per ſpeciem pa-
cis laceſſiti. Inſiſterent ergo acriter, Deũ fœderis teſtem formidinem fugám-
que & cædem, in pacis fideique violatores conuerſurum. Cæterùm nõ ſegnio
ribus animis viribúſque pugnãtibus militibus, quã duces adhortabãtur,
magna vtrinq; cædes edebatur. Sed ingẽs Turcorũ numerus ſuorũ ſtragẽ*

Pugna anceps.

*ſentiri nõ ſinebat. Stetitque diu anceps præliũ. tãdem ab illis fuga incœpta
multo cruentior fuiſſet, ſi nõ à cæde ad prædã Chriſtianos auertiſſent: came-
li onerarij caſu eis oblati quà hoſtibus inſtabãt: vbi equi etiã odore aſpectũ-
que inſuetorum animalium conſternati, haud facilè ſeſſoris arbitrio ſe diri
gi patiebãtur. Hunniadianũ in diuerſum fortuna ſuorum abſtulerat. nan-
que vndiq; intentus, & laborantibus vbiq; properè accurrens, ad mediam
vallem proceſſerat, vbi ſiniſtra acies impreſſionẽ hoſtis vix ſuſtinebat. Cæ-
terùm reſtituto illic prælio, de rege ſollicitus, cuius iuuenilis animus pericu-
loſæ audaciæ ſuſpicionem faciebat, inuenit eum ad Ianizaros pedeſtre mi-
litum genus penetraſſe, ibique pugnam ſubſtitiſſe. Magna vis non homi-
num modò, ſed equorum etiam ceciderat, alijs gladio confoſſis, alijs detrun-
catis cruribus ad terrã prouolutis. Nec iam ſolùm, ſed cadauerum ſtrages*

pugnando calcabatur: adeoq́; concitatis animis inſtabant vrgebantq́; viciſſim, vt rabies, non ſtudium vincendi videretur. perrupit tamen Vladiſlaus aduerſam aciem: ablatúsque inter hoſtes longè à ſuis, creditus eſt iam tum aut cæſus, aut captus. itaq; haud multo pòſt, cum Turci terga iam verterent, Chriſtiani quoq; ex diuerſo veluti rege amiſſo fugæ ſe committunt, eòdemq́; tempore pars vtraq; cedere inceperat: adeò fortuna cuiq; ſua erat ignota, in tam varia frequentiq́; victoriæ inclinatione. Sed vbi Ianizari Chriſtianorum motum animaduertere, ſiſtunt ipſi pedem, pugnámq́; inſtaurant. Hunniadianus autem qui videret trepidatione ac formidine in ſuos conuerſa, vbiq; ordines turbatos, fœdeq́; à multis aciem deſeri, concitato equo per confertiſſimos hoſtes ad regem peruenit: patefactáq́; ſuorũ fuga & pauore, vt retrò ſe ageret, obteſtabatur, minimè de rerum ſumma deſperãdum dicens: quippe adeò raros in acie periiſſe, vt iactura vix apparitura foret, ſi priuſquã ſuperſtites fugiendo diſſiparentur, ad munitiones & currus ſe cũ illis reciperet. in vita ipſius nõ modò regna, quibus præerat, ſed vniuerſã quoq; Europã Chriſtianumq́; nomen periclitari. Cum interea nihilo minus acriter ille in hoſtem ferretur, cædemq́; & fugã quocunq; ſe verteret committendo, donec equus ingenti in latus vulnere accepto præcipitem per armum dextrum effudit. Nec mora, ſuperuenientibus Ianizaris, telorum multitudine non tam confoſſus eſt, quàm obrutus. Subſtitit pauliſper Hunniadianus, corpus regium, ſi fieri poſſet, recuperaturus. Sed cùm reliquis effuſiſſimè diffugientibus, paucos admodum Valachos, qui remanſerant, tam multorum impetum ſecum minimè laturos intelligeret, vbi vnũ atque alterum conatum fruſtrari vidit, haudquaquam nefas ducens ſupereſſe aliquem poſt regis interitum, qui acceptam cladem vlciſci poſſet, ignominiámque eã delere, ad ſuos retrò ſe recipit: indéque cum poſt fugam iampridem à Deſpoto initam, Iulianus deſperatis omnino rebus cedendum ſuaderet, ſub ipſum crepuſculum per montes in vaſtam ſiluam ſe recepit. Multique alij, quos nulla prius aut trepidatio aut fuga ſuorum à pugna auerterat, ſubſecuti ſunt illum ad deſerta & montes, inter quos Franco & Iulianus: totiens eo in prælio & fugere & fugare vtrinque contigit, vt victoria tandem non ſit à victoribus intellecta. Nam Turci, quorum fugam rex à primo congreſſu fuerat inſecutus trepidationem in ciuitates circumtulerant, quaſi debellato exercitu, victor hoſtis ad eas oppugnandas ſtatim copias eſſet admoturus: & qui pugnare ad noctem vſque perſeuerauerant, haud vſquequaque viciſſe credentes, incertique quò ſe Chriſtiani recepiſſent, dum ſilentium, quod erat intra currus inſidias credunt, biduo à direptione prædæ abſtinuere. In tota ea pugna regis virtus in primis enituit, vtpote in vltimo mortalium operum quod eſſet obiturus. omnia tum conſtantis ducis, tum fortiſſimi militis munera impleuit, occurſando pauentibus, retinendo cedentes: atque vbi plurimum laboris, ſpem aliquam ſemper afferendo, conſilio, manu, voce, tam hoſti inſignis quàm ſuis conſpicuus, mortis ſuæ ſigna præceſſerant, dum armaretur, delapſa manu armigeri galea: & equi, cũ inſcenſuro admouebatur, fera inſolitaq́; oblucta-

Vladiſlaus fortiter pugnat.

Rex Vladiſlaus a Ianizaris interficitur.

Regis Virtus.

obluctatio: præterea inſtructis iam aciebus inter expectandum hoſtis aduentum, ſereno tranquilloq́ue cœlo atrox ſubitò ventorum vis oborta, pleraque vexilla regiumq́ue inprimis dilacerauit, ab haſtaq́ue detraxit: & mox conquieuit, & paulo pòſt dimiſſum conuentum, in quo decreta in Turcos ſecunda expeditio, cum qui conuenerant ſe quiſq́ue ad præparandum digreſsi eſſent, mota eſt adeò vehementer terra, vt non priuatim tantùm ædificiorum partes, vt aſſolet, deiecerit, ſed pleraq́ue oppida penè tota, in prodigium vſq́ue ad ſolum excuſſerit, fluuiorum etiam quorundã curſus alueosq́ue commutauerit. tenueritq́ue vulgò fama, propter ſubſecutam frugum caritatem vel ſemina, vel agros exinde degeneraſſe. Quot verò ex vtraque acie ceciderint, haud facilè ratio iniri potuit. nam per vallem, perq́ue omnes colles circùm frequens & varia fuga & cædes fuit. Multi in lacunam & paludem delapſi immerſiq́ue. Multi etiam latè in ſiluis vepribusq́ue occiſi. Turci regio corpore inuento, modicæ altitudinis columnam, quæ hodie quoq́ue viſitur, cum inſcriptione rei geſtæ, in eodem loco ſtatuerunt. Hungari verò & qui cum illis deſerta petierant, præter Valachos, locorum inſcitia non facilè ad Danubium peruenere. Si quos tamen fortuna illuc egit, fame, vigilia, ſiti, frigore, laßitudine, cæteriſque malis, adeò prius afflixit, vt ſæpe doluerint quòd non hoſti potius iugulandos ſe præbuiſſent. Errantes per ſolitudinem, aut inedia diſſoluit, aut ad terras hoſtiles perlatos ſeruitus excepit. Maiórque multò fuit erroris clades, quàm pugnæ aduerſæ. Iuliano inter fugiendum vis illata, ſeu prædæ cupiditate, ſeu quia vulgò, quaſi auctor patronúſque perfidiæ, inuiſus erat. id conſtat ſaucium ſeminudúmque in deuio ſaltu exhalantem animam à Sanoceo obequitante inſpectum, admonitúmque quòd euentus tandem planum feciſſet, non fuiſſe Deo cordi ea quæ contra fœdus & iuſiurandum more magis argutorum hominum, quàm ex æquo & bono diſputaſſet, cum execratione relictum. Hunniadianus ſuperato Danubio, cum paucis per Valachiam citatiſsimo itinere in Hungariam properauit, ne rei malè geſtæ fama, ſeditionem tumultúmue aliquem intrinſecum excitaret: aut Frederico & Boëmis nouarum rerum in orbitate regni occaſionem ſimul & conſilium ſuggereret.

DE VRBIS CONSTANTINOPOLEOS IACTVRA CAPTIVITATEQVE AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM DIVINVM PONTIFICEM, Leonardi Chienſis humilis Theologiæ profeſſoris, Mitylenæi Archiepiſcopi, Hiſtoria.

FLERE *mihi magis licet, Beatiſſime Pater. Et fortè dum gladio impetebar à Teucris, ſalubrior mors mihi fuiſſet quàm vita. Verùm quoniam narrationes ſiniſtræ tum verè proſunt auditoribus, ſi proſtrati reſurgant, vti quibus occiſos parentes ab hoſtibus dicimus, animi ad vindictam mœſti vigoroſius excitantur. Narrabo igitur & flens & gemens Conſtantinopoleos proximè his cernentibus oculis diſcrimen vltimum & iacturam. Nec dubito Pater ſancte, præceſſiſſe me multos, qui rei geſtæ ſeriem eidem S. retulerunt. Confert enim multorum in vnum relatio. Sed quoniam quæ viſu magis quàm quæ auditu verius exponuntur, quod ſcio loquar: & quod vidi, fidelius conteſtabor.*

Cum igitur Reuerendiſſimus pater D. Cardinalis Sabinenſis pro nomine Græcorum Legatus, in eius famulatum me ex Chio vocaſſet, ego ſumma cum animi mei diligentia, vt fidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fortiter conſtanterq́, vti debitum exigit, defenſarem, captabam perinde & mores & naturã Græcorum, argumentisq́ ac ſanctorum Theologorum dictis agebam intelligere, quod eorum eſſet ſtudium, quod propoſitum, quæ rationes, quis finis eos à vera intelligentia, debitaq́ obedientia vel reuocabant, vel retrahebãt. Intellexi planè præter Argyropylum artiũ magiſtrum, Theophilum Palæologũ, Hieromonicosq́ quoſdam paucos, & alios laicos, quòd ambitio Græcos quaſi omnes captiuaſſet, vt nemo eſſet qui zelo fidei, vel ſalutis ſuæ motus, primus videretur fieri velle ſuæ quàm opinionis & pertinaciæ contemptor. Ex vna parte, ad fatendum articulum ſancti Spiritus vrgebat eos conſcientia. Ex altera, ne meliorem Latini quàm Græci de veritate fidei intelligentiam habere crederentur, elationis tumor abducebat. Verùm quoniam nec ratio, nec auctoritas, nec variæ Scolarij, Iſidori, Neophytiq́ opiniones aduerſus Romanæ Eccleſiæ fidem ſtare poterãt, actum eſt induſtria & probitate præfati Domini Cardinalis, vt ſancta vnio aſſentiente Imperatore Senatúque, (ſi non ficta fuit.) firmaretur, celebraretúrque ſecundo Idus Decembris, Spiridonis Epiſcopi ſancti die.

Ambitione Græci laborant.

Itaq; ea peracta, mox tempeſtas Teucri oborta, vrbem Cõſtantinopolis, Galatam, cæteraq; adiacentia oppida abſorbuit. Vt verbum Eſaiæ verum ſit dicentis: Tempeſtas conuulſa abſque vlla conſolatione. Qua tempeſtate concuſſus, ego quoque captus ſum & pro demeritis meis vinctus cæſusq́ à Teucris, nõ fui dignus cum Chriſto ſaluatore configi. Reminiſcor ergo beatiſſime Pater, cũ primùm de vnione facta Græcorum, eidem Sanctitati epiſtolas ſerioſius deſtinaſſem, inter alia dixiſſe: Nos propter futuram Teucri obſidionem, quam indies expectabamus, inter ſpem & deſperationem conſtitutos eſſe. Spes de tuo expectato ſubſidio dabat fiduciam, timor de Græcorum

Tempeſtas Teucri.

rum

rũ ꝑtinacia deſperationẽ ſuggerebat. Heu quæ ſpes in populo duro graui iniquitate, qui tot annis ſine vita ſpirituali abſciſſus à capite permanebat. Quomodo non deſperati, quomodo non abiecti à Deo, qui tantis diſsimilitudinibus, tantis fictionibus, tantisq; ſciſſuris, ab Eccleſia elongati Romana, in cordis duritia permanſerũt? Etenim iam captiuati, vrbe, templis, auro, laribusq; propulſi, in Latinos retorquent offenſam, aſſeuerãtes: Quoniam vnionem, inquiunt, fecimus, ſummóque Pontifici commemorationem dedimus, meritò indignatum Deum.

O pertinaces homines, inquio. Si malũ eſt hoc, priſci, Baſilius, Athanaſius, Cyrillus, cæteriq; patres, quos præcipuo ſanctitatis honore præfertis, mali cenſendi ſunt, quòd ſanctam vnam eandemq; fidem cum Romana Eccleſia, omnium Chriſtianorum magiſtra, coluerunt. Nõ hæc cauſa eſt, quòd vnionem, ſed quoniã vnionem non veram, ſed fictam, feciſtis. Hac de re meritò indignatum Deum, hac de re iuſta animaduerſione in hoſtiũ manibus vos eſſe deductos. An non ſponſionem de vnione, ſancto iuramento apud Florentinam Synodum conſcriptam violaſtis? obedientiam declinaſtis? ſententiam Decreti occultaſtis? An non ſummi Dei nuncij (ô Græci) veſtram perditionem iugiter prædixerunt? qui aures, vt aſpis, impiè obturaſtis, & ſanctam Eccleſiam catholicam matrem fidelium obaudiſtis. Flete miſerias veſtras, arguite vosmetipſos, & non alios condemnetis.

Mos obſtinatorum hic eſt, ſanctos aſpernari Dei nuncios: vti Sedecias cæteriq; Iudæi in Babylonem traducti, Hieremiam direptionem captiuitatémque Hieroſolymorum prædicentem, contempſerunt. Certè hactenus ſtetiſſet Ilion, ſi Caſſandram Priamus pater audiuiſſet, ſi Prophetas Hebræi, ſi Sibyllam Romani, ſi vos quoq; Apoſtolicos nuncios dudum audiſſetis. Idcirco non mirum, ſi in pœnam tanti criminis, inſpirata mox tempeſtas inualuit, quam Spiritu ſancto docti, quoq; à multis annis futuram eſſe prædixerant. Sanè vt beatiſsimi patris N. primi ſummi Pontificis execrationem in prauos Græcos per illud: Vergentis in ſenium ſeculi corruptela, &c. prætermittamus. Tabula illa, quam Leoni ſapiẽti aſcribunt, apud Monaſterium ſancti Georgij de Mangana conſtructã, vetuſto tempore in Conſtantinopoli occultatam, myſterio iam ſigno detectam iacturã demonſtrat. Hæc Pater beatiſsimus cellulis diſtincta quadratis, Imperatorum ordinem, ſucceſsionémque ponebat, finiendum tamen in hoc vltimo Conſtantino. Ita quoq; Patriarcharum alia in longum tracta tabula, ordinẽ præſcribebat. Nam ille ſpiritu Prophetico illuſtratus, tot cellulas figurandorũ Imperatorum tabulæ inſcripſit, quot à primo Conſtantino magno, Conſtantinopolis cõditore, vſq; ad vltimam captiuitatem futuri erant. Itaq; indies cellulæ illæ repletæ vnam modò & vltimam, in qua hic, ſub quo vrbs perijt, collocãdus erat: ſi coronatus fuiſſet, vacuã prætendunt. Morſenus perinde vir ſanctus, Sagittariam gentem contra Conſtantinopolim futurã, cuius portum inclytũ caperet, exterminandosq; Græcos, ſeculis multis antè prædixit. Erythreæ autem noſtræ de Græcorum iactura vaticinium legentibus patet. Ioachim autem Abbas, meo iudicio, Conſtantinopolis iacturã in Papaliſta denunciat,

cum dicit: Væ tibi Septicollis manibus truncatis, quaſi auxilio deſtitutam. Septicollim autem Græci ἑπτάλοφον vocãt. Vt quid igitur Latinos damnant? Cur inuehunt nobis, cum vera ſcribimus? cõtra quos tot aperta vaticinia proteſtantur. Non ergo vnio facta, ſed vnio ficta, ad fatale vrbem detrahebat excidium, quo diuinam iram maturatam in hoſce dies veniſſe cognouimus. Excitatus itaq; in furorem Deus, miſit Mehemeth regem potentiſſimum Teucrorum, adoleſcentem quidem audacem, ambitioſum, temulentum, Chriſtianorum capitalẽ hoſtem. qui nonis Aprilis ante Conſtantinopolis proſpectum cum tercentis & vltra milibus pugnatorum, in gyro terræ

Mehemeth rex Teucrorũ nonis Aprilis Cõſtantinopolim obſidet.



caſtra papilionésque cõfixit. Milites maiore numero equeſtres, quanquam omnes pedites magis expugnabãt. Inter quos pedites, ad regis cuſtodiam deputati audaces, qui ab elementis Chriſtiani, aut Chriſtianorum filij retrorſum conuerſi, dicti Geniczari, vt apud Macedonem Myrmidones, quaſi quindecim milia. Ad tertium autem diem, captato vrbis ſitu, machinas innumeras, craticulásque ex virgultis viminibúsque contextas, circum muralis vallum, quibus pugnantes tegerentur, foſſatis admouit. Initium confuſionis hoc noſtrum fuit, vt qui telis, machinarúmque lapidibus, iuxta datum ordinem eminus repellendi erãt, neglectis ſingulis, cominus proximare permiſerunt. Tantum eorum ordinem in ſtruendis machinis, tantam promptitudinem, tantam acierum prouidentiam, quidam aut Scipio, aut Hannibal, aut moderni belli duces, admirati fuiſſent.

Sed quis, oro, circumuallauit vrbem? qui, niſi perfidi Chriſtiani inſtruxere Teucros? Teſtis ſum quòd Græci, quòd Latini, quòd Germani, Pannones, Boëtes, ex omnium Chriſtianorum regionibus Teucris commixti,

opera

opera eorũ, fidémque didicerunt: qui immanius fidei Chriſtianæ obliti, vrbem expugnabant. O impij, qui Chriſtum abnegaſtis. O ſatellites Antichriſti, damnati gehennalibus flammis, tempus hoc veſtrum eſt. Satagite augere vobis pœnas, quas luatis æternas.

Horribilem perinde bombardam, quanquam maior alia, quæ cõfracta fuit, quam vix boum quinquaginta centum iuga vehebant, ob partem illam murorum ſimplicem, quæ nec foſſatis, nec antemurali tutabatur, Calegariam dictam figentes, lapide qui palmis vndecim ex meis ambibat in gyro, ex ea murum conterebant. Erat tamen murus perlatus, fortisq́, qui tamen machinæ tam horribili cedebat. Inde, quia maior confracta, Regis animum affligtabat, ne triſtitia in tanto certamine afficeretur, iuſsit mox aliã longè maioris formæ conflari, quam, vt aiunt, induſtria Calilbaſciæ conſularis Baronis amici, artifex nunquam ad perfectum conduxit, alijs mediocribus innumeris collidere vrbẽ machinis vndequaque conabantur. Sclopis, ſpingardis, zarbathanis, fundis, ſagittis, dies noctesq́ muros, hominesq́ noſtros vexabant, mactabantq́. Exiſtimauit enim hoſtis Chriſtianos eſſe paucos, quos aſsidua proſtratos fatigatosq́ pugna, vrbem tueri non poſſe. Ignominiosè igitur factum eſt, vt primo illo congreſſu, Teucri obſtaculum non inuenerint. At indies doctiores noſtri facti, parauere contra hoſtes machinamenta, quæ tamen auarè dabãtur. Puluis erat nitri modica, exigua, tela modica: bombardæ ſi aderant, incommoditate loci, primum hoſtes offendere maceriebus alueisq́ tectos non poterant. Nam ſi quæ magnæ erant, ne murus concuteretur noſter, quieſcebant. Interdum in cuneos hoſtiũ emiſſæ, & homines & tentoria exterminabant. Nec enim inuanùm iaciebantur, quas illiſas hoſtes declinare non poterant. Itaque cadebant Teucri icti torneis telis, lapidibusq́: Vulnerabantur & noſtri: qui quandoq́ vallum egredientes, ad manus decertantes, & occidebant, & occidebantur. Victoria ex hoc æquius tyronibus noſtris, quòd egrediebantur impauidi, quàm Teucris dabatur. Bombarda horribilis.

Verùm quoniam malo fato, Iohannes Longus Ianuenſis, de Iuſtinianorum proſapia, duabus cũ nauibus ſuis magnis, & armatis circiter quadringentis mare decurſitans, fortè veniens ſtipendio aſcriptus Imperatoris, ducatum militiæ obtinuit, ſtrenuè defenſare vrbem viſus, reparationi demolitorum murorum vigilantius agebat. Teucri animum, viresq́ deludere videbatur. Nam quanto hoſtis mole ingentis lapidis muros conterebat, tanto hic animoſius ſarmentis, humo, vaſisq́ vinarijs intercompoſitis, reparabat. Qua de re Teucrus deluſus, cogitauit non ceſſandum ab ictibus machinarum, ſed fortiori cura, ſubterraneis cauis furari vrbem. Minerarũ foſſores, quos ex nouo brolo conduxerat magiſtros, accerſiri iuſsit. Lignis inſtrumentisq́ aduectis, ſolerti cura, vti imperatũ, actum eſt, vt mox per cuniculos tentarent fundamenta ſuffodere, penetrareq́ omnifariũ vrbis murum. At cum à fundamentis (ô rem mirabilem) primum iam vallum, antéque murale, mirãdo cum ſilentio ſubcauaſſent, Iohannis Grande Alemani, ingenioſi militis, rerum bellicarum doctiſsimi, quẽ Iohannes Iuſtinianus militiæ dux centurionem conduxerat, induſtria & ſagacitate opus detectum eſt, Ioannes Longus Ianuenſis. Ioãnes Grande Alemanus.

eſt, exploratorúmque id firmatum relatione, animos omnium commouit. Græci, cum dudum Barſichã, Ammi, Amorathq́; genitorem huius priſtinis bellis fruſtra laboraſſe, in cauãda vrbe cognouiſſent, impoſsibile per hunc fieri poſſe firmabant. Quorum opinio ex facti euidentia confuſa eſt. Itaq; penetralia hæc noſtris reconfoſsionibus detecta, vrbẽ non læſere. Timorem tamen ingentiſsimum, à fundamentis confoſſa turris, ligneis ſtylis bituminatis innixa nobis incuſsit. Sed vt res in lucem venit, repulſis igne & ſulphure hoſtibus, è latebris reconſtructa, mox timorem excuſsit.

Compoſuit perinde ligneas turres iuxta vallum, humo plenas, pellibus boum circumtectas, ex quibus foſſatis clàm terram, quiſquiliasq́;, vt facilis eis fieret ingreſſus, immittebant. Crates deinde innumeras ex virgultis, viminibusq́; contextas, cattos oblongos, ſcaláſque rotatas, currus caſtellatos, taliáque machinamenta, quæ vix Romani aduerſus Pœnos conſtruxiſſent. Bombarda præterea illa ingens, eo quòd Caligaream ſtrenuè reparatam aduerſus non proficeret, alium locum Bactatineæ turris, iuxta Sancti Romani portam inde dimota, lapide in ea æſtimatione mille ducẽtarum librarum interdiu collidit, colliſum concutit, concuſſum exterminat. Ruina turris antemuralis foſſatum replet, æquatq́;: ita vt via hoſtibus, quà decurrere poſſent, ſtrata cerneretur: niſi quia concitè introrſum, vti in Caligareæ demolitione, reparatio facta fuiſſet, haud dubio impetu vrbem intraſſent. Itaq; Teucrus, demolitum quamprimum reſtauratum vt conſpexit murum, Non Græcorum, inquit, ſed Francorũ hoc ingenium eſt, vt tanta reſiſtentia fiat, tanta pugna, quos nec innumeræ ſagittæ, nec machinarũ, ligneorumq́; caſtrorum horror, nec intermiſſa obſeſsio deterret.

Agebant interea Galatæ, ſiue Perenſes, quanquã prudentius, ne in Propontide caſtrum ſtruxiſſet Teucrus, ſollicitam prouidendi curam, nunc armorum, nunc militum, clanculò tamen, ne hoſti, qui pacem cum eis ſimulabat, innotuiſſet, quæ res renuiſſet, ne auxilium poſthac Græcis conferre potuiſſent. Sic ſimulata illa pax vrbi ad tempus profuit. Ego iudicio meo, ni fallor, arbitror apertam guerram Perenſibus à primo ſalubriorem, quàm fictam pacem. Quidam Teucrus neque caſtrum, quod demolitionis eorum cauſa fuit, condidiſſet, neq; guerram poſthac tam terribilẽ intuliſſet. O Genuenſes iam quodãmodo cicurati, ſileo, ne de meis loquar, quos externi cum veritate dijudicant. Vbi ſunt priſci inclyti Genuenſes, qui Galatam, accincti gladio, vti qui reparabant Hieroſolymam, condiderunt? Illi cum effuſo cruore & ære: vos ne æs veſtrum cupidi, & ſanguinem effunderetis, cum vecordia illam mundo decoram Teucro tradidiſtis, ſi tamẽ tradere potuiſtis.

Sed vt hiſtoriam proſequamur, interea fatigati noſtri de præſidio diffidebant. Nam neq; ex Genua, neq; ex Venetijs, quibus (pace eorũ) mitti debuit, auxiliũ mittebatur. Neq; aliunde ſpes erat, niſi ex Deo, cuius qui prudentius tarditatem metiebatur, ex myſterio fieri autumabat, quòd infidelitas, irreligio, magnaq́; crimina Deum potius irritabant. Vide beatiſsime Pater, quàm dignum, quàm rectum iudicium. Celebrarunt vnionẽ Græci voce, ſed opere negabãt. Aiebant quidem Magnates, quorum cruor hoſtili

gladio

gladio iam irrigat terram: Detur ſummo Pontifici commemorationis honos, ſed decretum Florentinæ Synodi non legatur. Cur hoc hypocrita? Vt deleatur, inquit, ex decreto, quòd Spiritus ſanctus nō æquè ex filio, quemadmodum ex patre procedit. Cur item hypocrita? ne errasse videantur Græci, ſi dicant duos ſancti Spiritus productores. Sed cur item oro, hypocrita? Ne detur ei, qui totam ſibi ex officio captare cupit gloriam. Intendebat ex vna parte Scholarius, ex altera Chirluca quandoq; ad præſentiam ſemet Apoſtolicam conferre, vt hi eſſent qui ſoli rem intellexiſſe viderentur, quíque primi laudarentur tantæ vnionis autores. Aduerſus enim Legatum multi inuidia clanculò torquebantur. Ergo dixi: Paterísne, ô Imperator, vt hæc ambitio ſcindat Eccleſiam, vt huius gratia, diuina ira magis magísque meritò accendatur? Cur non è medio pertinaces illi tolluntur? Acquieſcere Imperator viſus, Metropolitas ad concupiſcendum Scholarium, Iſidorum, Neophytum compliceſq; iudices conſtituit verbo quidem, nō facto. Nam ſi puſillanimitatem Imperator excuſsiſſet, hanc fidei illuſionem vindicaſſet. Qui enim hominibus, Deo ſpreto, complacet, vtiq; confundetur. Cohercendi quidem illi erant, qui ſi fuiſſent, morbum peſtiferum nō propagaſſent. Sed ignoro, vtrúmne Imperator, aut iudices damnandi, quibus correctionis virga, quanquam minæ interceſsiſſent, aberat. Scholarius. Chirluca.

Cōtinuata igitur obſidionis tēpeſtate, clauſa vrbe, ducentarū & quinquaginta fuſtarū ex diuerſis Aſiæ, Thraciæ, Pontíque littoribus, cōtra vrbem diſpoſita claſsis venit, inter quas, triremes ſex, & decē biremes, ſeptuaginta reliquæ fuſtæ vnis banchoremis. Cymbæ etiam barculæq; ſagittarijs ad oſtentationē plenæ vehebantur, quæ cinctum cathena portum, & manibus roſtratis bene armatis, Genuenſium ſeptem, Cretenſium tribus colligatum, intrare non valentes, minus ad ſtadia centum Propontidis ripa anchoras figunt. Et cū proximare non auderent, mare à longè ſulcantes, lignamina, lapides, aliáque machinamenta caſtris opportuna deferebāt. At cū Teucrus tribus iā in locis concuſſos lapidibus muros machinis, deſperaret, memoratu cuiuſdam infidi Chriſtiani, ex colle biremes intromittere iurat. Eſt enim portus ille beatiſsime Pater, in longum anguſtúmq; protractus, cuius Orientalem plagam colligatæ naues, & cathena muniebant: inde hoſtibus aditus impoſsibilis erat. Quare, vt coanguſtaret, circumuallaretq; magis vrbem, iuſsit inuia æquare, exq; colle ſuppoſitis lenitis vaſis lacertorum ſex, ad ſtadia ſeptuaginta trahi biremes, quæ aſcenſu grauius ſublatæ, poſthac ex apice in decliuum, ad ripā leniſsimè ſinus introrſum vehebantur. Quam nouitatem puto, Venetorum more, ex Gardaæ lacu, is qui artificium Teucris patefecit, didicerat. Ita nos magis territi, cogitabamus eas aut igne aut lapide exterminare. Sed neq; hoc profuit. naues illæ maioris nocumenti nobis erant, machinis vndequaque tutatæ. Sic iam perdito portu, neceſſe fuit ex poſtis, vt maritimos cuſtodiremus muros, deminuere milites.

Perinde hoc ingenio non contentus Teucrus, aliud quoq;, quo nos terreret, magis conſtruxit, pontem videlicet longitudinis ſtadiorum circiter triginta, ex ripa vrbi oppoſita, maris qui ſinum ſcinderet, vaſis vinarijs Aſtutia Teucri.

K colliga-

colligatis, ſub conſtructis, confixiſq́; lignis, quo exercitus decurreret ad murum prope vrbis iuxta fanum: imitatus Xerxis potentiam, qui ex Aſia, in Thraciam Boſphoro exercitum traduxit. Non reſtabat ergo niſi nauium cathenæq́; diametralis tuitio, quæ tranſitum ingreſſumue claſſi prohibebat.

Tres Genuẽſes naues cõductæ.

Interea ex Chio in noſtrum ſubſidium tres Genuenſes armis, militibus, frumentoq́; conductæ naues, vnam Imperatoris, quæ ex Sicilia frumento onuſta aduenerat, comitem ducebant. Quas vt mox vicinas vrbi, claſſis quæ excubabat, applicare vidiſſet, concitè ſtrepentibus tympanis, tubiſq́; ſonantibus, intuentibus nobis, obuadit, fingens Imperatoris nauem expugnare



velle. Teucrorum Rex ex colle Perenſi, forunæ exſpectans euentum, proconſpicit. Fiunt tunc celſi clamores, triremes maiores nauibus hærent, tentant Imperialem, ſed protectam à noſtris audacius inuadunt, certamen ineunt, focum machinis adhibent, ſagittas iaciunt. ſic atrox pugna committitur. Naues, Mauritio Genuenſe Catano imperãte, ex aduerſo repugnãt. Ibi Dominicus de Nouaria, & Baptiſta de Felliczano Balanery patroni Genuenſes, arduè pugnam proſequuntur. Baliſtarum horribilium miſſilia iaciuntur, exq́; coronis naualibus infra Teucrorum commixtã claſſem infiniti lapides demittuntur. Tuetur ſe egregiè Imperatoris nauis. Succurrit

Flectanella.

Flectanella patronus. bombardæ perſtrepunt. fit vlulatus in cœlum, confrãguntur galearum remi, Teucri ſine remiſſione ſauciantur. Rex, qui ex colle circumſpicit, quòd claſſis perit, blaſphemat, vrget equũ in ſalum, veſtimenta cũ furore conſcindit, ingemiſcũt pagani, & totus exercitus afflictatur. Quid vltrà? Bellũ recenſetur, inualeſcit pugna: & tãtis claſſem telis lapidibuſq́; obruũt, tot Teucros occidũt, vt declinato Marte, ad littus remeare

non

non poſſint. Exploratorum & profugorum relatu didicimus, quòd decem propè milia ceciderunt, alij gladio perempti, & ſagittis, & machinis: alij cōfoſſi vulneribus, flebilem exercitum reddiderunt. Erant quæ inuaſerunt naues, inter triremes & biremes circiter ducentæ. Confuſa tunc Regis ambitio eſt, paruiq́; reputata potentia, quòd tot triremes nauem ſaltem vnam ceperint. Naues ergo (Deo gratias) non læſæ, nec vno ſaltem homine perdito: aliquot tamen vulneratis, noctu ſaluæ cum iucunditate portum intrāt.

Rex contrà claſſis præfectum Balthoglum oppidò indignatus, precibus baronum conceſſa ei vita, ſententiā tulit, quòd officio & bonis omnibus priuaretur. Cogitauit itaq; odio accenſus in naues, ex colle Galatæ Orientali plaga, vel eas lapidibus machinarum obruere, vel à cathena repellere. Diſpoſitis itaq; & ex ripa Occidentali bombardis, ſatagit omni acuitate artificis naues infringere, referens Perenſibus: quoniam, vti dixerant, piratarum erant, quos Imperator condixerat, contra eas agere velle, quæ inimicorum ſuorū eſſent. Itaq; artifex cui prouiſio negata fuit ex noſtris, ad Teucros reductus, quanto ingenio potuit, naues frangere ſtuduit: neſcioq́; quo fato, reſultans bombardæ à colle lapis, centurionis nauem, fortè ob crimen, vno ictu cōfodit: quæ extemplò mercibus onuſta, fundum merſa repetijt, maximum diſcrimen quidem inferens. Quo caſu reliquæ ne confringantur, muro Galatæ protectæ hærent. Mirandum quidem Dei iudicium, vt immiſſis quinquaginta & centum propè lapidibus, quibus perforatæ multæ Galatæ domus, & cùm mulier optimæ famæ intercempta fuit, inter triginta conglobatas, illa ſola perijt. Balthoglus nauis præfectus officio & omnibus bonis priuatur.

Erant perinde in portu triremes mercatoriæ tres Venetæ, duæq; agiles in portum, ad tutelam earundem deſignatæ: quas magno cum hortatu Imperator auri, in menſes propè ſex, pro tuitione vrbis reſtare fecerat: quæ pacem cum Teucro ſimulantes, non niſi clanculum præſtabant Græcis patrocinium. Verùm cum notulæ fugæ aliquandiu earum patuiſſent, tum quòd merces ex fundis ſupellectilémque traducebant, actum eſt, vt nullo pacto, quòd populum titubaſſent, prohibitione Imperatoris, quæ reſtabant traducerentur, quinimò deonuſtæ in terram reportarentur. Res hæc Venetis indignationis fomitem miniſtrauit, vtpote quòd libertate, priuilegijs, pro honore dominij eorum nactis, verecundius priuarentur. Sed ſedatis poſthac animis, ſuo arbitrio relicti, ſpondent Veneti omni fide & ſtudio, finem vſque belli tueri vrbem.

At poſthac inter Venetos & Genuenſes Gatathæ oborta diſſenſio eſt. quòd alter alterum fugæ ſuſpicionem improbraſſent, aſſerentibus Venetis, vt tollatur ſuſpicio, quòd è nauibus ſuis gubernacula, carbaſaq; apud Conſtantinopolim in ſaluo deponant. Indignati Genuenſes: Et ſi pacem, inquiunt, conſulto etiam Imperatoris, pro ſalute Græcorum, quæ communis eſt, qua proba diſſimulatione ſupportamus cum Teucro. Abſit tantum facinus, vt Peram toto orbe pulcherrimam, vxores, liberos, theſauroſq; deſeramus, quam vſque ad ſanguinis effuſionem defenſare diſponimus. Gubernacula, carbaſáque noſtrarum nauium, ne exiguo precio inclytus Ge- Diſſenſio inter Venetos & Genuenſes.

nuæ decor apud vos ſit, non in aliena poteſtate, ſed in noſtra ſeruabimus. Nunquam fugæ licentia nobis datur, ſi res noſtras arbitrio noſtro ſeruamus. Pacata poſthac cuncta ſunt, agentibus Venetis de triremibus ſuis vti voluiſſent.

Creſcente perinde anguſtia, conſultum eſt, ſi quomodo intromiſſas hoſtium fuſtas vrere noſtri poſſent. Clanculóque vna dierum ante lucem, duabus nauibus per Iohannem Iuſtinianum capitaneum diſpoſitis, cum aliquot biremibus ad ripam vehendis, parato foco & machinis. Fit detractis nauibus, dato ordine, vt cymbæ rectæ, quas Barbotas dicimus, biremesq́; ſequerentur: hoc ideo, vt munitæ ſaccis lana plenis naues, prius ex machinis acciperent lapidum ictus. At Iacobus Cocha, vir Venetus, armatam ex nautis triremium Venetarum, imperialem biremem iuxta ordinem datum, gloriæ & honoris auidus, laxatis remis, præuenientem conuertat: moxq́; vt ab hoſtib. cernitur, heu grauem ſortem bombardæ, lapide medio penetratur cũ omnibus armatis, æquore biremis abſorbetur. Heu Pater beatiſſ. graue diſcrimen vt vno ictu Neptuni furor immerſerit. Etenim res hæc detecta relataq́; Teucris, agit, vt dũ noſtri percutere voluere, ipſi prius percuſſi ſint. Sed quid dicam, beatiſſime Pater? accuſaréne quempiam licet? ſilendum mihi eſt. Qui caſus acerbum luctum noſtris dedit, & vnde exierunt naues, cum confuſione retraxit. Ex merſis inde ſupernatantes quidam, ad litus capiuntur ab hoſtibus, quos impius rex ante oculos noſtros craſtino decollari iuſſit. Noſtri exacerbati, quos habebant captiuos carcere Teucros, ad muros in ſuorum proſpectu, immanius trucidant. ſicque impietas crudelitate commixta, bellum atrocius fecit.

Iacobus Cochia Venetus.

Simulauit poſthac Teucrus pacem facere velle, exploratoribus fictè referentibus: pœnituiſſe eum, quòd guerram, quaſi ſtimulatum ab Vngaris, intentaſſet. Statuitq́; caduceatorem. Sed hæc res conficta patuit. Quia nec demoliri oppidum, quod in Propontide ſtruxit, nec reſtaurare quæ vaſtarat, permittebat. Quodq́; magis angebat, infidentia erat Teucri, qui iuſiurandum fœdusq́; nunquam ſeruarat. Cur igitur pacem quærit immanis & inuidus hoſtis? Percunctatus ex more eſſe intellexi, vt antequàm certamen generale cõmittant, hoſtes optione pacis petẽdos, ne ea prætermiſſa, Deum non propiciũ, ſed iratum in tãto Marte ſentirent. Itaq́; deluſionem eius præſcientes, ſalutem noſtrã Deo commiſimus, dies noſtros dinumerantes in amaritudine cordis, & plenitudine, letanijs, ſacrificio, thure, prece placan[illegible] Deum prædicabamus. ieiunia indiximus imperare noſtris, vt ſolus De[illegible] pugnare pro nobis dignaretur. Sed quid proderunt Deo miſſæ preces, ſi [illegible] corde non ſint, ſi pollutæ manus habentur, ſi impia & inconfida corda con[illegible]ſunt? Iniquitates enim diuiſerunt inter nos & Deũ. Sabbata noſtra, Kalendæ incenſum, ſacrificia in abominationem verſa ſunt. Et quem propiciũ ſperabamus habere Deum, habuimus ſcelerum noſtrorum vltorem. Pauci admodum & maiore numero ex Græcis imbelles, ſcuto, lancea, arcu, gladio, natura potius quàm arte militabãt, maiores galea, thorace, lorica, gladio, lãcea: quidã in arcu & baliſta doctiores, ſed propugnaculis impares numero age-

[illegible] pa- [illegible] u-

agebant, quoad ſciuerant & poterãt. Cadebant Teucri, qui audacius adhærebant. Sed quid ſi centum in die cecidiſſent, innumeri illi quanto cadere; tanto reſurgere plures videbantur. Si vnus ex noſtris cecidiſſet, tum præcipuè cordatus vir, centũ perdidiſſe flebamus, Græci ad ſex milia bellatorum non excedebant. Reliqui, ſiue Genuenſes, ſiue Veneti, cum his qui ex Pera clàm ad præſidium acceſſerant, vix ſummam trium milium æquabant. Sed quid agimus in ore leonis, quid friuola in ore vrſi, quid vnus contra mille? Etenim noſtri vix vrbẽ ponto terraq; obſeſſam, circumuallatamq;, quam octo & decem miliaria complectuntur, muniebant. Sed ô Græcorum impietatem, ô patriæ direptores, ô auaros: quos cum ſæpenumero lachrymis perfuſus inops Imperator, rogaſſet vt pro militibus conducendis pecuniam mutuarent, iurabant ſe inopes, exhauſtosq; penuria temporũ, quos poſthac ditiſſimos hoſtis inuenit. A paucis nihilominus quædã vltronea oblatio facta eſt. Cardinalis hercle omne ſtudium habuit, in ferenda ope, in formãdis turribus & muro. Quid autem Imperator perplexus agat, ignorat. Conſulit barones, ſuadent nõ moleſtari ciues anguſtia temporis, ſed recurrendum ad ſacra. Auferri igitur & conflari iuſsit ex ſacris templis ſancta Dei vaſa: ſicuti Romanos, pro neceſsitate temporis, feciſſe legimus, exq; eis pecuniã inſigniri, dariq; militibus foſſoribus, constructoribusq;, qui rem ſuam, non publicam attendentes, niſi ex denario conueniſſent, ad opus ire recuſabant.

Anguſtia igitur afflictus Imperator, diſpoſitis in propugnaculis militibus quoad potuit, antemurale ſolũ vrbis, vallũq; ſat videbatur tutari poſſe. Bellum itaq;, paucitate ſuorum diffidens, tolerat, & ſpem omnem in Ioanne præfecto Iuſtiniano repoſuit. Bene ſiquidem, ſi fata ſecundaſſent. Iuxta ergo ſe eodem capitaneo cum tercentis commilitonibus Genuenſibus poſito, ſplendidis refulgentibus armis, delectis quidem coadiunctis Græcis aliquot ſtrenuis, circa illam partem murorum Sancti Romani reparatorum, vbi magis vrgebat pugna, Imperator ſtetit. Mauritius inde Catanæus, vir nobilis Genuenſis præfectus inter portam Pighi, id eſt fontis, vſque ad Auream, cum ducentis baliſtarijs, commixtis etiam Græcis, cõtra ligneum caſtrum, pellibus boum contectum oppoſitum accuratè decertat. Paulus Troilus, Antonius de Bochiardis, fratres, in loco arduo miliãdri, quo vrbs titubabat, ære proprio & armis, ſumma cum vigilãtia, noctu dieq;, & ſpingardis horrendis, & baliſtis torneis viriliter pugnã ſuſtinent: qui tanta animoſitate, nunc pedes, nunc eques defendũt, vt Horatij Coclitis vires, repulſis hoſtibus, æquare viderentur. Nam nec muri fracti cõcuſsione, nec machinarum turbine territi, æternã ſibi memoriã vendicant. Theodorus Cariſtino ſenex, ſed robuſtus Græcus in arcu doctiſsimus, Theophilusq; Græcus, nobilis Palæologo literis eruditus, & ambo catholici, cum Ioanne Alemano ingenioſo, Caligaream concuſſam reparant, protegũtque. Contarenus inter Venetos clariſsimus, Contareno capitaneus Aureæ portæ & adiacentes turres vſq; oram maris viriliter pondus ſuſtinens, hoſtes impugnat. Græci perinde alij, ſuis diſtributi pugnaculis, aciem, mare, terrámque in vrbis gyrum proſequebãtur. Palatij Imperialis cura Bailo Hieronymo Minotto Horatius Cocles.

Venetorum commiſſa eſt. Cardinalis à cõſilio nunquam abſens, S. Democrij regionem ad mare defenſabat. Cathalanorũ conſul turrim ante Hippodromium tutabatur, verſus Orientalẽ plagam. Chirluca curã portus totiusq́ maritimæ regionis inuigilabat ad deferendum præſidium. Hieronymus Italianus, Leonardus de Langaſco Genuenſis, cũ multis ſocijs, Chſiloportam, & turres, quas Aueniadas vocant, impenſis Cardinalis reparatas, ſpectabant. Flamines monachiq́ ſupra muros vndiquaq; collocati, pro ſalute patriæ excubabãt. Gabriel Triuiſano, ſubtilium galearũ nobilis Venetus, cordatiſſimè à turri Fani, vſq; ad Imperialem portã, ante ſinum cum quadringentis Venetis egregijs, decertabat. Groſſarum verò galearũ præfectus Andreas Dieio cum reliquis, triremes potius pauidus, quàm portam cuſtodiebat. Naues perinde armatæ buccinis iugiter & vlulatibus Martem inuitabant. Demetrius ſocer N. Palæologo, Nicolausq́ Gudelli gener, præſidentes vt decurrant vrbem, cum pleriſque in ſuccurſum armatis, reſeruantur.

Taliter ergo pugnatoribus, ſiue ducibus, ſiue tyronibus ordinatis, expectabatur cõſtituti Martis generalis inſultus, quo ſæpẽumero territi Græci, poſtes, nunc agris, nunc vineis colendis, nunc voluptatibus laxati, ex induſtria declinabant. Fingebant quidem rei familiaris curam, etiã qui graues videbantur. Alij inopiã accuſabant, qua ad opus lucrandi gratia cogebantur. Quos cum abſentes corripuiſſem periculum nõ modò ſuum, ſed omnium Chriſtianorum allegans, reſpondebant: Quid nobis cum caſtro, ſi penuriam ſuſtinet domus mea? ita quòd magna vis erat reducendi ad muri cuſtodiã. Ob hoc, paucitatem hoſtes captantes pugnantium, audaces facti, vncinis vaſa, quæ in propugnaculis poſuerant noſtri, demolito muro detrahebant. Quandoque itidem lapidem ingentem, vallo ex reſaltu collapſum, quẽ magna illa bombarda, muro inieceràt, cum rubore noſtro, cum retiaculis extra ducunt, reproijciuntq́. Sed vbi cuſtodes, vbi milites euagãtes, vbi lapides, vt prohibeant vel repellãt? O quàm malum præſagium. Quid erit, inquio, quando velut torrens Tigris, irruet exercitus?

Ordo perinde ex hoc datus eſt, vt panis per familias æquè diſtribueretur, ne illius curandi gratia, vti ſe excuſabant, à caſtro recederẽt, neque famem potius populus, quàm gladium expaueſceret. Quam quidã humanum ſanguinem ſitientes, vel occultato frumẽto, vel aucto precio prætendebant. Sed hæc iniquitas non fuit cauſa mali, ſed ordinis confuſio. Seueritas à Principe aberat, nec compeſcebantur verbere aut gladio, qui neglexiſſent obedientiam. Idcirco quiſpiam ſuis efferebatur voluptatibus, blandimentisq́ ex natura demulcebant iratum Imperatoris animum. deluſus improbè à ſuis, bonus ille, diſſimulare malebat iniurias.

Ioannes Iuſtinianus.

Interea capitaneus generalis, Ioannes Iuſtinianus, totius fortunæ obſeruator, vt præſenſit proclamatione Teucrum præſtò daturũ certamen, agebat confeſtim murorum, quos machina contriuerat, reparationẽ, petiuitq́ ſibi à Chirluca magno duce conſulari, communes vrbis bombardas, quas contra hoſtes affigeret. Quas cum ſuperbè denegaſſet: Quis me, capitaneus inquit, ô proditor, tenet, vt gladio nõ occumbas meo? Qua ignominia indignatus,

gnatus, tum quòd Latinus exprobraſſet eum, remiſſius poſt rei bellicæ prouidentiam geſſit, Græciq; quàm ſecretius, quòd Latinis ſaluandæ vrbis gloria dedita eſſet, odioſè ferebant. At capitaneus, Ioannes Mauricij Catanei præfecti, Ioannes de Gareto, Pauli Bochiardi, Ioannes de Fornarijs, Thomæ de Saluaticis, Lodixij Gatiluſij, Ioannes Illyrici, aliorumq; Aſitorum Græcorum conſultu, acies, munimentáque refecit. Cuius prouidentiā Teucrus commendans, dixit: Quàm vellem penes me præfectum illum Ioannem honorandum. Magnis herclè donis, auróque multo, corrumpere illum ſtuduit: cuius inflectere animum nunquam potuit.

Operoſa autem protegendi vallum & antemurale noſtris fuit cura: quod contra animum meum ſemper fuit, qui ſuadebā, in refugium muros altos primos non deſerendos. Qui ſi ob imbres negligentiámque vel ſciſſi vel inermes propugnaculis eſſent à primo dum propoſitum guerræ interuenit, reparari potuiſſent, reparandi cuſtodiendiq; erant: qui non deſerti, præſidium vrbi ſalutis contuliſſent. At quid dicā? arguámne Principem, quem ſemper præcipuo honore veneratus ſum, cuius fidem erga Romanam Eccleſiam intellexi, niſi puſillanimitate vinceretur? an potius eos qui ex officio muros reficere debuiſſent? O quorum animæ fortè damnantur, Manuelis Giagari dudum inopis, & Neophyti Hieromonaci Rhodij, ſi audeo dicere, prædonum, non conſeruatorum Reipub. quibus veluti Reip. tutoribus, aut ex auijs inteſtatisq; bona relicta, muris aſcribi debebant, priuatis potius commodis impendebant. Primus viginti propè milium florenorum ſeruus proditionis monachus quos poſthac reconditos vrna, ſeptuaginta milium gazā relinquunt Teucris. Idcirco vrbs prædonum incuria in tanta tempeſtate perijt. At cum omnia Græcorum ineptia opera reprehendantur, nō mirum, ſi hoc illuſtre ſanctis Imperatoribus inſtitutū monimentum egregium, Reiq; publicæ tutamentum, eſca prædonibus fuit. Quam poſtea ſerò ſi reparare voluerunt, duo defuerunt, æs & tempus: quæ poterant, ſi guerram intendebant, opportunius & importunius extorquere: ſed innata non ſinebat procraſtinationis ineptia. Omnem ergo ſpem in foſſatis & antemurale poſuerunt. Quibus tandem perditis, ad altiſſimum deſertum murum coanguſtatis, abitus non fuit. Prudentius Hebræi, qui perdito vno muro, deinde ad ſecundum, deinde ad tertium ſe contulerunt: quibus annis quatuor Veſpaſiani atque Titi obſidionem tulerunt. Vrbs prædonum incuria perit.

Vox inter hæc ex caſtris, exploratorum relatu fit, quòd triremes, nauésque aliquot in ſubſidium ab Italia mitteretur: & Ioannes Pannonum dux exercitus, Blancus vulgo nuncupatus, ad Danubium cōtra Teucrum congreſſurus aduētaſſet. Qua cōcitatus exercitus diſcinditur. Cur, inquiunt, tanta mora periclitatur exercitus fruſtra contra muros pugnaturi? aduerſus regē, Teucri clamant. Etenim quanquā maximus numerus eſſet, quanquam infinitis ſagittis machinaſſent vrbem, vtpote ad muros inuadēdos, timidi, vecordes, victoriā diffidebant. Calilbaſcia enim regis vetuſtior conſularis baro, grauitate, conſilio, rerumq; bellicarum experientia pollens, Chriſtianis fauens, regi ſemper diſſuaſerat, ne vrbem Conſtātinopolis moleſtaret,

leſtaret, eò quòd fortitudine ſitus, rerum fertilitate, prouidentiaq́; nō tam Græcorum quàm Latinorum munita, inexpugnabilis erat, quæ proauorúmque, patrisq́; guerras annis multis tolerauit. Quodq́; peius, quia eius iniuria laceſsiti omnes Chriſtianorum reges principesq́;, ad eandem tuendam facilè prouocarentur. Tu ergo rex, pacem da tuis. Noli Genuenſes Venetosq́; vicinos, qui tuis ſemper proderunt, hoſtes reddere, irámque Chriſtianorum aduerſus gentem tuam prouocare. Maxima eſt potentia tua, quam pace maiorem facis, quàm guerra. Finis enim belli varius eſt, quem aduerſitas ſæpenumero magis quàm proſperitas comitatur. Zaganus iunior, ſecundus conſularis baro, Chriſtianorum hoſtis, tum præcipuè Calilbaſciæ æmulator, maximam eſſe regis ſui potentiam, aduerſum quem nulla gens poſsit, ſuaſit contra Græcos guerram, potentiam exiguam habentes, quorum mœnijs, machinis collidendis exercitus innumeroſitate & diutina fatigatione, qui nec ex Italis expectaſſent præſidium, faciliter expugnandos. Nec voce illa reuocandum eſſe regis animum, quæ conficta fuiſſet. Genuenſes ſciſsi, Veneti oppreſsi ab Duce Mediolani, nullum daturi ſunt præſidium. Thuracau Thracialis militiæ princeps, Calilbaſciæ cōmendare propoſitum non audens, ad guerram regem animauit. Eunuchus tertius conſularis baro, dicta confirmat. Iuniores igitur belli duces: O rex, inquiunt, quis peremptor gentilitatis noſtræ, timiditatem nobis incutit? Decet inuictiſsimum principem noſtrum, res magnas & cogitare, & aggredi, & quemcunque euētum permagnificè ferre. Zaganus perinde vt vidit multitudinem benè diſpoſitam, Da, inquit, bellum rex, quoniam dijs fauentibus, victoriæ gloriam conſequeris. His itaque verbis animoſior factus rex, inquit: Fortunam tentare licebit. An Macedonis potentia, mea maior fuit, cui orbis minore cum exercitu paruit? Quis aut genitor meus, aut auus aut proauus, tanta poteſtate, tantis machinis, vt ego vrbem hanc oppreſsit? Conſtitue Zagane diem belli, cōpone exercitum: Perã, ne ſubſidium hoſtibus conferat, circumualla: & quæ ad militiam ſpectant, omni cum maturitate diſpone.

Itaque vt Calilbaſcia ſenior conſularis, complacuiſſe regi Zagani æmulatoris ſui conſilium intellexit, diffinitumq́; eſſe certamen, clàm internuncijs admodum fidiſsimis, vt amicus Imperatori cuncta denunciat. Hortaturq́; vt non expaueſcat temulentiſsimi adoleſcentis inſaniam: nec terreri minis eorum qui magis timuiſſent: nec indoctiore multitudine commoueri. Cuſtodes ſint vigiles, & pugnam perſeuerantes expectent. Frequentes enim epiſtolæ ad Imperatorem ex Calilbaſcia portabantur.

Quarto kalendis Maij prælium apparatur.

Ergo proclamatum eſt in caſtris edicto, vt quarto kalendis Maij, die videlicet Martis, præuijs diebus tribus, quibus luminaria Deo accendant, Deum inuocent, integra die abſtineant, parati ſint omnes ad prælium, daturi Chriſtianis generale certamē, altiſsimaq́; voce præcones voluntate regis vrbem triduo ad ſaccum eſſe bellatoribus donatam. Iuratq́; rex per immortalem Deum, perq́; quatuor milia Prophetarū, per Machmetum, per animam patris, per liberos, perq́; enſem quo cingitur, omnem depopulationem, omnéque hominum vtriuſque ſexus genus, omnémque pariter vrbis theſau-

theſaurum atq; ſubſtantiam, liberè bellatoribus donatam: nulloq; pacto, quæ iurat, violare. O ſi audiuiſſes voces ad cœlum elatas (Illalla, Illalla, Machomet Ruſſolalla: ſcilicet quod Deus eſt & ſemper erit, & Machmetus eſt ſeruus eius) quidem obſtupuiſſes. Sicq; factu eſt: tridùo luminaria Deo accendunt, ieiunant die, nihil vſq; ad noctem guſtantes: inuicem congauden tes, inuicem conuiuantes, ſe ipſos, quaſi ad inferos die certaminis abituri, oſculis reſalutant.

Nos tantam religionem admirati, Deum propitiatorem profuſis lachrymis precabamur, ſacras imagines proceßionaliter compuncti, per vallum vrbemq; transferentes, nudis pedibus, mulierum virorumq; turbis conſequentibus, deprecabamur cum pœnitudine cordis, ne hereditatem ſuã Dominus demoliri permitteret: & quòd dignaretur fidelibus noſtris in tanto certamine porrigere dextram, qui ſolus Deus, & non alius pro Chriſtianis pugnare potuiſſet. Itaq; noſtrã ſpem totam in Deo ponentes, conſtitutum certaminis diem cõfortati, vigoroſius expectabamus. Propter quod aſcitis Senatu, Baronibus, belli capitaneis & commilitonib. ab Imperatore vniuerſis, ſermo talis habitus eſt.

Oratio ad milites.

Quoniam viri nobiles, militiæ illuſtres duces, voſq; commilitones Chriſtianiſſimi, appropinquantem certaminis horam cõſpicimus, conſtituendos vos hoc in loco propoſui, vt planè ſiquidem intelligatis conſtantiã veſtram magis ac magis firmandã, vt pote qui glorioſè ſemper aduerſus hoſtes Chriſti dimicaſtis: iam patriam vrbemque toto orbe perinclytam, quã inuidus Teucrus duos & quinquaginta dies coanguſtauit, veſtris altis ſpiritib. commiſſam habeatis. Neq; vos muri, mole ingentis lapidis ab hoſte contriti exterreant, quoniam tota vis in Dei præſidio, in lacertisq; veſtris, vibratis excußisq; gladijs in hoſtes exercenda eſt. Scio indoctam illam multitudinem, ex more, magnis congreſſuram vlulatibus, infinitisq; à longè ſagittis, non perſonas noſtras, quas iam ſtrenuè armatas cõſpicio, ſed murum, thoraces, ac ſcuta noſtra impetere. Neq; enim more equorum, quos Pœni, dum Romanos aduerſus decertarent, per elephantorum inuiſam horribilitatem deterrere voluerunt, vlulatibus eorundem, hac in pugna timorandi eſtis, aut fugandi, quin potius animãdi Hercule conſtantius. Beſtiæ enim ſi fugantur à beſtijs, vos qui homines eſtis magnanimes, beſtias illas viriliter ſuſtinentes, in eosq;, veluti agreſtes apros lanceas, mucronesq; veſtros transfigetis, vt intelligant, cum animalium dominis, non cũ animalibus eos bellaturos. Cognoſcitis, quòd impius & infidus hoſtis pacem noſtram iniuſtè perturbauit, iuſiurandum & fœdus inter nos exactum violauit, colonos noſtros meßis tempore interfecit, coloniam depopulauit. Caſtrum, quod quaſi ad vorandum Chriſtianos ſit, in Propontide ædificauit; Galatámque ſimulatione pacis circũdedit. Minatur nunc Conſtantini magni vrbem, patriam veſtram, profugum Chriſtianorum auxiliũ, & omnium Græcorum tutamen tũ capere, & ſacra Dei templa equinis ſtabulis profanare. O Barones mei, ô fratres, ô filij Chriſtianorum, æternum decus defenſare curetis. Voſq; Genuenſes, viri quidẽ magni cordis, & inclyti, qui infinitis victorijs triũphatis,

tis, qui vrbem hanc matrem veſtram, multis aduerſus Teucros certaminibus ſemper protexiſtis, eia agite, robur veſtrum, animoſitatemq́; contra eos viriliter oſtendatis. O Veneti, viri quidem potentiſſimi, quorum gladio ſæpenumero Teucrorum ſanguis effunditur, quiq́; diebus noſtris, per Plordano excellentiſſimum claſſis noſtræ præfectũ, tot galeas, tot infidorum animas ad inferos crebrò deſtinatis, quiq́; vti veſtrã hanc vrbem ingenuis & magnis viris decoraſtis, extollatis nunc celſos animos ad certamen. Vosque commilitones, veſtris præfectis omnem obedientiam exhibentes, intelligite, quod hic dies eſt gloriæ veſtræ, in quo ſi ſanguinis guttam fuderitis, coronam vobis martyrij, & gloriam parabitis immortalem.

Itaq́; finito ſermone, omnis Chriſtianorum cœtus, conſtantem ſe animũ habere ſpopondit. Repetit Imperator: Eſtote igitur omnes in actu virtute parati craſtino: quo Deo fauente, vti ſperamus, victoriam conſequemur. Confortati poſthac Græci, qui primum, quaſi pauidi bellum declinabant, virtuteq́; confirmati, priuatis poſt terga dimiſſis rebus, ad certamen communis ſalutis euentum, conſtanter alacriterq́; conſpirant. Suisq́;, per capitaneos, duces, tribunos, centuriones, decarios, propugnaculis ordinatis, nocte quæ Martem præcedebat, maximis excubijs infra vallum, valuis vrbis, ne quiſquam retrocederet, clauſis, pernoctarunt. Audiunt igitur parari machinas, vehi caſtratas bigas, vallis ſcalas rotatas admoueri. Claſſis interhæc, vt cicundet portum & vrbem, diſponitur. Pons iuxta vrbis ripam applicatur, omniaq́; machinamenta inſtãtius præparãtur: præpoſitisq́; minus robuſtis, minus doctis, vt dum lux venerit, robuſtiores milites ſint recẽtes. Certamen inchoãt, noſtri magna cum animoſitate reſiſtunt, hoſtes machinis & baliſtis repellunt, & ex vtraq́; parte proportionabiliter occidũtur. Tenebroſa nox in lucem trahitur, noſtris vincentibus. Et dum aſtra cedũt, dum Phœbi præcedit lucifer ortum, buccinis ex vtraq́; crepantibus parte, tympanis perſtrepẽtibus altiſſimis clamoribus miſſis, Illalla, Illalla, in Martem conclamans, conglobatus in gyrum conſurgit exercitus. Vna ergo hora omnem terra & mari vrbem inuadunt. Machinas primùm excutiunt, ſagittas cœlum obſcurantes immittunt. Econtrà noſtri miſſilia inuiſa demittunt, Spingardas in globum iaciunt. Scinditur exercitus horribili Chriſtianorum reſiſtentia. Tunc fiunt clamores in cœlum, vexilla alacrius expanduntur. O mirãdas beſtias. Cõſumitur exercitus, & immẽſurata audacia vallũ intrare præſumit. Cadunt lapidibus obruti Teucri, morti multi ſuccumbunt: & ſe inuicem conculcantes, tentant per ruinam muros ſcandere. A noſtris quidem ſtrenuè repelluntur: ſed vulnerati noſtri multi pugnam declinãt. Stat capitaneus Ioannes, ſtant cæteri in ſuis propugnaculis. Duces ſuccurrunt vrbis capitaneo deputati. Imperator, Eia, inquit, viri fortes, iã laxatur exercitus hoſtium, corona victoriæ nobis vtiq́; datur. Deus nobiſcum eſt, agite conſtantem pugnam. Inter hæc malo vrbis fato, heu Iohannes Iuſtinianus ſagitta ſub aſella cõfigitur: qui mox inexpertus iuuenis, ſui sãguinis effuſione pauidus perdendæ vitæ, concutitur. Et ne pugnatores, qui vulneratum ignorabant virtute frangantur, clàm medicũ quæſiturus, ab

acie

acie diſceßit. Qui ſi alium ſuo loco ſurrogaſſet, ſalus patriæ non periſſet. Pugnã inter hæc arduam committunt. Imperator vt vidit deeſſe capitaneum, ingemiſcens quò ſcilicet ierit, pecunctatur. Noſtri vt ſe vident ſine duce, reſilire è locis incipiunt. Teucri conualeſcunt, horror noſtris incutitur. Deſiderio enim cuncti deſiderabant ex periculoſo illo loco ſcire quid contigiſſet. Quod præfectorum, qui ſingula, quæ ſiniſtra vel proſpera eueniſſent, nunciare debebant, negligentia prætermiſſum eſt. Terrebaturq́ acerbum illud bellum magno cum ſilentio, his qui longè ſtetiſſent. Fatigabantur igitur noſtri plurimùm: & quem reparauerunt Bachatureum murum, hoſtium compreßione pauliſper deſerunt. Quo inſpecto, dij iudicant, Teucri, propter repletionem, quam ruina collapſa fecerat, æquo calle poſſe tranſire. Irruendum igitur eſt, inquiunt, & veluti impetuoſus turbo, vno impulſu muros aſcendunt. mox mœnibus vexilla figentes, hilaritate pleni clamant victoriam, gladio pugnant: & quo ad poſſunt: omni cum virtute noſtros vel exterminare, vel ſubijcere moliuntur.

Vrbs oppugnatur.

At Imperator infelix, vt vidit Capitaneum deſperatum: Ha me miſerum, inquit, peritne vrbs? O infortunatã ſortem: Siſte precor Capitanee. nã tua fuga alios incitat ad fugiendum. Non eſt mortale vulnus. patere dolorem, & ſiſte viriliter, vt ſpopõdiſti. At ille ſalutis, gloriæ, ſuiq́ oblitus, vti altã quidem primò magnanimitatem, ita poſthac puſillanimitatem oſtendit. Debuit enim, ſi poterat, vulneris dolorẽ ſufferre, nõ recedere: ſi vir erat à ſeipſo, vel ſaltẽ alium, qui ſtetiſſet, loco ſui ſurrogare. Franguntur ex hoc omnium commilitonum animi, hebetantur vires, & Capitaneum fugientẽ, ne pereant, inſequuntur. Da clientulo, inquit Capitaneus, clauẽ portæ, quã mox reſeratã ſatagunt magna cum compreßione tranſire. Refugit Capitaneus in Param, qui pòſt Chium nauigans, ex vulnere vel triſtitia ingloriũ tranſitum fecit. Imperator inſuper, ne ab hoſtibus capiatur: O quiſpiã, inquit, valens tyro, propter Deum, ne Maieſtas vafris viris ſuccumbat, meo gladio me transfigat. Inter hæc Theophilus Palæologo, vir catholicus, iam perdita vrbe, me, inquit, viuere non licet. Teucrorumq́ pondus aliquãdiu ſuſtinens, & decertans, ſecuri diſcinditur. Ita Iohannes Sclauus Illyricus, veluti Hercules ſe opponens, multos prius mactat: deinde gladio finiuit vitã hoſtili. Se inuicem pòſt noſtri, vt portam ingrediantur, vita oppreßi pereũt. Quibus innixus Imperator cadens atq́ reſurgens, relabitur, & compreßione princeps patriæ è vita demigrat. Perierunt igitur ex noſtris & Latinis & Græcis ſe inuicem conculcantibus in portæ exitu, circiter octingenti.

Capitaneus ſalutis, gloriæ, ſuiq; obliuiſcitur.

Inde Teucri altum murum decurrentes, ex alto quos poſſunt lapidant: Cuneúsque vnis vocibus per antemurale deſcendens, in fugam omnes noſtros compellit. Rumorem iacturámque ex fugientibus audientes Paulus Troilúsque Bochiardi, viri Latini, vrbis ciues cũ aliquot Græcis ſtrenuis Latinísque equis inſedentes, ob inuidos euadunt. Hoſtes fortè maiorem numerum quàm eſſent, autumantes, terga vertunt. Paulus in Teucrũ vrget equum: lãceaq́ vnum transfodiens, cæteros in fugam vertit. Et ne ex alto lapidibus obruãtur, ad Troilũ inquit: Haa peryt ciuitas, nosq́ facilè ab

Conſtantinopolis expugnatur.

L 2 *hoſtium*

hoſtium multitudine circumdati, ſpem vitæ perdemus. Et ſic ictus ſecuri Paulus in vertice, fuſo cruore, cum fratre poſt redemptionem ad Galatam confugit. O rem mirabilem, ô ſtuporem. nec dum Phœbus orbis perluſtrat hemiſphærium; & tota vrbs à paganis in prædam occupatur. Concitè igitur omnes pedes decurrunt, quosq; reſiſtentes gladio feriunt. Imbecilles, decrepitos, leproſos atq; infirmos trucidant. Obſequentibus vitam parcunt. Sanctiſsimæ Sophiæ admirandum templum, quod nec Salomonis æquat, profani atq; infidi ingredientes nullam ſacris aris reuerentiam, neq; ſanctis imaginibus agunt: quin potius exterminant, oculos ſanctorum ſuffodiunt. Sanctorũ quoq; reliquias vel dilacerant, vel diſpergunt. Sacrilegæ manus mox ſancta Dei vaſa vſurpant, argentum, aurum, tam ſanctarum imaginum quàm mulierum, ſacculis infarciunt. Fit clamor & vlulatus, ad cœlũ, & omnis ſexus, omnis homo, omne aurum, omne æs, omnisq; ſupellex, omnisq; vrbis ſubſtantia in prædam vertitur. Securibus ſcrinia ſcindunt, fundos fodiunt pro theſauris, qui tanti reperiuntur, & noui & veteres, vt nulla ſit vrbs ſeculo, quæ tantis affluat, & omnes abſconditi in manus eorum peruenerunt. O Græci iam miſeri, & miſerabiles, qui inopiam fingebatis. Ecce iam in lucem venerunt theſauri, quos pro vrbis ſubſidio denegaſtis.

Triduo igitur in prædã decurſam ciuitatem depopulatamq; regis Teucrorum ditioni dicati admodum relinquunt. Traducitur ad Papiliones omnis ſubſtantia & præda, vinctiq; omnes ad ſexaginta millia funibus Chriſtiani captiuantur. Cruces ex templorum apicibus parietibusq; euulſæ, pedibus conculcantur, violantur mulieres, virgines deflorantur, mares iuuenes in turpitudinem maculantur. Sanctimoniales reliquæ, etiam quæ apparentes fuerunt, luxu fœdantur. O Deus meus, quàm iratus videris, quàm immiſericorditer faciem à fidelibus auertiſti. Quid dicã? ſilebo aut narrabo in Saluatorem & ſanctas imagines illatas contumelias? Parce mihi Domine, ſi tam fœdum ſcelus enarro. O confuſionem Chriſtianorum, ſi Chriſti Dei iniurias vindicare retardent. Sacras Dei ſcilicet ſanctorum effigies humo proſternunt, quibus ſuper non modò crapulam, ſed luxuriam complent. Crucifixũ poſthac per caſtra prauijs tympanis deludendo deportant, ſputis, blaſphemijs, opprobrijs iterum proceſsionaliter crucifigunt, pileum Teucrale, quod Zarchula vocant, capiti ſuperponentes, deridendo: Hic eſt Deus Chriſtianorum. O Dei patientiam; bene videris iratus, bone Ieſu, vt pro peccatis noſtris tantas iniurias iterum toleres indignatus.

Parta autẽ victoria, Teucri Bacchanalia, feſtosq; dies celebrant, quibus rex fortè temulentior factus, ſanguinẽ Baccho miſceri voluit humanum. Vocatis igitur ad ſe Chirluca, cæterisq; Baronibus cõſularibus, reprehẽſis quòd nõ ſuaſiſſent Imperatori, vel pacem petendã, vel dandã ſuæ ditioni vrbem: Chirluca, qui cogitauerat eius gratias captare, aduerſus Perenſes Venetosq;, qui arma, milites, conſiliumq; dediſſent, culpam retorquere curauit, quorum gratia Imperator reſiſtentiam feciſſet. Volensq; ille miſer, qui ſemper gloriã mendacijs & ſchiſmate captare concupiuit, Calilbaſciã vetuſtiorem, loco & prudentia primum Teucri Baronem, amicum admodum

dum Græcis, quòd crebris literis ad Imperatorē miſsis, eius animum detraxit, vtq́; fortis ſtaret, accuſauit, epiſtolasq́; ſeruatas in fide Regi præſentauit. Quibus oppidò commotus, * *nactam terram Peræ, neſcio niſi Deo reuocante, & demoliri & trucidare diſpoſuit. Calilbaſciam ex hoc primùm vinctum mancipari turri, deinde omni auro & ſubſtantia priuari: poſthac in Adrianopolim tranſlatum, vita priuari iuſsit. Cuius mortem lamento flebili ægrè totus exercitus tulit.*

At Chirluca malitiæ pœnam non euaſit, qui protinus perditis primùm in bello duobus liberis maioribus; alio impubere luxui regali reſeruato, coramq́; oculis tertio filio cæſo, cum cæteris Baronibus decollatur.

Bailum itidem Venetorum, reliquosq́; delectos nobiles, & filium gladio extingui iubet. Conſulémque Caraconenſium cum duobus. pariter etiam Catharinum Contareno virum humaniſsimū, cum ſex nobilibus Venetis, iam primùm redemptis, contra omnium fidem, niſi ſeptē milibus aureorum vitam emiſſent, morte vtiq; affeciſſet. Expletis autem Bacchanalibus, conceſſa licentia, traditis in captiuitatem Græcis, fortè patriam non viſuris, in ſuas regiones Teucri reuertuntur.

O miſeros, & miſerabiles Græcos, qui Latinos prohibuere, ne ſacra contrectarent, vel aris libarent ſuis, iam profanis & collimoſis dederint: & qui vnionem fidei contempſerunt, iam quoq; diſperſi, in vnum peccati pœna conuenire non poſſunt.

Hæc præcogita Pater beatiſsime, qui vices Chriſti geris in terris, cuius intereſt tantas Chriſti iniurias & fidelium vlciſci. Igitur moueat te diuina pietas, & miſerere Chriſtianitatis tuæ, qui ſcis & potes, cui ad nutū omnes Chriſtiani principes vindicaturi Chriſtianorum iniurias, facilè obtemperabunt. Aliàs, ſcito in tantam iam ſuperlatum pompam, vt non erubeſcat dicere, Sinum Adriaticum penetrare, Romamq; venturum. Moueat igitur te iterum Pater beatiſsime, fides Petri, moueat Chriſti inconſutilis amictus, ſpongia, & mucro perditi, dilaceratæ Sanctorum reliquiæ, ædes ſacræ euerſæ, & profanata ſterquilinijs Dei templa.

Sed vide connexam pariter iacturæ tempeſtatem, vt Perenſes, dum vrbem captam vident, in fugam quaſi amētes vertantur. Fiunt ex ipſis qui nondum naues aſcenderant Teucrorum ad ripam incurſantibus fuſtis in prædam. Captiuantur matres, liberis relictis, & econtrà. Alij æquore compreſsi merguntur. gemmæ ſparguntur, & inuicem ſeipſos ſine pietate prædantur, vt verum ſit, quòd fugit impius, nemine perſequente.

Quid dicam? ô poteſtas Peræ, ô prauum & inſulſum tuorum conſilium. Oratores terrore cōcuſsi à Perenſibus regi vt claues offerant mittuntur. Ille periucundè intelligens, quòd poteſtatem non habeant, ſuſcipit, in ſeruosq́; fœderatos acceptat. Conſtituit Teucrum rectorem, proſcribit fiſco omnium profugorum ſubſtantiam. Turres, murumq; ciuitatis dirui iubet: obtemperant, & ſe vt ſalui ſint, ei, neglecto Genuæ mandato, mancipant. Turremq;, in cuius acumine Chriſti ſignū crucis, à quo & denominabatur, vſq; ad fundamenta euertit. Sicq; qui liberi erant, pacemq; tenebant, iam ſerui

 ſunt,

ſunt, non ſine pœnitudine: à qua vix vnquam liberari poterunt, niſi ex te, Pontifice ſummo. Quem vt Deus animet ad vindictam, oramus, fidentius ſupplicesq́; precamur. Datum Chij, decima ſexta die Auguſti, Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimotertio.

DE NIGROPONTI CAPTIONE.

FIDELIS *quidem & præpotens vrbs Nigropontenſis, Chriſtiani nominis titulo fideq́; inſignis, ab olim Venetianæ ditioni & potẽtatui ſubiecta. Ciuitas profectò oppidò populoſa, negotioſa, ſed & rerum omnium opulentiſſima, ciuiúmque optimorum refertiſſima. Terra quoq; & mari diligentiſſimè munita, portu præſertim tutiſſimo de mari gaudens: denique muris & mœnibus & turribus firmiſſimis vndique cincta & circumſepta, ita vt prorſus inexpugnabilis omniũ opinione crederetur. Quæ etiam ciuitas Chalcides alio vocabulo cognominata dignoſcitur, in Inſula Eubœa ſita. Inſula, inquam in frumento, vino & oleo, cunctisq́; terræ naſcentibus, maiorem in modum fertilis & fœcunda, potiſſimùm autẽ aptis pro nauium galearumq́; fabrica lignis abundans, hoc modo ſub Turcorum venit poteſtatem & direptionem, capta & expugnata anno Dominicæ incarnationis* M. CCCC. LXXI. *vertente. Clariſſimis quidẽ Venetis ſemper ab olim Turcos oppidò fuiſſe infeſtos, tum ob eorũ in Chriſtum fidem ſinceram, tum etiã maximum eorum cui inuidebant potentiam, nemo qui grauiſſima inter eos hinc inde habita diſſidia, bella vltro citroq́; fortiter geſta, guerrarum ſtrepitus & cruentos ſæpè congreſſus legit vel audit, dubitare poteſt. Hinc itaq; & hoſtili animo in ipſos Venetos Turcus infeſtus, & nobilis atq; prædiuitis Chalcidis Eubœæ ſitus opportunitate, opibus quoque & celebritatis gloria allectus, anno quo ſuprà Omarium Bechum principem Baſſum cognominatum, tyrannus ipſe Mahumet cum exercitu copioſo nauali & terreſtri ad expugnandam ciuitatem ipſam Nigropontenſem deſtinauit. Tandem poſt longam vrbis obſidionem ipſemet cum longè copioſiori exercitu ex Byzantio admouit: ponteq́; facto ex nauibus trans aquam profundam ſatis & latam, quæ vrbem præterfluit, militem in littus traiecit: & ex ea parte qua nõ putabatur, muros aggreditur, machinis quatit, oppugnat, iactuq́; plurimorum lapidum ſphæricorum diruere feſtinat. Nam & traditor quidam omnium nequiſſimus & peſſimus machinarum ſcilicet omnium quæ in ciuitate, in mœnibus, in turribus atque propugnaculis, erat magiſter & præfectus, Thomas ſcilicet Liburni cognominatus, ſignum Turcis dedit, & in loco ſuæ ſtationis muros vbi debiliores erant, bombardarum ictibus verberarent, facilè ruituros. quod factum eſt. Sicq́; proditione res acta eſt, non æquo Marte pugnatum. Interea claſſis Venetiana in ſubſidium & tutelam vrbis & ciuium obſeſſorum miſſa negligentius agens, vagabatur per mare capiendis Ianuenſium & Cataloniorum aliorúmque Chriſtianorum nauibus intenta magis, quibus ad ſuam firmãdam claſſem ratibus adiunctis,*

Mahumet vrbẽ Nigropontenſem obſidione cingit.

ctis, Venetianus capitaneus, cuius rei gratia aduenerat, non ſatis probè eſt proſecutus. Cùm enim præpotentē nimis iam haberet claſſem, quæ rem conficere proſperè Deo propitio potuiſſet, ad Inſulam quidem Eubœæ properauit, ſeq; oſtendens maximam obſeſſis iam vndique ciuibus ex vrbe ſpectantibus, lætitiam ſuo aduentu infudit, ita vt manus vtraſque præ animi & cordis exultatione & iucunditate expanderent in cœlum: ſed fruſtrauit eos iniquus ille capitaneus ſpe ſua, opinione fefellit, turbauit exitu infauſto, triſtitia affecit ingenti, haud dubiè quin longè maiori quàm antè gaudio lætificaret. Nam cùm tanta eſſet fretus claſſe, ipſe formidoloſus inter inimicorum morſus, mortisq; horrendæ cruciatus, ciues fideles dereliquit, & præclaræ vrbis miſerandam direptionem proſpiciens, nihil prorſus effecit, neque propius voluit applicare, cùm tamen omnes pontes quos Turci fecerant, facilè ſua claſſe armatiſſima irrumpere potuiſſet. Cumq; omnes ſingularum patroni nauium per claſſem paſſim contra eum conclamarent, grauiterq; omnino ſuam negligentiam ferrent, crebrò ingeminantes, Cur trepidaret, cur non accederet, cur de induſtria tam inſignem, tam fidelem, tam opulentam ciuitatem, perditum iri permitteret? Ille ſurda hæc aure hauriens, in eodem loco immobilis inutiliſq; permanſit. Itaque dum in mari nil agitur, & claſſis in vanum perſeuerat fixa, atque defenſionis ſignum obſeſſis ciuilibus nullum prorſus datur, quin potius tutationis fiducia ſub oculis eripitur: Turcorum princeps animoſior agens, res bellicas fauentibus fatis proſperè votiuéque proſequitur. ad mœnia properat intrepidus, aſſultum parat, ordinat conflictum: & quod in talibus conducit plurimum, accitis militibus, accurata eos oratione corroborat, præmia etiam magna pollicens his qui primi muros conſcenderent, atque ita vniuerſorum animos adeò reddidit in prælium auidos & accenſos, quòd per duos dies noctesq; continuas cum ingenti fragore, ſummo ſtudio viq; maxima vrbē oppugnabant. Quanquam enim à ciuibus deintus machinis grauiſſimè vulnerarētur, ac inter bombardarum ictus veluti canes interficerentur, repellerenturq; eminus nonnunquam omnium generum miſſilibus: ſuorum tamen inter necem & ſtragem innumerā plurimamq; mortis imaginem tanto cum impetu & conatu Turci irruptos occuparunt muros, imò tātæ alacritate alter alteri ſuccedere cōtendebat, vt eorum nemo pedē referre, ſtare nemo coopertus ſit: cuncti verò animoſiſſimè aſſilire viſi, quanquam frequētiſſimè interirent. Bis eos muris auolaſſe ferunt, bis inde fuiſſe præcipitatos noſtrorum audacia: tandem verò vbi noſtri auxilio claſſis quam ſub oculis cernebant penitus deſtituti, longaq; fatigati oppugnatione, & exhauſti laboribus, rem omnem perditam vident, fracti animis in vrbis forum pariter conueniunt: & confortati diui ſacramenti Euchariſtiæ vel conſpectione vel ſumptione, irrumpentibus iam Turcis, manus enixiſſimè cum eis conſerunt, trucidant quotquot poſſunt, neciq; dant innumeros, & orcis infernalibus immittunt, donec tandem & ipſi pro Chriſti fide conſtātiſſimè agoniſantes, mortem ſubeunt haud dubiè beatam. Et quod fœmineo ſexui magnopere glorioſum extitit, hanc inter cædem miſerabilem, plurimas egregia forma fideq; fœminas,

Capitaneus occaſionem rei benè gerendæ negligit.

Turci vrbem oppugnant.

Vrbs expugnatur.

nas,

nas, tum nuptas, tũ virgines, armis indutas ferunt more Amazonum, pugnauiſſe: ſicq; inter reliqua mortuorum cadauera fuiſſe repertas quaſi non antea voluiſſent occumbere quàm perfidiſsimorum Turcorum ſuis tenellis animis effudiſſent cruorem: quo vel ſic inimicum nobis ſanguinẽ libaſſent, & præſtitiſſent obſequium Deo in ipſo ſuæ articulo mortis. Verùm viri illi ciuésque clariſsimi proditorem illum nefarium Luburni ſuperius memoratum ſuperſtitem habere nolẽtes, dignis prius ſupplicijs pro reatu de eo ſumptis, crudeliter interemerunt. Hæc inter agendum vrbis duntaxat prætor Paulus Erico appellatus, in arcem confugit, adhærentibus ſibi paucis quibuſdam primoribus ciuitatis, paucis aliunde euadentibus. Capta itaque

Paulus Erico prætor arcẽ occupat.

Turcus vrbe, victoriáque adepta, omnes Italici generis puberes palis acutiſsimis fecit affigi, alios ſaxis eliſit, alios ſectos per medium diuiſit, alios varijs pœnis atque horrendis affectos cruciatibus, ad ſupera (haud dubium) transmiſit: Græcanã tamen gẽtem ſub haſta vendi præcepit. Vnde factum eſt, vt omnes Chalcidis plateæ & viæ cruore occiſorum replerentur. Interea prætoris vrbis filia vnica, virgo caſtiſsima, puella decora facie & venuſto aſpectu, Turco ob ſuam pulchritudinem ingentem adducta, cum turpitudini & fœdæ commixtioni conſentire prorſus renueret, protinus iugulata, proq; fide caſtitatis martyrio proculdubio coronata: ſponſo virginum Chriſto ſponſa ipſa in æuum eſt in cœlis coniuncta. Porrò qui in arce erant, data ſibi à Turco fide de vita ſeruãda, pactóque firmato, quòd ſalui euaderent, ſi arcem liberè in deditionem traderent: exinde confidenter exierunt. Sed mox egreſſos ipſe fœdifragus tyrannus arce potitus, omnes ad vnum iuſsit extemplo trucidari. Hunc in modum (profectò miſerandum) ciuitate perdita, occiſis incolis, cæde expleta, Venetorum capitaneus claſſe ſoluta, qua omnium arbitratu ſola omnipotentis voluntate excepta, facilè tantam defenſaſſet vrbem, ſi vir fidus & fortis fuiſſet: cum paruo honore, fructu nullo, opprobrio ſempiterno rebus infectis, imò turpiſsimè neglectis, Venetias remeauit: moxq; apud Senatum accuſatus, defenſionis quidẽ locum accepit. Sed poſt multas in vanũ adductas falſas rationes & excuſationes in peccatis, tandem non ſatis dignam pro meritis accepit vltionem. Exilio relegatus, atque perpetuò profligatus cum omnibus ſuis à ciuitate Venetiarum in oppidum, cui eſt vocabulum Vtinum. Ita res hæc finem accepit triſtem prorſus, & infelicem.

Turcus fœdus violat.

M. ANTONII COCCII SABEL-LICI DE PVGNA INTER VENETOS ET TVRCAS AD SONTIVM AMNEM COMMISSA LIBER, QVI aliàs de Vetuſtate Aquileiæ, ſextus eſt, & Bellum Turcicum inſcribitur.

PRAEFATIO.

ACCIDIT *mihi quod & illi, qui poſtquam ex alto portum conſpicere cœpit, remis cum omni nautico inſtrumento caſu aliquo amiſsis, etſi rem in diſcrimen adductam videt, ſalutem tamen non deſperat, quippe qui propinquum portum vel naufragum ſe tenere poſſe non diffidit: ego quoq; quum à principio operis ad hunc locum certo auctore non omnino caruerim, factum eſt, vt vbi finem ſpectare cœpi, neminem mihi ſupereſſe videam, quem ſecutus, vltimam huic noſtræ lucubrationi manum poſsim imponere. Puto ego, nec fallor, fuiſſe aliquos, qui hæc quoq;, de quibus vltimo hoc libro dicturi ſumus, memoriæ tradiderint. Sed quia illi ipſi adhuc in obſcuro ſunt, reſtat vt quicquid laboris in eo eſt, id totum noſtra induſtria & diligentia ſuſtineamus, quibus paulum annixi, ſpero ſuperis bene iuuantibus futurum, vt cætera ad votum conſecuti, extremam, vt dixi, manum feliciter huic operi imponamus.*

AVDITA *patriæ defectione Ludouicus, haud in re tanta cunctandum ratus, quum aliquot barbarorum milibus per Auſtriam ducens in Patrianos fines tumultuosè erupit. Primo impetu Cluſinã arcem munitiſsimam in anguſtijs alpium occupat. Nec procul inde Abbatiam, quam primo libro Motij appellatam diximus. Apparebat in tanta rerum conſternatione hoſtes non mediocrem cladem reliquæ patriæ allaturos, niſi Venetæ copiæ ad hoc ipſum miſſæ, illorum conatus cum adhuc in anguſtijs alpium ſtatiua haberent, opportuno aduentu oppreſsiſſent. Barbari non tantùm pugnam detrectauere, ſed ne venientem quidem hoſtem expectare ſunt auſi, quippe qui incurſandi poſtulandiq́; patriam potius quã pugnandi conſilio venerant, atq; ita paucis poſt diebus quã tumultuari cœptũ erat, patria omnis pacata eſt. Receptis paruo negocio locis quæ in hoſtiũ poteſtatẽ conceſſerãt, nec multo interiecto tẽpore, cũ aliquãto maiore hoſtium manu Ludouicus in patriã reuerſus eſt, atq; ſub primũ impetũ Manſanũ per proditionẽ, nec non Roſoaciũ recepit. ſed hæc quoq; expeditio haud priore illa, de qua proximè diximus, felicior fuit. Audito Veneti exercitus aduentu, continuò barbari patria exceſſere, quos abeuntes ipſe belli auctor ſecutus eſt. ſed quũ adhuc quoq; res nouas moliretur, Baſilieſi conuẽtu defunctus eſt. Hæc tumultuoſa tempora pacatior rerũ ſtatus excepit, ſiquidem per aliquot annos pax ſubſequuta eſt: apparebatq́; cum hac patria præclarè actũ, cui poſt tot & tãtos motus contigiſſet in Venetorũ præſidio cõquieſcere, niſi tacita quadã, quæ cuiuſmodi ſit neſcio, inuidia, quæ humana*

Ludouicus per Auſtriam in Patrianos fines erupit.

Ludouicus in patriam reuertitur.

felicitatem diuturnam eſſe non patitur, factum eſſet, vt ab extremo Septentrione comparatus hoſtis in Italiam quandoq; irrupiſſet, qui patriæ huius ocia non ſolùm verteret, ſed ferro & flamma terrã ipſam, penè ad interitum affligeret. Turcos eã gentem vulgo appellant. alij Turcas dicendũ affirmant. ij Melã auctorem habent, qui Turcas & Thiſſagetas nõ longè à Ripheis montibus conſtituit, quos vaſtas ait incolere ſiluas, ac ferinis carnibus victitare. Cæterùm ratione quoq; nituntur, vt queadmodũ Getæ dicuntur Sarmatæ, Scythæ & Thiſſagetæ, ita Turcæ non Turci dicendi ſint. ſed conſuetudo tenuit, vt Turci potius dicantur. Sunt itaq; Turcæ ipſi origine Scythæ: & ex his, vt Hieronymus, Pio Pontifice auctore, tradidit, quos inter Hyperboreos montes Alexander Macedo ferreis repagulis clauſit. Hi Pipini Gallorum regis temporibus Aſiam inuaſerunt, Halanos primùm, inde Colchos & Armenios, nouiſſimè minoris Aſiæ populos. multi varijq; fuere eorum conatus. ſed cum circa Helleſpontum angulum quendam occupaſſent, non deſtitere fraude potius quàm armis ſuos fines propagare, donec nobiliſſimam vrbem Conſtantinopolim oppreſſere. quo ſucceſſu elati, Thraces, Triballos, Macedones, Aetolos, Dardanos, & Acarnanes breui tempore ſubegere. Myſiæ quoq; regem inde victum trucidarunt Peloponenſum, quanquam horum quidam ante Byzantium captum Turcorum armis ceſſerant, vt dolo potius quàm virtute adepti ſint, quam in ſuam poteſtatem redactam miſerabili clade affecerunt. Trapezuntinum quoque Imperatorem cum ipſo imperio ſuſtulerunt: & breui quum duo iam imperia euertiſſent, quatuor regna, viginti prouincias, ducentas fermè vrbes, & Bernardus Iuſtinianus orator clariſſimus deplorat in ea oratione, quam ad Sixtum Pontificem habuit, Chriſtiano nomini eripuiſſet, & quod omnium calamitoſiſſimum fuit, quum Euboici freti anguſtias Chalcide expugnata recluſiſſent, latè longéque eorum arma euagata Italiæ fines, quod nemo futurum credidit, infeſtare cœperunt. Nec contenti adhuc limites ipſius terræ attigiſſe, ferociſſimo conatu diffractis Italiæ clauſtris in ipſa penè viſcera vulnus adegerunt. Quorum calamitoſas irruptiones ex ordine referam, ſi pauca prius de his quæ interim in ipſa patria euenerunt, breuiter retulero. Dum adhuc procul Italia Turcorum opes (ita vt dixi) inualeſcerent, patriæ ſtatus quum ab externis motibus ſatis pacatus eſſet, domeſticis diſcordijs non omnino caruit. quãquam ne illæ quidem ad eos qui in Venetorum fidem venerant, magnopere attinere viſæ ſunt. Per id enim tempus Portunaonia ciuitas graui ſeditione iactata eſt. Quum enim alij antiqua ciuitatis iura tuerentur, vellentq; ſuo loco eſſe, alij ad præfectũ arcis ſummã rerum omniũ traherent. erat autẽ præfectus tunc Federicus quidem Barchius, homo natione Italus, ſed barbari faſtus & ſuperbiæ plenus. Hic indignè ferẽs publicã adminiſtrationẽ quorundã in potentia ſibi denegatũ iri ad illorũ conatus opprimendos, nouũ in exteriore parte arcis poſticum deſignauit: id quo minus fieret, aliquãdiu viri illi populares obſtitere: quorũ Mãtuani & opibus & auctoritate principes habebãtur. Apparebat publicã fortunam in eius manu fore qui arci præſideret. ſed audaci incepto

Turci origine Scythæ.

Portunaonia graui ſeditione laborat.

ob pu-

ob publicum & priuatum periculum abſtitêre, pro tempore ſcilicet quietu-ri, quando ſe nihil obuiam eundo proficere cernerent. Verùm illud in primis eorum conatus auertit, quòd ipſius viri auctoritatē non mediocrem apud Federicum Imperatorem eſſe conſtabat. Sed ne ſic quidem ferociſſimi hominis animus præſenti contumelia exaſperatus placari potuit. Quippe qui in vltionem erectus, non multo pòſt per internuncios magna ſpe prædæ quosdam facinoroſos homines quàm potuit occultiſſimè ſubornauit, vt quantas poſſent copias contraherent, atque ad conſtitutam diem ſibi adeſſent. quod quum illi impigrè feciſſent, momento temporis ciuitas nil tale ſuſpicans oppreſſa eſt, atq; miſerabili modo direpta ingens fuga ab optimo quoque facta, & inprimis ab his qui ob priſtinas ſimultates ſciebant ſe præfecto inuiſos. Multa & magna flagitia in miſeros ciues edita: qui haud tam citò præſenti calamitate defuncti eſſent, niſi publico Venetorum edicto infeſtiſſimum præſidium iuſſum fuiſſet abire. quod ipſum vt aliquanto maturius fieret, Nico. Sauorgnanus, homo ſpectatæ inter Patrianos auctoritatis Portunaonem miſſus eſt. Per hos fermè annos Turci primùm Italiam erupere. Iſtria fœdè populata, vsque ad Sontium amnem tumultuosè deuenere: atque villis aliquot circa flumen incenſis, multisq; mortalibus captis, retrò abiere. Et illo tempore publico nomine ad præſentiendos futuros hoſtium motus exploratores quàm longiſſimè miſſi ſunt. ſpeculæ & quàm plurimæ tum in ipſa patria, tum extra conſtitutæ: magnus præterea equitatus ad præſidium patriæ miſſus, qui per villas amni proximas diuiſus eſt. Sed hæc omnia partim fefellit, partem ſubito aduentu turbauit hoſtis: qui non longo interiecto tempore penè antè affuit, quàm domo profectus diceretur. Ingentem trepidationem attulit improuiſa eorum eruptio. Nam vbi in vlteriore fluminis ripa conſpecti ſunt, cœptum eſt ab his trepidari, qui citeriorem ripam præſidio tenebant. Sed ne apertè fugam meditari viderentur, facto impetu in quàm pauciſſimos barbarorum, qui ſub primum aduentum tumultuosè amnem traiecerant, ſecunda vigilia noctis in Seruiani inſulam conceſſere. Hoſtis autem quum ſub primam lucem nudatam præſidio ripam vidiſſet, præmiſſis qui loca proxima vltra amnem diligenter explorarent, ne in aliquas præcipitaretur inſidias, cognita præſidij fuga, fluuium ſuperat, atq; paſſim in prædam & populationem effunditur. Incenſisq; villis aliquot, in Vtinenſem agrum irrupere. tria milia paſſuum ab Hunnio hoſtes conſpecti ſunt: atque ob ipſum creditum eſt, eos ad oppugnandum oppidum venire. Continuò ad arma conclamatum eſt. Terror ingens vniuerſam ciuitatem inuaſit. Clamor ploratibus fœminarum mixtus, ſtrepitusq; temerè diſcurrentium terrorem augebant. vidi ego nobiliſſimas matronas cum cœtu puellarum in ſacris ædibus inter altaria & ſanctorum imagines proſtratas, ſupinis manibus diuinam opem implorare. vbique clamores & querelæ exaudiebantur. vix alia eſſe potuiſſet captæ vrbis ſpecies. Creditum à multis eſt, in tanta conſternatione nobiliſſimum totius patriæ oppidum facilè eo die capi potuiſſe, ſi ad portas vsque hoſtes obequitaſſent. Sed illi quia ignari erant, quo ſe Venetæ copiæ recepiſſent,

Vrbs oppreſſa & direpta.

Iſtria depopulatur.

quas pridie in ripa fluminis conſpexerant, nec quo conſilio deceſſiſſent, præſidio ab effuſiore curſu abſtinentes, continuò ſe ad ſigna receperunt. Nec multo pòſt magna mortalium multitudine in prædam acta, patriæ finibus abſceſſerunt. Et quia ob rem feliciter geſtam apparebat hoſtem non quieturum, ſed maiore tumultu, maioribusq; conatibus Italiam repetiturum, placuit Venetis firma munitione obſtrui, quicquid vadi eſſet inter Goricianum pontem & Aquileiæ paludes, miſſi ſunt qui locum conſiderarent: & breui conſtitit inter omnes munitionem ipſam commodius poſitum iri ſuper antiquam fluminis ripam, qui aliquantiſper à recenti alueo diſtat. Accita ad id opus ſunt publico decreto multa hominum milia. Quibus Citadinus Fratrinas iureconſultus homo ſingularis induſtriæ præfectus eſt: munitio autem haud vniformis fuit. Sed iuxta paludes vbi denſiſſima nemora fuerunt ex craſſis proceriſq; arboribus ſucciſis, atq; inter ſe quadam inexplicabili ratione contextis, conſtitit. Apertis verò locis glebæ cum gramine in ſpeciem quadratorum lapidum reciſæ in latitudinem ſeptenûm pedum locabantur: ſuper illas ſaligini ſtolones & virgulta quædam apta ad radicandum ſternebantur. mox & alia glebarum manus imponebatur. Ex huiuſmodi materia per aperta (vt diximus) loca eductum eſt opus: quod quidem pinnarum ſerie interiectiſq; turribus vrbici muri ſpeciem procul ſpectantib. exhibebat. Cæterùm in locis quibus flumen vada habuit, tranſitu faciliora, bina caſtra vallo & foſſa communita ſunt: eorum hæc Gradiſcana dicta: illa verò Folianica, à nominibus villarum quæ in ipſis locis fuerant. Folianica illa poſt cladem ad ripam fluminis acceptam, de qua paulò pòſt dicam, deſerta ſunt. Altera verò præſidio ad hunc diem retenta, atque magna ex parte Franciſci Throni cura & diligentia ad hoc ipſum publico decreto in patriam miſſi muro circundata. De eo loco primo libro diximus. Opus autē à Mundina amne ad Goricianū pontem traductū, centū & amplius continet ſtadia: nunc pleriſq; locis ſolo penè æquatum eſt, vel ea parte, qua glareoſa cōſtitit materia, quā imbrium copia facilè reſoluit. Cæterùm è regione pontis, de quo proximè diximus, ex eadem materia conſtructus eſt agger in parui caſtelli ſpeciem: ad quem tuendum miſſi ſunt pedites aliquot. inde bina caſtra mille circiter paſſus inter ſe diſtantia maiore præſidio firmata ad tria milia equitum fuere. pedites quoq; his adiecti: ſed pro numero equitum non multi. Apparebat itaq; ex eo quòd vada quæ hoſti paruiſſent inſuperabili obſtruſa eſſent munitione, & quòd eadem illa haud infirmo tenerentur præſidio, fore vt hoſtis Italia abſtineret. Iccircò tota patria velut nullum ab hoſte tunc periculū impendiſſet, pacatè agebatur: ſed quāto ſecurior fuit illius tēpeſtatis ſtatus, tāto maiore clade terra ipſa oppreſſa eſt. nihil eſt ꝙ in bello æquè ac ipſa ſecuritas obeſſe ſoleat. Ita ſanè accidit, vt quū minimè affuturus hoſtis putaretur, infeſto agmine in vlteriore Sontij ripa conſederit. De numero hoſtiū inter eos qui in caſtris fuere, minimè conſtat. octo barbarorū milia fuiſſe quidā credidere. Alij numerū in maius extollunt. Ingens tumultus ſub primū eorū aduentū in vtriſq; caſtris exortus eſt. Conclamatūq; repetè ad arma: fuiſſetq; cōtinuò in alterutra ripa con-

Citadinus Fratrinas Iureconſultus.

Gradiſcana.

Folianica.

concurſum, niſi militem ad id vtrinq; ſe expedientem nox ipſa oppreßiſſet. Venetæ vtrorumq; caſtrorum copiæ inter ſe iunctæ in ſomnem noctem egere. iußi equites inſtratis equis armati corpora curare. Imperium copiarũ omnium penes Hieronymum Veronẽſem fuit, hominem à primis annis militiæ aſſuetum, qui clara magnaq; fecerat ſtipendia. erant & alij complures illuſtres viri: Ioannes Antonius Caldorus cũ filio, Anaſtaſius Flãminius, Hercules Maluetius, Ioannes Iacobus Iacobi Picinini Ducis olim clariſsimi filius, Iacobus Badoarius, Philippus Nebulonius, Georgius Galeſius, ac plerique alij, qui honeſtiſsimè ordines ducebant. Inter hos ea nocte cõſultatum eſt, eſſétne aperto campo cum hoſte confligendum, an caſtra potius tuenda. Quibus defenſis, apparebat hoſtem haud multò longius progreſſurum, vt tanto poſt ſe præſidio relicto, non eſſet ſibi integrum retrò cùm vellet redire. Sed fato (vt ita dicam) eos rapiente cunctis ſpecioſius viſum eſt hoſti quacunque erumpere conaretur occurrere. Vniuerſum itaq; equitatum in tres **Aciem inſtruunt.** *grandiores turmas diuiſere, vt quadrato agmine non temerè cum hoſte confligeretur. ductores ipſi inter ſe turmas ſortiti ſunt. Sed dum hæc in Venetis caſtris geruntur, barbarus interim nõ magis aperta vi quàm inſidijs agendum ratus, continuò circumacta ſuorum ala, ſub occaſum ſolis caſtellum, quod ponti imminebat, oppreſſo quo tenebatur præſidio, occupat. quàm pauciſsimi in proximum pontem confugerant, atq; ſe pilis quibus impoſitus eſt, ſoluta vtrinque pontis materia, tueri parant. Sed illicò telorum multitudine penè obruti, in ſubiectum flumen præcipitati ſunt. Aberat locus à caſtris ipſis ad quatuor milia paſſuum: quo accidit, vt nec oppugnatio ipſa aggeris cognita ſit, nec cùm nocte illa tumultuoſè nunciatum eſſet, caſtellum cum præſidio oppreſſum crederetur. Aſabecchus autẽ (hoc enim illius expe-* **Aſabecchus dux.** *ditionis duci nomen fuiſſe accepimus: alij verò non Aſabecchum, ſed Marbecchum appellatum fuiſſe aiunt) vbi pontem in ſua eſſe poteſtate vidit, locum ad inſidias aptum circumſpicere cœpit. Quo reperto, intempeſta nocte ad mille lectos equites tacito agmine fluuium tranſnare iubet. Sunt qui credant, eos ponte traductos. hisq; imperat in inſidijs eſſe: atq; intentos ſignum ad erumpendum expectare: quo accepto, ex improuiſò hoſtem inuaderent. Vbi verò illuxit, barbarus expeditiſsimã equitum alam, ſuperato amne ad hoſtium caſtra, ſi nemo interim occurrat, ire iubet: atq; portis obequitando, hoſtem ad pugnã elicere: iniectoq; certamine, cedendo ſenſim ad inſidiarum locum pertrahere. His autem aliquantiſper à vado progreßis, Hieronymus Veronenſis cum ſpeculatoria ſuorum manu fit obuius. reliquus equitatus in tres diuiſus turmas, vti iuſſus erat non longè ſubſidio ſequebatur. Cõtinuò vtrinq; ferociter eſt cõcurſum. ſed barbari momento temporis quaſi victi, de induſtria ceſſere. cedentes victor vrget, atq; aperto campo palatos hoſtes inſequitur. Sed nemo omniũ infeſtius barbarum premere q̃ Hieronymi* **Barbaros fugat Hieronymus Veronenſis.** *filius iuuenis impiger atq; gloriæ cupidus. hunc ferociſsimè pugnantem audax iuuenũ manus præſenti ſucceſſu elata ſponte ſequebatur. Id ægrè ferre callidus ſenex, atque identidem clamitare, non eſſe temerè inſtandum barbaro: ſcire ſe eam gentem non niſi de induſtria tam leuiter meditari fugam.*

Et quia in anguſtias locorum iam propè ventum erat, omniáque circumiecta loca ſuſpicionis plena apparebant, iubet dato ſigno ſuos ab effuſo curſu reuocari. tum barbarus verſus in pugnam, prælium ferociter inſtaurat. Hieronymus primam turmam præſtò ſibi ſubſidio adeſſe mandat: nam ex altera parte fluminis Marbechus, vt ſuis auxilio eſſet, tumultuosè mouerat: & iam vis ingens hoſtium in citeriorem ripã amnis tranſnauerat. Rex integrata pugna hoſtis ad Grammã vſq;, qui torrens per Pogoretanas valles præcipitatur, reiectus eſt, hîc dum totis viribus Veneti hoſtẽ vrgerent, atque conatus eorum, qui ſuperato fluuio ſuis opem ferre ſtudebant, vt pote ex ſuperiore loco facilè ſuſtinerent: & breui quum in præſentem pugnam intenti eſſent, alacriq; animo pugnarent, dato repentè ſigno ex Liciniſij vertice, qui capitibus pugnantium ad læuam imminebat, barbarorum manus ex inſidijs coorta cum horrifico clamore & ſtrepitu in ſubiectam turmam effunditur. Tantus pauor ſub primũ clamorẽ Venetis iniectus eſt. Apparebat enim ſe vndiq; circũuentos, vt momento temporis diceres nõ eos eſſe, qui modò tam ſtrenuè pugnabãt. Sed vbi vnicam ſpem ſalutis in armis eſſe cernerẽt, paululum cedere conati ſunt, vt apertiore loco res gereretur. Sed tam violenta impreſſio ex ſuperiore loco ab hoſte in eos cedentes facta eſt, vt in arctiſſimum locum compulſi, ſe pugnæ expedire nequirent. Inter inferos barbarus & à fronte & à dextra eos in vrbem coëuntes, fœdiſſima ſtrage proſternit. Sic momento temporis prima turma hoſtium multitudine obruta eſt, & ad vnum fermè omnes cæſi, præterquam pauciſſimi viri illuſtres, qui ſe hoſti dediderunt. Ductores autẽ proximæ turmæ vbi primam aciem circumuentam viderent, atque vndique hoſtes ferociter & cum horrifico clamore, vt mos eſt gentis, inſtare, cedere cœperunt, vt in apertã planiciem euaderent. verùm id tanta trepidatione factum eſt, vt illico fugiẽtium ſpecies potius quàm reſiſtentiũ his qui in extrema acie cõſtituti erant, præbuerint, continuò omnes quaſi victi circumſpectare fugã cœpere. Adeſt interim victor hoſtis, turbatosq; ſua ſponte ordines cum ſtridore inuadit: quibus minimo negocio ſolutis, aperta fit fuga. Pro ſe quiſque ſine imperio indeuia & proximos ſaltus euadere conatur: hos barbarus paſſim inſecutus ſternit, atque fœdiſſimè trucidat ad Moſſam vſq;, et vlterius cædes diſtracta eſt. pauci relictis equis, & armis abiectis, in propinquos ſaltus abiere. Ceciderũt in ea pugna Hieronymus, penes quem totius equitatus imperium fuiſſe diximus, cum filio. Iacobus Badouarius, Anaſtaſius Flamminius, & pleriq; alij viri illuſtres. Reliqui fermè omnes capti. Nec victoria hoſti incruenta fuit, ipſo Marbecho duce grauiter vulnerato, multisq; ignobilibus cæſis. Sed quicunque in ea pugna ceciderãt, in vnum coaceruati, Marbechi iuſſu cõbuſti ſunt. Idq; ex eo ſuſpicari libet (nam nihil certi alioqui de hoc compertum habeo) quoniam in tanta noſtrorum cæde nullus barbarus repertus eſt. Idq; ad terrorem inijciendum factũ credibile eſt, quaſi ita acciderit, vt tot hoſtibus cæſis incolumis acies barbaro cõſtiterit. In hunc maximè modũ ad Sontium pugnatum eſt. Cuius cladis fama tãtum terroris vniuerſæ patriæ attulit, vt qui in oppidis erãt, vix ſe tutos futuros putarent. Frequens fuga nocte

Hieronymus cum filio interficitur.

illa

illa quæ diem pugnæ ſecuta eſt, ex villis & agris facta dicitur. Poſtridie autem cum iam multum diei proceſsiſſet, repentè circa Hunnium compluribus locis fumei globi attolli cœperunt, quibus cognitum eſt hoſtem adeſſe, atque momento temporis, quaſi inter barbaros ita conueniſſet, quicquid villarũ inter Sontium & Tiliauentum fuit, hoſtili manu deflagrauit. Eram ego per id tempus Tarcenti: quò ob peſtilentem annum ex Hunnio conceſſeram: auditaq́ clade ad Sontium accepta, in arcem, quæ vico imminet, cum multis mortalibus me receperam. ex eo loco proſpectus in vniuerſam patriam latè patet. inde atrociſsimum patriæ incendium nõ ſine lachrymis ſpectaui: fœdum ſiquidem fuit interdiu videre tantum culti & amœni ſoli fumo & caligine opertũ: ſed longè fœdius atrociusq́, ſub primas tenebras: ac per reliquum noctis cernere aciem vnam flammarũ à Sontio amne ad Tiliauentum extenſam, vt nihil medium eſſe videretur, quod non ignis occupaſſet. Quam ſpeciem ardentium villarũ denſitas, quæ circiter centũ numero fuere, exhibebat. auſim ego affirmare nullo vnquam tempore tam atrox incendium à mortalibus viſum, niſi fortè fabulis poëtarum credendũ putamus, qui portẽtoſa illa de Phaetonte mendacia cõfinxere. ſed nos hæc omnia copioſius in noſtris poëmatibus: quorũ hoc cædem Sontiacam, illud incendiũ Carnicum inſcripſimus. multa proinde, quæ ad rei atrocitatem attinẽt, ſilentio præterimus. Hoſtes ea nocte pluribus locis caſtra habuere. vbi autẽ illuxit, onuſti præda, ingentiq́ captiuorũ multitudine in vnum coiuere, atq́ in caſtra quæ ad ripam Sontij fecerant, læti receperunt. Poſtridie mota ſigna: & quum à flumine vnius diei itinere receſsiſſent, abeuntium ſpeciẽ præbuere. Quod quũ ita omnibus perſuaſum putarent, denuò haud minore tumultu quàm prius in patriã eruperunt, denſo agmine ad Tiliauẽti vſq́ ripã proceſſere: ſuperatoq́ impigrè flumine, cis vltraq́ pleriſq́ villis incenſis, ingentem cladẽ Tranſtiliauentanis attulere. plures fermè quàm prius mortales in prædã acti ſunt. hi vbi ad ſuos rediere, cõtinuò Marbechus patriæ finibus exceſsit. Manſere aliquandiu vtraq́ caſtra ſine præſidio, fuerunt qui cõſulerent ea diruenda. Sed pluribus è repub. viſum eſt ea nouo præſidio muniri debere. Atq́ ita nõ multo pòſt Carolus Fortebrachius cũ validiſsimo equitatu ad vtrorumq́ caſtrorum præſidium miſſus eſt. quibus nuper initis, duciſq́ ipſius diligentia non præſidio tantũ, ſed valido quoq́ opere munitis, ingens Turcarũ manus ſub meſsiũ ferias in Sontij ripa tumultuosè conſedit. Poſtridie barbarus ſuperato fluuio ante Gradiſcana caſtra in aciem explicuit, nullã pugnandi moram facturus, ſi hoſtis in pugnã deſcẽdere voluiſſet. Ille verò recentis cladis memoria territus, ſuos intra vallum inſtructa acie quaſi per occaſionẽ erupturus continuit. Barbarus cum ad altã diem in armis fuiſſet, cerneretq́ hoſtẽ nihil temerè cõmiſſurum, digreſſus idem ad quatuor millia paſſuũ intra Medeæ montẽ et Cromonã caſtra locat. Poſtero die inter Cromonẽ ipſum & Manſanũ per apertas valles ad radices montium conuertit agmen. triginta barbarorũ millia fuiſſe traduntur, qui per abrupta & cõfragoſa alpium loca ipſius locorum incolis aditu difficilima in eam Germaniæ partẽ euaſere, quam nunc Zeliam vulgò appellant. Ego Iuliam,

vti

vti primo libro teſtatus ſum, potius dixerim: aut quod à vero non abhorret, Ciliam. Multa interim & horrẽda, & quæ vix fidem ſibi vendicent, facinora tum aduerſus alpium difficultates, tum etiã in audaces incolarum conatus per eos dies ab his edita. Quorum illud ſilentio indignum videri poteſt, quòd pluribus locis, vbi in abruptas rupes ventum eſt, equos veſtibus alligatos in ſubiectas crepidines demiſſos aiunt, & inde in alias, donec in imas valles eſſet deſcenſum. interdum vniuerſus penè equitatus, vel certè magna pars eius, vti ex ipſis veſtigijs cognitum eſt, per adeò decliuia loca præceps datus eſt, vt per ducentos fermè paſſus non modò illis locis pedibus quiſpiam vadere poſſit, ſed ne conſiſtere quidem, niſi virgulto ſeſe aliquo applicuerit. Eſt & illud nõ indignum memoria, quòd vbi per iuga alpium vſque in montana Carniæ fines decurriſſent, nunciatumq́; interim eſſet, montanos incolas iuga montis, qui Lanceæ dicitur, qua vnicum eis iter in Germaniam patebat, occupaſſe, intrepidè ad locum progreſſi, neq; immẽſa montis altitudine, quæ in ipſa penè nubila verticem erigit, nec aſcenſus arduitate deterriti ſunt. ſed ſubnixi virgultis per aduerſam rupẽ ad hoſtẽ repſere veriùs, quàm dixerim ſubiere. Quo audaci incœpto territi, qui præſidio erant trepidare cœperunt. inde in fugam turpiter dilapſi ingentis cladis hoſti materiam præbuere. Hæc vltima fuit Turcorum expeditio aduerſus Venetos in Italiam. Nam paruo interiecto tempore, Veneti cum Mahumeto eius gentis Imperatore fœdus percuſſere. Ad quod publico nomine ſanciendum Benedictus Triuiſanus, vir magni cõſilij & auctoritatis Conſtantinopolim miſſus eſt, vnde certiſſimã Venetis pacem reportauit. Hic idem non multò pòſt patriæ adminiſtrationem ex prætura ſortitus, præter alia multa iuſtitiæ & innocentiæ exempla, quibus publicum munus auſpicatus eſt, domeſticas diſcordias & inueterata odia, quibus tota fermè patria ad id tempus laborarat, ſapiẽtiſſimè ſuſtulit: atque nomina quædam peregrinarum factionum peſſimo exemplo inducta adeò reſtinxit, vt illorum memoria adhunc diem prorſus obſoleuerit. Verùm diuina quadam prouidentia id factum videri poteſt, vt cuius opera hæc terra cum reliqua Italia grauiſſimo bello quandoque liberata fuerit, eodem prætore domeſtica ſeditione liberaretur. Debebunt itaque ſemper Triuiſanæ familiæ hoc nomine Foroiulienſes, quòd hoc ipſò viro auctore, & externa & domeſtica ſint ocia conſecuti, quæ ex illo tempore, vnde patriæ antiquitatem ſcribere orſi ſumus, ſortiri non potuerunt.

Benedictus Triuiſanus.

De bello

DE BELLO RHODIO LIBRI TRES, IACOBO FONTANO BRVGENSI AVTORE.

PRAEFATIO.

PRAEFARI *mihi licet, quod profeſſi pleriq́; ſunt rerum ſcriptores, bellum maximè memorabile, omnium quæ vnquam geſta ſunt, me ſcripturum: ſic Liuius, ſic ego, & fortè verius, quod magnus Turcarum Tyrannus Solymannus, terra & mari geſſit cum Equitibus diuo Ioanni conſecratis, & Imperij Chriſtiani limites ad Orientē defenſantibus. Nunquam enim prælium tam crudele, & atrox, Mars æquè dubius fuit: norunt qui mecum in parte laboris & periculi fuere. Credet facilè quisquis ſacræ & nobilis militiæ (nullius enim nomen recipitur, niſi ad aram, & exhibito indice natalium) olim inſtitutum, & hactenus obſeruatum, pugnandi cum Turcis morem animaduerterit: tum horum opes & potentiam, qui virilibus & incertis primordijs (nec originem ſuam ne ipſi quidem ſatis tenent) ab antris Caucaſi, debellata initio Aſia, deinde Thracia, poſtremò reliqua Græcia, duobus florentiſſimis imperijs Trapezuntio & Cōſtantinopolitano euerſis, omni propè Illyrico perdomito, in Italiam vſq́; Hydrunte capta (quæ in Italiæ & Calabriæ finibus eſt) penetrauerunt: & recenti adhuc memoria, quaſi heſternæ diei, Sultano vno poſt alterum, vita & imperio priuato, totam Syriam cum omni Aegypto Arabiaq́; opibus ſuis adiecerunt. Quod bellum ſic ex ſententia confectum, Rhodiano initium dedit. Eſt enim filio Solymano viſum, quod Solymo patri, qui anno ab hinc quinto maxima claſſe Rhodum obſidendam parata, vita defunctus eſt, difficilem ſibi ex Leſbo, Chio, Peloponneſo, Eubœa, Propontide, ipſóq́; Bizantio nauigationem futuram in Syriam atq́; Aegyptum, ſtante incolumi Rhodo, arce militum: vtpote ex qua illi maritimis ſuis excurſionibus, totum littoreum tractum deuaſtent, nonnunquam iuſta claſſe congredi audentes. Præterea, ducere dedecus imperij ſui, ferre gentem inimicam in ipſis regni penetralibus. Adhæc ambitioſo iuueni magnos ſpiritus miniſtrare, Alba anno ſuperiore ad confluentem Saui & Danubij victa. Tum, quæ nequaquam multa molienti negligenda eſt, occaſio temporis quo principes Occidentis maximis cladibus ſeſe inuicem afficiebant. Veruntamen priuſquam belli geſti, Rhodianæq́; obſidionis initium aggrediar, quo ad cognoſcendum omnia, vt magis magisq́; in aperto ſint, quædam altius repetere neceſſarium eſt. Nam vt experior, iſtud bellum multorum fide maius, ita eius quoq́; hiſtoriam inuenio magis laborioſam mihi, quàm putaram. Sed iſtud quoq́; malum poſt tot acerbos caſus, hoſtium iniurias, bonorum direptiones, cædes, exilia, pericula vaſti maris, febres, morbos, peſtem, oculorum ophthalmiam, mihi deuorandum eſt. Etſi laboribus meis nulla certa merces, quam non tam ſpecto, quàm laudem defenſionemq́; veritatis, & ſacrorum nobiliumq́; Hieroſolymitano-*

mitanorum equitum gloriam: tametſi nemo dicendo, aut ſcribendo tantā illis gloriam parare poteſt, quantam ipſi ſibi pugnando pepererunt. Quod igitur ſacræ militiæ & mihi vertat bene, ſic exordior.

Fabricij Carectani mors.

Fabritio Carectano ingenti luctu, deſiderioq́ plebis nouendium vita functo (fuerat enim ad populi fauorem aucupandum, affabrè factus) doctus literas Latinas, callidus, acer ingenio, cui conſilium nec incœptū illum fruſtra fuit, magnificus, ſiquidem magnam vrbis partem nouo, validoq́ murorum ambitu cinxit, arma, tela, machinas, commeatum affatim importari fecit, deniq́ omnia quæ in bello vario, & multarum rerum egenti, vſui eſſe ſolent. Culpāt aliqui, quòd ærarium immodeſtius tractauerit, quibus ego nec aſſentio, nec repugno. Vbi luce orta, æs campanā ſonuit, vniuerſa militaris concio in claſſes ſuas diſtributa, ad fanum diui Ioannis conuenit: peracto ſolenni ſacro, quæq́ teſtata crucem, Intermagiſtro pridem ab anteſignanis conſtituto, ſpondet allaturam ſeſe de corpore ſuo militem, quē habeat optimum & prudentiſsimum. Conſtituitur hac ratione ex ſingulis militū decurijs octumuiratus quidam, cui ius, faſq́ eſt, præfectū comitiorū nominare, & tres mox ſuffragia daturos, dicere Equitē, qui ſummus ſuffragātium vocatur. Sacrificium, optionemq́ militarem hi triumuiri frequenti ordine præfecto comitiorum ante aram (neq́ enim iam octumuiratus amplius, aut Intermagiſter, cuius poteſtatem voluerunt maiores momentaneam eſſe, ne qua fraus ſuffragijs fieret) ſacramento aſtipulantur, quæſituros ex toto ordine militari, quatuor & decem integros ac ſpectatæ fidei viros, quibus ſocijs tribum ſuffragantem perficiant. Quæ ſimul atq́ exit Chriſtianorum ritu expiata, per adorandam crucem quatuor Didaſcalicos libros volumini ſacrificiorum, omni priuato affectu abiurato, non alium ſacræ nobiliſsimæque militiæ præfecturam ſe vouet, niſi claris legitimiſque natalibus & maximis in Rempublicam meritis commendatum. Quo voto, ſacramentoq́ à præſide comitiorum ſtipulato, ſuffragatores ſecedunt, qui poſt graues de multorum vitijs ac virtutibus cenſuras, duorum potiſsimùm rationem habendam eſſe duxerunt: Philippi Vilerij Liladami, & Thomæ Docrai præfecti equitum Anglorum. Hunc ſiquidem plurimum commendabant magnæ opes, ingenium, magna experientia, conſuetudo Regum & principum: ad quos arduis ſæpe legationibus functus eſt. Illum negocia militiæ bene prudenterq́ in Gallijs & Hiſpanijs adminiſtrata, vſus rerum Rhodienſium, fortitudo animi & corporis, virtus omnibus ſpectatiſsima: nec, vt quorundam eſſe ſolet ſupremum Magiſtratum ambientium, ſimulata atq́ efficta ad tempus. Factum hoc modo eſt, vt ſors vtriuſq́ par exierit, ſed Liladami prærogatiua fuit ſuffragio equitis ſummi primiq́ inter ſuffragatores: qui appellatis more maiorū Decurijs, vellént ne ſuffragatrici tribui intercedere, aut obnunciare quippiā: ſimul vt reſpōderunt, nolle: Quod ergo, inquit, Deus, & numē tutelare prophetes Baptiſta, ſacræ nobiliſsimæq́ militiæ noſtræ benè & fœliciter vortat, renuncio vobis magnū Magiſtrū nobiliſsimum equitem, F. Philippum Vilerium Liladamum. Statimq́ reclamatū eſt ab vniuerſa concione: Nobiliſsimo equiti

F. Philippo

F. Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magiſtro noſtro vita, victoria, & decus æternum. Qui quàm primùm literis nuncijsq; à Rhodo miſſis, fortunæ ſuæ certior factus eſſet, celerrimè ad iter ſe accinxit, mouens è Lutetia Parrhiſiorum maximo ſplendidoq; comitatu, Franciſcum Chriſtianiſſimum Regem Galliarum, Burgundionum fines ab incurſibus Cæſarianorū tuentem, adijt: benignè acceptus, & dimiſſus Rhodano flumine (in quo nauigium armamentis bellicis onuſtum, negligentia gubernatoris ad pontem ciuitatis Viennæ perijt) Maſſiliam nauigat vrbem, quod ſciunt omnes vetuſtiſſimam, in qua ob vetuſtatem nimiam, nulla vetuſtatis extant monumenta. Paucos hic dies commoratus, claſſem conſcendit: ſicut inde vento Niceam, in finibus Allobrogum delati, maximam nauium noſtrarum puero coquinario negligentius ignem ſeruante, incendio propè amiſimus: actumq; iam erat niſi magnus Magiſter graui edicto facto, ne quis nauim relinqueret, ſuos voce & exemplo confirmans, ardorem flammæ enaſcentis reſtinxiſſet. Liberati ancipiti periculo, hanc quoque deſerimus ſedem, vaſtumq; caua trabe currimus æquor. Corſicam & Sardiniam præteruecti, in fœdam maximamq; tempeſtatem incidimus. Cœlum ſtrepere ingenti ſono, & inter horrendos fragores crebri micare ignes: capti omnes auribus, oculiſq; vota nuncupabant. Miſerrimus ego inſolita rerum facie, præ cæteris magis perterritus, flamma micanti exanimatus, vexatione fractus, nauſea ac vomitu ſordens, interq; vndæ furentis procellas obrutus, Deûm hominumq; fidem implorabam. Affuit votis præſens numen, Syracuſis antiquitate & fortibus geſtis illuſtri vrbi applicamus, nouē hominibus fulmine enectis, pluribus percuſſis: animalium brutorum, boum, ouium maior lues fuit. Hic ad curam, quietemq; corporis, & nauium refectionem aliquantiſper commorati, nactiq; auram ſecundam, vela & anchoras tollimus. Proſequitur à puppi ventus euntes. ſed ecce mox aliud malum. Nunciatur Cortugolum archipiratam, cui duos vterinos fratres (præter tertium, quem in vinculis tenebant) Rhodiani occidere, claſſe ex triremibus, nauigijsq; roſtratis collecta, expectare in ſtatione ad Maleæ promontorium aduentum Magni Magiſtri. Diu diſceptatum, eſſétne vtile quatuor tantum nauibus merces opulentas multorum negociatorum, materiam incendiariam copioſiſſimam, ac commeatum omnis generis, præterea ipſum principem vehentibus, occurrere maritimo latroni, nihil præter tela & hoſtes afferenti. Sed conſilia noſtra ſors immutauit. adiuti enim aura, & ſecundo vento ſatis vehementi, portum Rhodium intramus, ſumma noſtra & oppidanorum lætitia atq; alacritate. Proceſſere obuiam armatæ triremes ſacræ militiæ cum ſignis, ſono, concentuq; tubarum. Arx Nicolea, & turres quæ vtrinq; portum muniunt, omniaq; vrbis propugnacula, multa crebraq; bombarda intonuere. Equites anteſignani Magnū Magiſtrum obuijs exceptum vlnis, feſto apparatu, per medias turbas hominum vndiq; ſeſe effundentium & precantium fauſta lætaq;, in vrbem ad fanum diui Ioannis induxerunt: hinc peracto ſolenni ſacro, cum plauſibus & clamoribus, alijsq;, quibus effuſa lætitia vulgo ſignificatur, in prætorium

Philippus Vilerius Liladamus Magnus Magiſter renunciatur.

Cortugolus archipirata.

Pompa ſolennis.

torium. Paucis inde diebus interiectis, Cortugolus nauigatione noſtra eluſus, fremens, frendensq́, ſubito ſecundo exorto vento, obſcuræ, quietæq́ noctis auxilio ſpeculatorem fallens, in fretum Rhodium erupit, ex inſula fortè poſt deuaſtationem agrorum prædam abacturus: & inciderant in eum, niſi ſeſe commodùm ventus mutaſſet, duæ naues Venetæ ab Hieroſolymis reduces, quæ eadem nocte à portu Rhodio ſoluerant. Aduentu hoſtili, & diſcrimine ſociorum, claſſe quæ in anchoris ſtabat, quàm celerrimè expedita, Equites Rhodij in piratam tendunt. quod ille videns, effusè fugere cœpit. Rhodij qui in ſpe erant claſsis potiundæ, ſatis pertinaciter ſecuti ſunt. Verùm poſtquam celeritate nauium, vtpotè leuium, ſuas grauiores eludi viderunt, abſtiterunt incœpto, naues ſociorum in pacatum ducentes. Tempore haud multo pòſt, venit Rhodum è caſtris iuxta Taurinum Pannoniæ poſitis orator, miſſus à Tyranno Turcarum cum huiuſmodi literis.

SOLYMANVS TSACCVS, DEI GRATIA REX REGVM, Dominus dominantium, maximus Imperator Byzantij & Trapezuntarum, Rex præpotentiſsimus Perſidis, Arabiæ, Syriæ, ac Aegypti, Dominus Aſiæ & Europæ, Princeps Mechæ, Alepi, Hieroſolymorum dominator, poſſeſſorq; maris vniuerſi: Reuerendo patri F. Philippo Vilerio Liladamo, magno Magiſtro Rhodi, & Aſiæ legato, Salutem.

GRatulor tibi aduentum & nouum principatum: quem, vt habeas diu fauſtum & felicem cupio. Spes eſt enim mihi quòd virtute & fide ſuperaturus ſis omnes, qui retro in inſula Rhodienſi imperarunt, à quibus maiores mei ſemper vim ſuam abſtinuerunt: quorum exemplo, ineo tecum amicitiam & gratiam. Gaude igitur amice, & gratulare mihi victoriam & triumphum. Siquidem æſtate ſuperiori Danubio traiecto, regem Vngarorum, quem occurſurum credebam in acie, ſub ſignis expectaui inauſo prælio decertare. Taurinum totius regionis vrbem munitiſsimam, & vicinas aliquot arces vi abſtuli, multis mortalibus ferro, & flamma trucidatis, pleriſq́ in ſeruitutem redactis. Victor & triumphator dimiſſo exercitu in hybernia, regreſſus ſum ad regiam meam almam vrbem Conſtantinopolim. Vale, ex caſtris.

Recitata hac Epiſtola in ſacro, auguſtoq́ conſilio procerum anteſignanorum, intellexit illico prudens Magiſter verbis ſibi nunciari pacem, re autem vim: quam, quòd paratus eſſet alia vi repellere, non diſsimili artificio literis ſic compoſitis, ſignificauit.

Philippus Vilerius Liladamus, magnus Magiſter Rhodi, Turcæ.

EPiſtolam quam ad me attulit orator tuus rectè intellexi. De amicitia quod ſcribis, tã gratum eſt mihi, quàm ingratum Cortugolo. Conatus eſt ſiquidem, dum huc venirem à Gallijs, me ex improuiſo opprimere. Quod vbi non ſucceſsit, obſcura nocte fretum Rhodiũ inuectus, naues onerarias, quæ ab Hieroſolymis Venetias nauigabant, deprædari tentabat. Sed claſſe è portu meo mox deducta, vim prohibui, coëgiq́ piratam fugere & prædam Cretenſibus negociatoribus ereptam relinquere. Vale, ex Rhodo.

Remiſſus

Remiſſus eſt Legatus cum ſumma fide & muneribus, adiuncto ei comite, qui literas Magiſtri perferebat, homine quodam priuato: raro enim di-



gnata eſt Rhodus Turcam legatione publici equitis. Tyrannus præcoci ingenio aduleſcens, cui rerum prudentia velox ante pilos venit, cōtemplatus ingenioſam talionem literarum redditarum, ſenſit ſecum agi ſuis artibus, & Rhodios paratos eſſe vim cōtraria vi repellere: neque tam leuiter quàm Taurini defenſores, deditionem & imperata facturos. Veniebat præterea in mentem, quæ proauo Mahumeti acciderunt, accidere ſibi poſſe. Fortunam & Martem fallacia eſſe numina, quæ fidem in paruis ſibi præſtruunt, vt cum operæprecium ſit, cum magna mercede fallant. Hoc modo animum celerem nunc huc, nunc diuidens illuc, in partesq́; rapiens varias, libidine aduerſum nos, metu pro nobis ſuadente, Cortugolum accerſiri iubet. Vocatus accedit præeuntibus duobus auguſtalib. Muſtapho & Farao, cui, vt mihi narrāt, Tyrannus ſororem collocauit, hiq́; omnia in Rhodios acerbè atque ad gratiam principis ſunt locuti, vt facere ſolent quos regiæ opes alunt: ſed acerbiſsimè Cortugolus, vir natura ferox, belli haud ignarus, probè intelligens literis de ſe quærentibus gratiæ ſuæ apud regem non modò decreuiſſe quippiam, ſed etiam permagnam eſſe acceſsionem factā, quem in hunc modum locutum fuiſſe accepi:

Cortugoli ad Imperatorē oratio.

Ingentia tua erga me merita, Optime Maximeq́; Imperator, faciūt, vt quæ æſtimē tibi & imperio gloriæ decoriq́; futura, liberè loquar. Voces quotidie ad me miſerabilium hominum ex inſulis Mitylene, Eubœa, Peloponneſo, Achaia, & continenti, Caria Lycia, atq́; omni littoreo tractu Syriæ ac Aegypti perferuntur, exponentium agrorum ſuorū depopulationes, dire-

ptiones vrbium, prædas hominum & armentorum, multaq; infinita alia & incredibilia mala, quæ indies patiuntur, nemine vim prohibente à Cruciferis illis & pyratis Rhodienſibus. Tendunt mihi miſeri ſupplices manus, opem meam orant, inſtant, vrgent, vt illis auxilium ab imperiali maieſtate tua implorem, vt illos ab iniuria, cæde, rapinis iſtorũ Cruciferorum defendas. Oro te igitur per adorandum nomen Mahumetis, per genium imperialem, vt populum tuum ab his crudeliſsimis hoſtibus liberes, vt ex ferro, flamma, & ex graui ſeruitute, quæ morte durior eſt, aliquando eripias. Atque illud tecum etiam cogites, non tam populo & priuatæ plebeculæ hanc iniuriam, quàm publico honori & nomini tuo, inferri. Quam ſi Regum, ſi Principum aliquis Chriſtianorum inferret, non patereris, ſcio, inultam: & nunc ſinis latrones, ſicarios, colluuiem hominum agros tuos vaſtare, vrbes diripere, populum trucidare, mare totum vnicuique noſtrum infeſtum reddere? Quis enim nauigat Damaſcum, Alexandriam, Memphim, Chalcidem, Leſbum, Chium, regiam tuam Conſtãtinopolim, qui non maximis ac certis quidem ab iſtis Cruciferis imminentibus periculis ſe exponat? Quid per tot annos ſtatim poſt vernum æquinoctium audimus aliud, quàm Cruciferos Rhodios portum aliquem Turcarum occupaſſe? Turcas in ſeruitutem miſerrimam redegiſſe? prædam hominum ac rerum precioſiſsimarum, ex vrbibus atque agris direptam, Rhodum aduexiſſe? Et, quod turpiſsimum eſt, te inſpectante, in medio & penetralibus regnorum tuorum hæc omnia feciſſe. Ignoſce mihi obſecro Imperator, ſi apertè nimium dico, quod ſentio. quicquid enim à me dicitur, nulla alia de cauſa dicitur, niſi vt tu aliquando facias, quod iam multos ante annos factum eſſe oportuit. Quod ad religionem noſtram Mahumeticam ampliandam, ad imperij & nominis tui protelationem pertineat: pro quo quidem propagando noſtras fortunas in quodlibet diſcrimen afferre, corpus telis armisq; obijcere, nihil laboris, nihil periculi ſubterfugere debemus. Quod ſi laudum & pugnæ amore flagras, & ad perpetuam immortalitatem mirum in modum tendis, quo eam bello facilius conſequi poteris, quàm ſi Rhodum, quæ quoddam Chriſtianorum propugnaculum eſt, & dicitur: quæq; ſola nos ab illorũ regionibus prohibet, expugnes, & in deditionem cogas? Dices fortaſſe hic: Maiores mei toties vrbem illam fruſtrà tentarunt: tentarunt & Taurinum Pannoniæ vrbem. Tu tamen multò magis munitam nunc quàm priſcis illis ſeculis in poteſtatem tuam redegiſti, & de Rhodo deſperas? Depone vanum iſtum timorem, audendo agendóque res Turcica creuit. Properemus ad illam obſidendam terra & mari. Si populus tuus ſeruitute gemẽs, manibus ſuis eam conſtruxerit, num libertate, cupidine, atque occaſione, tot illatas iniurias vindicandi gaudens, eiſdem manibus deſtruere poterit? Quòd ſi cognoſcas, Imperator, eſt tibi, procurante ſummo Propheta Mahumete, diuinitùs oblata occaſio, dum Chriſtianus Occaſus inteſtinis cladibus laborat. Num in gerendis negocijs ignoras ſequendas eſſe temporum opportunitates, & in occaſione rerum deſidiam, ac tarditatem omnem quàm diligentiſsimè fugiendam? Mutabiliſsimè quidem ſunt temporum vices, & fortunam cum

Audendo agendoq; res Turcica creuit.

abire

abire permiſeris, fruſtra poſtmodum diſcedentem ac fugientem ſis imploraturus.

Hac oratione animus iuuenilis inuidia Chriſtiani nominis æger, honorum & imperij appetentiſſimus, facilè ad bellum decernẽdum impulſus eſt. Sed primùm rem ad proceres detulit, vbi ſic locutus fuiſſe traditur: Etſi non dubito, Viri fortiſſimi, eandem vobis nunc mentẽ eſſe, quæ in alijs aggrediendis gentibus ſemper fuit, de communi tamen gloria atq; commodo commune indicare conſilium volui. Ex eo tempore quo pater meus vita defunctus eſt, cum diuerſis populis ac nationibus bellum geſſimus. Syros, vt ſunt natura inſtabiles, & ad res nouas moliendas proni, rebellionem tentantes, vi in officio continuimus: Sophum magni Vſuncaſſani ex filia Nepotem, quæ Iacupi regis ſoror fuit, prępotentem illum regem, ſemper nobis corde & opere mala machinantem, nec dum Aſſyria, Media, Armenia maiore, Perſide, Meſopotamia, contentum armis noſtris, intra ſepta ſua concluſimus. Anno ſuperiore, omnem Pannoniam vltra citráque Danubium peruagati, Thaurinum totius regionis locum munitiſſimum cepimus, quæcunq; tentauimus ſubegimus. Tamen, vt de me ingenuè dicam, animus ſupra imperium & ſanguinem Othomanicum ingens, in his victorijs conquieſcere non poteſt. Nam quæcunque hactenus egiſtis, & ſi magna ſunt, minora tamen virtute veſtra æſtimo. Huc me rapit cupido, hoc ſemper exarſi, Rhodum illam petere, omneſq; Rhodianæ militiæ vires & caſtra radicitùs euertere: Nónne vos idẽ haud ſanè minus quàm ego ſemper optauiſtis? Quoties enim voces audiui Rhodum, Rhodum conclamantium, tempus à me expectatum eſt, vt expediti aliarum gentium bellis, huc omnes neruos, animóſque in vnum intenderemus. Quod tam diu cupiuiſtis, in manibus veſtris eſt. Nulla maior vnquam facultas data bene gerendæ rei: murorum vrbis Rhodiæ permagna pars ſolo æquata iacet, quæ haud paruo tempore reſtitui poterit, ærario expilato. Adhæc arcis præſidium parua manu militum conſtat, auxilia à Gallis longinqua, poſt Rhodum expugnatã, futura ſunt, aut quod mihi veriſimilius eſt, nunquam. Neque enim Rex Francorum cum Imperatore Germaniæ & Italiæ domino, ad internecionem depugnans, patietur naualia ſua dearmari, portus ſuos denudari præſidio nauium. Nec credatis etiam Hiſpani generis homines domi fame, bello, inteſtinis odijs implicitos, foris huc ex Sicilia & Campania tam facilè militem & cõmeatum portaturos. Sed maior inſtat, vt putatis, à claſſe Veneta, ab auxilijs Cretæ inſulæ timor, imò nullus. Scio, neq; debeo omnibus palàm facere, quomodo huic malo occurrerim. Ergo magnanimi viri, nati ad ſubigendã vniuerſam Chriſtianorum ditionem, nedũ Rhodum, ſequamini alacres me crudeliſſimis & perfidis hoſtibus bellũ inferentem. Quouſq; patiemini quæſo familiæ Othomanicæ, & in vniuerſum Turcis omnibus maculam eam adhærere, quàm Rhodij nobis aſperſerunt, victoria ſuperiori obſidione parta? quam nõ tam virtus illorũ fecit, quàm proaui Mahumetis cõſilium infelix, Myſachum Palleologum militiæ ducem, vna infeliciter commiſſa pugna, reuocantis. Sed fecerit ſanè illorum virtus victoriam, tolerabitiſne ideo ſemper toto mari

Oratio Turcici Imperatoris ad Proceres.

mari pyraticas iſtas excurſiones cõtinenti & inſulis, vrbium atq; agrorum deuaſtationes, prædas animalium, & quarumcunq; rerum optimarum, incendia, ſuppliciaq́; raptus cõiugum, cædes liberorum, ſeruitutem affinium cognatorum veſtrorum? Nõ ſic me bene Mahumetus meus adiuuet, cuius ope atq; auxilio, inuitis Chriſto & Ioanne Cruciferorum magnis Dijs, ſpondeo me breui lunata ſigna medio vrbis Rhodiæ foro defixurum. Nec quicquam mihi niſi gloriam quæro, vtilitatem do vobis commilitones: auri & argenti cælata vaſa, mundum muliebrem (qui precioſiſsimus eſſe dicitur) omnem pecuniam, ſplendidamq́; ſuppellectilẽ, ad vxores, ad liberos veſtros, domum onuſtis nauigijs deportare. Nunc ergo ad Rhodum oppugnandam totis viribus, bonoq́; animo tranſeamus. Cumq́; hoc faciendum omnes vna Pyrrhus. *voce ſucclamarent, aſſurgens Pyrrhus, natus (vt mihi relatum eſt) patre vulgare deſertore fidei, cui longa vita & odium orthodoxæ fidei, mille artes, & nomina mille nocendi pepererunt: Non poſſum (inquit) nõ plurimum admirari præcocem, maximamq́; prudentiam, & virtutes, atq; ingenium Imperatoris noſtri, adeò prudenter & diſertè omnia, maximi clariſsimiq́; ducis in bello ſuſcipiendo conſilia expoſuit. Fœlix Mahumetus, ter quaterq; hoc imperium, beata hæc Reſpub. fortunati nos tali principe: qui nõ tantùm viros & arma, ſed prudentiam atque conſilia in prælium ducit. Quem optimum atque laudatiſsimum pugnandi morem, ſi ſemper ad manum, ſemper ante oculos habeamus, nõ modò Rhodum, ſed breui omnem Chriſtianorum ditionem in poteſtatem noſtrã redigemus. Verùm ætas & experientia mea, præter ea quæ iuuenis Princeps ſedulò & diligenter inueſtigauit, ſuadet ex Equitum ciuiumq́; Rhodienſiũ ordine, maximos (ſi fieri poteſt) viros corrumpendos eſſe, & præmio, pollicitatione, mercede, gratia, denique modis omnibus, ad proditionem ſecretorum conſiliorum ſolicitandos: quod quomo-* Aſtutia Pyrrhi. *do fieri poſsit, accipite. Ego quaſi pacis quietisq́; cupidiſsimus arbiter, inducam nuncijs, literisq́; magnum Magiſtrum, vt ad Principem noſtrum legatos mittat, qui vbi in noſtra erunt manu, ſinite agere Pyrrhum. Placuit omnibus, & in primis ipſi Tyranno, ſenis viri conſilium: mandatumq́; vt rem illicò ſumma cura fideq́; expediret. Cæteris ducibus, vt pararent terreſtres naualesq́; copias, quàm maximas poſſent. Neque diu continuit ſe bellici apparatus rumor. Menſe intercalari pridie nonas, Rhodi nunciatũ eſt, Turcam nauium longarum carinis poſitis, contracta ad effectum eius operis ex Chio & reliquis portubus multitudine fabrorum, omniq́; alia nauali materia ferro, linteis, ſparto, maximam claſſem Conſtanticpoli fabricare. Quæ fama dum indies crebrior, conſtantiorq́; circos conuentusq́; hominum permearet, miſit Equeſtris ordo omnia exploratum quendam Epidaurenſem, Turcaicæ linguæ peritũ. Renunciat is è Byzantio, epiſtola inter liquamina piſcium abſcondita, claſſem maximam parari, militem ſcribi, numerum præterea & formam tormentorum. Cæterùm hoſtẽ impetendum vulgo incertum eſſe: multos, tam de Rhodo quàm Italia dubitare, pleroſque de Cypro, aut Corcyra. Nuncium iſtud multorum animos, omen à ſe alienantium, ſecuriores fecit: ſed dum homines in quoſuis potius, quàm ſemetipſos*

bellum

bellum apparari credunt, affertur ſociorum amicorumq́ literis, finitimos hoſtium portus diligentiſſima cuſtodia obſeruari. Inter has belli imminentis curas, minimè idoneo tempore, quidam ex equitibus Italicis miſſionem & præmia flagitarunt, acerbè in Romanam curiam loquuti: cui ſtipendiorum ſuorum defraudationem acceptam referebant. Verùm Magiſter prudentia, ac conſilio ſuo tantum effecit, vt reſponderent omnes, non conſueuiſſe equites Italos Remp. in ancipiti diſcrimine conſtitutam relinquere, nec nũc quidem relicturos. Verùm quo plura bene atq; ſtrenuè feciſſent, eo minus iniuriam tolerare. Cupere igitur ſe, vt primo quoq; pacatiori tempore legionis optimè meritæ ratio habeatur. Deinde cœptum eſt de vrbis Rhodiæ cura & præſidio cogitari. Equites, nautæq́; lignatum miſſi ſunt, in deſertũ continentis Latonæ lucum, Phiſco antiquo Lyciæ oppido vicinum. Arma, tormenta, telaq́; recognita ſunt: lapides molares, quibus molas manuales, aſinariasq́; quisq; ſibi fabricare iuſſus erat, ex Nyſiro inſula importari: vrbana multitudo in heptacurias ſuas partita eſt. Muri & propugnaculum Auernorum, à Baſilio Cæſaris Caroli quinti architecto, Magiſtratu Fabricij modulatum, maiori cum diligentia perficiebantur: captiuis ad voluntarios labores præmio liberalitateq; magni Magiſtri inuitatis. Dum Legatus Pyrrhi ad magnum Magiſtrum.



hæc tanto ſtudio atq; ardore aguntur, venit Byzantio nuncius à Pyrrho, quem diximus ſuprà, miſſus: homo feſtiuus atq; ingenioſus, munus ſuum verbis mirè adornans, prædicando dominum, indolem præterea ac facilè ingenium Imperatoris ſui: attulitq́; ab eo & Pyrrho ad magnũ Magiſtrũ bonas literas, quale exemplar tale eſt.

SOLYMANVS TSACCVS DEI GRATIA REX REGVM, DOMINVS dominantium, Reuerendo patri Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magiſtro Rhodi, Legatoq; Aſiæ, Salutem.

Certior factus ſum epiſtolam meam redditam eſſe, quam quòd rectè intellexiſti (mirum dictu) quàm placuit. Confide, quòd victoria Thaurini minimè ſum contentus, alteram ſpero, imò mihi polliceor: quam tibi, cuius ſemper ſum memor, nequaquam occultam eſſe ſinam. Vale, ex Cōſtantinopoli.

Pyrrhi Epiſtola hac ferè ſententia erat:

Pyrrhus Apocletus, Philippo Vilerio Liladamo, magno Magiſtro Rhodi, Legato Aſiæ, S. Epiſtolam tuam ſenſu maiorem, quàm literis, exhibui Maximo Imperatori noſtro: tabellarium autem non ſum paſſus admitti, ne plebeio nimiùm nuncio offenderetur, ad quem mittes deinceps viros illuſtres, ætate ac prudentia commendatos, quibus cum ſi in animo habeat poſſit de re communi tranſigere. Quòd ſi facias, nec te facti, neq; me conſilij pœnitebit. Quē mitto, affert ad te literas, etiā à noſtro Imperatore, cuius diuino numini quomodo ſit reſpondendum, monitus es. Vale, ex Conſtātinopoli.

Diuerſorum conſiliorum agitatio. *Hæ literæ trahebant in varias partes multorum animos, qui à quietis conſilijs non abhorrebant. Metientes alios ex fide, probitateq; propria, commendabant Pyrrhi conſilium: dicentes virum ſenem & prudentem, non tam noſtræ, quàm patriæ & Imperatoris ſui quieti ſtudere: cupere eum conſilio componere, quæ iuuenis princeps ferro. metuentem incerta caſuum humanorum, communem belli Martem, vim fortunæ, quæ maximos ſæpe reges & exercitus parua manu hoſtium, paruoq; negocio peſſundedit. Tantum valuerunt horum conſilia, vt deligerentur oratores frater Raymundus Marchetus, eques natus in Hiſpania citeriori, nunc Eubœicæ præfecturæ titulo inſignis, vir magnanimus, carus, facundus, & caſtrophylaca,* Raymundus Marchetus. *ciuis Rhodienſis, Turcaicè callens. Multis diſpar ſententia fuit, qui fraudem, dolumq; ſentientes, ab hoſtili conſilio cauendum prædicabant. Quorſum enim iſta legatio? Bellúmne indicendum tyranno potentiſſimo, nondum ex profeſſo hoſti? pacem enim ſcribit: an deprecandum nondum indictum? Vt timeri ſcilicet ſe intelligat is, qui iam timet. Qua ſecuritate, qua fronte etiam ibunt oratores non vocati à domino, ſine diplomate per alienum agrum, quem nos indies exurimus & vaſtamus? Sed Pyrrhi literas proferent. Huius ſcilicet commiſeratio, huius fides & autoritas eos ab iniuria proteget: quaſi ſeruus domino leges imponat, domino ſimillimus (hoc eſt) crudelis, perfidus, oſor omniū Chriſtianorum, maximè Rhodienſium: quos tyrannus, ſi reperiat iam parata claſſe, & delectu militum habito, vario cruciatu afficiet, vt vires noſtras, noſtros commeatus, ſecreta vrbis & militiæ noſtræ ſibi prodāt. Magnā acceſſionem fecit huic ſententiæ hominū verè prudentum, diligens ſtudiū miſſi oratoris, multa & varia inueſtigādi de ſtatu, ſituq; vrbis, numero & fortitudine equitū: quapropter remiſſus eſt cū vno tātum comite homine priuato, Magiſtri epiſtolā ad tyrānū afferente, cu-*

te, cuius ſententia talis erat: Quòd memor ſis mei, haud moleſtum eſt: ego viciſſim tui memor ſum. Repetis victoriam Pannonicam, quâ non contentus alteram ſperas: imò vel ante bellum tibi promittis & canis. vide ne te fallas, nuſquam minus quàm in bello euentus reſpondet. Epiſtola autem ad Pyrrhum miſſa, talis erat. Nusꝗ minus quàm in bello euentus reſpondet.

Frater Philippus Vilerius Liladamus, magnus Magiſter Rhodi, Pyrrho Apocleto S.

LIteras tuas, ſimul & nuncij mores, atq; ingenium diligenter perpendi. Conſilium tuum non contemno, nec obſeruo quidem, dum miles meus agros portusq; domini tui deprædatur: quod vt tolerarem, fecere iniuriæ quas à Pyratis Turcis acceperunt. Verùm reuocabo excurrentes, miſſurus ad Imperatorem tuum oratores, ad quos fidem publicam eundi & redeundi eius diplomate teſtatam præmittas. Vale, ex Rhodo.

Verùm animaduertendum hîc Magiſtri literas ad Tyrannum non allatas eſſe. Nam Turca vbi transfretaſſet equum aſcendens, qui in reditum paratus ſteterat, adactis calcaribus, curſu quàm velociſſimo effugit, ſocium Chriſtianum relinquens: qui reditu ſuo in vrbem, magnam pacis deſperationem afferebat. Quapropter miſſi ſunt in Cretam coëmptores, qui ex inſula vinum & ſagittarios importarent. nam arcubus & ſagittis plurimùm vtitur Creta: à Septentrione Aegeum, occaſu Ionium, Europæ maria habens: ab ortu Carpathium atq; Aegyptium, quæ Aſiatica ſunt: meridie Africum. Literæ interea à Naxo miſſæ, dicebant naues inſtructas, armatasq; in aquam deduci: Barbaros moturos inchoante luna. Nam hoc ſignum rebus gerendis auſpicatiſſimum habent. Idem nunciabant frumentatores inſulæ Pathmos, celebris oſſib. Ioannis Theologi, qui nauigio quodam capaciore optimum frumentum Euboicum inferebant: cuius venundãdi ſpecie ac prætextu, multa quæ in vrbe obſidenda agebãtur, iuſſu Turcarum, quibus ſunt vectigales, explorauere. Nec ſegnius magnus Magiſter, nauiculas ad omnia exploranda circa inſulas mittebat. F. Ioannes Lupus, quem Bellouacum appellant, ſtrenuus eques, qui poſtea in defenſione propugnaculi Britannici grauiter læſus fuit, rem ſibi mandatam diligenter peregit, nauimq; vnam roſtratam onuſtam frumento Rhodum ſecum adduxit. Fuit infelicior vnius celocis præfectus eques Alphonſus, hic cum in ſtatione quadam ventum expectans, remiges longius diuagari pateretur, à Piratica quadã naue fortuitò interceptus, obnixus diu, ne viuus in poteſtatẽ hoſtiũ veniret, grauiter ſauciatus, captus eſt. Biremis præter paucos, quos ſors & fuga ſaluauerãt, cũ nautis capta eſt: ignominia magis quã dãnum Rhodios commouit: nã multis annis retro, nulla nauis Rhodia hoſti in prædã ceſſerat. Armatæ extemplò triremes, omnẽ in orã vicinã circũnauigare iubentur, ſicubi fortè latentem pyratam reperiant. Per idem tempus crebris ignibus vna nocte poſt aliã in hoſtico ſublatis, ſignum factũ eſt, eſſe ibi mortalem colloquendi cum Rhodijs cupidum. Quare F. Menetonus eques Gallus prudens cõtra pericula & inſidias, naui viris armisq; ſatis in-

Turci motũ Lunæ obſeruant.

Alphonſus à piratis capitur.

ſtructa, ad continentem iuſſu procerum mittebatur, comite Iacobo Xayco triremium rationale, vt à loci incolis atque amicis omnia de futuro bello induſtriè diligenterq́ inquireret. Erat enim Xaycus præter maris ac regionum notitiam, ciuilium quoq́ rerum gnarus, & Turcis negotiatoribus, quorum didicerat idioma, vnicè charus atq́ acceptus. Quos vbi ad fontē inter calices ac libamina reperiſſet, circunſeptos tapetis, bombyce, & alijs talibus, quæ Barbari mutare cum Rhodianis mercatoribus panno laneo

Xaycus dolo capitur.

ſolebant, ſalutem ac fidem inuicem dat & accipit. Rogatus deſcendere ad comeſſandum, donec veniret è proximo tugurio quidam, cum quo multum familiariterq́ vixerat, reſpondit non poſſe, niſi obſide prius in nauim recepto. Perfidi dictum cachinnis excipientes vltrò merces & obſidē imponunt. Egreſſus tum & obuios amplexans dato ſtatim ſigno, vndiq́ ex inſidijs inuaditur, ac raptim pernici impoſitus equo protrahitur Byzantium, vbi acerbis quæſtionibus omnibusq́ affectus ſupplicijs, quæ corpus vllum pati poteſt, ad ſatietatem inimicorum dicere facta, atq́ infecta cogitur. Poſtquam iſto dolo amiſſus eſt Xaycus: tum magis ac magis vulgo celebrari cœpit illorum prouidentia, qui militaribus comitijs reuocandæ nuper decretæ legationis ad Turcam autores extiterant. Itaq́ ne mora diuturnior damnum afferret, iuſticium indictum eſt, vigiliæ vicatim exactæ, in proceſtris militaribus acutæ lanceæ diſpoſitæ ſunt, tormenta per muros locata, ſingula loca firmata cuſtodibus. Publicum armamentarium, inſtructum omnium bellicarum rerum incredibili apparatu, reſeratum eſt. Armorum atq́ telorum portationibus tota ciuitas feruere, à proceribus anteſignanis luſtrū conditum: recenſa liberorum hominum, qui arma ferre poſſent, plus minus quinq́ millia. Inter quos ſtrenuè pugnarūt ſexcenti ferè Equites, quingēti Cretenſes, cæteri qui pugnā diligenter fideliterq́ vacarunt, fuere nautæ, remiges claſſiarij: quorum virtutem plurimū iuuerūt duces ipſi, maritimiq́ excurſores Michaël Vitalis Gallus, prælio nauali ſemper acerrimus, & feliciſſimus Seringus Vandalus, ac Siculus quidam & vnus Rhodius Nicolaus Mego. Ruſtici qui ex agris inſulaq́ conuenerant, non tam pugnando, quàm fodiendo ferendoq́ terram, obſidioni vtiles fuere. Reliqua vrbana multitudo, aliquot tamen verè ſtrenuis viris exceptis, imbellis, iners, neq́ laboris, neq́ periculi ſatis patiens, ægrè minis & imperio ſub ſignis & ſtationibus ſuis retenta, lingua quàm manu promptior, enſes, clypeosq́ geſtando plus omnino oſtentationis quàm fortitudinis habuit. Dum fama futuri belli & animorū noſtrorum per Cycladas, inſulasq́ alias Aegei maris latè

Ioannes Antonius Bouladius Venetus.

effunditur, Ioannes Antonius Bouladius Venetus faber, fortunæ ſuæ à Creta Rhodum venit. Nam cum eſſet loco haud illuſtri natus concordante ſuffragio, contra omnia vetuſtatis exempla, ob benè diligenterq́ nauatā Reipublicæ operam, inter Equites receptus eſt: donatusq́ iure aureorum calcarium, importauit vina, commeatum omnis generis cum delecta iuuenum manu. Paulo pòſt Dominicus Fornarius Ligur vir cautus, impiger, ſtrenuus prælio, bonus conſilio, cùm ab Alexandria nauigaret in Siciliam ingenti oneraria naui, precioſiſſimis onuſta mercibus, ſecundo ab vrbe lapide in in-

ſulam

ſulam deſcendit, inde conſilio & prudentia noſtrorum in vrbem ductus eſt, exceptusq́; obuijs triremibus. Nam tantæ nauis aduentu, quæ arma viróſque afferebat, Rhodi ingens gaudium meritò exortum eſt: animis omnium nihilominus curam defenſionemq́; remittentibus, quos flexamina & vehementi ſua eloquentia (haud diſsimili illi quam in Cynea, Periclêque fuiſſe ſcribunt) ad omne egregium audendum & faciendum inflammauerat Leo nardus Caleſtrinus Ligur Archiepiſcopus Latinorum, vir ſumma doctrina ſacrarum literarum, & memoria propè monſtroſa, qua Cyrum, ac Mithridatem vel æquat vel ſuperat, in dicendo ſententijs acutus, & creber, verbis ornatus atq; efficax: cuius luculentiſsimã orationem, quam in fano diui Ioannis ad Equites habuit, ſubijcio.

Leonharti Caleſtrini Archiepiſcopi Latinorũ oratio ad equites.

Vt hodierna die quam maiores noſtri, Deo trino & vni ſacram eſſe voluerunt, ad celſitudinem tuam, magne Magiſter, vos ô nobiliſsimi Equites, de fide, & de religione verba faciam, monet officij mei ratio. Sed dum Reipub. faciem, ſtatúmque intueor, quod numinis venia mihi liceat, orationẽ tempori accommodabo: quo non tã prædicanda eſt fides, quàm defendenda ab hoſte immaniſsimo, maximis huc terra, maríque copijs ad noſtram euerſionem properãte. Cui, nihil dubito, reſiſtetis, vt viros fortes & equites Rhodios decet, vtq́; hactenus facere conſueuiſtis. Neq; eſtis, aut mea aut cuiuſpiam oratione monendi: tamen quo mihi faciam ſatis, quem etiam pectoralis iſta crux ad omnem Turcici nominis internecionem laborare admonet, & ne qua mentibus hæſitatio, ſcrupulúſue reſtare poſsit, propoſui (Equites) facere vobis fidem victoriæ, argumentis minimè inanibus. Quare attendite quæſo, vt cœpiſtis, diligenter: vtar enim oratione, qualem tempus locúſque expoſtulat, fideli, facili, & compendiaria. Primùm igitur oro ac obteſtor, ne aures, multò minus animos, quorundam ominoſis vocibus præſtetis, omnia in peiorem partem rapientium: quaſi Diuina maieſtas durius aliquid de nobis ſtatuerit. Ego enim hunc timorem vos mittere iubeo: non quòd inficias ire velim, extrema omnia exempla nos promeritos, ſi lege talionis & ſummo ſtrictóque iure agere libeat: ſed nihil tale Deo pientiſsimo in mentem veniſſe credendum eſt, quippe qui ſemel familiæ ſuæ ſpopondit, omnem ſeſe malæ adminiſtratæ rei noxam ſeruis remiſſurum, quoties frugi diligentioréſque fieri cœperint: vt vos nunc feciſtis, ſacri Equites: quod, vt ſemper faciatis, velim. Ne formidetis ergo immanem iſtum apparatum, quem facilè conceſſerim, volente & procurante rerum omnium opifice Deo, in capita veſtra excitatum, ſed non ideo vt confringantur illa, aut euertatur hic florentiſsimus veſter militaris ſtatus, diuum Baptiſtam præſidem habens, qui ſecundùm Deum primus & selectus in cœlo eſſe creditur. Nunquam enim ille ſinet, diro ſui nominis hoſti tantum licere. Sed vt ſeueri patres chariores filios per duriora agunt: ſic vult Deus optimus maximus, hac potiſsimùm ætate, qua ducem Magiſtrúmque elegiſtis, quo bello maior & armis, nec pietate fuit, per durum & difficile bellum militiam veſtram clariorem, celebrioremq́; efficere: ne ſemper à macherophoris iſtis in Occidente otium & ignauia vobis obijciatur, cum ipſi ijdem ſint ignauiſsi-

mi. Quare magnas agite gratias Deo trino eidē & vni, cui hoc die litamus. Nec cogitetis illum omnia fatis & caſuum temeritati permittere: ſed res ſuas ſibi curæ eſſe, fouere idem, ſtabilire religionem, cupere exaltationem cultus & nominis ſui, explorare humana omnia conſilia, etiam altiſſima, ſcire quid immaniſſimo & crudeliſſimo hoſti ſuo in mentem venerit, iam iam ſerenti virus Mahumeticum gladio, quo ſemine primùm enatum eſt. Cui oportebat Duces, Reges, Principes Occidentis primo quoque conatu obuiam ire, ne vis mali latiùs ſerperet: & depoſitis priuatis ſimultatibus inſoleſcenti Tyranno (duobus acerrimis ſtimulis ad alienas opes inuadendum inſtigato, ambitione nempe & cupiditate: hanc ſiquidem natura ſanguinis Scythici, illam ætas 28. annorum ſuppetit) concordibus armis, animiſq; oſtendere, quàm ſtulta, quamq; periculoſa res ſit, inconſulto iuueniliq; feruore belli artibus gloriam quærere: & gentem Chriſto deuotam impetere: ac ſuas copias, ſuas claſſes, ſuos exercitus, eoſq; gladios quibus vſi ſunt hactenus, in ſemetipſos contra communem cuiuſque noſtrum hoſtem cōuertere: vt quas ille nobis cogitat inferre calamitates, aliquando ipſe experiatur. Verùm iſta fruſtra occinuntur ſurdis auribus. Teneunt ſupplices manus captæ vrbes, & Chriſtianorum Regum auxilium implorant. Confidit ſeſe breui ex crudeliſſima ſeruitute in libertatem priſtinam reſtitutum iri Taurinum nuper captum. Conſtantinopolis Thraciæ nobiliſſima ciuitas, tot annos inter compedes ac pedicas immaniſſimæ ſeruitutis Turcicæ computreſcens, adhuc liberationem à nobis expectat. Eubœa Cretam reſpicit, ad diui Marci ſigna ægrè aſpirans. Verùm illi infœliciū calamitates & miſerabiles querelas aſpernantur, inteſtinis ſeditionibus intenti: nihil aliud ſecum animo verſantes, niſi alter in alterum exercitus ducere, ſigna inferre, manus conſerere. Quot enim nunc annos imperia Occidentis inter ſe commiſſa cernimus? & reges bellum viciſſim propulſantes, & inferentes? dum interim populus agro & vrbe vaſtatus, cædium, rapinarum, proſcriptionum pertæſus, ad delubra pacis & concordiæ infulas ac propitiatoria fercula circunferens, fruſtra bellum in Turcas clamat. O dira portēta oſaq; præſtigia, quibus humanæ acies ſic faſcinantur. Hiſpanis atque confœderatis gentibus ſpecioſiſſimum videtur Italiam buſtis Gallicis inſignire: Gallis denuò palmarium per cæſorum cadauera vltra citraq; alpes commeare: Heluetijs interim ambobus magno auro pugnam vel pacem ſuam cauponantibus. Heu fatalis furor vtrarunque partium. O incredibilem noſtrorum temporum ignominiam. O inſignem noſtræ huius tempeſtatis maculam, quæ nullo vnquam tempore deleri poterit. Heu pietas, heu priſca fides maiorum noſtrorum, qui priuata animorum ſtudia defendendæ Chriſtianæ Reipub. cauſa deponentes, copias, claſſes, exercitus inſtruxerūt, & reliqua ad diuturnum bellum neceſſaria collegerunt, quibus longinquas iſtas Aſiæ regiones inuaderent. Nunc cedò ex Pontificum, ex Imperatorum, ex Regum ordine aliquem de imperij Chriſtiani finibus ampliandis ſolicitum, & Alcyonem vidiſſe me gloriabor. Olim Vrbanus II. Pontifex Maximus habito ad Clarummontem concilio, ita Chriſtianorum animos admouendum cōtra cru-

deliſſimos

deliſsimos Turcas iſtos bellum inflammauit, vt tercenta fortiſsimorum hominum millia in Sarrhacenos, qui eiſdem auſpicijs cum Turcis bellum gerebant, Hieroſolymæ recuperandæ cauſa proficiſci non dubitarint: & maximis itineribus, terra marique celeriter ſuperatis, Niceam expugnarunt, Antiochiam cœperunt, Hieroſolymam, Heracleam, Tarſum, plurimáque alia oppida in Chriſtianorum poteſtatem redegerunt. Carolus à rerum geſtarum magnitudine Magnus, non contentus Hiſpanos, Saxones bellicoſiſsimos & duræ repugnantisq́ ceruicis populos, Chriſti Ieſu iugo ſubdidiſſe, quum audiret Hieroſolymam graui Barbarorum dominatu oppreſſam, celerrimè illuc ſe contulit, & Barbaros profligauit, Chriſtianósque in vrbem reſtituit, omni metu liberatã, ac firmis munitam præſidijs. Huc etiam cum Morinis ſuis extremis hominum Balduinus Flandrus, Conſtantinopoleósque Imperator venit. Venit Germaniæ Imperator, Fridericus Barbarufus. Quod ſi nunc contingat, digito cœlum contingam. O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni, erumpunt crebriùs, vel inuito mihi Demeanæ iſtæ exclamationes. Nam cogor alta ſilentia rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem. Neque continere me poſſum in tam publica morum & fidei calamitate, cernens ipſos ordinum ductores, œſtro vindictæ percitos, frameam quam illis credidit Deus Optimus Maximus ad ſalutarem tutelam innocentum, plebeculæ ſuæ dearmatæ cuſtodiam, fidei præſidia vibrandam in ſontes, in noxios, in contemptores religionis, in hoſtes diuinæ maieſtatis, ſtringere, ac fodere in cognata fratrum viſcera (ſumus ſiquidem fratres, cum habeamus communem omnes in cœlo patrem Chriſtum Ieſum.) Sed vt verè & liberè aliquando dicam quod ſentio, nos veri germaníque Chriſtianiſmi effigiem nullam tenemus: vmbra tantùm & imaginibus vtimur. Hactenus Hercules & Liber pater (vt eſt in prouerbio) vlterius fortaſſe Chriſtianæ libertati aqua fluere non videtur. In viam inſtitutam ergo reuertor, & vos Equites bene ſperare iubeo, quibus Chriſtus Ieſus, dum cæteri eam prouinciam negligunt, crudeliſsimum hoſtem numinis ſui debellandum & triumphandum tradidit. Eia ergo ſpe bona, & animo pleni, duce Deo arma capite, ac retundite mihi nobili illo mucrone veſtro, præferocientes illos ſpiritus, in Turcarum vultibus eminentes: & quemadmodum Dauid Goliadẽ occidit, ſic vos infame tyranni corpus, cultu indumentoq́ Barbarico tectum, quod ritu patrio poſt largas epulas, & ampliſsimam ingurgitationẽ, muliebria quæq́ agere & pati ſolet, gladijs veſtris confodite: confoſſum Caſsianis Brutijsq́ vulneribus vltricibus flãmis exurite. Quòd ſi tu fortiſsime Magiſter equitũ cum iſta nobili ſacraq́ militari cohorte tua effeceris, egregiã certè laudem & ampla ſpolia referes. Si enim Scipio clarus eſt, qui Hannibalem ex Italia decedere coëgit, ſi ornatur eximia laude Aphricanus, qui duas vrbes Romano imperio infeſtiſsimas deleuit: ſi eſt æterna gloria Mario, quòd bis Italiam obſidione, ſeruitutisq́ formidine liberauit: quanta te gloria putas manet? ſi Turcas Chriſtianis finibus quibus imminent, excedere cogas, & legem Mahumeticam deleas, ac reliquam Catholicam Græciam, Cyprum, Cretam, imò & ipſam Italiam, ſeruitutis formi-

Fridericus Barbaroſſa.

formidine liberes? Si enim hic vicerit hoſtis (quod Deus nolit) cõtinuò iſtas prouincias permagno ex diuerſis gentibus comparato exercitu inuadet, vaſtabit, exuret, & miſerrima ſeruitute opprimet. Accingere igitur gladio tuo ſuper femur tuum potentiſsime Magiſter, & vos ſacri Equites, eſtote fortes in bello, & pugnate cum ſerpente iſto antiquo. Neq; moueant vos ingentes hoſtium exercitus: ſed reputate animo quod res eſt, vitam & interitum hominum eſſe in manu Dei, qui non tam multitudini fauet, quàm pietati. Quoties, quæſo, populo Iſraëlitico, locorũ anguſtijs circumuento, & parua manu cum innumeris gentibus Amorræis, Aegyptijs, Moabitis, Philiſtinis, Madianis, Cananæis, depugnanti, præclariſsimas victorias conceſsit, hoſte ad internecionem vſque cæſo? Recenſerem nunc (niſi breuitatẽ eſſem pollicitus) copiarum Xerxis, Darij, cæteraq; Græcæ & Latinæ hiſtoriæ prophana exempla, ex Iulij Frõtini Stratagematicõn Lib. IIII. nota, quibus apertè inſtruimur virtute & audacia, ad victoriam non numero opus eſſe. Rudis enim & indocta multitudo, vt inquit ille rei bellicæ ſcriptor, ad fugam & cædem ſemper expoſita eſt. Quare Alexander Magnus, cum præter Macedonas ſuos vniuerſo Illyrico innumerũ delectum poſſet indicere, nunquam maiores quadraginta millium copias duxit: inhabile regenti ratus quicquid excederet. Quapropter moneo vos Equites, vt iſta obſidione geratis ſpiritus dignos nobilitate veſtra, hoc eſt, egregios, audaces in prælio: ſiquidem maximum ſemper his periculum, qui maximè timent, audacia pro muro habetur. Quàm omnia ad bellum proſperè feliciterq; gerendum neceſſaria, quæ abundè adſunt, vobis addere & augere debent. Siquidem, vt omittam neceſsitatem pugnandi, quæ ſola vel timidos fortes facit, armis ac militari peritia hoſtem ſuperatis. Tenere enim licet vos loricis ſemper tectos, verticem tegit galea minaci criſta emicans, pectore æneus ſplendet thorax, manus armantur enſe & clypeo, pedes innodantur duro ſolidoq; ferro, neq; ideò minus ad ſaltum & luctam habiles, nam arma & ferri graue pondus leue facit vſus, ac quotidiana exercitatio, quæ vos belli ſtratagemata, arteſq; edocuit, iaculum rectè emittere, tormentum excutere, haſtam validè vibrare, gladio cæſim & punctim ferire, mari claſſem dirigere, & inter duo maxima ineuitabiliaq; mala, quæ animus meminiſſe horret, ignem & aquam, inuictos eſſe. Et timebitis, quæſo, nunc ſeptiuallo, foſſa, mœnibus, muro centumpedali in præſidio veſtro, in arce veſtra, incredibili tormentorum machinarumq; apparatu inſtructa, quam annis ab hinc quadraginta contra tot Barbaros nudam & inermem defendiſtis, eam nunc relinquetis, nec pugnabitis duce hoc Magiſtro veſtro Philippo Vilerio Liladamo, cui bellicæ omnes artes, ac fortiſsimorum Liladamorum patrio, auitoq; ſanguine hæreditariæ ac gentilitiæ ſunt, cuius ſolum nomen, victoriam & triumphum, ſe contemplantibus pollicetur? Siquidem Philippos ab equorum ſtudio Græcis dicta vox perinde ſonat Latinis, quaſi dicas bellacẽ ac victorem. Nónne ſi colligamus gerenda geſtis, huius tam felix, tamq; incruenta Sultanicæ claſsis expugnatio, abundè id temporis victoriam pollicetur? Eia ergo fortiſsimo & conſtanti animo obſidionem tolerate, aderunt ab occaſu regum, ac or-

Rudis & indocta multitudo ad fugã & cædẽ ſemper expoſita eſt.

ac ordines veſtri, parata ſubitaq́ auxilia: & pugnam alacriter capeßite, nec timete hoſtes tantùm anguſto ſcuto & enſe, nudis femoribus dependenti contentos. Nam galea & lorica omninò non vtuntur, & prudenter: huiuſmodi enim arma non decent ſtolidos & fugaces. Si res primo conatu non ſucceſſerit, viros decent in acie ſtantes, paratos vincere, vel pulchram per vulnera mortem oppetere: quorum alterum optabile, alterum (ſi neceßitas cogat virum) Chriſtum ſimul & militiam profeßis non pertimeſcendum.

Hac oratione accenſi Equites ſunt, & Magnus Magiſter: dataq́ ei notitia eſt omnium, quæ nuper allatus obſes manifeſtauerat: quem vt inueni vrbanè veſtitum, ita moribus ruſticum (Siquidem gens Turcica à pueris nulli officio, aut diſciplinæ, ſed tantùm paſcendo pecori aſſueſit) & ad omnia liberè, minimeq́ fucatè reſpondentem, Turcam claſſem parare in finitimis Cariæ, Lyciæ regionibus, delectum militum habere mittendorum in longinquas Hiſmaëlis Sophi prouincias, nec fefellit. Siquidem tyrannus, vt à nobis, quos omnia explorare non dubitabat, belli ſuſpicionem auerteret, gentem vicinam duramq́, & bello natam, procul ad anguſtias Amani montis tuendas miſit, ne inde Sophus in nuper acceptum Sultani regnum erumperet. Sed parum profuit dolus. Nam Magiſter ſtipatus armato ſatellitio centum delectißimorum iuuenum, quibus præerat F. Ioannes Bonauallis, pollens viribus & decora facie, eques Auernus, vt obſidendis animum adderet, muros, ſtationes, locaq́ ſingula obequitauit: impigrè ſuorum & hoſtium res pariter explorans, quid boni vtriſque, aut cõtra eſſet, inquirit. Molem molendinariam munire iubet: qua parte Occaſum ſpectat, mariq́ haud alto alluitur. Franciſcus Freſnayus Romangius eques Gallus, morum facilitate, liberalitateq́ omnibus acceptißimus, qui poſtea ad ſtatione Italicam pugnans occubuit, loci & magnæ onerariæ nauis ſacræ militiæ præfectus, mandatam prouinciam ſumma cura atque induſtria exequebatur. Nam ante molẽ quam aggere, contabulatisq́ turribus ac vaſis luto & terra madefacta impletis munierat, tormentisq́ variæ magnitudinis, vt cuique aptum viſum eſt, loco diſpoſitis firmauerat. Naues magnæ minorisq́ formæ ſaburra, ſaxoq́ grauatas, paululũ à muro altiore mari depreßit: quarum obiectu impedimentoq́ triremes hoſtium, à loco prius machinamentis, audaciaq́ militum expugnabili remotius arcebantur. Portus ſeptus eſt valida ferreaq́ cathena immanis ponderis tranſuerſum ante fauces proiecta, trabibus etiam quæ ſupra vndas natabãt validis anchorarijs funibus inter ſe connexis, quæ à turri molendinaria ad arcem Nicoleã obliquo tractu protendebantur: quo opere vſus maris hoſtibus ademptus eſt, eluſaq́ maritima oppugnatio, poſtulata & commiſſa cum cæteris pyratis Turcenſibus Cortugolo, cuius frater in Robore, carcereq́ Rhodiano cum diu ſqualuiſſet, admotus obſidione hoſtili, inter mille & amplius Turcas, publicis operibus inſolens, auræ & lucis diem extremum obijt cum alijs multis: quos tam hoſtium foris immiſſa tormenta, quàm domeſticæ ærumnæ vigilando, agendo, feſtinando, portando omnis debilitatos orco tradiderunt. Plures præterea in tumultu quodam populari, temerè exorto, miſerabiliter occiſi ſunt. Nec

Turci paſtores.

Ioannes Bonauallis.

P canum

canum melior quàm Turcarum fortuna fuit. Hi enim quòd in culina paſcantur, & cibatu qui homini proprior eſt, à pueris tota vrbe ſupplicio affecti ſunt. Magiſter equitum ne quid imparatum inexpertúmue ſineret, paratis omnib. ad bellum neceſſarijs, ciues ad ſe in Prætorium vocatos in hanc ſententiã alloquutus eſt: Magnanimi viri, ciuesq́; optimi, audimus hoſtem Turcã permagno ex diuerſis gentibus collecto exercitu ad nos properare. à cuius innata crudelitate, ſolitaq́; perfidia, niſi nos ferro vindicemus, mihi equitibusq́; meis, ac vobis etiã vnum & cõmune periculũ eſt. Siquidẽ vnanimi conſpiratione & opera, res eius grauiter terra mariq́; afflIximus: præda ex agris eius vi abacta, eſtis locupletati. Gentem ſuã hodierno etiam die graui ſeruitute opprimimus, iniuria ille nos, iure optimò dicimus. Siquidẽ maiores ſui ſpecus ſubterraneos & tenebroſa antra Caucaſæ rupis amplius non ferentes nullo iure, nullo titulo, nulla cauſa, ſola auaritia & dominandi cupiditate, odioq́; ſanctiſſimæ religionis noſtræ irritati, Chriſtianos Syria expulerunt. Deinde Græcos ſua Græcia non vna morte gentis contenti, ſed (vt ſemper fera & immanis eſt barbaries) animam varijs exquiſitisq́; tormentis eripuerunt. Quos iſte ſupra ætatem malus & arrogans puer omnibus grauis accola Arabiæ, Syriæ, Aegypti, regni Perſarum, magna parte totius Aſiæ dominatu, tot præterea locorum ac populorum imperio nõ contentus, tyrannide, cæde, bello, rapinis, perfidia, odiò, impietate erga Chriſtũ & homines, ſuperare conatur: & noſtras inſulas, terráſque Chriſtianorum vniuerſas occupare mirabiliter laborat, vt tandem rerum omniũ & mundi Dominus, diruat Chriſtianas vrbes, Chriſtianos obtruncet, Chriſtianum nomen ſibi tantopere inuiſum penitùs deleat: quam non ferendam iniuriam vt propulſaremus, ſedem potiſſimùm in hac Rhodienſi inſula delegimus: quòd hic locus ad bellum Barbaris inferendum viſus ſit cæteris opportunior. Fecimus quantum in nobis fuit, adiuti ſumus à vobis, experimento cognouimus, quanta ſit virtus, fides veſtra, quam ne nunc mutetis, nulla ſuſpicio. Quapropter non agam multis, vt in fide & officio permaneatis: nec longa ambage ad virtutem vos hortabor, quã fortibus verba nec addunt, nec demunt. De me ac equitibus meis diuo Ioanni deuotis parcè quædã loquar. Sum cum his, quibus (vt ſpero) aderit principum Chriſtianorum & aliorum equitum meorum qui in Occaſu ſunt, peropportunum auxilium, paratiſſimus defendere vos, liberos veſtros, coniuges, fortunas, fana, monumenta maiorũ veſtrorum, & cœleſtium deorum delubra. Quã opinionem, vt fixam, immotámque veſtris mentibus retineatis, efficere poſſunt (ne quid dicam aliud) fidele ingenium meum in bello, nec ſegne omnino, nec rude corpus, ſana & perpetua valetudine ferendis laboribus, & excubijs aptiſſimum, equitum meorum nobilitas & amor erga vos, inimicitia in hoſtes: vrbis præterea fortitudo, quam hic ſacer & nobilis Ordo ingenti pecunia aduerſus omnem tormentorum vim atque impetum ſic egregiè muniuit foſſa, vallo, muro, mœnibus, turribus, propugnaculis, vt nulla ſit ciuitas quæ huic nedum præferri, ſed nec æquari poſſit. Ad hæc armorum, telorúmque incredibilis copia, vinum, caro, frumentum

Oratio magni Magiſtri.

ſub

ſub terris conditũ,ne humor, aër, gurgulióue corrumpere poßit, mirè abundat: hominum ad bellum aptorum haud paruus numerus. Lignorũ magna vndiq; ſtrues. Aquæ ſaluberrimæ, quæ incluſis obſeßisq; plurimũ ad varias neceßitates vtilis eſſe ſolet, larga & indeficiens vbertas: quæ omnia certam victoriã, certißimum & optatum belli euentũ nobis ſpondent. Addo quòd ex noſtra parte pugnabit neceßitas, pugnabit fides, pietas, cõſtãtia, pugnabit amor patriæ, amor libertatis, amor parentum, coniugum, liberorũ. Illic voluntas magis ducum quàm militum perfidia, impietas, inconſtãtia, deſiderium veſtræ ſeruitutis, odium parentum, coniugum, liberorũ veſtrorum. Procul dubio (cariſsimi ciues) non ſinet Deus optimus tot tãtasq; virtutes ab iſtis vitijs ſuperari. Eſtote ergo animo pacato & ſecuro, nihil hoſtile, nihil ominoſum metuentes. Tantũ in fide, quã tot annos difficilimis bellorum & fortunæ caſibus impliciti, ſacro militari ordini illæſam ſeruaſtis, permanete: & ſi neceßitas poſtulet, armis dextríſque virtutẽ veſtrã hoſtibus oſtendite, fidem facite Hiſpanis, Gallis, Pannonijs, Italiæ, Britanniæ, Rhodios homines poſſe Turcarum ſpiritus reprimere, illorũ claſſes & exercitus ab Italia auertere: cui tot annos ferrũ & flãmas minãtur. Ad quam mirabiliter feſtinant & peruenient, ſi (quod animus abhorret dicere) hîc vicerint. neq; enim ambitioſus iſte puer, animo, perfidia, crudelitate Hannibalem ſuperans, Hannibalem imitabitur, qui facta ingenti ad Cannas Romanorum ſtrage, victoria vti neſciuerit: ſed continuò celeritate Iulium Cæſarem vincens, expoſitis omnibus opibus Aegyptijs, quas pater in direptione Cairi reperit, Apuliã, Calabriam, Siciliam magna claſſe, magnis exercitibus inuadet. Inde in Gallias irrumpet, mox petet Hiſpaniam, cæteráſque Chriſtianorum regiones, omnéque crudelitatis genus in vniuerſos exercebit. Sed altiùs me rapit oratio quàm velim, aut opus ſit. Fides enim & virtus veſtra, Magnanimi ciues, in tolerãdo & oppugnãdo hoſte firmior eſt, quàm vt oratione indigeat: conſtantior, quàm vt malis quæ incluſos obſeſſoſque pati neceſſe eſt, confringi poßit, quanquam illa quæ verè mala ſunt, famem & ſitim, omnino non ſentietis. Quas tamen populi aliquot, fide, virtute, & animo vobis nequaquam comparandi, conſtantiſsimè pertulerunt. Siquidem Petilini à Pœnis obſeßi, parentes & liberos propter inopiam eiecerunt, ipſi corijs madefactis, & igni ſiccatis, foliisque arborum & omni genere animalium victum trahentes, vndecim menſibus obſidionem tolerauerunt: nec antequã vires ad ſtandum in muris, ferendáque arma deerant, expugnati ſunt. Caſillini obſeßi ab Hannibale, murem centum denarijs emerunt. Excubias in ſtationibus agere neceſſarium erit: domorum ruinas ſi tormentis eiaculata ſaxa inciderint, æquanimiter tolerate. Sed reparari poſſunt hæc mala, & minora ſunt, quàm vt ideo deditionem faciamus hoſti, in cuius clementia fidéque nulla ſpes eſt. Præterquam enim quòd natura crudelis & perfidus eſt, tum nobis qui illi tot mala intulimus, à quibus ſolis ſibi, vt ait, dominatori terræ & maris, quo eum ſæpe deturbauimus reſiſti dolet nullo modo mitis, fidelíſque eſſe poterit, quos toties Marte aperto, vi publica, ingenio, aſtu, dolo, fraude adortus eſt: verùm ſemper conatu irrito, opitulãte

Petilini à Pœnis obſeſsi.

Caſillini obſeſsi ab Hannibale.

nobis Deo Optimo Maximo, quẽ ante omnia velim (chariſſimi ciues) propiciemus. Niſi enim ille cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant cuſtodes.

Poſtquam omnium animos alacres vidit, cohortatus vt petitionem ſuam curæ haberent, conuentum dimiſit: & ſolennem ſupplicationem, quã etiam dies tempusq; anni expoſtulabat, ad fanum Deiparæ Virginis indixit, comitatus ſacram maximamq; hoſtiam, latam circum omnia compita medius inter paludatos equites, ſequente maxima hominum multitudine, Deum optimum maximum precatus eſt: vt bellum quod inſtaret, bene feliciterq; ſibi, populo Rhodio, & nomini Chriſtiano eueniret. Reſpondere omnes rem diuinam ritè peractam eſſe, precationi annuere cœlites, iri poſſe quò vocaret Chriſtiana religio & inimicorum audacia: Deũ & ſanctiſſimum tutelare numen omnia læta fauſtáque portendere, vrbis protectionem, victoriam, & triumphum: quæ dum vulgus (cui plerunq; plus animorum quàm conſilij eſt) feſtiuiſſimè ante bellum cantaret, viros primores prudentiorésque magna cura occupauit: qui ſummo ſtudio vt vulgo feliciter opinata cõtingere poſſent, procurare non ceſſabant. Inter quos frater Clemens Pontifex Græcorum clarus, abſtinentia, & ingenio, nec non Græca facundia meritò connumerandus eſt: qui Græcos ſuos ex vetere fortuna olim ſtupenda orbi, animum adhuc retinentes, oratione quàm appoſitiſſima ad obſidionẽ fortiter ſtrenuéque tolerandã eſt cohortatus, loco publico, pro baſilica mercatorum, & ante ſacram imaginem Deiparæ Virginis è ſummo primarióque fano gentis allatam: vt oratio hoc modo luce religionéque commendatior, cui populus ille alioquin deuotiſſimus eſt, benignioribus auribus accepta, efficacem magis aculeum in animis audientium relinqueret. Sed nunc orationem ipſam adſcribo:

Clemens Põtifex Græcorum.

Optimi, Magnanimiq; Dores, rumor aut veriùs certitudo belli, quod nobis inſtat, diuerſiſſimas inter ſe res gaudium & metum, in animum ingeſſit meum. Neq; profectò ſcio, vtro magis commouear. Nam dum tacitus mecum claſſes copias, exercitus, vim, magnitudinémque hoſtium mente reuoluo, totus tremore horreo. Verùm dum animus æger ex ſolicitudine (vt fit) in ſpem rapitur, atq; in admirationem præſidij Latini, & fidei, fortitudinísque Græcorum repentè mutor, & is qui non eram, fio: ex ſolicito liberrimus, ex pauido timidoq; audax, è triſti alacer & gaudens: ſpondeoq; mihi titulos, ſpolia, exuuias, victoriã ac triumphum de immaniſſimis hoſtibus. Et ſi me benignis, vt cœpiſtis, pergatis audire auribus, aperiã vobis ſpei & pollicitationis meæ rationem. Sed inuocato prius Chriſti Ieſu Dei noſtri optimi maximi, & Deiparæ virginis Mariæ auxilio, ante cuius imaginem ſacroſanctam conueniſtis, in quo primam, maximámque victoriæ noſtræ rationem pono: hinc ſenſim ad humani ingenij vires, conſiliáque mortalium deſcendens, cerno generoſiſſimorum Equitum conſtantiſſimam fidem erga Deum, erga Rempublicam: cum qua collata illa Marci Attilij Reguli, multũ lucis dignitatiſque amittit. Video horum nobilitatem, ad quodq; maximum facinus ſic animatam, vt nullo cruciatu, nullo metu inde terreatur. Aſpicio vrbem inexpugnabilem muro, mœnibus, propugnaculis, vario

genere

genere tormẽtorum, multiplici commeatu, omnibusq́; alijs, quæ ad noſtram ſalutem, hoſtium excidia pertinent refertiſſimam. Tamen liberè dicam, quod ſentio meo more, neq́; ad gloriam veſtram, nec ad Latini præſidij vires nimium eleuandas. Hæc vrbs contra tot hoſtium conatus, tantas Barbarorum copias nihil poteſt, nihil etiam valet Latinum præſidium, niſi coëat fortitudo & fides Græca: quæ ne Latinis tam neceſſario tempore fraudi, doloq́; ſit vos precor. non quòd hic prece multum opus putem: ſed quòd ſciam Turcas vos hortaturos, vt à Latinis deſciſcatis. Quid enim eſt illis optatius, quàm vno tempore & vos circumuenire, & nefario ſcelere vos obſtringere? Aut quid irati grauius de vobis ſentire poſſunt, quàm vt eos prodatis, qui ſe vobis & omnia ſua crediderunt, & in eorum poteſtatem veniatis, qui ſe per vos perijſſe, ac tot damnis, tot cõtumelijs, totque iniurijs affectos æſtimant? Redeat obſecro in memoriam, maiorum veſtrorum fides, non domeſtici ſcriptoris, ſed externi Latini T. Liuij, omnium mortalium iudicio digni, cuius inuicto calamo, inuictæ populi Romani res geſtæ conſcriberentur, teſtimonio celebrata: qui multa egregia erga populum Romanum terra, marique auſi ſunt. Nam cum Antiochus Philippum Macedonem aduerſus Romanos exercitu, nauibusq́; adiuturus videretur, Legatos ad regem miſerunt, ſi non contineret copias ſuas, ſe obuiam ituros: non ab odio vllo, ſed ne coniungi cum Philippo pateretur, & impedimento eſſet Romanis. Quæ honeſtiſſima legatio cum parum profuiſſet, Rhodij Romanos adiuuantes, Antiochum regem fuſum fugatumq́; & exutum caſtris, prius Europa, pòſt Aſia, quæ cis Taurum montem eſt, expulerunt. Quare meritò à Catone, quinto Originum libro (vt autor eſt Gellius) appellati ſunt optimi fideliſſimique ſocij Romanorum, quibus nec animum duntaxat bonum, ac fidelem præſtiterũt: ſed etiam naualibus prælijs, quæ multis locis facta ſunt, omnibus adfuerunt: nec labori ſuo, nec periculo vſquam parcentes: & quod miſerrimum eſt in bello, cum Mithridates Aſiam occupaſſet, Q. Oppium proconſulem, item Aquilium Legatum in vincula conieciſſet, iuſſuque eius quicquid ciuium Romanorum in Aſia fuit, vno die trucidatum eſſet, obſidionem, cum ſoli in fide Romanorum permanerent, paſſi ſunt. Et in diſſenſione ciuili inter Antonium, & Octauium vltores necis Cæſaris, & Caſſium ac Brutum, cum petijſſent, ſi in ciuili diſcordia à partibus abſtinere, & æquè omnes Romanos colere non liceret, tantiſper dum ipſi ad ſenatum mitterẽt, bellum differri, vt ex eius autoritate arma caperent, inuaſa mox vrbe cum ira victoris cuncta quæ collibuiſſet, in matronas, in virgines eſſet operata, omnib. bonis mulctati ſunt: fruſtra miſericordiam cum multis lachrymis rogante venerando ſene Archelao, à quo Caſſius Rhodi Græcè fuerat eruditus. Nam Aeſchines cum à Repub. excidiſſet, huc doctrinam Athenarumq́; ſtudia intulit: fuitq́; Gymnaſium ea tempeſtate hic florẽtiſſimum: in quod cum Ariſtippus philoſophus Socraticus, naufragio in littus noſtrũ eiectus diuertiſſet, & de philoſophia diſputaſſet, magnis adeo muneribus eſt donatus, vt non tantùm ſe ornaret, ſed etiam eis qui vnà fuerant, veſtitum & cætera quæ opus eſſent, ad victum præſtaret. Hoc Gymnaſio Tiberius,

poſtea Romanorum Imperator amœnitate & ſalubritate inſulæ captus, ſine lictore aut viatore ſæpè obambulans, mutua cum Græcis profeſſoribus officia vſurpabat. In quo, vt Antenodorum audiret, Cato huc ab exercitu nauigauit. Cicero, quem vnum Latini contra tot noſtros rhetores & philoſophos obijcere ſolent, quiq́; primus, vnusq́; cuncta philoſophiæ dogmata à Græcis accepta, eis tradidit. Hic Apollonio, qui eum tantũ, quantus eſt, effecit, operam dedit. Et quam gratiã reddiderunt oro Romani Græcis? à quibus omnia honeſtatis probitatisq́; exempla, omnem armorum literarumq́; ſcientiam accepere, quorum fideli opera & induſtria domi, forisq́; imperij ſui ditiones propagarũt: Nẽpe Caſſianã, vt audiuiſtis, & Rhodiorũ, quos ideò ſuperbiæ inſimulabãt, quòd ſeſe ſuperari ſuperbia æſtimarẽt, opibus diripiendis intenti, infenſiq́; fuerunt, gentem vetuſtiſſimam nobiliſſimamq́;, vel fama rerum geſtarum, vel omni commendatione humanitatis, doctrinarumq́; ciuitatibus, quas non tam liberaliter, quàm meritò ob nauatam bello Macedonico & Aſiatico operam dedere, mulctauerunt. Neque hac iniuria contentus Veſpaſianus, Rhodum cum adiacentibus inſulis adempta libertate, in prouinciæ formam redegit. Verùm optimi maiores veſtri, tot alijs ſupra alias affecti iniurijs, magis quid illos deceret cogitantes, quàm quid mereretur aliorum improbitas: vtq́; leuitatis ac perfidiæ notam fugerent, ſemper in fide Romanorum permanſerunt. Vos quid nunc facere conuenit laudatiſſimi viri, tam præclara ſubſtantiæ, & fidei domeſtica monumenta animo reputantes, pro Chriſto Ieſu Deo & homine, pro ſacra militia, quæ non modò æquis legibus, & facilimo imperio, vos ſemper indulgentiſſimè habuit, ſed etiam fouit, nutriuit, locupletauit? Ingrati, maliq́; animi eſt reticere, quorum beneficio ſis adiutus. Ingratiſſimi, peſſimique verò, non rependere gratiã cum poſſis & debeas, cúmque omnimodo opus ſit tua ope. Defendetis ergo hoc neceſſario & difficilimo tempore Rhodios, in quos nulla ingratitudo perfidiáque vnquam cecidit. Qui liberi etiam aliorum libertatis cauſam egiſtis, ſacrum militarẽ Ordinem, arcem Equitum, imò capita, focos, aras & fortunas veſtras, quibus inſultat, & vltima exempla parat perfidus Tyrannus, hoſtis fidei ac religionis, quam à maioribus veſtris accepiſtis: pro cuius dignitate gloriáque aſſerenda, nullum diſcrimen, ne mortem quidem certam intentatámque fugere debetis. Sed cum vos conſidero Græci, fidi, fortes, pij, ac vt vno nomine omnia complectar, verè Chriſtiani, cum Equitum Latinorum audaciam, nobilitatémque æſtimo, magna me ſpes victoriæ tenet. Ite igitur duce Chriſto Ieſu, Ioannis Baptiſtæ, ac ſanctiſſimi Equitis Georgij, ſecunda fiducia contra gentem impiam & nefariam, perfidam, quæ nunquam virtute, ſed ſemper occaſione freta vicit, nullam regionem, niſi domeſticis malis ruentem occupauit. Eunuchos ſeruos Orientis, imbelles Syros, fugaces Perſas, alióſque quos tepens Pharius & leuium populorum nutritor Nilus emittit, tenero perlucentes amictu: & vix leue pallium vitando ſole tolerantes oppugnare ſolitã: non Rhodios, qui iſtas primùm gentes cum Imperatore ſuo Memphitico Halbuzato ingenti & fœda cæde ferè ad internecionem vſque deleuerunt, & iterum ad-

iuti à Pontifice maximo Caliſto III. Quíque ipſorum Turcarum obſidione tantùm nouem & octoginta dierum, octo millia præter quindecim ſauciatos morti tradiderunt. Sic enim numerum init Cauorſinus quaſi pollinctor mortuorum, & vulneratorum omnium chirurgus. Vidit ſol lætus ſpectaculo, audierunt diuerſarum terrarum populi, intra paucos dies euerſores Aſiæ atque Europæ ab Ambuſono vno, vnius Græcæ gentis duce ſtratos, cadaueribus ſuis eam terram metientes, quam pugna committenda ſibi ſpondebāt. Si Diuina pietas, ductu auſpicijsq́ Ambuſoni vos, quos genus Chriſtianum iuxta ac veteres illos Græcos heroas iampridem intuetur, tanta cæde hoſtiū, tam celebri triumpho inſignire voluerit: quid creditis Chriſtum Deum opt. max. ſocio tutelari numine iam miniſterio veſtri, ac ſerui ſui Liladami principis, verè optimi & nobiliſſimi, aduerſus crudeliſſimos hoſtes ſuos acturū? certè mens maiora omnino concipit, quàm exprimere audeat. verùm euentus rectius ſpem pollicitationémque, qua me vóſque animaui, dubio procul confirmabit.

Mirum in modum Græcorum animi hac oratione accenſi ſunt. nam ducitur, rapitúrque hæc gens inter cæteras maximè nationes laude & gloria, tantúmque ſuadendo & hortando hinc inde apud homines effectum eſt, vt hoſtis magis cupidus ſit, quàm deteſtatus: nec diu multorum ſtultas voces infeliciáque ſibi vota remoratus eſt. Quadam enim nocte elatis ſpecula ignibus in hoſtico ſignum dedit: miſſaq́ eſt extemplò cum Lembo armata militaris Triremis, & in ea Caſtrophilaca interpres. qui cum in portam proceſſiſſet: Commodius, inquit, vnus hoſtium turma equeſtri circumfuſus, ſi in terram egrediaris. cum id facturum ſe negaret: quid, inquit, Xayci fortunam metuis? Ad hæc ille minaci & Rhodio animo, Xaycus quem contra fidem ſacramentúmque cepiſtis, nihil me ſolicitat. Nec vos, quibus non credo, metuo. cum ſermonibus de induſtria compoſitis vellent tempus protrahere, poma remigia deijciētes: aut paucis, inquit, præfectus de puppi loquēs, mandata explicate, aut hinc faceſſite, niſi malueritis actutum bombardis obrui. Barbari primùm equis & arcubus ferocientes vno verbo attoniti, obſignatam epiſtolam ſuper ſaxum quoddam ponunt, ibi mandata contineri, & cum dicto calcaria adigētes, curſu quàm cōcitatiſſimo aufugiunt. Epiſtolæ autem talis fuit ſententia:

SOLYMANVS TSACCVS DEI GRATIA REX REGVM, DOMINVS dominantium, Maximus Imperator Byzantij & Trapezuntis, &c. Reuerendo patri Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magiſtro Rhodi, Equitibusq; ſuis, & vniuerſo populo.

COmmouerunt me afflictiſſimæ gentis meæ commiſeratio & ſumma iniuria veſtra. Impero igitur vobis per celerē inſulæ & arcis Rhodiæ deditionem pie vltroq́ conceſſa gratia, ſecurè abeundi cum omni precioſa ſupellectile: aut ſi libet manendi ſub imperio meo, in nullo nec tributo quidem minuta libertate aut religione veſtra. Si ſapitis, præferte amicitiā et pacem bello crudeliſſimo. Nam victos vi manet acerbiſſima omnia, quæ victi à victoribus pati ſolent: à quibus nō defendent vos arma domeſtica externáue

auxilia,

auxilia, nec ingentes muri, quos radicitus euertā. Valete bene. Quod nunc demum fiet, ſi potius quàm vim, amicitiam malueritis, quæ neq; fraudi neque dolo vobis erit. Iuro Deum cœli, terræq; auctorem, iuro quatuor Euangelicæ hiſtoriæ Chronographos, vicies quater mille prophetas lapſos è cœlo, ſummumq; inter hos noſtrum Mahumetem, adorandos item Manes aui patriſq;, tum hoc ſacrum auguſtumq; meum imperiale caput. Ex regia noſtra Conſtantinopoli. Huic cum alij acerbius, quidam lenius, quiſq; pro ingenio ſuo reſpondendum ſentirent, nihil eſt reſponſum. Eodem die qui menſis Iunij decimus quartus fuit, appulerunt ad Cos inſulam, Hippocrate ſuo, Venereque Apellea non minus quàm ſolo cœloq; nobilem, triginta Triremes hoſtiles: harum præfectus leui præſidio in nauibus retento, militemq; fermè omnem in terram expoſuit, ad exurenda tecta & frumenta, quæ iam prope maturitatem erant, atq; ad vicos, agroſq; depopulandos. Verùm Preianes inſulæ dominus vehemens, impiger, ſummæ audaciæ vir, accenſus indignatione, funeſtam illis hanc populationem fecit. Nam expedita manu peditum, cum tumultuario equitatu leuis armaturæ erumpens in prædatores, per ſegetes, per agros palantes, clamore claßico, ſtrepitu armorum ſimul à diuerſis locis facto, tantum terrorem Barbaris iniecit, vt cæcis & lymphaticis nedum fugientibus ſimiles, ſine vi, ſine defenſione, in obuia tela armaq; incurrerent: nec, niſi naues littori propinquæ pleroſq; trepidos & fugientes excepiſſent, ſuperfuiſſet cædi aut fugæ quiſquā. Ita re infeliciter geſta, præfectus naues inde auertit, nec poſtea littus attigit. Rhodij haud minori ardore quàm Turcæ, in Langone cœperunt agros, campoſq; ſuos deuaſtare, & ex eis quæ diutinæ obſidioni tolerandæ neceſſaria erant, in vrbem importarunt: exciderunt arbores, confregeruntq; omnia ſuburbana, & quicquid amœni ſanctiue prope vrbem infra lapidem ſtabat, demolitum, ſoloq; æquatum eſt, ne hoſti integrum vſui commodoq; foret. Perſuaſerat hoc pridem populo, F. Gabriel Pomerolus Promagiſter, ærarij triumuir, ſpectandus domi foriſq;, facundus, callidus, amicitia facilis, multaſq; alias bonas animi & corporis artes poßidens. hic poſtea in anticuniculum, vix admodū incōmoda gradiens, pede lapſus, læſo paululum capite, ilia perfregit: paucíſque inde diebus extinctus eſt. Nunc orationem ipſam adſcribo.

Preianes.

Gabriel Pomerolus Promagiſter moritur.

Ornatißimi ciues, auditis Turcam ingens bellum moliri terra mariq; erga quem incertum, ſigna oſtendunt aduerſus vos, militiamq; noſtrā. Laborandum igitur ac proſpiciendum nobis communiter omnibus, ne ab hoſte immanißimo imparati offendamur: néue negligentia aut imperitia noſtra illi vires addat. Statuit igitur magnus Magiſter vicinas vrbi arbores excindi debere, domos dirui, ambitus murorū qui foris ſunt ſolo æquari: quod vt ſinatis, rogat & iubet. Compertum eſt enim, relatione militū qui vrbes defenderunt & oppugnarunt, hæc poſſe obſeßis nocere & hoſti prodeſſe: à quo vobis fortuniſq; veſtris idem quod nobis & commune periculum. Nam in eadem, vt dicitur, naui nauigamus. Magiſter, quem hoc difficilimo tempore magnum & ſapientem virum eſſe expertus ſum, omnia leniter & modeſte cum populo, cum equitibus agens, etiam vbi res poſcebat grauiter: vt

alios

alios exemplo confirmaret, viridarium ſuum ſtationi Gallicæ præiacens, haud dubiè amœniſſimum, primus demoliri, extirpariq; præcepit. Dum per hunc modum omnia amœna, iucundaq; aſpectu deformantur, triſtius omnino deforméque magis ſpectaculum erat, quod vrbem propè maiori luctu mœſtitiaq; confecit, quàm ipſe aduentus hoſtium: miſerabilis ſcilicet multitudo incondita turbæ agreſtium hominum, ligna, frumentum, pecora, legumina, aues cortiles, cæteraq; neceſſaria vſibus, & quib. diuturnior obſidio ſuſtineri poſſet, ex agris (quod Magiſter iuſſerat) vrbi inferentium: quos immiſſa ac circumfuſa turba ſequebatur, puerorum ac mulierum plorantium, quæ ſparſis crinibus genas, faciémque ſuam conſuetudine patria, fœdè laniabat: ſupinas manus ad cœlum, ad Deum tendentes orabant, vt claram Rhodum ex flamma, ferro, peneq; fati faucibus eriperet: matrésque Rhodias & liberos paruos inuiolatos ſeruaret. Colluuio iſta agreſtium in arcta tecta cum vrbanis locatorum, animantiúmque omnis generis, cœlum graue morbosq; fecit, contagioſos tamen magis quàm perniciales, profluuium alui & febrim. Verùm cum iſtorum brutorum maxima pars, decreſcente annona, impaſta, neglectaq;, ac ſæpe morbida per ſtrata, per vicos, relinqueretur, maioris & peſtilentiſſimi prorſus mali ſeminarium factũ eſt: quod verò poſt fugã, deditionemq; noſtram, vim ſuam in hoſtes & miſeros qui remanſere Chriſtianos, ſæuè exercuit. Nec intacta ab hoc malo fuere obſidentium nos hoſtium caſtra. facilè enim à tactu mutuaq; familiaritate morbũ contraxit gens immunda, incompoſitaq; multitudo: cui cibus caro præter ſuillã vix ſemicocta, maſſaq; tritico manu molito facta, atq; in carbonibus decocta, humi vti pecoribus pabulũ & ſtratũ cõfecta vigilijs ſitiq;. Nã iudex vrbis venerabilis & exactæ iam ætatis vir, pabulum & aquarũ fontes lino putrido, aliaq; ſimili materia corruperat, quã vẽturũ credidit hoſtẽ. Qui priuſquã tota claſſe ad inſulã obſidendam deſcenderet, arte atq; inſidijs vſus, cum XX. longis nauibus, reliquis aliquot auxiliaribus cũ ſupplemento in ſtatione ad Gnidum promontorium, haud procul ab vrbe Rhodo atq; in ſinu Symæ inſulæ (quæ Rhodiorum eſt) relictis, per continuatos aliquot dies fretũ, medium inter oram Lyciæ & Rhodum inſulam nauigauit: cogitans iſto modo ad nauale certamen è portu nos elicere. Spem enim habebat optimo ſanè cum conſilio propoſitam, ſi reſpondiſſet euentus, aut nauali prælio vincere, quod tunc temporis non multò minus fuiſſet, quàm Rhodum expugnaſſe: aut res noſtras deſtructo inter pugnandum flore militum hominumq; nauticorum, plurimum debilitare poſſe. Qui cum nullo fine facto nunc ad medium vſq; fretum veniret, nunc in altum regrederetur, inde iterum ad portum propè procedens, claſſem in conſpectu explicaret, plerisq; cùm ætate, tum ingenio feruidis. quibus non toleranda ſuperba iſta fiducia videbatur, conſiliũ haberi placuit, faciendúmne periculum naualis certaminis foret. Cancellarius ſacræ militiæ idemq; ærarij Triumuir, multis illuſtribus factis domi belliq; clarus. animo immoderato, incredibilia nimis alta cupienti. ingenio magno varióque, copia dicendi larga & exuberanti, quã prouectiori iã ætate cũ in pueritia literis nõ vacaſſet, feriatus à bellis,

Cancellarius nauale prælium committendũ ſuadet.

negotijsq́; cùm publicis, tum priuatis, quotidiana lectione omnis diſciplinæ autorum ſibi præparauerat. Plinium enim ita nouit, vt nemo melius nomẽ digitósque ſuos: cui ad ſummũ honorem Magiſtratumq́; nihil obſtitit, niſi nimia inconſultaq́; honorum cupido, negabat ceſſandum eſſe. Aut enim, inquit, vt erat lingua immodicè liber, ingens iſta claſsis, ad cuius nec dũ vim aut aſpectum, ſed ſolam famam pleriq; contremunt, quæ tamen noua non eſt (nã ſingulis annis venire ad nos ſolet) his piraticis nauigijs veluti membris caput iungenda eſt, & tum vtiliſsimum fuerit, quod quidem ſuperioribus robore nauium, numero, & virtute militari facilimum eſt, capiti membris defractis, huiuſmodi dolorem atq; ignominiam infligere, vt perpetuò inde langueat: vel nulla alia quæ in nos fabricata ſit, claſsis iſtam ſequitur. Quod mihi (fremant licet homines, qui vmbram ſuam ac cœli ruinam metuunt) veriſimilius videtur. Nec enim tam vecors eſt Turca, vt hoc ſero anni tempore, poſt ſeptimum Calend. Iulias, huc moueat parte æſtatis, ad oppugnandam vrbem commodiore exacta, & quam vrbem? munitiſsimam, nullius idoneæ rei egentem, validiſsimo firmatam præſidio: vnde maiores ſui ſemper cum clade & ignominia repulſi ſunt. Cui prius quàm cuncta expugnandis vrbibus reperta apud veteres, aut nouis ingenijs inuenta admoueat, reliquum omne æſtatis tranſierit. Hyeme autem cùm vbique incõmoda ſit oppugnatio, tum inſula incõmodiſsima: præſertim hac, in qua non portus vllus, non conſiſtendi vſquã locus. Quin igitur Deo & tutelari numine bene iuuantibus, imus hoſti ſuperbiſsimo obuiam? Sed vno minaci indiculo ab adoleſcente anxio, ne claſſem ſuam aliò deſtinatam, à tergo inuadamus, dolo fraudeq; ad nos transmiſſo deſides intra muros, mœniaq; noſtra comploſis manibus ſedemus, nuſquam metu ac pauore trepidi caput efferentes, timiditatem atq; ſegnitiem noſtram vocamus, ſi Dijs placet, artes Fabianas: & vtinã Fabij eſſemus, non potius Antiochi, Aetholi (quorũ omnis ferocia in verbis) Vitellij, credentes ſedendo, aut votis debellari poſſe. Verùm, non votis, neq; ſupplicationib. muliebrib. aut his ſenſib. cõſiliiſue, quam timidi cauta vocant, auxilia Dei parantur: vigilando, agendo, proſperè omnia eueniunt. Propalàm his ferociora dicendo, tantum apud multitudinẽ effecit, quæ plerunq; ex incertiſsimo animos ſibi ſumere ſolet, vt ſibi pugnã depoſceret: velle ait ſe abolere indignitatis maculã cæde & ſanguine hoſtiũ: non eſſe ſe ſine armis, ſine animis, ſine manibus. Patribus, ſine quorũ conſilio, Magiſtro quippiam decernere ius, fasq́; non eſt, viſum in hac rerũ difficultate, fortunam non eſſe tentandam, lictoribus tantùm, & à populationibus conſcriptis ad hoc mille viris, hoſtem arcere placuit. qui cum videret ſpem ſuam eludi, retroagens claſſem ad Villam Nouam (ſit loco nomen) duodecimo ab vrbe miliario iactis anchoris deſcenſionem fecit. Segetibus tantùm, quæ prope maturitatem, & pro derelicto habitæ erant deuaſtatis. Nam hominum, quod aut in vicis, aut in agris erat, iam in vrbem caſtelláque ſparſa per inſulam hac illac munitiora conceſſerant. Quam iniuriam dum vindicatum iret leuis armatura equitum, miſſo ad hoc nuncio à magno Magiſtro redire iuſſa eſt. Prudens enim dux, militem ad maiores

iores rerum caſus ſeruabat: qui tota obſidione non ducem, ſed etiam militem egit, & interdiu aliquando cum his cibum cepit, noctu ſæpiſſimè ad tertiam vigiliam in ſtationibus manſit: aut obambulans, aut fortuitò ſedili è ligno, vel lapide inſidens. In oppugnationibus ferocior quàm Patribus placeret, nec tela, nec hoſtes formidans: ſemper tamen cauta potius conſilia cũ ratione, quàm proſpera ex euentu probauit. Fuitq́ (quod mireris) inter tot curas, tam varios & ancipites caſus, ſemper eadem vultus gratia & maieſtate: quem intuentes venerabantur & amabant. Huic addendum, quòd quicquid otij ac quietis à curis, ab oppugnationibus, à naturali vſu, & deſiderio corporis habere poterat, id totum in preces, & rem ſacram conuertebat. Sæpiſſimè enim maximam noctis partem ſolus ante altaria thorace tãtùm & galea, manicisq́ depoſitis, orando, pſallendoq́ tranſigebat. Palàm equitum & populi vox erat, nihil timeſcendum: Rhodum magni Magiſtri vigilantia precibusq́ inuictam futuram.

Rhodus vigilantia precibusq́ magni Magiſtri inuicta.

Nunc reſtat operis difficilimi pars laborioſiſſima, nunquam ſine ingentiſſimo luctu, atque mœrore omnium hominum nedum meo memoranda. Nempe, in qua vrbis nobiliſſimæ ſemper lugenda deditio, & miſerrima Hieroſolymitanorum Equitum fuga continetur. Quam qui fando, audiendóue temperare ſibi à lachrymis poteſt, meo quidem iudicio modicè Chriſtianus eſt, aut parum prudens malè intelligit, quantum victoria Rhodia vires Turcicæ auctæ ſint, noſtræ acciſæ. Verùm nunc omnis querela, etiam neceſſaria ſera eſt, atq́ ingrata. Quandoquidem Occidentis Principes, qui obſidione moti non ſunt, neq́ excidio commouentur, poti calice furoris, indignationis & iræ Dei, quod vtinã iuuenili meo tantùm calore effuderim. Sed vereor, atq́ adeò vereor, ne repugnãs reluctãsq́ dolori meo verã vocẽ efferre ſim coactus, & ne hi qui immiſericorditer aliorũ miſerabiliſſimas querelas aſpernãtur, iubentes quenq́ ſaluti ſuæ conſulere, dicentes ſecũ, non continget malum, nec flamma, nec gladius hoſtilis nocebit nobis, mox ad palinodiam adacti, Hieremiæ vatis fatale, ac lachrymabile carmen recantare cogantur: Ecce gentem à longinquis, & procul diſsitis regionibus, gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem cuius linguam ignoramus, nec intelligimus quid loquatur, comedit ſegetem, vineam, ficum, & ſtirpem noſtram: deuorat panem, gregem armentúmque noſtrum, & ignis ſuus latè omnia comburit: quem ego iamiam ſcintillantem video, imò proximos lambentem flamma parietes. Nec credimus inſani rem agi noſtram, ſed cùm omnia fulgure flammæ hoſtilis propius admoto, Italiam, Hiſpanias, deinde Gallias lucere videbimus: tunc inopes auxilij humani, ante aras & delubra diuûm fruſtra adflictantes noſmetipſos, veniam irarum cœleſtium, & malis noſtris finem efflagitabimus. At reſpondebitur timeo, ab irato numine: Oratio veſtra conuertitur in peccatum, manus veſtra, & imperium veſtrũ ſanguine madet ſuo, propediem flamma aliena Turcica exarſurum. Par eſt enim, vt qui in terra veſtra Chriſtum dominum Deum veſtrum contempſiſtis, in terra iã non veſtra, ſed hoſtium, barbaros & immaniſſimos Turcas perferatis: quod vt vehementer futurũ timeo, ita

rurſus ſpero, & ſi quid veri mens augurat, opto, vt amor ac delitiæ noſtri generis Chriſtus Ieſus, ſatis ſe pœnarũ habere putabit, ſi errati pœniteat. Illud enim potius quàm funeſtum quippiam in præfatione ominari libet, ac precari vt velit orſis ſecundi Libri proſperos ſucceſſus attribuere.

DE BELLO RHODIO LIBER SECVNDVS.

SEXTO *Calendas Iulias manè diei nunciatum eſt è ſpecula ſtante in vertice montis, diuo Stephano ſacri, vno fermè ab vrbe miliario, maximam claſſem aduenire ſecundùm flexum Occidentalis littoris Lycij. Comota ciuitas eſt acerbo, non etiam inopinato nuncio: cuncta vario tumultu ſtrepere, ſuo quiſque metu pericula metiri: & clamor vbique erat, qualis in obſidenda iamiam vrbe eſſe ſolet. Cúmque dies octauus eſſet ab annua ſupplicatione, circũlatáque ſancta hoſtia, iterum exacto ſolenni ſacro, vu tu habitúque ſupplicum, reuerentiſsimè in circuitu fani tutelaris numinis ab Antiſtite ſacri militaris ordinis portata eſt: & Deus obſecratus, vt Equites, hominéſque Rhodios, quos religionis ſuæ propugnatores eſſe voluerit, etiam robore militandi, & felicitate vincendi donaret: ferrum, flammam, cædes, rapinas in hoſtes numinis ſui auerteret. Religione & ſancta ſpe firmatis per hunc modum animis, ſacráque hoſtia ſedibus ſuis repoſita, clauſis raptim portis, in muros concurſum eſt, turba quoque mulierum, puerorum, ſenúmque greſſus ſuos baculo regentiũ & effundentium ſeſe è domibus ad ſpectaculum maximæ claſsis (nam ad trecentum, & amplius naues omnis generis fuiſſe dicuntur) vias paſsim & turres, tectáque domorum complebat. Venerunt naues hoſtium longo agmine. Prima prætoria nauis præſidis Gallipolitani erat: cui claſsis cura maritimæq; oppugnationis imperium mandatum à Tyranno fuerat. Agmen cogebat Archipyrata Carra Mahometes, poſtea tormento ab arce Telea accuratius emiſſo, orco traditus. Dux qui mediæ claſsi præerat, incertum quare (nam vento Fauonio ſecundiſsimo vtebatur, neq; aliter oppugnationem tentauit) haud procul à portu, qui duabus vtrinq; turribus multiplici, & vario bombardarum genere munitus fauces ſuas dilatat, triremes explicare iuſsit; velaq; contrahens, malos inclinans, & ſimul armamenta componens, demerſis vtroq; latere in aquam remis, oram, vrbem verſus legere cœpit. Re conſpecta ſubitò ad arma conclamatum eſt, ſigna canere, decurſus tota vrbe fieri, fortiſsimus quiſq; tendere ad portum, & molem quæ portus ipſius læuum latus efficit, quamq; hoſtium iniuriæ obnoxiam eſſe diximus, & ab hoſte peti homines putabant. Verùm Pyrata cernens ſe bombardis obrui, nulla aliter mora facta, ſublatis raptim dolonibus, in altum non ſine diſcrimine ignominioſóque clamore Rhodiorum ſtantium pro muris, ad reliquam claſſem ſe recepit. Quæ præteruecta ante vrbem & ora propugnatorum, ſub ſignis ſuis acie inſtructa aſtantium, cum ſono cantuq; muſicæ militaris, terrorem non tã incuſsit, quàm accepit:*

Vrbem obſident Turci.

occupa-

occupauitq́ promontorium (Bo incolæ vocāt) tertio ab vrbe lapide diſtans in Orientem verſum. Cumq́ is locus haud ſatis commodè tot naues capere poſſet, pleraq́ ante hoſtium in ſalo ſtabant. Sed cum Rhodij tormentis per muros diſpoſitis barbaro hanc ſtationem infeſtam facerent, propius ad terram naues contraxit: ſtabantq́ ita in arcto ſtipatæ, vt vix vllum telum in mari vacuum intercideret. Audiui propoſitam eſſe à Hieronymo Bartolutio Florentino, in rebus bellicis non inexercitato, rationem exurendæ claſſis: quæ cum ab vno ex præfectis ærarij (vt pleraq́ alia ad hoſtium perniciem inuenta) non probaretur, à collegis quoq́ improbari cœpta eſt. Verùm dum hoſtis tormenta & machinas, cæteráque ad vrbis excidium pertinentia, è nauibus in terram exponit, locum caſtris eligit, terreſtres exercitus à continenti in inſulam traijcit & vrbis mœnia ac ſitum contemplatur, & qua facilius oppugnationem pati poſſet. Oppidani in omnes occaſiones intenti, haud ſegne otium terebant. Siquidem ante murorum fundamenta nullo ætatis ſexúsue diſcrimine facto, profundiſſimos puteos altáque incilia infoſſatis effodiebant ad cuniculos hoſtium excipiendos. Quam rem vſu experimentoq́ compertum eſt, non tantùm Chriſtianis, ſed etiam Barbaris in hiatibus & effoſſis lacunis ſeſe occultantibus profuiſſe: Magnus Magiſter F. Ludouicum Andugum Equitem ad Imperatorem Carolum V. in Hiſpanias miſit: Romam ad Cardinales & ſacros milites ſuos Italos: equitem Claudium Ducenuillum in Gallias ad regem atq́ equites ſuos Gallos, cum literis quibus opem miſerrimæ vrbi terra & mari obſeſſæ implorabat. Par autem erat communem Chriſtianæ religionis cauſam à Rhodijs primò ſtrenuéque ſuſceptam, cæterorum quoq́ Chriſtianorum Principum cōcordibus armis adiuuari. Sed ſors aliter cecidit. Preianes cuius ſuprà fecimus mētionem, vir cuiuis antiquorum & huius ætatis ducibus cōferendus, terreſtri prælio bonus, nauali optimus, ad pericula capeſcenda plurimum habens audaciæ, & inter ipſa pericula plurimum benignioris fortunæ, vt iure dubites fortiórne, an felicior ſit, hyemem & æſtatem iuxtà pati, humi quieſcere, eodem tempore laborem & inopiam tolerare à pueritia aſſuetus, & quæ cæteri miſerias vocant, voluptati habere: cum duos trésue dies metu hoſtium in deſerto quodam ſcopulo latuiſſet, nauicula exploratoria ſilente noctu excubitores fallens, Rhodum intrauit, magnam ſpem & animum omnibus afferens. Neq́ enim milites alio duce plus confidere aut audere, nec Magiſter vbi quid fortiter ac ſtrenuè agendum eſſet, alium quenquam præficere malle: Is dies noctesq́ armatus intētusq́ milites hortabatur, vigilias & ſtationes circuibat, opera quæ hoſtes igni ferróque violauerant, ſedulò reficiebat. Aduenit etiam è Creta inſula conſilijs atq́ adhortationibus prudentis viri Fratris Antonij Boſſij, Gabriel Martiningus Brixiēſis, in militia & toga ſpectādus, ac ex veteri illa Brixienſi probitate, quā Plinius celebrat, multū referens, mirabilis inuētor, ac artifex operum bellicorum. Qui quàm plurimos cuniculos (nam quinquaginta quinq́ fuiſſe dicuntur) quos Turca propter ſcaturientem alibi aquam, alibi occurſum indomiti ſilicis, ingenti cum mole difficultateq́ agebat, per leui negocio ludificabatur, actis contrà cuni-

Legatio ad Carolum V. in Hiſpaniā.

Gabriel Martiningus Brixienſis.

culis & ſpecubus introrſum ad murorum radices effoſsis. Res ipſa hortari videtur, quoniam de Rhodo obſeſſa agimus, eius ſitum paucis exponere, ac inſtituta maiorum domi militiæq; : quomodo Rempub. habuerit, vt in manus equitum Hieroſolymitanorum venerit, diſſerere.

Rhodi ſitus. *Inſulam Rhodum Carpathij maris, ſicut ego accepi, habuere initio Telchines è Creta profecti, faſcinatores & malefici generis homines, aſperi incultiq;, quos primùm ferrum & æs operatos ſcribunt. Hi neque moribus, neque lege aut imperio cuiuſpiam regebantur: ſed poſtquam Tleptolemus populis ſecum iunctis, quos poſtea nouem nauibus ad bellum Troianum duxit, eam habitare cœpiſſet, multo inde & apud Deos & apud homines celebrior facta eſt. Siquidem Optimus Maximus illius ætatis & gentis Deus Iupiter, non contentus ibi ex diuino vertice Mineruam ſuam peperiſſe, etiam auro pluit: quod Poëtas fabulatos crediderim ob nimias opes, omniumq; bonarum artium egregia ſtudia, quibus is locus adeò refloruit, vt multi diſsimulata patria mallent ſe Rhodios nuncupari: quod duobus Apollonijs alijsq; contigiſſe, memoriæ proditum eſt. Breuiq; res Rhodia in tantam claritatem & potentiam euaſit, vt multis annis antequam Olympia inſtituerentur, plurimum toto mari polleret, eamq; potentiam ad Romanorum vſque tempora Rhodij ſumma cum vi & autoritate conſeruarunt. Eſtq; horum fideli opera & induſtria, nomen Romanorum in Oriente rerum potitum. His ſiquidem Rhodiorum vrbs magna atq; magnifica commeatum, ſocios, naues, cæteráque bello maritimo neceſſaria, ſine quo Oriens inuadi capíque non potuit, facilè ſuppeditabat. Verùm haud eodem omnino loco ſita, quo nunc ab Equitibus Latinis ære ingentiſsimo atq; opere ducentorum & quatuordecim annorum conſtructa conſpicitur, ad extremam oram inſulæ, quam Manuel Byzantius Imperator poſt euictam Macrim Lyciæ vrbem, & diu peruagatam, verius quàm habitatam Cyprum, ipſis donauit, poſſeſsionem tamen armis adepti ſunt, Græcis nimiopere Syris familiaribus, vt qui ægrè iuſtum Germanumq; dominum ferrent Latinos recuſantibus: quos partim metu tædióque longioris belli Gulielmus Villaretus Gallus variam fortunam domi foriſq; expertus, æquis vtrinq; conditionibus imperata facere coëgit, adiutus à Ioanne* XXII. *Pontifice & Rege Neapolitano. Semper enim regnum iſtud Rhodijs fauit. Hac etiam obſidione commeatus duorum millium ducatorum & gratis & liberè, ſero tamen hinc ad nos miſſus eſt. Cum quadriennium retrò Lutetiæ ſcholia quædam ederem in Iuſtiniani Codicem, & Conſtitutiones Bonifacij, Clementis, & huius quem dixi Ioannis* XXII. *deſcripſi vitam eius è varijs autoribus, quorum nemo auxilij Hieroſolymitanæ militiæ præſtiti meminit: quanquam inter omnes conueniat pontificem hunc nimiopere ſtuduiſſe Gallis, & ſacrum bellum in Saracenos molitum. Verùm domeſticos annales hîc ſequimur: Regem tamen Neapolitanum haud nominatim exprimentes. Volateranus Ladiſlaum appellat. Oppidum in planiſsimo loco poſitum eſt, & circumuallari coronaq; militum cingi poteſt. Nam portu tantùm Septentrionem ſpectante, mari cingitur, reliqua parte in occidentem vergit: planicie lapidoſa haud*

magna

magna latitudine, longitudine maiori inter ipſum, colleſq; apricos, patente: qui vrbi adiacent frequentes, fontibus domibuſq; conſiti oleaſtris, ficu, vineto, ac cæteris id genus arboribus, quæ in humo arida & harenoſa gigni ſolent. Verùm manus & ars, naturæ defectum ſuppleruut. Muro enim atque promuro validiſsimo ſeptum eſt, præterea tredecim turribus aſſurgẽtibus, minaci ſpecie horrens, quinq; maximis propugnaculis, omnem aduerſus vim iniuriamq; hoſtilem firmatum, pluribus portis nobile. Diſciplinam militarem, mea opinione, nuſquam ſæuerius obſeruatam aut exactam reperies. Vrbis totius cuſtodia in has partes diuiſa erat: à turri Franca ingenti altáque magnitudine cacumen ſuum in cœlum propè ferenti, ad portam vſq; Ambroſianam, quà iter ad montem Philerẽmum eſt, ſuper cuius verticem tyrannus, Sacello Deiparæ Virginis in balneas ſedemq; arcanarum libidinum & monſtroſi cõcubitus mutato, arcem erexit. Sub ſignis lileatis Franci ſtabant, quorum caput erat F. Ioannes Aubinus, natalibus & meritis in ſacram militiam clarus. Hinc ad portam vſq; diuo Georgio ſacram, infra ctum robur equitum Germanorum, vexillis aquilaribus ſplendens. Tertio loco Galli, Auerni, finitimi equitibus Hiſpanis, ambo belli molem perferentes, quod ibi foſſatum latitudine profunditateque minori foret. Quinto loco phalanx Britannica pugnabat, duce magno Magiſtro: poſtea Galli Narbonenſes. Nouiſsima ſtatione ſed prima virtute, legio Italica vrbem aduerſus Pyrrhi vim fraudeſq; defendebat, ducibus F. Petro Balino, qui F. Georgio, Aimaro Montaphio præfectis ſaucijs ſucceſſerat, & Gregorio Morguto anteſignano Nauarrorum, copiarum auxiliarium præſide. Verùm fraudes non tam extraneus hoſtis, quàm domeſticus efficaciſsima ad nocendum peſtis ſtruebat. Siquidem ferox vna fœmina, ſanguinis Turcici, incompos mentis, an amẽtia ſimulata, incertum (quæſtionib. enim nihil exprimi potuit) ſerua ciuis ampliſsimi, ad rem atrocem & maximo cuiq; viro audendam animum adiecit. Decreuerat enim cum aliquot coniuratis (numerum non teneo) in maximo quopiam tumultu & inuaſione hoſtili, per diuerſa vrbis loca incendia miſcere: quorum periculo conſternatis, & deſerentibus ſtationes ſuas pugnatoribus, Turcam nudata præſidio mœnia occupare poſſe, non inepta ratione colligebat: ſed defuit, re indicijs & confeſſione conſciorum comperta, audaci incœpto ſuus euentus, ſumptúmque de noxijs ſupplicium eſt. Turca per idem tempus nondum vniuerſo apparatu oppugnandarum vrbium mœnibus admoto, collem quendam eminentiorem occupauerat: in quo Fanum D. D. Coſmi & Damiani ſtabat, ponè virginis Elimonitræ ſacellum, fronte in ſtationem Anglicanam directa. Hinc magis exercendi militis cauſa, quàm nocendi nobis, leuibus tantùm tormentis vtens, in vrbem iaculari cœpit. Poſtea vineas agere, ſuperq; aggerem iacere, vallo & foſſa loca vrbis, quibus imminebat, circundare, com paratis ad opus huiuſmodi impletionemq; foſſarum & cuniculorum, maximos ſubterraneoſq; labores die ac noctu continuatos, quinquaginta millibus agreſtium hominum, aſſuetorum magis agro ac pecori quàm bello: qui cùm moræ culpam ſtatim fuſte, aliquando capite luerent, incredibili celeri-

Mulieris feroeis facinus.

tate

tate effecerunt, quod poſſe effici, negaretur. Exciſæ ſunt ab his rupes duriſſimi ſilicis, & campi montibus aggere æquati, & cõplanata foſſuris montium iuga, quos Rhodij nihil tutum munientibus patientes, primùm miſſilibus ſummouere, deinde ad erumpendum etiam in munitiones atque opera animati, porta patefacta inuaſerũt: turbatis vndiq; clamore & impetu, feſſis laboribus, nec animus nec ars ad reſiſtendum fuit; qua quiſque potuit per diuerſas vias fugam faciebat, etiam milites cuſtodes operum. Inſtabant ferociter Rhodij, creſcente (vt fit) & alieno metu audacia. Multi qui explicare ſe ab impedimentis nequibant, aut alio caſu tardati, fœdè occiſi ſunt. Et cum ingens multitudo accurreret è caſtris ſuis opem latura, maxima & & latiſſima ſtrages tunc per totos campos edita eſt: omnia quà viſus erat, conſtrata globis æneis, armis, cadaueribus, & inter ea humus infecta ſanguine. Nam tormenta in eum euentum per muros & turres præparata, in medias hoſtium phalanges, cuneosq; confertiſſimos, cum maxima vi fragoreq; & tonitru erumpentia, multos mortales peſſundederunt. Quo genere pugnæ cum hoſtem ſemel bis atq; iterum eluderemus, munimenta ſua noctu intentiſſimis vigilijs, quanta maxima poterat diligentia, accelerabat. Die cuſtodiæ duplicatæ ſunt, & tormenta ad exitum Rhodiorum oppoſita: quæ non tam in vrbe eos continuerunt, quàm quòd timebant, ne crebris eruptionibus nimium attenuarentur præſidij vires. Cumq; per hunc modum Rhodus terra verè obſeſſa eſſet, mari etiam, die noctuq; naues aliquot vento & remigio mobiles ante portus hoſtiũ in ſalo ſtarẽt, adierũt præproperè magnum Magiſtrum nautici quidam, parati ſeu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti, dicentes rationem à ſe inuentam, qua hoſti peropportunas inſidias ſtruerent: ſineret modò eos facere, periculi eſſe nihil. Animus Magiſtri paululùm arrectus annuit. Illi melopepones, vuas, aliosq; anni & regionis fructus ſcaphæ imponunt; mutati arma atq; ornatum promiſſa barba, capite conſuetudine Turcarum linteis turrito, conſcendunt, tertia vigilia cœlo obſcuro tendentes ad eam inſulæ partem, qua traiectus in continentem erat, gnari linguæ & gẽtis, fructus ſuos venum exponunt. Coëmerunt mox Barbari profundæ intempeſtiuæq; ac ſordidæ gulæ. Epulas enim & quocunque tempore vel ante lucem, & quocunq; loco ſumunt, protrahuntq; illas à medio ſæpè die ad mediam noctem diſtenti, & madentes inter exoletorũ miniſteria. Sunt enim libidinis in mares profuſiſſimæ. nam perſuaſiſſimum habeo, neminem Turcam pudicum, aut vlla corporis parte purum eſſe. Diuenditis hoc modo pomis ac fructibus, & inter contrahendum hoſtium animis atque conſilijs cautè exploratis, noſtri nauiculam à terra moliuntur. Turcæ quibus obſidionis initia tantùm mirum in modum diſplicebant. nam præ inuſitata multitudine tormentorum, qualem nec viderant vnquã nec audiuerant, nuſquam recipiendi ſeſe tutus locus erat. Omnia enim vi & impetu lethales bombardæ Rhodienſes penetrabant: hortari, obſecrare noſtros, vt in continentem illos traijciant. Qui ſimulata recuſatione, negare ſe id facturos, nauiculam modicam eſſe, nec tantæ multitudinis capacem, ægrè tamen vt videbatur Barbaris, ſeptem aut octo admiſerunt. Hi ingenti do-

Nautici inſidias Turcis moliuntur.

Turci impudici.

lore

lore ſuo, noſtro verò gaudio Rhodum adducti, ſocio interprete à Preioanne & F. Gabriele ſummo militiæ præfecto turrim templi diui Ioannis editiſſimam ſcandere iuſſi ſunt: vnde per omnem circumuicinam inſulam atq; in caſtra hoſtium proſpectus erat. Cum multa & varia pro Ducum arbitrio rogati ſincerè reſpondiſſent, inter cætera (quod hic adſcribendum putaui) renunciarunt tumultum, ac etiam rerum nouarum initia, coniurationéſque complures intra hoſtium caſtra exoriri, militum aliquot cum ingens multitudo quotidie fame, miſeria, tormentíſque ab vrbe emiſſis periret, & locus ſepulturæ vacans nullus extaret, ſub pellibus tuguriolisq; ſe continere: nec inde à Ducibus, vocéue præconis extrahi poſſe, plurimos ſeceſſionem & fugam meditari metu, magnitudineq; præſentium & futurorum periculorum, querentes fruſtra ſe conari dicentes; duces ſi ſani eſſent, vim inexpugnabilibus inuictíſque non intentaturos: Rhodũ nequaquã Albæ Pannonicæ comparandam, præeſſe Liladamum cum ſelectiſſimo Equitum robore, nouas auxiliarium copias, vel iuſto prælio acceſſuras, réſque melioribus & felicioribus quàm ad Albam ducibus geri. Quæ cum ad gratiam à captiuis auribus ſeruientib. dici æſtimabantur, res tamen ipſa poſtea patuit. Nam Pyrrhus aſſiduus deſertorum & ſeditioſorum inquiſitor placatórque (tali enim tempore lenienda magis quàm punienda vis erat) literis Conſtantinopolim miſſis, Tyrannum in caſtra vocabat, opus eſſe celeri ſuo acceſſu, omnia ſeditionem & turpem fugam ſpectare, militem obſequium rumpere auſum, & imperia aſpernari. Interim dum Tyrannus iter parat, compertum à ducibus per transfugas eſt (quos leuitas ingeniorum in omnib. bellis præbere ſolet) turrim fani Chriſtianis pro ſpecula eſſe. Quare promouente etiam odio crucis in faſtigio erectæ, nihil antiquius habuerunt, quàm crebro ære, magnitudine capitali bombardis excuſſo, turrim illam deijcere. Quod dum diligentiſſime faciunt, ecce Tyrannus quinto Cal. Sept. hora poſtmeridiana in caſtra venit: ibi cum in villam pernეceſſarij mei Iacobi Galteri, quæ Magaſandras dicitur, vel caſu, vel nomine loci arridente deſcendiſſet, offendens omnia quæcunq; dici, aut fingi queunt, ignauiæ ac pauoris exempla in illo exercitu, nihil inſtituto diſciplinaq; militum, aut imperio eorum qui præerant, agi: plus ex malis moribus ſolicitudinis, quàm ex copia ducentorum millium militum auxilij, aut bonæ ſpei accipiebat. Nihilominus ætate & indignatione tam erga ſuos, quàm Rhodios efferuens, ſeruata tamen temperantia inter iram ſuam & culpam ſubiectorum, vocatos ad concionem inermes, atq; etiam gladijs depoſitis, armato peditatu quindecim millium Chiriboardericorum, quos ſecum adduxerat, circumdedit, ſimul & ſuggeſtum aſcendens ſedit tacitus pauliſper animo ſecum cogitans, vtrũ in autores tantum ſeditionis animaduerteret, an plurium ſupplicio vindicanda, tã fœdi exempli defectio, magis quàm ſeditio eſſet. Vicit ſententia leniſſima ad multitudinẽ ſatis eſſe caſtigationẽ, tũ ſilentio per præconem facto ita cœpit: Serui (neq; enim eos milites appellabat, ambitioſius id æſtimans, quàm aut ratio militaris, aut maieſtas ſua poſtularet) quod genus hominũ? Turcæne? militare, vincere aſſueti? equidem corpora, ora, veſti-

Pyrrhus.

Oratio Turcici Imperatoris.

R tum,

tum, habitũ meorum facta, dicta, conſilia leuium transfugarũ & deſertorum video. Heu quantũ me fefellit opinio mea. Abijt illa vis, vigorq́; Turcenſis: dilapſa ſunt robora corporũ & animorũ, quibus Arabes, Perſæ, Syrij, Aegyptij, Meſij, Pannonij, Tribali, Epirotæ, Macedones, Thraces ſuperati ſunt: immemores patriæ, ſacramenti, diſciplinæ militaris aduerſus ducum iuſſiones, aduerſus ſummi imperij mei maieſtatem auſi eſtis pugnã detrectare, fugã moliri, inani cogitatione ac timore mortis & periculorum militaribus viris indigno. Rhodum, ſi quis domi in conuiuijs in compotationibus, in circo, in foro nominaret, expugnaturos vos lingua iactabatis, vix temperabatis manibus: hic experiri vim virtutemq́; volo: ſed credidiſtis fortè conſpectis ſignis Rhodios ſupplices ante portam ſe & ſua in fidem poteſtatemq́; veſtram tradituros. Deſinant omnes hoc ſperare & dicere, mihi qui compertiſſimum habeo credant: Ignobilis & infamis iſta cauea (quam videtis) plena eſt feris efferaciſſimis: quarum rabiem nunquam ſine maximo labore & cruore veſtro domare poteritis. Domabimus tamen: nemo enim adeò ferus eſt, vt non miteſcere poſſit. Quod donec perfecero, hic aut mori, aut conſeneſcere decretum, ac iuratum: ſecus ſi vnquam dixero feceróue, tum hoc caput cum claſſe, exercitu, & imperio, diris execrationibusq́; obnoxiũ deuotumq́; ſemper eſto. Nec plura effatus, niſi quod clemens magis quàm ſeuerus princeps videri & eſſe cupiens, omnibus primorum erratorum veniam condonabat. Citatis deinde nominatim omnib. apud Tribunos impulſoribus, timore pudoreq́; in verba tyranni iurauerunt. Hunc finem exitumq́; ſeditio militum apud Rhodum cœpta habuit. Omnia deinde melioribus auſpicijs & intenſiore ducum militumq́; cura

Duodecim æneæ machinæ.

acta ſunt. Statuebantur locis diuerſis duodecim æneæ machinæ, obſidione Ambuſoni, quintum numerum haud ſuperantes, ore in cœlum erecto, baſe arctiori verſus terram, iacto bimeſtri qui altera obſidione tantùm nouem dierum fuit, dies noctesq́; continuato globos ſaxeos eptapalmares in tecta templaq́;, ſemel ferè in caput magni Magiſtri proijcientes, ſed plus omnino timoris quàm veri periculi attulerunt. Nam cum ſonitu campani æris diuerſo ab eo qui vel oppugnationem vel vim tormentorum in muros quatiendos iudicaret, homines à ſpeculatore ſedẽte in faſtigio fani periculi admonerentur. duobus millibus huiuſmodi globorum tantum decem occiſi ſunt.

Apella proditor.

Quod inter cætera quidã Apellã renatus medendi artis profeſſor hoſti prodidit, cui verſato inter milites trepidatione detecto tormentis expreſſa confeſſio eſt peracti facinoris. Iecerunt etiam globos cupreos, plenos intus bombardis digitalibus, & inter eas exurimenta erant, bitumen, ſulphur, pix liquida, foris coopertus ſæpius in vrbem tortis funibus, cui ſtili ferrei acutiſſimi inhærebant. Hi longo igneóque tractu volantes, dum caſu ſuo crepabant, omnia fœdo fumo atque odore obfuſcantes, quicquid aſtabat cui inciderent ſtyli illi, bombardulæq́; fœdæ, necabant. Sed cum huiuſmodi tormenta nec diu plueret, & ſæpius non frangeretur, liberata eſt ciuitas ancipiti periculo. Efferatior vis erat quadraginta bombardarum quæ iactu ſaxorum rotunditatis palmorum nouem, aliquando vndecim, deformare

magis

magis quàm ſolo æquare murum poterant. Harum vna, cùm in domum, quam fortè fortuna haud infeliciſſimè prætcribam, furibundo impetu irruiſſet, volatu ſuo me proſtrauit, Aethiopi ſequenti, lapis euulſus caput & collum minutim contriuit. Et quia in Aethiopum nomen incidimus, nolo gentem quanquam ſeruilem, fruſtrari ſua laude. Tota enim oppugnatione dominos ſtrenuè & fideliſſimè adiuit. Inter machinamenta hæc, quæ oppugnatione altera ducis Paleologi haud plura quàm quindecim erant: duodecim vaſtæ & immoderatæ longitudinis, æneæ machinæ globos æreos ſaxeosq; multo maiores iuſto capite in oppidum euomebant: quibus appoſitiſſimè nomina à ſerpentibus Baſiliſcis indiderunt: quòd tam machinæ quàm belluæ contractu ſuo omnia fœdantes parem noxam miſeris mortalibus adferant: ante ora omnium iſtarum machinarum ſæpius vno die in ſtationes ſingulas centum & triginta miſſilia, excutientium: quod licet multis ſupra naturam videatur, tamen ita rem eſſe diligenti obſeruatione compertum eſt. Barbari quo eas ſéque à bombardis & conſpectu Rhodienſium intactiores ſeruarent, tabulas attignatione contigua inter ſe iunctas oppoſuerunt: quarum medium transuerſus introrſum axis ſuſtinebat. Has Turca ſuperiori capite funibus ad tormentorum calcem reducto, cùm in tantum altitudinis ſubduxiſſet, vt capita machinarum detecta apparerent, mox appoſito ad forulum tormenti igne, murum quatiebat. Eſt etiam alia arte atq; ingenio hoſtis vſus, ad tutelam ſuorum tormentorum, quæ ſine rotarum adminiculo ſuper cõtiguas tabulas humi proſtratas iacentia texerat, valuis non altis neq; ſe expandentibus, ſed quæ fune ductorio à milite vtrinq; intra foſſas abſcondito clauderentur & aperirentur. Rhodius huiuſmodi opera, quibus confractis reliquum diei & tormentum hoſti inutile reddebatur, præcipua cura ac diligentia tollebat: ſed tantam animi præſentiam virtutémque hoſtes præſtiterunt, vt noctu reficerent, quæ interdiu bombardis diſſipata erant: qua reficiendi pertinacia, & crebro ſuo miſſili igne, incendiiſque cuniculorum Rhodij ſerò inopiam tormentarij pulueris ſenſerunt: quem rotatu molarum per dies noctéſque quinque menſium continuato, bis ſeptem fotiſſimi equi ex ſplendido illo equitio magni Magiſtri atterebant, inter irrequietos triginta & ſex liberorum hominum labores. Neque enim tunc temporis ſeruili miniſterio in re tam periculoſa vtendum videbatur: idq; ne qua fraus contingeret, loco fideli cuſtodia ſepto: cuius caput erat primum F. Deſiderius Antagallus præfectus Manuacenſis: poſtea Gulielmus Pariſottus eques Gallus. Turris Nicolea, quam liberalitas ducum Burgundiæ ſtruxit, quod inſculpta marmoribus inſignia atteſtantur, ſuper molem, dextro cornu ante portum admirabili antiquitatis arte & ſumptu in mare proiectam: in qua ſtetiſſe ferunt Coloſſum illum Solis, inter ſeptem orbis miracula, primum: qui cum terræmotu corruiſſet, iacens quoque miraculo fuit: neque Rhodij, quod Strabo dicit, prohibiti erigere rurſus potuerunt. Mira & ſupra fidem captumq; humani ingenij de hoc Coloſſo prodit liber Græcus, quem penes me habeo, ſeu verius libri quædam vetuſta pars incerto autore. Quæ licet nihilminus ſemper quæ-

Deſiderius Antagallus.

Coloſſus Solis.

ſuerim, quàm vt plus iuſto à rerum ordine declinarem, hiſtoria in quinque libros dilatata, eum multis alijs inter iter & fugam mihi viſis auditiſque explicare propoſueram, vt opere varietatibus diſtincto, legentibus amœna diuerticula eſſent: & animus mihi per varios caſus, per tot diſcrimina rerum in Latium acto, memoria repetitionéque præteritorum periculorum conſtantior ac deuotior Deo liberatori redderetur. Sed id quoque alia ratione effici poteſt, quare non putaui operæ precium bonas horas vlterius in re nec vtili nec neceſſaria collocare. Verùm nunc ad rem turrimq́; D. Nicolao conſecratam, cui cum ſupplemento trecentorum militum, inter quos fuere triginta fortiſsimi & nobiliſsimi ſacri Equites, præſidebat Frater Guiotus Raguſus Gallus, eques magnitudine, animiq́; induſtria ſingulari. Hanc Turcæ per idem tempus diutino impetu tormentorum non modò inutili, ſed etiam opprobrioſo ipſis tentarunt. Quæcunque enim tormenta opponebantur, ea tormentarij arcis primis ferè ictibus aut arte ſua, aut D. Nicolai ope adiuti diſrumpebant. Cúmque per hunc modum omnis conatus diurnus irritus ludibrióque hoſti eſſet, noctu ad lunæ lumen, nihilo meliori fortunâ (bombardis interdiu ſub terra defoſsis, ne à nobis frangerentur) turrim impetijt. Quæ cum occaſum verſus pateret hiatu, commodè equitem cataphractum capiente, factis ſupra quingentis Bombardarum ictibus, dimiſſa, nec aliter tentata à Barbaris eſt. Verùm circa mœnia ciuitatis cùm totius orbis oculi hoc bellum ſpectarent, opus mirum in modum feruebat. Ingens cœptum, pertinax conatus, par vtrinque labor, induſtria & ſpes haud diſsimilis. Rhodienſi die noctúque irrequietiſsimo ad varios conatus hoſtium, neque ars neque vis defuit. Nam immani ſpecu ſub terram infra propugnaculum nouum effoſſo, foſſatum rudere, ſaxo, terra, ſarmentis, opera hoſtili impletum, ſedulo repurgabat. transuerſis cuniculis, hoſtium cuniculos duos & triginta excipiebat, & palàm ac clàm cœptis inimicorum audacter obuiam ibat: qui cùm nonis Septembribus ab imo ad ſummum aperuiſſent, partem haud paruam peregregij propugnaculi Anglicani, incenſo inflãmatoq́; cuniculo, cuius violentiſsimo crepitu tota vrbs nõ aliter quàm motu naturali ſemel obſidionis tempore facto cõtremit. Quem cũ ſentiret magnus Magiſter ante altaria armatus mediusq́; inter preces Sacerdotũ canentiũ in Sacello pro introitu propugnaculi, Deus in adiutoriũ meũ intende, Domine ad adiuuãdum me feſtina: Capio omen (inquit) hoſtis adeſt, feſtinat in adiutoriũ Deus. Dãda nunc opera nobis eſt cõmilitones fideliſsimi, fortiſsimíque, vt hic Ordo auſpicato inſtitutus, per tot ætates maioribus cultus, nec ab vllo hoſtiũ adhuc læſus, quantũ in nobis erit, incolumis poſteritati tradatur. Eoq́; vehementius quod magis dedecus eſt parta amittere, quàm omnino non parauiſſe. Plura dicerem niſi ſtrenuis abundè dictũ eſſe putarem. Et ſimul cum dicto, ſequente ſatellitio armatorum, plenus ſpei bonæ atq́; animi in hoſtes tendit: contra quos inferentes ſigna, licet vndiq́; tela conijcerentur, cuſtodes propugnaculi arma & corpora intrepidè obijciebant, deturbabantq́; manipulos militũ, per hiantem foſſuram ingredi conantes. Hiſq́; turbatis, ac pedem referentibus,

cæteri

cæteri qui ponè erant, quos nec extructi aggeres, nec timor ſatis muniebat (nam pleroſq; iacula tormentis: aut manu emiſſa vulnerabant) paulatim retrocedere cœperũt, quorum ignauia increpita, dux Muſtaphus ſi ipſi cunctentur, ſolum aſcenſurum ſe minatur. Barbari ducem circumfundentes cum vlulatu, ſtrepituq; moris ſui in pugna ineundi, certamen inſtaurant. Aequatis itaq; viribus, prælium aliquandiu atrox fuit: ſumma vi, & duces hortabantur, & milites pugnabant. Potuiſſentq; Barbari, ſi aduerſus partem ruina proſtratam leuia tormenta oppoſuiſſent, cum vix quiſquam noſtrorum ſine cæde, aut vulnere ſtare potuiſſet, eo impetu propugnaculum capere. Sed cum vndiq; tubæ, clamor, adhortationes, aures, circumſonarẽt, in capita toto turbida cœlo tempeſtas, telorũ, ferreuſq; ingrueret imber, & oppidani Equitibus immixtis, ſaxa & picem ſulphure tædaq; admixtam in Turcas conijcerent, nec animos, nec vires Chriſtianorum amplius ferentes nondum receptui ſigno dato, terga verterunt, turmatimq; abibant: nihilq; ordinum, aut imperij memores paßim, quà cuiq; proximum fuit, fuga effunduntur. Bombardæ per muros diſpoſitæ, in abeuntes & vagos cruentißimam ſtragem fecerunt, vti prius cum è caſtris magno agmine in prælium ruerent. Ceciderunt hac oppugnatione multi Chriſtiani & inter ſtrenuè pugnantes, & occiſos Equites Gallos, Hiſpanóſq;, Philippus quidam Lommelinus Ligur negotiator, qui ab Alexandria venerat, Stamphalea ciuis Rhodius. Plurimi vulnerati ſunt: F. Henricus Manſellus ſignifer: F. Petrus Mela Saonenſis, præfectus cuiuſdam onerariæ nauis, qui ambo vulnere obierunt. F. Michael Dargelmunt, ſummus Triremium, & propugnaculi præfectus, amiſſo ſagitta oculo, poſt grauem infirmitatem ſuperuixit. Enituit etiam in huius propugnaculi cuſtodia, fortitudo cuiuſdam Equitis Itali, quem Baptiſtam Romanum vocant, & F. Franciſci Telis Luſitani. Hoſtium, quos belli euentus aut læſit, aut necauit, certum numerum ſcribere non poſſum. Qui modeſtißimè mihi loqui videntur, mille cæſos ferunt, Templa luſtrata, ſupplicationes indictæ: Deo ob victoriam, honos habitus. Muliercula quædam Hiſpanæ gentis, ſingulari vitæ ſanctimonia, quæ ab vrbe Hieroſolyma redierat, nudis pedibus frequens circa aras & templa, ſtipem publicam, quam non tam ſæpe emendicabat, quàm à ſponte offerentibus accepit, rurſus in pauperes erogans, ſedulò hominibus religionem incutiebat: Deum pœnas flagitioſorum iſto bello expetere: ceterùm vltione ſceleratorum facta, vrbi & mœnibus parſurum. Hæc ſibi per quietem, atq; inter preces obnunciata eſſe, perſanctè affirmabat: & iam ſanctum aliquid & prouidum habere putabatur: nec aut conſilia eius aſpernari, aut reſponſa negligere vulgus volebat: adeò deuinctas ſibi habet mortalium mentes religio, ſed miſeros fefellit ſua vates. Dum hæc domi aguntur, F. Deſiderius Podius præfectus arcis Feracleæ, qui multarum rerum cognitionem in receſſu habet, quam vt eſt modeſtißimus, palàm non oſtentat, ex inſula per nauiculam nunciabat, captos perfugáſque ad ſe dicere, quòd magnates quidam in Rhodo, ſecreta conſilia cum hoſtibus communicabant, qui viam ſibi ſubterraneã ſternebãt, in ſepto Equitum exituram ad Fanũ Ioannis

Philippus Lõmelinus Ligur.

Muliercula Hiſpanæ gentis.

Deſiderius Podius.

nis Coloſſenſis. Sic enim à Coloſsi illius quem diximus, memoria (non quòd quiſquam Coloſſas Phrygiæ ciuitatem cum Rhodo confundat) locum appellant Græci, tam Turcarum, quàm Latinorum imperio ſubiecti, qui linguam tantùm Græcorum habent, ſicut ſpeciem hominum. moribus ritibusq́; efferatiores quàm vlli Barbari. Magnis animorum motibus ciuitas agitata eſt nuncio pernicioſi & occultiſsimi mali. neq; enim ſcire poterant homines qua via contrafoderent, quo loco, quo tempore, die an noctu, in ocio vel in tumultu eruptura foret vis illa terrigenarum. Iamq́; non pro muris & mœnibus ſolùm vigiliæ erant, ſed quiſq; domi ſuæ, magnis præmijs primo euulgatori à Magiſtro propoſitis, armatus, anxiusq́; terræ partum expectabat. Indicia coniuratorum, cum nomina haud exprimerentur, Magiſter ſilentio ſuppreſsit: verùm prodidit exitus, quinto Idus Septembres, quintoq́; die poſt primam oppugnationem. Propugnaculum Britannorum, quorum hac obſidione non cõtemnenda manus bello perijt, prælio multo acriori primo, iterum tentatum eſt; irruperant per ruinas ſeptem animoſi vexilliferi cum delecta iuuenũ manu. Et cum pauci propugnatores pluribus pares eſſe non poſſent, ignominia accepta fuiſſet, niſi delecti Equites duce magno Magiſtro, cum ſigno ſacræ militiæ ſuperueniſſent. Ad cuius primum conſpectum Turcæ haud aliter quàm fulgetris miraculóue attoniti, cum ſuperiores eſſent, ad ſuos ſe receperunt. Muſtaphus *Muſtaphus impigrè ſuo munere fungens, inclinatam nulla notabili cauſa aciem ſedulò reſtituebat. Cæteri duces militem terga vertentem, iterum vi, gladijs, & exhortationibus in præliũ retruſerunt. Itaq; pudore & imperio ſuperante metum, pugnam denuo capeſſunt. Rhodij imbre ſagittarum laborabant. Sed ceperat omnium animos, pectoraq́; obliuio vulnerum, mortis cogitatio aberat. Hoc vnum ſolum meminerant, hos eſſe hoſtes, quos ſuperiori pugna cum ſtrage & ignominia repuliſſent. Qua virtute dum prælium in tertiam horam protraheretur, Barbaris vires animíque defecerunt: inter duo millia, quæ manus militaris & tormenta proſtrarunt, miſſa ſiniſtro cornu é propugnaculo Coſquinenſe (quod vocant) dextro Hiſpanienſi, ceciderunt tres Satrapæ, induti holoſericeo pallio ad pedes demiſſo: tam inhabili ad pugnam indumento Barbaros veſtiri moris eſt. Ex noſtris pro tanta multitudine hoſtium, ſanè pauci ſignifero F. Ioachimo de Cluys ſagitta exoculato vexillum amiſſum fuiſſet, niſi properè F. Emericus Ruyaulx ſingulari magnitudine Eques Auernus illud ab hoſtibus ſeruaſſet. Venerat hic cum commilitone ſuo F. Balthaſare Auguſtino Equite Hiſpano, ex Creta inſula in Rhodum obſeſſam. Magnum & audax facinus. Iterúmque per mediam hoſtium claſſem in Pactolum iuit, copias auxiliares acceleraturus: ſed inuidit diligentiæ ſuæ, & miſeræ vrbi fortuna. Muſtaphus ſecundo iam prælio infeliciter commiſſo, vileſcere apud Tyrannum cœpit. Pyrrhus quo apud eum, omnesq́; Turcas gratiam & dignitatem ſuam tueretur, aggerem é terra lapideq́; ante ſtationem Italicam intra mœnia proſtructum magna diligentia, continuatoq́; impetu decem & ſeptem immanium bombardarum quatiebat. Nec ſegnius ſtationem Equitum Galliæ Narbonenſis, quibus imperabat F. Raymun-*

dus

dus Ricaeri præſes Bithyniæ, cuniculis & tormentis demoliebatur. Habuerant ambo ſibi à quopiam, qui ſpecie emendæ ancillulæ, à Georgio Sanctorino, ciue Rhodio, ſecreta vrbis notauerat perſuaſum, oppidum hac parte capi poſſe: quos quoniam res obtulit ſilentio præterire non fuit conſilium, quin vitæ vtriuſq; mores, quantum ingenio poſſem, aperirem. Igitur his ingenium, crudelitas, perfidia æqualia fuere: magnitudo animi par. Item religionis noſtræ contemptus, in mares libido ambobus profuſiſſima: quam in Pyrrho minuit ætas, auget in præſide Caſſio. Hic dãdo, audẽdo, ignoſcendo (ſimulat enim clementiam, vt pleraq; alia bona) gloriam adeptus eſt: ille autoritate, conſilio, ſtudio, publicæ vtilitatis apud ſuos clarior. Sed hac parte, & reliquis oppidi locis, nobiliſſimus Eques è Narbonenſi Gallia F. Gabriel Chier præfectus Auguſtalis fraudibus & conatui hoſtium ſemper maturè obuius fuit: pauperes vrbanos atq; agreſtes profuſiſſima largitione pecuniarum ſuarum, ad cuniculorum effoßionem, cui operi præſidebat impellens. Quod vbi ſentiebat Caßius, paululum impetus ſuos repreßit. Pyrrhus prædurus & pertinax ſenex, Equites Italos quotidianis ferè, ac leuibus prælijs laceſſebat. Sæpe etiam inſtructa ſub ſignis acie, illos aggreſſus eſt. Siquidem decimo Calendas Septembres iuſtis copijs occultatis, intra vallum decem pedum altitudine, muros ciuitatis ſuperans. ſtructum ſeruili miniſterio hominum ex Mœſia Valachia allatorum, aggerem militarem illum erectum principatu optimi Emerici Amboſi magni Magiſtri Rhodij, quem diximus muro Italico præiacere, cum ſubita iuuenum manu inuaſit, trucidatis aliquot, qui præſidio erant, & omnia magis quàm prælium expectantibus. Sed cum repentino ſonitu æris campani, ingens vrbana multitudo, immiſſi etiam ſacri milites accurrerent, maxima vi certari cœptum: hoſtes æquo loco pedem firmantes, haud facilè depslli qui iuerunt. Pyrrhus ſtrenuè laborantibus ſuccurrere, integros pro ſaucijs accerſere, omnia prouidere: contrà Equites memores nomminis Rhodiani, & priſtinæ virtutis ſuæ pugnam æquabant. Quod ille videns ſigno dato, recentes ſuos extra vallum prodire iubet, ſcalis, grumiſque accumulis lapidum tormentis euulſorum, aggreßi milites, prope ſumma cœperant. Oppidani in ſubeuntes ſaxa voluere, ignes longurijs ad ipſum factis immittere, detrudere eos ſpartis ferratiſq; ſudibus. Bombardarij propugnaculi Coſquinenſis & Carectani, quod cuſtodiebat venerandus ſenex F. Fernandus gentilis, latus oppugnantium petendo, & nullo tormento ferè fruſtra emiſſo, maximã hominum armatorúmque ſtragem ediderunt. Extremum tunc agmen procedere non audebat, primores ſenſim retrocedere cœperunt, ſigna equinæ caudæ quæ principum naualium ſunt, & impicta lintea quæ ducum terreſtris exercitus fluctuare. Quod dux videns, poſtquam duas horas maiore animo quàm fructu pugnaſſet, canere receptui iußit. noſtrum plurimi læſi: inter cæſos occubuerunt Equites Itali, hoſtium ingens numerus. Mouerat iratum ducem in nos iactura nobiliſſimi viri (ſi modo vlla ſit inter Barbaros & vnius tyranni mancipia nobilitas) qui pridie huius diei tormento traiectus, occubuerat, dum incautius inferiori, veſte holoſericea: ſuperiore, redemiculo aureo

Ferdinandus Gentilis.

lo aureo indutus, longam virgam rubram manu geſtans, ante ora propugnatorum obambularet. aiunt fuiſſe Protyrannum, penes quem ſumma rerum inſulæ Eubœæ erat. Solymanus hoc amiſſo, haud minorem dolorem concepit, quàm antea quum bombarda accuratius è ſtatione Anglica emiſſa, ei ingenioſiſſimum artificem, ſummumq; rei tormentariæ præfectum abſtuliſſet. Sed nunc ad tertiã oppugnationem Anglicanam ſtylum diuertamus, quæ vt fœlicius quàm duæ primæ Muſtapho procederet, operam & conſilium cum Achimeto Hiſpanorum oppugnatore partitus eſt. Hic cum maximã muri partem quem illi tuebantur, ignito, violẽtoque diffractu ſubter effoſſorum cuniculorum, in altum aëra eieciſſet, nube terreni pulueris obfuſcatos ſtatim maxima vi adortus eſt, neque ſegnius Muſtaphus quinq; vexilla inferens, Britannos aggrediebatur. Pugna duobus locis ſimul anceps & atrox fuit. Muſtaphus vnumquenq; nominans hortabatur, putaret ſe contra latrones, piratas, pro patria, pro libertate, pro aris atq; focis, quæ toties illi violarunt certare. Contrà Rhodij, manu magis quàm verbis ſtrenui, intrepidè reſiſtebant. Chriſtophorus Vualderic armorum & nauigandi peritus, Germanus Eques, vrbisq; Imperialis Hagenau ſummus præfectus ac Commendator, qui Rhodijs in pace ius laborioſiſſimè ac integerrimè dicebat, quum præſidis Græciæ omnes contra ſe conatus, ſupra terram bombardis, & ſubter cuniculis ludificatus eſſet, neceſſario præſidio ad ſtationem ſuam dimiſſo, huc ſe conferens, cominus gladio cum hoſte depugnans, duo illi vexilla extorſit. Barbari omnes cum ſtrage & ignominia reiecti. Achimetanus miles & ſi animoſior fuerit, iam in ſumma altiſſimi muri euaſerat, nihilo tamen felicior. leuibus enim tormentis iuſſu & conſilio Martiningi per tecta domorum in frontem oppoſitis, & læuo latere bombardis noui propugnaculi, cui præſidebat F. Ioannes Maupaſus: item dextro ex opere militari, ad radices portæ Athanaſianæ, quod F. Florentius Guiuereaux diu magno animo & periculo corporis defendit, miſſilibus impetitus, victoriam nobis reliquit, nec lætam, nec incruentam. Nam ſtrenuiſſimus quiſq; aut occiderat in prælio, aut grauiter vulneratus deceſſerat. Preianus in gula tormento vulnus accepit, nec tamẽ lethale. Ioãnes Buoch ſtrenuus & magnanimus Eques, ærarij triumuir, & Turcomaſtix (id dignitatis nomen in legione Britannica eſt) cum ſemper vim & oppugnationem Turcicam futuram negaſſet, morte ſua vtranq; expertus eſt. Occiſus eſt enim inter Anglos, quibus vt Hiſpanis cum ſupplemẽto auxiliari opem ferebat. hũc finem habuit ſecundus ærarij Triumuir. Tertium Deus ad grauiora meritáque ſupplicia ſeruauit. Achimetus ſtrenuus alioquin ac prudens dux, indignatus quòd voti compos non fuiſſet, propugnaculum Hiſpanum maiore poſtea vi tormentorum quatiebat, modico inde ſpacio locatorum. Nec minorem vim omnium quæ ad vrbes euertendas pertinent experti ſunt Auerni, quos in prælium ducebat Frater Raymũdus Rogerius, magnanimus & ſtrenuus Eques, patre Gallo, Rhodi natus, nono Calendas Octobres. Aduerſus hunc, commiſſum ſibi locum ſtrenuè impigréque tuentem, magna vis Barbarorum è caſtris proceſſit, ſpem habens fragore cuniculi ducti ad baſim murorum,

Chriſtophorus Vualderich.

Ioan. Buoch.

rorum, & pleni materiæ inflammatilis, ingentem mox impoſito igne ruinã adfuturam: qua oppidum capi poſſe militi duces ſpoponderant. Stabant iniquo loco Barbari, teliſq; noſtrorum obruebantur, nec cuniculus cuius tota vis in venas ſubterraneas contraq; actos cuniculos euanuit, murum paratis ingredi aperiebat. Quapropter ſigno dato, clade aliqua accepta, nulla illata, ſtatim redire in caſtra iuſſi ſunt. Murus qui occultam introrſum vim cuniculi, & ſi palàm non apparentem accepiſſe à ducibus æſtimabatur, magno bombardarum numero, & impetu, per reliquũ diei, noctemq; inſequentem diruptus eſt. Tota nocte omnibus caſtris ſtrepitus armorum, ingens hominum concurſus exaudiri. Duces de ſumma rerum deliberabãt, decreta in craſtinum oppugnatio eſt. Tyrannus cupidus ſimul vincendi & anxius contrario metu: quippe bellum hominibus ſumere licere, victoriam in manu fortunæ eſſe, quæ ad eum diem ingentibus cœptis ſuis haud adfuiſſet. confidere tamen copijs ſuis, ſperare fortunæ erga ſe mutationem: nulli hæreditarium vincere, victoriam vagari, à victore ad victum venire. Itaq; cum ſpes metum vinceret, vbi paucis arbitris in tentorio ſuo obambulans, diu multa ſecum animo volutaſſet, duces ac tribunos militũ ad ſe vocari iubet: eoſq; pro prætorio hunc in modum allocutus fuiſſe traditur: Veſtra, magnanimi duces, fortitudo atq; prudentia nulla indigent oratione. Verùm vt pauca dicam, malè ſana mens hoſtium facit, qui dum vrbe tormẽtis lacera, cuniculis ſuffoſſa, dirutis templis, domibuſq;, cæde, labore, vulneribus feſſi, quæ mala toties oppugnatis accidere neceſſe eſt, primos ſpiritus, ſolitumq; pugnandi ardorem non remittunt: videntur militi noſtro merito inuicti atq; inexpugnabiles. Quam opinionem immutatam eſſe, plurimum ad ſtrenuè feliciterq; pugnandum refert. Facietis igitur illius vrbis potiundæ ſpem hortando, animum dando, promittèndoq; omnia. Ad hæc aperietis conſilij mei rationem, ne credant ſe ad vrbem vnam oppugnandam adductos, oppugnabunt verè mœnia vnius vrbis, ſed in vna vrbe vniuerſam Chriſtianam capimus ditionem. Hic cognati, affines, neceſſarij ſunt omnium nobilium, Regum, Principum, Dominatorum Catholicæ gentis. Hic pecunia omnis hoſtium: cuius conceſſa direptio, maximo vobis vſui ad cõciliandos animos militum erit. hic tormenta, arma, omnis apparatus belli eſt: qui ſimul nos inſtruet, & reliquos Chriſtianos miſerabiliter olim trucidabit. Potiemur præterea tum pulcherrima opulentaq; vrbe, tum opportuniſſima, portu egregio: vnde terra mariq; quæ belli vſus poſcunt ſuppeditentur: quæ cùm magna ipſi habebimus, tum demſerimus hoſtibus multo maiora. Hæc illis arx, horreum, ærarium, armamentarium: hæc omniũ quæ Turcas maritimo bello infeſtant, receptaculum. Hinc tutus in Brutios, Salentinos, Apulos, Siculos excurſus. Sed cum conſidero vos, magnanimi duces, qui virtute prudentiaq; veſtra, opibus atq; imperio meo, ante duos omnino menſes Belgradum adieciſtis, vrbem inuictam, inexpugnabilémque, vel proaui Mahumetis viribus, magna mihi ſpes quòd non diu latebris, clauſtriſq; ciuitatis tuti manebunt crudeles & cõtumaces iſti Cruciferi. Duces finita concione, mandata militibus explicabant. His vrbis nobiliſſimæ

Turcici Tyranni ad ſuos oratio.

biliſſimæ & opulentiſſimæ direptio voce præconis per omnia caſtra conceſſa eſt. Tyrannus cùm ægrum curis animum (vti ſolet) ſomnus inuaderet, ſtrato ſe repoſuit. Magnus autem Magiſter (cui inſolitus hoſtium nocturnus tumultus magnum quidpiam portendebat) armatus, intentusq́ſingula vrbis loca circumire, quemq́ amica voce aut nomine proprio compellans hortari: meminerit ſe pro patria, pro libertate, pro vita excubare: omnibus neceſſe viris fortibus eſſe, ſi motus intempeſtæ noctis in diurnam pugnam euadat. Reſpondere omnes bono animo ſit, neminem illi ſe viuis Magiſtratum aut vitam erepturum. Cúmque ab hoſtium ſeruo quopiam Chriſtiano ad vigiles clamaretur, vltimam pugnam parari, vrbem prima luce diuerſis ſimul locis inuadendam, Liladamus nihil temerè, trepidéue agens, conuocatos Equites ſuos ſic alloquutus eſt:

Liladamus Equites ſuos alloquitur.

Lætor, ſacri commilitones, incidiſſe tempus, vt vno prælio ingentem gloriam parare, & arcem veſtram tutando, orbis Chriſtiani defenſores, & nominis vindices à genere humano vocari poſſitis. Gens, in quam craſtina luce pugnaturi ſumus, ſola multitudine freta nos impetit. Cæterùm, ſi non numero, ſed dextra, pectoréque virtutem metimur, haud dubium pauci ſtrenui multitudinem ſuperabunt. Nec genus belli, nec hoſtem ignoratis. Cum his eſt vobis Equites pugnandum, quos ſemper mari iam quinquies, terra iuſto prælio (omitto tumultuaria) tota acie mœnibus admota viciſtis. Erit igitur craſtino certamine is vobis illíſque animus, qui victoribus & victis eſſe ſolet. Neq́ illi, quia audent, pugnaturi ſunt, ſed quia Tyrannus, & violenta imperia ducum ſic cogunt. Igitur memores quibus parentibus, & quam Chriſtiani orbis de vobis opinionem orti, quæ terra vos genuerit, quæ exceperit. In illos, ſequentes vnum furioſum iuuenem, cum indignatione quadam atque ira veluti ſi ſeruos videatis veſtros, arma repente contra vos ferentes pugnabitis. Ad faciendum non ſolùm indignitas ſed etiam neceſſitas (quæ ſola vel timidos fortes facit) cogit. Siquidem hîc in inſula eſtis, vnde nullus fugiendi locus: tum in vrbe, cuius laceri & defracti muri, non tam vos, quàm arma veſtra defendunt. Ideo craſtina luce hîc vincendum, aut moriendum vobis eſt. Vna dies vel lætam victoriam vel laudandam omnibus ſeculis, mortem præſtabit. Plura dicere parantem, nuncius aduentantium hoſtium impediuit. Equites, populareſque quos nouiſſimæ pugnæ fides, & ſperata victoria fortes faciebat, in muros concurrerunt. Subitò ſigna hoſtium canere, & vrbs ad ſtationē Italicā, Narbonenſium, Gallorum, portam Athanaſianam (quam aliter propugnaculum Anglorum vocamus) murū Hiſpanorū, & Auernorum quinq́ ſimul loca inuadi cœpit. Muſtaphus pauca pro tempore ſuos cohortatus, patentem ruina locū inuadere iubet. Turcæ propugnatorū globo illati ſumma vi pugnabant: oppidani vbi maius periculum, eò acerrimè niti, ac hoſtem propulſare. Neq́ alius in alio magis quàm in ſeipſo ſpē habere. Vndiq́ ingens clamor & ſtrepitus armorū. Funditur ater vbiq́ cruor. Dant funera ferro certātes: hi cominus gladio, illi tormentis: quæ mira dexteritate torquebat Frater Toros, Eques Hiſpanus, vita & morib. integerrimus: alij baliſtis,

Toros Eques Hiſpanus.

baliſtis & arcubus vtebantur. Vicarius Agonothetæ ac ſummi principis deſertorum catholicæ fidei inter confertiſſimos Chriſtianos egregia animi magnitudine pugnans, poſtquam multam intuliſſet cædem, tormento traiectus occubuit. Debuerat meritò mors fortiſſimi ducis, ſuis pauorem incutere. Sed nihil tam incertum, quàm belli euentus: occiſio vnius Barbari, reliquos in furorem atque amentiam vertit. Mortem enim clariſſimi viri vltum iri cupientes, cominus gladio, & procul nube telorum iniecta, noſtros paulatim loco ſummouebant. Muſtaphus ſuorum alacritatem cernens, flammæ (vt dicitur) addebat oleum. Mahumetem noménque Turcicum obteſtans, ſpolia, manubias, prædam memorabat: ferro viam per medias acies faciendam: quo ſibi minus pepercissent, eo minus periculi. Adfuere commodùm feſſis ſubmiſſa ſubſidia, pugnam priorum cæde hactenus inclinatam recentes æquabant. Et cùm viri propugnarent, fœminæ tela omnis generis ſaxáque in muros gerebant: anhelos ſudore, pugna, cibo, & potu adportato reficiebant: nec minorib. animis milites Pyrrhi Equites Italicos oppugnabant. Anceps vtroq; loco prælium, totius negotij facies varia, incerta, fœda atq; miſerabilis: hoſtes pro præda, pro imperio: Rhodiani pro vita, pro libertate certabant. nec erat vllus ordo, aut vlla tam inutilis ad bellum ætas, quæ eo die Hieroſolymitanos milites non iuuaret. Pugnarunt prophani & ſacri, neq; Crucigeri ſacerdotes tantùm, quorum virtus tota obſidione haud ſanè minor quàm Equitum fuit, ſed etiam cucullati: & inter eos Franciſcanus quidam cui Ioanni Antonio nomen: fœminæ, pueri, & cum his immiſti ſenes, ſupra animi corporíſque vires, defenſoribus tela miniſtrabant. Lapides ſtratis effoſſos manu fundis eijciebant. Ignes, ſulphur, oleum incendiarium, picem liquefactam deuoluebant in ſubeuntes. Nec vlla perniocioſior peſtis ibi vehemẽtius timebatur. Quippe vbi feruens ſemel materia artus aliquos apprehenderat, nec vlla vi quidem excuti poterat, & quicquid attigerat perurebat: iaciendo arma, lacerando indumenta, vnus alium impediebat: turbari ordines, fluctuare ſigna, nec recentes audere ſaucijs ſuccurrere, cùm vndiq; in pectora tela è muris miſſa volarent, in capita imber ignium & lapidum plueret. Ad hæc clãgor turbarum parua dictu, ſed magni eadem in re gerenda momenti res, non tantùm Barbarorum aures, ſed etiam animos mirè perturbãbat.

In iſto ardore magno Magiſtro hortanti ſuos pro porta ſancti Athanaſij, (huc enim eum, quum prius ad ſtationem Italicam reſediſſet, Prætorij ſui cura ſtrenuo, ac nobiliſſimo Equiti Fratri Antonio Monterolo commiſſa, belli neceſſitas, periculorúmque magnitudo aduocauerat) nunciatur propugnaculum Hiſpanum ab hoſte captum. Atroci nuncio (vt parerat) motus, non tamen defecit animo Sed belli curam Emerico Gombaulio præfecturæ Peloponnenſis titulo inſigni relinquens, cum delecta manu iuuenum eò tendit. Ceperant illud hoſtes admirabili caſu: nam cuſtodum maxima pars exceſſerat auxilio laborãtibus, tredecimo inde paſſu manipulis Equitum Hiſpanorum, quibus cum acriter conſerebant manus. Achimetani milites pauci qui relicti erant, tormentum quoddam armis manu po-

ſitis intentiſsimè aptabant, in dextrum cornu integrorum, qui feſsis aduerſus Hiſpanos ſuccedebant. Et vt ſunt in omnibus bellis ignaui multi, quidam ex his hoſtes, cum ſcandere in murum animus non eſſet, inter diſiecta ſaxa, ruinasq; ad pedem propugnaculi aliquantiſper pauentes remanſere. Tandem, cum ſupra ſe ſolitudinem eſſe intelligerent, metu in cõfidentiam & fortunã verſo, per cliuum reptãtes occupata deſerta parte, paucos inermes, & tormento aptando intentos à tergo occiderunt, & extollentes patrium trucémque clamorem, deiecerunt vexilla. Turcæ qui intra munitiones ſuas parati intentiq; ſtabant, concitato per mediam foſſam curſu, ſuis agglomerare ſeſe non ceſſabant, donec condenſatæ vndiq; pilæ æneæ tormentis euolantes, impedimento Barbaris eſſent. Duas horas ſuper muros ancipiti Marte propugnaculo dimicatum eſt. Barbari loco ſuperiores, inuenta ibi ſaxa in ſubeuntes Chriſtianos iacebant, ſummouebantq; arcubus & tormentis multitudinem. Magiſter hortatur, imperat, quæ in rem ſunt; quod plurimum ad accendendos animos militum intererat, teſtis ſpectatorq; virtutis atq; ignauiæ cuiuſque adeſt. Itaq; in vulnera ac tela ruunt: nec illos muri, nec ſuperſtantes armati arcere queunt, quin ſubeant. Hugo Caponus, Hiſpanus Eques, vnus è quatuor tribunis militum, & Menotius, Eques Gallus, cum aliquot auxiliaribus Cretenſibus in portam negligentia Barbarorum obice ferreo non clauſam irruperunt. Cretenſes infra teli iactum, Barbaros brachio apprehenſos ſtrictis pugionibus transfodiunt, multi in ſubter patentia mœnia deiecti, illiſo cerebro expirarunt. Accendit recens ignominia iram in fortiſsimo viro Magiſtro militum, qui fidem Chriſti deſeruerunt, & hortatus vulgum vt ſequeretur, primus cum duodecim fortiſsimis viris pari robore corporum & animorum, in ſuprema muri Hiſpani euaſit, quadraginta ſigna ſua lunata defendens, noſtra cruciata deturbans. Imperatorem ſuum milites (quanquam feſsi labore, fame, ſiti, & pugna matutina, quæ in mediam diei lucem proceſſerat) nauiter ſequebantur. Liladamus cùm ſæpe aliàs memorabilis, tum hac præcipuè pugna fuit. Nam parte prætorianorum demiſſa intra recuperatum propugnaculum, cum reliqua cohorte ad atrox, dubijq; euentus prælium accurrit. Hiſpani, cæteriq; ſacri milites, & immiſti his profani, qui vulneribus, cæde, ac laſsitudine confecti erant, conſpectu Magiſtri, velut tunc primum pugnæ ſignum accepiſſent, redintegrato animo & clamore, certamen reſtituunt, gladijs, ſaxis, cõtisq; ignes præferentibus, ac denſatis miſsilibus, ſtragem & cædẽ continuabant. Bombardæ locatæ per tranſuerſa opera, in ſummitate murorum, hoſtium latus fœdè diſcerpebant. neq; ſegnius Auerni & Galli Narbonenſes Turcas trucidabãt. Per hunc modum cùm pugna æquata eſſet, recens præſidium ex arce Nicolea, duce F. Alioro Hiſpano Equite animi magnitudine, & cæteris pacis, belliq; artibus, cuiuis veterum conferendo, eductum, rem ad ſe inclinabat. cuius vbi per internuncios certior factus eſſet Solymanus, oppugnationem cernens ab alta ſpecula procul, è malis antenniſque nauium ſtructa, receptui canere iuſsit, & Rhodijs & Barbaris grato, Iacho Baſſo autem gratiſsimo: nam dum alij pugnabant maximè

Hugo Caponus.

ximè, ipſe fugiebat maximè. Quam ignauiam propè ſtipite luiſſet, per obſcœnas inferioresq́ corporis partes acto. Huiuſmodi enim ſupplicij fœditate, Barbari ſontes plectunt. Verùm nulli iratior, infeſtiorq́ tyrannus fuit, quàm Muſtapho belli iſtius machinatori: quòd vaniloquus, vt plerique Palatini eſſe ſolent, ſpem ſuam inflaſſet: quòd falſis adulationibus extollendo (verbis multiplicatis) eius vires, Rhodianas nimium mendacijs deprimendo, occurſum ad littora populum, vbi regiam claſſem aſpexiſſet, facturumq́ deditionem & imperata ſpoponderat. Quæ vanitas promiſſorum non ſine maximo damno & dedecore nominis Othomanici iã patêre: quare mors ei indicta, coramq́ transfigi à ſpiculatore telo imperans: Volo aiebat oculos paſcere. Iamq́ ſupplicij apparatum lictor promebat, adeò torpentibus metu qui aderant, vt non modò ferocior vox aduerſus atrocitatem pœnæ, ſed nec gemitus quidem audiretur. Pyrrhus vnus, parantem ſe ſagittarium ſummouere auſus, prodiens ante tyrannum clementiam eius appellat, & vitam Muſtapho rogabat. Accenſus ille audaci facto & indignatione, eundem pari ſupplicio damnat, quòd ſe procul à regia, ab ocio & quiete in inſulam ad maxima belli tempeſtatisq́ pericula euocaſſet. Vniuerſa Apocletorum concio factum deprecari, humum hoſtilem ſatis madere, non eſſe rigandam vlteriori ſanguine duorum clariſſimorum ducum. Itaq́ cùm ira iam deferbuiſſet, & admoneri ſe pateretur, Pyrrho prudentia & ſua ætas, Muſtapho coniunx, ſororq́ aui ſui materni vitam impetrarunt. Illuxit itaque dies hic tanta hoſtium ſtrage, Rhodianis tam celeber, quantum vnquam alius quiſpiam ab vrbe condita. Inter coaceruatos corporum cumulos, reperti duodecim Satrapæ, & is quem dixi Vicarium Magiſter ſcholæ militaris. cumulatæ corporibus foſſæ, ſtrages omnia tenebat, corpora quædam adhuc ſpirantia, multi trunci artus, diuiſa quædam à corporibus capita, pectora, latera, terga multorum ſauciata vulneribus: quidam ictibus ſaxorum integri, vel in mortem ſopiti iacebant, vel ægram trahebant animam; tellus cruore atra, vndiq́ triſtiſſima facies & plurima mortis imago, & victoria ipſis miſeranda victoribus erat; ſi de alio contigiſſet hoſte. Turcæ qui ſuos humare parant, cernentes patentia occiſorum viſcera, fœditatem immanium vulnerum, horrorem concipiebant ingentem, nec defiteri aduerſos quosq́ viros, quæ tela dimicarent. Vigiles Rhodij pro muris excubantes, palàm eis maledicere. Pyrrho Muſtaphoq́ vecordiam obiectare, tyranno maſculam libidinem; Rhodios caudæ ſalaci nouaculas acuere, ignẽ infamibus parare corporibus: quorum interemptorum, vulneratorúmque numerum certum neſcio, nec ſi ſciam, referre auſim. Is quem in diurnos commentarios ſuos, temerè tamen conſcriptos retulit nobiliſſimus Eques & antiquarius F. Macedonius, haud dubiè multo inferior verò eſt, duo tantum millia occiſa prodit. Sed F. Georgius Faucellus Eques Lugdunenſis, qui hac oppugnatione egregium ſanè de ſe ſpecimen exhibuit, hunc numerum ad cæſos ſolùm pro vallo Italico reſtringit. Robertus Peruſinus moribus & ætate grauis, atque omnium quæ hoſtibus aut proſpera, aut aduerſa fuere diligentiſſimus inueſtigator, in oratione quam ad Hadrianum

 Pontifi-

Iacobus Borbonius.

Pontificẽ habere propoſuit, cæſa narrat decem millia. F. Iacobus Borbonius Eques, clarus literis natalibus ac virtute, cæſorum ſauciatorumq́; numerum ad quindecim millia extendit. Ego ad hunc modum argumento neq; temerario neque improbabili, numerum ad viginti millia augere non verebor. quantam enim hominum, tum ſuapte natura, ſanguinis & bonorum noſtrorum auida, tum imperijs & exhortationibus ducum in cædem noſtrã impulſorum ſtragem feciſſe ſex horarum ſpacio, & quinq; ſimul locis putabimus, tormenta, arcus, tela, ſaxa, haſtas, lupos ferreos, curuos harpagones, deniq; omnia quæ ars aut prauitas humana hactenus ab æuo condito in ſuam perniciem excogitauit? Plura vexilla hoſtes amiſere. Itaque Equites ceperunt duo regia ingentis ſplendoris æſtimationisq́;. A noſtris præter plurimos ſacros Equites centum ferè & quinquaginta profanæ militiæ deſiderati ſunt, ſauciatorum maior numerus. Decretum erat ſingulos Equites aut læſos aut interfectos nominatim recenſere: ſed cum huiuſmodi diligentia haud neceſſaria in hiſtoria ſit, ſimul ne nimio ſtudio recitandorum nominum fides mea lectioni ſuſpecta fieret, cunctos ob patriam pugnando vulnera paſſos æquali ſilentio tranſire animus fuit, ſua cuiq; gloria contigit: alij aliud decus tulerunt, nulla è Rhodiana militia natio expers ſuæ pietatis, religionis, meritorum eſt. Claſſis centum triremium armis virisq́; inſtructa, tota oppugnatione fauces portus obſidebat; occaſionem expectas ſi quomodo poſſet ſubito inuadendi. Sed præfectus cum videret ab equite Franco qui F. Petro de Cluijs militabat, & ſacro milite vlterioris Hiſpaniæ Luſitaniæq́; omnes aditus à mari præcluſos, haud auſus eſt concurrere, homo nequaquam militaris ſanguinis, cui celebre, mutato ad Achimeti preces capitali ſupplicio, quod tyrannus ſumere iuſſit. plenus adhuc ira, & vehementi admiratione ob importatum ab Andugo in ſummo loci, temporisq́; diſcrimine auxilium, palàm tota concione, & in puppi prætoriæ nauis centies virgis, fuſtibusq́; cæſo, maris imperium poſtea ademptum eſt ob animi ignauiam, & quòd ſæpe nimium falli ſe pateretur à nautis noſtris: qui in dies creſcente inter oppidanos hominum & rerum bellicarum inopia, ſupplementum & commeatum, importabant ex arcibus Lindo, Mauolito, Foraclo, Petrea, quam ex ruinis Halicarnaſſi, Piramidibusq́; Mauſoli ſepulchri inter ſeptem orbis miracula nominatiſſimi, ſtruere cepit Heinricus Schlegelholt Eques Germanus, dum Tamberlanus inuaderet Aſiam, conijceretq́; in vincula Bayazetum Turcarum regem, qui prius Pannonios & Ioannem Burgundiæ ducem, inſigni apud Nicopolim prælio profligauerat: præterea ex inſulis Coo, Lerò, Calymnia, Niſero. Telum autem & Chalcea Barbari haud longo ab aduentus ſui die, inopia aquarum ceperunt, omnia crudelitatis exempla in victos exercentes. Sed cum res ſic obtulit, non putaui ſilentio prætereundum facinus, neſcio vtrum atrocitate, an animi magnitudine nobilius, quod auſa eſt ſupra vires, ſupra ſexum ſuum mulier vna Græcanici ſanguinis, quæ cum arcis præfecto conſuetudinem habebat: quem vt agnouit fortiter dimicando occiſum, amplexa duos venuſto corpore & amabili indole pueros, quos defuncto genuerat, poſtquam materna

Heinricus Schlegelholt.

Immane mulieris Græcæ factum.

ternæ

ternæ pietatis oſcula extrema libaſſet, & notam crucis Chriſti lachrymantium periturorumq́ frontibus impreßiſſet, ferro atrox fœmina iugulauit, & trementes adhuc, exeunte ſimul ſanguine & ſpiritu, artus cum cæteris quæ chara habebat, in ardentißimum rogum coniecit, ne hoſtis (dicebat) vilißimus viuis aut mortuis, gemina nobilitate corporibus potiretur: & cum dicto induens chari amatoris paludamentum madidum multo adhuc ſanguine, accepta framea in hoſtes tendit, ibi egregia bellatrix & omnium ſæculorum memoria dignißima virago, inter confertas hoſtium phalanges, more virorum fortiter bellando occubuit. Tyranno (vt à diuerticulo quodam modo in viam reuertar) poſtquam tot locis, omnibus copijs, tanto tempore vrbem ſumma vi fruſtra oppugnaſſet: nulla amplius libido inuadendi aliena regna erat, ingentes illi ſpiritus conciderant: nihil præter receſſum & fugam meditari. Linqui adhæc ſæpe animo, atque collabi diu, ſine voce ſimilimus mortuo iacere, memoria tot præliorum infeliciter commiſſorum, ſtrage tantorum ducum, tot fortium militum, quorum ſanguine haud temnenda Italiæ pars parari poterat, æger, torpens ac ſilens, diu omni humano acceſſu, atque colloquio, etiã complexibus, & Venere Abrami abſtinere, quem perditè deperit, quamuis agreſtem opilionem & patre pecorario Raguſino natum. Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo conſentire dies, & ab vno ſydere duci: huius conſilio Aſiam ille regit, maximam Europæ partem moderatur, ab hoc bardo inepto, agreſti monſtro, emaſculato, nobilißimæ Italiæ tot præclaris ingenijs, tot præterea ſtrenuis atque magnis ducibus, fœda mors & ignominioſa ſeruitus parantur. Sed tyranni mentem nihil æquè ſollicitabat, quàm Lunæ ante initam pugnam deficiens lumen: quæ colore ſanguinis ſuffuſo, dira, fœdáque apparuit. Dijs inuitis ad Rhodum fatalem Turcicæ gentis peſtem ſe veniſſe dicebat, Abraimus & quæſtor, cui publicæ pecuniæ in diuerſos vſus erogandæ cura fuit, animo metum excutiebant, naturæ vicem eſſe lunámque deficere. cum aut terram ſubiret, aut ſole premeretur, tempus quod omnia domat expugnaturum quos ferunt flamma vincere non poteſt. Interea amœni receſſus cauſa etiam terrendi magis obſeſſos munimenta in verticem montis Phileremi erigenda Tyrannus annuit. Cœpta ſtrui arx eſt ingenti opere atq́ ſumptu. Muſtaphus dum indies tyranno ſuſpectior eſſet, ſine autoritate ſine gratia (præterea exulceratam mentem habens ignominia nuper parati ſupplicij, nihil enim magnorũ virorum animis tenacius inhæret, quàm iniuria) literis ad ſagittam ligatis, hoſtium conſilia oppidanos docebat, & fugam in vrbẽ moliebatur. Sed inuidit fortuna incœpto nobis ſalutari, nã cũ in caſtris nunciata eſſet mors rectoris Syriæ, quem Barbari Caierbechum appellant, Muſtaphus ad leniendam minati ſupplicij iniuriam, cum amplißimo imperio, vt Syros in fide atq́ officio contineret, ad Babylonem Memphiticam miſſus eſt. Verùm quando hiſtoriam ſcribentem non deceat, parum comperta pro veris narrare, Lectorem hîc admoneo, quæ de Muſtapho hoc loco dixi, accepiſſe me ab hominibus magis opinionem ſuam, quàm rei certam cognitionem ſequutis. Quicunq́ tamen proditor, & fugitiuus iſte fuerit, Abraimus.

magnum

magnum eum virum ſecretorum cõſiliorum participem fuiſſe, liquidò conſtat. Tria millia Syrorum poſtea, & quingenti Mammaluchi, qui rectoris mortem attulerant, per triduum leui certamine; ſed quo nullum nobis, nec moleſtius, nec nocentius, ſaxa igneſq; iaciendo, cum cuſtodibus propugnaculi Athanaſiani bellum geſſerunt. Verùm leui certamine, nec iuſto prælio, neq; bombardis, cuniculis, tormentíſue clara Rhodos capi potuit. Iam quietis aliqua facies apparere, efferacior vis tormentorum continere pauliſper ictus & boatus ſuos. In ſumma, obſidio magis quàm oppugnatio aliquot dies fuit. Hoſtis tamen dies & noctes in foßis excubans, dolũ tentabat defenſoribus mœnium, præmia modò, modò formidinem oſtentans. Latinos tantùm ad ſupplicium ſe cupere: Græcos verò Imperatorem Græciæ inuiolatos ſeruaturum dicebat. Sequuta eſt inde fœda imbribus hyems, tonitrua, fulgura, minæ cœleſtes, non ſolùm corpora feſſa labore, metu ac vulneribus, ſed etiam animos Barbarorum frangebant. Præterea aſperum mare naues in ſtatione, qua haud facilè alia infeſtior claßi eſſe poteſt, ita affligtabat, vt præfectus vbi nulla facultas adminiſtrandi aut adiuuandi daretur, cum vexata & lacera claſſe, dimißis funibus & anchoris continentem petere ſit coactus: quam ob rem, magnam, quod neceſſe erat accidere, totius exercitus ſui perturbationem Tyrannus ſenſit. Vnus poſteaquam Achimetus ei promiſerat quòd ima murorum dolabris vectibuſq; ferreis euerteret, tanti mali patiens, vocatoſq; ante prætorium ſuum milites: quorum lubricæ ac rigentes manus vix arma tenere poterant, in hunc modum alloquutus eſt:

Achimetus.

Oratio ad milites.

Quanta pro dignitate atq; decore imperij mei feratis magnanimi Milites, haud ignoro. Continuus cœli fragor, immẽſa imbrium vis, ſonorum cœlum, algor, fames, ſitis, cæteraq; longæ iſtius obſidionis mala, vt arma vos deponere, quietemq; neceſſariam ſumere ſinam, multum me hortantur. Sed videamus primùm, anne turpe ſit viris fortibus victoriam, quæ in manu eſt, hoſti, tædio imbrium & tempeſtatis relinquere, vallum, foſſam, aggeres, non in vrbem modò, ſed in cœlum etiam ſpectantes, munitiones, turres, & talium oppugnandarum vrbium apparatum deſerere. Certè aut non ſuſcipi bellum oportuit, aut geri pro dignitate imperij Turcici oportet. Quod ſi æſtate factum non eſt, hyeme vt faciamus, cogit me cùm publicum imperij decus, tum veſtrum quenq; priuata ſua vtilitas. Si enim hinc reducimus exercitum, quis eſt qui dubitet hoſtes, non cupiditate ſolùm vlciſcendi, ſed etiam neceßitate impoſita ex alieno prædandi cùm ſua amiſerint, agros veſtros, domos, fortunas veſtras inuaſuros? vos coniuges, liberos, neceſſarioſq; in multò fœdiorem, quàm nunc eſt ſeruitutem redacturos. Vrgete igitur obſeſſos, nec antè abſcedatis ſuadeo, quàm ſpei veſtræ finem ceperitis. Si hercle nulla neceßitas ſubeſſet, tamen ipſa dignitas, famaq; corporum & animorum veſtrorum perſeuerantiam imponere debet. Nam ora, oculi omnium gentium, omnium Chriſtianorum in iſtud bellum, in vos conuerſa ſunt. Quos hyemem vnam durare in caſtris non poſſe intellexerint, meritò æſtiuas aues appellabunt: qui ſtatim nubilo cœlo, tecta ac receſſum circunſpicitis. Græcos ob vnam pellicem Troiam decem annos oppugnaſſe dicent: ſed

Turcas

Turcas cædibus, rapinis, excurſionibus terra & mari factis, ſeruitute præterea ducentorum & quatuordecim annorum vexatos, oppreſſosq́, vnam hybernā obſidionem perferre non poſſe. terrorem nominis veſtri hactenus vanum fuiſſe: famā illam (vt pleraq; alia quæ non viſa magis timentur) auxiſſe apud homines ignaros in regionibus exteris. iā tutò ſuſtinere quemque vos poſſe, qui impetu potiùs bella geritis, quàm perſeuerantia quæ in omni genere militiæ maximè autē in obſidendis vrbibus neceſſaria eſt. quarum pleraſq; munitionibus, ac naturali ſitu inexpugnabiles, fame ſitiq́; tēpus ipſum vincit atq; expugnat, ſicut Rhodum expugnabit: in quam occultum telum paratum eſt chariſſimi commilitones. Verùm cunctis præſentibus res ſe tractare nō patitur. tā neſcire enim quædā multitudinem, quàm ſcire oportet. Pleriq; id callidè magis quàm verè dictum exiſtimabant, & quanquā ingentia præmia, & placida ducis oratio mœſtos & fatigatos militū animos parū reficerent, vicit tamen in gente obſequentiſſima Imperatoris amor, & magni ſecreti auida expectatio. Achimetus teli illius autor, ſpōſorq́; victoriæ, ad murorū fundamēta ſepta haud alto promuro, poſt quē cuſtodes noſtri excubabāt, crebrò (licet haud ſatis tuto loco) militem ſuum ſubmittebat. qui cū (neſcio quo infelici fato noſtro) promurū illū occupaſſet, factus voti cōpos, auxiliares inuocabat: hi intra locum ſe munierunt, donec dux murū muſculis teſtudine pluteis in eū caſum paratis ſubiret. Quod quidem facilimum illi factū fuit, per foſſas iam complanatas, multa terra iniecta, cuius eminens ſupra modum altitudo vſum tormentorum è cauis propugnaculi Auerni latus hoſtium tentantium impediebat, neq; Rhodij è faſtigio murorum immanibus bombardis illis dirutorum, cum nuſquam in illis eſſet conſiſtendi locus propter Chiriobardericos, intra aggeres ſuos tormentis paratis latitantes, quicquam deuoluere in ſubeuntes poterant. Itaque homines defunctos, vt videbatur, omnibus periculis, & in vmbra quodam modo quietæ pacis exiſtentes, recens atque inopinatum malum mirè perturbabat. Conſpectus primùm pauorem, ſilentiumque torpens iniecit, admiratio deinde ac commiſeratio, ſuáque aperta querimonia ſubijt. Preianus ad omnia impiger & audax, perforantes igne, oleo, pice ardenti, reliquáque materia incendiaria ſummouebat. Sed cū fugientibus ignem, fuſtuarium, mórsque parata eſſent, & pro ſaucijs ſemper reponerentur integri, fatale opus ſeptimo die Octobris incœptum, magno conatu miſerrimorum ſeruorum procedebat. Serui enim ſunt Turcæ omnes, etiam conſilio, autoritate, armis præſtantiſſimi, ſolus vnus Tyrannus in tam immenſo imperio cuncta ſibi poſſidet, cæteros omnes quenque pro dignitate & merito ſtipendijs alens: hi quo pleno diſcriminis opere ocyus ſe liberarent, excauatum circa fundamenta murum ſtipitib. fulciebant, quos adiectis malleolis, ignibúsque torrendo muri ruinam parabant. Verùm cum res ex ſententia non procederet, eundem cathenis ferreis, funibúsque anchorarijs mirabili machinamento diſtrahere in terram conabantur. Sed tormenta per Auernum propugnaculum diſpoſita, exiguo tempore inſani & multorum dierum operis molem deiecerunt. Dux Achimetus poſtquam

Achimetus promurum occupat.

omnem conatum ſuum ludibrio eſſe vidit, atq; obuiam ſibi veniri ab oppidanis intellexerat, anxius trahere cum animo ſuo, omitterétne incœptum, quoniã fruſtra videbatur, an fortunam operiretur, quæ ſola promiſſiones ſuas Tyranno factas implere, & morte eum liberare poterat. Interea vt iuſſum fuit à Gabriele Martiningo Drachones fieri intra murum craſsiſſimum, vt educta inde arma iuuentus operarios trucidaret, & minutorum tormentorum vtroq; latere poſitorum conglobatis ictibus muri faciem, ad quam hoſti aditus erat, tueretur. Sed Martiningi mandatum ſpecie ſatis tutum, euentu nobis & ſibi infelix fuit. Nam oculo ictu Chiriboardæ inter opus ordinandum priuatus eſt, vt pleriq; alij ſtrenui Equites, inter quos haud immeritò retulerim F. Ioannem Omendem Equitem Arragonenſem; cui cura veſtitus militaris diſtribuendi incumbit. Diſpoſuerunt Barbari multitudinem horum tormentorum per rimas partis muri, quæ inter eos & nos media adhuc reſtabat. quem, cum ignari eſſent quantum hæ Chiriboardæ nobis nocerent, ſuſpenſo opere terebrandi, denuo bombardis maiori mole acriter feriebant: quarum vis iam ſolito erat efficacior erga murum tot modis debilitatum. Qui vbi indies magis magisq; tormentorum continua violentia labaret, oppidani ad omnia tuenda obeundaq; multimoda arte deſtineri cœpti ſunt, non nocte, non die ceſſauerunt ab opere, vt nouum murum, ab ea parte qua patefactum oppidum ruinis erat, reficerent. Hoſtibus & defenſoribus par labor, ſimilis animus: quem illinc ſpes, hinc deſperatio fecerat. Cretenſes, quorum operam atq; induſtriam ſcriptores in bello nauali commendant, etiã huic terreſtri vtiles fuere, & locum difficillimæ cuſtodiæ, cum ſupplemento ſacrorum Equitũ adeò egregiè, fideliterq; obſeruarunt, vt non ſint veriti Caſtrophilacam ciuem Rhodium, opibus, & cognatorum atq; affinium celebri multitudine potentem, cuiuſq; in extruendis operib. diſponendis munitionibus, ſumma toto bello fuerat diligentia, quiq; ipſos ſæpiſsimè pauit cibo ac potu largiſsimè adminiſtrato, in vincula publicitus conijcere, quòd tempore & loco ſuſpecto, contra Magiſtri edictum per ſingulas ſtationes voce præconis diuulgatum, ſagittam in hoſtes eieciſſet. Quem vbi varijs & multis quæſtionibus affeciſſem, nihil potui expectorare, adiutus etiam opera prudentiſsimi & nobiliſsimi Hiſpani equitis F. Ludouici Luel: cui cum quatuor tribunis militum iuris dicendi ac diſtribuendæ annonæ cura erat, quàm quòd inter amicas & fortuitas cum pleriſq; ciuibus cõfabulationes hoſtis irã, ſi auxilia tranſmarina nõ venirent, aliqua tributi ſpecie vel manumiſſione ſeruorum leniendã dixiſſet. Hanc grandi cum difficultate expreſſam à reo confeſsionem, vbi nocte ad magnum Magiſtrum retuliſſem, ſtrato (cui indumento militari ſeptus incumbebat) ſe attollens ac gemens ad vigilias perrexit, iuſſitq; nullo alio addito verbo vt reus ſeruaretur. Per hoc temporis Tyrannus foris comitia celebrare, cum ducibus de ſumma rerũ frequenter conſilia inire. Omnium vnanimis ſententia erat vrbem eo die capi poſſe. Cæterùm vt in multitudine ſemper alijs aliud placet, quidã ſentiebant (ſic enim mihi obſidi hoſtes ipſi retulerunt) Rhodiorũ animos prius colloquio tentandos, ſi forſan pacati quippiã reſponderent.

Ioannes Omendes Eques Arragonenſis.

Cretenſes propter belli naualis peritiã cõmendantur.

Ludouicus Luel.

*Ad hunc modum victoriam minori ſanguine imperatori futurã, & orbis
totius imperium anhelanti vtilem eſſe clementiæ famam, quam ſummis du
cibus ad opes propagandas miro vſui eſſe Caßius & Achimetus affirma-
bant. His magna animorum contentione deſertorum fidei magiſter contri-
ſtabat, qui ſæuitia ingenti & cupiditate prædæ ad excidium ciuitatis trahe
batur. Tyrannus placitorum Mahumetis ſtudioſißimus, ingenio infido &
ſupra naturam hominum ac feræ cuiuſq; trucißimæ crudeli, quam tamen
crudelitatem altitudine ingenij vbi expedit mirè dißimulat, in ſententiam
ſeueriorẽ magna totius corporis & animi alacritate acceßit, & per omnia
caſtra vrbis direptionem militibus concedens, eos in hanc ſententiam allo-
quutus eſt. Tandem magnanimi viri Fortuna virtutem atq; conſtantiã* Tyrannus Turcicus ſuos alloquitur.
*veſtrã egregiè experta, digna laboribus modo præmia affert. Victoria &
opes hoſtiũ quæ tã diu cupiuiſtis in manibus veſtris ſunt: nunc tempus Græ-
colatinos iſtos, qui plures penè perierunt, quàm ſuperſint, non homines, ſed
effigies & vmbras hominum, fame, vulnere, ſqualore, laboribus debiles, im
potentesq; trucidandi, qui ſcio vobis reſiſtent: non quia audent, ſed quia ne
ceßitas perituros cogit. Sumite perfidiæ, crudelitatis & ſceleris pœnas nũc à
Cruciferis, & documentũ modò graue poſteritati exhibete: ne quis vnquã
Turcã vllã in fortunã opportunũ iniuriæ ducat. Strata in vrbem via eſt,
patet oppidum immani ruina, quæ cõmodè alã triginta equitum amplecti
poteſt. Ab hac exhortatione Imperatoris milites incitati, cum per aliquot
dies inter ſtragem ac ruinas captæ vrbis nihil ſupereſſe præter armatos ho-
ſtes viderent, nec quicquam tot cladibus territos, nec flexuros ad deditio-
nem animos, ni vis adhiberetur, experiri vltima & impetum ſe facturos in
vrbem Tyranno promiſerunt. Vtq; omnia eis opportuna magis ad vincen
dum forent, oppidanis palàm obſcœnam necem & miſerrimam ſeruitutem
pridie diei quàm pugnam inirent, minabantur, & lapides crebris tormen-
tis excutiebant, quæ per hiatum diſiecti muri in vrbem volantes, multas
vno die domos proſternebant. Interiorem autem recenter oppoſitum mu-
rum propter ſuam decliuitatem raro attigerunt, quæ res magnæ nobis ſa-
luti fuit. Fragor ruentium tectorum, ſonitus hoſtium, tonitru fulgorq; bõ-
bardarum, magnam miſerrimæ plebi perturbationem iniecit. ploratus mũ
lierum puerorumq; vndiq; audiebatur; omnia triſte ſpectaculum erat, di-
ra & feralis vbiq; rerum facies, diem tam fœdè exactam, turbulentior om-
nino nox excepit, noctem lux turbulentißima inſecuta eſt. Albeſcenti enim
cœlo fulgentia legionum ſigna in patentibus campis conſpiciebantur. Bar-* Turci vrbem inuadunt.
*bari ſpe prædæ & victoriæ alacres, cum immenſo ſtrepitu armorum cantu
vlulatuq; patrio ad diruta atq; diſiecta mœnia properabant, maximum
vexillorum multitudinem cinctã feſta fronde ante portam Ambroſianam
ſtatuentes, quam Angelus eques multis fortibus factis atq; prudentia ani
mi inſignis, præfectus modò Aquilarius & Auguſtalis Thomas Chienſel
cuſtodiebat, nec ſegniter, nec imprudenter. nã tria magnæ molis hoſtilia tor-
menta contrarijs ſuis tormentis, quo ſuo facto & opera Chriſtophori Vual
denric, cuius ſuprà feci mentionem, ciuitas hac parte non admodũ firma ab*

excuſſionibus & vi vndecim immanium tormentorum liberata eſt. Regia
claſſis portum locaq; maritima circumnauigans inuaſionem ſimulauit, di-
xiſſes vrbem terra & mari inuadendam, expiratura reſpublica, caſurum
omnibus imperium meritò videbatur. Nihil tamen tot onerati atq; obruti
malis flexerunt animos: ſed tantùm arma ferrumq́; in dextris velut ſolas
reliquias ſpei intuentes, abalienatis à memoria periculi ſenſib. ad ſonitum
æris cãpani effuſi vndiq; ex domibus, antris ac latebris, quas pleriq; contra
imbrem ignium & immanium ſaxorum ſibi parauerãt, denſato agmine in
rabiẽ verſi ad pugnã cucurrerũt, pro nudata mœnibus patria corpora ſua
oppoſituri. nihil ducum exhortationibus, nil imperio opus erat: ſua quenq;
conſcientia recordatione malorũ hoſti illatorũ ad defendendã impigrè vr-
bem hortabatur: & proponebat alius alteri hoſtile iugum, ludibria & vi-
ctoris ſuperbos vultus, vltima omnibus ſupplicia & fœda mors ob oculos e-
rant. pugnabant inter ruinas collapſi diſiectiq; muri velut cãpo patente E-
quites & ciues Rhodij: fœminæ viros ſuos ad cœlum manibus tenſis poſcen-
tes à Deo & numine tutelari victoriã, vt pro patria, pro libertate, pro do-
meſticis opibus, pro religione Chriſtiana fortiter pugnarent hortabãtur,
mortẽ clamabant timendã non eſſe, quæ nouã beatiſſimis animis vitã affer
ret. Mulier quædã corpore quæſtum facere ſolens, hoc die S. Andreæ profe-
ctò, vt commiſſum ſæpiſſimè ſcelus morte expiaret, multos Barbaros acuta
cuſpide transfodit. Quædam afflictæ matronæ in domibus ſuis patriæ occã-
ſum cum ſuo exitio expectabant: multæ mœſtiſſimæ matres cum cœtu virgi-
num in templis ante aras, ante imagines ſanctorum proſtratæ, funeſto com-
ploratu atq; vlulatu fœmineo inter ſe diſſonæ, votis ac lachrymis delubra
implebant, dubijs rebus diuinam opem implorabãt: & vt optimi cœlites ne-
fandam vim à pudicis corporibus auerterent. F. Clemens Metropolita
(cuius ante prælium in re diuina placandisq́; ſuperis, in prælio cohortandis
excitandisq́; & conſilio & exemplo virtutis militibus opera ſingularis ac
diuina extitit) homines Græcos manu ſacroſanctam Crucem geſtans, ſan-
cta ſpe & fortitudine bellãdi implebat. Si more virorum pugnarent cuncti,
inquit, multos victores ſuperuicturos: contrà ſi ignaui remiſſiq;, in acie ſi-
bi parcerent, inuaſa mox vrbe omnes ante ora captarum coniugum, libero
rumq́;, inter verbera & vincula, omnia fœda atq; indigna paſſuros. Anti-
ſtes ſacræ militiæ & fani Diui Ioannis Coloſſenſis, Equites homineſque La-
tinos exhortabatur, ne vllum ante finem pugnæ quàm morientes face-
Ludouicus Tentauillus.
rent. F. Ludouicus Tentauillus iuuenis congeſtis omnibus à natura for-
tunaq́; bonis ſplendens, nobilis, diues, forma, viribusq́; corporis excellens,
facundia pollens, bello quoque bonus, propius cum Liladamo magno Ma-
giſtro & perneceſſario ſuo vexillum Chriſti Crucifixi quod ferebat in ho-
ſtes intulit. Pugnatum eſt circa illud vtrinque ſumma vi & vario Mar-
te: Barbari cepiſſe iam ſe vrbem ſi paulùlum adnitantur, credebant. Itaq;
quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus permiſcebant. Rhodij verò
eos pro victis habebant, quia non viciſſent ipſi numero & robore corporum
maiores. ſunt enim Turcæ ferè omnes procero altoq́; corpore, capitibus ton-
ſis, &

ſis & raſo pleriq; vultu, excepto ſuperiore labro, quod omnibus (cum tōdere inter eos aut nefas aut dedecus ſit) pilis contortis atque reflexis vtrinque ad ambas aures hirtum horridumq́; eſt: præterea loco ad pugnam & victoriam aptiſſimo. Accēdebantur ergo animi & certamine laboris & periculi, atque ipſo inter ſe conſpectu, ita ferox natio bello orbem peruagata, (ſi tamen Turcæ bella & non potius latrocinia agant, occaſione ſemper, rarò vera virtute adiuti, ab vnius oppidi defenſorib. longa obſidione propè enectis fœdè reiecta eſt. Oppidani pedem & terga vertentem Barbarum clamore inceſſebant. Turcæ genus hominum in iram & cæcam rabiem præceps, indignati quòd victores plurimi à paucis & victis, ſi incepto prælio perſeuerantia adeſſet, irriderentur, verſis in frontem cuneis Rhodios aliquanto atrocius, quàm antea adorti ſunt: cecidiſſemus haud dubium omnes eo die & prælio cum patria, niſi commodùm cuſtodes qui ſumma extremáque murorum adhuc ſtantium tuebantur, è tabulatis atque ibi erectis operibus nubem ſagittarum & machinalium globorum in dorſa per ruinas vrbem incurrentium, eieciſſent: & quod maximum atque omnium vtiliſſimum fuit, tormenta dextra leuáque parte muri recenter in ſpeciem quadratam extructi, Barbarorum latera fœdè cōfringebāt. magna ſtrages edita, atrox ſpectaculum, gemitus & vlulatus non clamor amplius morientium erat, & plures omninò mortui fuiſſent, niſi imber Cheriboarderijs obſtitiſſet. nam illorum puluis pluuia madefactus, haud facilè incendi potuit. Achimetus aſtutus vir & tenuis, boníque ſenſus, quamuis obeſo & propenſo ſeſquipede ventre, veritus ne ſuorum cæde nobis creſceret nimium animus, gnarus præterea maximarum rerum, cardinem momento temporis in bello verti, & quòd hoſtis contemtus, ſæpe cruentum certamen daret, ingenteſq́; exercitus infelici hora, parua manu deleri poſſe, milites in caſtra reduxit: compertum ibi (ſi modò vera narrant) cecidiſſe eo die præter ingentem ſauciatorum turbam, quinq; millia fortiſſimorum virorum. Duces omnes territi tanta ſuorum cæde (quanquam nemo ex eis victoriam deſperaret) vnanimi ſententia ſtatuerunt vrbem haud amplius iuſto congreſſu tentandam.

Quinq; millia vno die cadunt.

Verùm inductis per medias ruinas in eam quinque foſſis atq; incilibus, murum illum qui oppoſitus erat, & alterum opponendum pone quæ adhuc vallum ligneū obiecimus, dolabris, terebriſq́; ſubrui debere: obſeſſos interea in dies, inq́; ſingulas horas leuibus, & tumultarijs pugnis laceſſendos. Vnicum iſtud conſilium magis quàm omnia alia prælia hoſtibus profuit: qui dùm in dies nouaq́; pro dirutis opponebantur, opera ferro igneq́; violarent, & oppidani præmio quadraginta millium ducatorum, quæ ſumma in ſanctiore ærario ad vltimos caſus, teſtamento Ambuſoni relicta & ſeruata fuerat remunerati, tuendo, diruendo domos, foſſas tranſuerſas vijs perducendo, minorem indies vrbem facerent: breui in tantam extremitatem ſunt adducti, vt qua primùm aut potiſſimùm parte ferrent opem cum omnia longè lateq́; hoſtium eſſent, ſatis ſcire non poterant. Nam altitudo areæ in vrbem ab hoſtibus occupatæ paſſuum erat ferè ducentorum, longitudo centum & quinquaginta. Tyrannus interea quāquam certus vincendi, animum ad

conſilia Achimeti & Caſsij applicat. Qui nuper frequenti ordine procerum dixerant, volentibus imperij fines propagare, vtilem eſſe clementiæ famam. Et Pyrrho mandauit, vt obſeſſorum animos colloquio tentaret, ille quendã Hieronymum Moniliam Ligurem ad mœnia miſit, qui fidem & tutelam corporis à defenſoribus impetrans, pauca quædam & vtilia deſolatæ vrbi velle ſe exponere aiebat. Omnium animi arrecti erant; iuſſus eſt dicere: negat ſibi palàm id licere, ſed ſecretò cum Mattheo de Via Ligure, habitatore Rhodi, aut per epiſtolam loqui velle. F. Forouius Eques Auernus, qui fortè adſtabat, cuius tota obſidione virtus atq; vigilantia ſingulariſsima extitit (ferunt enim hunc ſolum è turri diuo Georgio ſacra, quæ in mœnia & ruinam murorum ſpectabat, vltra quingentos Turcas, vi tormentorum neci tradidiſſe) indignatus mentione ſecreti colloquij, nuncium bombardis abegit. Multi quorum animi in ſpe vltima obſtinati ad certandum fuerant, poſtea quàm victor obſidens colloquium tentauit, & ſpes vitæ adfulſit, magnũ Magiſtrum rogare, vt genti ſuæ optimæ meritæ prouideat, tot prælijs ſeſe victos, vrbem dirutam, multos mortales ægros, occiſosq;, rem bellicam comminutam eſſe, ſatis ſæpe iam & virtutem militum & fortunam tentatam: caueat, ne ſe cunctante hoſtis maiorem indignationem concipiat, ſi videat poſtulata ſua ſperni. His atq; alijs talibus ad legationem Magiſtri animum impellunt: Mittuntur ad tyrannum legati F. Anthonius Groleus Eques Auernus, ingenio, & Græci ſermonis cognitione commendatus, qui toto bello ſignifer ſacri, militarisq; vexilli fuerat, Robertus Peruſius, homo ætate grauis, & Græca facundia pollens. accepti pro his obſides, cognatus vnus ducis Achimeti, Epirota quidam qui per patentem ruinam murorum à nobis ad hoſtes transfugerat, quòd quidam Græcæ gentis præfectus faciem illi depalmaſſet; homo cuius acre ingenium & linguæ Græcæ, Turcaicæ, ac Italicæ vſus apud nos in obſcuro, magno noſtro damno inter hoſtes illuxit: acceſſit deinde Tyranni ipſius interpres, neq; enim ille peregrinam aliquam linguam nouit, quemadmodum apud nos Imperator Germanus, Gallicã, aut Hiſpanam, ratus id contra decorem eſſe ſermonis patrij, & Othomonicam maieſtatem. Oratores ergo noſtri prætentatis & excuſsis prius diligenter veſtibus, ſi quod ferrum abſconditum eſſet, Tyrannum rogant, quam ob cauſam colloquium expoſtulaſſet, ille ſimilis neſcienti cum ira & indignatione factum negabat, & caſtris quàm primũ excedere iuſsis, hanc epiſtolam ad magnum Magiſtrum & oppidanos dedit: Niſi miſertum me foret humanæ infirmitatis, quæ multorum ambitioſas mentes plerunq; in maxima, & minimè neceſſaria mala præcipitat, profectò haſce literas direxiſſem minimè. Sed morte qua digni eſtis, & miſerrima ſeruitute vos afficerem, quod quã mihi ſit facile, ipſi cognoſcitis: egregiè iam experti vim meam, ſi ſapitis experiamini gratiam. ſatis indulſiſtis furori, ſatis demẽtiæ veſtræ: redite ad cor, facite ocyus quam impero deditionem; do vitam, do opes, præterea optionẽ manendi & abeundi. nolite ſi quod omnib. votis petendum erat, vltro offeratur, faſtidire: non quemadmodum hodie vtrunq; vobis licet, ſic ſemper liciturum eſt. Reditu Oratorum in vrbem, magnus concurſus hominum o-

Hieronymus Monilia Ligur.

Forouius ſolus vi tormẽtorum vltra quingentos Turcas neci tradidiſſe fertur.

Legati ad Turcam mittuntur.

mnis generis eos ſequentium factus eſt ad domum, qua magnus Magiſter ſe tenebat, haud procul à muro vrbis diruto. ſummota cætera multitudine, ciues primores inducti ſunt. Recitatū cum eſſet frequenti ordine Equitum & ciuium Rhodienſium, minax imperioſi Tyranni mandatum, magnus Magiſter, cui ſatis honorum, ſatis ſuperq; vitæ erat honeſtæ mori, ſic exorſus eſt: Audiuiſtis ſacri commilitones, voſq; magnanimi mei Rhodij, feralem & triſtem epiſtolam: cui quomodo ſit reſpondendum, haud anceps deliberatio eſt. Vel parendum fortioribus, vel moriendum, victoriæ omnis ſpes deuolauit, niſi adueniant foris auxilia. Si meum igitur approbatis conſilium, fidem, nobilitatem à maioribus noſtris acceptam, bellicam laudem domi, militiæq; partam per tot annos, fortiter ferro, ac dextra ad extremum vſque ſpiritum & ſanguinē tuebimur, ne viris ſit fortibus gloriæ, quàm vitæ finis. Huiuſmodi ducis oratio amarior multis viſa eſt, quàm Tyranni imperium. Diu mœſtum ſilentium aliorum alios intuentium fuit: multi occulta oris mutatione motuq; corporis magis quàm voce, quid ipſi ſentirent, exprimebant. tandem ſacerdos quidam Græcus, cum ſumma animi commiſeratione & lachrymis, in hæc verba prorupit: Tacerem ego quoq;, ſi priuatus eſſem, aut in vario turbulentoq; tumultu, non primus meam ſententiam dicerem. Verùm quando cura communis ſalutis vocem nemini exprimere poteſt, & omnes ſciunt dicendi, ac ſuadendi quod quiſq; velit, aut optimum putet occaſionem modò eſſe, quæ nec ſemper, nec diu erit, eam præterlabi non ſinam. Fingamus igitur potentiſſimi principis obſidētis nullum nobis mandatum factum, ſed veluti priuatus cum priuato, amiculus cum amiculo, ante focum & inter compotationes, ſine cura, ſine ſtudio immodico alterius partis, ſine libidine aut odio de rebus principum nihil ad ſe pertinentibus ſolet, nos diſſerere: & tum neq; ingrata, neq; vt ſpero infructuoſa erit oratio mea. Sex iam menſes Græci & Latini vnanimis armis, non ſolùm foris ante muros, ſed in viſcerib. vrbis infeſtum hoſtem ſuſtinuimus, ſine vllo auxilio, ſine vlla externa ope, quam vt diu omnes fruſtra ſperauimus, ita ſinguli nunc certò ſperamus: hoſtis autem vel occulta Dei benignitate motus, vel viriū & animorum noſtrorum ignarus, quæ vulneribus, cæde, morbo, dies ac noctes continuato opere perierunt, id vltro offert, quod optandū nobis, ac ſumma ope petendum erat: aurum argentúmque omne publicum & priuatum, corpora veſtra, fœminarum, puerorum ſeruat inuiolata, vrbem tantùm, quam ex magna parte dirutam captamq; ferè totam habet, adimit. Magne Magiſter, nobiliſſimiq; Equites, cùm alijs multis naualibus prælijs, tum hoc terreſtri præcipuè oppugnatione fortitudinem veſtram ſum expertus, cuius cum in re deſperata amplius nullus ſit vſus, prudentiam veſtram & clementiam appello. Cum iam omnia victoris ſint, quod vitam, opes relinquet, in lucro eſt, non in damno vrbis inſulæq; deditio, quam victor hoſtis imperat: quæ licet grauis, acerbaq; nobilitati videantur, fortuna veſtra vobis ſuadet. deditionem ergo faciendā cenſeo potius, quàm trucidari corpora veſtra, rapi trahiq; ante ora veſtra vos, côiuges, liberos, belli iure, ſinatis; ſi vlla miſericordia flecti poteſtis. Si qua Chriſtiana pietas in militarib. āimis

Oratio viri fortis.

eſt,

eſt, ne ad vltimum perditum eatis rogo, innocentem hunc populum, & vt modeſtiſſimè dicam, non malè de vobis meritum, quem Chriſtus Ieſus, quem hoſtis infeſtus ſeruare vult. Pietatis cauſſa, nec vllius alterius loqui quæ loquor apud vos, vel ea fides ſit, quòd neque dum veſtris viribus reſtitiſtis, neque dum auxilia à principibus ſperaſtis, deditionis vnquam apud vos mentionem feci. Poſteaquam autem cernā omnia fatis in peius ruere, communes fortunas noſtras in extremo ſitas, hoſtem infeſtum, ſpem ali nullam, penuria rerum neceſſariarum bellum non poſſe trahi, deditionem ſuadeo, pacem quàm bellum malo, & gratiam potius quàm vim experiri. Cum hic peroraſſet, nemini certare cum eo oratione neceſſe fuit, adeò propè omnis ciuium audientium cœtus ſacerdotis erat, aliqui tamen conſcientia iniuriarum quas Turcæ intulerant, & quia nec deditio tuta ad tam infeſtos hoſtes videbatur, nec ſpes mœnibus aut armis tuendæ ſalutis erat, ſe ac cæteros periculis obiectare & more virorum cruentam luctuoſamq; victoriam hoſti relinquere cogitabant. E quorum numero quidam quem & iuuentus & extrema (vt credebat) hora non ſolum liberum & loquacem, ſed etiam inermem inter armatos proceres & ſeniores viros ciuitatis, coramq; ipſo magno Magiſtro audacem faciebat, ſic eloquutus eſt: Nihil vnquam minus conſueui quàm quod ipſe ſentirem coram principibus viris aut in magna hominum frequentia dicere, adeò malui ſemper aliena verecundè audire, quàm impudenter ingerere mea. Sed nunc cum extrema dicendi neceſſitas inſtitutum vitæ tenorem obſeruare me vlterius non patiatur, quid nobis diro nuncio & graui imperio perfidiſſimi tyranni commotis faciundum ſentiam, liberrimè loquar. Deiecit immaniſſimus hoſtis murum, & ciuitatem noſtrā trecentos & amplius pedes ingreſſus eſt, moleſtiſſimus hoſpes ſub eiſdem tectis nobiſcum viuit ac verſatur. Qui durum aduenam & grauem vicinum perferre amplius nolunt, turbatori tota poſſeſſione cedendum ſuadent. Mihi longe alia mens eſt ſacri Equites. nec enim tam leuiter fundum ducentos & quatuordecim annos cultum relinquendum verendum ſentio, ſed moleſto inquietatori aliam moleſtiam inferendam, & cum prædatore continuo prælianđum: quem vbi armis animiſq; noſtris inuitum & repugnantem quinq; meſes excluſum tenuiſſemus, irrupit tandem in ciuitatem noſtram, nulla ſua virtute fretus, ſed tempore quod omnia domat, hodieq; agitur ab introitu ſuo dies ferè quadrageſimus, nec dum iter longum centum & ſexaginta integris paſſibus, quanquam mirè feſtinans, conficere potuit, tardatus impedimentis, quæ illi obiecimus, & obiectare non ceſſabimus, ſi viri ſumus, ſi ſani, ſi priſtinæ virtutis memores: me prius perdant cœlites, quàm iſto gemino obtuitu cernam ſacros Equites tradere clarā Rhodum, antiquam propugnatricem Chriſtianæ religionis, immaniſſimis hoſtibus, contaminatis omni infamia Mahumetis, qui præter anhelam ſitim noſtri ſanguinis quam ſint infido malignoq; ingenio, ſi neſcimus, ſatis nobis exemplorum præbent, ne queramus quo modo alijs exemplo ſimus, Conſtantinopolitana calamitas, poſterior Eubœæ clades, recentior Metonenſis, tum Mamaluchorum Cayrenſium contra fœdus, contra acceptam & datam ab

ipſo imperatore fidem miſerabilis trucidatio. Quid? nónne in mentem venit ſummorum ducum, qui Belgrado imperabant, dolo fraudéque hoſtium procurata mors? Eamus nunc ſani homines & fidem adhibeamus inſaniſſimis belluis, permittamus corporum noſtrorum poteſtatem, quibus nō lex, non ratio, nihil ſancti, nihil penſi eſt: quorum neſcias maior ſit auaritia an crudelitas, qui nihil aliud multos iā annos meditantur, agunt, quàm quomodo dolo, vi, nomen Rhodianum ipſis tantopere inuiſum penitùs deleant. Sextum iam menſem circumuallatos incluſósq; nos tenent, nobiſcum vltima pericula grauiſſimos labores perpeſſi, ante propugnacula & muros ſæpe trucidati, poſtremò iniuria fulgurum, imbrium, tempeſtatis, hyeme, quæ omnium bellorum terra ac mari quies eſt, hinc auerti non potuerunt, tanta auiditas ſupplicij expetendi, tanta ſanguinis noſtri hauriendi eſt ſitis. nec omnino iniuria, nos quoque illorum cruorem fudimus, & adhuc funderemus libenter, ſi per fortunam liceret. Verùm quando Deo immortali aliter viſum eſt, & vltimam neceſſitatem effugere non poſſumus, cruciatus & ocntumelias quæ hoſtis ſperat dum liberi dum potentes noſtri ſumus. honeſta velim morte inter arma inter vexilla S. Crucis euadamus, hoc pacto æterna gloria quæ pro Republica cadentibus inter ſuperos & mortales parata eſt, perpetuò perfrueremur, quam virtuti & nomini tuo nobiliſſimo, Magne Magiſter, inuidere eos non conuenit, qui multorum annorum pacis commodo atq; fructu vſi, tum liberalitate etiā ſacroſancti militaris Ordinis, extremum nunc belli onus ferre accuſant. Quæ verba excipiens quidam Græca nobilitate atq; prudentia inſignis vir, magno ſilentio gentis ſuæ etiam multorum Latinorum aſſenſu hunc in modum ſententiam deditionis perorauit. **Peroratio deditionis.** *Quòd dolor & deſperatio facundos homines facere poſſint magis quàm prudentes, cùm ſæpe aliàs tum hoc die cognoſcere potuiſtis ſacri Equites. nunquam enim prudens à modeſtia labitur ad maledicentiam: non commiſcet vera falſis, non cupit cædem ciuium, non ſuadet furorem, non hortatur ad dementiam. Sed ita profectò multis ingenitum eſt, cùm ipſi nec prudentia nec conſilio malis ſuis explicare ſe poſſint, cæteros in eandem perniciem protrahere, adeò ſemper noxiæ & auidæ fuerunt ſocietatis calamitas & malitia. Verùm ſi tu magne Magiſter, mihi quoq; dicendi poteſtatem facias, homini inter ſuos neq; potentia neq; autoritate vltimo, quod cùm præſens calamitas, tum ipſa etiam neceſſitas impetrare abs te debet. diſſeram quæ acuti iſtius oratoris plura atq; magnifica verba, & rei agendæ cauſa conquiſita, non ſolùm refellant, ſed etiā mentem tuam ad id quod vtile, honeſtum ac neceſſarium eſt. motis inde odio, metu, turbatione, diffidentia erigere poſſint. N. noſter quem non ſolum vehementem oratorem eſſe, ſed interdum etiam trucem ſcimus omnes, quum tamen ingenio ſit mitis, atq; adeò mitis, vt neminem ex his quos appellat Barbaros, inſanos, immaniſſimos, quorum deteſtatur perfidiam, accuſat crudelitatem, quos ſine lege, ſine penſo, ſine ratione viuere exclamat, nedum occidere, ſed ne modicè quidem vulnerare voluerit. Et nunc tempore indutiarum, dum ſagittarum imber pluuia globorum ceſſat ferreorum, ignis, lapidum, prodiens*

de cauea ſua miros excitat tumultus: omnia commiſcet tragœdijs, & quanto in diſcrimine verſetur ignarus, mortem quam hactenus factis ſe horrere manifeſtauit, nunc dictis inuocat, ne ludibria & contumelias hoſtium, inquit, ferre cogatur. ſuperbia hæc eſt, non fortitudo aut Chriſtiana humilitas. Verùm iſta nec minatur neq; parat hoſtis, nequaquam tã perfidus aut crudelis quàm ipſe videri vult, refricatis cædibus Cayri, Eubœæ, Metonis, Conſtantinopolis, vrbium vel vi vel ingenio militari expugnatorum: non obſidentis & obſeſſi conuentione permiſſarũ in fidem victoris: qui quia pepercïſſe nobis vult, committere cur pereatis non patitur. Sed vnde hæc noua clementia? Inuſitata erga populum Rhodium pietas? Ego rerum arcanarum tyranni non ſum conſcius, nec vnquam alieni beneficij rationem inquiſiui, cum opus eſt accipere gaudeo. Verùm quid ipſe in re dubia ſentiam, minimè diffitebor. Vult (exiſtimo) Rhodienſi oppugnatione & victoria cæteris gentibus, quibus imminet, vim ſuam oſtendere & gratiam, ne ſemper ſæuiendo aut ſolitudinem eam facere, quibus imperaturus aduenit, aut animis mortalium perpetuò à ſe alienis cum omnibus ferro & flamma certare cogatur: quibus malis non tam hoſtium quàm ſuorum iacturam fecit. Hanc ob cauſam (vt reor) vitam nobis, & opes relinquit, nedum ipſe eas vi auferre, & nos inſano bello retinere velimus, ambo in maximam ruamus perniciem, victori propè tã luctuoſam quàm victo. præterea ſi omnes hic trucidat, licebit tunc quidem nemine viuo hîc reſiſtente per cæſorum cadauera Rhodum ruinis patentem ingredi. Sed clauſa eſt Lerus, ſerata Petreia, munita Arangia, Lyndus ſitu inexpugnabilis, hic tela, hic enſes, arma, viros eſſe credit, & nouus belli iterum apparet deſudandus labor: niſi malit veſtram militiam fatalem imperij ſui peſtem, in ſuos graſſati: quæ loca ſine cæde, ſanguine (vt par eſt) habebit, ſi te magne Magiſter, ſi vos Equites, & nos miſeros incolumes hinc cum leui ſuppellectili dimittat. hæc humana conſilia niſi illum ad gratiam & miſerationem noſtri commouerunt, tum dubio procul numine agitur, & occulta erga nos Dei ac Domini noſtri Chriſti Ieſu crucifixi pia clementia. Cui vos ſi ſani eſtis, ſi viri religioſi, ſi virtutis hominum verè Chriſtianorum memores, obicem opponere non conuenit, & veſtra ruina hanc miſerabilem plebem extinguere. Quæ ſemeſtri obſidione iſta vix quod ſatis ad naturale deſiderium corporum eſſet quieti dare potuit, pro vobis in acie ſtans, pro veſtra gloria victoriaq; vulnera & mortem ferens. Cuius fideli opera & diligentia domi foriſq; adiuti eſtis. Siue Turcam inuaderetis terrà Mytilene, Naupacto, Metone, Patris, totáque Peloponneſò, ſiue eundem turbaretis poſſeſſione maris Ionij & Aegei, quæ ex re vel cæco apparet, quàm ſit iniurium & à veritate alienum, obijcere nobis quòd pacis fructus metientes, belli onera recuſamus, imò bellum nunquam recuſauimus. Nunc autem & ſi maximè gerere velimus, non poſſumus, robore iuuentutis occiſò paucis reliquis quæ ſuperſunt non tantum corpore, vulneribus, morbo, vigilijs, labore irrequieto, ſed etiam animo fractis, dum hoſti ſecunda, aduerſus nobis omnia ſunt. Tum maxima eadémque optima parte æ̨nearum machinarum continuo vſu rupta: cuius

ſi hodie

ſi hodie integra extaret; nullus vſus, nulla vtilitas eſſe poteſt, inopia tormentarij pulueris, qua non modò laborat hæc ciuitas, ſed etiam Lerus, Lyndus, Halicarnaſſus, Arangia. Nunquam fui ſecretorum cuiuſpiam aut cupidus, aut diligens explorator, multò minus militiæ veſtræ, tamen hæc ita eſſe diſsimulare non potes magne Magiſter, qui illinc palàm militem ſecretò machinalem puluerem importare huc feciſti, quo tua prudentia, ſex menſes externum ſuſtinuiſti hoſtem, & vnius atq; alterius domeſtici proditoris feſelliſti impietatem. Sed ſino libenter hæc omnia, deſero veritatem, relinquo multitudinem, venio & loquor ad paucorum gratiã; & fingo armorum & animorum nobis eſſe ſatis. Sed hoc rogo, hiſne ad cuſtodiam, an perditionem vtendum ſuadeãt? Ad vtramq; fieri nequit, non magis quàm ſeruũ eſſe & liberum. Ad perditionem? Dementia hæc eſt, & vecors ſuperbia exoſa Deo atq; hominibus. Ad cuſtodiã ergo: ſed quomodo cuſtodiemus vrbem (non dico quod res eſt) iã amiſſam, atq; ab hoſte occupatam, in qua ille regnũ poſsidet; diruit, mutat, verſat ima ſurſum, ſuprema deorſum? Sed mœnibus nudatam imani ruina adſtationem Hiſpanam patentem, qualis muro Italico non impendet modò, ſed adeſt iam, atq; infertur. Quo pacto ſeruabimus infelix iſtud oppidum ad ſtationes Narbonenſem, Britannicam, Auernam, & turrim D. Nicolai lacerum? Quod etſi tam lacerum, ſi tam egenum omnium rerum bellicarum non eſſet, ſed integrum, & armis, & commeatu inſtructiſsimum, cogente ſic neceſsitate, ſuadente prudentia, relinquere deberetis, quando omnis vlterior pugnandi facultas vobis ablata eſt. an non videtis, vt leui imò nullo negocio, hoſtis ex noua, quam ſupra montem Phileremum extruxit arce, tantùm duobus miliaribus hinc diſtante, omnem commeatum vobis intercipere poteſt, & inſula & mari: præterea omnem acceſſum & exitum prohibere. Profectò videtis viri armis & prudentia inſignes, cuncta hæc diu melius prævidiſtis, quàm ego armorum & bellandi prorſus rudis, tantùm mercibus venundandis, & alendæ familiæ aſſuetus. Sinite me ergo dicere verum. Exceſſere omnes adytis, ariſq; relictis, Dij, quibus imperium hoc ſteterat. Aduerſus vim hoſtium, nulla ars, aut cuſtodia humana reliqua eſt. Expectare autẽ exercitus angelicos, diuinas è cœlo acies, aliaq; id genus miracula: eſt meo iudicio iratum deum quanquã in ipſa ira adhuc miſerantem magis ac magis irritare. Conſulamus ergo deſtituti omni humano auxilio, ſaluti noſtræ, noli te rogo magne Magiſter per has lachrymas, per innatam nobilitati tuæ pietatem, iſtam miſeram vrbem direptionibus hoſtium exponere, ſenes & mediam ætatem gladio, vxores & filias noſtras ſtupro, pueros noſtros infami, abominandæq; Veneri Barbarorum, tum inſanis æterniſq; erroribus impij & virulentiſsimi dogmatis Mahumetei. Vtinam vidiſſetis Equites, quibus lachrymis, quanto gemitu, mœſta familia, & plorantes circum matres pueri, nos huc dimiſerint, quibus precibus ſint proſequuti. Vellem ſciretis quali animo, quantaque cum ſpe incolumitatem ſuam à veſtra clementia expectant. Potuiſſet hæc oratio vel lapidem commouere, verùm Magiſter, cui nobilis ille & ingentior ſpiritus, quàm præſens fortuna poſtularet in vultu apparebat,

 ſingu-

ſingulos ad vigilias, cum ſermo in multā noctem protractus eſſet, ire iubens, nihil aliud reſpondit, quàm cogitaturum ſe de communi ſalute Et ſequente luce peracto ſacro viros rei militaris peritos, nominatim Preianum, Gabrielem Tadinum, quem ſuprà Martiningum appellauimus, de ſtatu & ſalute vrbis diligentiùs percunctari cœpit, omnium concors ſententia fuit, vrbem in quā hoſti & fronte, & vtroq; latere expeditus ingreſſus eſſet, amplius nulla arte teneri poſſe. Prolata hac triſti ſuorum ſententia, poſt longā ſanctioris conſilij, tandem omnium Equitum & ciuium, in quo diuini ac humani iuris peritiſſimi viri fuere, diſputationem, vtrúmne deſpondere vitam, & ruere in perniciem Saguntinam, & fatum Abydenorum, an ſeruare tot miſerabilium hominum corpora, ſigna, tabulas, ara, monumenta orthodoxiæ præſtaret? Magiſter vnanimi omnium ſuffragio & inſtigatione deditionem faciendam pronunciauit. Dum hæc diſceptarentur, quatriduana pax fuit, timoris tamen & periculorum plena. Violauit hanc Fornouus iniuſſu ducum. Indignatus enim homo nobiliſſimi & Gallici ſanguinis Barbaros vrbem audentiùs inſpectare, tormentarios globos in confertam multitudinē excuſsit. Venit ad hæc per idem tempus ex inſula Creta, naue Hieronymi Carmanioli iuſſu, aſtuq;, qui vel cautiſſimos fefellit, & opera F. Ludouici Andugi à Morſia oppido regni Caſtellæ, Equitis ſplendore natalium, & animi corporisq; bonis ornatiſſimi, Alphonſus Hiſpanus ſummus triremium noſtrarum nauarchus, vir ad omnia maris & armorum pericula ſummè audax & impiger, intulitq; in Rhodum vina & inconſulto ſenatu Veneto centum voluntarios Latinos milites, nullum Cretenſem. Turcæ, & fractione fœderum, & quòd nauim receperamus, quam multò milite, & ipſi & nos refertam credideramus, meritò commoti, verſi in rabiem & furorem, ſine ſignis, ſine ducum imperio, per diſiecti ſtratique muri ruinas, in vrbem ad tabulatum vſque vice quarti muri oppoſitum incurrerunt. Magnus Magiſter, dimiſſo conſilio & ſenatu procerum ante ſignanorum, ad tumultum accurrit. Pugnatum aliquandiu hinc inde eſt acri animorum contentione, Magiſter (quod quoties rem quiſpiam impigrè fortiterq; geſsiſſet, tota oppugnatione fecit) ingenti eo die præmio remunerauit virtutem. Dalmatæ cuiuſdam familiaris D. Marini Reſtij, ciuis Raguſini, quem inſana plebs cùm more humani ingenij multa noſcendi cupido de diſpoſitis inſidijs, & ſuffoſſo ad cremandos hoſtes puluere inquireret, quaſi proditionis conuictum, non expectato iuſſu Magiſtri, in carceres coniecit. Parum à vi, tumultúque populari iniuriam accepit coquus Antiſtitis fani Coloſſenſis, non tamen tam immeritò, quàm innocenter. Siquidem octauo Calendas Octobres, dum omnis Ordo & ætas circa mœnia propugnaret, magnanimus ipſe miles in faſtigium fani ſcandendo irrupit, inde bellantium vtrinque cædes & vulnera ſecurè, minimè tamen ocioſe proſpexit. Nam hoſtib. à quibus neque videri, neque audiri poterat, procul in aëre minabatur, defenſoribus agitatione vexilli ibi reperti (vt videbatur) animū addens. Et primùm ab hominibus religioſis diuus Ioannes æſtimabatur, inde cognitus homo vocatur fuſtifer, verbero, ſacrilega, proditor,

Fornouus.

proditor, fautor hoſtium, qui eis è ſpecula ſignum faceret. Et quanquam crebrò miſſi nuncij ad deſcenſionem illum hortarentur, nihilominus perſonam ſuã egit, donec iaculis & lapidibus funda excuſsis, impetitus deſcendiſſet. Ibi mox turba puerorum & mulierum circumfuſus, rapitur, cæditur, mulctatur miſer: vnus barbam euellebat, alius depalmauit faciem, tertius conculcauit ventrem, quartus iugulo enſem intentauit. Accurri, & hominem ereptum è fati faucibus in publica vincula conieci. Hac pœna non contenta muliebris commotio opera puerorum carceres effregit. Et collo grandi fune nautico iniecto (quem manibus puerorum ſors obtulerat) miſerrimum inter verborum ludibria & contumelias ad crucem protraxerunt, pars ſacrilegum, pars proditorem, multi recutitum appellabant: nonnulli conſtantius aſſerebant Turcam eſſe, & miſſum exploratorem. Perierat infelix manibus furientium, niſi commodum renunciatum & aſſertum fuiſſet, ab Antiſtite templi, eſſe culinarium ſuum, natum in Gallia ad Foſſas Marianas, nec Turcaicæ, nec Græcæ linguæ peritum. Simili iniurioſo ſpectaculo, ſubq; ipſum deditionis noſtræ tempus, & poſt violatas indutias, Magiſter gladiatorum Turcenſium crudelis, ſanguinarius bellator, corpore vaſto & rudi, quod conuenientes ſequebantur mores, contemptus hominum, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta, libidines nouæ, inhumana crudelitas, affecit tres Chriſtianos, quos Barbari incautos extra vrbem in hoſtilem campum lupis ferreis protraxerunt. Nam manus illis auresq; abſcindebat, poſtea vulnere inhoneſto nares truncauit, & in vrbem remiſit cum huiuſmodi literis: Nullam ſalutem magne Magiſter. Quem ego ante tres, quatuórue ad ſummum dies his manibus minutim conſcindam, & milites mei populo tuo nulla habita conſideratione ætatis, ſexus, ordinis, vi, ferro, flamma miſerabilem animam eripient, vt inſigni exemplo poſteritati innoteſcat iuſtitia Turcarum & Chriſtianorum perfidia. Quos violatis indutijs externa auxilia recipere, & improuiſos milites trucidare non pudet, quorum nemo (credas) amiſit multam animam. Magiſter minaci epiſtola perlecta ſubridens. Ne modis omnibus (inquit) oppugnati non eſſemus, etiam minæ, & conuitia addita ſunt. Verùm magis turbati ſunt animo, Robertus Peruſinus, Frater Raymundus Marchetus, de quo ſuprà primo lib. dixi, & Frater Raymundus Lupus à Pacis Eques vlterioris Hiſpaniæ ingenio acri, & ſummo iudicio Oratores in caſtris hoſtium, quos Achimetus incandens ira ob fœdus violatum & nauim vix mediocrem receptam, procul dubio omni tormentorum, & cruciatus genere affeciſſet, niſi in oppido noſtro egiſſent obſides. Verùm cum Nicolaus Vergotus, & Georgius Sandriticus ciues Rhodij, vrbis tradendæ formulam attuliſſent, repentè lenita eſt omnis efferatorum hoſtium exaſperata rabies. Tyrannus cinctus ingenti exercitu & proximiore cohorte prætoria, quæ ad pompam & terrorem auro, armisq; præfulgebat, ſingulas pacis ac deditionis leges teſtibus Deo & Mahumete fœderum inſpectoribus, conceptis verbis pronunciauit. Conuenit inter cætera capita: Diuorum templa inuiolata manere, pueros non auellendos è parentum familia, neminem cogi debere, vt Mahumeti nomen daret.

Horrendum facinus.

manſuris quinquennalem tributorum immunitatem concedi. Abituris dari naues, & commeatum vſque in Cretam, tormentorum bellicorum quantum liberet tolli poſſe, diem deſerendæ vrbis arbitrij Chriſtianorum eſſe. Vrbs expugnatur die natalis Chriſti. *Quæ perfidus Tyrannus Deorum ac hominum iuxtà contemptor vt ſeruaret, tantum abfuit, vt die natalis Chriſti, antequam quiſquam fugam adornaſſet, porta Coſquinij propugnaculi vi effracta, vrbi infeſta ſigna intulerit. Et ſacra omnia profanans, primarium fanum numini tutelari ſacrum in ædem Mahumetis conuertit. Euulſis è ſedibus ſuis ſtatuis, & beatorum imaginibus abraſis, ſepulchra Magiſtrorū, & quicquid ſculptum ſcriptumq; Magiſtratus cauſa erat, dirui ac complanari iuſſit. Ornata eximiè ſacra Baſilica fuit, & copia vicini marmoris & ingenijs artificum. Nec diruere modò ipſa ſimulachra ac ſepulchra euertere ſatis habuit, ſed lapides quoq; ne integri cumularent ruinas, frangi iuſſit. Et poſteaquam non tam ira ſatiata quàm iræ exercēdæ materia deerat, templum omni compoſita effigie & ſimulacro vacans ingreſſus, veneratus eſt Mahumetem, qui ſecūdum illud ſummum & æternum neq; mutabile neq; interiturum numen, ſelectus maximusq; in cœlo eſſe à Barbaris creditur. Poſtea hi qui ſpretis pa-* Miſeranda Chriſtianorum ſtrages. *triæ religionibus Mahumeti nomina dederunt, gens ad rapinam & immanitatem prona, Iudæis haud abſimilis (nam genitalia circumcidere inſtituuntur, vt diuerſitate noſcantur) trāſgreſſi in morem Turcarum idem vſurpāt, nec quicquam prius imbuuntur quàm contemnere Chriſtum, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere, paſſim tota vrbe templa conſpurcare inceperunt, rapere quæ oculis ac manibus obuia eſſent, miſerorum hominum ſarcinas ad portum deportatas vt nauibus imponerentur, diripuerūt. Sacrum Xenodochium omni ornatu cultuq; & ſuppellectile argentea planè maximi valoris ſpoliarunt. nullum tormentum nauibus imponi patiebantur, triremibus tamen ſua remanſerunt magis caſu quàm illorum vel fide vel gratia. Chriſtianis cæſis fuſtibus & colaphis vice iumentorum ad ferendum onus vtebantur. Iudæos vel quadraginta annos retro renatos ad Moſem redire compellebant: vernas, ſeruos tinctos aqua luſtrali, Mahumeti ſacra facere. Chriſti crucifixi ſtatuas luto cœnóque conſperſas per ſtrata eiecerunt: Chriſtianis tollere volentibus, ſtatim fuſtuarium paratum erat. In foro aut loco publico nemo expers iniuriæ aut contumeliæ eſſe poterat. Nec is quidem qui imperatam pecuniam exoluebat. Nam ego cū vno Soldato Gallico & aliquot Marcellis Venetis à pluribus Barbaris vexationem meam redemiſſem, neq; poſſem omnium auaritiam inopia nummorum explere, miſer ad necem vſque vapulaui. Magnus Magiſter conſilio ſiue iuſſu Achimeti aſſumpta humili veſte, qualis ſupplici, victo, & victoris maieſtatem veneraturo conueniebat, foris in caſtra hoſtium ad prætorium tyranni iuit, paucis comitibus ex illo infelici ordine Equitum. Qui cum die ac noctu ſemeſtri oppugnatione vltima auſi paſſique eſſent, & iam poſt vniuerſa vitæ & victoriæ amiſſa atque deſperata ſubſidia, affecti continuis vigilijs, longo diuturnóque morbo, cæde, opere irrequieto exhauſti viribus, arma ſuſtinere nequirent, neceſſitatibus*

bus humanis magis quàm vi in ignominioſam ſuperbiſſimorum hoſtium poteſtatem deuenerunt. Magiſter cum à ſumma luce in maximam vſq; diei partem impotus impranſusq́; ſub denſiſſima etiam pluuia & grandinum turbine diu ante prætorium expectaſſet, tandem lato clauo à Barbaris indutus, ad conſpectum tyranni inductus eſt. Ambo alter alterius intuitu & admiratione mutua attonitus, inuicem ſeſe pauliſper contemplati ſunt. Tum ſalutatus primùm à Magiſtro, & manum ſuam paſſus oſculari. ſic loquutus perhibetur. Etſi meritò iuréque optimo deditionis leges quas præſcripſi, irritas facere poſſim ſceleſtiſſimis tuis Cruciferis, ac populo Rhodio, tibíque in primis hoſti tam infenſo. à cuius merita pœna iuſtiſſimum victorem nec fides, nec ſacramentum flectere deberet: decreui tamen in ſontem & nouiſſima exempla promeritum, non tantùm pius eſſe & clemens, ſed etiam liberaliſſimus: cui ſi grauiſſimos vitæ anteactæ errores bene agendo emendare velit, honeſtiſſimos ordines, ſummos magiſtratus, ſuprema imperia in bello, in exercitu, in toga, in pace polliceor. Hæc ne recuſes, & præſens fortuna tibi ſuadet, & Chriſtiani quorum cauſam meliore incepto quàm exitu aduerſus me tuendam cepiſti, hanc talionem merentur. Quid enim prohibet quin à tuis omnibus deſertus & proditus, victus, in perpetuam fidem & vltrò oblatam gratiam, potentiſſimi & benigni victoris venias? Ad hæc Liladamus: Maxime clementiſſime Imperator, inquit, oblatam conditionem ego præ tantis ducibus tuis minimè mereor: ſors autem & merita de te mea haud talia ſunt, vt refutare illam vel auſim vel debeam. Liberè tamen dicam inter arma victricia, victus ante victorem, cuius ſummam clementiam nunquam deſperaui, cuius fidem haud ſum veritus, malo aut ſtatim amiſſo imperio priuatam & infelicem hanc vitam amittere, aut ſemper ingloriam eam viuere, quàm à meis transfuga potius quàm victus appellari. Vinci enim fortuitum eſt, & à tanto victore etiam ipſi victo non prorſus pudendum: ſed ſuos deſerere & militiam mutare ignauiæ & perfidiæ plenum duco. Solymanus admiratus cani principis in tanta difficultate animum & modeſtiam, iuſſit dimiſſum à colloquio cum ſumma fide & ſatellitio Turcaico in vrbem reduci ad auguſtale. Singuli etiam Equites qui magnum Magiſtrum ſuum comitati fuerant, veſte coccinea donati ſunt. Neque hoc officio ſatis ſe feciſſe Solymanus prudentiæ & fortitudini magni Magiſtri credidit. Die ergo quadam improuiſò vrbem ingreſſus, ſalutato Mahumete, magnum Magiſtrum reculis ſuis componendis intentum inuiſit. Hic cum ſe ſubmittere in genua, & victoris maieſtatem adorare vellet, ille nullo modo id paſſus eſt. Imò motis pauliſper à fronte manu dextera infulis imperialib. quòd reuerentiæ genus Turcarum reges Deo tantùm, & Mahumeti exhibere ſolent, magnum Magiſtrum Babba, hoc eſt, patrem amantiſſimum & reuerendiſſimum appellauit. Et infrà ſcripta alter alteri per interpretem loquutus eſt. Prior magnus Magiſter modeſtia, prudentia, magnanimitate, non minus inermis in vrbe capta, quàm armatus in acie eſſe ſolebat admirabilis, ſic exorſus eſt: Si quanta audacia mihi fuit, tãta fortuna rerumq́; proſperarũ acceſſio fuiſſet, victor potius

Magnus Magiſter ſupplex Turcicũ Tyrãnum adit.

Oratio magni Magiſtri.

potius in hac vrbe quàm victus eſſem. Verùm poſteaquam claram Rhodũ euertere fata voluerunt, lætor te mihi ſorte potiſſimum datum eſſe, à quo vim acciperem & gratiam: tibi quoq; inter alia multa egregia non in vltimis laudum hoc eſt, viciſſe Rhodum & peperciſſe. adiecisti hoc modo potentiæ tuæ clementiæ famã, quæ neq; ſummis mortaliũ ſpernenda eſt: nam per hanc ſolam æquales Deo æſtimamur. Seruabis igitur nihil dubito pacis leges, quas dare clementia tibi ſuaſit, mihi accipere neceſſitas. Aeternum nunc exemplar clementiæ & virtutis Turcicæ ero, magis quàm ſi ſtatim deditionẽ feciſſem. Pertinacia modò mea, gloria & pietas tua per orbem terrarum inclaruit. Adhæc, Mihi inquit Tyrannus, etiam magna lætitia eſt, quòd te Deus monuerit, vt aliquando pacem quàm bellum malles, atq; hoc vtinam tibi à principio placuiſſet: profectò à ſumma potentiſſimaq́; maieſtate mea ad hoc tempus plura bona accepiſſes, quàm mala perpeſſus es. Quæ quòd nullo odio tibi intulerim, ſed ſola dominandi libidine, vel hinc colligere potes, quòd te tuosq́; inuiolatis corporibus, intactis fortunis hinc dimittam. Haud enim bellum gero vt diuitias, vt opes comparem, ſed ad gloriam, famam, immortalitatem, protelationem imperij tendo. Eſt enim regis ſanguine regum orti proprium, rapere atque inuadere aliena, non quidem auaritia, ſed glorioſa cupidine dominandi, cui quum obſtat vicinus, armis & vi eum tollere ſatis habeo. Verùm tyrannus ficta omnia loquebatur, & longè aliter, quàm animo agitabat. Priuſquam enim hũc amicum ſermonem meditatus eſſet, ducibus delegauerat, vt maximam onerariam nauim triremesq́; militiæ, et in eis Magiſtrum cum equitum cœtu Conſtantinopolim veherent. Cuius rei non modò occultus inter duces rumor, ſed etiam inter milites publica vox erat. Quam vbi percepit Liladamus, cum proceribus Turcarum egit, vt Imperatorem ſuum fidei ſacramentiq́; admonerent. Interea ipſe ſub noctem Chriſtianæ circunciſionis enauigauit, vrbem ſuam infeliciſſimam perfido Tyranno relinquens: cui quantum vno ab aſpectu curuatis more patrio, antrorſum poplitibus equo inſidentem iudicare poſſum, nec autoritas, nec dignitas formæ deeſt: ſtatura eſt recta, oculis nigris paululumq́; trucioribus, cæterùm vultu gratioſo & ſubfuſco. Antè ambulabant pedites ſagittarij, ore, circa ſuprema labra effero, pilis intortis, quos Miſtacas appellant. A tergo ſequebantur equis inſidentes molles pueri miniſtri libidinum, forma tamen non ſatis venuſta, & incompto nigróque capillitio ad humeros promiſſo. Siniſtrum Tyranni latus obequitabat Farraus præfectus ripæ Euphratis, qua minor Armenia Ciliciæ coniungitur, & etiam vltra Amanum montem in Comagenæ finibus, quibus Meſopotamia prima Hiſmaëlis Sophi prouincia à vetere Sultanorum ditione diſterminatur. Adduxerat iſte nocte natalis Dominici XX. *millia integrorum militum, qui cum decem alijs millibus ripam memoratam aduerſus eruptiones Perſarum cuſtodierunt, dum Rhodus oppugnaretur. Quæ cùm ſæpe aliàs obſeſſa oppugnatáque & fortiſſimè defenſa fuerit, maiore vi vincente cauſam meliorem, vt dixi in oratione mea ad Adrianum* VI. *Tandem anno à nato Chriſto* XXIII. *ſupra ſeſquimilleſimum, ſub iuſto clypeo miſerabiliter occubuit*

Liladamus hoſtium manibus elabitur.

Farraus.

cubuit Chriſtiani imperij antiqua propugnatrix: &, vt inquit eloquentiſſimus vir F. Thomas Guichardus, in oratione ſua pro Rhodijs, ærumnoſæ Græciæ protectio, peregrinantium diuerſorium, naufragorum portus, miſerorum Aſylum, languidorum Xenodochium.

Vrbs anno à nato Chriſto 23. ſupra ſeſquimilleſimũ occubuit.

DE BELLO RHODIO, LIBER TERTIVS.

COMPERTVM ſemper habui operis præſentis materiam vires meas excedere, & feliciore ſtylo poſteris tradendam eſſe. Verùm vt palàm & in vrbe Romà hominum doctiſſimorum theatro ineptus eſſem, coëgit me primùm obſeruantia ſacrorum & nobiliſſimorum Equitum, coëgerunt deinde mala mea: nam hæc pectori altiùs inhærent, quàm vt eorundem nulla à me mentio fiat. Difficile quidem eſt ſilere, cum ames & doleas. Et mouebit fortè abſonus atque incompoſitus hic planctus meus talium animos, qui quà ſunt eruditione, bellum omnium maximum, maxima cum eloquentia poſteris commendabunt. Quod cum multi in Germania, Italia, Hiſpanijs, Gallijs, & in alma vrbe Roma præſtare poſſent, cumulatiſſimè vt ſperamus, præſtabit Paulus Iouius, artis medendi, & literaturæ cultioris antiſtes, tum hiſtoricus in primis celeber & verus. Deus immortalis, quanta fide, quàm graui iudicio, quo rerum ordine, quali proprietate verborum, qua orationis facilitate, deſcribit ille, aut veriùs ante oculos ponit omnium Regum, principum, populorum, tam in Oriente, quàm in Occidente, acta, geſtáque? atque vtinam facundis omnibus ingenijs placeret, quod inſtituerunt doctiſſimus humaniſſimúſque Iouius noſter, & Petrus Alcyonius iuuenis, ingenio, eloquentia, & multiplici rerum ſcientia præſtantiſſimus, quod præclariſſima & nunquam peritura ingenij ſui monimenta teſtantur, Ariſtoteles & Galenus verſi. Legatus Medices de exilio, oratio elegantiſſima de nece Chriſti ad Quirites, funebris item laudatio defenſorum Rhodi, quæ fortiter ſcilicet fecerunt aut dixerunt prudenter alij quàm quæ ipſi ſentiant, vulgò tradere, profectò res humanæ melius ſe haberent. Sed hic eſt temporum præſentium ſtatus, & optima magis optari quàm fieri poſſunt. Verùm ne Prologus ſit prolixior fabula, Tertium librum aggredior belli Rhodij. Bellum enim potius quàm oppugnationem vocare libuit, quando non tantùm circa vrbis noſtræ mœnia, ſed omnes arces Rhodi, & aliarum inſularum, quæ Rhodiorum ſunt, terra, mariq́; acriter pugnatum ſit. Narrabo hic igitur paucis multa, quæ toto itinere ad almam vſq; vrbem Equitibus & populo Rhodio contigerunt, inſularum, regionum, vrbium, locorum deſcriptione exactiori omiſſa. Hanc enim in appendice magis quàm libro, tum hiſtoria non topographia facere mihi, nec ocium, nec animus eſt.

Paulus Iouius.

Petrus Alcyonius.

Expulſi patria, laribus antiquis, affecti humanis omnibus incõmodis, claſſi laceræ hyberno tempore impoſiti, decem dies aſpero mari & tẽpeſtuoſo errauimus. Appulit tandem ad Scythiam, Cretæ inſulæ vicũ & promontorium maxima nauis noſtra, quæ in ipſo portu dum ſub noctem anchoras

iaceret, prope impegit, nauis caſtellata Hieronymi Carmanioli, quem ordo equeſtris, quòd tempore difficili Rhodo ſuccurriſſet, iure aureorum calcarium donauit, vento pomeridiano vehementius flante in ipſius ſtationis cautes acta fœdè periјt. Ibi vnda maris Turca inclementior, cuncta quæ miſeri homines ſecum attulerant, abſórbuit. Reliqua claſsis alto & ignoto mari iactabatur. Ioannis Bouladij nauis, poſtquam Cortugoli claſſem euaſiſſet, vndis per laxas compages incurrentibus ferè ſubmerſa fuit. Nihilo ſecundiori fortuna triremes, quæ magnum Magiſtrum portabant in mari Carpatio vſæ ſunt. nam naufragium propè fecerunt: ſed Deo Opt. Max. rebus præter ſpem ſuccurrente, cum duodecim alijs leuioribus Cretenſium nauigijs in portum Candiæ actæ ſunt. Ea eſt hodie prima Cretenſium ciuitas in plano ſita, duodecimo fortè ab antro Minois miliario, verùm proximior monti Idæ, qui Iouis incunabulis, & poëtarum carminibus famatus apprimè eſt. In hac Veneti ius dicunt & imperant, vt reliquis omnibus inſulæ vrbibus. nam Creta Venetorum colonia eſt. Magnus Magiſter, omni ordine ciuitatis obuiam procedente, lachrymanteq́; ſumma cum veneratione à Dominico Treuiſano grauiſſimo & ſapientiſſimo conſule exceptus eſt. Miſerat hunc ſenatus Venetus, dum Rhodus obſideretur in Cretam cum ſummo imperio & claſſe ſexaginta triremium viris armíſque egregiè inſtructarum. manſit hic ſacer Equitum ordo ad inchoatam vſq; Quadrageſimam, ſumma cum cura & diligentia mœſta negotia ſua componens, claſſem laceram reficiens, nauibus nautas imponens. nam flos horum bello periјt, inter quos ſedulò induſtrieq́; omnia quæ vis hoſtium diruerat, reficiendo, enituerunt Petrus quidam faber nauticus Rhodienſis, & Georgius quidã Ligur, claſſe noſtra, quæ tormentorum ictibus Rhodi acceptis, tum nautarum negligentia circa vrbis defenſionem occupatorum, & multa vnda maris lacera ruptaq́; fuerat, vtcunq; refecta & neceſſario commeatu accepto, Februario exeunte à Cretà inſula ſoluimus, iuſſu magni Magiſtri, & nobiliſſimi Equitis Angli, F. Gulielmi Auſtoni, viri integritate vitæ, & facilitate morum exculti ſſimi: quem proceres anteſignani maximæ imò vniuerſæ claſſi nauium caſtellatarum præfecerunt, quas ventus & parum propitia aura, poſtquam vela nautæ expandiſſent, diu in conſpectu inſulæ aſpero mari hinc inde vagas retinuerunt. Tandem poſt longã cũ vnda & ventis conflictationem, neq; vllã in inſulam, niſi parum ſoli niueo marmore ſplendentis, cœliq́; amœniſſimi deſcenſione facta, ſuperatis Naxo vino ſuo nobili, in qua etiã hodie Bacchi vetuſtiſſimum templum cernitur, Zacyntho, Cephalenia, Strophadibus inſulis, ad altum pelagus in ſinum Adriaticum æſtuans peruenimus, magno Magiſtro procul è conſpectu, & à tergo relicto: qui cum triremibus, quæ nunquam altum pelagus tranant, & nauigijs minoris formæ ſemper ſecundum oram maritimam nauigauit, omni in loco ad quem deſcendiſſet, cunctorum lachrymis, ſtudio, officio, & humanitate, honoreq́; exceptus. In Corcyra verò & Gallipoli quantus ſit ei publicè priuatimq́; à Magiſtratu, à popularibus exhibitus honor, haud facilè dixerim. Sed cum omnium officioſa obſequia, atq; præterea commoditatem,

Magnus Magiſter Candiam peruenit.

Dominicus Treuiſanus.

ditatem, & commeatus recentis frequentiam, cætera mala quæ nauigantes pati neceſſe eſt ſuperarent. ingens morbus remiges, claſſiarios, ſacróſque Equites inuaſit, cuius vis nequaquam tamen tam efferata erat, quàm illius qui inuectos nauibus onerarijs, & affectos omnibus humanis incõmodis, ſqualore, vomitu, fame ſiti graſſabatur. Hac rerum incõmoditate, cibi potusq́; defectu factum eſt ſeminarium magnarum ægritudinum, quæ poſtea in Meſſana ciuitate regni Siculi nobiliſſima in ora poſt Pelorũ ſita, modico interiecto freto, à regio Calabriæ oppido diſtanti, enaſcentes ſæuè & atrociter omnes moleſtarũt: plurimos quibus nec hoſtes, nec maris tempeſtates nocuerunt, in aliud ſeculum retruſere: mihi etiam ne animam morbi vis eriperet, magis diuina clementia quàm humana res effecit. Et dum infelices exules patria & ſedibus maiorum noſtrorum expulſi, has calamitates & miſerias in terra ignota pateremur, penè cunctis malis grauior omnibus erat mora magni Magiſtri. cum enim grauiora nauigia tertio Idus Apriles ad Siciliam appuliſſent, neq; de ſe nuncium mitteret, nec veniret ille tertia aut quarta hebdomada poſt, meritò omnes plurimùm timere, ne cum triremibus malè ad bellum paratis in Afrorum poteſtatem veniſſet. qui pyraticis nauigijs mare Siculum apprimè infeſtum reddunt: quidam naufragium feciſſe credebant, alius claſſem ſuam peſtilenti aliquo morbo infectam, non audere procedere vaticinabatur: omnia vario tumultu ſtrepere, & vt in rebus triſtibus ac dubijs fieri ſolet, ſuo quiſq; metu pericula ſibi fingebat. Tandem ineunte menſe Maio, Rhodijs etiam Meſſanæ inhabitatoribus omnibus lux pergrata aduentu magni Magiſtri orta eſt. Gratior tamen fuiſſet dies illa mortalibus, ſi principem militiæ Rhodiæ triumphatorẽ in claſſe victrice & ſpolia hoſtiũ præferenti conſpexiſſent. In lacero autem & morbido nauigio, vixq́; vt à prædatoribus tolleretur digno, vbi viderunt, nemo lachrymas continere potuit. Dici vix poteſt, qualis gemitus, quantusq́; ploratus circumfuſæ vndiq; turbæ fuerit: nemo ſuſpiria, nemo lachrymas ſponte vbertimq́; profluentes reprimere potuit niſi quem dolor mutũ effecerat. Et vltra promiſcuæ multitudinis optimi erga Rhodios animi iſta ſigna, ampliſſimus etiã honor & fauor Magiſtro Rhodiorum exhibitus eſt à primoribus regni Siculi, & ipſo Prorege Hectore Penitagello comite montis Leonis, heroe natalibus, literis, virtute præclariſſimo: qui obuius cum Ioanne Lignano archiepiſcopo Meſſanenſi reuerendiſſimo, & fratre ſuo Fabricio Penitagello Priore Baruli, eum inter vlnas humaniſſimè exceptum & oſculatum ſplendido comitatu multorũ nobilium virorũ in vrbem induxit. Venerat Fabricius hic Meſſanã cum bis mille expeditis peditibus in agro & ex iuuentute regni Neapolitani ſelectis, vt Rhodum ſuã ſubleuaret. Eſt enim vnus ex equeſtri ordine ſacrorum Equitũ, idq́; fecit ſola animi ſui magnitudine & pietatis affectu, nullo maiorum ſuorũ imperio coactus. Mandatũ enim receperat tantùm de commeatu & nauibus parandis, qua in re diligẽter induſtrieq́; ſe habuit cum collega ſuo Carolo Ioſuualdo Priore ſancti Stephani, qui non ſemel tantùm Rhodianorum animos ad ſpem fidemq́; venturi auxilij erexit, literis miſſis per F. Ioannem Breſſolum Equitem Italicum:

Nulla calamitas ſola.

Magnus Magiſter Meſſanam venit.

Ioannes Breſſolus.

qui cum prælij naualis peritia etiam literas & hiſtoriæ cognitionem coniunxit. Quinetiam nepotem chariſsimum Ioannem Ioſuualdum, qui Rhodi fortiter dimicando occubuit, nauicula præmiſit exploratoria ad obſeſſos conſolandos, ſocio F. Michaële Peralto Equite Nauarro, cuius admiranda parandi ſalis petrarum ars, & tormentarij pulueris faciendi dexteritas, operumq́; ignotorũ induſtria Rhodijs in tempore difficilimo, magno & neceſſario vſui fuit. Saluti autẽ eſſe nõ potuit rebus feſsis nemine ſuccurrẽte. Et his qui ſuccurrere voluerunt, obſtitit fatum. Ne culpam reijciam in Adrianum VI. *& Maximum Pontificem & mortuum, aut in viuentem quempiam regem vel principem. Nam reges & principes omnes iam conſtat Rhodo obſeſſæ bene voluiſſe, optaſſe defenſoribus victoriam & triumphum, quibus vt potirentur, Carolus quintus Imperator, inter homines Opt. Max. è regnis ſuis Neapoli, Sicilia, militem, arma, commeatum decem millium ducatorum & gratis & liberè tollere permiſit. E portubus ſociorum, & confœderatarum gentium in Italia, naues maximas onerarias abducere. Adrianus etiam ſummus Pontifex quanquam ſumma rei numariæ inopia premeretur, & iam legatum cum ingenti pecunia in Vngariam miſiſſet, vt regnum illud in fide atque officio Chriſtianæ religionis contineret, procurante nobiliſsimo & prudentiſsimo Equite Iuliano à Rodolphis anteſignano Crucigerorum Capuanorum, in auxilium vrbis obſeſſæ ſex millia ducatorum erogauit: quorum loco vtinam ſex triremes vel vacuas equeſtri ordini concedere potuiſſet & voluiſſet. Nam arma, viros, commeatum, & cætera bello neceſſaria inueniſſet hic, & iam fortè victrix Rhodus de hoſte ſuo triumpharet, imò hoſtium ſummum principem (credo) in vinculis contineret. Quod vt fieret, maximè optaſſe nõ dubito Franciſcũ Galliarum Regem, & nomine & re ipſa Chriſtianiſsimum, qui vel ſummis regni proceribus factum haud ſatis probantibus, & re ſub ipſum tempus in Inſubribus parum feliciter geſta, etiam à Cæſare, & ſocio populo confœderatisq́; regibus vim expectans, ſex naues & inter eas Tremoliam à portu ſuo Maſsilienſi, vt his Rhodo auxiliarentur Franci Hieroſolymitani Equites, ſoluere paſſus eſt. Quos vbi magnus Magiſter Meſſanæ reperiſſet ſimul cum Equitibus Hiſpanis & Italis auxiliaribus, ſeuero grauiq́; cõſilio indicto, cauſam publicè in cœtu omnium Equitum dicere, & moram expurgare iuſsit. fuit oratio omnium & diſerta & vera. Sed nobiliſsimi Auerni Equitis F. Ioannis Lidſerami longè omnium diſertiſsima & apertiſsima, adeò vt ſinguli veritatem manibus pedibusq́; palpare (vt prouerbio dicitur) potuerant. Miſſus fuerat à Magiſtro Lidſeramus hic tres propè menſes ante obſidionem, cùm ob alia negotia, tũ vt increbreſcente fama belli in nos Turcaici, copias auxiliares quãto ocyus poſſet expediret. Sed neq; ipſe, nec Daucenuillus & Andugus, quorum ſuprà feci mentionem in ſecundo libro, quicquam profecère, imò nec Nicolaus Huſſonus Secretarius magni Magiſtri, & quarta vice miſſus cum literis à Bartholomæo Politiano, viro doctiſsimo prudentiſsimoq́;, ſcriptis F. Antonius Boyſius accenſus Equitum Italorũ, vir rebus gerẽdis longè accommodatiſsimus: qui cùm Fabricio Carecta-*

Ioannes Lidferamus.

Nicolaus Huſſonus Secretarius.

Carectano optimo & laudatiſsimo Principi ob fidem, induſtriam, diligentiamq́; ſuam ſemper fuerit charus, etiam ob virtutes ſuas huic Magiſtro acceptiſsimus eſt. Poſtremò denique cum totius rei noſtræ ſumma grauiter periclitari inciperet, exijt vt ſuprà dixi F. Emericus Reaux ad tranſmarina auxilia acceleranda. Sed cum horum omniũ nec diligẽtia nec induſtria profuerit, in durum atq; ineluctabile fatum, cladem noſtram ſine cuiuſquam offenſione reijcere poſſum, & meritò (vt puto) & prudenter. An non fato potius quàm hominum nauticorum vel perfidiæ vel ignorantiæ aſcribã? quòd nauis Ianuenſis maxima, quam Faraam vocant, commeatu, armis, viris refertiſsima, trãquillo mari atq; in ipſo oræ Liguſticæ portu Monecho Herculi ſacro fœdè perierit? Etiam Thomas Nuport Prior Aquilarius legionis Anglicæ delectam manum ſagittariorum Britannicorum & auxilium viæ ignotum argenti pondus & auri Rhodum ferens, cum in ventum contrarium incidiſſet, vi tempeſtatis iterum in inſulæ deſertum quoddam promontorium repulſus, vnda maris cum omni gente ſua ſubmerſus eſt. Et ne in omni loco fortuna, vt Iuno Troianis, Rhodiorũ nauigationi non aduerſaretur, fratrem Antonium à S. Martino Priorem citerioris Hiſpaniæ, ſenem in armis à puero exercitatum, & Homerico Neſtori ſimilimũ in piraticam claſſem Afrorum inıecit, à quorũ tormentariorum ſaxorum ictibus tantam vim roſtrata nauis ſua paſſa eſt, vt penè fluctibus depreſſa fuerit. Similem etiam vim ab hoſtibus accepit nauis oneraria Prioris Caſtellæ Didaci Toletani illuſtriſsimi ducis Albæ filij, digni profectò tanto patre: nam præter egregias corporis dotes, animi quoq; bonis, iuſtitia, prudentia, fortitudine egregiè excultus eſt. Cum ergo Meſſanæ ſacer Equitum ordo ſubſiſteret, & peſtis futuræ ſuſpicio hominum mentes iam præoccupaſſet, ne tanto malo miſerrimi Rhodij exules poſt tot tantáſque ærumnas ſuas contaminarentur, viſum eſt patribus, locum, aëráque ſalubriorem inquirere. Indicto igitur hanc ob rem ſacro magnoq́; concilio, omnium ſuffragijs ager Neapolitanus & amœnitate cœli & fertilitate glebæ, rerumq́; omnium quibus vita ſuſtinetur copia alijs prouincijs præſtare iudicabatur. Placuit igitur eò curſum dirigere. Sed Puteolani, cùm poſt Idus Iulias claſsis noſtra eò perueniſſet, mandante magiſtratu Neapolitano, timore contagioſæ peſtis, terra nos prohibuerunt. In ruinis igitur Baiarum & ſpecubus circumuicinis aliquandiu nos continuimus, vitam trahentes. Miſſa è Neapoli & Puteolis alimonia, quam diſtribuit induſtrius Eques Narbonenſis F. Ioannes Bonifacius, qui hoſtili obſidione tribunatum militarem & diligentiſsimè & ſapientiſsimè geſsit. Verùm cum ſuſpicionem hanc vanam fuiſſe compertum eſſet, laxior annona ab vrbe ad nos redit, & honor magno Magiſtro à proceribus regni exhibere cœptus. Carolus Lanoius rei militaris, & regni iuſtè ſapienterq́; adminiſtrati laude illuſtris, munera cerealia ad magnũ Magiſtrum miſit. poſtea etiam in æde ſacra diuæ Virgini ad fauces criptæ Neapolitanæ eũ honorificè excepit, cinctus ipſe ſplẽdidiſsima & nobiliſsima corona procerum regni, atq; cuſtodibus corporis haſtas præacutas geſtãtibus, quorũ tunicis ante & retrò, aquilæ imperiales intextæ erant. Verùm cum

Thomas Nuport Prior Aquilarius.

Ioannes Bonifacius.

ſulphurea Puteolorum graui inſuetoq́ odore ſuo multorũ capita & ſanitatem læderet, & aliæ multæ cauſæ receſſũ ſuaderent, nec haberet mœſtus ſenex regno eiectus, patria extorris, quò & ſalubrius & decentius confugeret, quàm ad ſacroſanctã Romanã eccleſiam, vt eius ſanctiſſimo tunc antiſtiti Adriano VI. *caſus ſuos exponeret, vnanimi ſuorum decreto petijt Ciuitatem veterem, quæ in ora eſt maris inferi, diſtans ab vrbe Roma trigeſimo miliario. Eſtq́ ibi à reuerendiſſimo Epiſcopo Conquenſi Hiſpano, ſummi pontificis nomine, mira & ingenti gratulatione exceptus: admonitus etiam, vt quàm primum Pont. Max. inuiſeret, cùm ſacra militia non niſi Diuûm nomine è tam rabidis hoſtium, & perfidiæ Turcaicæ faucibus erepta. Cupere ſanctiſſimum ſenem & pontificem ante vitæ exitum dare ſacratiſſimo & nobiliſſimo Ordini equitũ, & vago miſerrimóque populo Rhodio, quietas ſedes, vrbemq́ manſuram. Magnus igitur Magiſter non diu cunctatus, Romam profectus eſt, ſacræ militiæ ſummo imperio delegato nobiliſſimo Equiti F. Bernardino Araſchæ præfecto maris, & olim arcis D. Petri in Caria, in qua contra vim & inſidias Barbarorum (dum Rhodus obſideretur) cuſtodienda & prudenter & fortiter ſe habuit. Quomodo autem magnus Magiſter quantoq́ cum ſplendore & ornamento Romam ad ædes ipſas Pontificis inductus ſit, haud ſatis eleganter explicare poſſim homo tenuis facundiæ, in bello ad hæc anguſto. Proceſſerat obuiam, vel extra muros vrbis Pontificis Maximi ea domeſtica familia, induta pallijs rubris, patres purpurati, quos ſumma ſecundùm Pontificem Maximum dignitas atq́ autoritas rarò in publicum prodire ſinit: familiares miſit honorarios, qui ante magnum Magiſtrum vecti, mulis coopertis ſtragulo coccineo ad terram demiſſo dominorum galeros geſtabant. Hos ſequebatur archiepiſcoporum, Epiſcoporum aliorumq́ Prælatorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & virorum quos aut inſignis eruditio, aut vitæ autorias commendaret, magnus numerus ſanè maieſtate, & grauitate morum conſpicuus. Ipſum autem magnum Magiſtrum cingebat vtrinq́ pedeſtre agmen Heluetiorum cuſtodũm corporis Pontificij, ambulans paſſu militari, compoſitoq́ ad ſonitum tympanorum, fiſtulæq́ Germanicæ, manu longa haſtilia geſtans, quibus ferox illa natio hoſtes ſuos in prælijs cõfodere ſolet. Adfuit etiam prætoria cohors Equitum. Item præfectus vrbis cum ſatellitio ſuo, & vigilum miniſtrorumq́ iuſtitiæ equeſtris pedeſtriſq́ turma. Hac pompa comitatuq́ omnium Ordinum & Magiſtratuum vrbis Romæ, dùm per medias turbas hominum omnis ætatis ſexus atq́ ordinis, qui paſſim ad ſpectaculum è vicis, domibusq́ ſeſe effuderant, ille ad Vaticanum veheretur, moles Hadriani, eademq́ diui Angeli arx honoris & lætitiæ ſignum, immanes frequentiſſimosq́ bombos tormentarijs machinis expreſſit. Poſtea locatus in honoratiore parte ædium, cùm ſacroſancti antiſtitis maximã in terris poteſtatem adoratum ſupplex de more veniret, proceſſit ei obuiam aliquot paſſibus Adrianus* VI. *quanquam ſenex & æger & ſummus Pontifex. Qua in re oſtendit ègregiè Adrianus diuinus homo, humanus Deus innatam ſibi cum cæteris virtutibus à puero humilitatem. Equidem ſi hiſtoriã liceret in panegyricum vertere, optarem*

Adrianus VI.

Magnus Magiſter Romã peruenit.

hîc mihi

hic mihi ad Adriani laudes deſcribendas eloquentiam (non dico Ciceronis) quam aſſequi nullo modo poſſumus, ſed F. Hyppoliti Aemilij à Pennabilorũ Auguſtiniani declamatoris diuini verbi facundiſsimi: qui dum defenſores Rhodios vehementia orationis in prælium animaret, ipſe lapide ictus exanimatus eſt. Perſuaſi enim mihi, ſi iuſtus Deus vicario ſuo longiores annos tribuiſſet, reſtituturum fuiſſe in integrum (vt verbo Iuriſconſultorum vtar) ſacrum Hieroſolymitanorum Equitum ordinem. Quod vnicè apud illum procurabat popularis ſuus, idemq́; militiæ Hieroſolymitanæ nobiliſsimus Eques F. Petrus dux. Spes tamen eſt, imò fides certiſsima facta equeſtri ordini, quòd omnia quæ Adrianus ante diem vita ereptus omiſit, Clemens Clemẽs VII. Pontifex. *VII. Pontifex optimus, laudatiſsimus, vel ſupra vota reſarciet. Qui cùm omni cura, induſtria, vigilantia, ſemper apud Leonem X. Pontificem Maximum eius germanum fratrem, & Adrianum VI. militiam Rhodiam protexerit, fouerit, amplificauerit, iam meritis ſuis, & diuina prouidentia adiutrice orbis & vrbis imperium aſſequutus, eadem omni ſtudio iuuat, fauore proſequitur, beneficijs accumulat. Gratias, priuilegia, indulta Romanorum pontificum anteceſſorum ſuorum, non ſolùm nouo diplomate firmauit, verumetiam ſua ſponte quàm locupletiſsimè auxit. Quod vt ſemper faciat, & inter principes Chriſtianos acerbiſsimis inter ſe odijs diſſentientes, æternam pacem clementia, prudentiaq́; ſua componat, longam & felicem vitam ſanctitati ſuæ optemus. Philippo quoq; Vilerio Liladamo de communi hoſte Solymanno Turcarum tyranno, victoriam tam felicem, quàm olim de Gaurio Syriæ, Arabiæ atq; Aegypti rege tulit, cum ei duas claſſes in ſinu Iſsico caperet, vnam factam quidem, alterã ferè fabricatam, & in Regem Luſitaniæ principesq́; occidentis deſtinatam. Quod cum ſanctiſsimus & prudentiſsimus Pontifex compertiſsimum habeat, nec non alias innumeras virtutes, quibus Romæ inter Põtificatum ſingularis Liladamus extitit, nã præfectus à collegio patrum purpuratorum cuſtodiæ ſacrorum penetralium, quibus comitia includebantur, prudentiſsimè mandatum ſibi munus gerens, ſacro ordini fidem & diligentiam ſuam approbauit. Cum collegis omnibus modeſtè & familiariter vixit, nemini ſe præponens, omnes obſeruans, nullarum partium ſtudioſus: vnde facilè ſummam laudem ſine inuidia, inuenit. Et merito ſuo ſummo Pontifici factus eſt chariſsimus, qui in eo ornando omnia ſtudia ſua, omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem fixit, & locauit. Viterbium eccleſiaſticæ ditionis, vel primariam vrbem inhabitandam conceſsit. Ad quam Magiſter dum hæc ſcriberem, vt ſibi venturo cũcta præpararet, F. Carolum Pipam miſit præfectum agentium in rebus ſuis, virum ingenio, morúmque facilitate, & induſtria animi ad res omnes gerendas longè aptiſsimum. Quod cum ſæpe aliàs, tum optimè in obſidione Rhodia perſpexi.*

BELLI

BELLI PANNONICI PER ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC D. D. FRIDERICVM, COMITEM PALATINVM, ETC. CONtra Solymanum Turcarum Tyrannum geſti,

Liber I.

Melchiore Soiterò à Vinda Iureconſulto auctore.

SI quis varios Principum Regumq́; caſus & diuerſa fortunæ ludibria, quibus vbique gentium rerumq́; Dominos miſerè exercuit, fallax nimium & inconſtans Dea, animo ſecum exactius perpendat, mirabitur hanc auſam & in terræ numina, tanta cum inſolentia & faſtu, vtranq; ſibi vendicare paginam. quia & ſi Iulius Cæſar, quum olim ad hoc culmen & faſtigium rerum euectus, maris inter procellas periclitaretur, illam in ſe tanquam ſupra humanā ſortem poſitum, nihil poſſe exiſtimarit: atque ſyderalis ſcientiæ Matheſeosq́; illi periti notores, nullum in capita hæc ſacra, ſtellarum configurationes habere poteſtatem iudicarint: Noxiam tamen & ijs in præſens Deorum cœleſtium nutu cognouimus eſſe vim, quæ tam breui momento, tot præclaros Principes, vel rupto vitæ filo, humano potuerit eximere conſortio, vel ſedibus ſuis eiectos, à dijs patrijs laribusq́; procul alienum vertere ſolum compellere. Defuncto namq; Maximiliano Auguſto, mox & Leonis Decimi Pontificis Maximi, inſequuta eſt ruina, crederes ijs veluti orbis luminibus extinctis, naturam quoq; omnes ſuas immutare voluiſſe vices. Quandoquidem Dux Vuirtenbergius, audita Maximiliani morte, iuſtis vix dum rectè Chriſtiano ritu perſolutis, ius humanæ ſocietatis violare auſus, auitis ſedibus à Sueuiæ confœderatis pellitur, quem ſequutus Daniæ Rex Chriſtiernus, nam dum imperium eius grauius ferunt ſubditi, regno ſuo quod æquo iure iam diu poſſederat, excutitur. Pari ſorte & Gallorum Rex Franciſcus vſus, dum imperij faſces Cæſareumq́; diadema Carolo inuidet, collatamq́; illi à Septemuiris adimere conatur Maieſtatem Ticinenſi in agro, Germanis Hiſpanisq́; militibus congreſſus, à Nicolao de Salmen Germano Comite capitur, amiſsis etiam ex Regulis, proceribus, & principibus ſuis quàm plurimis. Quæ tempeſtas & in mundi caput vrbem Romam, Pontificemq́; Maximum Clementem ſeptimum, & ſacrum quoque & purpuratum Cardinalium ordinem, non minori quàm olim ſub Heinrico in Paſcalem deſæuit immanitate. Quare cum Chriſtiani Principes, nunquam antea mutuis armis, & verſa in ſemetipſos rabie, acrius conflictarentur, nouáque religio, & noui ritus, qui tunc per myſtas quoſdam liberius forſitan quàm decebat, paſsim tradebantur, priuatorum mentes adeò peruertiſſent, vt ij nefaria quæq;, quaſi furia quadam infernali & ſæua exagitati Erynni, in Templa, in Deos, & homines, patrare auderent: atq; Ruſticorum manus, tum temporis maximè, per Germaniam motus ingentes, nec Spartaci illius, Euni, aut Viriati, minores, atque bella pluſquā ciuilia commouiſſet, Solymannus Turca Caſpiam concitauit gentem: quæ

Dux Vuirtenbergius.

Chriſtiernus Daniæ rex.

olim

olim ab Alexādro magno, Macedonum Rege longo hinc ſemota receſſu, ferreisq́ repagulis Caucaſias concluſa intra rupes, Chriſtianum ſanguinem iampridem, & ab eo tempore quo portas illi Hyrcanorum reſerauit Rex, haurire aſſueta, atq́ noua tum quoq́ & recenti de Soldano Aegypti victoria, ſua ſponte & à natura ſatis inſolens, efferatior facta, voluntariã hinc odio in nos ducta Vatiniano, & liberam præſtabat operam. Aggreſſus itaque Belgradum fortiſſimum Germaniæ noſtræ propugnaculum properè ſubigit, & Rhodum, ipſum religionis Chriſtianæ ſcutum hucuſq́ & antemurale, non multùm diu pòſt expugnatam, ſuam redegit in poteſtatem. Dein noſtro malo perpetuò vincere edoctus, Ludouicum Hungariæ Bohemiæq́ Regem, ſpei optimæ adoleſcentem, inter Drauum Iſtrumq́ flumina cum paucis & incautiùs occurrentem, dolo magis & perfidia ſuorum, quàm virtute propria trucidat circumuentum: quo victo Hungariam ipſam veluti ſpe omni deſtitutam celeri itinere percurrens, ignis flamma depopulatur: & præda ditatus ingenti, præſidijs munit firma quæq́, infirma verò demolitur. Nec diu multúmue cunctatus, ne Germanorum qui Pannonijs vicinitate ſunt proximiores, irritaret animos, Thraciam exercitus cum parte citato gradu repetit, quo per hyemem quæ tunc inſtabat maioribus contractis copijs, futura æſtate totam ſubigeret prouinciam. Sed inter hæc poſt hunc infelicem Ludouici Regis caſum, maximum inter Auſtriæ Archiducem Ferdinandum, quem nunc Cæſarem agnoſcimus, & Ioannem Cæpuſienſem Comitem Iazigum Tranſyluaniæq́ Præſidem, de regno Hungariæ oritur diſsidium. Ferdinandus enim id dotalibus ex pactis ad ſe pertinere exiſtimabat: alter verò Ioannes ſcilicet comes, illud electionis iure ad ſe ſpectare contendebat. Vnde tandem quum vterque ſua in ſententia perſiſteret immotus, nec alter alteri cedere vellet, ad arma peruentum eſt, & bellum planè perницioſum & exitiabile ortum. Quoniam autem potentia, Ferdinando, Ioannes ſe intelligebat imparem, proprijs viribus diffiſus, externa confugit ad auxilia. Nam & interea temporis dum hæc agebantur, veteris Marcomanniæ populi, antiquo fœdere, quod olim priſcos inter Bohemiæ Reges, & Auſtriæ Principes percuſſum fuit, Ferdinandum ſibi creauere Regem. Veritus itaq́ Ioannes ne regno ſolùm cui inhiabat excideret, verumetiam ne & comitatu, quem à maioribus ſuis habebat hæreditarium, pelleretur, Turcarum tyranni implorabat opem: qui occaſione noua, qua ſibi ad regnum parari intelligebat aditum, apprimè lætatus, lubens hunc in ſuum accipit patrocinium. nouerat enim callidus latro ille, quàm multa regna maiores ſui, per ſimiles huiuſmodi occaſiones Chriſtianorũ principũ è manibus, à Paleologi ipſius atq́ Cantacuzeni temporibus vſq́, iãpridem antea eripuiſſent. Ferdinandus verò Rex quum incendium illud non ſuam in perniciem tantùm, verumetiã & totius Reipub. Chriſtianæ euerſionem, exarſurum præſentiret, ſibi quoq́ & communibus rebus in tempore duxit proſpiciendum. Et quoniam tunc fortè Germani principes, Septemuiríque illi ſacroſancti, Panegyrim Spiræ veterem Nemetum apud vrbem celebrãtes conuenerant, commodum viſum huic, & hos deferendo auxilio compellare

Belgradum. Rhodus. Ludouicus Rex. Iohannes Vaiuoda. Ferdinandus Rex creatur. Panegyris Spiræ celebrata.

pellare. Profectus itaq; celeriter illuc, rem eis huiuſmodi propè verbis expoſuit: Non vos fugit principes magnanimi, Diuum Maximilianum Auguſtum parentem noſtrum, has nobis olim parauiſſe nuptias, hunc matrimonij illius ſanctiſsimi, inter nos & Annam coniugem, Reginam nobiliſsimam, ſponſorem fuiſſe & Paranymphum. Qui inter cæteras cõuentiones & hanc dotalem nobis præſcripſit legem, vt ſi Ludouicum Regem quem tunc vnicum Vladiſlaus habebat filium, ſine hærede legitimo decedere è vita contingeret, ſuperſtite Anna ſorore coniuge noſtra, & ipſa prole fœcunda, vel nos ipſi loco illius & iure maritali ſuccederemus in regnum. Non diſplicuit id ſeni Vladiſlao, & idem quoque appoſitis Diplomati ſigillis, regni proceres comprobarunt. Migrauit ex hac vita communi fatorum ordine Vladiſlaus. Nec diu pòſt & Ludouicus dira morte (heu horret animus dicere aut meminiſſe) à beſtia illa Turciaca fuit peremptus, patuit nobis exiſtente conditione, & ex pacto conuento, ad regnum aditus. Sed dum huc iuris ſuffragio fulti adnitimur, ſolus Ioannes Vaiuoda, nos hinc contra omnem rationis æquitatem amoliri conatur: & nec hominum fidem, nec Deûm religionem reſpiciens, Solymannum Turcam ſola inuidiæ præpotentiæ & dominandi libidine ductus, orbis in ruinam & aduerſum nos ſolicitare eſt auſus. Qui occupatis iam pridẽ antea firmiſsimis quibuſque, certum nunc miſeris Hungariæ populis minitatur exitium. Niſi igitur ijs veſtra ope, veſtro auxilio, celerius ſuccurreritis, actũ erit dubio procul de tam nobili regno: ſed ne vos tum quidem, & Germania veſtra, à periculo & interitu longè aberitis. Nã ſtatim ac inſigni præſidio illo latus veſtrũ nudatum fuerit, & fortuna quoq; veſtra, tanquam in præcipitio poſita, nutare incipiet. Noſtis enim & vos ipſi exemplis multis admoniti, quàm pertinax ſit hoſtis ille truculentiſsimus. ſerpit namq; ignis more, vt plurimum vicina quæq; deuaſtans. Quare ſi vos ſociorũ miſeria & infœlicitas, qui hucuſq; non ſecus ac fideles Limenarchæ quidã pro Imperij Romani & Reipub. Chriſtianæ incolumitate, tam diligenter euigilarunt, nihil mouet: at moueat vos ſaltem, patriæ veſtræ, atq; religionis cõmunis pietas, & ſalus: atq; arma iam tandem non pro ſocijs his ſolùm, qui ſanguinem ſuum toties pro vobis, & rebus veſtris, veluti largo imbre quodã profuderunt, ſed etiã pro vobis ipſis, pro liberis & coniugibus veſtris, pro focis & aris, ſpiritu magno & germano corripite. Neq; enim nunc diutius, & donec hoſtis intra limites receptus fuerit, expectandum. nã tutius longè eſt, ſi Scipioni Africano credimus, bellum foris & procul à patria, & in ſolo alieno gerere, quàm hoſtem proprios intra terminos receptũ, gnauiter ſuſtinere. Dictis his, Principes Germani, & ſi magnis quibuſdam alijs curis detinerentur, nihilominus tamen nec & hanc negligendam duxerunt eſſe rem. Decretæ itaq; ſunt extemplò hunc aduerſus hoſtem, auxiliares copiæ, & qui ab incurſionibus limites tutarentur conſcripti milites. Præfectus eſt his illuſtriſsimus princeps, Comes Palatinus Rheni Bauariæq; Dux Fridericus. Nam & huic communi principum ſuffragio, populiq; fauore & clamore, Imperium cum rerum ſumma oblatum primùm, & demum etiam id iuſtis rationibus & argu-

Fridericus Comes Palatinus Præfectus exercitus contra Turcam deſignatur.

*argumentis recuſanti, ob merita & virtutes, quibus nec priſcis cedebat du-
cibus, demandatum eſt, & eſſe iuſſum. Qui quum quale onus humeris ſuis
foret impoſitum, qualemq́; prouinciam ſubijſſet, iam ſua pro prudentia ſe-
cum cogitaret, conſilia prius quàm facto opus eſſe intelligebat: nam tumul-
tuarijs in rebus conſilium capere rarò vel temporis ratio patitur, vel loci
admittit opportunitas. Ratiſponam igitur, vbi quondam Noricorum Re-
gum fuiſſe ſedem commemorant, Principes qui rei gerendæ, quaſi Apocleti
quidam, conſultores adiuncti erant, euocat. Bis illuc conuentum fuit, & bis
illinc re infecta diſceſſum. Nam peractum tunc penitùs nihil, niſi quòd po-
ſterioris conuentus die, duo qui Turcæ in Hungariã obſeruarent expeditio
nem, conſtituti ſunt ſpeculatores, Sebaſtianus Schilling Iureconſultus inſi-
gnis & Eques auratus, atq; Chriſtophorus Beſnicer Brunduni Bauarici
præfectus, Barbaræ Hunicæq́; linguæ haud ignarus, munia ſtrenuè exe-
quuturi, Budam vſq;, quam Sycambriam olim dictam quidam exiſti-
mant, progreſſi, Turcarum Tyrannum, ingenti collecto exercitu, Adria-
nopoli egreſſum, & aciem Hungariã verſus dirigere comperiuntur, & prin
cipi Palatino celeriùs reuerſi denunciant. Qui cunctatus nihil, tranſuectio
nem parare, Luſtrumq́; condere, Magiſtros equitum, Tribunoſq́; peditũ,
ocyus iubet. & quia verò hæc tanta cum celeritate, vt rei exigebat neceſſi-
tas, fieri non poterant, ne hoſtis dilato longius negotio, pro more ſuo depræ-
dandi inde arriperet occaſionem, vt in rem fore viſum, Philippũ principẽ
ex fratre nepotem, bello acrem adoleſcentem parua equitum peditumq́; ma
nu, ad retardandum hoſtilis furoris impetum, præmittit: quem & ipſe mox
recognitione peracta, militumq́; nominib. intra pyctatia receptis, toto inſe-
quutus eſt cum exercitu. Egreſſus itaq; Neomarckt è regia ſua, Ratiſponã
celeriter contendit, & nauibus illic quas diu antea parare iuſſerat, properè
conſcenſis, vnà cum tribus fratribus germanis Honorico Traiectenſi Epi-
ſcopo, Ioanne Ratiſponenſi Eccleſiæ præſule, & Guelphone quẽ veteres, nos
nunc Vuolfgangũ dicimus, natu minimo Palatino, Danubij perfluenta de-
lapſus, tertia die Lyntium Auſtriacũ appulit: vbi à Rege Ferdinando (nã
is illic tum erat) perbenignè exceptus, atq; ad cœnam omni magnificentia
& ſplendore regali exornatam, honorificè deductus eſt. Multa coràm inter
conuiuandum de belli rebus commentati ſunt, ſerijs tamen his, delectantia
quædam, & βιωφελῆ nonnunquam comiter intermiſcentes. Poſt conuiuium à
Rege diſceſſum precatus Princeps Palatinus, poſtera die & ſub diluculo a-
bire paratus, quoniam moras nectere diuturniores, nec commodum vide-
batur nec vtile: negatum tamen à Rege, inconſulta, & indiſcuſſa re diſcede
re. conſumpta eſt igitur tota ea dies conſultationibus, & ſtratagematum
ratiocinationibus, & ſequenti primùm vtrinq; diſceſſum. Comitatus eſt
Rex vnà cum Reginis duabus Anna coniuge & Maria ſorore, ad naues vſ-
que perhumaniter deducens abeuntem. donauit tamen huic antea in ſignũ
amoris equos duos Argolicos: quorũ alter auro, alter oſtro tectus erat pur-
pureo. Equeſtre ſanè hoc & huiuſmodi Principe non indignum præmium, a-
ctis gratijs, pro morum ciuilitate ſeſe commendans Princeps, claſſem Grein*

Comitia Ratiſponæ bis celebrata.

Comes Palatinus cũ tribus fratribus Lyntiũ Auſtriacum appulit.

verſus, Scyllea rabie famoſum oppidũ & velis & remis impulit, vbi vix e-

Melchior de Harſtal.

greſſus nauem Melchiorem de Harſtal, quẽ iãpridem antea, ne quicquã interim dum morã apud Regem traheret, negligeretur, ad Principem Philippum, vt Auſtriæ caput vrbem Viennam præſidio muniret, belliq; conſultores atq; Apocletos iſtos Chremſium, vt Cloſternumburgij Cetium iuxta montem, aduentum eius præſtolarentur, dimiſerat, anhelum & properantem obuium habuit, qui Turcam Solymannum vrbi Viennæ exercitu ingenti & innumerabili imminere, hancq; obſidione arctiſsima vndiq; premere nunciabat: quem & mox cornicen quidam, eadem indicans, & ne latiùs progrederetur admonens, à conſultoribus belli miſſus, eſt inſequutus. Quibus omnibus territus is nihil, claſſem parare, arma capere, aciem inſtruere, bellicaq; inſtrumenta ex ordine diſponere, & Chremſium ipſum ocyus iubet appellere, miſcebat in diuerſa fluminis ripa, perfidiſsima Mahumeti gens, omnia cæde, igne, ferro, flamma. Fugiebat miſera Chriſti plebecula, incerta quò ſe conderet tandem, aut quò euaderet. Exanimes penè omnes, viri, & fœminæ, infœlicia pignora, charos liberos, dulceſq; penates tanquam medio igne raptos trahebant. Motus hoc miſerando ſpectaculo pientiſsimus princeps Palatinus, & quos re ipſa militis ob paucitatem, quum vix ſexcentos ex omni exercitu ſecum retinuiſſet, iuuare non poterat, verborum tamen benignitate, innata pro clementia ſua fouere, & lenire conatus, ſe horum & Deum aliquando fore vltorem in præſentiarum adijci-

Sigiſmundus de Vueyxelberg.

ens, Et tunc tertium quoq; à Sigiſmundo de Vueyxelberg, Equite aurato, & Vagitio Paulo Conſtantinopolitano, leuis armaturæ ductoribus: quibus & pontis Danubiani tutela commiſſa fuerat, acceptum eſt nuncium, quod mox aliud & iterum aliud eſt inſequutum. Quæ licet omnia, ne latius progrederetur, admonere debebant Principem, nihilominus tamen ſub aurora ipſa vela ventis, ſe ſuoſq; Deo & Fortunæ committere ſtatuit. parauerat iam omnia, & mens erat medios penetrare per hoſtes: ſed quia longè aliter dijs ſuperis viſum, nebula repente & cœlo ſereno orta, lucis, & remigij vſum nautis ademit. Nam nec tunc Danubij perfluenta ob infames ſcopulos, nauigare tutum. Inter hæc belli conſultores, iuncto Bauarico equitatu peditatuque omni adueniunt, indicantes hoſtem in vrbem omnem occluſiſſe aditum. Hanc neque terra, neque aqua tutò poſſe adiri, ſe omni conatu niſos, ſi quo modo penetrare poſſent, irrita tamen ſpe, ſe penitùs effeciſſe nihil, intercepiſſe namq; Tyrannum claſſe pontes Danubianos, hoſq; iniecto igne Græco incendiſſe, & alia exercitus parte, totam circumuallaſſe vrbem. habere hunc ſuis in caſtris, vltra trecenta millia militum, quibus circumquaq; oppleuiſſet omnia, ſe nunc eo retrocedendi cepiſſe conſiliũ, quo maturius quid in re tam ardua facto eſſet opus, vnà ſecum deliberarent. Commouebant hæc Principem ipſum non parum multum, angebat animũ conſanguineus, & ex fratre nepos Philippus, cruciabat commilitonum infelicitas, & plebis ipſius quæ vndiq; cædibus & rapinis expoſita erat, miſeria & calamitas: infractus tamen, ſi qua arte, modo, aut ingenio obſeſsis ſubuenire poſſet, vſq; cogitabat. Et firma adhuc erat ſententia, vel mortem forti-

fortiter oppetere, vel interturbatis ſaltem hoſtium cuneis, in vrbē prorumpere. Belli autem conſultores quum hunc impoſſibilia cœptare intelligerent, diuerſum ſentientes, ne ſe tanto huic periculo committere vellet admonebant. Non enim hic vrbis vnius de præſidio tantùm, ſed totius orbis potius de imperio, nunc concertandum: ex ſuo capite iam non vnius hominis aut exiguæ gentis alicuius felicitatem, ſed Chriſtianæ Reipub. atque Germanæ nationis, ſalutem veluti ſacra ex anchora dependere: impoſſibile eſſe, quòd mente concepiſſet, tam exigua manu hoſtium caſtra penetrare, nec id ſi abſque noxa & periculo fieri poſſit omni, vſq; adeò profuturū.

Diuerſorum conſiliorum agitatio.

nam ſi & ipſe quoque vrbis intra ſepta concludatur, neminem fore, qui tanta cum fide Regi Ferdinando, Septemuiris electoribus, cæteriſq; Germaniæ Principibus & Dynaſtis, quanto in periculo Reſpub. verſetur, queat ſignificare: neminem qui obſeſſis interim donec maiores ex Germania contrahantur vires, conſilio, ope, aut opera poſſit ſubuenire: ſingulari Deorum prouidentia factum, vt ſeriùs & poſt obſeſſam primùm vrbem aduenerit, non ſpernendum cæleſte conſilium: melius eſſe in loco aliquo non intuto reſidere, & eo quaſi munimento quodam ſe tenere, maioréſque copias operiri, atque hoſti nonnunquam fortiùs incumbenti, data opportunitate à tergo inſultare, ſic impios illius conatus facilè reprimi, atque obſeſſos ſocios egregiè poſſe tutari. His & alijs rationibus perſuaſus, vix tandem quieuit Princeps, atque apud Chremſium, Stain & Mauteren tria hæc oppida, niſi quòd ea Danubius intermedius diſiungit, vnum viſa, donec ſpes melior refulgeret, reſidere conſtituit. Et omnia hæc Regi Ferdinando & Principibus imperij quo celerius fieri poſſit indicare. Miſſis igitur vndiq; literis & nuncijs, rem quo in ſtatu ſit properè ſignificat, admonetq; vt ſi ſaluam velint Rempub. Chriſtianam, patriam liberam, incolumes liberos & parentes, omni collecto iuuentutis robore, reſeratiſq; Martis penetralibus, & Argiletei Iani apertis templi foribus, impij hoſtis illius tyrānidi ſe opponant pro tempore. Nam rem Chriſtianā vix vllo vnquam antea tempore vel Caroli Martelli, vel ſub Heinrici primi imperio, Hunica etiam ſæuiente gente, magis acriusq; fuiſſe afflictam: omnia nunc ſtare in præcipiti, breui, niſi nouis viribus fulciantur, ruitura: Et quoniā idem incendium, Bohæmis & Morauis cæteriſque Marcomannicæ nationis gentibus, qui omnes olim Marobodui Regis fortiſſimi agnoſcebant ſceptrum, vicinitate erat proximū: eoſdem quam & iam antea in armis eſſe audiuiſſet, in auxilium accerſire non videbatur importunum. Præerat his tum Regis Ferdinandi loco Ioannes de Berenſtain Baro.

Ioānes de Berēſtain Baro.

Scripſit itaq; huic vt & celeriter aduerſus hoſtem cōmunem, commune ferat auxiliū, quod & cæteros quoq; Pānoniæ ſp erioris admonuit proceres, ſubijciens ne patiantur metu conterritos incolas diutius palare, ſed animis conſternatos potius verbis quibuſcunq; in ſpem meliorem ſtudeāt erigere. Memores, longè magis timidè fugientibus, quàm fortiter pugnantibus mortem pallidam imminere. Decretum erat tum cōparato exercitu, Turcarū claſſem, quæ vtrūq; pontē occupauerat, ex improuiſo intercipere, aut obruere, obſidionis fortunam in eo verti ratus, ſi Danubiana præſidia,

prius interclusiſſet. ſtatuit igitur viam ferro in vrbem aperire, atq; inde obſeſſos, commeatu, & alijs ad munitionem neceſſarijs rebus iuuare. Aperuit id clam miſſo nuncio Principi Philippo, quo is commilitones ſuos ad obſidionem atq; res alias arduas conſtanter perferendas animaret: fore enim breui vt ij eo tempore quo Turcarum caſtra eſſet aggreſſurus, ad eruptionem parati omnibus portis effunderētur, atq; victores quidem, & duriſſima obſidione liberati tandem, hoſtium cuneis commiſcerētur. Dum hæc per Principem Palatinum parabantur, non quieuit è diuerſo Turcarum tyrannus, more ſuo circumiacentia quæq; deuaſtare. miſſis nanq; leuis armaturæ equitibus quibuſdam, nec non claſſiarijs & peditibus expeditis, veteris Liobonæ per agros Marhafeldiam verſus, acie directa profectus, infirma aggreſſus, ſolo æquat cuncta: cæduntur ſenes, rapiuntur iuuenes, mulieres turpia maritorum ſub oculis paſſæ, vnà cum liberis intereunt, infantes vel vtero ſecti, vel qui matrum adhuc hærebant vberibus, parentum auxilio penitùs deſtituti, ſtipitibus per vicos paſſim ſuſpenſi, dulcem quam nuper acceperant, exhalabant animam. Hæc & alia multa quæ nec ſcribere, nec fari fas ſine pietate, diſcrimine, & miſericordia, ab hoſtibus crudeliſſimis ſunt perpetrata: quibus haud immeritò miſera Chriſti conterrita plebecula, ſine duce, abſq; rectore, & magiſtro, errabunda vagabatur: quò confugeret, aut quem inuocarèt neſcia. Principis tandem, quem primùm Chremſium, pauco cum milite adueniſſe compererat, auxilium implorat & opem. Venerunt eodem die trium Prælatorum, de Cloſternumburgo, Cetuagio, & Melck (quæ & antea veteribus ſub Dynaſtis, & priuſquā ad ſacros fuit deputata vſus, arx ferrea dicebatur) legati, precatū idem, indicantes, niſi cœnobia & oppida ipſorum firmo quodā muniantur præſidio, actum iam eſſe de ſe rebusq; ſuis omnibus: eò namq; Ferentariam Turcarū excurriſſe turmam, & huic niſi celerius militū nonnullorum occurratur ſubſidijs, ipſi tāquā imbelles & armorū inſcij, no poſſint reſiſtere. Collegerat interea temporis Principis iuſſu, Gulielmus à Buechaim, fuga elapſos mille indigenas, quibus dū rectore carerent, ducē tribunosq; precabatur. Adiunxit igitur his opportunè quidē, & Dijs ita volentibus, oblatos veteranos quoſdam, & Bauarorum ex cohorte lectos nonnullos nobiles, qui vnà cum illis prædicta ad loca profecti, ea ab hoſtium impugnatione fortiter ſunt tutati. eadem induſtria & Axpachium, nobile non procul à Spitz oppidulo ſituatum monaſterium, ab incurſionibus hoſtium tutū, per loci illius præfectum & illæſum fuit conſeruatum. Tutabantur iuxta Stockorauiam Diui Colomani morte inſignem vicum, cum indigenis lociq; incolis Danubij tranſitum Chenringi fratres germani duo, gloria inſignes. Haymburgum verò pedites ſexcenti, qui quū tantæ hoſtium multitudini reſiſtere diffiderent, ſumma rerū trepidatione, deſerta arce, Chorneoburgum ſe conferunt. Vbi quum multa militariter per ſæuitiam, in ciues perpetraſſent, à principe in ordinē redire, hisq; deſiſtere iuſſi, minus obtemperātes, ademptis ſignis & armis, prouincia ſecedere grauioris pœnæ ſub cōminatione iubentur. Ortum eſt proxima nocte & ſequenti Chremsij incendium ingens, quo auctore incertum, multi

id militi-

Turcorum ſæuitia.

Gulielmus à Buechaim.

Incendium Chremsij ingens.

id militibus ob ignominiam miſſis, multi id hoſtibus in proximo locatis putabant aſcribendum. perierunt eo Conrado Gotzmanno peditum ductore, equi nonnulli & miniſtri non ignobiles. Dum hæc foris agebantur, Ferentarij Turcæ bellico ritu vrbi obequitando, integrum per triduum cuncta perluſtrabãt: noſtri verò è diuerſo mœnium intra munimenta infracta deliteſcentes virtute, omnia quæ ad defenſionem erant neceſſaria præparabant. Suburbana igitur quia ampla & immunita, ne damno noſtris forent, & præſidio Turcis, diruta ſunt & incenſa, machinæ & bellica inſtrumenta, per turres & eminentiora quæq;, vnde in hoſtium caſtra faciliùs poſſet eiaculari, ordine recto diſpoſita. Naues quæ in anchoris iam diu perſtiterant, atque Italicum fruſtra expectauerant militem, ſubmerſæ: foſſæ poſt muros ductæ, & aggeres erecti: vrbis cuſtodia per ſtationes diuiſa, & valida vndique elocata præſidia: portæ penè omnes præter eas per quas egredi nõnunquã in hoſtes liceret, latere cocto obductæ, & ſic compoſitis rebus non diu manibus & armis temperatum. Nam mox occupatum caſtrorum munitione hoſtem, aggreſſi exigua manu noſtri, collatis vltra vallũ & munitiones ſignis, pepulere. Tentatum eſt idem ſæpius, & plerunque feliciter peractum. nam cæſo hoſte plurimo, ſine ſanguine noſtro in vrbem reditum. poſtremò etiam & Hybrahim Baſſa ſecretorum Tyranni omnium cõſcius, dum gratia ſpeculandi Viennæ ſitum incautius proceſſerat, penè fuit deprehenſus. Actum fuiſſet procul dubio belli de mole, capto hoc, tanquam vnico rerum & omnis fortunæ arbitro, quia verò hunc ſeruare ad peiora, & Dijs quoque ipſis placuit, noſtratium manus, & is tunc quoque effugit. Bis quidem in huiuſmodi eruptionibus à noſtris militibus malè pugnatum eſt, ſemel quum cohortis Ductor Vuolfgangus Hagen, noctu vrbem infelici egreſſus auſpicio, vt ſuos tutò reduceret & incolumes, inter primores impigrè dimicans, gregariorum ſuorũ qui ordines turbauerãt, inertia potius, quàm fortitudine hoſtium victus, ad arcis portã cum veteranis quibuſdam & Hiſpanis fortiter occubuit. Vuolfgangus Hagen. *Et iterum ſemel quum Chriſtophorus Zetlitz Vexillifer quingentorum equitum turma, hoſtium vſque procurriſſet ad caſtra, & captus denuò nimia multitudine circumuentus, cum ſex commilitonibus ſuis, qui & in acie cæſorum commilitonum ſuorum, atq; leproſorum quatuor, quos per ſummum ſcelus trucidauerãt Turcæ, capita contis præfixa geſtare ſunt coacti, in Tyranni perductus eſt conſpectum: à quo multum de Regis Ferdinandi abſentia & rebus, multum etiam de principum animis & inſtituto, quibus vrbis tutela commiſſa erat, hãcne contra tãtam potentiam ipſius ſeruare ſperarent? interrogatus, aptè & prudenter reſpondit: Ferdinãdum Regem non admodum procul hinc abeſſe: Nam iuſtum expectantem exercitum in Lyntio oppido reſidere. Decretum enim huic, per Germaniam, Bohemiam, & Marcomanniam, communi omnium conſenſu, auxilium maximũ. aliquantiſper igitur ſi vter bello plus valeat experiri libeat, & donec conueniatur, expectandum. Regem neq; abfuturum diutius, neq; ſæuam Martis aleã detrectaturum, maturare enim & hunc rem, & has nationes omnes iamdudum ad arma conſpiraſſe. De principum verò animis*
Chriſtophorus Zetlitz capitur.

& inſtituto

& inſtituto ſcire quod vellet, ſibi parum liquere: ſed hoc vnum conſtare; Principes hos & reliquos commilitones omnes, ſummos & imos, conceptis iuramenti verbis, iam pridem nouiſſe, vel vrbem tueri magnanimiter, vel ſuprema quæq. perpeti, & diram mortis neceſſitatem fortiter & Saguntino more obire. Fruſtra itaque eum tot bellicoſiſſimis illic præſidentibus viris, (quod venia ſua dictum velit) prædæ huic inhiare, quum illis ſpes omnis, veluti quondam Spartiadis ipſis non in mœnibus & muris, ſed in armis & virtute poſita ſit. Adeſſe enim illic intra vrbis mœnia cum Principe Philippo Nicolaum de Salmen Comitem, Gulielmum de Rogendorff, Leonhardum à Fels, & Eckhardum de Ryſcha, bello omnes inuictos heroas, & magnificentia rerum geſtarum inſignes & claros bellatores; qui non facilè ad quemuis leuis auræ ventum ſoleant concitari. Ad quæ & ſi commouebatur aliquantulum Tyrannus, diſsimulato tamen calore, pauca hæc tantùm intulit: Se hucuſque multis cum gentibus congreſſum, victorem fuiſſe ſemper, nec labores ſuos antea vnquam fruſtratos, quare ne & nunc quidem de victoria & belli fortuna, quamuis ſæpius ſit anceps & dubius Martis exitus, deſperare. Cæterùm noſſe hunc & alios vnà ſecum captos, ſe vitæ illorum iam & necis liberam habere poteſtatem, & vitam ſi velit nunc eis poſſe auferre: hanc autem iis, quoniam & victis hoſtibus ignoſcere ſciat, iam vltrò donare, vrbis verò defenſoribus, illuc reuerſos verbis ſuis iubet nuntiare, vrbem illam quam tamen aduerſus tantã potẽtiam cui nec Taurinum nuper, nec Rhodos clara reſtitiſſet, tueri aut defendere eſſet impoſsibile, ipſi traderent: certasq́; pacis conditiones & leges, quas ipſe dicturus eſſet ſuſciperent, tractaturum ſe de iis extra vrbis mœnia, ne militum vulgus impium quid interim aut crudele admittat. difficile enim eſſe id à ſceleribus & impietate cohibere, curaturumq́; ſe inter cætera in primis, vt illis ſaluis corporib. & rebus hinc liceat abire. cõfidant itaque clemẽtiæ ſuæ & omnia candida futura, ſic eos ſibi ipſis & rebus ſuis rectè conſulere, ſi pro tempore, & priuſquam Martis ſæuitia latius euagetur, ad benignitatem ſuam confugiant: ſerò nimis hæc poſt exitum victoriæ expectari, vbi nil, niſi mors atra, cædes certa & exitium miſerabile ſoleat imminere: Quare perperdãt ſecum exacta trutina rem diligenter, ne id quod eis per indulgentiam nunc vltrò offeratur, poſthac precibus nequeant impetrare. Decreuiſſe ſe omninò hinc non niſi expugnata vrbe diſcedere, & ſubacto toto terrarum orbe, in patriam regiamq́; Conſtantinopolim redire. Quemadmodum enim duobus ſolibus, Alexandro Macedone teſte, legitimè regi non poſsit mundus, ita duobus regibus non queat rectè gubernari. Vnum eſſe omnium in cœlis Dominum, ſe vnum in terris Gentium omnium Principem futurum. Dixerat hæc, & continuò retento vnico Vexillifero, cæteros omnes & aureis tribus Hungarici ponderis ſingulos donatos dimittere iuſsit. Reuerſi in vrbem ſummo gaudio excepti, grauia hæc & imperioſa Tyranni mandata referentes, Principibus exponunt: qui ſurdis auribus excipientes, ad hæc reſpondere quippiam indicabant indignum. Quare quum ſe ampulloſaq́; & magnifica verba illa ſua contemptum iri, ſibiq́; à noſtris nihil reſponderi intelligeret

Homo proponit: Deus autem diſponit.

Turcici Tyrãni aſtutia.

Longè erras Tyranne.

telligeret, animo & ira æſtuans diu noctuq́; volutabat, quomodo vrbe potitus, contemptam ſuam vlciſceretur Maieſtatem. Viſum itaq; hanc ſumma vi & conatu omni oppugnare. Sita eſt autem Vienna quinque millia paſſuum à Cetio monte, ima in planitie, Flauia à gente quondam, dum Panoniæ terminos Romani, Barbarorum aduerſus incurſiones tutabantur, condita, & ob memoriam nominis tanquam poſitum monumentum Flauianum, olim ab aris Herculis, Alexandri aut Bacchi ritu ibi conditis, appellatum: nunc verò Vianna prima ſyllaba omiſſa, vel à torrente qui eam à meridie imbribus auctus præterlabitur, ſic dicta. Quæ licet Septentrionem verſus Danubij fluminis obiectu firmior aliquãtulũ reddatur, reliquis tamen ex oris neq; arte neq; natura vſq; adeò eſt munita. Nã foſſæ ante mœnia ſi quæ ſunt, ſiccæ, & nullius laticis liquore perfuſæ, facilem oppugnantib. præbent aſcenſum, & mœnia ipſa, quamuis coctili laterculo ſint conſtructa, turrium tamen propugnaculis hoſtilem aduerſus vim & iniuriam non ſatis ſunt firmata: quia & hæc nec lata nec alta, veram adhuc referre videntur antiquitatem. Adortus igitur hanc quindecim è regionibus vineis admotis, cuniculisq́; & ſubterraneis meatibus actis, muri nitebatur ſubuertere fundamenta: quos fomentis, ſulphure, bitumine & puluere tormentario farſerat, vt igne admoto militem ſuum, quem vndiq; in aciem eduxerat, tanquã fumi nebula tectum, vrbis intra munitiones ingenti ruina patefactas, facto impetu deduceret. Sed præſides Dij atque tutelares loci, auctore Chriſto, ſuorũ miſerti, crudele illud & impium Tyranni detexerunt conſilium. Capti enim peropportunè & ſecreto quodam fatorum ordine transfugæ tres, verum profari tormentis coacti, proditionis præmio accepto, vrbis ædificia incendere ſe pollicitos fatebantur, vt dum intus ad arcendum concurreretur incendium, ipſe interim foris, nudata ſuo præſidio occuparet mœnia: indicabant idem & Turcæ à noſtris militib. deprehenſi, & idem Fridericus Princeps miſſo clàm nuntio admonebat: Vnde facti alacriores noſtri, nihil laboris aut curæ vlla ex parte remittebant, atq; longè maiori quàm antea diligentia intra vrbem ſtationes, ante portas cuſtodias, & poſt muros peragebant vigilias. Et tum demum quà ex parte murum ſuffodere niteretur animaduerſum: doli detecti, atq; fodientium eluſa opera. Quicquid enim ab hoſtib. illuc vnquam congeſtum, id totum à militib. noſtris contrarijs & tranſuerſis cuniculis aut meatibus actis, vi raptum, aut ſolertia quadam & aſtu ablatum, & hoſtes etiam ipſi nonnunquam, qui ſe tentandæ fortunæ gratia illic condiderant, grauiter afflicti, inania cœpta Tyranno & vanos labores referebant: qui vt & hoc ſibi parum feliciter procedere ſenſit, quadrifariam diuiſum exercitum, & ſenas ſibi ipſi ſuccedentẽ in horas, continuato die ac nocte prælio, vrbẽ iubet oppugnare, & foſſores interim in auerſiſſima munitionũ parte, cuniculos numero plures agere, vt ſic vel perpetuis laboribus exhauſti, atq; paucitate milites noſtri victi, loca deſerere cogerentur: vt operis à ſenſu, armorum ſtrepitu & dimicatione auerſi, actos cuniculos non ſentirent. Non fuit vana ſpes Tyranni. nã ſtatim ac ſignum inuadendi Turcis datum, & à noſtris inter

Deſcriptio ſitus Viennæ.

Quindecim è regionibus Turca vrbem adoritur.

Proditores tres capti.

Vrbem iterũ oppugnat.

mœnia ad arma concurſum, ſuffoſſus & crebra vi pulueris impetitus murus, tribus ex oris ampla patefacta feneſtra, corruit. Vnde ingenti ſublato clamore connixi primò Turcæ, & agmine denſato patentes muri aditus, per ruinas magno molimine gradientes, oppugnare inceperunt, atque noſtros omni glandium ac telorum genere impetere & vrgere, noſtri verò è diuerſo primo in limine immoti, & animo infracto ſtantes, inſultantium impetum ſuſtinere, atq; hoſtes ipſos lancearum contis tormentorumq; globulis, fortiter excipere conabantur & arcere. Illi Germanorum ac Hiſpanorū militum ardorem, micantemq; ira vultum, non maiori conſtantia ac Samnites olim furentia Romanorū ora ferre, ſed mox impulſa à fronte tantùm acie, omnes retroire, Germani Hiſpaniq; milites erumpere, trepidantes à tergo cædere, & ſi quos maior ſolito audacia ad altiora vrbis mœnia euexerat, ad ima præcipitare: Tyrannus fortes priſtinæ virtutis & gloriæ admonere, labore & vulneribus feſſos reficere, atque ſubſidijs nouis fulcire, ignauos increpare, & demum omiſſum prælium redintegrare: hi verò rem non alia virtute quàm antea gerere. Nam accepta clade maxima etiam poſtremò imperij & ordinum immemores, ex acie aufugere.

Turci ex acie aufugiunt.

Pudebat ignominiæ, quam non ad vrbis vnius modò expugnationem, ſed ad vniuerſi belli ſummam pertinere exiſtimabat, Tyrannum. Et iam ſi quo modo gloriam recuperare, cladem q; acceptam memorabili quadam re, & facinore aliquo inſigni, abolere poſſet, anxius & furibundus cogitabat. Indignum videbatur tot conſumptis & exantlatis laboribus, cœptum opus deſerere, econtrà verò periculoſum tot præſtantes & bellicoſos viros, temeraria vrbis vnius in oppugnatione deperdere. Placuit tandem paucis diebus interiectis, & donec animos & vires reſumerent milites, armis temperare, & denuo reparatis primùm & compoſitis omni ſtudio rebus, ſumma vi & omnib. copijs circumuallatam corona vrbem iterum inuadere. Eductus itaq; in aciem & in ſtationes, vnde tutius prorumpere poſſet miles, qui & iam ad ſigna elocatus conſiſtebat: vt noſtras cohortes tanta alacritate, pro muris & mœnibus excubare conſpexit, totus animo frangi cœpit, & trementib. genubus collabi. Sonabant iam vtrinq; claſſicum æneatores, & ad belli munia fortium animos incitabant, ſed Turcæ metu exanimes, non ſecus ac conſpecto Perſei quodam ſpectro, in ſaxa mutari, perſiſtebant immobiles. Compertum tunc, vt ſæpius antea illud Catilinæ dictū quàm veriſſimum: Verba virtutem non addere, & Imperatoris orationem ex ignauo ſtrenuum & timido fortem non facere.

Verba virtutem non addere.

Quoniam & ſi hos ad omne imperiū ſurdos iam & pertinaces, non verbis tantùm & lenta vite, vt quondam apud Romanos moris fuit in ordinem cogere, verumetiam & ſtrictis gladijs & acynacibus nudatis Tyrāni iuſſu, verbera multa intentantes, vrbis in oppugnationem adigere niterentur, Zumbaſſi ipſi & tribuni militares, ab inuitis tamen & à ſuperioris certaminis memoria pauidis adhuc, nec oppugnationem nec operam aliquam aut obſequium militare extorquere potuerunt. Totum ſic exactum eſt triduum, vt hi ante caſtra, & extra vallum, ſæpius educti, ſæpius in agmina & aciem coacti, ſtupidi penitus, & abſque omni aculeo,

aculeo, & tanquam primo inſultu totum virus ſemel profudiſſent, ſua in pertinacia perdurarent. Quum igitur tyrannus Gyngisheros illos ſuos, in quibus omnis belli & victoriæ ſpes non ſecus ac Triarijs olim ſituata & repoſita erat, æquè ac gregarios milites & mercede conductos, quos Aſapides vocare ſolent, animo conſternatos, & diuturna obſidione & longa profectione pertæſos animaduerteret: Regemq́; Ferdinandum iam & Principem Palatinum, ingenti Germanorum & Bohæmorum robore ceruici ſuæ, ſuo tergori audiret imminere, timore perculſus, fugam cœpit meditari, & obſidionem, hyemis ante aduentum, quam nec ſui tanquam Aſiatici molles & frigoris impatientes ferre poterant, diſſoluere. Aduocatis itaque in concionem Viſiheris, Beglerbegis, Baßis, Sanſachis & Zumbaßis, atque alijs tribunitiæ aut alterius cuiuſcunque militaris poteſtatis hominibus, habita oratione, hunc propè in modum diſſeruit: Audimus commilitones, Ferdinandum Regem atque Fridericum illum Palatij Rheniq́; Principem, conſcriptis atque veteri ſacrata Samnitum lege initiatis, per Germaniam Bohæmiam & Marcomanniam, aduentare exercitibus, vtranque Danubij fluminis ſecundùm ripam, nos contra infeſtis ſignis contendere. Quod quidem ſummis votis optabamus antea, id nobis iam ſerò nimis, poſt tantam militum noſtratium pertinaciam videmus vltrò obuenire. Nam ſi iuſta acie cum ijs nunc fuerit decertandum, vix æquo Marte in tanta militum pertinacia depugnabimus. Quàm enim periculoſum & difficile ſit, inuitis ac repugnantibus militibus prælium inire, atq; ancipiti belli fortunæ ſe committere, vos ipſi longa experientia rerum edocti iampridem noſtis. Quare quum non minor ſit virtus adempta opportunitate, armis nonnunquam temperare, quàm oblata occaſione hoſti magnanimiter occurrere: decreuimus tandem obſidionem hanc, quam & veſtro conſilio nuper ſuſcepimus diſſoluere, militemq́; ipſum pro tẽpore & priuſquã frigoris & hyemis intemperies abeundi facultatem adimat, in portum & hyberna reducere. Veſtrum autem erit hæc omnia, ne vel miles animaduertat, aut hoſtis præſentiſcat, ſummo ſilentio, Minotauri ſymbolo moniti, contegere, atq; educto iterũ in aciẽ ſtationesq́; milite, oppugnationem veſtra de induſtria fingere, vt hac ſimulatione tuti nos interim cum ſarcinis cum impedimentis & grauioris armaturæ militibus ſenſim hinc ſubducere, & vos deinde tanquam velocitate corporum ac leuitate armorũ, ad accelerandum iter expeditiores, facilius ſubſequi poßitis. Ita enim fiet vt metu dubius hoſtis mœnibus egredi non audeat, & exercitus noſter incolumis ad tutiora euadere queat. Gnauiter exequuturi mandata duces illi & tribuni, corpora milites veteri Græcorum more curare iubent, & arma expedire, atq; dein quumprimum claßicum intonuerit paratos adeſſe. Ceſſatum eſt vtrinq; ab omni opere bellico biduum. & ad noctem demum tertiã ſequentem, dato prodeundi ſigno in aciem reditum, ordines inſtructi, agmina in ſtationes deducta, atque omnia quæcunque ad oppugnandum neceſſaria, magno apparatu expedita. Stabant extra vallum Turcæ, vix arma manibus retinentes tremuli, cuncta quæ ſimulabantur ex vero agi exiſtimantes. Noſtri autẽ intra muros

Gyngisheri.

Oratio Turcici Tyranni ad ſuos milites.

quamuis conſiliorum tyranni penitus ignari, nihil remiſſum aut humile cogitantes, actis diligenter pro tuitione mœnium cuſtodijs, atque muri ruinis ſedulò refectis, hoſtis aduentum expectabant: decantantes etiam læti interim, non veterem illum Germanorum baritum, ſed hymnos ſacroſanctos & Chriſto ſuo dignos verſiculos, præſagientibus forſitan animis finem nunc adeſſe laborum. Fit enim ſæpius vt & neſcia mens humana, quaſi Numine quodam tacta, diuinitus futura prænunciet. Collato propè pede & ex propinquo poſthac pugnatum nunquam, ſed omnia bombardis & machinarum tormentis eminus acta. Tegebatur cœlum denſa glandium & miſsilium nube: tremebat tellus & ingenti edito mugitu mouebatur: vulnerati multi, cæſi, aut fœdè lacerati, tormentorum vi & impetu tanquam turbine rapti, mediam aëris per regionem ferebantur. Cecidit eo in tumultu dum incautius progreditur, Natoliæ præſes, ſummo tyranni atque ſuorum omnium luctu, fulmine caranthiaca è turre miſſo lethaliter ictus. Motus hoc infortunio tyrannus, incenſis ſtatim prima ſub vigilia caſtris, inſtitutam antea accelerat abitionem, quod tamen ne foret inultũ miſeros prius Chriſticolas, quos ſors iniqua captiuitate inuoluerat, contra ius gentium & fas omne, crudelitate ſumma coràm mactare iubet omnes. Auditus eſt morientiũ eiulatus & clamor, noſtris à militibus, intra vrbis mœnia, neſcientibus tamẽ quid ageretur, donec poſtera die exorta, hoſtis fugã animaduertêre, cæſorũq; corpora paſsim caſtrorum per planiciem diſperſa reperierunt. Miſerandum hoc quidem & triſte ſpectaculum. Iacebant mixtim ſanguine vulneribus & cruore fœdati, viri, ſenes, iuuenes, pueri, matres (neque enim ſexui vel ætati pepercerat, ferina belluæ illius rabies) ſederit hoc ſpero non impune. Deus enim faciet vt iuxta Ezechielis Prophetæ vaticinium, Martialis Germanorum manus, de patrato tam iniquo facinore, condignum aliquando ſumat ſupplicium: tyrannúmque illum nõ ſecus quàm Tamberlanes Scytha, Bazaitem olim cauea incluſum aureisq; cathenis vinctum, orbi exhibebat deridendum ſpectaculum: quod propè fore Carolo Imperatore, & duce Cæſare Ferdinando, veterum oraculis admoniti iampridem auguramur. Nam & hoc his deberi palmarium, multa ante ſæcula nec gentium quidem tacuerunt Dij. Si enim candidiſsimo rerum Auguſtalium ſcriptori Suetonio Tranquillo credimus, ducentis annis Galbæ ante tempora à fatidica quadam puella, Cluniacique Iouis ſacerdote pronunciatum fuit: Oriturum quandoque ex Hiſpania Principem, dominumq; rerum: quod licet tunc temporis quidam ad Galbam ipſum, quoniam maiores eius hac in prouincia præturam, & ipſe quoque proconſulare geſſerat imperium, referre voluerint, ego tamen id ad inuictiſsimos pientiſsimosq; Principes hos iudico referendum: Schiltbergij illius nobili ductus Hiſtoria, qua indicat ſe quondam ad Nicopolim vnà cum cæteris Chriſtianis militibus profectum, illicq; affecto Sigiſmundo Imperatore inſigni illa clade, ab immaniſsimis Turcis fuiſſe captum, & belli iure ſerui loco habitũ per triginta captiuitatis ſuæ annos diuerſa loca peragratum, perueniſſe tandem ad Abrahami Patriarchæ ilicem, in valle Mãbræ

Si non datur prima nauigatione vti, licet ſecunda.

Turca turpiter aufugit.

Ammor-

Ammorræi, iuxta curiam ſuam, vbi & ſupremum mortalibus expectandum iudicium, mundi ſub origine deplantatam: quæ à Gentilibus ſacroſancta ideo habeatur, & ſolenni quodammodo conſecratione veneretur, quòd particula de hac quantumuis minima collo ſuſpenſa, regio ſiue Herculano medeatur morbo. vnde & factum, vt & hæc à Sarracenis & Mahumetanis muri ambitu circumſepta, peruigili cuſtodiatur cura: & Turcarum tyranni huius titulo ſe hucuſque voluerint præſigniri, exaruiſſe hanc Chriſto Deo & ſaluatore noſtro, crucis in lignum elato, & eam antea priuſquam Victor ille gentium, miſſus ab Occidente imperator, virtute & armis illuc profectus, rei diuinæ myſteria cæremoniáſque, & omnem purioris Chriſtianiſmi cultum ex integro reſtituat, reflorere non poſſe. Et id non tam noſtrorum aſſertionibus, quàm etiam Gentilium & Sarracenorum comprobatum prædictionibus: quod & verum eſſe Diui Hieronymi, beati Iſidori, Egeſippi & Ioſephi Iudæi credere inducimur teſtimonijs. quibus & ſacræ quoque aſtipulantur literæ, quæ & Ilicis illius ſiue Therebinti, ad quam tres Angeli Domini Abrahamo quondam apparuerint, meminere, cum quo & Flauij quoque Vopiſci in Floriani Imperatoris vita adductum conuenit vaticinium, palàm & omni verborum abſque inuolucro confirmans, naſciturum aliquando ex Pannonia Principem, & Iudices Parthis, & Perſis, qui Francos & Alemannos ſub Romanis legibus habeat, qui per omnem Africam Barbarum non relinquat, qui Taprobanæ præſidem imponat, qui ad Romanam inſulam proconſulem mittat, qui Sarmatis omnibus Iudices, qui terram omnem quam Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, ſuam faciat: poſtea tamen Senatui reddat imperium, & antiquis legibus viuat, ipſe victurus annis centum viginti. Taceo interim ac lubens prætereo Mothodij, Cyrilli, Rupæciſſæ, Merlini, Brigittæ, Ioachimi, Alſanfredi & Torquati, atque aliorum multa non è Druidum quercubus, aut Corthina Cynthij elicita reſponſa, ſed pijs mentibus ſpiritus inſtinctu cœlitus enunciata oracula: quæ omnia tanquam ore vno prolata, ijs Principibus Orbis deberi imperium profitentur. Sed de his ſatis, redeat igitur noſtra vnde digreſſa eſt oratio. Soluta itaque vrbis nobiliſſimæ per Tyrannum crudeliſſimum obſidione, Hybraim Baſſa conſiliarius intimus & ſecretorum omnium vnicus arbiter (nemo enim in admonẽdo hoc vno ius maius, aut libertatis plus habebat) collectis leuioris atque expeditioris armaturæ equitibus, compoſitíſque ex arte & induſtria ſubſidijs, præcedentem à tergo integrum per diem ſuum tutabatur tyrannum, qui correptis repentè ſignis, tanta cum acceleratione illis hinc profectus eſt, vt & vrbes & oppida omnia, quæ improuiſo metu & tanto rerum tumultu perculſa, imperium acceperant, & deditionis velamenta oleæ ramos ſcilicet, & portarum claues obtulerant, nullo vel ſtipendio vel præſidio impoſito, intacta reliquerit: & quinta poſt abitionem die Budam Hungariæ triginta duo milliaribus Germanicis à Vienna diſtantem, omnibus cum copijs perueniret: non minori cum dedecore & turpitudine ex Germania tunc (quam triennio, quum tamen Romani hanc ducentis & decem annis vix triumpharint,

Vaticinia veterum.

Fugam ſubſecuta.

ſubigere certò ſibi perſuaſerat) qua quondam Xerxes Perſarum Rex cum tam numeroſo exercitu è nobili Græcia aufugiens, amiſit tam celeri ex profectione ſuorum quàm plurimos. Quorum cadauera vnà cum ingenti Camelorum & beſtiarum numero ſtrata paßim per itinera fuerunt reperta, vi frigoris, hyemis ſæuitia, & famis diuturnæ tolerantia iamdudum antea emacerata. Petierunt noſtri, antiquam legum contra conſtitutionem, qua (Triphonio teſte) cautum fuit, ne captiuorum ratio haberetur aliqua, aut cum hoſte de ijs ageretur quicquam, captiuorum permutationem, inducti ad id, nō tam ſuorum miſericordia, quàm captorum Turcarum perpetua precum inſtantia. Miſſo nuncio à Baſſa Hybraimo tyranni loco contra morem reſponſū perbenignè, poſſe ſi velint, abſq; omni periculi metu, de ijs qui agant, trāſmittere. Se enim neq; ad prædam neq; ad vrbium veniſſe euerſionem, ſed vt Regem Ferdinandum tamdiu expectatum, & nuſquam comparentem ferri virga inuiſerent: conceßiſſe iampridem noſtratibus nonnullis abſq; omni redemptionis precio liberam redeundi poſtliminio facultatem, quod vt & ipſi faciant vicißim, rogare. Nam Martis aleam eò nunc progreſſam, vt hoc cōmercij genus inter ipſos futurum ſit quotidianum. Nuncium ipſum Baptoſerica, & Zetlitium Vexilliferum, quem in eruptione captum iam ſuprà diximus, aurea veſte donatos dimiſit, & ſuis nunciare iuſſit, ſe omnia poſthac, quoniam & hoſti fides ſeruanda, bona & Attica tractaturum fide. nam quòd præſidijs Budam elocatis, pacta conuenta nuper non ſint ſeruata, id non Turcis ipſis, qui fidem ſemel datam fallere nonnorint, ſed Germanis ipſis potius qui perierint imputandum: veritatis tamen ſine ratione hæc. Certum enim eſt hos, contra ius & fas, fidem præſtitam & pacta manu ſubſcripta tyranni, vnà cum Ducibus duobus Chriſtophoro Beſſerer & Iohanne Traubinger, inermes iam & deditos, à Gyngisheris fuiſſe trucidatos. At quis in Cylice fraudem, in Thrace commentum, & in Turca huiuſmodi miretur mendacium, quum ij & ridendo & per ludibrium fidem fallere ſoleant? Præclara tunc maximè per omne obſidionis tempus, Principum Palatinorum Friderici & Philippi virtus illuxit: qui inter cæteros quamuis multi illic egregij, inſignibusq; facinoribus & rebus geſtis præſtātes adfuerint bellatores, velut inter ignes Luna minores emicuerūt. Nemo enim ijs vnis vigilantior, nemo laboris & periculi tolerantior: neq; enim vllis moleſtijs exhauriri poterant, aut curis vinci, ſed omnia circumeuntes, omnia perluſtrantes, nunc boni militis, nunc optimi ducis aut imperatoris munere fungebātur: ſtrenuos comiter compellabant, ſaucios & ægrotos fomētis & pecunijs mirè confouebant & iuuabant, vt planè auitam maieſtatē in ijs cognoſcere potueris, & Palatinum ingeniū perſpicere. Quare quum alter foris, alter intus, vrbem tanta conſeruaſſet induſtria & vigilantia, conuerſi in eos omnes, hos Seruatores patriæ, hos σωτῆρες & paraſtatas appellabant. Vnis his omne quicquid vnquā magnificū geſtum erat tribuentes & acceptum referentes. Nam & crebræ inter hæc vrbis ante liberationem à Turcis factæ excurſiones, tanta noſtris à militibus Principis Friderici auſpicio repreſſæ ſunt felicitate, vt niſi cœleſtiū id tribuatur benignitati,

De captiuorū permutatione cum Turca agitur.

Chriſtophorus Beſſerer. Iohan. Traubinger.

tati, veri fidem, atq; credulitatẽ ſuperare videatur omnẽ. vicit mille Turcas triginta nauibus Danubiũ tranſgreſſos, Maraſeldiæ per agros rapientes & incẽdentes õnia, ad Stockorauiã, Iulius de Hardeck Comes, ducentis cum equitibus miſſus, in quos quia tum primũ ſub oculis ipſius arcẽ & vicũ Schmida incẽderant, iuſto animi dolore cõmotus, equites tãta cõcitauit vehemẽtia, vt hos propè prius ad internecionẽ ceciderit omnes, quàm hũc ipſi adeſſe præſẽſerint. Amiſit tumultuaria hac pugna, præter vnũ cui Coborle nomen, ſuorũ penitus neminẽ, & hunc tamen morietẽ non inglorium. Nam is vt primùm mutuum peruentum fuit in conſpectum, equum tam acri impetu, calcarium ſtimulo in hoſtes adegit, vt per medios & fuga iam effuſos, ad naues vſque præter omne negotium proruperit, & vnam ex his ſecum, in quam hoſtibus grauem & repletam deſilijerat, ad fluminis ima demerſerit, ſponte moriens: & non ſecus ac ſi veteri Decij alicuius, aut Codri ritu, ſuper telum pedibus ſubiectum conſiſtens, præſante pontifice ſolennia voti verba, patriæ pro ſalute caput ſuũ deuouiſſet. Occidit partim fudit & cepit, Caſpar Erlebeck à Trauſintz ad Treſelmauri piſtrinũ, quod direptũ incendere moliebantur, trecentos vltra Turcas, decem cum equitibus tãtùm & peditibus prætorianis ſex, inopinantes adortus. Leonidæ Spartiadum duci haud abſimilis, niſi quòd is medios inter hoſtes concidit, ille verò trophæa ad ſuos lætus & viuus reportauit. Multi hoſtes à leuis armaturæ equitibus, quos Huſſaros barbaro appellãt vocabulo, confoſſi ſunt, multi capti, & ad Principem Fridericum viui perducti. Multi etiam quum aliquando ad templi cuiuſdam turrim nefaſti ex ſacro, vitæ quæritantes præſidium, confugiſſent, à Georgio de Leuchtenberg prouinciæ præſide, Sigiſmundo à Vuolfgango de Vueyx, Bauaricorum equitum præfecto, Corneomburgum iuxta, vbi Principis iuſſu præſidebant, Tyranni ſub oculis, & toto propemodum Danubij ex ripis ſpectante exercitu, cæſi ſunt & ignis fumo, non aliter ac quondam Alexandri Seueri Imperatoris iuſſu, fumi venditores enecati. Liberata autem ſic, vt iam dictum eſt, obſidione Vienna, & rebus his ita inſigniter geſtis, Princeps Fridericus, illuc quàm maximis potuit itineribus contendit, eo animo atque inſtituto, vt iunctis vtrinque copijs cum hoſte, ſi is pugnam non detrectaret, acie confligeret, vel ſaltem poſtremum agmen præcurſoribus, ſi fugientem conſequi non quiret, inceſſeret aliquantulum & carperet. Quare mox vt Viennam venit, milites conuocare iubet, atque numerum eorum tribunos inire, ſed vix cœpto luſtro, Gregarij ſtatim tumultuari, ſtipendiũ quintuplex ob egregiè defenſam vrbem poſcere cœperunt: commeatuumq; omnium quos per obſidionis tempus inſumpſiſſent gratuitam remiſſionem exigere. Princeps eos primùm leniter & innata pro clementia ſua admonere conabatur, ne partam tanto cum decore nuper gloriam, tam atra nota vellent defœdari: demum etiam adhortari & precari ab hoc rerum tumultu deſiſterent, nec egregium illud & nobile quod ipſe inſtituiſſet opus iam præpedirent. Fateri quidem ſe eos omnes ob nauatam in defenſanda vrbe fortem operam, præmio & obſidionali corona dignos: importunum tamen eſſe his friuolis

Iulius de Hardeck Comes.

Caſpar Erlebeck à Trauſintz.

Huſſari.

Georgius de Leuchtẽberg.

Vienna obſidione liberata.

friuolis contentionibus, tempus nunc terere. Nunquam enim antea magis quum hoſtis interim elabatur, nocuiſſe differre paratis. Sibi igitur credat, ſe namque ſedulò & diligentia ſumma curaturum, ne inſignis eorum virtus maneat indonata, modò in præſentiarum parcant & obſequantur. Mouit hos nihil Principis benignitas, ſed maiori cum importunitate æra militaria & ſtipendij auctarium flagitare inſtabant, & quum ad molliendam illorum pertinaciã, Ductores quoſdam his longa per militiæ tempora notos demiſiſſet, accenſi acrius ira, magis ſæuire, poſtremò quoque proiectis ſariſsis atque lanceis ſuis Ductoribus circũuallatis, ni ocyus æra dentur, lymphati & furibundi mortem minitare. Protracta eſt huiuſmodi concertationibus vſque in ſerum tota dies, & tunc primùm diſceſſum: ſed mox poſtera luce vix dum rectè exorta, eò iterum reditum, & tum quoque perniciosũm diripiendæ vrbis conſilium per eos ferebatur initum. Quare quum nec imperium apud hos valere vllum perſpiceret, atque ſe & ſocios omnes & vrbem ipſam in ſummo periculo, in ſummo diſcrimine verſari intelligeret, feſtinandum duxit, & inſano illorum furori antequam maiorem erumperet in ſæuitiam occurrere. Ad compeſcendum itaque eorum tumultũ, triplex his pactus eſt ſtipendium: ſed ſerò nimis id tum erat, quia hoſtis interim ad tuta, & vnde eum conſequi haud erat poſsibile, euaſerat. Laxauerat animos forſitan nimia idem ſub tempus indulgentia, nec non & rei militaris, dum hoſtis foris acriter vrgeret, ſatis licenter habita diſciplina. Non manſit tamen id impunitum, quoniam & ſi facinus illud non eadem ſæueritate, qua olim huiuſmodi mala expiari ſolitum fuit, decimatione vel crate ſit vindicatum, in capita tamen ſeditionis, atque auctores nonnullos tanti criminis vltore gladio grauiter fuit animaduerſum. Fœdæ multæ ea ante tempora exortæ ſunt tempeſtates, morbi varij præſertim per Germaniam incogniti, peſtilentia ingens, nec nõ per multos annos continua propè rerum omnium ad vitæ humanæ vſum pertinentium inaudita caritudo: quibus prodigia multa, Deorum in nos iram ſignificantia, accedebant. Nam Viennæ diu antea, tres ſoles vnico arcu incluſi, integrum per diem in cœlo ſplendere viſi. Luna ſanguinea maculata cruce pernox conſtitit, trabs ingens & trecentorum paſſuum longitudine, diui Stephani Protomartyris, atque vrbis illius numinis tutelaris, per templum ducta, prima poſt meridiem hora comparuit: humanas hæc territa verè mentes ad Deũm igitur concurſum delubra, & obſecrationes inſigni animorum factæ deuotione: id ſaltem impetrauere, vt certum, quod paſsim imminere ferebatur, ab vrbe & Orbe, Friderico & Philippo Principibus Palatinis auctoribus, veluti Dioſcuris quibuſdam, pelleretur exitium.

Morbi incogniti per Germaniam exorti.

DE

DE BELLO PANNONICO, LIBER SECVNDVS.

INTEREA *dum hæc in Germania Pannoniáque agebantur, Imperator Auguſtus citeriori aberat in Hiſpania. qui ſtatim ac de his certior factus eſt, compoſitis domi rebus in Italiam, quæ bellorum adhuc fluctuabat tumultibus, magnis itineribus contendit: & pacata hac, militem qui illic ab eo, quo Rex Gallorum captus eſt, præſederat tempore, ſecum arripit, & tranſcenſis Alpibus, qui Rhetos Vindelicosq́, veteri à Germania diſterminant, in Pannoniam progredi ſæuientiq́ hoſti occurrere ſtatuit, ſed Alpium fauces nondum ingreſſus, hoſtis abitionem turpemq́, fugam & reliqua omnia vt acta erant, comperit. Quoniam verò hoſtem hunc quaſi dulci illecebra quadam ineſcatum futura æſtate rediturum certò ſibi perſuadebat, animo ſecum, quomodo impijs illius conatibus poſſet reſiſtere, cogitabat. Impoſſibile videbatur diſſidentibus inter ſe atque mutuis armis contendentibus Principibus Chriſtianis, egregium quippiam aut magnificum perficere: nam diſcordia ipſa, vt plerunque aliàs ita hoc tempore exitialis maximè iudicabatur & pernicioſa. Placuit itaq́, ante omnia nouum illud dogma, veluti certum quoddam diſcordiæ ſeminarium mentibus hominum euellere, atque diſcordantes Principes, qui ab inani verborum pugna ad armorum peruenerant inſaniam, tanquam reparato veteri Athenienſium fœdere & ἀμνηστία ipſa renouata, in vnitatem concordiamq́, reducere, atq́, edicto publico conuentu, Auguſtam Vindelicorum, antiquiſſimam quondam Romanorum coloniam Principes imperij euocare: quò vt veris ſub initium ſeptemuiri electores, alijq́, Principes, Dynaſtæ ac proceres vnà cum ciuitatum legationibus, Maieſtatis imperio obtemperantes conuenere. Curiam ingreſſi & habito ſenatu in primis noui dogmatis de religione rem ordiri cœpere; & ipſe Imperator Auguſtus tum Saxonum Principem cum ſuis adhærentibus monere iuſſit: Dogma illud nouum quod ipſi ſectarentur à lege diuina planè eſſe alienum. putare enim id veluti ex diametro honeſtiori veterum doctorum cum diſciplina, nec cum bonis moribus aut ſacroſanctis Eccleſiæ traditionibus aut inſtitutis conuenire. Deſiſterent igitur, nec tam friuolè à Chriſtiana vnitate diſcederent, quam cœleſte Numen veritatis ſpiritu tam egregiè & prudenter à mundi initio confirmaſſet, Prophetæ ſancti & Patriarchæ diuinitus & eiuſdem numinis inſtinctu afflati docuiſſent, martyres & beati Chriſti confeſſores felici ſanguinis ſui profluuio comprobaſſent, & quam tandem etiam piarum mentium. Patrum quoque & maiorum noſtrorum vnanimis conſenſus per tot ſecula & annorum reuolutiones laudaſſent piiſſimè & adoraſſent. Ne igitur his omnibus plus, ſed ad ſobrietatem tantum quod & ſatis eſſet, ſaperent: & ſi hæc eos parum forſitan commouerent, cogitarent ſaltem quàm ingens malum eſſet, ſtatum publicum, otium commune Chriſtianæque rei tranquillitatem perturbare, præſertim hoc tempore iniquo, quo hoſtis Turca iugulo noſtro intentus, nos tam acriter armis*

Diſcordia res magnæ dilabuntur.

mis nunc vndique impeteret & vrgeret. At hi in eadem perſeuerantia, in propoſito & animi ſententia immobiles perſtitere, indicantes etiam ſe à Chriſti doctrina Euangelijq; veritate receßiſſe nunquam, & doctorum ſuorum dogma cum Apoſtolorum traditionibus in nullo penitus diſcrepare: propterea nec pudere eorum omnium, quæ hi in hunc vſque diem palàm docuiſſent, ipſiq; crediddiſſent, Imperatoria Maieſtate & Principibus omnibus coram profeßionem publicā facere, certamq; & indubitatam rationē reddere. Compoſuiſſe namq; ſuos iampridem antea quos euulgauerint in lucemq; ediderint libellos multos, ſanæ doctrinæ atq; purioris Chriſtianiſmi teſtes & indices ſynceros, nunc ſe hos quibus totius dogmatis atque fidei ipſorum contineretur ſumma, humiliter offerre: paratos etiam de ijs cum doctis, ſi quomodo pacari poſſet res, amicè conferre. Non diſplicuit Carolo Imperatori reliquisq; Germaniæ Principibus ac Dynaſtis, propoſita mutuo conferendi conditio. Lecti ſunt igitur ad id ex omni cœtu vtraque à parte viri ſeptem omni eruditionis genere atque prudentia ſingulari præſtantes: qui collatis vtrinq; ſententijs atq; nodoſis argumentationum Meandris reſecatis, controuerſiæ de capitibus acri iudicio & diligentia ſumma multum diſſeruere. Et à multis creditum eos tum ſublata concertationis atq; dißidij materia, rem componere potuiſſe omnem, ſi illi qui ſparſis per prouincias ac territoria ſua monaſterijs bona, quæ adimere auſi fuerant, tunc reſtituere voluiſſent. Nam quum hæc contra ciuilium legum conſtitutiones fieri viderentur, iußit Imperator, redditis ablatis, manibus poſthac temperare. Quāquā autem illi mandatis forſitan obtemperaſſent libenter, quia tamen ablata miniſtris ſuis beneficij atq; donatiui loco conceſſerant iam, parere huic ſacræ iußioni non poterant. Moti itaq; hac atq; alia de qua hîc diſſerere longū foret ratione, imperata facere recuſabant. Imperator igitur mandata ingeminare ac repetere cœpit, hi verò tanquā iure licuiſſet id ſe defendere. Diſceſſum fuiſſet tunc procul dubio infecto omni negotio, niſi Fridericus Princeps Palatinus, cuius opera & conſilio tunc maximè vtebatur Auguſtus, rem illam ſua pro prudentia alium ad conuentus diem, qui Ratiſponam indictus eſt, diſtuliſſet, & ſpe finiendæ illic controuerſiæ facta, commune aduerſus Turcas Principum conſenſu impetraſſet auxilium. Sed idem tunc Ratiſponæ penè contigit, quod antea Auguſtæ. Nam ſi Ludouicus Princeps Elector, Palatinæ domus natu maximus, vnà cum Archipræſule Moguntino eodemq; Principe Electore, partes ſuas non interpoſuiſſet, & illinc quoque eodem modo, quo antea priore in conuentu infecta pace fuiſſet diſceſſum: quod vt hi duo Principes bonorum perquam optimi ſenſere, atque dißidium illud iam nihil aliud, niſi bellum ciuile & inteſtinū ſpirare intellexerunt, Suenisfordiam Franconiæ oppidum ſeceſſerunt, & aſſumpto arbitratoris officio, rem inter Imperatorem ipſum atque vtriuſque partis Principes dictis legibus, hunc in modum compoſuere, vt rebus eo in ſtatu quo tunc eſſent ſic permanentibus, nihil à quoquam ſiue veteri is adhæreret diſciplinæ, ſiue is nouum ſectaretur dogma, innouaretur: ſed omnes quaſi factis inducijs donec coacto concilio generali, res ex integro decideretur,

Diſputatio Auguſtæ Vindelicorum habita.

Comitia Ratiſponam transferūtur.

manibus ac iniurijs hinc inde temperarent, præſtitis tamen nihilominus cõmunem aduerſus hoſtem interim communibus auxilijs & promiſſis, & Imperator Auguſtus apud Pontificem Maximum inſtitutum maturaret concilium: vel ſi id tam maturè Maieſtas ſua impetrare nõ poſſet, aliũ ſaltẽ ad componenda reliqua conueniendi diẽ indiceret. Gratæ fuere Maieſtati Auguſtæ propoſitæ Leges hæ, & à partibus vtrinq; animis lætis acceptæ pacis cõditiones, & Principibus Electoribus, quòd tumultum quem hucuſq; per tot annorũ curricula cõponere potuiſſet nemo, ſoli ipſi prudentia ſua & opera indefeſſa ſedauiſſent, gratiæ ingentes actæ, & non immeritò: nam nemo antea in labantem Rempublicam, plus opis aut operæ contulit, quàm hi duo Principes in hanc tũ temporis diſſidijs & tumultibus fluctuãtem induſtria ſua contulere. Non abierant adhuc Ratiſpona Principes, nec conſilium omnino erat peractũ, crebri nuncij Solymannum Turcã nouam & priori longè maiorem in Pannoniam parare expeditionem, referebant. Imperator igitur & Principes non diutius cunctandum rati, ſoluto conuentu, rem quoq; duxere maturandam: ne dum lento quodam vt anteriori in profectione ad arma procederetur gradu, hoſtis interim pro celeritate ſua præoccupata prouincia, damnum daret ingens: aut vulnus, quod omnem ſuperaret artẽ inferret improuiſus, & rectè quidem & prudenter. Nam cunctatio niſi certo quodam & Fabij illius Romani iuxta inſtitutum reguletur modo, noxia eſt plerunque bello, inutilis & damnoſa, præſertim hunc aduerſus hoſtem, qui ocyor Euro ire ſolet ac redire, atq; hic vel illic, vnde minus ſperes inſultare. Conſtitit ob rem priori bello prudenter beneq; geſtam, iterum Auguſti Cæſarisq; & communi omnium Principum ſuffragio, penes Fridericum Principẽ Imperij ſumma, additi ſunt huic Apocleti & belli conſultores, Guilelmus de Rennenberg, & Georgius de Haydeck, antiqua & heroica apud Germanos prognati familia, Rinhardus de Neyneck à Glatt, Sigiſmundus de Heſperg, Vuolfgangus de Affenſtain, & Vlricus de Schellenberg, Equites aurati omnes, niſi quòd & poſteriores duo iuris Diuini & humani non fuêre imprudentes. Atque ſoluto ſic conuentu Principes vt primùm domum rediêre, habito vndique per prouincias delectu, auxilia promiſſa ad locum & tempus conſtitutum ordinauère. Quare & Princeps Fridericus profectionem ſuam duxit accelerandam, iniquum ratus ſi ἀρχηγὸς ipſe, ſerius, quàm cæteri adueniret. Ordinatis igitur ſua in prouincia ſedulò rebus, diebus paucis interiectis, Abudiacum Danubianum Thermis & veterum ſcriptorum monumentis celebratum, atq; ſex milibus paſſuum ſupra Ratiſponã exiſtentem vicum reuerſus eſt, & Carolum Auguſtum fratremq; eius germanum, quem is inter hæc vnanimi Principum electorum conſenſu, rarò fraternæ concordiæ & antiquitatis exemplo conſortem Imperij & Cæſarem aſciuerat, ibidem conuenit: cum quibus de belli rebus pauca, nam plura nec res nec tempus patiebatur, colloquutus, caſtrorum locum in Lupi cãpo, qui Danubij fluminis ſecundum ripam è regione vrbis Viennæ & pontem propè expoſitus eſt capere iuſſus, quòd vel is ſitu & natura ad pontis fluminisq; cuſtodiam, & ad conſeruandum liberum in vrbem aditum commodior,

Rumor de Solymanni copijs.

Semper nocuit differre paratis.

Sigiſmundus de Heſperg, Eques auratus.

 vel

vel quòd Martij animalis ab nomine, cuius fœmina olim geminis fratribus Imperij conditoribus fœlicia vbera præbuiſſe feratur, auſpicatior iudicatus. Additum tamen, in rem præſentem quum veniſſet, de his Apocletorum atque Petri de la Quoua, qui & caſtrametationum maximè eſſet gnarus, conſilio commodiùs tractaturum multa: tunc quæ iam non cogitentur animo occurrere, ſe quoque ambos cum exercitu quem peculiariter ſpopondiſſent, & qui nunc in Hiſpania Italiaq́ conſcribatur breui affuturos, id ſaltem caueret, ne capta ſemel in Lupi campo caſtra, ipſorum ante aduentum & ſe inſcijs hinc amoueret aut tranſmutaret: ſed ea potius interim vel ducto vallo & foſſa, veteri Romanorum more, cõmuniret: vel antiquo Germanorum inſtituto, carrorum multitudine circumſepiret: militemq́ rudẽ adhuc, atq́ varijs ex gentibus congregatum & collectum, arte quadam & diſciplina militari, aduerſus callidum ac doloſum hoſtem hunc præliari erudiret. Multum enim verteranum & exercitatum à nouo & tyrone differre: & hac ratione fieri, vt hi quaſi phratria quadam & amicitia mutuò contracta, firmiùs inter ſe cohærerent: & cum neceſſitas ingrueret, fortiùs præliarentur. Finito colloquio, acceptoq́ hoc mandato, Fridericus princeps celeri curſu Boiodurum ad Erneſtum Bauariæ ducem, lociq́ illius præſulem deuehitur: & quoniam ſitocomiæ munus atq́ omnis annonæ militaris cura huic erat demandata: hunc vt commiſſum ſibi officium gnauiter exequeretur, compellans familiariter, eſt adhortatus. Noſſe enim quantum periculi immineret, ſi annonæ penuria in caſtris oriatur, vel ſi ea minus iuſto vel maiori quàm par ſit precio venundaretur. Nec diu moratus illic Chornumburgum appellit, militemq́ ipſum in radicibus montis Peyſenbergi, iuxta arcem Greitzenſtain, caſtra prima interim capere iubet, atque mox Labacenſi epiſcopo Ioanni Cantio, atque Petro de la Quoua, aduentum ſuum in vrbem Viennam, vbi hi præſidebant ſignificat: admonétque vt poſtera die Imperatoris Caroli, Cæſaríſque Ferdinandi mandata de belli rebus audituri, apud eum Chornumburgi conuenirent. Sequenti die exorta, hi vt iuſſi erant comparuerunt, & expoſita Auguſtali ſententia, caſtrorum dimetatione & loco diligenter & omni ratione excuſſa, diu conſultauere: & exquiſitis animorum ſententijs multi erant, qui caſtra Stubæ ad portam inter vrbis Viennæ mœnia, & ſecundum torrentis nominis eiuſdem ripam iudicarent collocanda, multi (& quorum pars obtinuit quoque) qui principali à decreto ne latum quidem vnguem exiſtimarent diſcedendum, inducti etiam noua ratione, quòd nec milites numerò plures, nec qui eos recenſerent adhuc conueniſſent. Nunciatum eo tempore Turcarum Tyrannum Conſtantinopoli ſexcentis militum millibus iam antea pridem egreſſum, Gunzam exiguum oppidulum, nulla arte, opere aut natura munitum obſidere, idq́ non die aut nocte intermiſſa oppugnatione, omnium copiarum vi premere & vrgere. Præſidebat autem illic centum cum militibus tantum, Nicolaus Iureſchitz, vir pietate quidem erga Deum & patriam inſignis, qui quamuis rerum omnium, quæ ad obſidionem tolerandam erant neceſſariæ, planè foret inops, neque enim has Turcæ tum celeri-

Turca ſexcẽtis militum millibus Gũzam obſidione cingit.

tate

tate præuentus comparare potuerat, belli tamen machinam in ſe vnum conuerſã tanta fortitudine animi diebus vigintiquinque ſuſtinuit, vt eum omni ope humana deſtitutũ, tanto hoſtium à furore ſolo auxilio diuino intelligeres conſeruatum. Excitauerunt Turcæ circa oppidi muros in planicie, nam & hoc in plano ſitum eſt, qui mœnium altitudinem ſuperarent, aggeres duos, vnde ſemper defenſorum terga in opugnationibus tormentorum globulis & ictibus crebris pulſabãt. Actum fuiſſet ſemel de noſtris, niſi Deus ſuorum miſertus, malum hoc auertiſſet dubio procul. nam Turcæ illatis vltra vallum & mœnia ſupra vexillis octo, eos omnes tunc inde depulerãt, & erant iam ſine defenſore mœnia, & ſine propugnatore oppidum, quoniam omnes tunc ſaucij & feſsi teſtudinis ſub munimento deliteſcebant, & nemo erat qui iã poſſet vel auderet reſiſtere, ſed ecce imbellis ætas, ſenes, pueri, matres, quæ hucuſque ædium intra parietes ſe cõtinere iuſſa, alta voce & pectore imo, Dei auxilium, fidem & miſericordiam implorans, mirificè fuit exaudita, eiulantium enim clamore hoſtes animis perculſi, oppidulum milite oppletum exiſtimantes, oppugnatione obmiſſa à mœnibus victores reſiliunt, numinisq́ præſentia perterriti, perſequente etiam nemine, eadem penè turpitudine aufugere illinc compulſi ſunt, qua olim Hercules abiecto clypeo aureo, ab Oxidrochis Iouis fulminibus, & rubente dextera cœlitus defenſis, tentatum, ſi Nicolai animus ad deditionem compelli potuiſſet, ſed fruſtra. Frendebat igitur cœleſtium conſiliorum ignarus Tyrannus, dentibus atque animo & ira æſtuans, oppidum illud inducto aratri ſarculo, funditus cogitabat euertere. Quia verò Deus Optimus Maximus, cuius nutu regũtur vniuerſa, occulta & immenſa benignitate ſua, qua ſe piè colentes fouere ſemper ſolet, ſæuientis aliò auertere voluit inſtitutum. Ibrahimus enim Baſſa (cui in admonendo ius ſummum fuiſſe ſuprà diximus) ſtatim ac Tyrãni mentem eò tendere intellexit, captato peropportunè, & donec animi æſtus aliquantulum reſediſſet, expectato tempore interceſsit, inquiens: Hunc rem nec nomine nec magnitudine ſua dignam parare, ſi tot virium, tot operarum in oppidi vnius tam inualidi & imminuti expugnatione prodigere conaretur, vnde tamen vix vel præmij vel gloriæ quippiam foret expectandum. nullam enim inde ſi etiam id expugnari detur, apud quenquam oriri admirationem. Nemini enim mirum videri, magnis copijs & tantis, oppidum natura & præſidio inualidum, expugnare: præſertim perſeuerantia tanta, qua etiam inuicta aliàs ſæpe debellarẽtur. E diuerſo autem ſi belli fortuna, cuius viciſsitudines plerunque incerta contingere ſolerent, neceſsitate in diuerſum ceſſiſſet, magnum ſui inde apud omnes generari contemptum. Quare conſultius eſſe militum laboribus, in re tam exigua, & vbi honoris nihil ſperandum, parcere, & eoſdem ad opus maius, quod reſtare non ignoraret, reſeruare, quàm virtutem & fortitudinem vbi oſtendi non queunt, in tam ignobilis vici illius oppugnatione, fruſtra & inutiliter conſumere. Nam licere iam minori cum dedecore hinc abire, quàm poſt vltimos conatus, viribus attritis demùm & infecto negotio, diſcedere. Magnificentius itaque eſſe, obſidionem illam ſoluere nunc, atque Nicolaum euocatum Conſiliũ Baſſæ.

oppido donare, quàm tanto cum militum diſcrimine ſuprema quæq; experiri. Dictis his atque huiuſmodi ſimilibus rationibus adductis ægrè tandem obtinuit, vt Tyrannus ipſe Nicolaum, quem armis vincere non potuerat, miſſo caduceatore in caſtra ad Ibrahimũ vocari atque hunc in modum oppido quamuis alieno donari pateretur. Vocatus autem Nicolaus, quanquã lethaliter vulneratus eſſet, ſpemq; iam nullã reliquã haberet, venire tamẽ ad Ibrahimum etiam tum conſtanter pernegabat, niſi diplomate & obſidibus præſtitis factus ſecurior, ne quid ab eo, quod vel à dignitate ſua, vel à religione Chriſtiana & fide foret indignum, exigeretur. Laudabilius eſſe ratus, vnà cum ſuis fortiter interire, quàm ſe ſuosq; ludibrio, atque fluxæ hoſtium fidei credere aut offerre: & quia ob magnanimum viri reſponſum creditum res ipſius non vſque adeò acciſas, nec vires adeò attritas aut labefactatas, quin inſultãtium ac impugnantiũ vim aliquandiu adhuc ſuſtinere potuiſſet, id quod petebat non fuit negatum. Nam Turcarum ex nobilioribus obſides duo dati ſunt properè, & diploma vt petitum fuit præſtitum & oblatum. Egreſſus itaq; Nicolaus acceptis his oppidum, Ibrahimi in conſpectum poſtquam peruenit, honorificè exceptus & conſidere iuſſus, de tribus tãtùm præcipuè fuit interrogatus. Primò, an ex veteri morbo, de quo in Thracia nuper quum legationis munere apud Solymãnum Imperatorem fungeretur laboraſſet, iterum reconualuiſſet. Secundò, an vulnera quæ proxima in oppugnatione excepiſſet, forent lethalia. Tertiò, qua fiducia ductus Imperatori Solymanno, cui cæteri omnes vicinia iuncti colla ſua ſubmiſiſſet, ſolus ipſe hucuſque tanta animi pertinacia reſtitiſſet. Mirari enim ſe ſi vllam ſpem in Rege Ferdinando, Calypede modo, & nimium tardo exiſtimaret reponendam. Inferebat ad id Nicolaus, primùm gratias ingentes ſe agere, quòd de ægritudine ſua præterita & vulneribus in propugnatione proxima acceptis, tã humaniter fuiſſet percunctatus, liberatũ ſe Chriſti Saluatoris ſui gratia morbo iam pridẽ, nec vulnera eſſe lethifera. Ad tertium autem quod attineret, noſſe eum pro prudẽtia ſua, boni bellatoris eſſe, aduerſarijs & hoſtibus magnanimiter reſiſtere, nec rebus aſperis facilè perturbari: aut grauibus fortunæ inſultibus, gradu & animo leuiter deijci aut dimoueri. Se humana ope deſtitutũ, diuinũ confugiſſe ad auxiliũ, quo conſeruatus hucuſq; perſtiterit inuictus: quod & ſibi poſthac nunquam defuturum ſperaret. Regem autem Ferdinandum quem nunc Cæſarem, & Auguſtæ Maieſtatis hæredem omnes Chriſtiani orbis Principes legiſſent & agnoſcerent, tam procul non abeſſe, quin & breui magno cum exercitu eſſet affuturus. Quare ſi ſibi in hunc vſque diem non ſit ſubuentum ſe nihil mirari, multas namque cauſas & rationes, quibus inſtitutum præpediri potuerit opus, interuenire potuiſſe, quũ fortuna inſtabilis alias à natura, quia ſine pedibus nuſquam minus quàm in bellicis rebus Martijsq; negocijs ſibi ipſi conſtare ſoleat. Admiratus igitur Ibrahimus magis ac magis excelſũ & inuictum Nicolai animum, quum illum non ſolùm oppido, quod per tot dierum ſpatia tam inſigni cum virtute aduerſus tot hoſtiũ millia defendiſſet, ſed quouis etiam ingentiſſimo præmio dignum tacitè apud ſe iudicaret, do-

nare

nare ſe Imperatoris ſui Solymanni nomine eum hoc oppido inquiebat, ob virtutem ſuam nobilem & in defenſando oppido egregiè operam nauatam. poſſe enim nunc ſi velit id omni ſine dubio vnà cum præſidijs & defenſoribus ſuis perdere penitus & euertere: quia verò natura ſua mitis ſit ac clemẽs Imperator Soleymãnus, virtutumq; ac fortium virorũ maximus amator & ſpectator, iuſſiſſe ei & oppidum illud vnà cum commilitonibus & præſidijs ſuis in præmium virtutis conferre rei alienæ ſatis munificus Donator, nunquam forſitan donaturus, ſi hoc inſigni abſq; iactura & clade militum ſuorum ſperaſſet expugnare. Accepit munus hoc gratijs actis & animo quidem læto Nicolaus, deprecans vt & munificentia illa liberius atque militũ abſq; iniuria frui liceret, violentas manus illorum cohibere pollicitus eſt id ſe curaturum Ibrahimus, dummodo & ipſe viciſſim in ægrotantes & ſaucios Turcas qui exercitum conſequi non valerent, ſuos quoque ſæuire non patiatur: & ſic cœpta obſidione poſtera die ſoluta hinc perrectum. Certiores itaq; facti de obſidione oppidi (nam reliqua adhuc ignorabãt) Princeps Palatinus proceresq; Germani, quonam pacto ſubueniri poſſet obſeſſis, inter ſe collatis ſententijs iterum conſultauere. Et quoniam nondum tantæ militum confluxerant copiæ, nec tantũ exercitui inerat robur, vt cum hoſte aperto Marte contendere liceret, tutiùs iudicatum hos ſubſidijs quibuſdam atq; annonæ prouentibus, eluſis per noctem hoſtium vigilijs, donec Imperator Auguſtus, Cæſarq; Ferdinandus maioribus cũ copijs aduenirẽt, munire & adiuuare. Inſpectæ tunc tormentorũ machinæ atq; annonæ & prouentuum inita ratio, & vbiq; negligentia quædam & incuria reperta. mandatũ itaque his, quibus id negotium publicè iniunctum fuerat, ſarcire neglecta, & proſpicere in tempore, quæ inde euenire poſſent incommoda. Soluto concilio, vrbem verſus ad conuiuium, quod Labacenſis Epiſcopus opulentia & apparatu magnificum Principi Friderico cæteriſq; Heroibus parare iuſſerat properatum: & quum ad pontes illos Danubianos qui numero tres ſunt fuiſſet peruentum, milites omnes per ſtationes cuſtodiaſq; diuiſi, armorum ſtrepitu bombardarumq; boatu prætereuntis excipiebant: non minus honorificum etiam tum, quàm olim armis laudare exiſtimantes. Primi pontis munimenta Caſpar Rurzan prouincialium cohortiũ ductor obtinebat. Secundi, Sigiſmundus de Brandis Claſſiariorum nec non Manipulorum quorundam Nauarcha. Tertij, cum vrbis mœnibus Lotroniæ comes, ſtructæ acies atque inter ſe concurrentes naumachiæ atque terreſtris prælij ſpeciem exhibebant, ſpectatu quidem iucundiſſimam. Inde in vrbem ad conuiuium maxima congratulatione & lætitia omnium peruentum: id non diu protractum. nam mox ad conſilium rebus ſic exigẽtibus reditum, & decretũ Imperatori Carolo Cæſariq; Ferdinando omnia hæc de Gunzæ obſidione, de commeatu, de machinarum tormentorúmque refectione, de caſtrorum metatione, atque de Ducum Tribunorúmque militarium abſentia, per quæ omnia, quibus inſtituto & excurſionibus Turcarum obuiari poſſet præpedirentur, ocyus miſſo curſorio nuntio ſignificare, precarique Maieſtates, aduentum inſtitutámque profectionem iam tandem velint maturare.

Germaniæ proceres qua ratione obſeſſis ſubueniendum deliberant.

Sigiſmundus à Brandis.

Et poſt

Et poſt hæc vrbis mœnia refecta, muri ſolidati, addita propugnacula, auctæ turres. Sylua Viennenſis (nam & hæc ab vrbe ipſa nomen retinet) arborum ſtruibus ne receptaculi loco hoſtibus foret, occluſa. Conſumpta huiuſmodi ſedulitate ſic tota die eáque iam in veſperam inclinante, digreſſus à reliquis Heroibus Princeps, Vagitium Paulum cuius ſuprà libro priori ſæpè meminimus, ægrotãtem ex itinere inuiſit humaniter & alloquitur. Dein Loyſium de la Quoua, mille quingẽtorum Hiſpanorum præfectum comiter compellans, & militibus illius quos is ſtatim ac Principis aduentum præſenſerat, in aciem coire atq; eodem modo quo priores in vrbe pugnæ ſimulachrũ fingere iuſſerat, ſumma animi delectatione ſpectatis ac pro innata comitate ſua lingua vernacula laudatis & ſalutatis clementer, nam illius eam à puero, & eo tempore quo cum Philippo Rege Caroli Ferdinandíque parente, in Hiſpaniam profectus eſt edoctus, apprimè gnarus erat. Vt primum autem & multam ſub noctem Chornuiburgum rediјt, Imperatori ac Cæſari hæc omnia de quibus anteà in conſilio tractatum fuerat gnauiter, notarios ac exceptores illos perſcribere iuſsit: & quamuis ita ſummis laboribus omnem penè conſumpſiſſet noctem, ſub aurora tamen ſequentis diei Principum Imperij auxilia, quæ hucuſque varia per loca fuerant diſperſa, colligere imperat: atque recognita, caſtrorum locum in Lupi campo, vt cum Auguſto Carolo Cæſaréque Ferdinando conuenerat, capere. Paritum Principis mandato ſedulò. nam ſtatim conuentum, & caſtra ſine mora vt iuſſum conſtituta, & quia tunc nõnullorum fraudes, qui priuatam vtilitatem publicæ facerent potiorem, patuere: atque indicatum Hiſpanicum præſidium, effracto Chremſij publico horreo, annonam diripuiſſe, nec Viennam magna copia rerum abundare, quare commeatuum ratio per Palatinum Principem & Apocletos ipſos iterum inita, & iuſſum publicam quandam venalium facere licitationem, vt miles ea quibus indigeret, iuſto Agricolæ tamen abſque detrimento comparare poſſet pretio. Erant tunc in caſtris neque machinæ neque tormenta, quibus ea quoquo ſaltem modo munire liceret. Reſcriptum itaque de his Cæſari Ferdinando, qui horum ſumptum atque curam Auguſtæ ſuſceperat, vt hæc iuberet ordinanda. Commiſſum id à Maieſtate ſua conſiliarijs Viennæ præſidentibus, qui Bombardulas Carrathas (vt vocant noſtri) viginti duas ſitu, rubigine & diuturna incuria ſatis neglectas, cum foſſatoribus iumentis & beſtijs iugalibus centum miſerunt. Tyrannus autem dum hæc tanta diligentia parari vidit, tot tãtásque noſtrorum copias vndique confluere, diffiſus iterum Mahumeto ſuo Acynaci & Dijs patrijs omnibus, Turca iterũ fugam adornat. *fugam eodem modo quo priori profectione fecerat, maturare cœpit, atque Croatina clauſtra verſus ſumma celeritate contendere. quod vt animaduertit Princeps, indecorum duxit planè & à dignitate ſua penitùs alienum, hoſtem hunc è Germania, iam tam inſigniter & ſecundò afflicta, inultum diſcedere: vias omnes præſidijs munire iubet, effugia occludere, & fluminum tranſitus reiectis pontibus adimere, atque Imperatori interim Carolo Cæſariq; Ferdinando properè indicare, ſi ipſi negotiorum molibus præpediti*

pediti ad pugnam venire non poſſent iam, militem ſaltem quem huc vſque apud ſe retinuiſſent ad exercitus incrementũ ſine mora dignarentur transmittere: eíque cum hoſte pugnandi tribuere poteſtatem, ne & is nunc quoq; poſt tot & tanta ſcelera in Germania perpetrata: poſt tot cædes, excurſiones & depopulationes commiſſas, impunitus iterum elaberetur. Inter hæc literæ Nicolai ipſius atque Longini de Buchaim (nam & is vnà illic in præſidio erat) quibus opem & auxilium precabantur, Viennam allatæ ſunt, quas ad Principem perferendas præſidij præfecti, Equitibus auratis Helfrido de Meckau, & Feliciano à Petſchau, eo cum mandato dederunt, vt & nuntiarent, ſe his quamuis planè deſperatis puluerem tormentarium iam, frumentum & annonam ſubmiſiſſe, oppida reliqua Neapolim, Eiſenſtadiũ, & Edenborgum tanquam belli turbinibus proximiora, validis Equitum præſidijs firmaſſe, vt ij ſi qua vis maior aut hoſtilis tempeſtas ingrueret, ea aduerſus hanc tuerentur, obſeruaréntque ſi hoſtem ipſum frequentibus incurſionibus à Gunzæ obſidione poſſent depellere: ob id & eis adhuc primum iuxta conſilium commodum videri exercitum ocyus tranſportare, atque hunc poſitis caſtris ad Stubæ portam, ſecundum torrentis ripam vrbi Viennæ propius admouere: ita enim abeuntem hoſtem faciliùs inſequi licere, atque fugientem impedire, multa tempora, donec pontium per anguſtias tantus tranſportetur exercitus, præterire: melius hæc nunc dum commodè fieri queant, præparari. Legatis poſt acceptas literas, expoſitáque mandata, à Principe reſponſum, quæ cum Gunzenſibus ac reliquis oppidis acta forent, atque de remoranda Turcæ abitione conſultata, ſibi non diſplicere. Laudare igitur ſe Præfectorum induſtriam & ſedulitatem, caſtrorum autem ad mutationem quod attineret, graue ſibi videri, ea Maieſtatis contra decreta præſcriptóque loco mouere. Quàm ſeuere namque olim in contemptores imperij vel etiamſi feliciter ceſſiſſet res fuerit animaduerſum, ipſi noſſent, nec filijs, nec victoribus parſum. Rectiùs iam Imperatoris Cæſárisque reſcriptum ad literas proximas, quibus hæc omnia ſignificaſſent expectari. Reuerſi erant intereà Turcarum ex caſtris Leonhardus Nogaroli comes & Ioſephus à Lomberg eques auratus, ab Auguſtis Principibus in Thraciam ad Solymannum miſſi legati, referentes hunc ad pugnam dimicationemq; properare, & relicta Gunza Viennam verſus cum toto exercitu contendere. Scripſerat hæc Principi Palatino Cantius, ſe decreuiſſe aduentantem ſtructis vndique & elocatis ſyluarum per abdita inſidijs excipere, ad hoc Equitibus nonnullis celeribus & expeditis ſibi opus eſſe: precari itaque quoſdam Germana è iuuentute corporis robore & animi virtute inſignes, atque inſtitutam ad rem idoneos legere ſibíque in ſubſidium ſubmittere. Non abnuendem id ratus Princeps, mox iuuenes ſeptingentos omni ex nobilitate lectos, vnà cum Erneſto de Gleychen comite, qui ducta Græcorum antiquo more ſorte his præfectus erat, noctis ſub conticinium, Viennam miſit, ſed eadem nocte illud à Cantio, quod Turcarum Tyrannum inſtitutam mutaſſe ſententiam, indicabat nuntium, ad Principem remiſſum. quare dilato in aliud tempus negotio, &

Erneſtus Comes de Gleychen.

ab Equitibus in caſtra reditum. Quoniam autem omnia iam Germaniæ Principum auxilia conuenerant, neceſſarium duxit ac vtile ductores illorũ, Tribunos & Centuriones omnes à militum vulgo ſeuocatos, paucis his de magiſtratibus cæteriſq́; rebus militaribus maturè ordinandis commonefacere: Diu multumq́; expectati duces cõmilitoneſq́; fortiſſimi peropportunè iam tandem aduenistis, & eo tempore quo Soleymannum Turcam omiſſa Gunza oppido ad Lytæ fluminis ripam ſubſiſtere ferunt, cunctabundum tranſitumq́; eo animo & inſtituto occultè parare, vt ſolita celeritate fretus, nos opprimat inopinantes: quod factu haud admodum difficile illi eſſe, nemo eſt cui rerum noſtrarum ſtatus ſaltem aliquantulum notus, qui non perſpiciat. Apud nos omnia quæ ad conflictum durumq́; Martis certamen ſunt neceſſaria, in hunc vſque diem permanſere imparata: vacant munera militaria adhuc omnia, præfectus his nemo, quod ſola abſentia veſtra factum. Quamuis enim ad hæc Heroes nonnulli, viriq́; alij haud ignobiles iampridem antea, tum ob ætatem multam, tum ob rerum cognitionem inſignem nobis ſummè placuiſſent, neminem tamen abſentibus ac inſcijs vobis, ad ea ipſa euehere voluimus. Sed in hoc veſtrum omnium commune, quum inde communis omnium dependeat ſalus, iudicium expectare, iniquum rati, contra morem Maiorum honorem hunc & liberam legendi militarium magiſtratuum facultatem vobis præripere. Quum verò res ipſa ob vicinitatem hoſtis, qui admotis caſtris, tam propè nunc ferox & minitabundus conſiſtit, moram aut dilationem longiorem non admittat aut patiatur, ſed feſtinationem ſummam exigat potiùs & deſideret: decreuimus vt electionis negotium illud citius & feliciori auſpicio queat expediri, hos vobis veluti candidatos quoſdam proponere. Guilielmum namque de Rennenberg comitem, prudentia Neſtorem, magnanimitate verò & vincendi arte Achillem aut Aiacem, equitum magiſterio dignum iudicamus: Theodoricum Spettium, pectoris robore Martem quendam aut Diomedem, campi præfectura & Marſcalliæ munere: Vlricum à Schellenberg, fortitudine Mutium, ſcientia iuris Scæuolam, recognitione militum & cenſura: Ioannem Hilliche vigilantia Draconem Heſperidum, aut Argum oculatum, cum vicarijs duobus Melchiore de Harſtal, & Vuolgango ab Heſperg, vigilarium cura: Ioannem à Stadio, vafritia & induſtria Ithacenſem Vlyſſem, Sitocomiæ annonæq́; militaris officio. Veſtrum tamen erit ex hoc tam inſigni procerum cœtu vel vos vel alios quoſcunque, qui vobis ad munera hæc viſi fuerint habiliores legere, vt hi pro tempore, & hoſtis ante aduentum ſic conſtituti reliqua in exercitu rectè ordinari poſſint, & quæ huc vſque neglecta fuere, reſarcire. Dixerat hæc & continuò ab his, præſtito tamen prius militari ſacramento, ſe Principis mandato ſemper & diligenter parituros. ad ſuffragia diſceſſum, nec ibi de his diu concertatum, ſed mox reditum, Principiq́; hos quos & ipſi ad munia hæc placere intellexiſſent, eis quoque non diſplicere reſponſum. Boihæmi quoque quia ex Lunæ ſylua millibus octo progreſſi, Henricho Trayſch Heſſo & Erneſto de Brandenſtain ductoribus, per Marcomannorum

Guilielmus comes de Rennenberg.

Vuolgangus ab Heſperg.

norum fines tranſierant, atque caſtra à noſtris longius quàm è re fore viſum poſuerant, ea vt viribus vnitis hoſtiles inſultus faciliùs ſuſtineri poſſent, propius coniungere, & admouere iuſsi ſunt. Redierat ſub idem ferme tempus ab Auguſto nuntius cum literis, quibus Maieſtas ipſius Principi Friderico cum hoſte agendi, atque ex Lupi campo caſtra mouendi facultatem pernegabat, ſignificans ſe breui reliqua exercitus cum parte adfuturam, commeatuumq́, ac aliarum rerum omniũ rationem diligentem tunc habituram: ſubijciens etiam his, quoniam ſuperioris Saxoniæ militibus, Ioachimum iuniorem ſenioris Ioachimi Marchionis eiuſdemq́, Principis electoris filium Ducem præpoſuiſſet, illis in præſens alium præponere non oportere. Lectis his ingens lætitia in caſtris orta, quia tum quod de interitu regni Turcarum in fatis eſſe paſsim ferebatur, impletum iri ab omnib. iam ſperabatur. Et quoniam conſtans fama erat, quæ linguis mille rerum fidem exaggerare ſolet plerumque, Imperatorem Auguſtum Reginoburgo egreſſum, itineribus magnis, coactoq́, gradu Vienam verſus pergere, ire placuit quo eius ſub aduentum parata forent omnia, & reliquum quoque militum vulgus, Principis in verba iuramento adigere, & armis inſpectis recognitum verbis breuibus, quum longiora tempus ipſum non pateretur, vnitatis concordiæq́, admonere: quòd intellexiſſet hoſtium animos nihil æquè in ſpem victoriæ ac ciuiles inteſtinasq́, diſſenſiones, quas aliquando ob diuerſas de cæremoniarum ritu opiniones, inter eos orituras certò ſibi perſuadebant, extuliſſe. Et tantum adhortatione illa tam breui & perexigua valuit, vt totum hoc militiæ tempus, ſine quouis tumultu aut diſſenſionis ſtrepitu ſit tranſactum. Iactatum tunc vulgò Hannibalem olim exercitum ſuum varijs ex gentibus congregatum, ſeueritatis diſciplina habuiſſe concordem: Principem verò Palatinum diuerſis ex nationib. collectum æterni nunuminis benignitate, ac clementia ſua ſingulari, qua etiam Cæſarem Iulium ſuperarit vnanimem. Scripſit eadem die Cantius Principi iterum, ſe ex Turcis ſeptem qui Neopolim transfugerint compertum habere, Soleymannum Tyrannum incenſis ad Lyte flumen caſtris, Valeriano s Croatinosq́, verſus aufugere, atq́, tranſmiſſo Sauo amne, Thraciam repetere, quare Equitibus ſibi antea in ſubſidium decretis, nunc maximè opus eſſe. Abeunti enim hoſti, flumina tria magnitudine iuſta obſtare, Drauum, Rabam, & Rabunzam, quæ quoniam fugam acceleranti, vno die, cum tam ingenti exercitu traijcere foret impoſsibile, futurum, vt tranſmiſſa exercitus parte vna, reliquã in diuerſa fluminis ripa ad inſidias & occaſiones omnes opportunã, trepidus poſt ſe cogeretur relinquere. Statuiſſe itaq́, hanc vel illic ſub ſilentio noctis, vel ad Croatina clauſtra, quæ ſpatij ob anguſtiã ad vnius hominis tãtum veſtigiũ paterent, impetere. Princeps verò quia hoſtis calliditatẽ non ignorabat, verebatur, ne quũ iſtã exiguã ſe inſequi intelligeret manum, reuertetur ex improuiſo, noſtrosq́, priuſquã ſuccurreretur inopinãtes opprimeret, Præſidũ ſententiã in hoc duxit expectandã: & quoniã Legati illorum qui non diu poſt vnà cũ Cãtio ipſo aduenerant, eadem petebãt & referebant, Cantiusq́, pro maturãdo ſubſidio præſens iterũ inſtabat, maiores

illi copiæ quã antea ſunt decretæ. miſsi ſunt enim cũ præfectis duobus Vuolfgango à Montfort comite, & Gregorio à Loſenſtain Barone, Equites mille ſexcenti, qui poſtera die vt primùm illuxit Viennam profecti, poſtea Neapolim, regijs equitibus, quos Cantius illuc præmiſerat, ſe coniunxere, & campi planitiem quæ perpetuo tractu ad XXVI milliaria Germanica extenditur, ingreßi, continuato curſu hoſtium veſtigia legentes, Muræ pontes & Grazã Valeriæ, quam à Diocletiani filia ſic dictam Amianus refert, Metropolim ſunt præteruecti, omnib. currib. ſine impedimentis, niſi quòd Vngarica quædam vehicula Cotia à patria dicta, quibus commeatuum nonnihil vectabatur, eos à longè ſunt inſequuta. Nouus tunc & incognitus antè Germanis equitib. accelerandi itineris modus adinuentus eſt. quis enim credat equites Germanos ferramento & armatura graues, tam breui temporis ſpacio & non intermiſſo curſu tot milliaria potuiſſe emetiri? ſed vincit omnia labor: nam nec die nec nocte ab equis diſceſſum, non caſtris locus datus, non ſomno aut quieti tempus, donec hoſtis quæſitus, tandem eſt repertus. Turca namque Soleymannus, & ſi Caroli Imperatoris Cæſariſque Ferdinandi aduentu perculſus, ſumma trepidatione per clauſtra, per flumina, aufugiſſet, ſubſidia tamen quædam & ferentariorum copias nonnullas ingentes noſtratium celeritate præuentus, poſt ſe in ſuam exercitusq́; tutelam relinquere eſt coactus: Quarum vna, quæ & Tyrannum ipſum ponè ſequebatur, & cui Baſſa quidã præfectus erat, in hos equites noſtros incidit. Trepidatum primò, & mox correptis armis acriter vtrinque concurſum: cæſi fuſiq́; momento Turcæ, & Ducem hunc quoque ſuum amisêre. Nam Vagitius Paulus illum primo viſu agnitum teli cuſpide equo deturbauit, impetitum & humi deiectum gladio peremit ocyus reſurgere niſum. Caput huius lanceæ cuſpidi præfixum diu circumlatum, & equo illius ephippium totum aureum detractum, fræna quoque & phaleræ vnionibus & gemmis mirum in modum exornatæ, victori belli iure tanquam Duci à Duce opima ſpolia adempta, virtutis in ſignum conceſſa. Multi tunc ex vulgi fece honorem hunc (quia æmulis non caret virtus) Paulo inuidebant, ſed nemo bonus (quis enim bonæ mentis, viro tam bono & forti inuideret?) qui Thrax & patria exul pro nobis & religione noſtra ſuos contra Thraces & gentiles tam fortiter depugnaret. Alia quoque prædatoria manus, quæ numero iuſtum exercitum propè adæquabat, eo vel repentino equitum noſtratium aduentu ab alijs excluſa, vel voluntaria malitia & libidine prædandi impulſa, ad Lyntium vſque Harpiarum quodam more excurrerat: omnia Cæſaris Ferdinandi ſub oculis incendendo & rapiendo deuaſtans. Scripſit igitur Ferdinandus Cæſar, miſsis binis literis Principi Friderico, admonens ne prædones iſtos cũ tanto noſtro diſcrimine diutius euagari pateretur impunè, ſed ijs procerum conſilio properaret obuiare. Princeps per hoc quum antea quòd Auguſtali reſcripto, armis donec ipſius Maieſtas adueniret, temperare iuſſus foret, incertus ſatis, factus eſt magis dubius. Vt igitur quid huiuſmodi in rebus factu eſſet optimum ab alijs quoque exquireret, indicto conſilio proceres Viennam euocare iuſsit. Non conuenerant adhuc vocati, & præfecto-

Comes virtutis inuidia.

præfectorum præſidij Legati aderant, qui ferentarios prædones iſtos inter Chremſium nunc & Viennam obuerſari indicabant, ijs duos exitus tantum ad effugium patere, quos placeret poſitis illic præſidijs occludere. E diuerſo verò & ipſe princeps interim & priuſquam legati iſti aduenerant tres ex conſultoribus belli ad Labacenſem Præſulem, vt de famæ inconſtantia certum quid referrent, demiſerat: qui quoniam ad Thermas iſtas Paduanas cum Latroniæ Comitis militibus in occurſum hoſtis contenderat, Viennæ non fuit inuentus. ſed non diu poſt literas ad Principem dedit, quibus hoſtis aciem Neopolim verſus dirigere ſignificabat, deprecans equeſtre quoque hos contra ſubſidium; cui à Principe quia quò hi euaſuri tandem eſſent incertum. petita commodè fieri non poſſe reſponſum: nam debilitatum ſatis antea per ſubmiſſum Cantio ſubſidium equitum robur: conſultius videri Viennam ad indictum conſilij diem, quò & Marchionem de Quaſto, Auguſtæ Maieſtatis loco venturum ſperaret, conuenire: res enim huiuſmodi colloquio inter præſentes, quàm literis inter abſentes commodiùs pertractari, & quia conuentus iam inſtabat dies, Princeps Palatinus prima luce de rebus his, cum Præſule illo atque Marchione de Quaſto, Proceribúsque alijs in medium conſulturus Viennam eſt ingreſſus, ſperans & hos rebus communibus non defuturos: ſed iam diei multum proceſſerat, & tamen neque Præſul, neque Marchio, quamuis Proceres reliquiq; præſentes forent, comparebat: ſed demum expectati multùm miſſis literis ſe venire non poſſe excuſabant: alter quia hoſtis ad Thermas Paduanas erumpere conaretur, alter quia iniuſſu Caroli Imperatoris atque ſine mandato comparere non liceret, cauſam & rationem quæritans & prætexens. Quare indiſcuſſo negotio Principum illorum ob abſentiam iterum diſceſſum. Nam & tunc penitus nihil actum, niſi quòd Marcomannorum atque Boihæmorum Duces Zidiſlaus de Loypp & Ioannes de Berenſtain ſe ad omne obſequium vnà cum militibus ſuis offerentes, à Principe Palatino humaniter ſunt ſuſcepti: & indicia quædã varia & incerta non vſque adeò tamen incertis autoribus, de Turcarum illorũ exitu ſunt allata. Nonulli enim hos in Vienenſi ſaltu intra latibula ferarum deliteſcere: Nonnulli eas ad Thermas Paduanas, vel vicum Threskirchen eruptionẽ parare. Quæ omnia quãuis ancipitẽ Principis animũ in diuerſum abriperent, eò tamen tandem, ne vllã incuria ſua prætermiſiſſe videretur occaſionẽ, impulere, vt peditũ cohortes nonnullas cũ valida ruſticorum manu, quæ intercifis arborum molibus ſaltum circumſepiret, properè dimiſerit, atque Pemplingero illi & Turco Valæ, quos cum equitibus ſuis expeditis & Latroniæ comitis militibus Præſidij præfecti ad Thermas illas hoſti oppoſuerant, cõmuni procerum & Apocletorum decreto Equites nongentos ex Boihæmis Germanisq; lectos cum peditum cohortibus octo in auxiliũ demiſerit, hiſque Brandeburgij Marrchionem Principis electoris filium & Hoierum de Mandsfeld Comitem, & Conradum à Bemelberg Equitem illum auratum, qui olim Clementẽ Septimum Pontificem Maximum in ſede ſua tam immaniter perculit, præfecerit: ipſéque aſſumpta exercitus parte, & Zidiſlao de Loypp, qui mille

Ioach. Brandenburg. Hoierus Mãſfeld. Conradus Bemelberg.

&ducentos equites, quum ſexcenti tantùm ab eo fuiſſent petiti. ſecum adduxerat, montem Viennenſem inter vrbem & ſaltum eiuſdem nominis mediū ſitum ſpe bona plenus inſederit, illicq́; per integram noctem quamuis duriſſimæ pruinæ inſtaret tempus, ignibus ſine & luminibus, ne qua præſentiæ eius procul fieret ſignificatio, hoſtis aduentum & exitum expectauit, ſed fruſtra. Quare & ſic tranſacta vigilijs nocte, ne ſuperuacaneis fatigaret laboribus militem in caſtra reduxit, Imperatoriq́; Auguſto omnia hæc feſtina celeritate perſcripſit, rogitans enixè, ſi quid maieſtate ſua abſente cōtra hoſtē hunc perpetratum iri contingeret, id pro innata clementia animo æquo ſuſciperet, boníque conſuleret. Belli namque fortunam non maturum ſemper & quod è longinquo aduocetur conſilium expectare, ſed repentinum potius, & quod ſub manu ipſa (vt Scipio dicere ſolitus ſit) naſcatur requirere. Sæpius enim pugnandum non quia velis, ſed quia neceſſitas impellat, hoſtis cogat, vel diſciplinæ militaris ratio expoſtulet. Aduenerat non diu pòſt, Imperialis aulæ prætorijq́; Præfectus, Adrianus à Roy Comes, mandata quædam Auguſtæ Maieſtatis de communibus belli rebus ſecum afferens, de quibus cum principe Palatino ſecretè & ſemotis omnibus arbitris colloquutus, huiuſmodi propemodum reportauit reſponſum: Quoniam moris ſit apud Germanos inueterataq́; conſuetudine receptum, res belli atque ad communem ſtatum & vtilitatem pertinentes, vnanimi procerum conſilio pertractari, haud iniquum ſibi videri, eaſdem nunc quoq; Heroum illorum qui imperij atque Maieſtatis ſuæ pro decore, ad tot & tantos labores perferendos huc adueniſſent, communi decreto definire: ſic maximum apud hos ſi veteri honore ſe dignari ſenſerint, beneuolentiam comparari. Et ſic vix dum digreſſo comite Adriano à Marchione Ioachimo ex Thermis Paduanis reſcriptum, certò per exploratores conſtare, hoſtes triuium quoddam, quò vel per Valerianos ad Tergeſtum illud antiquiſſimum & nobile, vel per Chenbergum montem hunc tædiferum, vel Suuarcacum amnem vorticoſum euadere liceret, occupaſſe cliuum tamen anteriorem & poſteriorem, quia vterque natura ſua ſatis anguſtus eſſet, & vix plauſtro permeabilis, à prouincialibus, arborum truncis & ſaxorum molib. præcluſum: medium verò præſidio valido, vt his inde etiam nullus pateat exitus, inſeſſum. oportere igitur cum toto exercitu priuſquam hoſtis ille lubricus & inconſtans iterum elabatur confeſtim & ſine mora inſequi. Princeps Palatinus vt hæc accepit, communitis caſtris & relictis præſidijs quibuſdā qui ea tuerentur, poſtera die ſe cum inuicta equitum peditumq́; manu Laxenburgum, mercatura boum inſigne emporium contulit, atque inde mox idem Marchioni de Quaſto qui cum Hiſpanis militibus ad diui Peletini oppidum reſidebat, ſignificauit, & vt eò vſque nunc progreſſos hoſtes, quibus ipſe oppoſitis vndique & elocatis ſubſidijs effugia omnia obſtruxiſſet, iam tandē pro pelleret, nec pateretur eos cum tanto Hiſpanæ gentis dedecore, in Chriſti plebem diutius & impunè ità pergraſſari: ſed ab illo quamuis rapi, vaſtari, ac depopulari coràm penè conſpiceret omnia, contra hos actum aut geſtum penitus nihil. quam autem ob rationem nec hodie ſatis conſtat, multi vt eſt

Laxenburgū mercatura boū inſigne emporium.

dicax

dicax militum vulgus, metu id, multi inuidia, qua is erga Germanos peculiariter moueretur, factũ iudicabant. ſed an verum id ſit, quum & innocentum milites proſcindere famam ſæpius ſoleant, incertum, hoc tamen certum alterum nec pium ſatis, alterum nec vſque adeò magnificum. Hoſtes verò quum omnem exitum aufugiumq́; intelligerent eſſe occluſum, nunc illuc rimam quæritantes, incerti & furibundi circumferebantur: quare Glogenitz primò, dein Biſtorphium quò vſque & Brandenburgij Marchio eos eſt inſequutus, procurrebãt: poſtremo etiam Loyberſtorphium, quò & Princeps Palatinus ſub media nocte, quum & hos caſtra ſua illic poſuiſſe exploratores indicaſſent, motis properè ſignis eſt profectus, & mox iterum & vix dum explicatis tabernaculis & tentorijs hoſtes adeſſe, compoſitáque acie aduerſum nos contendere relatum, quare ad arma à noſtris conclamatum, ſed vana trepidatione quorundam id factum: nam & ij nec illic diu perſtiterant. Miſſi itaque ad exploranda viſendáque omnia ex nobilioribus equites quatuor, qui vſque Starckenbergium arcem progreſſi eos in valle ima inter Altenmarckt oppidum, & vicum Podenſtain, ingenti præda onuſtos conſediſſe compererant. Sub idem tempus ſunt reuerſi, nunciantes illos montium intra ſepta, quæ ob anguſtias nec equiti peruia forent, ſe occuluiſſe, nec diu pòſt, Turco Vala mille cum equitibus ſuis, quibus præerat, idem indicaturus ſuperuenit, ob armorum veſtiúmque ſimilitudinem primo hoſtis creditus, poſtea verò ex ſignis, quæ errorem noſtris aperuere, agnitus, vnde & arma quæ miles repentino tumultu arripuerat dato redeundi ſigno repoſita. Quum autem iam poſt multa diuerſáque explorationum indicia certũ eſſet, vbínam locorum hoſtis reſideret, commodum viſum Philippum de Oberſtain Rhenenſium Ductorem, cum expeditis cohortibus quibuſdam, vt ſi itineris celeritate atque temporis oportunitate quid proficere poſſet, præmittere, & huic tandem etiam quòd cunctari aliquantulum videbatur, Sebaſtianum Schertlium Auguſtanæ Vindelitiæque, & Iohannem Sayler Palatinæ cohortis præfectos, cum veteranis trecentis in ſubſidium & ad ferendam opem tanquam manu & conſilio promptos bellatores ſubmittere. Qui acto raptim agmine ad Philippum ſtatim noctis tamen ſub conticinio peruenere, & hoſtis præſentia animaduerſa caſtrorum ſitum & reliqua ſpeculaturi per ſentes & vepres atque alia ſyluarum abdita ferarum more reptantes, ad procubitores ipſos in ſtationibus pro exercitu ſuo vigilias agentes penetrauere: ex quibus vno, fuga ſibi conſulentibus reliquis, peropportunè capto, quindecim Turcarum millia in valle proxima caſtra poſuiſſe, cognouerunt. Ad ſupremas igitur vigilias, & eò vnde intra vallum ipſum & caſtra proſpicere licebat, progreſſi, eos, qui intra caſtrorum ſe munimenta condiderant, adducta ſagittariorum cohorte adoriuntur. Fundentes namque numeroſo crepitu à bombardis ignitos plumbeosq́; globulos, ſtertentes paſſim atque graui ſomno oppreſſos & torpidos Turcas vel premebant vel ad arma excitabant: qui conſcenſis raptim equis ex valle in montium cacumen proſiliunt, & ſtructa protinus acie, militibus noſtris animo & impetu ferocientes occurrunt

Sebaſtianus Schertle Auguſtanus.

occurrunt, quos noſtri ſtudio quodam retrocedentes extra ſiluæ fines; vbi cæteris cum cohortibus Philippus ille de Oberſtain conſtiterat, tanquam ad paratas inſidias pertrahebant, alacritate ſumma etiam nonnunquam Sebaſtiani Schertlij illius & Saylerij iuſſu, quorum induſtria hæc omnia agebantur, tandiu obſiſtentes donec à ſagittarijs illis eminus configerentur. Cecidere nocturno hoc prælio, & priuſquam ad Oberſtainum fuiſſent protracti ex Turcis penè mille, noſtratium paucis deſideratis. Nam & ſi ſæpius contempta paucitate noſtra ad obterendum tota acies in nos conuerteretur, ſagittariorum tamen fortitudine hæc ſemper cum clade quadam inſigni & iactura repellebatur. Et quoniam intempeſta iam nox erat, quæ rebus gerendis plerunque eſt inutilis, armis aliquandiu temperatum, ex acie tamen vtrinque non diſceſſum, atque id tandem quod actum, ad Principem Palatinum vt ante abitionem cum Schertlio conuenerat relatum. Qui vt primùm de ijs certior factus eſt, milites omnes ſub diluculo armis & equis paratos cũ ſilẽtio proxima in campi planitie adeſſe imperat, vt eos inde ad loca inſidijs aptiora pro tempore, & antequam hoſtes latiùs propellerentur, poſſet elocare. Quare per eam noctem equis nec ſellæ nec fræna detracta, nec equiti ferramentum. Nam & Princeps ipſe eodem oneratus, noctem exegit inſomnem, Homerici illius memor, non decere Pemnona ἀφοχλω, aut alium quempiam primarium virum, cuius curæ populorum multitudo ſit commiſſa, ſolidam dormire per noctem: præſertim quum tot momenta rerum ex eius quoque arbitrio dependeant. Præterierat iam tertia vigilia, & aurora ipſa lucis aduentum oſtendere videbatur: datum eſt militibus per præcones tacitum proficiſcendi ſymbolum. nec mora, dicto citius parent, & in conſtituta campi planitie vt iuſſi erant conueniunt. Habebat hæc Auſtrum verſus montium iuga, in quibus hoſtium ac cohortium noſtrarum acies vtrinque conſiſtebant, à Septentrione flumen quoddam, & paludem voraginibus & limo profundam & inuiam: ab Occidente caſtra noſtra, & vallum, atque à regione & plaga Orientali ſyluam denſam & ad tegendos pedites non incommodè natam. quare trans flumen & paludem quæ ad effugium ſola patere credebantur, Theodoricum Spettium cum leuis armaturæ Equitibus conſiſtere iubet. Funditores verò ſagittarios & pedites nonnullos alios inter arbuſta iuxta ſyluam ſe abſcondere. Et dein ſeipſum inter fluminis ripam montiúmque radices, cum reliqua exercitus parte medium continet, vt ſi quo hoſtium acies fuga inclinaret, eò ſe opponere poſſet, & fugientes intercipere. Quúmque omnia iam in hunc modum conſtituiſſet, Oberſtainum & Schertlium rem cœptam telámque ſemel orſam, per remiſſum nuncium peragere admonet, ac feſſum vigilia & nocturna pugna hoſtem iterum adoriri. Quoniam autem interim per noctem vt eos ad ſtructas præordinatáſque inſidias faciliùs poſſent propellere, atque à faucibus montium ſi illuc redire forſitan niterentur arcere, cohortes ſuas poſt hoſtium copias circumduxerant, terga illorum confeſtim bombardarum glandibus, tanquam imbre largiſſimo iterũ compluere ſunt adorſi. Pepulere eos breui ad montis illius quod iugo caſtris noſtris imminebat

Non decet virum principẽ per totam noctem dormire.

nebat

nebat, & vnde in campos armis viriſque fulgentes proſpicere licebat, faſtigium & cacumen. Quare illi primum conſpectis agminibus noſtris, veluti viſo lupo exanimes & amiſſa voce conticuere. Mox verò & poſtquam ſpiritus redditi, ſublato ingenti & ad ſydera vſq; clamore, barbarico ritu ferale quid vlulare, atque tum etiam veteris militiæ memores, & in cuneos arctius conſtipati, ſuſpenſo pede & animo, effugium circumſpicere. Iuſsit hos Princeps inter ſpem metumque dubios, excuſſa campeſtri machina primùm excipere, & non diu pòſt fulmine hoc territos, dato per lituos tubáſque dimicationis ſigno inuadere. Impetiuit illos primùm Bohemorum atque Sleſitarum equitatus: qui ad ſigna curſoria, vt noſtri appellare ſolent, à fronte agminis principalis conſtiterat. Deinde & ipſe princeps phalange ſuâ & armatura graui, magnanimiter & acri impetu concurrens. Quare certamine paruo in fugam fœdam verſi totis campis palantes, nunc huc, nunc illuc ſunt circumacti, & demum etiam cum omnia effugia inſidijs præoccupata & occluſa intelligerent, deficientibus pauore animis, per omnia arcta prærupt áque veluti cæci ruentes, in flumen paludémque præcipitabantur, vbi pars quædam profundis gurgitibus hauſta ſubmergebatur: pars alia relictis equis, reiectis ſarcinis & veſtimentis, atque ſolis armis quibus ſe tutari poſſet aliquandiu retentis, corporibus nudis enatabat: multis tamen limoſa paludis vada obſtitere, omnémque fugæ ſpem ademere. Hærentes enim illic tanquam pedica irretiti, & ocyus ſe inde expedire nequeuntes, ab equitibus peditibusq; noſtris, qui vnà cum Spettio illo vltra flumen ſubſederãt, trucidabantur: quos Princeps quoque ipſe cum eos contempto omni diſcrimine vitæ in diuerſam fluminis ripam eniti, ſeq; iterum conglobare animaduertiſſet, traiecto ſtatim amne eſt inſequutus: & continuato curſu, nunc à fronte, nunc à tergo & latere fortiter inſiſtens, per milliaria duo Germanica impellebat, nec antea deſtitit, donec cædibus & vulneribus abunde ſatiatus, ad Marchionis illius à Brandenburg milites protrudiſſet, qui & ſi rerum harum penitus ignari, caſu quodam fortuito ſuperueniſſent, intermiſſum tamen iam reintegrabant prælium. Cæſus eſt tunc iterum magnus hoſtium numerus, & magna tunc quoque Marchionis antiquos auos & proauos manu & fortitudine referentis emicuit virtus: non ſolùm enim is inter primos dimicabat acriter, verùm etiam & ad idem faciendum commilitones ſuos verbis adhortabatur, & exemplis magnanimiter admonebat. Reſtabant iam pauci quidam quos equorum velocitas tutata manibus noſtratium eripuerat. Dijs immortalibus forſitã ita volentibus, vt victoriæ ac gloriæ huius omnes noſtri fierent participes, nam nebula quæ repentè & ſaltus & campos omnes circa intexuerat, eos ad Cantium illum atque alios heroas Vuolfgangum à Montfort, & Gregorium de Loſenſtain, qui cum copijs auxiliaribus fugientis Tyranni recentia veſtigia erant inſequuti, tanquam ad aras Tauricæ Dianæ, aut certum quoddã mactationis deduxit ſacrificium: nã & illic, vel ab Equitibus illis, vel à colonis & agricolis ita cæſi & extincti ſunt, vt ex quindecim millibus iſtis, ne vnus quidem qui cladis nuncium ad ſuos referret ſuperfuerit: captus enim eſt ex

Turci iterum fugantur.

his ob peculiare Prouincialium in Turcas odium penitus nemo. Signum vnum purpurei coloris ereptum, Caroli imperatori in honorem & victoriæ ſymbolum oblatum, à quo multi quorũ virtus eo in prælio ante alios fuerat inſignis, dignitate equeſtri aureisq; calcaribus ſunt donati. Captiui multi tunc quoq;, quos Turcæ ſolita pro crudelitate nondum enecauerant, recepti. Præda omnis, quæ tamen perexigua fuit, militibus conceſſa. Fuit hæc victoria noſtris omnino incruenta. Nam præter vnicum equitem Agnulum, vulgo Lele, toto exercitu deſideratus eſt nemo. Videbatur Princeps hãc hieroglyphico, quo vexillum ſuum atq; labarũ poſt ſuſceptum præfecturæ imperium inſcribi voluerat, præauguratus: quia in hoc Angeli imaginem, dextra macheram, ſiniſtra verò ſchedam quandã huiuſmodi cũ inſcriptione (è cœlo victoria) ferentem, parari iuſſerat. Turcarum cadauera ob diuitiarum ſitim quas illi abſorbuiſſe ferebantur, (heu pudet auaritiæ) inciſa, ſed hi ſtomachi in penetralibus nil niſi vuarum baccas & granula quædam habere ſunt inuenti, ea famis vehementia, Mahumeti ſui cõtra legem, qua ab omni vini vſu arcentur, inſumere compulſi, quoniam & profana & fœda omnia in vſum conuertere neceſſitas coëgerat. Acta ſunt crudelia hæc à gregariis nonnullis: de nobilioribus enim atq; veteranis, quod vnius probare exemplo ſufficit, longè aliter conſtitit. Fuit hoc in conflictu Eques quidem Germanus, Sebaſtianus de Fleckenſtain, nobilitate reiq; militaris peritia inſignis, cui inter dimicandum, Turca quidam ſacculum nummis plenum veluti redemptionis pretium quum obieciſſet, equi ex ſella in quam ſorte quadam deciderat, hunc tanquam victoriæ remoram indignabundus reiecit: ad Ditem veſtrum hinc abite, inquiens, diuitiæ: non enim hîc aurum, diuitias aut alia huiuſmodi irritamenta malorum quærimus, ſed virtutis præmium potiùs honorem & gloriam militarem. multa tunc Turcarum Saracenicis literis conſcripta apud interfectos reperta ſunt monumenta, horum elogia ſiue teſtamenta, quæ ij ob inſtantem metum, quemadmodum olim ad Veſuntionem Romam ſub Cæſare Iulio, in caſtris antea obſignaſſent credita. Fugientem Tyrannum lues ingens ſequuta, cum maiori ſuorum clade, quàm antea priori profectione affecit. Relatum namq; tunc vltra centum & quinquaginta hominum millia, Numinis diuini ira fuiſſe perempta: non minus ea tum quoq; quàm etiam olim ſub Senacherib rege, quum angeli manu vna nocte octoginta quinq; millia cæderẽtur ſæuiente, Cecidit per idem tempus è cœli ſummitate pluribus in locis ingens ignium vis, quare à multis creditũ, ſupremum mundi inſtare diem, quòd Adamus Protoplaſtes, vt Ioſephus Iudæus teſtis eſt, hunc etiam ſub igne aliquando periturum retuliſſet, & Cometa proximis tribus annis & ſingulis qui profectionem hanc præceſſere, naturæ ſuæ ſecundum rationem Septentrionem verſus, regnorũ mutationem ſignificans, appareri viſus. Et Dracones numero multi, diuerſi tamen coloris, per ſummitatem aëris nunc quoque volauere, Boihæmiam petentes, ſpiritus immundi kakoq; Dæmones, quia ij Philoſophorum iuxta ſententiam migrare nonnunquam locumq; immutare ſoleant, exiſtimati. Parta autẽ victoria hac ad caſtra quæ haſtatorũ

Chriſtianorum victoria incruenta.

Auri ſacra fames.

agmini

agmini aſſeruanda interim commendata fuerant, reditum, & die vnâ ad quietem reficiendoq́; corpora militi conceſſa, Laxenburgum toto cum exercitu quem ſecum adduxerat Princeps Palatinus, repetitum, quò & Philippus Princeps ex fratre nepos & conſanguineus, cum Eckhardo de Reiſch equite aurato nomine Auguſtæ Maieſtatis congratulatum venerat, & petitum, vt Strigonium oppidum quod Cæpuſij comes viribus ingentiſſimis oppugnabat, miſſa copiarum exercitusq́; parte vi eximeret, obſidioneq́; arctiſſima qua premeretur quàm primum liberaret. Legatis verò quia Imperatorem Carolum vnà cum fratre ſuo germano Cæſare Ferdinando Viennam appuliſſe conſtabat, paucis, Maieſtati verò ſuæ coràm poſtea concordi procerum ſententiâ hunc propè in modũ reſponſum: Neminem in hac tam inſigni Principum omnium procerum ac militum coronâ eſſe, qui auguſtiſſimæ Maieſtatis ſuæ Imperium non ſummo ſtudio veneretur & adoret: id enim ſacroſanctum haberi & iudicari apud omnes. quare et ſi profectio illa ſero nimis iam & eò tempore, quo veteres Romani milites ſuos olim ex caſtris ad hyberna deducere ſint ſoliti, apparetur; ſe tamen omnes ad quoduis periculum pro Maieſtatis ſuæ ac imperij honore & gloria ſubeundum, eſſe paratos: dummodo omnibus vnà coniunctim ire atque toto cum exercitu illuc traijcere liceat, & reliqua omnia quæ ad huiuſmod. ꝑfectionem ſint neceſſaria, maiori cura & diligentia quàm antea præparentur. Periculoſum namque eſſe, hoſti ſe tam acri & ſeuero, neglectis omnibus, ſine quibus nullum bellum rectè ſuſcipiatur, tanquam prædam quandam certam & indubitatam obijcere. Quamuis autem Imperator promittendo ſaltem exiguo aliquo Strigonienſibus ſubſidio iterũ inſtare decreuiſſet, Principis tamen Palatini conſilio deſtitit & quieuit, indicantis ſi Strigonium ipſum eò vſq; furorem hoſtilem & impetum, quò illuc exercitus aliquis vel ſubſidiũ traijceretur, ſuſtinere poſſet; id & poſtea hyemis beneficio, ſub qua omnis oppugnatio inutilis plerunq; eſſet & intempeſtiua, tutum fore & inexpugnabile. Principi dein à Carolo Imperatore de cæſo fugatoq; tanta felicitate hoſte gratiæ ingentiſſimæ actæ: Duces reliqui, tribuni, proceres caſtrenſes, & milites vnà omnes laudati, quòd patriam communem & imperium tam inſigni operâ ſua tutati eſſent egregiè & adiuuiſſent, & ita miſſione facta cunctis abire liberè conceſſum. Debebatur quidem ob rem bene feliciterq́; geſtam militi laurus, Principi triumphus: ſed quia non idem hodie, qui olim virtuti habebatur, honos, illis nec vllus decretus eſt.

IOANNIS CRISPI AEGEI MARIS NAXIQVE DVCIS, BYZANTINI IMPERATORIS TRIBVTARII, ad Pont. Rom. & Chriſtianos principes, Epiſtola.

QVANTA *animi conſternatione, quantóque dolore ac cruciatu me, ac mea omnia Byzantino tyranno dediderim, non ignorat Deus, ille vnicus humani cordis, humaníque conſilij perſcrutator & inſpector, arcanorúmque omnium cognitor. Ne autem vos etiam fallat, quæ id de cauſa factum ſit, quò breuius potero, explicabo. Siquidem cum veſtra in primis haud dubiè interſit, vehementer opto, non tam excuſandi mei ſtudio, quàm veſtra ipſorum ſalute, ne Chriſtiano deſim officio, idem quoq; particulatim noſtris literis vobis innoteſcere. Proinde attentis auribus & animis rem omnem, vt ſeſe habet, quæſo accipite. Cum proximo itaque Maio, & Iunio, è Ponto & Propontide maximus Solymanus centũ & quinquaginta triremes, ac biremes octoginta, & præter has hippagines, ac onerarias & actuarias naues centum & ſeptuaginta, centumq́; ſimul alia non vnius generis nauigia, eodem tempore primo in Aegeum mare, ac ſubinde in Ionium, & in Hadriaticum, demũ ad Epiri littora emiſiſſet, ipſe itinere terreſtri cũ centũ & aliquot vltrà millibus partim equitibus, partim peditibus, nullo nõ armorũ ac telorũ genere inſtructis (quæ omnia procul dubio ad aures veſtras peruenere) Apolloniã rectà contendit, Italicũ bellũ ſiue ſolus ſponte ſua, ſeu cum ſocijs Principibus (vt fama erat) ex condicto primo quoq; tempore ſuſcepturus. Vt igitur illuc appulit, maiorem & meliorem claſsis partem, in qua decem mille pedites lectos, & duos mille equites robuſtiſsimos impoſuerat, in Apuliam præmiſit. Quæ copiæ, vt in continentem fuerunt expoſitæ, oppida & vrbes aliquot, breui tempore deditione ab incolis vltrò facta, partim barbaricæ claſsis, barbaricique terrore exercitus, quem maius indies incrementum accepturum ferebatur, partim etiam opera reguli Vxenti aliquot ante annos regno pulſi, & fœdere idcirco atq; ſocietate cum aliquot alijs Imp. Mahumetano iuncti, in poteſtatem perfacilè redegere. Cum autem ad caſtra Apollonica ex Cilicia fuiſſet allatũ, Sophi Perſarũ regem (ſiue id ſimulatè ageretur vulgareturq́;, ſeu ita eſſe verè cõſtaret) iam bellum parare, ac paulò pòſt in Meſopotamiam deſcenſurum: tyrannus Byzãtinus animaduertens ſociorum vires & apparatus opinione infirmiores ac tardiores, veritus etiã ſi ſolus bellũ id ſumeret, ne res ex animi ſentẽtia parũ procederet, flexo aliorſum conſilio, ex Appulia copias & claſſem cũ ingenti virorũ & militum, ac precioſæ ſuppellectilis præda, quã improbus Mahumetanus ab ijs qui ſe dediderant antea ceperat, in Epirũ præter communẽ omniũ fermè ſpẽ reuocauit. Simulato igitur in Thraciam reditu quẽ præmiſſo rumore de Perſico bello fucauerat, dũ Corcyreũ fretum*

claſsis

claſsis innocua præternauigatura à pleriſque exiſtimatur, quod proximis diebus præſtiterat, cum Apolloniam peteret inſulam, circumquaque ea nauigijs bellicis propè ſepta, animo intercipiendi quadraginta triremes, ac totidem fermè alia minora nauigia, aliquot item naues veſtrorum firmiſsimum robur, veſtrámque certiſsimam tutelam Venetorum: quæ inquam illic (vt notiſsimum eſt) in anchoris ſtabant, callidus Barbarus occupari mandat. Corcyrei nihil tale ſuſpicantes, non ignari pacis quæ plures quidem ante annos confecta, proximè inter Solymanum, vóſque Venetos firmata fuerat, vbi veſtras triremes oram ſoluere, ac vela ventis dare, paulóque pòſt Turcicam claſſem appellere, & armatos milites inexpectatò in littus emitti cernunt, pauefacti ſubito hoſtium aduentu, ſeſe illico in fugam conuertunt. Alij deuia nemora, reconditas ſpecus: alij præruptos excelſóſque montes petiere, pars circa vrbis mœnia rupi aſperrimæ impoſitæ ſe recepere. Complures igitur vtriuſque ſexus mortales principiò à Turcis in ſuburbio intercepti, cæſi ſunt. Quamuis (vt poſtea compertu eſt) multo plures etiam in inſula paſsim abditi inuenti: qui ad primum hoſtium deſcenſum diffugerant, capti ac interfecti ſint. Cum autem præter priores milites ex Bathroto, locíſque finitimis quadraginta mille milites tranſportati in inſulam fuiſſent, Corcyra vrbs admotis tormentis, & alijs machinis bellicis tertio nonas Septembris à Barbaro obſideri cœpta eſt. Corcyra à Barbaro obſeſſa. *Verùm cum perdifficilis impendio munitæ, arduoq́ in loco ſitæ vrbis expugnatio videretur, largiſsimis præſertim per eos dies de cœlo imbribus aſsiduè decidentibus, cœptam obſidionem (id opt. maximóque Deo in animum illi ſuggerente, tum Corcyreorum iam fame frigoreq́ pereuntium, cum veſtro omnium beneficio: nam eò propriorem, magiſq́ in conſpectu, atque eò infeſtiorem hoſtem haberetis, ſi vrbe potitus fuiſſet) decimo die penitus ſoluit, incenſis interea ſuburbanis ædibus ampliſsimis & penè innumerabilibus: ſacellis item, ac templis, alijsq́ locis cùm ſacris tum prophanis, ex quibus geminæ permagnæ ciuitates erigi ac conſtrui potuiſſent: deuaſtatisq́ priùs agris, villis, prouincijsq́, aſpectu iucūdiſsimis, & verè Alcinoijs. Inſulaq́ plurima ſui ex parte conſumpta, præda ex his deniq́ quàm maxima hominum, auri & argenti, aliorumq́ bonorum abducta, & nauibus impoſita. Quæ omnia rapaciſsimus & alieni appetentiſs. miles Mahumetanus duodeuiginti dierum ſpacio, vt Corcyram inuaſerat, paſsim depopulatus fuerat. Hæc cū Solymanus ita egiſſet, aduocatum ad ſe claſsis præfectum, in Helleſpontum redire iubet. Id ſe cum terreſtribus copijs, miſſo interim ad vos Venetos nuncio, qui propenſum & beneuolum eius animum teſtaretur, & integrū ad mutuam recōciliationem vtrinq́ reditum ſupereſſe proponeret: Hadrianopolim via Candania regredi quàmprimum cōſtituit. Cū autem propter Zazynthū claſsis ea præteruheheretur, nautici milites nocturno tēpore luporū more, quibus per amica nox eſt, in inſulam deſcendere: ac centum & vltra miſeros agreſtes, quos ex diurno labore defatigatos, & propterea dormiētes inuenerāt, captiuos (imò ſeruos) reddidere. Illinc digreſſus præfectus, cū Zazynthiorum vrbē magno virorū præſidio firmatā intelligeret, & iā*

adreſiſtendum paratam, ad Cytheram curſum tenuit: tentat atq; arcis illius loci expugnatione, cum res ea parum ex voto procederet, octingentis & vltra vtriuſq; ſexus hominibus captis, abacto inſuper omni Cythereorum pecore cum dominis, & ſuccenſis domibus, quæ circa oppidum, & in inſula frequenti virorum & mulierum copia habitata, paſſim conſtructæ erant, inde in Aegeum reuertit. Illatisq; damnis & malis permagnis, & innumeris in eo curſu maritimo tam Monembaſienſibus, quàm Neapolitanis, ad Aeginã non ignobilem inſulam maritimis fortiſſimis viris frequentem, ac ſatis opulentam contendit. A qua cum non procul abeſſet, præmiſſis nuncijs ad vrbis prætorem, & ciues ad deditionẽ cùm promiſſis, tùm minis ſolicitat: recuſantibus autem ijs, & iam palàm reſiſtentibus, ſigno dato pugnam infert. Aeginetæ pugnam non detrectãt & audacter ſeſe contrà offerunt. committitur prælium atrociſſimum, plurimi ex hoſtibus primo congreſſu cæduntur: demum cum Barbarus cæde ſuorum admodũ indignatus, immiſſo recenti ſupplemento militum pugnam redintegraſſet, cum parua manus, & iã ex acri longaq; dimicatione feſſa, tot Mahumetanorum millia ſuſtinere haud poſſet, Aeginetas retrocedere, ac intra vrbem ſeſe recipere compulit. Itaque vlturus audaciam Aeginetarum, è nauibus tormenta & miſſilia non pauca extrahi, & vno atq; altero in loco apponi mãdat. Diruta igitur maiore nemorum parte, quò patentior militibus aditus foret, quàm maximo datur impetu & conatu vrbem adortus, extemplò capit, & eodem tempore expugnat. Aequatis autem mœnibus ſolo, deprædatisq; ciuium bonis, ac domibus combuſtis, viros Aeginetas omnes ad vnũ obtruncari iubet. Fœminas verò tùm nobiles, tum ignobiles, ne vllus ſæuitiæ locus reliqui fieret, ad ſtuprum nautis & militibus promiſcuè concedit. Quas inquam poſtmodũ, vnà cum infantibus & pueris nauibus oneratas, quæ iam ex ingenti multipliciq; præda fatiſcebant, & in Atticam eiectas, Byzantium ad duriſſimam & perpetuam ſeruitutem trahi imperat. Deletis penitus Aeginetis pari propemodũ impetu ac immanitate Parios, & proximos, atq; aliorum locorũ incolas aggreditur. Quos omnes momento fermè ſuperatos debellauit, depopulatusq; eſt, reſiſtentibus & aduerſantibus, ſenibusq; pariter interfectis: arreptis ad hæc iuuenibus, qui cædi ſuperfuerant, & remigio addictis: adoleſcẽtibus verò conſtupratis & ablegatis ad clauſtrum illud percelebre Conſtantinopolitanum. vnde ſanè pueri illuc introducti, puberes iam effecti, & militarem iam diſciplinam edocti, nullo nõ die in perniciem Chriſtianorũ poſtmodùm educuntur. Hæc atque alia id genus atrociſſima & nefandiſſima cùm ſub oculis propè noſtris fierent, vix vno aut altero die interiectis, ecce claſſis ad nos haud præter opinionẽ & expectationem remis velisq; ſimul actà repentè adnauigat, imò aduolat. Accurrunt ad vrbem pauidi trepidiq; ciues, & agreſtes, mares fœminæq;, deſertis totius inſulæ locis, deſertis domibus, relictáque ſuppellectili maiori ex parte. Fit ingens turba, coëunt, lachrymãtur omnes, ac vociferantur: it clamor cœlo. Quæ inquam in extremis periculis plerunque contingunt. haud namque ignorabatur, quid ad Naxum claſſis adferret. Vt igitur ad noſtra littora eſt appulſum, & in ipſis deſcenſum,

Sæuitia Turcici Tyranni.

inſidi

infidi & inhumani hoſtes Mahumetani in turrim & domos proximas irruunt: nemineq; illic reperto, cellas frumentarias & vinarias atque olearias effodiunt, exhauriũt, euertunt, domosq; ac turrim demoliuntur. Interim autem à præfecto claßis nuncius ad nos aſcendere & aduenire adfertur, mandata quædam expoſiturus, proinde fandi copiam petere. Id cum nobis ſignificatum fuiſſet, et ſi ægrè, attamen ita ſentientibus & volentibus plerisque cõceßimus. Vt in oppidum & in Ducarium ſubinde noſtrum impius nuncius introductus fuit, in hæc verba ſine vlla præfatione prorũpit. Si te ac inſulas locaq; tua Conſtantinopolitano Imperatori (imò verò iam totius Aſiæ atque breui totius Europæ domino futuro) ſponte ſubieceris, ipſius gratiam facilè promerueris: ſi effeceris ſecus, ipſius odium, indignationemq; tibi denuncio. His quædam alia in eandem fermè ſententiam ſubdit, fatus: Si te dedideris, integra ſaluaq; omnia tua erunt: alioqui ſi recuſaueris, gratiæ locus nullus ſupererit. quin imò te, ac vxorem & liberos, ciuesq; ac ſubditos omnes propediem vnà peßundabimus. adeſt claßis potentißima: robuſtißimus, victorq; miles: adſunt armamenta omnia expugnationi idonea: ab Æginenſibus, Parijs, atque alijs Cycladum Regulis exemplum & conſilium ſume: præclara eſt fortuna tua, ni deſipis: cum ex alienis malis valeas, tuo mederi nolis, & cum liceat eſſe incolumi, ſponte detrectes. His auditis, nuncium Chriſtianum hominem aliquantiſper ſecedere mandauimus, vt interim cõſuleremus ac decerneremus quid facto opus eſſet. Itaq; eo amoto, pauidi omnes, & mœrore ipſo penè confecti, conſilium inimus: & cum non pauca in vtranq; partem ſtrictim, vt ratio temporis ferebat, expoſita fuiſſent, cum nec opes ad repugnandum, nec vires ad reſiſtendum tanto furori nobis ſuppeterent, nec veſtrûm aliquis (vt par fuiſſet) auxiliator accederet: nec aliunde ſubſidiarius miles, ſubdiariáue claßis expectaretur, intuiti omnia plena timoris & miſeriarum, cogitantesq; nos impendenti periculo prædæ ac cædis iam obnoxios, cum inter omnes ita conſtitiſſet, neceßitate coacti, cui aduerſari nemo ſanè poteſt, re iam deſperata & conclamata conditiones demum perindignas & periniquas accepimus: rati magis è re ac vſu Chriſtiano eſſe, atq; futurum, ſi mortales penè innumerabiles quos habebat noſtra Inſula, clarorum olim virorum ingenijs & monumentis affatim celebres, ad feliciora tempora ſeruarem (quæ vtinam me ſuperſtite contingant) quàm ſi in nullum vſum & commodum me atq; illos ſeruituti atq; neci obijcerem: & in commune reliquorum detrimentum, communemq; iacturam vnà omnes perditum irem. His igitur cauſis compulſus, quæ fortißimum quenque veſtrûm ad idem meritò compuliſſent, Mahumetano tyranno tertio Idus Nouembris deditionem feci, ita illius iugum ſimul & imperium ſubij. Pollicitus ad hæc & annuatim quinque aureorum millia tributi nomine, ijs etiam antè tempus perſolutis, quò placatiorem dominum mihi redderem. Quæ ſumma tametſi maior & grauior à nobis, atque à ciuibus noſtris æſtimetur, quàm Duci pauperi, & regno pertenui conueniat, integrè tamen quotannis à nobis enumerabitur: id quod declinandi euitandíque magis aduerſi & atrocioris infortunij gratia perfecturum me

planè

planè profiteor. Quanquam haud ignoro, aliquot poſt annos idem mihi quoque proculdubio euenturum, (niſi ipſe Christus redemptor noſter ſuppetias attulerit, veſtriſque ſedatis & pacatis controuerſiis atque diſsidijs, vos in vnum compoſuerit, & ad ſumendum bellum aduerſus potentiſsimum, & penè inuictum hoſtem compulerit) quod octogeſimo abhinc anno Conſtantino Palæologo nouiſsimo Græcorum Imperatori euenit, qui bello fatigatus, fractúsque, cùm ab Amurata Turcarum rege pacem ea conditione impetraſſet, vt ei ac ſucceſſoribus perpetuò annuum tributum penderet, id quod etiam quotannis fideliter præſtitit: contra omnia humana diuináque iura, à Mahumeto ipſius Amurati filio & ſucceſſore, octauo anno poſt initum & percuſſum cum patre fœdus, de Imperio Conſtantinopolitano exturbatus & eiectus fuit, ac pariter occiſus. Arrigite proinde aures & oculos, animóſque intendite Principes, dum res veſtra integra & incolumis eſt: ac dum vobis aliena vecordia, alienáque pericula & mala prodeſſe poſſunt, nolite vobis ipſis deeſſe, imò veriùs obeſſe: ne ſi communis hoſtis vos ſigillatim inuaſerit, quod habet in animo, & ſibi de vobis, vtpote ſemper diſcordibus perfacilè pollicetur, eandem & aleam & fortunam ſubeatis, quam equidem proximè ſubij, & plures ante me Principes indignè ſubierunt: præſertim cum ea hoc tempore Solimano auri argentique vis ſit, ea imperij magnitudo, is militum exercitatiſsimorum numerus, id robur & obſequium ac fides, & ea terra maríque potentia aſsiduis Christianorum concertationibus quæſita, & maximum ac incredilem propè in modum aucta, vt non ſolùm vobis, tametſi concordibus, & in vnum coactis (quod difficilimum eſt ad fidem) palàm reſiſtere, verùm etiam moleſtiam & vim quàm maximam inferre valeat. quod re ipſa certiſsimum intelligetis vbi ferociſsimus Barbarus felici rerum ſuarum ſucceſsu meritò elatus, ac plurimis iam victorijs efferueſcens, ſequenti anno (id quod die noctúque meditatur, & vndequaque molitur) vos omnes terreſtri maritimóque bello fuerit adortus. Quare interea date operam quæſo (veſtra omnium ſalute, non odio dictum arbitremini) ne poſt tot bellorum ciuilium turbines tantáſque tempeſtates, quot quantíſque hactenus vltrò citróque iactati eſtis, vos denique, vbi diſcordes præoccupauerit (vt veteris inſtituti moríſque veſtri eſt, ac immitiſsimus ac fallaciſsimus Barbarus maximopere cupit, & clam nititur, dum vni callidè arridet ac blanditur, vt alium intercipiat & opprimat) vniuerſos poſtmodum more maiorum ſuorum breui tempore perdat ac deleat: vnde conuerſis oraculis Prophetarum, vnum in toto orbe terrarum ouile, Mahumetanum ſcilicet, vnúſque omnium paſtor Mahumet noſtra culpa fiat. Quod ne cui veſtrùm mirum videatur, aut impoſsibile putetur, laudatiſsimum & comprobatiſsimum illud noſtri generis autoris teſtimonium in medium proferam: qui, inquam, paruas res cõcordia creſcere, maximas diſcordia dilabi ac interire cenſuit, memoriáque prodidit. Verùm ne plus æquo Criſpo noſtro tribuere me ducatis, accipite oraculum ab ore Chriſti prophetarum minutiſsimi olim emiſſum, qui (vt teſtantur

tur

*tur quatuor diuini illi Euangelici præcones) regno diſsidenti interitum &
deſolationem interminatus eſt. An obſcurum eſt, ducentorum & quatuor,
ſiue (vt alij malunt) ducentorum & triginta annorum ſpacio Othomani
familiam Chriſtianorum principum odijs & contentionibus mutuis addu-
ctam & pellectam, cum à primordio ſui priuata & pertenuis eſſet, multo
ampliora & opulentiora, firmioraq́; imperia paſsim in orbe terrarum ſibi
comparaſſe (pace veſtra dictum velim) quàm vos, licet omnibus regnis
veſtris in vnum poſitis, & cum illis regnis collatis, cuncti teneatis & poſsi-
deatis? Expergiſcimini quapropter, & depoſito antiquo veterno, aliquan
do (imò quàm primum) reſipiſcite, reualeſcite, rerum veſtrarum euentum
proſpicite, calamitates ac infortunia veſtra, ſi non præſentia (vtinam e-
quidem mentiar) at ſaltem impendentia & futura ex alienis miſerijs co-
gitate, perpendite, metimini, omniq́; ſublata mora, vt veros Chriſtianos
re ipſa, haud ſolo nomine decet, dum Perſico bello diſtrahitur noſter hoſtis,
vnanimiter (quamuis ſerò propemodum id fiet) arma parate, arma ca-
peſsite, Mahumetanas prouincias magnanimiter inuadite: immanem be-
luam terra mariq́; primi fortiter impetite, vexate, & infeſtate. Quo au-
ſpice & fauente Deo opt. max. cuius omnipotentiæ plurimum dare ac fidere
veſtrarum partium eſt, ereptis vobis locis & regionibus, ereptoq́; ſanctiſsi-
mo ſepulchro ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, illum exuere ac denudare poſsi-
tis. Vocat vos beata immenſa illa Trina maieſtas cœleſtis ad hoc lauda-
tiſsimum certamen & bellum, ad hunc glorioſiſsimum triumphum. inuitat
Chriſtiana pietas, cœtusq́; reliquus Chriſtianus. Hortatur veſtrum mu-
nus & officium, admonent promiſſa ipſi Chriſto duci & imperatori noſtro
à vobis facta. Excitant propinqui & finitimi Turcorum imperio popu-
li, vt nonnullis veſtrûm ſubiecti, ita ipſorum ignauia ſimul & auaritia ex
parte aliqua neglecti, & aliorum quorum non intereſt nequitia & iniqui-
tate penitus deſtituti, ac prædæ crudeliter indubitatò expoſiti. Extimulat
infinitus numerus captiuorum Chriſtianorum compedibus ferreis, cathe-
nisq́; vinctus, reliquo gregi libero non impar, qui inquam Mahumetano
tyrannno duriſsimè ac dolentiſs. ſeruit. Arctat veſtra ipſorum tutela & ſa-
lus, vrget miſerandum & flebile plurimorum principum exitium & exci-
dium. Cogit, aut cogere decet imminens diſcrimen, ne cum regnis & im-
perijs veſtris libertatem & vitam pariter amittatis, atque ita erroris &
delicti admiſsi pœnas, tum ſuperſtites ſub hoc cœlo, tũ breui defuncti ſub alio
vt grauiſsimas, ſic etiam meritiſsimas luatis. Haud ſanè pauca ſuperſunt,
quæ hoc in loco aptè accommodateq́; memorare poſſem, cùm de natura &
moribus, tum de armis, armamentis, ordinibus, & vaframentis, ac de mi-
litari diſciplina Turcarum: demumq́; de genere ac forma belli, vt ſcilicet,
& quà inferri ac geri debeat. Verum cum huiuſmodi, aliaq́; id genus, vt-
pote hinc aut aliunde ad vos ſæpius allata, exactiſsimè tenere, vos veriſi-
milimum ſit, & armorum peritia, atque animorum & corporum robore
Byzantinum Imperatorem, eiúsque Duces ac Præfectos ſuperetis, ex in-
duſtria omiſerim, ne longiore oratione apparatus veſtros bellicos diutius*

remorer: in primis cum intelligam, ab Othomano ex Thracia fecialem iam iſtuc miſſum properare, indicendi vobis propediem belli cauſa. Itaque cum iam haud dicto, ſed facto opus ſit, quo apparatiores, magisque accinctos, cum illuc acceſſerit, vos offendat, epiſtolæ (atque vtinam ita lachrymis & luctui daretur) finem imponam. Valete, ex Naxo. Datæ Cal. Decemb. Anno ab enixu & puerperio virgineo M. D. XXXVII.

IOANNIS MARTINI STELLAE LL. DOCT. DE TVRCARVM IN REGNO HVNGARIAE, ANNI M. D. XLIII. & XLIIII. ſucceßibus, ad fratres Gulielmum & Michaëlem Martinum Stellam, Epiſtola.

EXISTIMAVI *etiam me hoc vobis debere, ne quicquam eorum quæ hic vel geruntur, vel pro certis à fide dignis dicuntur, ignoraretis. Principiò nemo opinor Chriſtianorum eſt, qui non videat, in quo periculo vniuerſi ſimus: nos tamen quo propiores, & quò minus in longinquis ſpei & ſubſidij videmus, tanto ſanè animis ſumus, aut, vt in rebus propè deploratis, conſternatiores: aut quod in extremis fieri ſolet, ex deſperatione pertinaciores, eoq́ ipſo fortaßis fortiores. Ab eo igitur tempore, quo per anni tempeſtatem Turcæ bellum gerere potuerunt, arcem Vualpo, quæ in confinibus Boſniæ, Croatiæ & Hungariæ ſita eſt, ferè tres totos menſes fruſtra obſederunt: neque audire quicquam potui, quod à noſtris pro illorum ſubſidio aut alleuiatione ſit geſtum, præter caſtrorum inquietationes. Cum autem ipſe Solymannus expeditionem contra nos totis viribus moliretur, ſentiens quanti interſit, nihil à tergo malè pacati relinquere, maiores eò copias diſtinauit, per ſe extrema tentaturus, niſi obſeßi aut expugnari, aut ad deditionem cogi poſſent. Deditio igitur facta eſt: ſed perfidia militum, qui ſuum præfectum omnia potius experiri, quàm ſe ſe dedere volentem, comprehendêre, Turcíſque tradidêre. In quem Turca non ſolùm non immanis, ſed etiam munificus fuit, & benignus. Cæterum milites omnes, quanquam dedititij, fœdè interfecti. Non quidem ipſius Turcæ, vti audio, imperio, aut ſtudio gloriæ, exemplóue in proditores memorando: ſed auaritia & ſpe prædæ, quam apud illos inueniri poſſe rebantur. Interea pontes ſupra Sauum & Drauum inſtituti, per quos copias & exercitum traijceret. Erant iam proximi Quinqueccleſienſes, qui ſuperioribus bellis ſteterant inconcußi, & hoc anno viſi fuerant non malè animati, ex legatione, quia hinc publicè bombardas, puluerem, ac globos, & petierunt, & impetrarunt. Verùm tantum pauoris illis & amiſſum Vualpo, & magnitudo exercitus Turcici*

incußit,

incußit, vt Epiſcopus & reliqui optimates, plus præſidij in fuga, quàm in vrbis munitionibus putarint: reliqua plebs quæ aut circumuenta ab antecurſoribus Turcicis, aut propter inopiam fugere nequiuerat, mißis legatis deditionem fecere. quibus quæ fides ſeruata ſit, certè ignoro: hoc vnum tamen hic conſtanti fama relatum eſt, neminem Turcarum toto triduo vrbem ingredi auſum fuiſſe. Proxima fuit (de locis loquor, in quorum munimentis vlla ſpes fuit reſiſtendi) Socloſia, oppidulum primo impetu captum, direptum & incenſum fuit. Qui verò in arcem confugerant, principio obſidionis pacti ſunt inducias quatuordecim dierum, intra quos diſpicerent, quid ſperare deberent ſubſidij, aut quibus conditionibus ſeſe dederent. Termino elapſo, confiſi munitionibus (ſita enim eſt loco, natura & opere munitißimo) vim repellere ſunt conati. Ac primis aliquot diebus ſe valde ſtrenuos geſſerunt, præſertim cum ſe à cuniculis Turcarum, quos XII. *millibus foſſorum aggere inſtituerant, tutos & ſatis firmos eſſe intelligerent. Poſtquam tamen adductæ machinæ, ac ex contiguis arci ædificiorum prius exuſtorum ruinis, multam murorum partem humi proſtratam viderunt, diffiſi ſe poſſe vlterius tam violento hoſti reſiſtere, etiam ipſi deditionem fecerunt: ea conditione, vt libera corpora & res ſuas ſecum ſaluas auferre liceret: quæ res pauperibus ſaluti, ditioribus omnibus exitio fuit: tenuioribus enim omißis, reliqui ob ſuſpicionem prædæ & diuitiarum interfecti, pœnas ignauiæ ſoluerunt. Nam ſi in animum induxiſſent, ſola victoria, neque pactione pacem pariendam eſſe, & locum & vitam & res ſuas procul dubio conſeruaſſent. Fuerunt itaque reliquis omnibus exemplo, quantum fidei Turcarum promißis aut pactis ſit adhibendum. Vt enim neque Rhodios neque Taurinum referam, taceam etiam Budenſium & Peſthenſium magiſtratus eo prætextu interfectos, quòd cum Chriſtianis commercia habuiſſent, ac boues ad nos adduci paßi eſſent: item quòd alijs, ſi qui reliqui in patria permanſerint, non vt mancipijs interdicto armorum vſu, ſed vt veſpillonibus, ad ſepelienda extra vrbem cadauera, plateas & cloacas aliáque curanda, quanquam de illis optimè meriti ſint, abutantur: nemo poſſet ſine ſummo mœrore referre, quod ſecundo ab hinc anno, cum noſtri cladem apud Budam accepiſſent, in duas cohortes, quæ viuæ in poteſtatem hoſtium venerunt, eſt patratum. Quibus quaſi vitam dono conceſſurus edixit, vt depoſito ſqualore, arma ac veſtitum ſolitum reciperent, ac ſe in aciem & ordinem, vti Chriſtiani ſolent, redigerent. Quod cum alacriter, nihil ſuſpicantes mali, noſtri factitaſſent, ipſeq́ue ordines aliquandiu obequitaſſet & circumluſtraſſet: tandem iußit rurſus arma abijcere. ordinibus tamen ſeruatis, ſelegit ex numero aliquot præſtantißimos viribus & corpore: reliquos omnes à tergo circumuentos, gladijs à ſuis iußit concidi. eorum verò quos ſelegerat, alios iaculatoribus oppoſuit pro ſcopo, alios duob. filijs ſuis propoſuit, in quibus ſeſe, ſuáſque vires, vter profundiora vulnera, formoſioresq́ue & conſpectiores plagas ederet, plúſque ſanguinis è corporibus Caurorum (ſic appellant Chriſtianos) hau-*

Socloſia capta & diruta.

riret, oſtentarent. Illud verò quod ſuperioribus diebus geſtum eſſe, conſtantiſsima hîc fama eſt, multum intereſſe puto, ne quis Chriſtianorum ignoret. Nam ſi qui tam vecordes ſunt, qui cum eo ad paciſcendum deſcendunt: illi hoc ſpectare videntur, quod qualemcunque vitam, etiamſi turpem, tamen cum viuere liceat, chariorem illam exiſtiment, quàm ſi pro patria certantes, glorioſam & honeſtam mortem oppeterent: qui ſi conſiderarent illam ipſam ignominioſam vitam, quam honeſtiſtimæ morti præferunt, ſibi ne concedi quidem: ſed quoniam non vtri imperent, ſed vtri ſint, nobiſcum bellum geritur, pariter & victos & deditos eodem loco haberi: potiùs compararent ſe vt ſtrenuè bellando occumberent, quàm dum animos ſpe longioris vitæ demittunt, deditionem paciſcuntur. Cùm & illam ipſam conditionem quam prius habebant, honeſtè ſcilicet pro patria moriendi, amplius non ſint habituri: quando illi qui paulò antè propter abiecta arma ſalutem ſperabant, nunc inſtar pecudum iugulantur, mactantúrque. Cum igitur alterutro de duobus, aut per ignauiam, aut vti fortes decet, prorſus mori neceſſe ſit, certè vt eſt exoptabilius, & cum minori ſenſu iniuriæ: ſic glorioſius & laudabilius, hoc modo miſerijs calamitatibúsque defungi, cui hoc accedit, vt ſæpe ſit minus periculi, cùm & ipſa deſperatio ſalutis, imbelles armare, & timidos excitare ſoleat. Dum igitur arcem Socloſiam obſidet, dediderunt ſe loca vicina: ac vti imperatum erat, omne genus commeatuum in caſtra detulerunt. Principiò, iubet omnes iudices pagorum ſibi præſto adeſſe, ſtatim paretur: obedientibus deinde imperat, vt poſtridie ſinguli, cum ſibi ſubditis, rurſus adſint: cùm & hoc pro imperio ſedulò factitatum eſſet, ille neſcio ſanè quam opinionem de ſe relinquere volens, iuſſit inſpiciente exercitu ad vnum omnes trucidari. hoc facto, puto nobis plus roboris ex eius immanitate & inclementia, quàm illis bonæ famæ aut potentiæ acceſsiſſe. Ex hoc loco caſtra mouit, ac Budam ingreſſus eſt, XI. Cal. Auguſti. Hinc varij ſparſi rumores, in quam partem primùm ducturus eſſet: & quo nos incertiores conſiliorum redderet, tripartito viſus eſt inſtituiſſe. Pars nanque incendijs & ruinis omnia vaſtabat circa lacum Balathonium, qua iter eſt in Steiriam, & prouinciam Vuandalicam. Alij, quo ſcilicet nobis omnem ſuſpicionem de Strigonio adimerent, cuncta vſque ad portas Albæ Regalis ſunt depopulati, quod nobis non mediocrem metum incuſſerat. Præſidia enim quæ ſubmittebantur, adhuc Taurini conſederant: & vix beneficio noctis effectum eſt, vt intra vrbem M. D. pedites partim Itali, partim Germani reciperentur. Eram ego tunc Altemburgi, & in vicinis locis, cum bombardæ, quas itineri committere auſi non erant, retro in arcem, vti tutiorem locum, reducerentur. Poſtremò paululum infra Budam pontem ſupra Danubium facere inſtituit: quæ res mihi magnam ſollicitudinem adfert, ne in ciuitatulas montanas, ac in vniuerſum patrimoniũ Sereniſs. Reginæ Mariæ irruat, quod fama eſt, pro magnitudine periculi non ſatis firmo præſidio cuſtoditum eſſe. quam rem certè mihi non videtur neglecturus: nam neque ſui interea,

Turca Budã ingreditur.

dum

dum Strigonium obſidetur, pontis curam abiecerunt. Situm eſt autem Strigonium quinto milliario ſupra Budam è regione vbi in Danubium influit fluuius Granus, à montibus Carpathijs, & oppidulis quas nunc montanas appellamus. Atque adeò vetus illi nomen erat Iſtrogranum, quaſi circa confluentia Iſtri & Grani ſitum. Cœpit igitur Strigonium obſideri IX. *Calend. Auguſti, non ſine magna noſtrûm omnium perculſione, quòd nullos adhuc milites præter conſuetum præſidium eò ſubmiſiſſemus: neque vlla poteſtas ſuccurrendi videbatur, quòd Turcæ omnem Danubium profligata noſtra claſſe in poteſtate ſua habere crederentur. Duo tamen adhuc reſtabant, in quibus aliquantulum ſpei reliquum erat: quòd Vuilzigradum (eſt hoc medium inter Strigonium & Budam, quà ſe Danubius à recto itinere terreſtri nonnihil ſinuat) videbatur interdiu facilè prohibiturum, ne commeatus, aut etiam bombardæ aduerſo flumina caſtris ſubueherentur: quæ ſpes non fefellit. nam plus minus duodecim naues, inter quas duæ puluere & bombardis onuſtæ erant, à noſtris ſubmerſæ. Deinde quòd trans Danubium omnia adhuc noſtra, id eſt, Chriſtianorum eſſent. Archiepiſcopus igitur Strigonienſis per Barptholomeum Croacum, ſtatim ducentos boues ſub ipſa arce obſeſsis tranſmiſit: & noſtris Comaroni indicat, tam arctè obſeſſam non eſſe, quin facilè eadem via, aut etiam ſecundo flumine ſubſidium ſubmitti poſſet. Redierat per eos dies vexillifer cohortis præſidiariæ, & Hiſpanus quidam Sancius Gotta, qui ad Regem pro ſtipendio miſsi erant, hi intelligentes obſidionem, Viennæ pecuniam publicam reliquerunt: ac ſi vllo modo ſe ad ſuos recipere poſſent, tentauerunt. ipſi quidem ſeriùs venerunt: ſunt tamen milites propè ſexcenti, & cum his annona & puluis tormentarius in arcem recepti: qui cum retuliſſent qua cauſa ſtipendium deuectum non fuiſſet, militum animis ſatisfecerunt, vt ad rem fortiter gerendam nihilominus animati eſſent. Reſcripſerunt igitur ducibus Regijs, ſe de fide & liberalitate Regia nihil dubitare, neque ſtipendium aut pecuniam eo tempore contra hoſtes, ſed milites, quos ad ſe miſſos gaudebant, fortius poſſe pugnare. His contrà à Senatoribus Regijs ita reſponſum eſt, ne quicquam de ſtipendijs dubitarent, omnia illis ſatisfactum iri: & ſi quis interea caſus vllos iactaret, hæredibus ea omnia integra & ſalua, quæ viuis debita fuiſſent permanſura: quæ reſponſio (vti huc relatum eſt) mirum quantum animi obſeſsis addiderit ad pericula contemnenda. Dum iam claſsis noſtra, quæ ſubſidium ſubuexerat, reuertitur, viſa eſt ſibi occaſionem rei feliciter gerendæ nacta eſſe. Cùm enim (vti ibi fit, vbi nullus hoſtis formidatur) Turcæ liberiùs caſtrametati eſſent, noſtri circa extrema caſtra quæ in ripa erant, irruentes ſubito tumultu omnia turbarunt, & quinquaginta ferè interfecerunt, ac inter hos vnum ex principibus, vt ex ſigno galeæ, quo nullis niſi ex familia Otthomanica prognatis vti conceditur, eſt deprehenſum. Principio obſidionis Turcæ Martinum Laſcanum, natione etiam Hiſpanum, præfectum præſidij, ad colloquium ſuper deditione inuitarun. Eſt è regione*

Strigonium obſidetur.

 arcis

arcis alius colliculus eiuſdem ferè altitudinis. Hinc Turcæ bombardas, interea dum colloquuntur, contra noſtros erexerunt: pluteis & multa materia munierunt, diſsimulante id præfecto, ac ſuos clàm admonente. Cùm Turcæ ſe nemine prohibente, omnia quæ eò pertinebant, procurare tutò credunt: noſtri repentè omnib. machinis in eam partem collatis, munimenta & cuſtodias deturbauerunt, ac magnum incommodum fractis bombardis, ſiue comminutis rotis, intulerunt. quare etiam nunc à iaculatione dicuntur ceſſare, creduntuṛ hoc conari, vt eam cuniculis ſubuertant: quæ res quem euentum habitura ſit, nõ poſſumus diuinare. vnum ſperamus, quòd propter aſsiduas ab hoc nouilunio pluuias is conatus non nimis feliciter ſit ceſſurus. Præterquàm quòd à longinquo, & multis in locis per rupes ſit inſtituendus. Cõtra etiam huiuſmodi caſus, præfectus arcis, iam ad aliquot menſes, plus minus quinquaginta milites aluit, exercitos in aurifodinis: ita vt ſpes ſit, vel irritum fore hunc conatum: vel obuiam iri, & hoſtem in cuniculis obrui, non difficulter poſſe. Reliquum noſtri exercitus, quod poſt diſtributa vndiquaq̣ præſidia ſupererat, ducib. Ioanne Vngnad, Otthone à Diſcha, & Comite Philippo Torniellio, ſubſedit Comaroni. Sita eſt hæc arx in inſula Danubij, quam Germani Schutte vocant. Inſula hæc totius Danubij propè nobiliſsima eſt. incipit ſub Poſonio, bipartito fluente Danubio: ac deſinit decimo deinde miliari, fluuio rurſus coëunte: poſteaquam à læua & Septentrione, Polonia ſcilicet & montibus Carpathijs, flumen Vagam in ſe accepit. Colonorũ habet ſupra duodecim millia, ac fuit ſuperioribus bellis ſemper intacta. In fine huius inſulæ, vbi rurſus Danubius in vnum coit, eſt vetuſta arx Comaron, quam noſtri nunc opere & aggere terreo circundederunt: & ne hoſtes poſſent aduerſo flumine nauigare, vtrumque fluminis alueum tribus ordinibus trabium obſepiuerunt, tanto interuallo diſtantibus, vt nulla nauis, niſi ſub arce, vbi ſpacium relictum eſt, pertranſiret. hoc loco noſtræ copiæ, quæ ſanè quàm exiguæ adhuc ſunt, conſederunt: quid autem acceſſurum ſit, malò vos ex re ipſa aliquando, quàm ex noſtra ſpe cognoſcere. Viennæ tamen omnia præparantur, quæ ad obſidionem tolerandam opportuna ducuntur. vallum, foſſæ, turres reficiuntur. præter alia iampridem cogitata munimenta, ante portam quæ in Carinthiam ducit, & alteram qua in Hungariam itur, quæ omnium hoſtium ictibus apertè patebant, propugnacula ex trabibus, lignis, & terra figura triangulari ſuſcitantur. Ciues vxoribus & liberis quoquò verſus ablegatis, quàm multi è ſuo corpore arma ferrent, numerum inierunt. Conſcripſerunt adhæc vnum vexillum militum, qui nunc vnà cum ipſis pro portis & turribus excubant. Mauritij Saxonis ducis, Reipub. Nurenbergenſis, & Antonij Fuggeri cohortes ſingulæ in ſuburbijs collocatæ ſunt. præter has tres aliæ paulò ſuperius, in ripa Danubij, vnde ſtatim in vrbem recipi poßint, aliorum ſociorum auxilia indies expectantur. Item Italorum adhuc quatuor millia. Poſtridie Cal. Auguſti, equites quingenti luſtrati ſunt, qui neſcio an vrbi præſidio manſuri, an ad reliquum exercitum exituri ſunt. Maiores naues hìc inſtruuntur decẽ: ſex ſunt biremes, reliquæ myoparones.

Sunt

Sunt Camaroni minores nauiculæ, ſiue celoces, numero XL. Hic eſt apparatus noſter naualis, contra triplo maiores copias hoſtiles: reliquæ naues quæ non exiguo numero hic vel in nauali, vel in Danubio ſunt, niſi inſtruantur, aut ſubmergendæ erunt, aut igne conſumendæ. In ſumma, omnia hic feruent, videas tota vrbe arma expediri, feſtinari, ingentes trabes, quæ de ſolutis ratibus in ripa Danubij iacent (vnde etiam, ſi neceſsitas poſtularet, vel quantum totius muri ambitus continet, rurſus vallum conſepiri poſſet) conuehi: ligna item & faſces in pluteos frumenta, farinam, & aliam annonam, denique nihil non intra vrbem & mœnia deportari, quémque pro ſe ſedulò niti, inæqualia & foſſas, quæ olim ſuburbijs circumdatæ erant, adæquari & complanari. Ex alia parte, ruſticis iã præſcriptum eſt, quò quiſque debeat aut fugere, aut ad reſiſtendum conuenire. In agris duntaxat meſſem triturant, vel ſerunt rurſus, ne poſt hoſtium diſceſſum inopia laboretur. reliqua quæ in loca munita conuecta non erunt, à noſtris corrumpentur. ſic ſunt quidem in agris ruſtici, ſed ſine vllo inſtrumento, quod non ſit neceſſarium vſui quotidiano. ſigna itaque & ignes è ſpeculis & montibus obſeruant, ad quæ, vti edictum eſt, in tutiora fugere, & ſeſe ſeruare poſsint. Dicitur Turca ducẽta viginti millia in armis habere: in quibus etiam Tartarorum XXIIII. millia, homines truces & feri: nulli tamen generi pugnæ, niſi ad vaſtandum agros, idonei. horum noſtri qui Albæ in præſidio ſunt, mille, dum incautius prædantur, interfecerunt. Rex verò Ferdinandus iam cœpit ex Bohemia verſus Dirnauiam mouere, eſt id apud Vagam fluuium, poſt Morauiam primum oppidum Hungariæ, dicitúrque magnum exercitum trahere. Certè ſi Turcæ (quod nunc creditur) ſegnius oppugnent (fama enim eſt, eos peſte, dyſenteria & fame, quoniam omnia circa Strigonium & Budam vaſtata, deſerta & inculta ſint, laborare) neque huc veniant, noſtri obuiam prodibunt. Quæ tamen omnia ex euentu pendent. parua enim momenta, etiam maxima conſilia in bellis mutare ſolent. Miſsi erant centum foſſores aurifodinarum, vt Strigonium nauigarent. His nunc alij ducenti acceſſerunt. verùm cum ſeriùs veniſſent, neque Strigonium tenere poſſent, hîc retenti loco huius vrbis ſuſpectiſsimo, poſt monaſterium fratrum Minorum, ab interiori parte fodere cœperunt: hoc opus vel ad deſcenſum in imam foſſam, vel ad erigendum propugnaculum, vel quod magis credo, ad cuniculum eiaciendo igni, inſtituitur: vt ſcilicet tota illa pars, quæ maximè de oppugnatione dubitatur, extra muros in aggere, cuniculo ſit ſuffoſſa, vnde oppugnaturi, ignibus, malè mulctati à mœnibus deturbentur. Hæc hactenus. quæ verò ſequentur, ſi non tam fama conſtabunt, quàm oculis videbuntur, non committam vt minus curioſè ad vos perferantur, Valete, Viennæ Nonis Auguſti. Anno.

1553.

IOAN.

IOAN. MARTINVS STELLA GVLIELMO ET Michaëli fratribus, S.

ET ſi ſciam non iucundiſſimum nuncium me vobis eſſe allaturum, tamen cum fortuna: quam nemo effugere poteſt: & ſuperi, qui cuncta prauiderũt, in omnib. dominãtur: viſũ eſt, quoquo modo iſta ſeſe haberẽt, eorũ vos quàm veriſſimè poſſem, certiores reddere. Audiſtis igitur ex ſuperioribus literis meis, nõ ſolùm obſidionem, ſed & oppugnationem Strigonij: nunc verò (tanto miſerius & indignius, quantò minus timebatur) vel expugnationem, vel deditionem, vel etiam ſi vultis, deſertionem audietis. Quid enim aliud dicam? aut quid conquerar? aut quem incuſem? Sed malo vt vos culpam dijudicetis: ego quæ hic dicuntur, & quæ acta ſunt, vt potero deſcribam. Principiò cum cœptum eſſet obſideri Strigonium, nunciabatur non ſolùm in vulgus, ſed mandato regiminis, ſenatúsque Regij, etiam in concione dicebat Epiſcopus Fridericus Nauſea, vir & pius & eloquens, quàm fortiter, quàm ſtrenuè, quàm viriliter ſe gererent obſeſſi: non ſolùm primam illam oppugnationem, in qua noſtrorum ſoli decem obierant, de qua prius, illam concionem ſecutus, ſcripſi: ſed præter illam, tres alias violentiſſimè repuliſſent: multa millia Turcarum, duos etiam Baſſas occidiſſent, de reliquis benè ſperarent: obſidionem ab hoſtibus deſperatione obtinendi loci, vel nunc deſeri, vel mox deſertum iri: bombardas iam ſecundo flumine (vt alia taceam) remitti. Hæc inquam in concione die Dominico, qui erat pridie Iduum Auguſti, prædicabantur: preces, laudes, hymni & cantus, ac modò non triumphus agebatur. Iam ciuium vxores & liberi reuertebantur: à multis quotidie quoquo verſus literæ rei feliciter geſtæ ſcribebantur. Quin etiam inſtituta iam opera ſegniùs adminiſtrari, ruſtici in agros cum inſtrumentis & ſuppellectile reuerti cœperunt. In ſumma, omni metu ac hoſtium pauore amoto, priſtina vrbis facies reddita, decorq; & ſplendor reſtitutus videbatur. Sed ecce, vix erat dimiſſa concio, primùm mœſtum ſilentium totam vrbem inuaſerat: murmur deinde ac rumor incerto authore, poſtremò aperta fama ac deploratio perditi amiſſique Strigonij. Et quod miſerrimum erat, neque quo modo noſtri perijſſent, neque quid hoſtis ageret, quàm mox nos oppugnaturus eſſet, aut quem modum victoriæ ſtatueret, ſciebatur. Et cùm die Mercurij, qui erat quinto Idus Auguſti, deditio facta eſſet, nos hic die Dominico ſequente, Te Deum laudamus, pro Io triumphe cantabamus. Mirum ſi hoc primores ignorabant, in tanta vicinitate loci: ſolùm enim abſumus XXV. *miliarib. Hungaricis, ac poteſt totum hoc iter vehiculo ciſio intra* XX. *horas confici. Si ſciebant, neſcio quo conſilio populum vana alacritate & ſpe falſa erigebant. At quid dixi ignorabant? cum acrem illam oppugnationem in diem Iouis conferrent, quo die noſtri armis exuti, & ſub iugum miſſi erant. Reliqua erant multo atrociora, cùm alij præfectos proditionis, alij primores vrbis malæ conſcientiæ, plurimi magiſtratus ignauiæ, velut cauſam omnium malorum, accuſarent: neque mihi quicquam à ſeditione, præter auctores, abeſſe*

abeſſe videbatur. toto deinde triduo, ita incertis rumoribus, tota vrbe atrociſsima & dicta & credita ſunt, vt etiam referre mihi ipſi ſit moleſtum. Cæterùm quod ad amiſsionem ipſam pertinet, ego pro eo atque in talibus ſum curioſus, à Germanis & Hiſpanis, qui ad nos reuerſi ſunt, diligenter & ſedulò edoctus, rem omnem ita ſeſe habere credo. Cum iam Turcas Budam appuliſſe conſtaret, omnes ciues Strigonienſes deſerto oppidulo, alij aliò aufugère, equites trecenti trans flumen in pacata abiere. Itali verò, qui ſub Franciſco Salamanca Hiſpano militabant, numero quidem ſexcenti, ſed inter quos vix quingenti, ætatem & animum haberent militarem, difficulter tandem perſuaſi, in arcem ſunt ingreſſi: quæ res non mediocriter animos Turcarum auxit, cum neque oppidulum ſine bombardis, quæ adhuc retro erant, vti aliqui putabant obtineri, neque ſine illo arx obſideri potuiſſet: deinde ſi illinc aliquandiu vim repuliſſent, potuiſſent interea noſtris ſecundo flumine plura auxilia ſubmitti, neque claſsis noſtra quæ ibi portum & firmam ſtationem habebat, Turcis conceſſiſſet. per hanc enim ſemper potuiſſent, præſidio obiacentis inſulæ, ſeſe in arcem tutò recipere. noſtri ergo oppidulum, cuius nullam ſpem retinendi habebant, excuſſerunt & diruerunt. Turcæ aduentantes, in ruinis & vicinis locis, intra iactum vnius bombardæ tendebant, nullo noſtrum impediente: ne ſi vlla ſubſidia in itinere eſſent, bombardarum ſonitu percellerentur, auerterenturque. Hoc enim Iuliano Salazario pro teſſera dederant, ſe maioribus machinis ante aduentũ claſſis Turcicæ non vſuros. Congrediebantur nihilominus quotidie leuibus prælijs, cum equitibus & lixis: qui, cùm noſtri ocioſè ſeſe obſideri paterentur, incautius liberiúſque caſtra metabantur. Tertio demum die, circiter trecenti milites Germani, duabus onerarijs nauibus, vnà cum puluere, & reliquis ad obſidionem neceſſarijs ſunt recepti. Id Turcæ obſeruantes, etiam fluminis ripas, ne auxilia ſubmitterentur, obſederunt. Erant igitur noſtri iam omnes in vnum coacti, paulo plus minus mille trecenti, qui ne pro paucitate ſua pluribus quàm opus erat, locis diſtinerentur, quædam velut arcis ſuburbia, exuſſerunt. Erant etiam cum noſtris ferè quadraginta Heydones (ſic appellant Hungari ſuos bubulcos, hominum genus ferox, rapinis & latrocinijs aſſuetum: qui quòd ſemper ſub diu, niuibus & imbribus poſt armenta aſſueuerunt, optimi milites exiſtimantur) hos præfectus arcis, paulò ante obſidionem trans flumen vſque Maruſium, quod è regione Vuizigradi eſt, miſerat. Vnde per notos tramites recurrerent, ac aduentum claſsis Turcicæ nunciarent: ne, ſi auxilia à noſtris in itinere eſſent, errore teſſeræ ab hoſtibus interciperentur. Verùm illi, neſcitur ſanè dolóne an timore, aliò ſunt auerſi. Noſtri cum iam nihil ſubſidij amplius ſperarent, omnia extrema experiri ſtatuerunt. Principiò Turcas, qui liberiùs, vti dixi, caſtra metati erant, bombardis & ſclopis tanta iactura affecère, vt tentoria & prius occupata loca, deſerere ac retro cedere fuerint coacti. Quare ex longinquo vineas agere, aggeres & moles

e les

les iacere, operáque quæ ad bombardas neceſſaria, præparare, ac totum illum tractum orientalem, à mole ſiue caſtello aquæductuum vſque ad colliculum, quadraginta magnis bombardis æneis, ac munitioribus ferè trecentis, quatere cœperunt: & ne vllum noſtris tempus reſpirandi daretur, ita ſibi inuicem per vices ſuccedebant, vt quæ modicè ſparſim & crebris ictibus, à minoribus labefactabantur, ea maiores vno eodem tempore emiſſæ, funditùs conuellerent. Habebant etiam aliquot bombardas, quas à ſimilitudine mortaria appellant: his multam ædificiorum ruinam & ſtragem ediderunt. Templum, quod etiam pro munimento erat, ita comminutum, vt fornix & tota moles corrueret: ac aream arcis, cui obiacebat, ita denudaret, vt eam planè ſub conſpectum hoſtium è colliculo proximo, quem diui Thomæ appellabant, daret. Alias præterea partes continuis diebus & noctibus ita concuſſerunt, vt non ſolùm propugnacula ſolo æquarent, illorumq́ ruina foſſam propè implerent, verùm etiam murum interiorem ita complanarent, vt nemo ſe ex vlla parte auderet oſtendere: ſed quo ſe ab ictibus tutarentur in vicinis locis, pars humi poſtrati, pars ſub tabulatis quæ in muris hærebant, hoſtis aſcenſum expectabant. Interea dum nemo noſtrorum in muris ab illa parte conſpicitur, Zenitzari (quod genus militum Turcarum ſelectiſſ. maximámque virtutis opinionem habet) tranſuerſis tramitibus contra montem, aut vineas agebant, aut ſibi iter ad oppugnationem per foſſas, quas trabibus & tabulatis, inſtratis ſtorijs, contra ſaxa & ignes noſtrorum cooperiebantur, præparabant, quo ad muris & penitus ſub ipſa munimenta ſubierunt. Hinc contis, marrhis & roncis noſtrorum pluteos, & iam recens in locum diruti muri extructa opera reuellebant, terrámque velut ſubter furabantur. Cùm hoc modo per dies aliquot, hoſtes ſe & ea quæ ad oppugnationem neceſſaria præparaſſent, octauo Idus Auguſti ante exortum ſolis, ſignum oppugnaturis datur, concurritur vndiquaque: alij per anfractus & ſecretò extructos tramites: alij, quia noſtros multitudine opprimere poſſe ſperabant, etiã apertis vijs & plenis cãpis, magno (qui mos eſt gentis) vlulatu et truci clamore omnia complentes, accurrerunt ſummiſque viribus quiſque pro ſe primus inuadere nitebatur. Adſunt ſpectatores & hortatores duces, quibus quiſq; ſuam virtutem quàm teſtatiſſimã volebat eſſe. noſtri contrà ſe omni genere telorũ defendere, neq; vllum in tanta multitudine, etiã temerè iactum, irritũ cadere, ſclopis iaculari, haſtis, cõtis de loco protrudere. Erat noſtris præparata magna vis globorum, ex pice, ſulphure & puluere tormentario, quem ignem artificialem milites appellant: hoc genere teli immenſa vis hoſtium interfecta & conſumpta eſt. quicquid enim vel ſolo attactu corripuerit, ad viuũ planè amburit: ac ſi quis à ſe decutiat, ipſa agitatione magis accenſam peſtẽ in proximum reijcit, contagioneq́ corrumpit. & eſt hoc malũ Turcis multo formidabilius quàm alijs, quòd pauci galeis, plerіq; lineis in capite tegminibus vtãtur. mulieres etiã & pueri, pro defenſione malleis & vectibus ſaxa ſepulchrorum reuellere, ac trans murum in hoſtes, ex ſuperiori loco deorſum

per

per decliuia montis proijcere: hi pro ſalute, illi pro victoria cuncta conari. Hoc pacto ſummo ardore, octo totas horas, cum interea ab hoſtibus ſepties feſsis recentes ſubmitterentur, contra noſtros, qui pro paucitate ſua, corona & in orbem propè pugnabant, certabatur. tandem hoſtes, vt conatum ſuum irritum eſſe vident, ſuos cum maximo damno à muris receperunt: noſtri verò victoria recreati, vt ex captiuis reſcirent, quantæ copiæ, & an ne ipſe Solymannus in caſtris eſſet, per caſtellum aquæductuum eruperunt. hoc loco ipſa nouitate audaciæ hoſti terrorem incutientes, alios ad naues, alios aliò fugarunt: reliqui deinde de muris, bombardis, ſclopis & ſaxis inſecuti, per decliuia montis in præcipitia deturbarunt, creduntúrque in ſola ea fuga propè quingenti perijſſe. præter hæc, copiarum naualium, quæ eodem pars oppugnatum venerant, pars bombardas in inſulam detulerant, multi cæſi, & XIII. celoces ſubmerſæ: neque magni negotij fuiſſet, earum pluribus potiri, ſi noſtri pro paucitate ſua, longius inſequi fuiſſent auſi. ita tamen hoc die varijs in locis pugnatum eſt, vt tria millia hoſtium occubuiſſe crederentur, præter ſauciorum infinitam multitudinem: quos noctu in caſtra, cùm noſtri pugnam extra munimenta committere non audebant, camelis & equis reuexère. noſtrorum verò tam ex pugna quàm incendio, propè ducenti vel vulnerati, vel occiſi. in medio nanque feruore pugnæ neſcitur dolo an caſu ab hoſtibus iniecto igne, conflagrauit turris vna, vbi multum pulueris, picis & aliarum rerum velut condo repoſuerant. Sed neque hoc labefactabat eorum animos, quin poſteaquam iam paululum laxamenti ad reſpirandum, corporáque curanda datum eſſet, intus collapſa repararent, inſtauraréntque: tacita tamen quædam indignatio, mixta ſuſpicione & metu, animos occuparat, quòd paucis antè diebus adoleſcens quidam, qui iam primùm arma geſtare incipiebat, ex Taurinis, non adeò magnæ experientiæ in re militari: poſt hunc verò Italus quidam ſenex, cui inter milites nomen erat Presbyter, Italicè el miſſer, natione Calaber, vir ſpectatæ fortitudinis, & de cuius fide nemo vnquam dubitaſſet, transfugerunt. ſenis huius conſilio milites credere, priores cuniculos inſtitutos, & turrim illam incenſam fuiſſe. erat tamen omnibus vna ſententia, extrema experiundi. Sub noctem huius diei, ac poſtridie quo pugnatum fuit, Turcæ rurſus velut de nouo iaculari: ea omnia quæ inter oppugnandum obſtetiſſe viſa erant, petere. ex inſula etiam molem illam ſiue caſtellum aquæductuum, ſummis viribus oppugnabant: idq; adeò erat, quod fama ad nos retulerat, bombardas ſecundo flumine rurſus ablegari. noſtri illo die caſtellum fortiter defenderunt, ita tamen vt mandatum eſſet, quòd ægri, infirmi, & mulieres ſe in ſuperiorem arcem reciperent: ne, ſi rurſus pari pertinacia oppugnatum hoſtes venirent, aliquid periculi ex illorum tarditate acciperetur. Tertio deinde ab hac oppugnatione die, quæ erat, vti antè dixi, quinto Idus Auguſti, cùm vndiquaque iaculationes fierent, hoſtes iam ſub ipſo muro tutò ſtarent (quòd nullis propugnaculis collateralibus arx extructa

 eſſet)

eſſet) neque iam quicquam auxilij ſperarent, multum de animi fortitudine ferociaq́; priſtina remiſerunt. omnibus tamen propoſitum erat, pugnando potius mori, quàm indignis conditionibus locum deſerere. Cùm hoc ſtatu rerum caſtellum aquæductuum acerrimè oppugnaretur, alijs vel magnitudine periculi torpentibus, vel deſperatione rerum omnium mortem pro alleuiatione expectantibus, Italus quidam Ciſenas agri Romani, quem ſui commilitones presbyterum à maſſa appellabant, vexillifer cohortis quæ ſub Ioanne Baptiſta Marſſo ſtipendia faciebat: cum videret ſuos in tam arctum cogi, vt munimenta contis ſubtraherentur, & ſentiret omnia vndiquaque cuniculis peti, ratus totam arcem ſuffoſſam eſſe, commilitonibus ſuis, neſcio ſanè an fraude, an quia aliter noſtris conſuli poſſe non putabat, edixit, vt à iaculatione ceſſarent, ipſe duobus comitatus, de muro ſe in caſtra hoſtium demiſit. perductus ad proximum Baſſam, petijt vt deditionem omnium nomine, ſaluis rebus & armis facere, deq́; ea publica fide paciſci liceret. Qua conditione data & accepta, duobus Turcis comitatus, in arcem redit: & Franciſco Salamancæ ſuo præfecto, Turcæ mandata, & quæ cum illo egiſſet, exponit. Quæ omnia quanquam perfidè fortaßis ab ipſo vexillifero acta non ſint; ſed cum locum retineri poſſe diffideret, atque tot fortium virorum interitum abſque vlla vtilitate, videre nollet, ſua ſponte prodijſſet, idq́; egiſſet, quod neceßitas cogebat: tamen cum ea inconſultis reliquis tractaſſet, non deſunt qui Salamancam reprehendunt, cur non ſtatim, quòd nemo iniuſſu ducis de præſidio exire, neque de priuata, aut communi ſalute, niſi imperio ducis aut conſenſu omnium ſtatui debeat, adſtabiliendam diſciplinam militarem, exempla in eum ediderit. Dum iam cum duobus Turcis agitur, interea per totos muros torpor quidam mixtus pauore omnium mentes inuaſerat. Laſcanus (quem iam poſt hoc infortunium calumniantur nomen familiæ, quam ex matre ſolùm attingit, aſſumpſiſſe, ex domo Moricarum aliàs prognatus) tametſi ſaucius, alia tamen alijs in locis procurabat: & cum veteranis, quos varijs locis diſpertiuerat, colloqui ſtudebat. vt cum ſciret omnibus mortem chariorem, quàm vlla conditione locum deſerere, cui diu aſſueuerant, & vbi fortunas omnes habebant (multi nanque erant, qui hanc alteram Turcarum obſidionem pertulerant) per illos poſſet alios animatiores reddere. ſed cum plerique militum animos deieciſſent, neque ipſe neque Salamanca quidquam ſalubris monere potuerunt. metuebant enim, ne ſi quicquam in vexilliferum ſtatuiſſent, reliquos omnes Italos in ſe concitarent: præſertim cùm neſcirent, quàm latè hoc malum ſerperet, & ſalutem ſingulorum, in concordia vniuerſorum poſitam viderent. Nihilo tamen minus, ex altera parte Turcæ ab oppugnatione inferioris caſtelli ceſſabant. Accurrit igitur eo neſcio quis, qui & noſtris & Turcis, ſilentio facto, ceſſationem ab armis indicit: clamitans, illa eſſe contra iam pactas conditiones, & datam fidem. Noſtri, qui adhuc incolumes ſupererant, ſe in ſuperiorem arcem, vti iußi erant, recipiebant.

Turcæ,

Turcæ, nulla pacta curantes, quaſi victis noſtris, caſtellum inuadunt. Quæ res obſeſsis non multo arctiorem obſidionem, ſed deſperationem auxiliorum, ſubſidiorúmque adferebat. diſtento tamen hic hoſte, Salamanca de conſenſu aliorum, de præſidio egreſſus, ad Turcam eſt adductus, vbi quid aliud actum ſit, neque ſciebant noſtri milites, qui reuerſi ſunt, neque aliud fama ferebat. Cæterum cùm prohibitus ab hoſtibus in arcem redire, apud eos in caſtris pernoctaſſet, poſtridie, qui erat dies Iouis, quarto Idus Auguſti, miſit diploma Turcicum, quo pacta illa ſuperiora, ac obſeſsis liber abitus, cum rebus omnibus & armis, permittebatur. Iuſſus eſt etiam Laſcanus, ad Turcam claues arcis deferre. concurritur itaque ac cuſtodijs murísque relictis, diſpicit vnusquiſque, quid potiſſimùm inter multa impedimenta ſecum auferret. Erant præterea multa illic à mercatoribus, exercitus noſtros ſuperioribus annis in Hungariam ſecutis, depoſita: quæ primùm noſtris, deinde Turcis, in prædam conceſſere. Dum igitur omnia per arcem conuaſantur, ac ſeſe agmen velut ad profectionem componit. Turcæ vndiquaque ad diripiendum, munitiones ſuperantes, noſtros circumſtetere: qui mœſti in terram demiſſo vultu, ſibi mutuò valedicebant, modo arma, quæ mox traditurì erant, modò loca quæ relicturi, extremum aſpiciebant: neque amplius vllam vitæ ſuæ, aut honeſtæ mortis conditionem expectabant. occurrebant animis exempla Socloſiæ & Vualpo, quantum pactis huiuſmodi credere deberent. Sperabant tamen adhuc, neque diffidebant, quin cum primi in eos non irruiſſent, etiam in reliquis fides ſeruaretur. Vbi verò adſunt, qui iubent ſclopos, haſtas & bipennes, in proximam foſſam, qua noſtri contrarium cuniculum inſtituerant, abijcere: omnium vultus non aliter, quàm ad præſentem mortem, mutabantur. Cùm verò portam egreſsis alij adſunt, qui gladios adimunt: poſtremò vbi in vicum peruentum eſt, cætera illis arma, galeas, caſsides, thoraces, & quod ſupererat detrahunt: nullum vulgare genus mortis, ſed exquiſitæ cuiuſdam crudelitatis expectabant. Attamen tandem cum diu ſecum Solymannus deliberaſſet, præter omnium opinionem, ac ſuam conſuetudinem, vt ſcilicet fama clementiæ alijs præſidijs pari modo potiretur, vitam illis incolumem ſeruare decreuit: ſed priuſquam dimitteret, ad ludibrium nominis Chriſtiani, omnium iniurijs contumelijsq; expoſitos, poſtridie nudos & inermes turmatim, rurſus in arcem, additis Turcis, qui fuſtibus latera detunderent, imbelliamq; exprobrarent, ad cadauera ſepelienda, foſſas rurſus curandas, ruderáque mœnibus decuſſa, in arcem referenda, deniq; omnia purganda, duxit & reduxit. Poſtremò, per interpretem interrogauit ecqui ſecum militare, præmia, equos, & arma accipere vellent: quam conditionē non pauci acceperunt, metu fortaſsis mortis non aliter euadendæ: alij ne nimis quidem ad hoc, neque terrore mortis adduci potuerunt. quorum nonnulli, dum pertinaciùs renuunt, interfecti: pars non ſine noua iniuria, trans flumen vecti. horum alijs vxores abductæ, alijs coràm per vim ſtupratæ: alijs qui vim violentiùs ferebant,

bant, in fluuium abiectæ & ſubmerſæ. pueruli etiam, quorum ætas iniuriæ adhuc obnoxia non erat, neque aliàs idonea vt inter Zenitzaros tyrones deſcriberentur, in flumen præcipitati. Vidi ego hîc vnam mulierem, cui cum tricis etiam crines euulſerunt, dum ſe in Danubium deiecit, ac ſingulari in maritum fide & amore ad nauem adnatauit. Poſtquam traieciſſet miſerabile & inerme agmen Germani, Hiſpani & Itali permixti, laboribus, fame, vigilijs, itinere & ſuſpirijs conſumpti, Schindam proficiſcebantur. Vbi autem res hæc vti geſta erat, clarius Viennæ reſcita eſt, indignatio & metus ſimul omnium corda cogitationéſque occupauere. alij negabant tectis aut mœnibus recipiendos, tam imbelles, ſiue infidos ſocios: alij etiam laudabant, quòd ſe melioribus temporibus, cum ſuam mortem nulli vtilem fore cognoſcerent, conſeruaſſent, præſertim cùm tam pauci, tam amplo caſtello tutando, contra tam potentem hoſtem impares fuiſſent. Vtut ſit, ipſi Duces, cum reliquias ſemilaceri exercitus Poſonium vſque deduxiſſent, in vincula, facti ſui rationem redditurì, ſunt coniecti. Turca hac victoria lætus, ad Comaronem vſque proceſſit: ac caſtellum Thata, quod è regione eſt, in ſuam poteſtatem etiam deditione redegit. Dicebatur quidem hîc facta proditio: cúmque Cancellarius regius mihi dixiſſet, ſe rem omnem vti geſta erat, narraturum, quia eadem nocte eius vxor obijt, nolui ad mœrorem moleſtias addere. Cæterùm Turca eam demolitus, retro iter Albam regalem flexit: quòd ſibi ad nos, propter paludes circa Altemburgum, eſſet iter minus expeditum. Illa etiam fama indies magis magíſque confirmatur, quòd parte copiarum Albam, reliquo exercitu nos ſit oppugnaturus: quæ qualia erunt, ſi ante obſidionem alias literas mittere potero, curabo ne ignoretis. Rex iam ex Bohemia verſus Morauiam mouet: quanto autem exercitu, & quibus copijs, adhuc ignoramus. Nos hîc ſedulò vrbem munimus: in quo Leonardus à Felz, Regius legatus, omnem operam induſtriámque diligenter nauat. Valete, Viennæ: octauo Calend. Septemb.

IOAN. MARTINVS STELLA GVLIELMO ET Michaêli fratribus.

VVlgò dicunt, mala nuncia ſemper ſatis maturè nunciari: adeò vt non debeam vereri, ne vobis videor tardior aut negligentior, dum curioſè ſtudeo, vt quæcunque hîc aguntur vel dicuntur, quàm veriſsimè referre: præſertim cum nihil tale nuntiare poſsim, vbi debeam metuere, ne vos alius gaudio præoccupet. Ego tamen in alia ſum atque vulgus opinione, qui qualiacunque ſint, quàm primum cupiam reſcire: vt ſi bona, tanto gaudeam diutius: ſin mala, poſsim maturius proſpicere, méque aduerſus ea præmunire. Vt igitur intelligatis, quàm nulla hîc ſit à malis reſpiratio, alleuiatióque miſeriarum, ſtatui vobis ea ſcribere, quæ hactenus poſt fœdam illam Strigonij amiſsionem ſucceſſere. Inter dedendum itaque & tradenda arma, cum noſtrorum militum ſclopi in locum

cum vnum conijcerentur, temerè factum eſt, vt funes fomentarij, quibus ignem ſeruant, & lagenulæ ſclopetariorum eodem congererentur. ſic malè extinctus ignis, in comminutam fortè ipſo caſu thecam incidens, omnem vicinam ſulphuream materiam corripuit: vt ea res Turcis multis exitio, noſtris ſummo pauori fuerit. Cum igitur pars noſtrorum portis emiſſa, pars adhuc incompoſito ſtaret agmine: plurimi, metu ne caſus huiuſmodi aſſignaretur illorum culpæ, quo præſentem mortem euaderent, inter tumultuandum alius aliò per arcem diffugêre. Horum nonnulli his diebus poſtliminio reuerſi, vnà cum Hiſpanis aliquot, qui quarto ab hinc anno in ſinu Patrenſi apud Præuiſam, vti dicebant, fuerant intercepti: inter quos erat nobilis quidam filius N. Figaroæ, qui tam liberaliter ſeruierat, vt patrem, cum quo captus fuerat, ſingulari pietatis exemplo, ſeruitio liberârit. Ex his ſanè intellectum eſt, quanta peritia eſſet rei militaris apud hoſtes, & quàm longè nos & ſcientia & patientia, laborúmque tolerantia, ſuperarent. Ne enim referam, quibus artibus, & qua fortitudine arcem munitiſſimam, intra XVIII. *dies, quam noſtri vix intra annum expugnari poſſe ſperabant, obtinuerint, cuniculíſque in loca arcis etiam noſtris incognita peruenerint, ea ſolùm quæ ſubſecuta ſunt, deſcribam. Cum igitur ſpe ſua & omnium opinione celerius, loco munitiſſimo potiti eſſent, non ceſſandum rati, ſed victoria pro inſtrumento ad debellationem vicinorum vſi, ad Tatha & loca circa Comaronem exercitum duxere. Erat Tathæ præſidium noſtrorum ſatis firmum, partim Germanorum, partim Italorum. Italis præerat Annibal Taſſo Bononienſis, ductor cohortis, quæ ſub nobili adoleſcente N. Goniadino, equite Bononienſe militabat: Cui Philippus Torniellius hunc honorem tribuerat, propter egregium virtutis ſpecimen, editum ſuperiori anno in oppugnatione Peſthi. Erat autem Annibal cætera quidem vir multæ experientiæ in rebus bellicis, ſed vitæ corruptiſſimæ, & in Deum ac diuos omnes blaſphemus maximus. Ne illa tamen dicam, noſtri non expectata oppugnatione, hoſtibus arcem tradidere: qua fide, quibúsue conditionibus, nondum potui intelligere. quàm tamen fortiter, hinc ſcire poteſt, quòd eum Torniellius ſupplicio capitis affecerit. Turcæ demoliti arcem, retrò iter flectentes Albam obſederunt: quæ ideo cognomen Regalis habet, quòd ibi Reges Hungariæ inaugurari & ſepulchris condi ſolent. Ego Albæ nunquam fui, eius tamen ſitus mihi talis deſcribitur. Vrbecula ipſa exigua, vndequaque cincta altiſſima & latiſſima palude, præter vnam atque alteram, aut ad ſummum tres vias: quæ per eminentiores vel natura vel opere excitatos aggeres, in oppidum ducebant. per has ſolàs facultates dabatur oppugnandi: & erant hæ viæ quàm ipſa vrbs, ædificijs frequentiores. noſtri, quæ ſibi obfutura opinati erant, prius fuerant demoliti. vnum ſuburbium operibus, de ipſo oppidulo parùm ſoliciti, foſſis & vallo validiſſimè muniuerant. erat adhæc eo loco monaſterium quoddam, cuius templum & turrim pro arce in ipſis munimẽtis conſtituerãt. Vnde hoſtib. multa incõmoda, magnamq́;*

Annibal Taſſo Bononienſis.

Albæ deſcriptio.

magnámque cladem intulerunt. Principio obſidionis ſimulabant ſe extra has munitiones ædiculam quandam ſacram, velut frontem retinere velle. eam Turcæ non ignari quantum ſibi allatura eſſet vtilitatis, ſummis viribus oppugnabant. noſtri quaſi inuiti locum deſerentes, diu reſtitere: & tandem tanquam fruſtra repugnaſſent, ſe ad ſuos recepere. Hunc hoſtes velut cuneum habituri, contra noſtros etiam munire, & bombardas eò adducere cœperunt. Interim ignis ſub materia ac alijs velut temerè deſertis, ſubitò accenſus, & ædem illam ſacram diſcuſſit, & hoſtes multa clade malè mulctauit. Noſtri in hanc occaſionem intenti erumpentes, omnia longè latéque turbauere: & poſt multa damna illata, victores in oppidum rediere. ceciderunt in pugna illa tumultuaria multi nobiles ex Turcis, ac inter eos maximæ exiſtimationis Baſſa quidam eunuchus. captus etiam eſt vnus ex bombardarijs, vt verbo militari vtar, quos Rex Galliæ illi tranſmiſiſſe dicebatur. Verùm hoſtes nihil eò animis remiſsiores, omnia quæ ad obtinendum locum opportuna putabant, adminiſtrare: contra illud monaſterium, quod dixi, etiam ipſi altam molem, lignis & terra congerere: pontonibus & tabulatis, per paludes iter inſtituere. Erat vicinum nemus quoddam: hinc ſexcentis quotidie curribus, tantum cæſæ materiæ conuehere, vt paludem, quam noſtri hactenus niſi hyemis rigore duratam, inuiam & inſuperabilem putauerunt, minori ſpacio quàm duodecim dierum, plurimis locis ſibi peruiam effecerint. Hinc effoſsis tranſuerſim ſemitis, ad foſſas ſub ipſum vallum acceſſerunt. cúmque iniecta terra & materia, ſibi ad noſtras munitiones iter ſtrauiſſent, quater conati ſunt, ſi per vim irrumpere & locum expugnare poſſent. verùm & opportunitate operum, & noſtris fortiſsimè contrà reſiſtentibus, cum conatus ſuos ſupra vires eſſe vident, intermiſere. Erat enim inter alios cum noſtris Octauianus Scruzatus Mediolanenſis, vir valde induſtrius, qui breui tempore ex terra & lignis, commodiſsima à lateribus propugnacula, quibus hoſtium adſcenſus impediretur, excitarat. Turca volebat excitata alia in contrarium mole, multo quàm noſtræ erant altiori, iſtas defenſiones noſtris adimere: ſed neque ſic efficere potuit, vt munitiones deſererentur. Talis erat rerum ſtatus vſque ad Calend. Septembr. Poſtridie verò cum dies ſereno & claro ſole illuxiſſet, repente excitata (vt hîc vulgus fert, arte magica, vt mihi verò videtur, naturalis, vtpote loco paluſtri, & vbi magna hominum pecudúmque multitudo in anguſtum coacta erat) nebula & denſa caligo, omnia circa vrbem occupauerat, cum alijs locis mira ſerenitate ſol fulgeret. hoſtes hanc occaſionem non negligentes, quam occultiſsimè poſſunt, per vineas & opera ſua, ad noſtras munitiones accedunt: ac propè priuſquàm ad arma conclamaretur, in propugnaculum quod milites Germani ſeruabant, euadunt. oritur, vt in re inopinata & perdita, miſerrimus clamor: concurritur vndiquaque crudiſsima pugna, qualis in externis fieri ſolet, committitur. hi pro obtinendo loco, in quo omnem victoriæ ſpem: illi pro defendendo, in quo ſuam vitam & incolumitatem poſitam videbant, omnibus & extremis viribus contendebant. Sed ſuperatis noſtris, & multitudine & virtute hoſtium impetum

petum diutius ſuſtinere nequiuerunt. alij etiam, qui lõgius ab ipſo periculo aberant, minus pertinaciter (vti fit, vbi adhuc alia refugia ſupereſſe putantur) ſuccurrebant, & quomodo ſe in interiorem vrbem reciperent, diſpiciebant. Ab his igitur fugæ initio facto, etiam reliquos ſecum traxerunt, & hoſtibus faciliorem expugnationem, victoriamq; minus cruentam præbuerunt. Erat ingreſſus in vrbem anguſto inter paludes aggere, in quo oſtium ex clathris inſtar raſtri, modico ante portam interuallo, pro obice obiectum, & tunc neſcio an alicuius imperio, an temerè obcluſum erat. Noſtri igitur ex vtraq; aggeris parte ſe in aquam deiecere. quorum multi alto cœno & aquis, ſeſe mutuò demergentes, abſorpti: multi, in hac turba & anguſtijs, ab hoſtibus à tergo, cum nemo ad reſiſtendum vel vires vel animum haberet, conciſi, pauci vado aut natando in vrbem recepti. Neque tamen ibi ſeſe res aut melius aut ſanius habebant. occupatis nanque præſenti periculo & terrore omnium animis, nihil videri vel audiri potuit, quod in medium pro communi ſalute conſuleretur. Amiſsis enim ducibus, qui omnes, ac fortiſsimus quiſque, ceciderant: è Germanis Eraſmus Vuitzenberger, iuuenis omnibus liberalibus artibus ornatiſsimè inſtitutus, & de quo magna ſpes virtutis habebatur: ab Italis, Scruzatus, Ioannes Dominicus Torniellius, Carolus Secius Mediolanenſes, & Oſcaſallus Cremonenſis: his inquam occiſis, nemo erat qui vel multitudini imperare, vel alteri commodè parere ſciret. nihil tamen æquè ciues deiecit, atque mors ipſius præfecti Georgij Barchoth, viri integerrimi, & qui regiæ corporis cuſtodiæ multis annis fideliſsimè præfuiſſet. In hunc Turcæ etiam mortuum, ſuum odium & ſæuitiam exercuere: amputatum caput, & dextrum brachium, in fortunæ contumeliam, pro ſpectaculo circuntulerunt. Varij igitur intra vrbem motus animorum: alijs ſeſe dedere, alijs potius omnia tentare, ac vim vlterius repellere volentibus. tandem magiſtratus ciuium, vt quorum poſt hanc cladem maior procul dubio, quàm militum, & numerus & auctoritas erat, maluerant paciſcendo clementiam victoris, quàm irati hoſtis immanitatem experiri. Iudex igitur eodem die ad hoſtes egreſſus, deditionem omnium nomine, retenta rerum ſuarum vniuſcuiuſque cum libertate priſtina poſſeſsione, paciſcitur. milites etiam quocunque vellent, liberè profecturi, ex oppido ademptis armis dimittuntur: qui ex quatuor vexillis nominis Italici, & mille Germanis, (Heydones enim, quorum ab initio numerus ſupra millenarium fuerat, peritia locorum freti, alij alio, nullius expectato imperio ſibi per paludes conſuluerunt) ad trecentos redacti, ex equitatu ſatis copioſo vix ducenti ſupererant. his ex itinere Tartari, ſpe prædæ inſidiati, totum agmen turbauere: ita vt quiſque quà ſibi commodiſsimè poterat, fuga per paludes & ſyluas, ſalutem quærere cogeretur: qui ignari locorum & viæ, vel inedia in ſolitudine, vel ab ipſis Hungaris interfecti, plerique perire: pauci ad nos nudi, inermes, tetri, ſqualidi, vmbræ potius quàm homines, ac ſolùm non confecti fame, rediere. Turca principiò velut clementer cum deditis acturus, in vrbem admiſſus, ſepulchra regum viſitauit:

f uit:

uit. proponit deinde edictum, ne quid durius de ſe timeatur. non enim Hungaros debellatum, ſed à ſeruitute Germanorum veniſſe liberatum, quò poſſet regnum vero regi, legitimóque hæredi, Stephano ſcilicet filio regis Ioannis, pacatum & integrum reſtituere. Tribus deinde vel quatuor interiectis diebus principes ciues, velut ſolenne ab iis fidei iuramentum accepturus, in campum non procul ab oppido, quò corpora damnatorum deferri ſolent, euocauit. Quò cum omnes, quàm poterant ornatiſſimè, velut ad ſolenne feſtum inſtructi, conueniſſent: Turca nullius pacti aut conuentionis religione motus, ad vnum omnes interfecit. Hunc exitum habuit præclara illa & nobiliſſima totius regni ciuitas, omniſque Germaniæ velut alumna, & villa pecuaria: certè multo minoribus impenſis potuiſſet ſeruari, quàm vnquam poterit recuperari, niſi à nobis omnia adhuc imparatiora fuiſſent. Interea verò temporis dum adhuc circa obſidionem hærebat, quo vicinorum animos ab omni cogitatione ſubſidij mittendi auerteret, equitatum Tartarorum, cuius aliàs inter obſidendum modicus vſus erat, ad populandum proxima loca dimittit. hi ſtudio rapiendi incautius vagantes, ab Hungaris circunuenti, amiſſis ſuorum plus minus tribus millibus, malè mulctati, in caſtra rediere. fuit inſignis in hoc certamine, opera comitis Nicolai Yzrinij Croaci, qui cum principibus aliquot Hungariæ, Nicolao ſcilicet Kadounith, duobus Bartholemæis Horuuath, Emerico Vuerbecio, & Andrea Bathori, viris olim ſummæ inter Hungaros potentiæ & nobilitatis, pro patriæ recuperatione, omneſo frtunæ caſus ſubeundi, fœdus percuſſerat. Cæterùm vulnus ipſius Nicolai obſtetiſſe dicitur, quo minus nobilem de ſe victoriam Tartari præberent. Conuertit hoc loco omnium oculos in ſe, captiui vnius tetra & immanis barbaries, cui in pera annotina dimidia pars infantis bimuli adhuc de obſonio, nondum commeſta ſupererat. Alio loco æquè infeliciter Franciſcus Capolnaij, dum hoſtium excurſiones, agrorumq; vaſtationes, ſeptingentis equitibus prohibere conatur, cum pluribus congreſſus, vnà cum equo in terram collapſus, indignè, & ſummo multorũ, propter egregiã virtutem, mœrore eſt interfectus. Turcæ hac victoria læti, caſtra verſus Comaronem mouiſſe creduntur. eſt in itinere arx quædam Pappa, vbi noſter equitatus ſe antea continebat: hanc, nunc vel expugnarunt, vel certè oppugnabunt. Ego ſuperiorib. literis meis vobis ſitum Comaronis deſcripſi. Nos ibi in præſidio habemus reliquias Italorum, quos Philippus Torniellus adduxerat: qui interea nihil omiſit quod ad loci munitionem, vlla ratione facere poſſet. Miſimus etiã ſuppetias, reliquias ſcilicet Germanorum, qui à clade Strigonienſi in vnum colligi potuerunt. Nam Italos exauthoratos, vti intellexiſti, & ſtipendio fruſtratos, niſi quòd ſingulis aureum pro viatico numerarint, quò vellent, abire permiſerunt. Illos verò eò meliores milites fore ſumus arbitrati, quo minus clementiæ ab hoſte, contra quem iã ſecundò arma ferunt, ſperare poſſunt. Hæc ferè hactenus in Hũgaria geſta ſunt: contra quæ à nobis neſcio ſanè quàm ſalutaria, certè ſera præſidia comparantur. Rex nondum exercitum in vnum locum contraxit: neq; quãdo huc ſit ventu-

ſit venturus, certò ſcimus. Circa hanc vrbem habemus militum Germanorum ferè ſeptem milia, Italorum quatuor: quos Pont. Max. ductu Ioannis Baptiſtæ Sabelli, nobis ſubſidio miſit. Et quanquam ſit vir ille ſumma integritate & iuſticia, vt qui vnum è ſuis militibus propter furtum duorum panum, vnà cum ipſis panibus, ad exemplum, ſuſpenderit: tamen neſcio quo modo illis & noſtris adeò malè conueniat. Alij Strigonij proditionem, alij illis cum Turcis omnia conuenire, criminantur. Hoc ſanè hic pro certo rumoribus relatum eſt, cum Caradinus Aenobarbus, ſiue Barbaroſſa, obſeſſurus Niceam, Maſsilienſium Hoſtiam prænternauigaret, quòd neque pontificios læſerit, neq; ſuos rurſus: ab illis aut læſos aut malè habitos, ſed commeatu adiutos fuiſſe. Verùm enimuero quoquo modo iſta ſint: Pontificij ſibi pacem, cum eſſent ad reſiſtendum imparatiores, redemerint: mihi tamen nondum de Pontifice ſuſpicio incidere potuit tanta, vt eum de repub. Chriſtiana malè ſentire credam. Extant etiam vetera exempla, tam Periclis apud Athenienſes, quàm Fabij Maximi apud Romanos: quorum agri ab hoſtibus intacti, quo illis apud ſuos ſuſpicionem crearent, relinquebantur. Quid enim aliud credam, quàm hæc hoſtium conſilio geſta eſſe, quo maiorem inter nos ſeditionem concitarent? Principum tamen conſilio & authoritate temperatur, ne odium in apertam ſeditionem erumpat. Quod haud ſcio an difficillimum ſit, eorum quæ toto hoc bello videre potui. nam reliqua fortaſsis, æquioribus animis Germani paterentur. Illud verò indignè eos ac ſanè malè habet, quòd nullius pudicitiam ab illorum libidine ſatis tutam arbitrantur. Ecce enim, quid nudiuſquartus hîc ſit actum. Redibat fortè ciuis quidam ex vicina villa: ſequebatur famula caniſtro portans nuces. ſocij aliquot nauales, quorum ferè trecentis in illo ſuburbio hoſpitia aſsignata ſunt, ſatis laſciuè à puella nuces extorſerunt. ea ad vim inclamabat herum: qui credens virginis pudicitiam attentari, ciuibus ſuis & militibus, qui ad portam in ſtatione erant, ad vim arcendam acclamat. Adſunt & Itali, ac ſuis è propinquo ſubueniunt. Quid dicam? multis hinc atq; inde concurrentibus, atrox prælium committitur, ſaxis, haſtis, gladijs & ſclopis res geritur. multi vtrinq; vulnerantur. tandem ſocij nauales multitudine ſuperati, (ex tota enim vrbe eò accurrebatur) tribus aut quatuor occiſis, plurimis vulneratis, retroceſſere: neq; fuiſſet dies illa ſine magna tranſacta calamitate, niſi nox pugnam diremiſſet. Iam enim Itali ſuos trans flumen, intra vnum miliare caſtrametatos, ad opem ferendam acceſſebant. Hinc vides, quo ſtatu & conditione rerum hîc viuatur. ſanè ni ſuperi nos reſpiciant, metuo quem exitum tam multæ calamitates ſint habituræ. Spero tamen, quòd in nos benigniores erunt, quàm ipſi promereamur.

Vale, Viennæ: ſexto Idus Sept.

M. D. XLIII.

IOAN. MARTINVS STELLA GVLIELMO ET
Michaëli fratribus, S.

ETſi vos mihi fratres credere certò ſciã, inter has moleſtias peregrinationis, nihil mihi grauius accidere potuiſſe, quàm quòd vos mei videndi deſiderio valde angi ſcriberetis: tamen in maximo amore & pietate erga vos, alia omnia tolerabiliora fuerunt: hoc certè tenerius tuli, quòd ſuperioribus menſibus, tunc cum maximè cuperem, propter cauſſam captiuorum Laſcani & Salamancæ, quorum (ne indicta cauſſa captiui detinerentur, cõdemnarenturue) etiam ego patrocinium mandato regio ſuſcipere cogebar, venire non poſſem. Quare etiam nunc, cum in cauſſa ita à nobis pro illorum innocentia laboratum ſit, vt procuratores fiſci, quartum iã menſem nihil porrò agãt, neq; contra nos (vti loquimur) triplicent, impetrato publicè cõmeatu, vt vos viderẽ, itineri me accinxi. Veni itaq; Spiram pridie Nonas Maij. Vbi certè cùm ab omnibus fuiſſem humaniſſimè exceptus, tũ meam ipſius expectationem ſuperauit humanitas patroni, domini Granuellani, & filij eius Epiſcopi Atrebatenſis. De literis verò, non eſt quòd ſitis ſolliciti: ſaluæ ſunt apud me omnes. Et quanquam cuncta à me vobis commodiùs coràm narrari quàm ſcribi potuerant, tamen cum neſcirem, quando hi me dimiſſuri eſſent, nolui tempus hoc ſine ſcriptione aliqua ad vos, tranſigere. Mitto igitur expugnationem Albæ Regalis, quam requirebatis. De reliquis verò anni illius geſtis, in hunc vſq; diem, breuiter ita habete. Dum Turcæ Albam expugnant, iam noſtræ copiæ circa Poſonium conuenerunt: erant eæ peditum Germanorum VIII. *millium: Italorum quatuor, qui circa Viennam retenti fuerant, vt ſubitò in vrbem, ſi hoſtis eam tentare voluiſſet, reciperentur. Bohemorum & Morauorum erant circiter* XX. *millia, quiq; accedebat ordinarius equitatus Hungarorum, cum Auſtriacis: quorum ego numerum vix puto octo millia exceſſiſſe. Cum his copijs Rex Poſonij ex vtraq; parte Danubij caſtrametatus, triduum in conſtruendo trans fluuium ponte conſumpſit. Erat illius pontis eadem, atq; ſecundo ſuprà proximo anno, ad obſidionem Peſthi, vſi fueramus. Vehebantur ſingulis carris ſingulæ ſcaphæ, cum binis pontonibus ex trabibus & tabulatis. Principio ergo, ſcaphæ in aquam demittebantur. Hæ anchoris & rudentibus ex ſuperiori loco, contra vim fluminis reuinctæ, & inter ſe arctiſſimis vinculis colligatæ, pontonibus inſternebantur. Quod opus certè valde ſolidum erat, & ſatis latum, qua pedites quini, equites terni, ſine offenſione per tranſirent: adeò vt tantus fluuius à maximo exercitu, intra vnum diem traijci potuerit. Cum ita inſtructa & parata omnia eſſent à parte noſtra, neque difficile pleriſque videretur, quin eodem anno, non ſolùm Alba, ſed etiam Strigonium recuperari potuiſſent: inſuper etiam pro certo ad nos allatum eſſet, Solymanum dimiſſo exercitu retroceſſiſſe: ſciremúsque exercitum hoſtium ſemel ſolutum, quoniam non voluntarijs, ſed pleriſque coactis conſtaret, difficulter ad officium reuocari potuiſſe: vide quæ malignitas tempeſtatis & auræ fuerit, adeò vt ipſi ſuperi noſtrum progreſſum impediuiſſe videri poſſent. tanti imbres continuis diebus de cœlo*

Expugnatio Albæ.

lapſi

lapſi ſunt, vt vix locus editior metandis caſtris ibidem reperiri potuerit. fuit ea ventorum & procellarum vis, vt nec tabernacula erigi, nec ignes in caſtris potuerint excitari. Hæc ſanè cauſam præbuerunt, vt Bohemi, qui ſe ſolùm ſuos fines tutari velle dixerant, difficulter mouerentur. metuebant enim, ne ſi ſemel pontem tranſiſſent, illo interrupto, quo nollent, inuiti ducerentur. Populariter ergo Regem adeunt: orant ne ſumma hyeme, inuitis ſuperis in hoſtem pergat ducere: ſeſe primo vere omnes præſto adfuturos, quocunque etiam mouere vellet. Rex itaque partim illorum voluntatem, partim neceſſitatem ſecutus, quòd videret ſub dio & pellibus militem contineri non poſſe, exercitum dimiſit. Et cum iam ingentia fuiſſent frigora, vt multi noſtrorum militum, dum auſcultatorias ſiue ſentinellas, ſiue vt Germani eas vocant, ſcutarias vigilias obeunt, frigoribus obriguerint: tanta tamen poſt ſolutum exercitum ſecuta eſt ad aliquot hebdomadas aëris temperies, vt omnibus res admirationi fuerit. Rex igitur Viennam reuerſus, omni conſilio in curam ſequentis anni, quibus artibus & viribus bellum geri poſſet, intendere cœpit. Conuentus regni Hungariæ, alios Bohemiæ habere inſtituit. Ab Hungaris qui adhuc in officio erant, multa ſedulò promiſſa. Quin & frater Georgius Epiſcopus Vuaradinenſis, qui nomine pueruli Stephani, filij Regis Ioannis, Proregem in Tranſiluania agit, pro magno habuit Caſparem Hornuath, de concordia, & neſcio qua ratione, qua non partibus, ſed ipſi regno conſuleretur, conuenire. Gaſpar etiam, quanquam eſſet valetudine propè deſperata, tamen omnia pro nihilo duxit, dum per intenſiſſima frigora, magnis itineribus, ad regem Pragam vſq; contendit, vt inclinanti fortunæ aliquid opis adferre poſſet. Quæ tamen omnia, qualia futura ſint, magis ex euentis, quàm conſilijs iudicabuntur. Fuit hæc hyems ſatis quieta, niſi Turcæ per concretum frigoribus fluuium traijcientes, noſtris plus terroris quàm periculi creaſſent. Erat præter hæc oppidulum quoddam Hungariæ, Regibus nihil tributi aut vectigalis pendere ſolitum, niſi quod ianitores aulæ regiæ ſuis ſtipendijs eſſe cogerentur. Iſti ſeſe frequenter Turcis dediderãt, etiam ſuperiorib. annis. Accolæ autẽ & vicini, vt viderunt illis ad hanc diem fidem ſeruatam, multi ad illos in tantis periculis commigrarunt, ita vt ex minimo oppidulo, vrbs fieret & frequens & populoſa. Hos Turcæ ab omni ſuſpicione remotos, circumuenientes, partim occiderunt, partim captiuos adduxerunt. Vnde ſtatim ad dubia etiamnum ſigna veris, circum omnia vagari, & cum à noſtris nullos obuios haberent, retro conuerſi à Vuizigrado, quod ex ſuperioribus literis inter Strigonium & Budam eſſe intellexiſtis, initium belli gerendi facere cœperunt. Arx hæc etiam duplex eſt, altera ad ripam Danubij, altera in editiſſima & inacceſſa rupe: ita tamen vt ſuperior, niſi ſiti premerentur obſeſſi, inferioris nihil indigeret. Hanc Turcæ iam aliquot dies, priuſquam ego Vienna exirem, obſederant. A noſtris hæc contrà præparabantur. Viennam per otium munire volebant, in quo pleraque eorum quæ ego de illius munitione ſcripſi, obſeruare decreuerant. Foſſas anno ſuperiore ita dilatare cœperant, vt in

f 3 *imo*

imo fundo ſpacium patêret perticarum decem. Nunc duobus angulis, vno ſcilicet poſt monaſterium Dominicanorum, altero poſt Franciſcanorum, non procul à porta quæ extra arcem ducit, duo validiſsima propugnacula inſtituunt. Alio loco Leonardus à Felz equitatum noſtrum ex præſidijs colligebat, ad obſidionem impediendam. De cuius conatu, vti huc rumoribus & literis eſt perlatum, fortuna ita indicauit. Turcæ multos dies Vuizigradum obſederant, ita tamen vt obſeſsis parum fuerit timendum propter loci naturam. priuſquam tamen ſuccurri poſset, ſic ſunt ad extrema omnia redacti, vt conſtet vniuerſum præſidium totos quatuor dies non bibiſſe: tandem itaq; ſiti coacti, ſeſe dedidere, ſolam vitam & liberam abitionem pacti. Porrò Turcæ nullis pactis ſtantes, ad vnum omnes, præter Petrum Amandum præſidij præfectum, interfecere. Baſſa enim qui obſederat, eum ſua manu multitudini ſubduxerat. Erat Petrus Amandus vir magno ingenio, & ſingularibus moribus, natura abſtemius: quod illi cauſam excolendi ingenij, inter corruptos aliorum mores, fuiſſe credendum eſt. Hoſtes hac arce potiti ſeſe accingere dicuntur, vt duorum Baſſarum exercitibus, quæ quinquaginta millia hominum excedunt, priuſquam nos parati ſimus, Comaronem oppugnatum veniant. Tormenta & bombardas Budæ ea gratia in naues impoſuerunt. Comaronem ego alijs meis literis deſcripſi. ſita enim eſt, vbi Danubius rurſus coit, cum in ſe fluuiũ Vagam accepit. Hanc noſtri toto biennio muniuerunt, & foſſas ita duxerunt, vt eam à continenti abſciderint. Propugnacula ex terra & lignis opportuniſsima duxerunt, quibus veterem arcem velut incluſerunt. Cumq; munitiones has extrinſecus muro circundare vellent, atq; ad id operis fabros & qui lateres coquerent, ex ſuperiori Auſtria coëgiſſent, quia ſemel ad arma conclamatum fuerat, homines inſolentes talium turbarum in officio retineri nequiuerunt. ita opera illa adhuc ſolùm terrea ſunt: circundata tamen, vti audiuiſtis, duobus fluuijs latiſsimis & altiſsimis, & foſſa manuducta: loco tam opportuno & commodo, vt niſi illa retineri à noſtris potuerit, nihil videam in illis regionibus munitionum, quod tam potenti hoſti obijci poſsit. Deus optimus maximus à populo ſuo timorem auferat: & contra hoſtes nominis ſui, fortitudinem tribuat, & virtutem. Valete, Speiræ: ſexto Idus Maij. M.D.XLIIII.

Petrus Amandus.

DESCRIPTIO ET MVNITIONES ALTENBVRGI, ARCIS DOTALIS SERENISSIMAE REGINAE MARIAE, ETC.

Per Ioannem Martinum Stellam, miſſa ad ampliſsimos viros, N. N. &c.

COngratularer mihi pro eo ſanè atque deberem, ampliſsimi viri, quòd tantum in me iudicij contuliſtis, vt crederetis mea induſtria atque ingenio, aliquid roboris, ad munimenta veteris arcis, quam Germani Altemburg, Hungari Ouuuar appellant, poſſe accedere: niſi ex altera parte me ſolicitudo

citudo maxima, difficultáſque torqueret, opinionem, quam (vtinam ne fallacibus argumentis) de me concepiſtis, in tanta iudiciorum diuerſitate, ſuſtinendi. Cum tamen cogitem, neminem ad ea quæ præſtari nequeunt, cogi poſſe: confiſus de veſtra beneuolentia & humanitate, conatum meum in meliorem partem acceptum iri, vt potero deſcribam, quæ mihi ad munitionem arcis & vici pertinere videntur. Altemburgum igitur, ſiue Vetus arx, vti omnis nouiſtis, ſita eſt ad ripam ramuli cuiuſdam ex Danubio, vt illa à Septentrione, inter alueum fluminis & foſſam arcis media, aggerem efficiat: è diuerſa parte, ſcilicet meridionali, ita eam fluuius Litha hinc atque illinc propè alluit, vt inſulam conſtituat. circundata præter fluuios iſtos foſſa lata & tam profunda, vt fluuiorum altitudinem ſuperet: ita vt nullum periculum ſit, ne aquæ deriuari ac foſſæ exſiccari poſſint. Loco præterea tam neceſſario & opportuno, vt nulla alia per regiones illas via, ex Hungaria in Germaniam, niſi ſub arcis conſpectu, imò adeò ſub ipſis portis, pateat, ſi quod iam à præfecto Stampa inſtitutum eſt, via per paludes, ſolis incolis & ruſticis nota, præpediatur. cuius rei variæ rationes ab illo ſunt excogitatæ. Principiò præfodit ſolitas vias, ac pontes inſtituit, quos cum neceſſe erit deijciet, & tabulas ſecunda aqua apud arcem excipiet. Deinde ſperat reſtagnatione fluminis Lithæ efficere, vt palus illa adeò inundetur, vt nuſquam via pateat. quod & mihi videtur, ſi certis locis illa ipſa via crebris foſsis incidatur. Nam de reſtagnatione quod dictum eſt, non tantam habet vim, quòd hoſtes, ſi loca aliàs plana & dura eſſent, multum impedirentur. Fluuius enim Litha, poſtquam in plana illa è regione Altenburgi fluere cœpit, planè tardus efficitur, & velut dormitabundus incedit. Hinc vaſtæ illæ paludes & dubius curſus, quo ſe potiſſimùm loco Danubio inſinuare velit. Scindit ſe igitur non procul ab ipſa arce, primùm in duos alueos: vnus ad arcem, etiam bipartito fluens, eam, vti ſuprà dixi, in inſula cõſtituit. Alter ille, vix ſcias an fluat, an immobilis in paludem ſit conuerſus. In ſumma, longè lateq; expanſus, tandem cum Rabitza coniunctus, etiam Danubio ſub Iaurino miſcetur. neq; per eam partem temerè eſt viam vllam inuenire, niſi illam, quam ſuprà dixi, ſub conſpectu huius arcis. Quòd ſi iam alueum hunc quo ad arcem bipartitò fluit, quiſpiam reſtagnauerit, ſuperficias eius ſpacij, quod medium eſt à prima diuiſione fluminis, poterit reſtagnatione exæquari: cuius tamen altitudo tres pedes non excedet, cùm nec terræ ſuperficies ibidem multo editior videatur: quod ipſum tamen exiguum exiſtimandum non eſt. Foſſæ enim & loca alia iam decliuia, & natura ſua paluſtria præter ſolitum aquis aucta, nulla neq; arte neq; labore poterunt vadari. Siquidem natantibus præter latitudinem, obſtabunt etiam cannæ & herbæ: euntes impedient foſſæ & lacunæ. Qua autem arte iſta reſtagnanda ſint, iam diſpiciamus. Tres aluei, ex hac palude, ſiue fluuio in Danubium patent. Primus eſt poſt ipſum vicum, verſus Hungariam in orientem: ſecundum propugnaculum quoddam terreum, ibidem olim excitatum. Exitus iſte, nunc trabibus & lignis obſtruitur, atque ad reliquæ ibidem regionis altitudinem terra & fimo

Deſcriptio Altenburgij.

ſimo exaggeratur. Alter eſt alueus Lithæ, verſus Ratzendorff ſpectans, inter Septetrionem & occaſum, qui ſimili opere etiam erit obſtruendus. Medius inter arcem & vicum, molas ante portam arcis ſubigit. Hoc loco, quem propter vicinitatem ſemper in poteſtate habere poſſumus, ſolitis inſtrumentis quibus molitores aquam ſiſtunt, aqua vel augenda vel imminuenda erit. neque duobus alijs locis quicquam præterea neceſſarium videtur, quàm vt obiecta mole, illac nullus aquæ exitus in Danubium detur. niſi fortè in alueo illo altero Lithæ velis oſtium relinquere, quo ſi maior vis aquæ incubuerit, ea emittatur, aut etiam curſus ille antiquus aquæ retineatur: ne ſi reſtagnata contra naturam ſuam aqua, id pati nolit, & vis fluminis aliò, ſcilicet Rhabitzam verſus, auertatur. Oſtiorum verò huiuſmodi non eſt vbique eadem ratio: vnam ſuprà retulimus communem & molitoribus vſitatam, aliam habent Gandenſes. Hi oblongas trabes, per tranſuerſum contra poſtes hinc atque illinc diſpoſitos, leui negotio, ſecunda aqua demittunt, quæ ad æquabilitatem dolatæ, velut obices vim fluminis retardant. In Italia aliud ſolitum eſt: ibi enim ex parte aluei, ſuſpenduntur de firmis cardinibus, ingentes valuæ, quæ ſine vllo labore, impetu ruentis aquæ & ſecundi fluminis, clauduntur contra poſtes, ex altera parte aluei obiectos: aperiuntur verò catenis & vinculis retrorſum retracta. Gãdenſium autem & molitorum rationes, mihi inutiles videntur, in locis quæ non ſemper in poteſtate habere poſsis. Quod verò ad ipſam arcem pertinet, aut ad vicum (ſine quo, vti noſtra ipſorum victoria teſtimonio eſt) arcis difficilis eſſet retentio, alia mihi videtur eſſe conſultandi ratio, vbi facultas eſt, eorum quæ conſulta ſunt, maturè exequendi: alia, vbi tenuitas ærarij conſilia interturbat. Ego tamen vt potero, me temporibus accommodabo. Ac primùm de vico, ſi quis munire velit, neceſſe habet, vt eius ambitum faciat minorem, redigatq́; in formam propè triangularem. frontem igitur ſibi conſtituat, eam molem terream, ſiue propugnaculum illud rotundum, verſus orientem, apud quod ſuprà diximus aquam cœptam eſſe reſtagnari. Hinc rectis lineis ducat ad dexteram, qua Danubius alluit, vſque ad illum locum vbi Lithæ coniungitur: à ſiniſtra verò, item recta linea, præſcindat atque amputet totum illum tractum, vbi eſt præſtructa & occluſa porta, qui propter orbicularẽ formam & inutilis defenſioni, & in operibus eſt deformis. Vbi hoc loco ad punctum peruenerit, vnde rurſus recta linea ad arcem, ſine magna demolitione, aut iactura domuum duci poteſt, tametſi alibi præſentem foſſam tranſgrediatur, recta foſſam cauet, terram intus in vallum ſatis amplum & altum exaggeret. Sic vicum propter latitudinem duarum foſſarum ab oriente (à qua parte ſola aut oppugnari aut obſideri copijs terreſtribus poteſt) à meridie propter foſſam & paludem: inter ſeptentrionem & orientem, propter Danubium, qui contra naues raris trabibus & catenis obſtruetur, valde firmum conſtituet: ſi verò addantur & propugnacula qualia conuenit, etiam inexpugnabilem. Duo enim propugnacula, aut ad ſummum tria his angulis (nam circa confluentem Danubij & Lithæ tertium non eſſet inutile, imò propè ne-

ceſſarium

ceſſariū, contra impetus nauales) & arx, omnia latera ipſius vici tutarentur. Porta autē ſiue ingreſſus in ipſum vicū, eodem loco, pro ratione tamen lineæ ſuperius ductæ, vbi & nunc eſt, mihi videtur relinquendus, ſed alio inſtitutus modo. Mola illa quæ ante arcem eſt, vtilius aliò transferretur. Danubius enim frequenter auctior, impedit caſum aquæ. Quòd ſi hæc mola, itē porta vici, noua ad hoc ædificata domo, extrueretur, vnis impenſis duabus difficultatibus conſuleretur. Diximus ad hæc ſupra multa de reſtagnatione, quæ hoc loco commodiſſimè inſtituerentur. Vellem ego præterea hanc portam prorſus à vallo vici ſeiunctam, ex illo aggere pendere, qui nunc medius eſt inter Litham & foſſam ipſius arcis. quæ duplici oſtio intrinſecus & extrinſecus communita, tota in poteſtate arcis eſſet. Huc adde, quòd eadem opera ita extrui poſſet, etiam pro ingreſſu in ipſam arcem ſeruiret: vſque adeò, vt alio ſupra Litham ponte non eſſet opus. Verùm vt eſſet hæc ſtructura valde vtilis, ita omnino nollem illam inchoari, niſi animus eſſet etiā reliqua opera perficiendi, ne magnæ impenſæ fierent in rem quam deſerere, ſi hoſtes ingruerent, oporteret. Quòd ſi vicum ad eum modum quo nunc eſt reliqueris, propter rotunditatem, nunquam exactè munies, etiam ſi plura propugnacula erigantur: terram deinde in vallum, aliunde maiori impenſa congerere oportebit: quæ nunc, adaucta foſſa, ſuperabit. Si in præſentia opus illud aggredi non placeret, prouidentiæ tamen eſſet, totum illum locum qui futuris mœnibus directis lineis deputaretur, proximis menſibus arboribus conſeri, quæ tempeſtiuè ſucceſcentes, latenter futuris munimentis incomparabile robur prępararet. De arce hoc vnū habeo dicere, me valde mirari, cur, cum ipſa vetus ſtructura quadrata ſit, eandem non obſeruarint, qui vallū extrinſecus & foſſam circundederunt. nunc ſanè neq; orbicularis, neq; quadrata, neq; trigonalis, neq; vlla elegās forma eſt obſeruata, ſed informis quædā in circuitu congeſta terra: neq; turres inſtitutæ, quæ conantē hoſtē aſcendere, à latere deturbent. ſed omnes hoſtiū conatus à frōte excipiendi ſunt, & repellendi: quæ res quanti laboris & periculi ſit, non ego vos debeo docere. Si quis eam & pro dignitate nominis, & loci vtilitate inſtaurare vellet, is eam ad quadratam formā redigeret: ita vt duo illi à fronte anguli, qui quà porta eſt, apparent, longius excurrerent: ſed ita, vt recta linea vallum exaggeraretur. ab altera parte poſt ſacellum, vbi nunc orbicularis eſt, præſcinderetur: ſic hoc loco foſſa, quæ nunc anguſtior eſt, dilataretur. alijs verò angulis, cùm terra foris adijceretur, robur duplicaretur. imum vallum, muro pedum ſenûm: ſupra hūc dumo ex viua ſpina circundaretur. deniq; propugnacula adijcerentur, quæ & à latere & à tergo aſcendentem hoſtem impedirent. Nunc ſanè nihil eſt quòd in altitudine aquæ multum fiduciæ collocetur: ſiccioribus nanque æſtatibus, ſi non vniuerſa, tamen ita deriuaretur, vt etiam vadari non difficulter poſsit, præſertim cum fundum habeat arenoſum & firmum. Quòd verò pro præſenti neceſsitate, & temporis anguſtia dici poteſt: laudo ipſius præfecti opus, qui ſub vallum, extrinſecus aggerem humiliorem, quàm ſit terra quæ arci circumiacet, egerit: quo primus aſcenſus, ſi fortè aqua deriuaretur, ex-

g cipi

cipi & impediri poſſet. in hoc aggere etiam propugnacula, pro operis magnitudine relinquit, quæ à lateribus hoſtem moleſtent. ſi tamen fieri poſſet, vellē hæc opera, quæ ex materia inſtituta ſunt, limo induci, incruſtarique, ne ignem tam facile ſuſciperent. propugnacula etiam à fronte altius ſuſcitari, vt ibi defenſores vel oppugnati, tuto permanere, & latera defenſare poſſent. pluteos adhæc, qui in ſummo vallo, aut iam exaruerunt, aut putruerunt, ſimili materia & foris & intus circundarem, ac firmius terra conſolidarem: tandem hæc limo paſtinarem, quo etiam ab igne tutiora redderentur. Vallum ſuperius certis in locis, ita alia adiecta terra reficerem, ne in ſuperficie, vna totius ambitus facies videretur. Sed aliam partem ab alia operibus diſtinguerem, ne ſi fortè partem aliquam ab hoſtibus capi contingeret, eadem opera vniuerſo vallo potirentur: ſed facilius & ab operibus illis quæ dico, & arce interiori, iaculis & ſagittis, loco deturbarentur. Ne autem inopia rei pecuniariæ opera hæc negligerentur, poſſet à colonis impetrari, vt cum ſcirent iſta omnia ad illorum tutelam inſtituta eſſe, non grauatim ipſi per vices, labores & partem impenſarum ſubirent. ſi itaque octingentis colonis, qui ad arcem hanc pertinent, hæc opera ex æquis partibus imponerentur, laborantibus ſolùm victus ex ærario publico, & præmia diligentius operam nauantibus proponerentur, crederem fieri poſſe, vt intra breue tempus neque impenſarum neque induſtriæ quenquam pœniteret. Cùm hæc, Ampliſſimi viri, veſtra inductus authoritate ſcriberem, venit mihi in mentem, quàm ſcitè etiam in me dicere poſſetis, id quod Annibal Rhodi in philoſophū de re militari diſſerētem dixit. Quapropter cum ibi conſcius, quàm parum conuenienter profeſſioni meæ, aliquando militiam ſecutus ſim, & nunc de re militari diſſeram, metuam in quam partem meum hoc iudicium accipiatur: vos etiam atq; etiam orare cogor, vt quid oneris non affectanti ipſi impoſueritis, conſideretis. Et ſi in hoc, ſutorem aliquid ſupra crepidam conatum, iudicio lapſum eſſe mirum non ſit, ſanè non diffido, quin, quoniam veſtra voluntate impulſus id feci, mihi etiam condonaturi ſitis. Valete, ex ipſa Arce veteri, ſiue Altemburgo, VIII. *Calend. Auguſt.* M. D. XLIII.

DESCRIPTIO ET MVNITIO VRBIS VIENNAE: PER IOANNEM MARTINVM STELLAM.

CVM *heſterno die decretū Ampliſſimi ord. veſtri expectarē, animaduerti ex ÿs, quæ cū ſcriba quodā loquebaris, tibi etiam curā huius vrbis muniēdæ incūbere. Qua in re tametſi ſcia neq; conſiliū ciuitati, neq; tibi prudentiam deeſſe: tamē exiſtimaui in meliorem partē accipi oportere, tanquā beneuolentiæ argumentum, ſi quis pro ſua virili parte cuperet prodeſſe. Neq; enim omnibus Diogenes ille placuit, qui in bene merita ciuitate, dū conſilio prodeſſe poterat, ſuū duntaxat dolium verſabat. Ac cum*

mihi

mihi ipſi abundè in eo quod ſuggerere volebam, ratio meæ conſiderationis, conſtaret, vt qui ſtudioſè omnes Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, vtriuſque Germaniæ, nonnullas Hungariæ munitiones ipſe vidiſſem, & cùm à peritioribus, tum à me ipſo rationem vel munimentorum, vel cur locus aliquis parum munitus diceretur, exegiſſem: adhæc ſæpe diſputationibus eorum interfuiſſem, quos Galli & Itali capitaneos ingeniarios vocant: ſperaui, vt ſi aliud nihil, tamen tibi ſtudium meum non ingratum fore, cùm beneuolentiam meam erga ciuitatem hanc teſtatam eſſe conarer: aut ſi quid non inutiliter, admonuiſſem, id faceres quod Ephori Lacedæmoniorum feciſſe dicuntur, cùm ſordidus quidam vtiliſsimam Reipublicæ ſententiam dixiſſet, metueréntque ne parum ponderis propter hominis vtilitatem haberet, alium grauem & ornatum virum, qui eandem ſententiam diceret, induxerunt. Tametſi hoc me valde ſollicitum haberet, quòd huiuſmodi rationes non tam commodè explanari, quàm intelligi poſſent. Veruntamen cùm conſiderarem, quod mihi ingenio deeſſet, id tuam humanitatem ſuppleturam: viſum eſt, vt quantum eius aſſequi poſſem, tibi, quæ cogitarem, oſtendere conarer. Animaduerti igitur loca alia natura, alia opere, nonnulla vtroque modo munita appellari. Vienna verò ex ea parte qua eam Danubius alluit, videtur propter flumen ab hoſtib. ſic ſatis tuta eſſe. In reliqua parte, quia cõpluſculo operis indiget, vos video plus laborare. Quæ mihi multò munitiſsima, paruulo admodum opere, ſic reddi poſſe videtur. Torrens ille, quem vrbis nomine Viennam incolæ appellant, duobus pontibus ſuperatur, locis ſic ſatis anguſtis. Ego, ſi quæ vis hoſtium ingrueret, pontes hos obicibus firmarem: aut ita ſaxis & terra exaggerarem, vt aqua ſiſteretur. vias hinc inde ducentes, ad pontium altitudinem exæquarem: hoc modo fieret, vt reſtagnata aqua, omnem eum tractum qui in medio eſt, inundaret: neq; vrbs oppugnari niſi ab arce regia, ad portam quam Scotorum vocant, poſſet. Nemo enim hoſtium tam ſtolidè temerarius foret, qui committeret, vt intra ſtagnum & foſſas conſpiceretur. Atqui hoc ſtagnum non poſſet ab hoſtibus, niſi cum difficultate deriuari, etiam nemine repugnante. Deinde poſſet ſine magno negotio illorum conatus impediri, extructis ad exitum pontium duobus caſtellis ligneis, qualia Germani Catzen vocant. Aut ſi id periculoſum defenſoribus videretur, præſertim in ſuperiori ponte, quia longius à muris abeſt, poſſet pons ille atq; agger, ſine caſtello negligi. neque enim ideo loco tantopere deſideraretur. in inferiori tamen ponte, hoc omnino neceſſarium eſſet, vt ex vicino, ſi hoſtes conarentur perfodere, foſſores impedirentur, ſine vllo periculo defenſorum, propter vicinitatem murorum, & aliarum munitionum. Denique ſi vniuerſa vis hoſtiũ eò incumberet, vt caſtellum illud expugnarent, poſſet eo modo extrui, vt momento temporis incendio conſumeretur, ipſis defenſoribus intra vrbem receptis, ab hoſtibus igne necatis: vti Hiſpani Gallos ludificati ſunt, ante annos ni fallor XX. *cum omnibus opibus arcem Salſarum (eſt ea apud Perpinianum in Comitatu Ruſsinonis, opus Comitis Petri Nauarræ) oppugnarent, ac iam vnũ ex propugnaculis, vti putabant, expugnaſſent. Interea*

terea tamen, etiamſi hoſtes ſtagnum hoc deriuare contingeret, non illud ſine multis & difficultatibus & ludificationibus efficere poſſent. In lucro autem ponendum eſt, vbicunq; hoſti ſine tuo damno incommodare potes. In ſumma, ego putarē huiuſmodi reſtagnatione, ſiue torrentis, ſiue cuiuslibet parui riuuli hoſtibus omnia, etiā ad caſtrametandum, anguſtiora reddenda eſſe. Quale etiā hoc eſſet, ſi quis riuulum Alſam, inciſis aquæductibus ſua ſponte ſineret vagari, qui cum decliuia inibi inundaſſet, deinde ſe cum altero riuulo, apud arcem coniungeret; poſſet commodè etiam & ibi reſtagnari, excitato aggere, per quem via extra vrbem in agros duceret; vſqueadeò, vt omnis poteſtas hoſtibus adimeretur, ſiccis pedibus vrbem oppugnandi, etiamſi nulla in foſsis aqua contineretur. Hic tamen cogitandum eſſet, ſi quis noxius halitus ex huiuſmodi reſtagnatione generaretur, ciuibusne peſtilens futurus eſſet, an ſolis hoſtibus, vt qui ſub dio & extra vmbras agere cogantur. Dominus enim à Lautrech cum obſideret Neapolim, ac putaret ſe ciues ruptis aquæductibus, ſiti ad deditionē coacturum, ex graui intra valles reſtagnatæ aquæ fœtore, & ſe & exercitum peſtilentia perdidit, & res Gallorum miſerè afflixit. Nunc ad vrbem & ad ipſas foſſas propius accedamus: hîc in primis laudo, quòd foſſæ dilatentur, & profundius effodiantur. verùm terra illa quæ egeritur, cum neque rectà lineâ ducatur, (quod tamen eſſet vtiliſsimum) neq; placeat intra vrbem pro vallo deferri, poſſet vtilius, vti mihi videtur, ac iiſdem impenſis alio modo collocari. Habes in memoria Magnifice & ampliſsime vir, cùm prima obſidione Turcarum, aliquot cohortes eruptionem infeliciter tentaſſent, nec ſeſe poſſent omnes ordinatim recipere, quàm multi ſe in foſſas præcipites dimiſerint, qui vel caſu ipſo obruti ſunt, vel in ipſas ſociorum cuſpides inciderunt. contra huiuſmodi caſus, primum in arce illa Mediolanenſi proſpectum obſeruaui. Hoc imitati ſunt poſtmodum Galli in Turinis, & Morini. Veneti deinde in Niort (locus eſt inter Brixiā & Cremam) poſtremùm etiam ipſi Duces Bauariæ, in muntionbus Ingolſtadij, quanquam ratione nonnihil diuerſa. verùm non eſt admodùm difficile, aliorum inuentis addere. Foſſæ igitur harum vrbium, quas ſuprà dixi, veſtris ſimiles ſunt, niſi quòd rectæ ſint, & agger exterior muro diſtineatur. Neq; ſtatim ex agris aut campis vrbi circumiectis, in ipſas foſſas præcipitium eſt: ſed relictum eſt nonnihil ſpacij, velut gradus quidam, altitudine pedum ſenûm vel octonûm ita vt ſi quis rectà accurrat, & hoſtem vitet, demittat ſe in illum quem dixi gradum, vbi vel tutò ſtare, vel ſe ad portas ſine incōmodo poſsit recipere. In locis illis prædictis, hæc ita extructa ſunt, vt etiam duo equites cōmodè vagari poſsint. Habent præterea & alias commoditates huiuſmodi foſſæ. Principio ſi leui prælio eſt erumpendum, non ſemper iter ſecundum ipſas portas inſtituendum eſt, quòd eas hoſtes vt plurimum intentius obſeruant. Deinde ſi ex aliqua parte foſſæ ab hoſtibus impleantur, ſine incommodo hac via mederi, & rurſus curari poſſunt. Quin etiam ſine magno diſcrimine, ſi qui oppugnabunt, hinc à lateribus moleſtabuntur, denique tota vrbs etiam extra munimenta, inuitis hoſtibus, vel obequitari poteſt.

poteſt. Et eſt hæc foſſarum ratio, vobis adhuc tota integra. Præterea animaduerti, alia adhuc propugnacula præparari. Vnum, vti intelligo, in eo angulo erit, qui eſt poſt monaſterium Dominicanorũ, loco valde opportuno. ſed ego cùm res adhuc integra ſit, propugnaculum illud ſic inſtitui poſſe puto, vt in ſe habeat aliquot molas, quæ ſemper etiam in obſidione farinam præberent. Quòd ſi vna ſola inſtitueretur, video poſtquam altius effoſſæ erunt foſſæ, ſatis fontium fore, vt ex earum ſcaturigine mola ſubigatur. ſin plures, dixi ſuprà ad altitudinem pontium vias eſſe exaggerandas: poteſt in illo aggere talis ex Vienna aquæductus relinqui, qui etiam pro cuniculo ſeruiat, ac ducat in caſtellum illud ligneum, quod ad exitum pontis ſuperiùs collocaui. Qui aquæductus ſiue cuniculus, etiam tertiam vtilitatem adferret. cùm enim perforatis baſibus quæ pontium fornices ſuſtinent, inſtituetur: erit commoditas, ſi propter magnum aliquod ſtratagema, pons igni deijciendus eſſet, illius adimplendi. Hoc tamen cauendum, in quo ciues etiam nunc video peccare, ne cùm aqua turbida eſt, eam intra foſſas reciperent, ne limo aut arena replerentur. Eſt ad hæc in eodem angulo, murus ille altus chori diruti, exiguo ſpacio à mœnibus diſtans: contra hunc murum ſenſim collis, ſiue agger terreus fimo & lignis compactus, in multam altitudinem excitari poſſet: in cuius ſummo vertice, duæ aut tres bombardæ, poſſent omnem vicinum agrum, inſulas etiam Danubij tutari, quæ res quãtam vtilitatem allatura eſſet, nemo opinor ignorat. Certè huiuſmodi collibus natura Maſſiliã muniuit: opere verò, Ferraria in Italia, Aurelia in Gallia ſunt inſtructæ. Ex huiuſmodi munimẽto Cæſareani Mediolani obſeſsi, Iacobum Gabanneum, admiraldum Galliæ, vt vocant, illiusq́; exercitum, ita infeſtarunt, vt obſidionem ſoluere fuerint coacti. Huiuſmodi colliculi complures intra mœnia excitari poſſent, locis tamen opportunioribus vti mihi videtur, hiſce: in cœnobio Auguſtinienſium, qui angulus eſt inter Regiam, & portam quæ ducit in Carinthiam. medio item angulo inter eandem Regiam, ex alio latere, & vicinum illud propugnaculum, quod eſt in fundamentis vicioſum. Poſtremò ſi quis vellet alium poſt Scotorum monaſterium excitare, multum vrbi proſpiceret, vel in hoc, quòd hoſtibus magna ex parte adimeret facultatẽ, ex anfractibus illis viarũ, quæ ex ſuperioribus locis ad ſubiecta paſcua ducunt, ſubſidia & auxilia, quæ ſecundo flumine ſubmitti poſſent, impediendi, vexandiue. Sed his omnibus locis perquàm neceſſarium eſt, vt propugnacula aut reficiantur, aut de nouo inſtituãtur. Illud verò quod vitio fundamentorũ ex parte ſubſedit, nec inutiliter, etiã ſic relinqui poſſet, & muro ſolum extrinſecus velut camiſia, vt Galli & Itali loquutuñr, veſtiri. Quo modo caſtigaretur & alterum vitium. Anguſtius enim eſſe videtur, quàm vt duas bõbardas vtrinq́; eiaculantes commodè poſsit continere. Sic Cæſar Fontem rapidum, & ſanctum Sebaſtianum muniuit: quæ loca ſunt omnium quæ ego vidi munitiſsima, ſita in Pyreneis montibus, contra Vaſcones & Aquitanos. Sic item Veneti Veronam inexpugnabilem reddiderunt, dum veteres munitiones, vbi id ratio operum patiebatur, circundederunt nouis muris, magis ijs inſtar fulcimenti cuiuſ-

ti cuiuſdam accliuis, quàm ad perpendiculum directis. Quod fortaſsis etiam neceſſarium in illo propugnaculo, quod Regiæ obiectum eſt, videretur, ſi quis hoc omnino à cuniculis tutum reddere ſtuderet. nam intelligo non nimis altè fundamenta iacta eſſe: præterquam quòd ea multis in locis terræ natura videatur, vt etiam ſi in ſuperficie aquam foſſæ habeāt, tamen niſi ad altitudinem ſcaturiginum fontium depreſſæ fuerint, poſsit vrbi incommodari: non aliter quàm Petrus ille Nauarra, ex cōtinenti in inſulā ſubter mare cuniculo acto, arcem Neapolitanorum ſubuertit. Huic igitur incommodo ſi obuiam iretur, aut ſi temporis anguſtia impenſæq; id in præſentia non paterentur, ſaltem crebris trabibus circunſepiri conueniret: quæ fiſtulis tam altè ſub terram adigerētur, vt neq; ſubter, neq; per eas, via patêret fundamenti tentandi: aut loco motæ, id ſtatim proderent. Excogitatum eſt & aliud in illo foris adiecto, ſiue fulcimento ſiue muro: vt in imo fundamento, quoquò verſus via opere Camerario relinquatur, quà commodè cuniculis obuiam eatur: aut excipiantur, & hoſtes fumo ſuffocentur. Noua autem propugnacula quæ erigenda ſunt locis non aquoſis, cuiuſmodi eſt quod regiam tuetur, munitum illud quidem, vt apparet & firmum, & qualia ſanè optanda eſſent alijs in locis: verùm putarem adhuc vtilius ea conſtrui poſſe. Primùm Veneti & Genuēſes, feneſtras illas collaterales, Germani Streichuuer vocant, per quas in foſſas bombardæ iaculantur, duplici ordine extruxerunt ſubdiuales omnes, propter fumum: frontem verò illam trigonalem ita ordinauerunt, vt duo laterales anguli ſic ante feneſtras obijcerentur, ne in illas ſagittæ immitti poſſent. Cæſareani nunc Albæ, Aſtæ & Vercellis, ad illa ſuperiora aliud adiecerunt, multo ingenioſius. in angulis enim illis lateralibus, quos dixi feneſtris prætenſos & obiectos eſſe, fecerunt gradum & deſcenſum quendam auerſum, neque vlli qui extra vrbem eſt conſpicuum, per quem in imas ipſas foſſas deſcenditur ad multa quæ obſeſsis procuranda ſunt valde neceſſarium, ſiue velis in ipſis foſsis manum conſerere, ſiue foſſam etiam durante obſidione profundius ac latiùs excauare, ſiue etiam pecus velut in ſtabulis cōtinere, vt faciunt præſidiarij in arce Salſarum: præſertim dum non ſemper tanta neceſsitas vrget, vt ſit neceſſarium aquas in foſsis habere. Ea enim vt ſuperioribus locis vtilis eſt, ad cuniculos impediendum, ita ſanè inutilis, ſi materiam ab hoſtibus in foſsas iniectum comburere oporteret. & eſt huius vrbis ſitus talis, vt cum voles aquas inducere & deducere, non difficulter poſsis. Quæ verò reliqua iam inſtituta ſunt opera, ſcilicet murus ille qui in imis foſsis ex vtroq; latere terrā diſtinet, qualis apud Regiam cœptus eſt: item alter ille, qui intus aggerem ſuſtinet, quanquam in his ſpiracula, quibus colantur aquæ pluuiæ, deeſſe videantur, multum roboris adderent vrbi, ſi ad finem perducta eſſent. Verùm non miror eam eſſe ærarij anguſtiam, in Republica præſertim iam diu bellis & calamitatibus afflicta, vt difficulter neruos & ſumptus ſuppeditare queat. Huic tamen rei quo commodius mederi poſsit, narrabo quid in duobus Friſiæ oppidulis factum ſit, quæ ante annos XII. *Dux Geldriæ per proditionem occupata, ſolo æquarat: cum iam ciues rurſus in vnum*

conue-

conueniſſent, ac de recuperanda patria conſilium inijſſent, primum locum quem futuris muris & mœnibus deſtinabant, quantus multitudinis capax eſſet, foſſa exigua & humili ex publico circundederunt. Ex hoc aggere, tantum ſingulis ciuibus attribuerũt, quantum vnuſquiſq; commodè tueri poſſe videbatur, cum iam in mœnibus omnes conſtituti eſſent, magiſtratus edixit, ita illum ſibi attributum locum muniret, vti putarent ſufficere ad vitam libertatemq́; defendendam, quod tam ſtrenuè factitatum eſt, vt nullis poſtea neq; copijs neq; opibus, vti tamen ſæpe tentatum eſt, expugnari potuerint. Cum igitur ego videam hîc publicè egeſtatem, priuatim magnas eſſe diuitias, non iniquum putarem, ſi hoc pacto priuatorum fortunis Respub. ſuſtineretur: ac cum vnuſquiſq; ſciret quo in loco aut cum patria victurus, aut cum eadem moriturus eſſet, videretq́; vbi ſuam ipſius vitam, coniugis, liberorum, cauſam religionis, ac fortunas omnes collocatas habiturus eſſet, eum locum ita muniret, vt ſibi illa chara conſeruandaq́; putaret. Hæc ſunt magnifice & ampliſſime Domine, quæ ex re ipſa in mentem mihi venerunt, vt tibi ſcriberem: non ignarus, quàm parum prudenter faciam, apud eum cui iſta ſuperſunt. Tamen cum humanitatem tuam apud me cogitarẽ, viſum eſt, qualitercunq; iſta ſeſe haberent, perſcribere: neque ad alias excuſationes aut deprecationes confugere, quàm vt te orarem, vt ſi præ magnitudine ſtudij, animi mei declarandi, nimis impudenter, tua humanitate abuſus, aut nimis ſtultè mei ipſius oblitus eſſem, id benignè, vt ſoles, ignoſceres, meq́; tibi commendatum eſſe velles. Vale, XV. *Calend. Iunias:*

M. D. XLIII.

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOFVRTI AD MOENVM, APVD GEORGIVM Coruinum, impenſis Sigiſmundi Feyrabendij.

M. D. LXXVIII.

Fletcher

CHRONICORVM TVRCICORVM,

IN QVIBVS VITA, INDOLES, ET ADVERSVS TVRCAS RES GESTAE GEORGII CASTRIOTI, EPIROTARVM PRINCIPIS

(qui propter egregia & præclara facinora SCANDERBEGVS, hoc eſt, Alexander Magnus, cognominatus fuit) Libris XIII. deſcribuntur à Marino Barletio, Scodrenſi ſacerdote:

TOMVS TERTIVS.

ACCESSERVNT AVTORIS EIVSDEM LIbri III. *de Scodra, vrbe Epiri nobiliſsima, à Turcis expugnata.*

OMNIA FIGVRIS ET VIVIS IMAGINIBVS ILLVSTRATA:
Cum rerum, ac ſententiarum notatu digniſsimarum INDICE *ampliſsimo.*



CVM GRATIA ET PRIVILEGIO CÆSAREO.

Impreſſum Francoforti ad Mœnum, 1578.

NOBILI ET STRENVO FRIDERICO ADELBERTO AB HESSENBVRG, IN SCHNOZENBACH ET HAIVVINda; *Prætori & Conſiliario Herbipolenſi: Domino & patrono ſuo colendiſſimo,*

S. P. D.



CVM, Nobilis & præclare vir, ſuperioris voluminis huius Tomos duos abſque patrocinio virorum præſtantium non exiſtimârit edendos Lonicerus, hac quoq; in præfatione aliquem autoritate & dignitate inſignē compellare viſum fuit. Circumſpicienti igitur mihi Germaniæ noſtræ Proceres, atque cum alias nationes, tum Francicam illam, non minus rerum geſtarum gloria, quam antiquitatis & nobilitatis ſplendore florentem, animo luſtranti, tu præ cæteris occurriſti, qui operis huius à me ſumma cura denuò adornati, latineq; editi, patrocinium ſuſciperes, & ſtudioſis hiſtoriarum nominis tui celebritate acceptius, idem gratiusq; redderes. Etenim ea Francicæ gentis eſt dignitas, vt anteferri huic nullam, paucas eſſe pares videam. Hæc enim, cum in Germania pleriq; omnes olim ſuperſtitioſa ſolicitudine infanda gentium (Gentiles ipſi) idola colerent, Chriſtia-

* namq;

namq; Religionem hoſtiliter conſectarentur, ſola fermè DEVM verum profeſſa eſt, atq; imperium & ſummam potentiam maximis in Remp. meritis, præſtantiſſimisq; rebus geſtis conſecuta, non tantum Saracenos aliosq; populos Antichriſtianos profligauit, ſed Germanos, propinquos nimirum, & conterraneos ſuos, multo labore, multis bellis exhauſtis ad Religioſæ Pietatis veritatem conuertit. Quo facinore præclaro certè, nullum DEO præſtare gratius, nec patriam communem totamq; poſteritatē rectius demereri potuit. Atq; ſemper nationis veſtræ Proceres aut ipſi rerum ſummæ laudabiliter prefuêre, aut alijs ad imperij faſtigium euectis ſumma fide operam nauârunt. Tua igitur quoque cum familia in equeſtri Francicæ gentis ordine præclaræ ſemper fuerit exiſtimationis, Maioresq; tuos in Rep. cumprimis floruiſſe, resque magnas tum domi tum foris geſſiſſe conſtet, non moleſtè feres, quod ad commendationem illius operis, tui nominis vtor autoritate. Etenim cum in iſtius voluminis Tomo ſecundo luculenta extent teſtimonia, ſeculis omnibus ex familia tua prodijſſe viros, qui domi ad pacis, foris ad belli ſtudia fuerint idonei, quiq; hæreditarium iſtum nominis Chriſtiani hoſtem, & perennē Legum, pacis, ocij, tranquillitatis inimicum Turcam à ceruicibus noſtris propulſantibus, ſeſe, vel ſanguinis ſui diſpendio, ſtrenuè coniunxerint: qualis ille ad præclaram à Turcis fruſtra oppugnatam Viennam Sigiſmundus, & deinceps VVolffgangus Heſpergij, æterna poſteritatis memoria digni: nemo (ſpero) vitio mihi vertet, quod tuo patrocinio volumen hoc ornare ſum auſus. Atqui, vt nec patriæ tuæ, nec gentis, nec familiæ laudibus commotus eſſem, vt hoc te loco affarer: nihilominus tamen ſingulari humanitate tua, pari cum grauitate coniuncta, vt opus hoc Hiſtoricum ſub patrocinio tuo ederem, adduci potuiſſem. Etenim ſi bonis ſcriptoribus nobilis illa Bibliotheca tua patuit hactenus omnibus, neq; ex ea vllum voluiſti excludi vtilitate aliqua commendatum opuſculum, nequaquam tibi hoſce libros, quorum lectione nihil neq; vtilius, neq; neceſſarium magis eſſe poſſit, ingratos fore putaui. Nam cum non tantū hoſtem, à quo temerè vinci nolimus, nôſſe, ſed eiuſdem quoq; reprimendi perſpectam habere nos oporteat rationem, hæc verò ex illuſtrium virorum exemplis rectius, quàm docentium præceptionibus diſcatur: certè illud opus, in quo propulſandi Turcam exempla maximè proponuntur illuſtria, bonis omnibus non minus neceſſarium quàm vtile fuerit. Magnanimus enim ille & fortiſſimus Heros Georgius Caſtriotus, cognomēto Scanderbegus, Albaniæ olim & Epiri dominus, cuius res geſtas Barletius luculentè in hiſce Tomi tertij libris deſcripſit, ſummus in Turcā pugnandi fuit artifex, & exercitatus cumprimis atq; felix rei militaris magiſter.

Quoties

Quoties enim exiguis ille copijs ferocem ac potentem hoſtem aggreſſus, ingentem Turcarum ſtragem edidit? Quoties vel ſolo aſpectu Barbaros, quaſi fulmine perterritos, in fugam coniecit? Quale item illud, quod Turcā ipſi aggredienti, omnesq́; fortitudinis ſpiritus indignanti quaſi acuenti, copioſus è labris prorupit ſanguis? Cuius Principis res geſtas cum Nundinis ſuperioribus ſermone Germanico noſtris cum hominibus communicaſſem, vt nimirum eſſent illis exemplum fortitudinis, in quod inſpicerent, quodq́; imitarentur: eruditorum virorum cohortationibus ſum adductus, vt eadem latinè quoque caſtigatius & elegantius edenda curarem. Suſcipe igitur, nobilis & clariſſime vir, illam Barletij nequaquam contemnendā lucubrationem, & hanc compellationem tibi diſplicere ne ſine. Equidem cum conſilia & actiones tuæ, doctrinæ vniuerſæ, quæ ex illuſtrium virorum exemplis peti ſolet, correſpondeat, atq; ciuili prudentia, partim è Iuriſconſultorum libris petita, partim longo rerum vſu comparata, ita excellas, vt à ſtudijs humanioribus, lectioneq́; tum ſacrarum literarum, tum hiſtoriarum minimè ſis alienus, gratam te habiturum eſſe hanc operis vtiliſſimi dedicationem planè confido. Et quoties ab illis grauiſſimis Aulæ negotijs nonnihil feriari interdum, atq; Bibliothecæ tuæ proceres illos lectiſſimos alloqui per occupationes licuerit, tædia ſæpe, ſat ſcio, librorum iſtorum lectio tollet tibi, optimam viuendi rationem animo circumferenti, quod nimirum tum ſua cuiuſq; Experientia, tum alienorum exemplorum conſideratio, optima viuendi ſit ratio. Vale. Data Francofurti, Calend. Martijs, Anno CIↃ. IↃ. LXXVIII.

Sigiſmundus Feyerabendt
Bibliopola.

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI, EPIROTARUM Principis,

LIBER PRIMVS.



POST *antiquatam Turcarum imperij gloriam, & abolitum penè Ottomannum nomen, ſuperato in finibus Armeniæ Puiazete ſeniori Scytharum armis, Amurathes nepos ex eius liberis, qui ita forſan poſcentibus fatis ſeruati Græcorum leuitate tot Chriſtianorum futuris malis fuere, poſt multas ſuorum contentiones, & domeſticum effuſum ſanguinem, primus auorum regnum fœliciter obtinuit, reſtituit fortunam, & viribus auctis, Turcarum nomen formidabilius quàm antea vnquam fuerat, effecit. Tamen dum nunc in Aſiaticis rebus firmandis, nunc in perſequendis Græciæ populis, & extorquendo eorum imperio occupatur, aliquot annis abſtinere à Macedonia & finitimis regionibus eſt coactus. Per id tempus (ne nimis altè exordiendo alienas hiſtorias percenſere velle videar) in Epiro inter cæteros Regulos*

Lapſus & penè abolitio Ottomanorũ imperij, eiuſdemq́ reſtitutio atque augmentatio.

Origo & genus Caſtriotæ familiæ.

 Prin-

Principesq; ſatis nobile nomen Iohannis Caſtrioti, tum cæterarũ vrbium, tum Croiæ præcipuè imperio erat. Et quia neq; latere penitus Scanderbegi genus æquum duco, neque omnem auorum eius ſeriem perſcribere in animo eſt, illud vnum attigiſſe contentus ero, auctores gentis Caſtriotæ ex

Aemathia.

Aemathia nobili ortu fluxiſſe, imperitaſſeq; pari gloria fortunaq; in Epiro: eos omnes (vt iam orſus ſum) Iohannes prudentia, grauitate, ac animi inuicti magnitudine, cæterisq; deinceps virtutibus, atq; egregio etiam

Voiſaua vxor.

(ſi quid ad rem facit) corporis decore facile ſuperauit. Vxori Voiſauæ nomen erat, non indignam eo viro, tum pater nobiliſſimus Tribalorum Princeps, tum forma moresq;, ac inſignis ſuper muliebre ingenium animus faciebat. Poteſt & à prole illi, à quo merito commendari fœminæ conſueuerunt, non minor fortaſſe fieri acceſſio laudis, nouem nanque liberos peperiſſe, educaſſeq; narratur, quinque fœminas, Maram, Iellam, Angelimam, Vlaicam, Mamizam, mares reliquos, Repoſium ſcilicet, Staniſam, Conſtantinum, & Georgium. Minimus natú Georgius fuit, cui poſtmodum apud Barbaros (vt ſuo loco dicemus) Scanderbego nomen indi-

Vaticinia ſiue prodigia de Scanderbegi natiuitate.

tum eſt. Sed antequam progrediar vlterius, omittendum non cenſeo, quod vel prodigijs ipſis oſtenſum, & à plerisque vaticinatum de hominis gloria accepi. Licet id antiquis ſimillimum fabulis aſpernaturos plurimos non ignorem. Ferunt enim, quod quum concepiſſet eum mater, ſerpentem ſe enixam eius magnitudinis ſomniauit, qui totam fermè operiens Epirum, caput inter Turcarum fines protenderet, & cruentis faucibus eos

Signa quædã naturaliter in corpore Scanderbegi inſita mẽbrisq; eius manu velut impreſſa.

abſorberet, caudam verò teneret in mari inter Chriſtianos, & Veneti maximè imperij terminos, narratum id ſibi, Iohannes, quum non eius generis res eſſet, quæ extis vllis ſcrutaretur, vel Apollinem exigeret interpretem, ingenti lætitia ſolatus vxorem, naſciturũ ex ea virum ominatus facile eſt, clarum bello, factisq;, qui Turcarum ſimul hoſtis acerrimus, idemqúe dux fœliciſſimus, & Chriſtianæ fidei propugnator, ac Veneti cultor imperij perpetuus exiſteret. Nihil fefellit ſe, vel alios ſolicitus parens, ſed aucta magis eſt vaticinio fides puero nato, nanque aliud pulchrius longè clariusq; bellici decoris ſignum in dextro infantis brachio viſum, forma enſis ita expreſſa, vt manu facta videretur. O inſignem naturæ liberalitatem, vel naſcentibus nobis ſubijcit documenta, & in corpore ipſo figit in-

Quæ ſtudia & exercitia Scanderbeg in ipſis puerilibus annis exercere, & quod morum, virtutis ac fortitudinis ſpecimen in eo dilucere cœperit.

ſignia, quæ poſtmodum ſint ſequenda. Infans deinde protinus cùm paſſa eſt ætas, ad arma & arcus reptauit, atque in ipſis puerilis ætatis rudimentis id ſpecimẽ præbuit ſui, vt ſatis cuiq; futuræ virtutis dilucerent indicia, is poſthac in dies viſebatur in adoleſcente vitæ cultus, ea morum elegantia, & Chriſtianæ fidei promiſſa religio quædam, vt omnium in ſe ora oculosq; conuerteret. Vnum parentes, vnum fratres, vnum cæteri illius religionis homines cum tacita admiratione ſuſpiciebant, de eo omnes ſermones, &

nes, & læta vbique vulgi murmura erant, velut rarum illud ea ætas ſpecimen protuliſſet. Nam ad ea præſagia naturæ, gratia quoq; quædam corporiſq; ſpecies, quæ condit omnia, non deerat. Sed non ex tam fœlici (vt ita dixerim) palmite, fructus vllos colligere ſollicitis parentum votis, fata conceſſere. Nam quum impoſito Græcis iugo Amurathes in Macedoniam conuertiſſet ſigna, eamq; ſatis longo afflictam bello contriuiſſet, Joannes diutino defeſſus bello, ac longis exhauſtus incommodis, pacem ab eo petere coactus, ea lege impetrauit, vt obſides filios omnes traderet, vix poterat ſeruitus maior, aut funeſtiora, & fœdiora vincula parentibus inijci. Quod enim pacis, quod imperij eo pacto ſeruati, ſolatium parentibus ſupereſſe poterat? Tamen quid non miſera vitæ cupido, & regni ſolicitus amor timidis mortalibus ſuadet? Maluere infœlices ſenes cruentiſſimi hoſtis fidem ſequi, & tot ſimul ſe pignoribus exuere, quàm diutius collabentis iam fortunæ ruinam expectare. Datus proinde cum fratribus Georgius eſt, qui præ cæteris nimis multum ſecum priuati, publiciq; luctus tulit. Sed non ideo patrem concepta iampridem de filio ſpes deſeruit, multis oſculis amplexibuſq; in eum præcipuè prolapſus, ac Deorum fidem appellans, ne inanem expectationem ſuam redderent, à ſe dimiſit. Atque aliquis ex vulgo, protenſam vitam, vírileſq; annos precatus puero, domeſticum ſibi hoſtem, incendiumq; educaturum Amurathem dixit. De-

Bellũ ortum inter Ioannẽ Caſtriotum Scanderbegi patrẽ & Amurathem Turcarum Principem, paxq; inter eoſdem inita.

Obſides dantur Turcæ Iohannis Caſtrioti filij.



ducti ad Ottomanum adoleſcentuli, primam perfidiam eius in eo ſenſere, Quod abiecta, quæ eorum parentibus præſtita erat, fide, circuncidi Ma-

Forma circuncitionis Macomethanæ ſectæ, ac ea, quæ ipſi Turcę obſeruant circa illos, qui ad eorum ſectam tranſeunt.

cometano ritu ilico iuſsi ſunt, Qua de re, quoniam ſcitu non eſt iniucundum, quædam hoc in loco recenſere non malum eſſe duco. Haud abſimilem omnino in hoc morem à Iudæis ſeruant Turcæ, præterquam illud quod Macometo ſanciente additum eſt. Quod priuſquam circuncidatur quiſpiam, ſi capax rationis eſt, ductus in medium turbæ, monente eorum ſacerdote, quos Daruiſſas appellant, digitum indicem exerit, & rectus cœlum ſpectans altiori vocis ſono, vt bene audiri poſsit, La, Ila, La, inquit, Mehmet ruſelam. Idem quod, Deus, Deus, Deus, vnus, & Macomethus ſuus Propheta. Poſtea à perito quopiam circuncisus offertur populo, eiq́; aliud, oblitterato priore, inditur nomen. Aſtantes autem omnes ſi Chriſtianus prius, vel alterius ſectæ erat, promtiſsimis animis, & maxima lætitia ſtipem conferunt, laudant, deoſculantur, & domus ei poſthac victusq́; ex publico decernitur. Sed hinc parumper digrediens, deſcribam qui & quales ſint in Macomethana & Turcica religione ordines, conditiones, & ſacerdotum, ſiue religioſorum gradus. Primi enim,

Daruiſſæ.

qui & ſtrictioris ordinis & religionis apud eos ſunt, Daruiſſæ appellantur. De quibus paulo ante meminimus, qui ijdem haberi poſſunt, vt apud nos fratres, qui obſeruantes appellantur. Hi autem (regnante Pazaite eorum Principe, Mahumetis poſtremi filio) multifariam delinquentes & exorbitantes, ob eorum ſcelera & delicta perpetrata, omnes ad vnum ab eo deleti, extirpatiq́; fuere. Hi enim ſub ſpecie ſanctimoniæ & religionis tanquam mendicantes, ſe ad ſolitudines ponebant, compita, vias, & itinera, quæ mercatores, peregrini, & viatores tranſituri erant, obſidebant, in quos capta occaſione tanquam graſſatores & latrunculi irruentes, illos opprimebant, interficiebant, & bonis ſpoliabant. Quæ res cùm ad Ottomani Principis aures perueniſſet, is ægreferens, omnes, vt dictum eſt, ad vnum tolli iuſsit, ita vt eorum memoria prorſus extingueretur.

Hoſe.

Hos verò & ſecundo loco Hoze (ſic eos Turcica lingua appellat) ordine conſequuntur, quibus apud nos pares æqualesq́; eſſe cenſeri poſſunt fratres, qui conuentuales nuncupantur.

Talaſmani.

Poſt hos verò & tertio loco Talaſmani ſequuntur, qui ſacerdotibus ſecularibus appellatis, ſimilem vltimum locum tenent. Hi etenim tantummodo tres ordines, gradus, & conditiones ſacerdotum, ſiue religioſorum, in Turcica ſecta eſſe reperiuntur, qui in omni eorum religione, ſacerdotio, ceremonijs, & ſacris ſuis, inſeruiunt & famulantur.

Noua nomina Scanderbego, & fratribus in eorum circuncisione iuſſu Tyranni indita, & prouiſio circa eoſdem facta.

Nunc ad propoſitum reuertar. Epirenſibus varia nomina, prioribus mutatis, indita ſunt, ex conſuetudine gentis. Georgius, ſeu caſu, ſeu quod nobilior inter cæteros indoles, egregium neſcio quid præ ſe ferre videbatur, Scanderbeg appellatus: idem quod apud nos Alexander Dominus. Maxima læticia ea res apud Amurathem celebrata, vt facere apud nos vulgo ſolent, quum aliquem ex Iudaicis ſordibus

dibus emergentem ad lucem & ad ſalutem redire vident. Decreta ſunt eis copioſa, honorificaq́ alimenta, ſed Scanderbegum præcipuè, cùm indoles ipſa tum ætas (vix dum enim nonum attigerat annum) Tyranno conciliabat. Præceptores (vt aptior eſt ea ad diſcendum ætas) varij generis non negati. Breui itaq́ temporis ſpacio, promptum ad omnia ingenium, linguam, literaſq́ Turcicas, Arabicas, Græcas, Italicas, Jllyricas didicit. Creſcentibus verò paulatim cum ætate viribus, adoleſcentem illa vnica inceßit libido, nullum ſanè genus bellicæ virtutis intentatum tranſire, ac nunc gladio, nunc arco, iaculoq́, tum eques, tum pedes, incredibilia propè omnia promptißimi corporis experimenta ædere, audere aliquid ſemper maius annis. Et priuſquam vis ipſa membrorum ferociam æquaret animi, ac nondum pares bellicis ſudoribus ſpiritus viderentur, amor fuit vario certaminum genere æquales quotidie prouocando, crebris ſpectaculis fauorem ſibi apud omnium animos, Principisq́ præcipuè ipſius conciliare, & ſemper aliquid ferre laudis, ac iam inde viam ad futurum decus, & alimenta ad famam præſtruere. Mox ingentibus lacertis, confirmata iam ætate, ardua quæq́ fortißimi viri munia obire, pati famem, ſitim, algorem, æſtus, vigilias, quibus ex rebus aßidua exercitatione optimum profectò ſe ad omnem militiam breui præſtitit. Quare non paſſus Amurathes diutius priuatum eum apud ſe verſari, Sanzachi inſignibus primum decorauit. Gradus autem is eſt dignitatis apud Turcas ſecundus poſt Baſſas, maior tamen minorq́ auctoritas ineſt officio, prout latius ei ius liberalitas ipſa Principis tribuit. Scanderbeg igitur tunc quinq́ equitum millibus præpoſitus fuit. Cæteri quoque fratres iiſdem ornati dignitatibus, atque ad varia munia, & bellorum neceßitates in diuerſas partes mißi, ſatis nominis quotidie promerebantur. Cæterum is non multo poſt vix dum octauum & decimum egreſſus annum, in Aſiam iuſſu Tyranni profectus, ac cæterorum ſigna lætißimis ſecutus initijs, ibi prima belli auſpicia ſumpſit, & hoſtili cruore auidam iampridem tinxit dexteram. Tum ibi conflatis alijs (vt fieri ſolet) & alijs bellicis pluribus expeditionibus cum copijs ſuis ſemper interfuit, & victor cum ſocijs ad Ottomanum reuerſus eſt, quibus in expeditionibus opera ſemper eius, virtus, fortunaq́ præcipuè, tum priuatim, tum publicè laudata. Omne victoriæ decus, omnis euentus belli ad eum aſſeueranter relatus, de duce exercitus, quaſi non facta mentione, ſoli ei triumphũ ac victi gloriam hoſtis militaris fauor, clamorq́ adiudicauit. Nondum inuaſerat Tyrannum æmula virtutis inuidia, & licet tum ingenium, tum fortuna hominis obnoxia ei eſſet malo, conciliabat tamen fauorem potius apud omnium animos ſibi rudis, atque ſimplex, & ſicut cupida, ita non auara gloriæ adoleſcentia. Honoratus itaque verbis doniſq́ egregiè eſt ab Amurathe. Paulum quietis datum homini


Ingenium Scanderbegi.

Sanzachi dignitas apud Turcam.

Iuuētus Scanderbegi.

Scanderbeg dux exercitus Turcici.

(& vt nunquam Turcis bella deſunt) nunciati ſunt noui motus ex Aſia, electus ad id certo decreto, & ſine variatione Scanderbeg, delataq́ ad eum totius exercitus ſumma, ac Imperatorijs faſcibus ob res priore bello bene geſtas decoratus. Ad quod delatus bellum, fuſis pari celeritate fortunaq́ hoſtibus, priorem gloriam omnem facilè ſuperauit. Nam præter ingentia militum teſtimonia, alia quoque certiora longè eius gloriæ & fortunæ monumenta ad Ottomanum attulit, captiuorum magnum numerum, cæſorum hoſtium ſpolia, ac ſigna militaria complura, cæteraq́ bellica inſtrumenta vſque ad abuſum, exercitus præterea ita integer, ac penè illæſus reductus eſt, vt victi quidem apparerent, in victoribus autem nulla concertationis veſtigia cernerentur. Admirata magis fermè prudentia eius eſt ab Amurathe, quàm rerum tam fœlix ſucceſſus. Quum is non ſolius laus, ſed cum fortuna quoque communis eſſet. Prudentiæ verò atque conſilij fructum, ſolum ſibi ingenium vendicaret. Proinde auctis ſtipendijs, copijsq́, miſſus denuo ad ea ipſa loca, ac relegatus quaſi eſt, donec quoſdam populos vrbesq́ ſubegiſſet Tyranno. Sed nunquam vel fefellit, vel diſtulit fortuna vllum deſiderium iuuenis. Expeditis ex animi ſententia omnibus, atque imperio Ottomano latius etiam quàm iniunctum fuerat ampliato, famam iam ſibi ingentem apud exteras etiam gentes peperit. Reuerſo Adrianopolim, quum foris ſublatus eſſet hoſtis, domi non defuit, Venerat namque ex Scythis quidam ferox magis & inſanus, quàm fortis



Scanderbegi duellum cum Scytha.

bellator, qui familiam omnem Tyranni prouocabat, ſi quis ferro ſecum vellet decernere. Genus verò certaminis id propoſuerat, vt in anguſto loco nudi ambo relicti, ſingulis tantùm gladijs fortunam experirentur. Cœperat tam ſtolidum conſilium Barbarus, vel quod prodigus vitæ & ſanguinis

guinis ſui eſſet, vel ea fortaſſe inani ſpe, quod nullum tam ancipitem impendentis periculi ſortem petiturum credebat. Indeq́; & laudem eam ſe & præmia ſine certamine laturum ſperabat. Nam propoſuerat non indigna quoque munera victori Amurathes, vt illorum ſaltem ſpe excitaretur aliquis, quum nudæ tantùm gloriæ fructus ſegnius alliciat homines. Omnes tamen tam funeſtum decus, præmiaq́; eodem tenore aſpernabantur. Sed ſurgens, ſtupentibus ſingulis, plenus animi Epirenſis: Non incruentus, inquit, Scytha, hæc præmia laudemq́; domum feres, aut honoratior me occiſo, & ijs quoq; ſpolijs onuſtior ibis. Agedum igitur, accipe tamdiu quæſitum hoſtem. Licet accommodatius feris beſtijs hoc certaminis genus, ſperni à fortibus viris, ſaluo pudore, & poßit, & debeat: veruntamen liceat ſemel & mihi hoc corpus contemnere, quippe quum par membrorum & ſanguinis ſeruandi ratio tibi eſſe debuerit: ſed nihil vilius eſt homini quærenti laudem. Donabo proinde hoc & ipſe cruoris hodie Amurathi, ſocijsq́;. Scytha nihil territus, ferocioribus adhuc verbis inijcere pauorem ei conabatur, puerum appellans. Adhuc enim in annis pubertatis erat, neq; dum hiſpida prorſus lanugo grata ora exaſperauerat. Tum deducti ad Tyrannum ingenti clamore vulgi ſunt; & aßignatus, vt petierat Barbarus, certamini locus, depoſita ocius ambo veſte, vltimisq́; tunicis, nudi proſilientes in medium, nouo genere ſpectaculi omnium oculos hauſere. Et quamuis fiduciam ingentem vultu, verbisq́; oſtenderet Caſtriotus, ingens tamen cura mixto dolore ſpectantium animos inceßit. Et ſimul ætas, ſimul pulchritudo ipſa corporis, ac decor membrorum ſubiectus, oculis multum & pietatis & fauoris excitauerant. Statura celſa, proceraq́;, brachia in homine pulchriora non viſa, collum robuſtum obſtippumq́;, vt laudatur in Athletis, humerorum mira latitudo, color candidus, latenti velut purpura ſuffuſus. Aſpectus oculorum non toruus, non vanus, ſed gratißimus. Adiuuabant hæc multum cæteras virtutes, atque animi bona augere videbantur. Intrepidi acceptis breuibus gladijs, non enim longiores loci anguſtia patiebatur, ingreßi locum, ac ibi dimißi ſunt maximo populi ſilentio. Non conſilio vllo ibi, non multum animo, ſed impigra quadam & veloci dextera agendum erat. Erecti ad ictus ambo, Scytha prior incubuit in hoſtem, & punctim intenſo ferro ilia eius petijt. Scanderbegus toto maxime corpore inflexus, ac velut in arcum deductus, & leua ſimul apprehendens barbari dexteram, ictum inhibuit, & adacto cæſim gladio, guttur illi cum ſingulis arterijs impigre abſcidit. Balbutienti adhuc lingua, ille collapſus humi locum fermè totum corporis mole compleuit. Sublatus repente ab his, qui ſpectaculo aderant, & accurrentes regij iuuenem illæſum inuiolatumq́; læti ad Amurathem perducunt. Caput cæſi hoſtis cruentis ipſe manibus Tyranno alacer obtulit.

Epirenſem vocat Scanderbegum.

Filum corporis Scanderbegi.

Præmia

Præmia inuitus accepit, quum non argenti auriúe cauſa, ſed domeſtici decoris tuendi, & reprimendæ barbaricæ arrogantiæ, ſuſceptum ſibi id oneris diceret. Magis itaq; ea modeſtia acuebat in ſe ſtudia. Et quod apud ſui generis homines plus nimio eniteſcens virtus parturiebat inuidiæ, liberalitas naturæ & dexteritas ipſa ingenij amouebat. Haud pigebit referre & illud, quod nihilo minori laude dignum ijſdem animis, armisq; edidit: nam profectus cum Amurathe in Bythiniam magis ſolatij, quàm belli cauſa, quum in Burſa ciuitate eſſent, quæ nunc eſt Aſiatici imperij caput, duo ex Perſide viri, tum ex more gentis inſigni veſtimentorum habitu, tum egregia figura corporis, ad Tyrannum aduolarunt, Iaia & Zampſa eorum nomina erant, ſtipendium ab eo petiere, impudentia magis quadam, quàm fiducia virtutis, agentes alter alterius cauſam, & facta extollentes ſua, ac mutuis ſe iuuantes teſtimonijs. Poſtremò Zampſa minor natu, ne appoſitis tantummodo inquit ad hoc ipſum verbis: Magne Rex, ſtipendia tua petituri veniſſe videamur, & in ea incertitudine rerum inanis aliqua arrogantia in nobis, & ſordida temeritas arguatur. En daturi vltro tibi ſumus experimentum cupidorum ſaltem, ne dicam magnorum animorum. Quotquot homines fortiſſimos viros inuitamus, vt ferro iudicent nos dignos, indignosúe, qui tuis viuamus auſpicijs. Equum tantũ, gladium, lanceam, ſcutumq;, ac reliquum corpus omnibus armorum præſidijs nudatum

Scanderbegi cõflictus cum duobus Perſis, Iaia & Zampſa.



oſtentantes, ita ſe dimicaturos dixere. Amurathes (vt facilis erat) allocutus benignè homines, promiſit, nihil eis apud ſe defuturum. Deinde circunſpectans hinc inde, expectabat, ſi quis eam prouocationem acciperet. Sed vbi velut obmutuiſſe omnes vidit, & tacitam præberi à ſuis confeſſionem

nem

nem ignauiæ, ignominiam ratus ſuam, ſi ita inulta ea Perſarum inſolentia abiret. Conuerſus ad Scanderbegum, non ignorans quæ eius ferocia atque ingentes ſpiritus erant, licet præcipuam periculi ſortem omnino tamen petiturum ratus: Quid expectas macte virtute, ait, fili? Tua hæc laus, Hæc te manent præmia. Age inſignem adoleſcentiam hanc, & inuictam dexteram hodierno quoque ſpectaculo redde. Nihil moratus Caſtriotus, deoſculatur ex more Principis pedes, equum & arma popoſcit, eductusq́; maximo plauſu vulgi in patentem campum, qui deſtinatus certamini erat, hoſtes ad ſe vocatos, intrepidè interrogauit, quem ordinem vellent ſeruare in dimicando. Statutum eſt, vt Jaia prior experiretur fortunam, qui victor finem certamini faceret, victum verò ſocius in quencunque caſum ſequeretur conditionem. Non recuſauit Scanderbegus, licet circunfuſi regij iniquum dicerent, vt idem, ſi viciſſet, feſſus & ſaucius fortaſſe, recenti atque integro ſubijceretur. Summota poſtmodum ex loco turba, præco ſignum dedit, concurrunt concitatis equis viri. Perſa infixa ſcuto hoſtili cuſpide magna vi incumbens, vt ex equo illum deijceret, haſtam perfregit. Epirenſem capiti tantummodo hominis intentum ictus omnis fefellit. Jtaque vterq; eluſi, gladijs tum demum congreſſuri, hinc inde abibant. Sed impatiens animi Zampſa, non expectato ſocij euentu, infenſa cuſpide Caſtrioto occurrit. Jlle non ignaua verborum contentione eo periculi tempore perfidiam hoſtis accuſandam ratus, impigre ad nouos ſe ictus accingens, iugulum venientis ſcrutatus lancea transfixit. Vix eo humi collapſo, aduolans Jaia, horrenda voce compellans hoſtem, ſtricto gladio fermè oppreſſit. Victor gyrato ocyus equo ad eum conuerſus, nudato & ipſe ferro impetum venientis excepit. Et dum triplicatis hinc inde ictibus, alter alterius cruorem haurire contendit, Scanderbegus dexterum viri humerum, qui collo iungitur eodem tenore ictus ea vi cæcidit, diuiſitq́;, vt duplex, quaſi domini cadauer ea die infœlix traxerit equus. Sic duo fortiſſimi viri ſub vnius manu maximo ſpectantium gaudio cecidere. Sed & ſi eo fato erepti forent, Amurathis certe indignationem non effugiſſent, qui tam perfide, & proditorum more, militem ſuum circumueniſſent. Ductus ad regem Caſtriotus eſt, ſicut duplici ouans victoria, ita duplici capite onuſtus. Jam priores res omnes bello geſtæ, Jam recens Scythæ memoria præ noua gloria euanuerat. Rex, purpurati, ac ſocij deinceps omnes varijs donis cumulatiſſimè honeſtarunt, vindicem atq; auctorem publici decoris eum appellantes. Nimio plus fortaſſe in hæc facta hominis incubui, ſed hæc potiſſima mihi bellatorum laus ac tota prorſus ipſorum eſſe videtur. Nam quæ in bello gerimus, communia ſunt cum alijs: hæc Caſtriotus peculiaria ſibi peperit manu. Malui proinde, ſi ita neceſſe ſit, vt redundans potius, quàm ingrata noſtra notetur oratio, maximè quod in alijs

Scanderbeg victor muneribus honoratur.

Luxuries orationis in authore.

huiuſce generis, quæ ab eodem geſta veniunt non procul dicenda mihi moderatiore prorſus ſtilo ſum vſurus. Haud cedit his periculi præſentia, vel magnitudine ipſa rei illud, quod in expugnatione Nicomediæ, Pruſiæ, Otreæq; non ignobilis Aſiatici oppidi ſpectante Amurathe patrauit. Primus nanq; murum conſcendit, ſigna victricia fixit, vrbem fermè ſolus intrauit, ac cepit. Miſſus poſtmodum in Europam, ſæpius contra Chriſtia-



nos, nunc Græcos, nunc Hungaros, prudentis magis quàm audacis Imperatoris nomen tulit. Nam quum eam bellandi neceſſitatem iniunctam ſibi videret, quam neq; præter ſuſpicionem recuſare, neq; exequi ſine maximo dolore poterat, ante omnia Deum orabat, vt id laudis genus à ſe auerteret, neq; in eo ſanguine hauriendo atroci ſibi eſſe liceret. In cute enim tantummodo & exteriori habitu Macumetanas ineptias, intus Chriſtiana

Quo animo Scanderbeg contra Chriſtianos bellarit.

præcepta tenaciſſimè ſeruabat. Tamen quando ſic exigente fato aduerſus eos progrediebatur, quærebat aſſiduè, qua ratione & illos minus læderet, & exercitum ſibi traditũ incolumem ſeruaret. Ita igitur tum in omni cura caſtrorum, tum in ipſo ingreſſu pugnæ cuncta exequebatur, & modum quendã cauti ducis ac optimi Imperatoris ſeruabat, vt neq; Chriſtiano eſſet infenſus, & modeſtia illa eius, cunctatioq; diſciplinæ prudentiæq; militari, quàm fraudi cuipiam, ſeu imperitiæ, vel timori propior videretur. Gerebat nanq; ſe ita ſemper, vt neq; ſuperari ipſe quoad poſſet, pateretur, & Chriſtianis ſalutis opportunitatem omnibus modis oſtenderet. Vel ſi aliter non poſſet, viuos caperet, tolerabiliorem ſeruitutẽ eorum ratus, quàm necem. Ita ſuos tum in caſtris, tum in ipſo belli ardore hortabatur, vt nunc pu-

dorem

dorem ſingulis, nunc metum videretur incutere. Ita deinceps crudeſcente prælio, maximo ingenio rei ſuæ atq; exercitus ſtatum in quandã deducebat difficultatem, vt maiori poſtea laudi ſibi apud Amurathem conſeruatus exercitus foret, quàm alijs multiplices atq; inſignes victoriæ. Exin nullius maior vel gratia vel autoritas ferè apud regem erat. Militum animis nemo acceptior. Idem mitis, facilis, clemens, laudem nõ ex communi ad ſe trahens, ſed in medium conferens. Pecuniarum quantum colligebat, tantum erogabat. Efficaciſſimam ad conciliandas amicitias merito exiſtimans, & aptiſſimũ ad vulgi ingenia liganda vinculum. Non inuitatus vltro quiſque ſigna eius ſequebatur, & illius gratia vel in apertum tendebat diſcrimen. Sed non tardata diu fortuna venenum deprompſit ſuum. Moritur interea in Epiro Iohannes pater. Auditum id à Scanderbego, Qui, quam-

Scanderbegi pater moritur.



uis (vt par erat) acerbiſſimè lugubre nuncium percepiſſet, non tamẽ apertis lachrymis, aut manifeſto dolore occultũ animi ſenſum indicauit, quum Amurathem verè patrem & principem appellaret. Tyrannus, velut ſucceſſor regni, nihil moratus, validiſſimum præſidium ad Croiam & alia oppida occupanda miſit. Sicq; facile arrepta locorum omnium incruenta fuit poſſeſſio, quum neque exhauſtæ populorum vires idoneæ ad tuendam libertatem eſſent, neque negare poſſent Ottomano ius in rebus Ioannis, filios eius omnes apud ſe habenti, quos idcirco (vt arbitror) acceperat, vt vacans demum ſine hærede ſceptrum ad eum deuolueretur. Voiſauæ, quæ viro ſuperſtes, cum Mamiza filia domi ſola ex eius infelicis regni reliquijs reſtabat, in Aemathia agri neſcio quid ad alimenta & ſuſtentationem anilis ſpiritus aſſignatum iuſſu Tyranni. Hanc ante aduentum filij in Epirum ſenio confectam, obijſſe quidam narrant, relicta filia, quæ fra-

Croia occupatur.

tri reduci atque victori eodem virginitatis tenore innupta ſeruata, ab eodem poſtea viro tradita, & reſtituta omni priſtinæ dignitati eſt. Diſsimulauit hæc omnia ferox iuuenis pari animo, atque dolorem ex morte patris diſsimulauerat. Amurathes ſatis coniectans moleſtiſsimum id ei & fratribus apud ſe degentibus viſurum, vtpote qui debitum ſibi imperium non iniquis votis tacitè expectarent, perſidiam ſuam ſecutus, fratres primum Scanderbegi (vt fama eſt) occultè ſtructis inſidijs veneno abſumptos, ſuſtulit de medio. Deinde ad Scanderbegum conuerſus, multa verſabat animo, quomodo & eo viro, quo tanquam Alcide ad ardua quæque & difficillima obeunda vtebatur, imperium ſuum non exueret, & eo ſe onere atq; ſuſpicione leuaret. Quare illum ad ſe vocatum fertur longo ſermone, & pluribus verbis ad idipſum appoſitis ſolatus, tum ob patris mortem, tum miſerabiliorem fratrum fortunam. Obtuliſſeq; regnum auitum, vel ditius longe imperium in Aſia, quando ſui iuris eſſe vellet, rogaſſe tamen, vt nondum ſe relinqueret, in ea præſertim mole bellorum. Parata maxima quæque ei apud ſe fore, quæ vel gloriam, vel fortunam condiant humanam. Cognita fraude iuuenis non minori conſilio, vultuq; verbis accommodato, ſic Amurathi reſpondiſſe dicitur: Viuunt in te fratres mihi, viuit Iohannes pater ſupreme regum, ac indulgentiſsime Amurathes. Neque dum ita mihi apud te eſſe licebit, vllum vel patriæ deſiderium, vel regnandi libido animum inceſſet meum. Itaque licet cogas hodie me ad hæc munera, vel verius onera, accipienda, libenter accipio ingentem animi tui munificentiam, amplector gratiſsimi Principis liberalitatem. Sub huius tamē vmbra capitis viuere nunc certa ſtat ſententia. Vix tum fortè mutaturus conſilium, quum emerita bello atq; inutilis ſenecta inuictum ab hac cupiditate reuocabit animum. Aptior ad militiæ ſubeunda onera, quàm ad imperij pondus ſuſtinendum, hæc eſt ætas aptior gladio, quàm ſceptro dextera. Quam ob rem da hoſtem nobis Amurathes, vt lætiores virtute noſtra partum, quàm te dante regnum accipiamus. Lætus audiuit eum Tyrannus, & tum etiam atque etiam augens promiſſa, ſpe ingentiore credulus onerare ſtuduit. Cœpit iam inde latenter morbum, atque erumpens paulatim malum ſentire Epirenſis, Et licet omnia ſumma ratione diſſimularet, diligenter tamen vitæ ſuæ cuſtos eſt factus. Et quo magis timebat Regem, eò plus conciliare ſibi multitudinem atq; militum animos ſtudebat. Semper tamen aliquo bello occupatus, alimenta quotidie ad famam, ſed non minora ad inuidiam addebat. Nam non potuit ita elaborata ingenij modeſtia & quotidianis obſequijs perfidiæ humanæ vias occludere, vt hoſtes ſibi tandem virtus ipſa non pareret. Namq; exciti purpuratorum nonnulli, quum tantam indolem creſcentis indies peregrinæ virtutis æquo animo ferre non poſſent: vbi promptiorem aliquantulum ad credendum

Caſtriotus affectati regni accuſatur.

videre

uidere Amurathem, occultis ſermonibus apud eum aſsiduè criminabantur hominem, affirmantes ex nimia largitione in multitudinem; & ambitione popularis fauoris potentiam illum ſibi aſtruere, ſuſpectumq́; dicentes in aula merito id ingenij ſpecimen eſſe debere, facile cuncta perſuaſa Tyranno, præſertim quod de largitione vera omnia dicebantur, & ſenectus ipſa ſuapte natura timida, cætera ſtudioſe in peius interpretabatur; vt non de Epiro tantum, ſed ipſa ſumma imperij tacitus quidam ſuboriretur timor, mensq́; forſitan ipſa proprijs ſceleribus obruta, & regni malè quæſiti ſollicitus amor, cuncta inter ipſos etiam domeſticos penates infida atque infeſta reputabat. Quare aucta ea ſuſpicione odiſſe ex occulto cœpit, & intentior inuigilare, ſi quo efficere poſſet modo, vt eum latenter de medio tolleret. Non quo deeſſet ſcelerato conſilio licentia, & poteſtas omnia patrandi, ſed nec cauſa hominis perdendi, nec vlla ſubeſſet ratio. Verebatur aperta vi immeritum opprimere, quum tam acceptum videret omnibus, ne & plurium aliorum animos ab ſe alienaret, & eo peſsimo exemplo in poſterum externæ virtuti ſuum clauderet regnum, qua maxime ſemper Ottomanum creuerat imperium. Sed per id tempus orta alia maiora negotia foris, eas domeſticas ſuſpiciones exhauſere. Decretum nanque bellum eſt in Georgium Myſiæ Principem, Deſpotem Seruiæ vulgo appellant. Non inuitus Tyrannus id onus ad Scanderbegum detulit, vel quod

Scanderbeg pluries ab Amurathe in Myſiam cum exercitu aduerſus Georgium ſiue Deſpotē miſſus, victor inde Adrianopolim ſemper reuerſus.



nullius opera fœliciore in rebus ſuis vtebatur; vel videns adeò militiæ cupidum, & promptum ad pericula, ſperabat aliquo hoſtili caſu, quos plurimos afferunt bella, planè caſurum. Facto itaque delectu, Caſtriotus in Myſios

profectus eſt, præter morem ſuum iniquior tum aliquantulum Chriſtianis fuit; ne ſi tergiuerſando oblata victoriæ occaſione in eum hoſtem vſus non fuiſſet, fomenta ad ſuſpicionem præberet Amurathi, inclinato iam pridem ad omnia credenda illius animo, quem maximè conciliare ſibi ſtudebat, donec pulchra aliqua opportunitas effugij affulſiſſet ſibi. Itaque ſæpius Deſpotem bello fudit, & victor Adrianopolim eſt reuerſus. Rurſusq́, quum idem Deſpotes, recuperatis viribus, cornua erigere cœpiſſet, denuo exercitu aucto miſſus aduerſus eundem Caſtriotus, ſuperatum prælio, fugatumq́ pluribus caſtellis exuit, ac militem multa hoſtili gaza diuitem reduxit. Sedato foris tumultu, ſenex in auctorem ipſum victoriæ, ocyúq́ eodem ſcelerati propoſiti tenore conuerſus eſt. Hinc audio ingentibus præmijs propoſitis multa ſingularia per id tempus certamina edixiſſe, quum ſatis ſciret Scanderbegum nihil vnquam detrectaturum, vt ita periculis eum exponeret omnibus. Sed hæc conſilia ſicut impia, ita vana irritaq́ apparuerunt. Nam quum plures tum ex domeſticis, tum externarum gentium viri fortiſsimi, ad eam præmiorum & gloriæ ſpem accenſi indies confluerent, conſurgerentq́, hic ſemper maximo animo, nec minore fortuna, ſingulis ſeſe obtulit, & velut fatalis quidam victor ſuprema omnium admiratione atque fauore, & præmia, & laudes ſolus reportauit. Vni tamen Ottomano tanta viri virtus, quæ vel hoſtis ſæuos atq́ ſuperbos animos fregiſſet, nunquam aliquid poterat clementiæ inurere, quin magis quotidie creſcente ſuſpicione, eius animus irritabatur, excandeſcebatq́ perſeuerantius ad quærendum aliud tacitæ vltionis genus. Sed cur tam credulus ipſe inanes has vltiones Amurathis & ſtolida conſilia, Scanderbegiq́ econtra prouidentiã vane ſequor, & non ad Deum potius vnico verbo ſeruati ſalutem hominis refero? Hic profecto mentem ademit Tyranno. Hic bellorum impedimenta, & nouos ex Myſia motus. Hic demum Hungarorum arma excitauit, ne deuotũ Chriſtianæ dignitati caput tam fœde extingueretur, vt priſca aliquando libertas illa reſurgeret in Epiro. Nam ſi nulla fuiſſet hic diuini numinis ratio, compos certè ſuæ ſententiæ Ottomanus extitiſſet. An deerant mille alij necis modi, quibus præter minimam ſeditionis ſuſpicionẽ eum potuiſſet circumuenire? vbi venena, vbi inſidiæ, vbi confictæ criminationes, regum arma, erant? Caſtriotus his inſidijs paulatim detectis, quum difficile videretur, ſi diutius manſiſſet apud Tyrannum, tot laqueos deuitare, decreuit tandem paterni regni, virtute aliqua & ingenio vendicandi conſilium expedire (id quod olim non immemor libertatis animus concoquebat) tacitè occaſionem quærens, vt Amurathe relicto, in optatam tamdiu patriam ſe recipere poſſet, vbi ingenti ſtudio, ac omnium votis expectabatur. Sed nulli vnquam mortalium ea conſilia ſua patefecit, non verbo, non indicio vllo tacitũ eius deſiderium à quopiam

Tyranni conſilium, & inſidiarum genus pro morte Caſtrioti.

Libertas Epiri.

Scanderbegi conſilium de regno paterno occupando.

piam eſt deprehenſum, licet & plures ibi eſſent maxime Epirotici generis, quibus propter familiariſſimam vitæ conſuetudinem nõ iniuria fidere potuiſſet, & poſt Iohannis patris mortem exciti tum fama eius, tum cupiditate amiſſæ libertatis recuperandæ, aliqui ad ipſum diuerſis temporibus ab optimatibus Epiri mitterentur, offerentes facultatem, occaſionemq́; adiuuantibus populis, extorquendi paternum imperium ab Amurathe. Conſcius tamen ipſe humanæ leuitatis, & magnitudinem periculi perpendens, prudenter diſſimulabat, præſertim quod facilem cæterarum rerum poſſeſſionem ratus, de Croia recuperãda, cuius præcipua erat ſollicitudo, anceps animi erat. In ea enim validiſſimum præſidium impoſuerat Tyrannus, vt neq; armis, aut vi vlla, ſed præclara aliqua arte ingenioq́; vẽdicari poſſet. Eſt enim Croia Epirenſis imperij caput, in excelſa & prærupta montis crepidine ſita, inuia vndique & inacceſſa penè, adeoq́; inſigni naturæ opere munita, vt præter famem, reliquum omnem hoſtilem furorem facile poſſit contemnere. Quare Scanderbegus, ſi quando tentaretur, laudabat omnium voluntatem, & non abolitam ex pectoribus gentis memoriam libertatis. Sed magnas vires Amurathis dicebat, neq; durum imperium, non eſſe excitandos ſtolidè motus ad quos non ſufficiant vires: neque curandum de tam momentanea poſſeſſione libertatis, vt poſtmodum non in eandem ſeruitutem, quæ ſatis tolerabilis erat, detruderentur, ſed in grauiora longè vincula compingerentur, & victimarum more ab indignato ex ea rebellione Tyranno poſtea iugulentur, & inter cætera conſolans ſemper eos quantum gratia ipſe poſſet, & auctoritate apud Amurathem annixurum ſe pollicebatur, vt quo rei natura pateretur, lene id eis iugum atq; moderatiſſimum illius imperium efficeretur. Ita prudentiſſime & illis & ſibi vſquequaq; conſulebat, expectabatq́; quotidie, ac ſtruebat tacite ſibi occaſionem ad erumpendum, non alio certe ſimilitudinis modo, quàm ſi quiſpiam concluſus, ſeditionem in vrbe, & conſternationem rerum omnium tacitis votis expoſcat, vt conuerſis eo in caſu ad id incendium extinguendum ciuibus, ipſe diffractis vinculis pariter & cupitam tamdiu libertatẽ vendicet, & duras prætoris ſecures effugiat. Neq; tamen diu fortuna deſiderium eius fruſtrata eſt. Deſpotes namq; Myſiæ, de quo retro diximus, interea partim rebellantibus ſuis ab Amurathe, partim vicinorum armis, & opera amicorum adiutus, nunc eiectis, nunc cæſis quibuſdam Turcarum præſidijs priſtinum ſtatum recuperauerat. Ottomanus itaque acriter in eum accenſus, non amplius rem per alios, vel duces, vel exercitus gerendam ratus, ipſe delectu ingenti habito ad opprimendum Georgium, & exuendum regno contendit. Et æquè facile, vt conceperat, ex animi ſententia peregit omnia. Nam impar Tyranni viribus Deſpotes, primo fermè impetu præſidijs omnibus nudatus, confugiens ad Hungaros, relicto imperio illi incruentus

Deſcriptio vrbis Croiæ.

Simile.

Deſpotes vẽdicat ſibi regnum à Tyrannide Amurathis, à quo iterum expellitur.

cruentus ceßit. Scanderbegi conſilio operaq́ in ea expeditione potißimum vſum fuiſſe Amurathem dicunt, quoniam pluribus antea bellis ibi fœliciter geſtis, locorum & regionis peritior erat, ſed nulla tum vſquam voti ſui explendi occaſio homini affulſit. In propinquo tamen aderat, quia vix Adrianopolim reuerſus Amurathes dimiſerat exercitum, quod alij motus increbreſcere ab Hungaris, & alia vis periculi inſtare cœpit, Quum Deſpotis fortuna Iuliano Cardinale ſancti Angeli agente, quem ad idipſum Eugenius Pōtifex miſerat, Vladislaum regem ad arma excitaſſet, vt eum in regnum Myſiæ reponerent: Tyrannus eo audito, inſtauratis impigre copijs 80. hominū millia confecit, & non expectans eorum aduentum in Myſiam, Baſſam Romaniæ, & Scanderbegū cum 20. millibus in Hungariam maxima celeritate venientibus occurſuros præmiſit. Ipſe de more cum reliquo robore exercitus & impedimentis eſt ſecutus. Chriſtianæ quoque copiæ tum numero, tum militum ducumq́ virtute inſignes erant, 35. armatorum millia. Hunniades præterea ille, Iancus vulgo dictus, ingentis nominis bellator, cuius vel ſolo nomine victos ſæpius Turcas audiuimus, repreſſerat tamen illud ferociam hominum, quod deficiente pane, quum frumento cocto veſcerentur milites, maior pars illorum ægritudine ſubita fuerat oppreſſa, cauſato ex eo genere cibarij immodico quodam ventris profluuio. Aduolans igitur ocyus Baſſa, non longè à Moraua flumine caſtra

Vladislaus Pannonū rex, exhortationibus Eugenij Pontificis, maximis copijs contendit ad reſtituendum Deſpotem in regnum; cui Amurathes valido exercitu occurrit.

Victoria Hunniadis, qui & Iancus dictus.



metatus eſt. Impatiens eius rei Hunniades, ſpectatores primum occultè ad contemplanda ſingula, & perſcrutanda de Amurathis aduentu miſit. Vbi de numero copiarum, & Tyranni conſilijs certum iudicium tulit, vt

decem

decem millibus ex toto exercitu ſuo vtilibus ad arma electis, relicto in caſtris Rege Morauа ſuperato, maximo impetu contra barbarum proceſſit. Jlle animi dubius, primo retroceſſit aliquantulum, mox paucitate contempta, expectato Hunniade pugnam inijt. Scanderbegus contemplatus tempus, quo initum iampridem conſilium deſideriumq́ ex animi ſententia exolueret, ſummo ſtudio cladem Turcis procurabat. Et primum cum legionibus ipſe ſuis paulatim hoſti cedere, atque terga dare cepit. Deinceps alijs eo exemplo metum incutere, ac fugam quandam ſuadere. Baſſa quoque concepto inde timore, vel quod præter morem tam peritum militiæ virum ad fugam magis, quàm ad pugnam paratum videret, vel proditum ſe ab eo crederet, ſegnius intulit pedem. Ex quo Hungari creſcente (vt fit) ex alieno metu audacia, haud magna cum re, ac incruenti fermè hoſtem fuderunt, profligaruntq́. Turcæ relictis impedimentis pallati ſine ordine, ſine ſignis, nullo ducum, nullo ſociorum reſpectu, fuga qua ſola poterant, ſe ſaluabant. Hunniades victoriam ſecutus, finem cædi non fecit, donec quippiam ſuperfuit reliquiarum. Strages vbique, & omnia pauoris ac tumultus plena erant, præſertim in direptione ipſa caſtrorum. Vnus ex Satrapis Tyranni, magnæ vir autoritatis, viuus captus, cæterorum quatuor millia, Baſſa vix cum paucis euaſit. Tum Scanderbegus, qui ſedulus obibat omnia, cõmunicata ante re cũ amicis, inter quos & Ameſa nepos fuit egregiæ indolis adoleſcens, quem Repoſius, poſtea Caraguſius dictus, à Turcis ante inſidias Ottomani vxore ducta ſuſceperat, vbi inclinatam Turcarum fortunam, & ſtratas ſuorum acies vidit, aſſecutus ſcribam auricularium Baſſæ, quem ad id ſumma ratione obſeruabat, apprehenſum hoſtili animo coniecit in vincula, ab eoq́ confeſtim mortis timore nihil quicquam recuſante, fallaces literas ad Croiæ magiſtratum extorſit, quibus iubebatur nomine Amurathis Scanderbego nouo præfecto deſignato, præfecturam & vrbis curam omnem tradere. Aliaq́ multa ſcribendo addita, quæ probabili quadam ratione rem fulcirent, & ad credendum magis inuitarent. Literis exaratis, ſcriba repente cum cæteris comitibus fugæ obtruncatur, quo diutius ea res lateret Amurathem. Neque in eos tantum ſeuitum, ſed quotquot tum in Caſtrioti ditione venere, omnes necati. Jta ille exercitus penè ad internecionem cæſus eſt. Nam qui militarem furorem ſubterfugere, in incolarum poſtea manus incerta fuga delapſi, eodem fato ſunt abſumpti. Milites plures Epirotici generis, qui in eo prælio fuere, vbi id factum Scanderbegi audierunt, vt pallantes ex fuga hac illac oberrabant, tum hoſtis fugiendi cauſa, tum patriæ præcipuè deſiderio tacti, circa eum ſe collegerunt, factumq́ ſubito eſt trecentorum non ignobile agmen. Hunniades victor cum ſuis ingentibus ſpolijs onuſtus, ad ſocios ſe recepit. Non omittam hoc loco, quod multi dicunt, Scanderbegum

Vladislai pugna contra Baſſam.

Hungari vincunt.

Scanderbegi velox conſiliũ in Croia recuperanda.

Cędes Turcarum, & fuga Scanderbegi è caſtris barbarorum in Epirum.

ea conſilia communicaſſe cum Hungaris, Hunniademq́; prius de ſingulis latenter per nuncios ab eo inſtructum, atque accerſitum maximo ſtudio cum copijs. Quicquid extiterit, vt pro comperto non habeo, ita haudquaquam magnopere affirmare contendo. Id autem crediderim, omnia ſumma ratione acta, quum alioquin rei euentus non iniquus ſæpenumero conſiliorum Iudex, huic ſuffragetur ſententiæ. Cæterum in præſentia relicta pauliſper Hungaria, dum tanti fama mali, & eius cladis nuncius graditur ad Amurathem, in Epirum reuertamur. Expleta igitur hinc inde ira & exolutis votis omnibus, Caſtriotus victor non ignobili & ipſe præda ornato magis quàm onerato milite, cum agmine ſuorum inde maximis itineribus diſcedens, ſeptimo die Dibram ſuperiorem peruenit. Locus autem is eſt in finibus Triballorum, 70. millibus paſſuum diſtans à Croia, celebris multum apud Epirotas, eò quod fortiſſimos viros gignat. Fide præterea & multis rebus egregiè geſtis pro Johannis patris imperio, dum is ab Ottomano vexaretur, Scanderbego non ignobilis gratiſſimusq́; erat. Vrbem aliam vel Caſtellum non habet, præter Sfetigradum in limitibus ipſis ad Macedoniæ ora. Sed tum per valles, tum per montes, nullis ſeptos muris, circunfuſi incolæ ſolo munimento naturali locorum ab iniurijs hoſtium ſeſe tutantur. Primo itaque hic conſtitit Caſtriotus, neque vlterius procedere illi viſum eſt, donec quædam, quæ in rem ſuam erant, ordinaſſet. Accerſitis igitur ad ſe maximo ſilentio optimatibus quibuſdam loci (nam noctem quoq; ad aduentum ſuum obſeruauerat, vt exactius cælaret omnia) apertis ſuis conſilijs omnibus, ſingula ex animi ſententia peregit. Nemo autem (vt perhibent) tunc repertus fuit, qui vel timore Ottomani, vel tam audacis facti diffidentiæ, vel ita (vt fit) proprio ſuadente ingenio de poſtulatis eius aliquid demeret, quum potius & tamdiu alitum deſiderium, & ingens viri fama per tot annos percepta (quod maximum erat) præcipuum libertatis ſtudium, eum mirum in modum ſingulorum animis conciliauerat. Circunfuſi igitur omnes in ipſum contentione quadam, nunc feſtiui & geſtientes, nunc manantibus ex nimio gaudio per ora lachrymis, hi manus, hi faciem, caputq́;, hi pedes, ac totum deinceps corpus longis amplexibus deoſculabantur, gratulantes iam inde fortunæ, gaudentes imperio, nominiq́; Epirotico, ac res extendentes ſuas, ſimulq́; ei corpora, filios, animos, & ſi quid melius in anima latet tradentes, deuouentes. Prouiſum id primo, vt diſponerentur maxima diligentia cuſtodiæ, ne interim aliquis veniret à Tyranno nuncius ad detegendam eam fraudem præfecto Croiæ. Deinde ſtatutum de delectu habendo, vt quum ab eo accepiſſent ſignum, omnes quàm maximis poſſent viribus, conſurgerent ad arma. Ex trecentis equitibus quos ſecum duxerat, paucis retentis, cum quibus Croiam iret, ad tradendas præfecto literas, & accipiendum magiſtratum,

Deſcriptio Dibræ ſuperioris.

Triballi populi Mœſiæ, Vide Plin. lib. 3. cap. 26.

ſtratum, reliquos omnes cum totidem fermè Dibrenſibus peritis regionis præmiſit occultiſsime ad latitandum per ſyluas & ſaltus vicinos Croiæ, donec ipſe vrbis poſſeſsionem occupaſſet. Tunc latenter introducturus eos intra mœnia, ad Turcarum præſidium opprimendum. Hæc omnia per eam noctem perbelle procurata, nam in exitu Autumni erat, quum ſatis protenſæ ſunt noctes, mane nondum clara luce ipſe deſiderij impatiens, & cui maxima vis periculi in minima morula videbatur: accepto equite impedimentisq́, ſequentibus nonnullis Dibranis, Croiam maxima feſtinatione perrexit. Et cum approximaret loco, vt ea re fidem maiorem facto adderet, inter equitandum Ameſam, cum duobus velut ſeruulis ſe præire ad vrbem iuſsit, qui ſingula nunciaret præfecto, diceretq́ ſe cum impedimentis, & reliqua familia in propinquo eſſe. Iuuenis (vt ſagaciſsimi erat ingenij, & ſermonis, oris, veſtimentorumq́ habitu verè Turca apparebat) vbi primum vrbem ingreſſus, adijt præfectum. Salutatione de more facta, tum ad Scanderbegi mentionem appoſitiſsimis verbis deſcendit: ſe ſcribam eius fingens, & multa modeſtia ſubijciens, illum iamiam cum comitatu ſuo affore. Credita ſunt, vt narrata omnia, permittentibus ita Dijs. Et iam expedire ſe barbarus, iam ſarcinulas componere cœpit ſuas, priuſquam literas vidiſſet, & Tyranni voluntatem noſſet. Tum ſuperueniente Scanderbego, illis reſolutis, inſpectisq́, adhibita abundè fides, &

Maxima periculi vis in minima morula.

Aduētus Scanderbegi ad præfectū vrbis Croiæ, & vafra ſucceſsio eius in præfecturā & vrbis cuſtodiā.



mox imperio ceſſum. Ingenti lætitia omnium exceptus in vrbem eſt. Tum præſidium ipſum hoſtium, tum veteres ciues, & omnis fermè ætas obuiam (vt fieri ſolet) proceſsit. Ingens fama viri, quæ vbiq́ ferebatur, tunc ex-

pectatiorem ſingulorum animis honorabilioremq́; reddebat. Adamabant Turcæ populare ingenium viri, quare lætus quiſque imperium eius accepit. Croienſes viſa Principis ſui prole, veluti ex profundis emerſi ſordibus iam inde ſpiritum & ſanguinem recepere, tacitis ſubinde votis occulta Scanderbegi conſilia reputantes. Atque aliquis ex ſenioribus, ſeruato vſque ad eam diem antiquo deſiderio indolem infantis, omnem educationis ſeriem, ac primordia ipſa naſcendi, & ſollicita parentum vaticinia memoria repetebat. Nullus tamen audebat animum ſuum aperire duci, & tam iuſta arma capere, niſi vltro ipſum auctorem ad vendicandam libertatem proſilientem vidiſſet. Scanderbegus cum pauciſsimis re pertractata, vt cùm opus eſſet, iuuentutem excitaret ad arma, aliud quippiam mouere prohibuit, donec præſidium illud armatorum accepiſſet in vrbem. Eo autem noctu clam accerſito, & accepto, obſeratis portis vici omnes, ac tutiora vrbis loca impleta armatis, ignaris adhuc Turcis, vel timore diſsimulantibus, augente pauorem nocte, tum à Caſtrioto ſignum ad cædem datum. Primo procurſu militum, ſtationes vigilum petitæ, qui per muros contextis (vt fit) caſis, oportuni iniuriæ, iacebant. Cæſi itaq; facile omnes, & iiſdem locis mox alij ex noſtris ſuffecti. Eodem tenore impetus in domos priuatas factus, præeunte agmine Croienſium, Scanderbegoq́;, tum militis, tum ducis officium egregiè obeunte, effractis clauſtris multi in lectulis oppreſſi, ac iugulati ſunt. Sed vbi is rumor alius ex alio ad reliquos peruaſit, exciti magno numero ad arma, prout furor noxq; concedebat, prodeuntes in forum conflare aliquam agminis formam conabantur, vt vel laudabilius caderent, vel inhibito pauliſper hoſte, prorumpentes ad portam, fuga ſe ſaluarent. Occluſis tamen vijs omnibus, re vtraq; fruſtra tentata, paſsim iumentorum more mactabantur. Tum quando neq; fugæ ſpes vlla, nec ſpecioſæ mortis occaſio aderat, ad compreſſos tamdiu gemitus, & inuiſas fortibus viris lachrymas conuerſi, compellare nomine Scanderbegum, orare, obteſtari, vt iam finem cædi faceret, neq; vlterius fœlicis auſpicia regni ſanguine humano pollueret, malletq́; viuos ſaltem ſeruatos ſeruili fortuna ſpeciem triumphi ſui augere, quàm fœdare omnia cadaueribus occiſorum, & tam lætum diem ea inclementia dehoneſtare, ac innoxio illorum ſanguine imperium ſibi licet iuſtiſsimum vendicare: nihil ſe tale meritos, non infenſos ciuibus, non iniurios vlli extitiſſe. Commiſſam ſibi vrbem ab Amurathe velut amicos, non hoſtes, incoluiſſe, neque nunc obſtaturos repetentibus libertatem: iam ferrum & arma deponere ſe, atque ſupplices victori tendere dexteras. Ingens conſternatio rerum, clamor, gemitus, querelæ, minæ, lachrymæ confuſæ vbique reſonabant. Quantum potuit in illo furore ſuorum, & ardore cædis Caſtriotus, nunc verbis ipſe reuocans milites, nunc ſigno dato deprecantium rationem habuit, & in ortum

Scanderbeg ſignum dat ad cædem.

Clementia Scanderbegi iuncta prudentiæ.

tum diei rem diſtulit, ſperans occluſos vndique, & tot oneratos malis homines, tum blanditijs, tum minis allici forte ad Chriſtianam fidem poſſe. Tamen ordinato ſumma ratione milite, & aßignatis ſuis quibusq; locis obſeruare iußit, ne aliquid per fraudem moliretur hoſtis: ipſe cum Ameſa & alia multitudine ſequente extemplo ad portam perrexit, & inde eum cum Dibrenſibus nonnullis Dibram miſit, vt nunciarent participibus conſilij recuperationem vrbis, & cætera quæ acta erant, monerentq; omnes capeſſere arma, ac ſollicitare ſocios, & populos vicinos, ad libertatem vindicandam, atque in eo tumultu rerum, & improuiſo pauore, opprimerent hoſtium præſidia, præſertim dum Amurathes partim ignarus rerum, partim Hungarico bello occupatus eſſet: ſe namq; expurgata vrbe Turcis, ac pacato ciuium ſtatu, cum inſtructis copijs, & quàm maximo poſſet robore virorum illico aduolaturum, Conuerſus deinde, orto iam ſole, ad reliqua in vrbe peragenda, voce præconis, præmoneri iußit, vt qui baptizari, & Chriſtianam fidem profiteri vellent, abiectis armis ad ſe irent, vim vllam eis fieri paſſurum, ſed ad munus ipſum vitæ, alia quoq; officia cumulatißimè additurum. Qui id negligerent, in hoſtium numero cenſerentur, & omne in eos ius ſupplicij permiſſurum. Non multum tam horrida vox obſtinata pectora, & perdita ingenia mouit. Pauci ſana conſilia accepere, ita vetuſta præcepta auorum, teneris infixa animis, coaluerant, & oßibus ipſis fixa inhæſerant. Maluere infœlicia corpora ſontes potius ſequi animas, quàm cum ſuperū, tum hominum præſtanti perfrui clementia. Dimißis itaq; iam precibus Turcæ, quum nimis duræ viderentur conditiones noſtris propoſitæ, ad inanem prorumpētes fugam, differebant magis ſupplicium quàm fugiebant. Namque diſpoſiti per omnes vrbis aditus armatorum ordines, facile pauidas opprimebant, licet multi velut in rabiem verſi, quum oppetendæ iam mortis ſpecies ante oculos obuerſaretur, ſtricto ferro viam ſibi quibuſdam locis per medios hoſtes aperirent, tamen non omnes manus effugere poterant, vel decurſantes hac illac, ſicut cauea occluſæ aues, ſingula vrbis compita oberrabant, & non inuenta effugij via, aut à ſuperueniente hoſte opprimebantur, aut ſuis ipſimet gladijs concidebant. Accipio namq; aliquot manibus ſuis perijſſe, alij per phana & delubra peruagantes, latitantesq;, ab auido ſanguinis milite extrahebantur, & velut victimæ pro libertate immolabantur. Libertas in omnium ore erat.Libertatis dulce nomen vndiq; reſonabat, multi illorum domos adhuc timore non egreßi, & ibi ſe continentes, ea ipſa loca ſanguine ſuo replebant, niſi qui in intimis receßibus, & penetralibus latitantes, ſagacitatem militum pauliſper feſellere. Ad Scanderbegum quoque ſatis magnus confugerat numerus, non quod tam funeſti ſpectaculi timore propoſitum, mutaſſent homines, ſed ad prorogandos, quoaduſque liceret, infœlicis vitæ

LIBERTAS vindicanda.

Libertatis dulce nomē.

terminos. Nam quum ſedato eo furore, & ſublata in vrbe belli materia, Caſtriotus ad baptizandos intendiſſet animum, maior pars ad preces & obteſtationes verſa rogare, ne inuitos cogeret ad eam rem, ſimulare ſe poſſe præſenti eo mortis pauore Chriſtianos futuros, ſed nunquam veteres ſuorum ſanctiones obliuioni tradere poſſe, nihil recuſaturos, ſi ad ſupplicium ſpectent, nihil tamen ad animum tranſmiſſuros: volentibus ea tradi, non coactis debere, obſecrare tamen per inuictam eius dexteram, per ſatis iam vltos patris, & fratrum manes, vt ſe nuncios ſaltem eius cladis, & tantæ rei geſtæ dimittat ad Amurathem. Depoſita iam cum armis ira, Scanderbegus, licet indignam aliqua miſeratione, ſceleratam cenſeret gentem, conſpectans tamen inermes & ſupplices tendentes dexteras, facile vita pariter & libertate donauit. Sed paucis (vt audio) vti eo munere licuit. Nam vrbem egreſſi, in libidinem aliorum, & auidas vulgi manus incidere. Nouis Chriſtianis (nam aliquot fuere) ad ingentes gratulationes, affatim de omnibus prouiſum, ſtipēdia, domus, victus, & reliquum famulatus ex publico decreta: tamen cuſtodiri iuſſi, donec nouæ caracter religionis recentibus animis coaluiſſe cognoſceretur, præcipueq́; in ea nouitate rerum, ne aliquid fraudis molirentur. Qui poſtea ex varijs latebris emer-

Caſtriotus oppreſſo Croiæ præſidio Tyranni, vrbeq́; recepta, Chriſtianos Principes de ijs certiores facit, eosq́; ad arma excitat.



ſere, alij prout in mitiora incidere ingenia, ſeruati in vinculis, quum ingentem pecuniam pro vita pepigiſſent: alij occiſi extemplo. His perfectis, & renouatis omnibus ac ordinatis in vrbe, vexilliſq́; Tyranni ac ſignis, ſicubi ſunt inuenta, laceratis, incenſis, & abolita penitus eius memoria, atq́; veſtigijs deletis, primores quoſdam vrbis Caſtriotus per vicina loca Croienſis no-

ſis nominis, ad nuncianda omnia, & excitandos ad arma quamplurimos impigre expediuit, ſed nullo opus vel nuncio vel hortatore erat. Armati ferè omnes inuenti, ducem tantummodo & auctorem aliquem certis animis expectantes, Quare confectæ confeſtim non ignobiles copiæ, tum longius progreſſi, alios ſollicitare pergebant, præſidia Turcarum, quæ inuenta fuerunt, omnia ad internecionem cæſa. Vbi hincinde ſatis auctæ viſæ ſunt vires, itum ſine mora ad vrbem. Nihil tardatus Caſtriotus, motis ſignis, maximis itineribus Dibram contendit, inſignis armatorum numerus ibi circa Ameſam inuentus, ac quieta omnia: nam præſidia hoſtium quæ fuerant, iam pridem ſublata. Præfectus quoq; vetus Croiæ, & familia omnis, ad vnum occiſi, ac direpta impedimenta. Primum omnium Scanderbegus, antequam ad vendicandum ſibi reliquum imperium pergeret, duo amplius fortiſſimorum hominum millia ibi in finibus non longè à Sfetigrado oppido & Mocreo monte locauit, tum ad occludendos exitus hoſtibus, qui in prouincia erant, tum ad obſidendos aditus, ſi qui ab Amurathe interea mitterentur. Nam inde magis commodum & tritum iter in Epirum ex Macedonia Thraciaq; erat, ipſe cum reliquis copijs in Dibram inferiorem deſcendit. Obtulit ibi inter cæteros fortuna Moſem Golentum Petri generis, atq; animi nobilitate inſignem virum: Quo præcipuè comite omnis tum virtutis, tum laboris Scanderbegus in cunctis magnis atque difficillimis rebus eſt vſus. Tum alia loca & oppida circumadiacentia permeauit, Quæ quum neque muris circundata eſſent, neque magnis hoſtium præſidijs munita, facilem profecto aggreſſum & aditum præbebant, & iam omnis fermè ætas cæterorum velut omiſſa cura, armis tantummodo acceptis, eum ſequebatur, ac vindicem libertatis conclamabat, libertas in omnium ore pectoreq; reſonabat. Dum hæc agerentur, multi (vt audio) pluribus ex locis collecti in vnum Turcæ, facto agmine occurrunt noſtris, tentaturi fortunam, ſed nihilo difficilior eorum quàm aliorum victoria. Tum cæteri, videntes inania iam conſilia per vim ei reſiſtendi, dedentes ſe, armaq; ante eum proijcientes, malebant fidē quam dexteram experiri. Ille tum ne inermes, ac ſubdentes iugo colla ſæuiendo crudelitatis ſibi nomen adſciſceret: tum vt animos ſuorum ea humanitate ac ingenij dexteritate conciliaret, omnes militibus delegabat, ac totum ius clementiæ ſupplicijq; ad eos transferebat: inanes preces, inanes vociferationes apud eiuſcemodi ingenia erant, ſurdæ ad omnia militū aures. Nemoq; ſeruatus præter paucos, à quibus aliquid magnum pro redemptione ſperari poterat. Scanderbegus neque approbabat palam, neq; eam damnabat crudelitatem. Tacitè tamen idipſum cupiebat, & ita agebat omnia, vt penitus nomen Turcarum in prouincia deleretur. Cæterum quia vbiq; ipſe adeſſe non poterat: ratio enim ſuſcepti negotij celeritatem exigebat, di-

Dibra:
Ameſa:
Moſes Scanderbego adeſt ſocius laboris.
Nomen Turcarū deletum in Epiro.

bat, diuiſis copijs, nonnullos ex Principibus iuuentutis cum varijs agminibus hincinde ad cætera expedienda, ac excitandos ſocios, & ad præoccupandos hoſtes, præmiſit. Ameſa cum ducentis ferè viris (quia non ſatis idoneum præſidium ibi, neque præſidij caput relictum videbatur) Croiam ire iuſſus, ipſe nunc hac, nunc illac pererrans, ac perluſtrans omnia, aliquot dies in recuperandis reliquis locis, ac conciliandis præſentia ſua populorum animis conſumpſit, vnum reſtabat, ſed præcipui laboris, ac difficultatis opus, oppugnatio reliquarum vrbium, in quibus potiſſimum ſtabat recuperati imperij momentum: tamen quum præualidis Tyranni præſidijs omnia tenerent, maioribus viribus aggrediunda ea res, & non ſine conſultatione aliqua agenda viſa. Quare impetratum, vt omnes qui diffuſi paſſim, & ad varia miniſteria miſſi ab eo fuerant, auctis quam maximè poſſent copijs, quam primum integrum, forte Croiam conuenirent, ipſe quoq; cum ſuis vrbem petijt, ibi eos expectaturus. Non multum inter eius & illorum aduentum interceſſit moræ. Sed & fama ipſa rei plures alios exciuerat: aduolarunt enim ad eum plerique nobiliſſimi duces, præſertim eius affines, cum præclara militum manu: inter cæteros Muſachius Angelinæ, ita vulgo dictus, ex Angelina ſorore nepos, Goicus, ac Georgius Streſij fratres ambo ex Jella, item ſorore. Ginus Muſachius Vlaice maritus, nam Johannes pater priuſquam vita ceſſiſſet, filias omnes diuerſis principibus ac optimatibus prouinciæ in matrimonium collocauerat, præter Mamizam, quæ recuperatum à Scanderbego poſt imperium, ac pacatum prouinciæ ſtatum, Muſachio Thopiæ nupſit. A Stephano quoque Ceruouichio, qui Maram vxorem, & ex ea liberos habebat, gratulationes cum parte & militum & pecuniarum non defuerunt colluuio. Præterea vulgus confluxerat, & in omnes horas confluebat, vt XII. *iam millia hominum numerus armatorum excederet, erectus maximè eo ſuorum fauore Caſtriotus in procinctu habitis omnibus, & ad proficiſcendum paratus, priuſquam moueret ſigna, ſimul de ratione agendorum conſultans, & milites adhortans ſuos, in hanc maxime ſententiam exorſus fertur: Neque nouum, neq; inopinatum quippiam hic video, Duces ac milites fortiſſimi, quod non iampridem animus meus præſagierit, & ſibi promiſerit, quum & veterem gentis nobilitatem, & publica veſtra ac priuata in Johannem patrem officia mecum ſedulus repeterem. De me enim (verbo abſit audacia) nullo vnquam vitæ tempore dubitaui, quum hanc mentem, hanc pietatem in patriam ſeruarem, hos gererem pro libertate ſpiritus, eadem veſtra quoque deſideria paria mecum vota erant, vt ſæpius (id quod libenter memini, & nunc audacter refero) degentem apud Tyrannum omnibus ſtudijs atq; officijs ad hoc muneris inuitaſtis, oblitus fortaſſe tum patriæ, oblitus mei decoris, & immemor prorſus libertatis viſus ſum vobis,*

Oppugnatio vrbium in Epiro magnæ molis erat.

Oratio Scanderbegi ad milites.

bis, quum nulla ſatis certa ſpe, nullo præclaræ cogitationis indicio mæſtiſſimos domum remitterem, conſulebam certe mihi vobiſq; eo ſilentio, Ciues, ea ſimulata animi remiſſione, quippe quum & eius generis res eſſent, quæ



prius fieri quàm dici debebant, & vos freno potius quàm calcaribus indigere videremini. Celaui, fateor, conſilia mea vos, ſubticui tamdiu voluntatis rationem omnem: non quod vel fides veſtra mihi ſuſpecta, vel animi non ſatis noti eſſent, quum priores ipſi in ea rerum alea cogitatus veſtros præmonſtraſſetis, ſed deterrebat mortalium fragilitas, & inconſtantia humana, quæ quum ad omnia præceps feratur, ad libertatem rapitur magis quàm ducitur, nihil penſi, nihil ordinati habet: & ſi minimum occaſionis ad eam non modo vendicandam, ſed tentandam arriſerit, non mille (vt aiunt) enſes, mille pericula, non manifeſta mors, & apertum fortunarum vitæq; diſcrimen à propoſito auertere poteſt. Verum vbi fruſtra tentata re inanes conatus detexeris, aut funeſtiſſimum ſupplicium, aut deterior longe ſeruitus manet, omniſq; in poſterum abſcinditur ſpes, ac lapſa ſemel occaſio in perpetuum euaneſcit, ſemel tentatur ea res: quod ſi perperam ceſſerit, imperpetuum facultas amittitur. Proinde (verum ingenue fatebor) vix mihi ipſe ſatis tutus eius conſilij particeps videbar, timebam ne lingua tantæ impatiens rei, ne parietes ipſi domus me proderent: teſtis eſt Ameſa nepos, præcipuus poſtea adiutor conſilij, & comes laboris, & alij perpauci, quorum opera & fideli & impigra in exequenda ea re vſi ſumus. Quod quum eadē mihi cum illis vitæ intercederet conſuetudo, idem victus, idem propriè animus eſſet: nemo tamen me patriæ memorem,

Periculoſum libertatem appetere.

Ameſa adiutor conſiliorū Scanderbegi.

D

*morem, niſi in Hungarico bello deprehendit: nemo Chriſtiani & liberi hominis vocem, niſi tum cum impunè potuit, audiuit. Poteratis alium vos Epirenſes (nõ enim deerant præclara ingenia in hac prouincia) auctorem libertatis, & ampliatorẽ rerum veſtrarum atq; animorum inuenire, maluiſtis tamen (ita forſan volentibus Dijs) libertatem hanc licet ſeram à me expectare, quàm vel per alios quærere, vel ipſimet vobis conficere. Non eſt pertæſum tam egregios ſpiritus in libertate educatos, animos barbaricis ſub iectos ſordibus tam diu tenere, vt me nunc aliquando videretis. Sed quorſum iſtud liberatoris nomen patientia veſtra vſurpo mihi? Non attuli libertatem huc, inueni, vix ſolum veſtrum tetigeram, vix nomen meum audieratis, cùm aduolaſtis, occurriſtis quadã contẽtione omnes, velut patres veſtros, fratres, filios, à mortuis remeaſſe, velut Deos omnes acceſsiſſe audiſſetis. Præoccupaſtis illico, obruiſtis ea magnitudine officiorũ, ea animorum alacritate, vt tantum ſeruitutis videar vobiſcum contraxiſſe mihi, quantum acquiſiuiſſe apud vos libertatis, non imperium ipſe vobis, non vrbem hanc dedi, vos tradidiſtis mihi, armatos inueni, non arma tradidi. Libertatem in pectore, in fronte, in enſibus, in haſtis, vbiq; geſtantes comperi, & tanquam optimi tutores à patre relicti ſeruatũ mihi ad hunc vſq; diem ſceptrum, pari fide atq; diligentia reſtituiſtis, & in maiorũ meorum poſſeſſionem labore atq; induſtria veſtra incruentum deduxiſtis: nunc in cæterorum * (Dijs iuuantibus) ducite. Maiorem vel maximam iam partem operis abſoluimus. Croia recuperata, agro omni ſubacto, Dibris & reliquis deinceps populis nobis adiunctis, ac hoſtium nomine ex campis ſublato, oppida ſuperſunt. Si ad incommoda illorũ ſpecto, videns omnibus à nobis obſeſsis, præoccupatis, nuda tantum mœnia incluſis relicta, bono ſum animo: ſi ad locorum difficultatem & præſidia intus à Tyranno poſita, maximo vel ingenio aliquo, vel pertinacia vtendum videtur. Sed melius hæc præſentes in ipſo hoſtis conſpectu, & ferrum ardenti dextera tenentes, quàm nunc abſentes, & ſuſpenſis animis, conſultantes iudicabimus. Mouenda itaq; impigre ſigna, & induendi vbiq; vincentium animi, adiuuabit conatus noſtros fortuna, quæ hucuſq; in ſingulis nos egregiè eſt & comitata & ſecuta. Petrella tamen prima omnium petenda nobis, non quod alijs ſitus difficultate, vel munimento naturæ id oppidum cedat, ſed ex eo, quod vicinior eſt huic vrbi, maiorem famam, & timorem Croienſis fortunæ, eo nos credo inuenturos, multa ſpectacula tum virtutis veſtræ, tùm calamitatis ſuæ in oculis habuere, mouere poterunt hæc non parum fortaſſe, & in quo non mouebunt, pertinacia certè noſtra ſupplebit, vnum illud fixum omnibus, obſtinatumq; eſſe debet, niſi ea expugnata ſit vrbs, & voti compotes ſimus, domum non reuerti, experiundum eſt omne artis, laboris, patientiæ, ferri, auri, argentiq; genus, vt inde prima huius victoriæ auſpicia ſuman-*

Liberatoris nomen Scanderbeg ſibi vſurpat.

Libertas.

† Intellige poſſeſsionem.

Fortuna comes.

Petrella oppidum.

ſumantur, ſi per vim capere eam annuent Dij, nullus relinquendus obſtinatis apud nos miſerationis locus, ſed vel inſolentiſsimè vtendum victoria, vt cæterorum frangamus animos. Si dedentibus oppidanis potiri eâ incruentis nobis licuerit; magna modeſtia tum priuatim, tum publicè agendum erit, ad inuitandos alios ad deditionem animos. Hac oratione cognita maximè modeſtia Scanderbegi, & laudata eſt ab exercitu; neque de conſilio eius quicquam mutatum, aut grauate acceptum. Moſes cum tribus equitum millibus velut anteſignanus primum ad vrbem miſſus; Ca-

Parcere ſubiectis; & debellare ſuperbos:



ſtriotus cum reliquis copijs iuxta ſecutus. Nonnulli dicunt eum machinas quaſdam Croiæ inuentas ſecum duxiſſe ad oppidanos deterrendos; alij ſine tormentis & tentata & expedita omnia. Ego (ſi concedendum eſt, quod omnes clamant) per integrum ferè menſem totum ab eo imperium recuperatū, egre aſſentiar, ea deducta fuiſſe impedimenta, præſertim quum hiberno tempore concreta gelu, & glacie omnia vix expeditis equis virisq́; iter tutum præberent. Deductis ſub muros copijs Epirenſis, partitis ordinibus, vrbem impigre qua melius potuit, ratione cinxit. In Tyranna maiore, ſic dicta, propter aliam minorem, quæ prope Croiam iacet, quia aptior ad caſtra metandum locus erat, maior pars militum expoſita; idem obſidens & obſeſſus cogitabat. Prior tamen Caſtriotus alloquendi benignitate & munificentia promiſſorum animos hoſtium præuenit, electoq́; vno fidelis & expertæ operæ viro, quem ex Hungarici belli reliquijs ſecum in Epirum, illum ad oppidanos miſit. Deditionis præmio, præter vitam bonaq́; priuata, ſi mutata cum imperio fide manere apud ſe vellent, ſtipen-

Petrella obſidetur.

dia abunde oblata, ſi ad Tyrannum mallent reuerti, pecuniæ ſingulis, & non vilia munera præfecto promiſſa. Pronos iampridem ad deditionem homines, vafer miles appoſitis ad idipſum verbis facile quocunque voluit, impulit: non à Scanderbego primum exorſus, ſed à malis, & Amurathis occupationibus, ex Hungarica clade ac conſpiratione Chriſtianorum in Turcas, tum ad ipſa mandata ducis præclara quadam fiducia venit, ſubijciens crebro audientium animis Croienſis præſidij fortunam, ac cæterorum calamitatem, qui paßim per omnes prouinciæ angulos lupis canibusq́; relicti iacebant, ea omnia partim ab alijs audita, partim viſa, credita facile ſunt, acceptæq́; conditiones, dummodo ſaluis rebus ſuis abire liceret, ceſſuros vrbe, de alijs præmijs non curatum. Mißi itaque à præfecto, qui rem cum Scanderbego agerent, & iureiurando ſancirent, firmatis omnibus, & barbari egreßi ſunt ſine mora, & præſidium nouum acceptum in oppidum. Cæterum non immemor conſilij ſui Caſtriotus, honoratos verbis hoſtes, pecunijs quoque, equis, & cibarijs adiuuit. Deinde Moſem, & nonnullos equites cum eis miſit, vſque ad imperij fines, ne alicubi vel inſidijs, vel aperta vi à ſuis violarentur: ſicuti pleriſque in alijs, ita hic quoque non minus admiranda ducis noſtri fortuna, quàm vel virtus, vel prudentia occurrit mihi. Et ſicut in ſeruando eo apud Amurathem præſto fuere, ita hodie in reſtituendo illi imperio Deos omnes non affuiſſe ſolum, ſed contendiſſe non ab re dicere auſim. Petrella oppidum, licet non amplum circuitu, inexpugnabile tamen, propter loci naturam, & altitudinem montis, in cuius vertice ſtat, armis, viris, commeatu affatim munitum, hyeme præſertim alienißimo ad obſidionem vrbium, tempore, tam facile imperium eius accepit, vt non ſolum militem vllum in ea potiunda, ſed ne verbum quidem (vt aiunt) fruſtra amiſerit, laudanda tam non inanis in hoc patientia eius, indefeſſumq́; corporis robur, quàm indefatigabilis vigor animi, omnia celeriter obeuntis. Recuperata enim ea vrbe, & ordinatis intus ac procuratis quæ neceſſaria viſa ſunt, non modo die, horáue, ſed ne momento quidem temporis ibi moratus eſt, quin extemplo collectis vaſis, militem ad alia oppida velut fugientia deduceret, operta niue omnia erant, exhauſti frigore hominum vultus, gelatæ manus, indurata & veluti concreta omnium corpora, neminem tamen præter præſidium tecta vel muros vrbis intrare paſſus eſt, neq́; ipſe voluit ingredi, vt pudorem quendam eo exemplo inijceret alijs. Sed neq́; illud longe maius, quod de eo fertur, ſilentio prætereundum cenſeo, quod à primo ſcilicet die, ex quo in Epirum venit, vſq́; ad vendicatum imperium, vix duabus horis quaque nocte ſomno indulſiſſe memoriæ proditum eſt, miraculum diuini prope corporis, ac inexhauſtæ fortitudinis. Ideo fortaſſe patientia illa laboris, vigilijs, ac exercitatione aßidua, & virium magnitudine

In quibus periculis Scanderbegus fuerit.

Deſcriptio Petrellæ.

Scanderbeg paucisſimi ſomni.

tudine conſecuta eſt, quod in Papirio illo Curſore, excuſant antiqui, cibi viniq́ capaciſsimus dicitur fuiſſe. Brachio nudato ſemper pugnabat, nullo frigoris, nullo æſtus diſcrimine habito, rem auſus plus fortaſſe habituram ad poſteros admirationis, quàm fidei. Nos tamen eò, vnde diſceſsimus, reuertamur. Recto itinere Petram Albam itum eſt, quæ à Petrella 30. millibus paſſuum, à Croia 30. millibus diſtat, Petrella à Croia 25. Oppidum hoc in Aemathia eſt in ſublimi montis cacumine ſitum, paruum alitu tamen, præter famem nullam vim hoſtium timens. Præterea ad ipſas montis radices præterfluens Aemathus fluuius, non minus pulchritudine, quàm munimenti, & commoditatis loco illi addere videtur. Vix fixis humi ſignis conſedit ſub muris miles, & miſſi ad Scanderbegum quidam ab oppidanis vltro deditionem vrbis fecere. His etiam quæ Petrellenſibus

Obſidio Petralbæ, deſcriptio ac deditio eius.



ante fuerant omnia promiſſa & ſeruata, ac miſsi quidam ex noſtris cum præſidio hoſtium, qui ab iniurijs prouincialium eos tutarentur. Firmata rebus neceſſarijs vrbe, vix data facultate reſpirandi, Steluſium eodem ardore petitum, 25. millibus paſſuum oppidum hoc à Petra Alba diſiungitur, à Petrella 40. à Croia 50. ferè. Hoc quoq́ oppidum, licet ab amplitudine iure laudari non poſsit, à naturali tamen ſitus munimento, amœnitate, ac cœli ſalubritate non immerito extolli poteſt. Mons eſt in Aemathijs campis, excelſus, in medio ſpecioſæ cuiuſdam vallis velut de induſtria poſitus, iugum ipſum pulcherrime muris ſeptum id caſtellum facit. Huc quum ſolis occaſu adueniſſent noſtri, nihil ea die actum, ſed in craſtinum dilata res. Mane miſsis ad oppidanos legatis Caſtriotus, primo nihil præter verba

Obſidio Steluſij, eius deſcriptio & deditio.

tulit, nullumq́ certum reſponſum datum. Nam variatum maximè ſententijs inter barbaros eſt, & res propè ad ſeditionem deducta propter pertinaciam, vel vt verius dicam, conſtantiam præfecti diſſentientis à cæteris de deditione, ac excitantis multitudinem ad arma. Victus tamen à maiori ſuorum parte, quum æquum conditionis genus acceptare noluiſſet, coactus eſt poſtmodũ ſordidius longè, & funeſtius iugum ſubire: nam milites flectere verbis eum nequeuntes, vinctum cum alijs eius ſententiæ ſocijs ad Scanderbegum deduxere, & conditionibus acceptis, tradidere vrbem. His pluſquam cæteris liberaliſsimè de ſingulis prouiſum à noſtris. Maior pars ob patratum facinus Ottomani timore domum redire noluit, ibiq́ mota ſit. Eorum quidam baptizati: alijs liberum arbitrium eius rei relictum, victus tamen ex publico nemini negatus. Obſidio Sfetigradi, eiusq́ deſcriptio. *Sfetigradum reſtabat, quod idem apud Illyricos ſignat, quod ſancta ciuitas, nihil moratus in Stelluſio Epirenſis, copias illuc ſumma celeritate traduxit. Hoc oppidum in ſuperiore Dibra ad fines imperij iacet, in excelſo monte, vt de cæteris diximus, velut aquilæ nidus, conſpicuum, ambitu pari fermè cum Stelluſio.* Petrella, Petralba, Stelluſius, Sfetigradus, conditorũ nominibus carent. *Hæc omnia quæ numerauimus oppida, nullum antiquæ memoriæ conditorem habent. Nam illa, quæ veteres, Macedoniæ & Epiri reges, ac externi Principes conſtruxere, vt Meandria, Heraclea, Toglus, Nicopolis, Echinus, Leucas, & alia nonnulla, quum Latini nominis hoſtes, vel totius magis humani generis incendia & peſtes,* Gotti. Gallogræci. *Gotti, ac Gallogræci, orbem inuaſere, diruta ab eis omnia, atque ſolo æquata fuerunt. Unde prouinciales, & locorum reguli, longo poſt tempore cupientes diſperſam ſordidè multitudinem in vnum colligere, & aliquam effingere prouinciæ formam, quum difficilem veterum reliquiarum reparationem viderent; & æquè ſi fuiſſent reparatæ illæ vrbes omni priſtinæ calamitati, & hoſtium iniuriæ obnoxias, quia maiori ex parte campeſtris erat, in altiſsimis montium iugis ſedes ſibi eligentes; hæc caſtella condidere, puſilla ideo; quod neq́ locorum habitudo maiorem circuitum murorum patiebatur; & vt facilior foret eorum defenſio; quum aliqua vis hoſtium ingrueret. Licet Croia, vt imperij caput, ſicut pulcherrima omnium, ita ampliſsima ſit, conditorem eius* Croiæ conditor Carolus. *fuiſſe Carolum inuenio; diuitem virum, ex nobili Thopiarum genere, qui tempore quo Scanderbegus Epiro potitus eſt; in Scuria, haud ignobili Epiri parte, inter Tyranam & Dyrrachium imperitarunt, vbi ſub hoſtium oculis Caſtriotus conſedit, diſpoſitis ordinibus, ſtationibusq́ extemplo agere cum oppidano de deditione cœpit. Et vt facilius exemplis moueret homines, commemorari eis iuſsit ſingula quæ Croiæ, Petrellæ, Petraalbæ, Stelluſio acta erant, præcipuè de liberalitate eius, officijsq́ in præſidium Stelluſienſe collatis, econtraq́ ac præfecti vinculis; quem iamiam ante illorum ora cum alijs obſtinatis mactari viſuri eſſent. Mouit ea le-*

gatio

gatio ſingulos, præfectum præcipuè propter alienæ fortunæ documentum ſubiectum oculis. Quare timens prior ipſe ſuam efferre ſententiam, & reſpondere hoſti propter multitudinis inconſtantiam, & mutabilia vulgi ingenia, accepto, habitoq́; honorificè legato, conuerſus ad ſuos multa modeſtia: Quid iubetis, ait, fortiſsimi viri, & fideliſsimi milites, aut quid ad hæc hoſti reſpondeamus? Tum vnus ex aſtantibus ſatis coniectatus ex verbis ipſis tacitam ducis voluntatem, Poſtquam fortes, & fideles ſe hoſtem Scanderbegum appellauit, ſublatum ſtrictum enſem dextera concutiens. Hic, ait, fortiſsime Dux pro nobis reſponſum ferat. Nihil oportuit appoſitis ad idipſum verbis, nunc ex Croienſi, nunc ex Stelluſienſi fortuna libera pectora perterrefacere. Sicut diuerſi vultus, variæ mortalium facies, ita diuerſi ſunt hominibus habitus animorum. Vnuſquiſque ſuo ingenio ſapit, furit ſuo quiſque facto. Nos leges non Petrellenſibus, non Stelluſienſibus dedimus, neque ipſi dent nobis. Non tranſeant tam ſordida mancipiorum exempla ad fortium virorum animos. Dedignantur ſublimia ingenia in honeſtis, nedum in turpibus aliena facta imitari. Suo quiſque more viuit. Agedum mactetur ante ora noſtra Stelluſienſis præfectus, immolentur ſocij: creditis ne in eorum nos corporibus interituros? Nunquid noſter ibi extinguetur ſpiritus? Nunquid noſter inde effluet cruor? Sed ô fœlicia corpora illa, ô verendos mihi ſemper manes, qui præclaro libertatis & fidei ſeruandæ ſtudio, aurum, argẽtum, ferrumq́;, & quicquid vel cupit, vel timet miſera mortalium conditio, perinde contempſere. Fer tu itaque hæc viciſsim priuati militis mandata ad ducem, ſi imponere nobis has conditiones quærit. Nudet iam brachium illud non adeouſque formidatum fortibus viris. Cogere fortaſſe nos ad ſuas leges aduerſis Dijs poterit, perlicere certè non poterit. Cæterum, neque tamen is eſt Scanderbegus veſter, quem olim audiuimus, ſublimi ingenio, virum facilem in ignoſcendo, & non minus hoſti, quàm ſibiypſi æquum. Cur enim Stelluſienſis præfectus, qui liberè, quod fortiter, quod iuſtè pro rege ſuo, pro fide, pro libertate ſenſerit, in vinculis tenetur? Cur parantur ſecures? Non meruit gladium, non mortem, qui tam præclarè eam, vt libertatem ſeruaret, appetijt. Ingenti admiratione omnium auditus eſt miles, neque interpellatus, donec vltro verbis finem fecit. Tum circumfuſa vndiq; turba, ſcuta, gladijs concrepuere, & iuxta id ſignum clamor approbantium ſublatus. Præfectus auctus maximè, & confirmatus animo in ea ſuorum voluntate, dimiſſo ex vrbe legato, mox ad cuſtodias conuerſus, milites ad ſua quæq; miniſteria tranſmiſit. Per muros licet ordinata pleraq; antea eſſent, tum augens, tum renouans omnia ſumma ratione collocauit, multa interſerens hortamina inter apparandum, & inueniſſe ſe dicens in omnium animis, quod certa prius ſpe concœperat, Augeri magis deberi eorum conſtan-

conſtantiam exemplis aliarum vrbium, quæ tam fœde iugum hoſtile ſubiſſent: cogitarent quæ eſſent præmia laturi ab Amurathe, ſi ſoli inter tantam reliquorum perfidiam libertatis, & Ottomani imperij nomen ſeruaſſent in Epiro. Cōtraq́; ſi animos ſummiſiſſent, grauiora ſe omnia quàm Petrellenſes, Stelluſienſeſq́; timere merito debere; quum excuſabilior illorum perfidia videatur, quod in viſceribus ipſius prouinciæ conſtituti obſeſſi, vndique ab hoſte circumuallati, velut coacti fuiſſent ad deditionem; ſe in limitibus ipſius hoſtilis imperij collocatos; & fortiori adhuc oppido munitos, eas inanes excuſationes, factaſq́; cauſas allegare non poſſe, quum adeſſe ſubſidium à Tyranno, & ſolui obſidio momento temporis poſſit. Solabatur præterea breues eos labores futuros, propter incommodiſſimum ad obſidionem hybernum tempus, ac credere facile ſe hoſtem vbi pertinaciam eorum nouiſſet; nihil quicquam moliturum in muros, ſed ſtatim conuerſis ſignis abiturum. Ad ea verba conſiliaq́; illud quoque non minus prudens factum addidit; quod Chriſtianos omnes, & veteres ciues, quorum nonnulli ibi, ſicut & in alijs oppidis ab Amurathe fuerant relicti, eductos ex vrbe, ne proditioni vllus eſſet locus in ſuburbia miſit. His ita patratis, hoſtis intrepidè expectabatur. Caſtriotus interea audito oppidanorum reſponſo, & elaborata barbari oratione, riſu ſibi obiecta diſſoluens: Inſignem apprime militem, inquit, ſi ita facere ſicut dicere nouit: ſed ſi facultas aderit nobis, fœlicem eum quoque fœlicibus Stelluſienſium manibus addemus. Mox duci præfectum ante ſe cum captiuis illis iuſſit; & oblata crucis imagine, aliquos credentes & confitentes baptizauit. Deſdrotus cum cæteris in conſpectu omnium necatus. Sublatus ilico clamor ex vrbe & multis conuitijs noſtri ſunt conciſi. De ratione oppugnandæ vrbis tres fuere ſententiæ: Alij nihil tentandum in muros cum opertis glacie ac niue locis omnibus inacceſſum eſſe montem, & vix pedibus conſiſtere poſſe militem dicerent. Quare relicta prorſus obſidione propter hyemis incommoda, in vernum tempus differendam eſſe oppugnationem. Alij faciendum militum eſſe delectum, apparandas ſcalas & machinas, cæteraq́; id generis inſtrumenta, & pertinacia aduerſus pertinaces vtendum, neque dum reſpirare cuperent ipſi, & velut aues vernam temperiem expectare, relinquendum tempus hoſti ad ſubſidium ab Ottomano capiendum & reparandas vires. Moſes inter vtroſque neque tentandam oppugnationem, neque deſerendam obſidionem ſtatuit, alio tamen modo quàm ipſi ſentirent: nam per præſidium quod ibi ad confinia ad alias neceſſitates paratum tenebatur, optime & conſuli exercitui, & non interpellari obſidionem poſſe, & incluſos teneri intra muros hoſtes, atque ita paulatim rem protrahi in commodius anni tempus, neq́; illis ſpacium concedi ad reſpirandum. Hæc ſententia quæ media erat, accepta, & ad autorem ipſum id onus à Scanderbego delatum,

Petrellenſes. Stelluſienſes.

Sententiæ de ratione vrbis oppugnandę.

accin-

accinctumq́ præſidium illud duum millium, quod non longè aberat, & mille additis relictus ibi cum eis Moſes, reliqui ſublatis ſignis Croiam petiere. Ibi quoque variatum ſententijs eſt de totius rei ſumma, & belli ratione, multis ægrè deponentibus arma, ſuadentibusq́ ſequendã victoriam, & inferenda in hoſtilem agrum ſigna, ac aliquid de imperio Amurathis abradendum. Alijs alieniſsima tempora allegantibus, niues, glaciem, imbres, vix ſuſpecturum tot incommodis militem. In campis præterea exuſta gelu omnia, non præbitura iumentis alimenta. His aſſentiens Caſtriotus, vt & aliquã ſuorum rationem habere videretur, & recuperatũ imperium interim melius firmaret, inter dimittendum exercitum, his verbis militi gratiarum actionem exoluit: Neſcio quid prius, quid poſterius laudandum ſit in vobis milites, virtus ne, an fortuna: hanc illa inuitauit, hæc iuuit illam, & (quod maxime in hoc genere rerum gerendarum oportebat) conſilia, conatusq́ veſtros celeritate æquauit. Quare maximum præſagium hinc futuri Epirotici ſplendoris, & dignitatis veſtræ cœpi. Quid

Oratio Caſtrioti ad Duces, præfectos, & milites ſuos, pro rebus bene geſtis, ac imperio recuperato.



negatura impoſterum fortuna nobis? Quid non ſuperatura patientia veſtra non video? Vix trigeſimus hic dies eſt, ex quo ſecundis auibus poſſeſſum à barbaro ſolum, poſſeſſam patriam animi dubius, ac penè ex tam longa peregrinatione ignotus tetigi. Hodie Sfetigrado excepto, non nomen eſt, non odor (vt aiunt) eius in prouincia relictus: gratiæ imprimis agendæ ſunt Deo, qui ita mentem hoſtibus ademit noſtris, vt tot fortiſsimorum locorum poſſeſsionem incruentam etiam in vos tranſtulit. Tum pa-

tientia veſtra ſuis non fraudanda laudibus, quæ non cœli minas, non hybernam intemperiem, non ſubiecta tot oculis aſpexit incommoda, non caput detorſit, donec conceptum iampridem deſiderium ex animi ſententia exoluiſſet. Nunc vtrorumq́; voluntatem laudo, & qui ſequendam, & qui differendam victoriam ſentitis. Quippe quum nihil debeat fortem virum tardare, per aquam (vt aiunt) per ignem, per inuia quæque permeabile iter habere conſueuit virtus. Tamen ſi nihil hæc dilatio iniqui eſt allatura, poteſtis citra iniuriam meminiſſe, humana quoque vobis corpora eſſe. Ite proinde fœlices, & victrices dexteras, ac quod ſupereſt, ſpiritus refocillate, ſolidiores poſtea in nouos actus ad clementius anni tempus reuerſuri. Tunc arma condico, tunc ſudores omnibus, tunc perpetuam belli materiam, tunc ſtipendia eſtis, quæ nunc promeruiſtis, cumulatiſſime accepturi. Nam ſi ita per ſilentium Ottomani licebit nobis ſine obſtaculo bellum, vt cœpimus, gerere, depopulandus eſt ager hoſtilis, diripiendus, incendendus, ac tentanda quædam præſidia locorum, ſi adiungere nobis poſſimus. Sed ſi bellum (id quod propius verò puto) aduerſus nos decernet Tyrannus, accommodanda erunt ex tempore, & conſilijs ipſis hoſtium, conſilia noſtra. Quicquid tamen de alijs ſumus acturi, in Sfetigradum primus quiſq; impetus, prima arma depromenda. Turpe æque ac moleſtum videtur mihi, vt ibi radices adhuc per ſummam ignominiam Epirotici nominis teneat hoſtis. Sed cedendum nunc tempori fuit, ne ſi pertinaciam Sfetigradenſem maiore pertinacia ſuperare contenderemus, fruſtra re tentata, turpius victi abiremus, & inſolens hoſtis paulatim conatus noſtros contemnere aſſueſceret. Non enim cum viris tantum, ſed cum cœlo ipſo pugnandum eſſet. Vitio datum accipio priſcis quibuſdam Imperatoribus, quod per imprudentiam, reiq́; militaris ignorationem, paratiſſimos exercitus magis incommodis rerum, quàm hoſtili gladio amiſerint. Cæterum adeſt etiam præ foribus natalis Chriſtianus, non puto aliquid tentandũ in hoſtem hoc tempore, non vitam alicui auferendam, quo ipſi vitam & lucem accepimus tempore, ſed crebris votis (vt ſæpius repetam) vbique gratiæ ſuperis perſoluendæ pro libertate, pro imperio, pro vxoribus, liberiſq́;, pro iiſdem ipſis recuperatis. Ego vobis, ſi ob aliud quippiam impar ſim milites, ad gratias referendas, ob id præcipue eſſe confiteor, quod tot præclara nepotum pignora, tot gratiſſimorum, & inuictorum ducum aſpectum reſtituiſtis mihi. Magna quæq; his ducibus, his adiutoribus animus ſpondet ſibi, dabunt occaſionem, dabunt materiam ipſi, vnde vobis quoque olim ingentes gratiarum actiones habeam. Nunc ſi quid in me eſt, quod ad vos vel ornandos, vel illuſtrandos attineat, efferte audacter deſideria veſtra, nanque (vt arbitror) eam pro magnitudine veſtrorum in me meritorum debeo vobis animi gratitudinem, in me nunquam deſiderabitis. Vulgum non tenuit pudor, &

Fortẽ virum nihil remoratur.

dor, & honeſtiores etiam quoſdam, quin ſumpta ex eo ſermone fiducia, velut timens vnuſquiſque, ne alius prior poſceret, vndique circa eum effuſi, vt varia pro habitu ingeniorum expoſcerent, hi equeſtria, hi pedeſtria ſtipendia, pecunias alij, equosq́, alij quarundam vectigalia villarum, multi



quibus in mutatione imperij arrepta patrimonia fuerant à barbaris, & ad alios translata, reſtitutionem veteris fortunæ. Quæ tum expediri præter contentionem potuere, facile omnia conceſſa relicta, quæ annexam alicuius iniuriam habebant, in aliud tempus reiecta. Dimiſſo exercitu, Scanderbegus vrbem ingreſſus cum ſuis, nam multi manſere cum eo, præſertim nepotes, & Principes conſanguinei, primum omnium Ameſam cum ſocijs quibuſdam, qui illum ex Hungaria fuerant ſecuti, lauacro baptiſmatis fidei Chriſtianæ reſtituit, & barbaros plures ſimul qui tum Croiæ, tum alijs locis inuenti fuerant, intermiſſa prius re in ea celeritate belli gerendi. Hæc lætitia ad Natalitiam feſtiuitatem addita, pluribus diebus eſt celebrata, Scanderbego à prouincialibus tum priuatim, tum pub. de more gentis multa Xenia miſſa, Principes vicini ſicut nuper apta ad bellum, ita nunc pacem, & otium ornantia, varij generis munera dedere veſtimenta egregia, & aliam prætioſam ſuppellectilem, non ignari in eo habitu rerum, & bellico tumultu, nihil eum præter arma attuliſſe. Breue id ocium Caſtrioto fuit, nam inter epulas fermè ipſas nuncius à Moſe aduolauit, barbaros, qui ex prouincia in loca vicina confugerant, facto non ignobili agmine ſociorum, & collectitia multitudine ad ſe opprimendum properare. Quare

Ameſa baptizatur cum ſocijs.

Xenia miſſa Scanderbego.

feſtinaret ipſe, nam vereri ſe vel longius ab hoſte protractum deſerere cogi Sfetigradenſe negotium, vel ſi ſub muris tentare fortunam velit, medius ab oppidanis & illis introcludatur. Hæc omnis eius motus cauſa fuit, nam reliquiæ illæ Turcarum, quæ manus noſtrorum effugerant, præſertim Petrellenſe, Stelluſienſe, & Petralbenſe præſidium poſt eam fortunam collecti circa Alchriam oppidum, id eſt Ottomani nominis in Macedonia, quum viderent Scanderbegum miſſo exercitu Croiam in hyberna conceſſiſſe, & fœdatos iam velut per ocium omnis belli tumultus: tum vltionis ſtudio, tum cupientes præclaro aliquo facinore ignominiam ſuam, & perfidiæ errorem apud Ottomanũ excuſare, excitata alia multitudine, Sfetigradum ire pergebant, vbi audierant Moſem cum præſidio ad cuſtodiam finium, & vrbis obſidionem relictum. Caſtriotus licet non multum eo nuncio moueretur, quod nunquam eam colluuiem fines ingredi auſuram credebat, tamen ne aliquid negligenter in noua poſſeſſione imperij ageret, vel Moſi deeſſe videretur, ocius conſcenſo equo, cum cõuiuis ipſis & ſocijs epularum, ac centum fermè militibus ex vrbe ductis, ad eam periculi ſuſpicionem exorientem extinguendam, contendit: ſed nihil vel timore, vel feſtinatione illis dignum inuentum. Nam vbi aduentare Scanderbegum ſenſere hoſtes, ſicut timidè proceſſerant, facile retroacti, vix veſtigia ſui reliquerunt. Tamen hæ res malorum ipſis cauſa fuit, nanq; indignatus Epirenſis, quod & data ſibi eius incommodi viæq; cauſa, & ſublata per eorum fugam materia laudis foret, acceptis mille equitibus ex Moſis præſidio, hoſtile ſolum ingreſſus, vt ea iniuria, ſi poſſet, laceſſitum hoſtem prouocaret ad pugnam, multa hincinde procurſans per campos ſubuertit, deuaſtauit, depopulatus eſt, atque allectum ea prædæ dulcedine militem, totius deinceps hyemis cibaria doluit.

Alchria oppidum Turcę in Macedonia.

MARINI

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS HISTORIARVM SCANDERBEGI,

Liber Secvndvs.



QVæ geſta in Hungaria ſunt (vt iam perfectis rebus noſtris ad aliena reuertamur) quum certis nuncijs cognouiſſet Ottomanus, licet fama quoq; ipſa prior, ſolito pernicior, quum male quippiam affert, vario tumultu, metuq́; & luctu ſimul publico, ſimul priuato omnia impleſſet, Scanderbegi opera Baſſam profligatum, deletumq́; exercitum, ac propè ad internetionem cæſum, vnum cum Ameſa illum, & adiutoribus conſilio è prælio incruentũ euaſiſſe, moxq́; in Epirum profectum, ſummo dolore eo Amurathes nuncio perculſus, percunctandi ſtudio vbi rei ſeriem omnem, & Scanderbegi conſilia edidicit, in extorquendis præſertim à Scriba fallacibus literis (neq; enim vel id latere diutius potuit) primum illi tam audacis facti, & inſperati (vt fit) mali admiratio vocem incluſit. Deinde mitigato paulatim dolore, in verba prorumpens, vox nunc minax, nunc querula, vim eam omnem fermè indignationis exhauſit, nunc ingratum Scanderbegum, nunc ſceleratum appellans. Venenum iamdiu ſeruatum, euomuiſſe dicebat. Idem fuiſſe facturum iampridem, ſi ei furo-

Dolor Amurathis ob cędem Baſſæ ſuorũq; & eius indignatio aduerſus Scanderbegum.

ri atque ſcelerato conſilio modus adfuiſſet, tempus captaſſe, quo tutior impunitiorq́; nefandi voti compos exiſteret, propter grauiores ſuas ex Hungarica clade belli neceßitates, & maiora rerum momenta. Quærebat nunc callidus Princeps, quo magis in eum ſuorum animos excitaret, ſibiq́; conciliaret. Quæ eum ratio (quamuis nullam rationē ſcelus habere diceret) ad tam impium facinus impuliſſet. Quum liceret apud ſe illi & ditißimo & maximo eſſe, nihilq́; penitus eorum deſiderare, quæ inſatiabilis quiſq; hominis animus ad omnem vel domeſticæ, vel militaris rei gloriam ſibi ipſe votis expoſcere poteſt. Nunquam alienigenum hominem maiori apud ſe cura habitum, educatumq́;, & peregrinæ virtuti ingentiora præmia propoſita, ficta quadam rei indignitate, ac doloris impatientia Principum ſuorum fidem appellans, iterato ſæpius ſermone clamabat, bene nunc actum ſecum atque cum Ottomano impio dicebat Amurathes, maximo ſe onere domeſtica fraude atque inſidijs liberatum, aliam fortaſſe vim veneni, aliud pernicioſum incendiū futurum fuiſſe, ſi ea peſtis intra parietes ſuos diutius coaluiſſet. Jllud ſe tantum dolere, de eo arbitris dijs pariter atque hominibus conqueri, neq; vnquam id ſceleris inultum fore, pati poſſe, quod in Hungaria ab illo præter ius omne, faſq́;, nefario conſilio hoſtibus victoriam traditā audiebat. Si enim aliqua ſuberat contra eum vlciſcendi ratio, & iuſti doloris ſpecies, quod paternum eius regnum poßideret. Quid exercitus meruerat per omnem fœditatem crudelitatemq́; velut victima



hoſti oblatus? Quid innoxius ſuorum ſanguis? Quid ſcriba tandem innoxius, qui neque ipſe impias manus effugere potuit? His ſermonibus Ottomanus incitatos per ſe barbarorum animos magis accendebat, ſed attulere

lere maiora, ac maxima quæq; additamenta ad eum dolorem alij atque alij ex Epiro nuncij captam Croiam à Scanderbego, capta eodem tenore cætera oppida, cæſa præſidia dicentes, ac regnũ auitum eius omne in illius poteſtatem miro totius gentis fauore redactum. Cæterum cum hæc Ottomani animum ſumme mouerent, omiſſa tamen aliarum ferè omnium rerum cura, in Hungarum bellum mentem conuertit. [Variæ apud Ottomanum ſententiæ ſuper bello cum Hungaris renouando.] Jd vnum certamen ſingulis propoſitum videbatur. Jd omnium conſilia, atq; deſideria ſingulorum, & publica vota expoſcebant: variæ purpuratorum ſententiæ ægrum ſenis animum hincinde diſtrahebant. Nonnulli qui nihil periculi putabant, donec penitus debellatum non viderent, tendendum omnibus copijs aduerſus Hungaros cenſebant, neq; pro parte victoribus totius belli euentum, atque triumphum per ſummam ignauiam & ſocordiam cedendum, præſertim quod & idipſum ſine domeſtica proditione ac perfidia factum non fuerit, aliud præterea eſſe Baſſam cum 20. anteſignorum millibus, aliud totius Ottomanum robur exercitus, & florem Europæ, Aſiæq;, ac inſuetam vinci regiam cohortem expectare. Quibus alia mens erat ab his, & maiorem ruinam verebantur, quantum illi propter Scanderbegi perfidiam Baſſæ fortunam excuſabant, tantum onerabant iſti propter paucitatem hoſtium, quod Hunniadem cum minoribus dimidio copijs, quàm ſuis rem tan- [Hunniades.] tum vel incruentum peregiſſe dicerent. Jn eo quod illi regia ſigna, & magnitudinem copiarum ad Baſſam referentes extollebant, adducebant hi Vladislaum cum totius Hungariæ ac Poloniæ nomine, iuxtaq; Jtalo- [Poloni.] rum auxilia cum Juliano Romanorum legato, ac Germanorum arma, [Romani. Germani.] qui omnes adhuc nulla belli eius auſpicia ſuſcepiſſent, ſed cupidiſſime pugnandi copiam expectarent. Deſpotis præterea ſatis fauorabilem cauſam nunquam deſerturos Chriſtianos, donec illum auitum reponant in regnum Scanderbegum. Demum nouum hoſtem exortum contemni non debere, noſſe omnes, quo vir ingenio, qua fortuna, qua rerum bellicarum peritia eſſet. Jam temporis momento paternum imperium omne deleto hoſtium nomine, ſine matris (vt aiunt) dolore vendicaſſe. Quid deinceps firmatis imperij rebus, & conciliatis populorum animis facturum? Excitaturum profecto ad arma quoſcunque Chriſtianos Principes, & non labori, non periculis, non vigilijs vllis parſurum, vt aliquid quotidie de imperio eius abradat, ſtultum fore inter tot hoſtes à tergo, à fronte, à lateribus, inter tot arma, euentum aliquem niſi infœlicem expectare. Satius eſſe ſummittere ſemel animos fortunæ, ne ſæpius ſummittantur, & aliam corporis partẽ detegere, vt aliam magis iniuriæ obnoxiam tegas, tempore magis geri bella, quàm armis. Haud grauate reſtituendã Myſiam Deſpoti, vt à tot incommodis bellorum aliquantulum reſpiretur. Sed quid reſtituendam? mutuandã potius, auferri enim quoquo tempore vel facilius quã da-

ta ſit

ta ſit poſſe. Mouere hæc multum ad ea iampridem inclinatum ſenem, tamen ne tam facile ad eam ſententiam prorumpens timoris indicium aliquod præſeferens multis hincinde de induſtria dictis quaſi inuitus ad id applicare viſus eſt animum. Quare decreta legatio ad Hungaros, & oblata Myſia Chriſtianis, ac induciæ belli in 10. annos petitæ. Hunniades qui tunc maxime ægrotantibus cæteris, omnia tum belli, tum pacis munia obibat, videns inutiles copias ſuas ad arma, oblatas conditiones Turcis nec recuſauit, nec diſtulit. Quidam tamen dicunt purpuratū illum Tyranni, quem

Legatio Ottomani ad inducias ab Hungaris in decennium petendas, quibus etiam Myſiam ſine bello offert.



diximus eo prælio à Ianco captum, ad 40. millia aureorum, quæ pro ſe redimendo promiſerat, admonuiſſe eum, vt Myſiam peteret ab Ottomano, nihil enim negaturum propter Baſſæ fortunam, præſertim quod & in apparatu ipſo belli id ipſum ſuis ſe conceſſurum diceret. Et ita factum, atq; prius ab Hunniade miſſos legatos ea cuncta, vt retulimus, tranſegiſſe. Sed ferunt Amurathem, vbi poſtea de noſtrorum ægrotatione audiuit, multum indoluiſſe, & defleuiſſe quaſi apertis lachrymis, tam certam victoriam propter inanem timorem è manibus elapſam ſibi. Ab Epiro nihil amplius per eos dies auditum, niſi excurſiones quædam, & ludificationes militares ad fines imperij. Itaq; Tyrannus tum propter incommoditatem hyemis, tum quod non ſatis Hungaricæ pacis fidem ad animum tranſmiſerat, quos adhuc audiebat ſtantes in armis, donec imperiū recepiſſet Georgius, ex tempore capturus conſilium Epiroticas res diſtulit. Iam feſſus ſumme equidē, tot cauſas quotidie, tot rationes excogitare, allegare, quæ noua ſubinde nectentes impedimenta hoſti rerum noſtrarū ſtatum augeri, indies firmari, quieſcere

Acceptio conditionum pacis ab Hungaris.

Purpuratus Tyranni, qui apud Pannones captiuus erat, quadragintamillibus aureorum redimitur.

tam

tam fœliciter ſinerent. Nam ea hyberna intemperies ſuſpecta Hungarorum fides, tum materiã quietis præbuit nobis. Quid poſtea conſtitutis Myſiæ rebus, abſcedentibus Hungaris? Quid bruma fugata tardauit Amurathem, ne aliquod tamdiu coctæ vltionis genus in Scanderbegũ depromeret? Ante enim idus Iunias nulla belli auſpicia aduerſus eum ſumpta inuenio, niſi fortaſſe ex Hungarica clade fractũ animis ſenem magis ocium ſuum, quã Epiri iacturam, & omnes iniurias à Scanderbego acceptas, æſtimaſſe dicamus. Relicto Moſe, Caſtriotus Croiam rediјt, ibiq; immunis à bellico labore (tempus enim prohibebat) in ciuilium rerum procuratione, & componendo priuatorum ſtatu hyemem traduxit, ſed non totam: nam in propinquo veris accepto Ameſa & paucis equitibus, ad conquirendum militem profectus, confecto exercitu ſex millium hominum, Sfetigradum petiјt. Quid faciat? Sicut difficultatem locus, ita pertinaciam hoſtium animi non mutauerant, non minæ, non lenia verba proderant, tormenta non aderant: quæ ſi affuiſſent, aliquid fortaſſe ad terrorem valuiſſent, modicum certe ad vrbem potiundam. Experiri verò fortunam cum tam aperto ſuorum diſcrimine, & certa quaſi militum pernicie, temerarium viſum eſt. Proinde & quæ melior, & plurium erat, ſententiã ſecutus, intermiſſa aliquantiſper cura Sfetigradenſi, in alia loca imperium ampliaturus intulit ſigna, primum tamen quicquid frugiferi circa vrbem fuit, corrupit, deuaſtauit, & agrum omnem obſeſſis ademit, ac nihil ferè præter nuda mœnia reliquit. Ferunt tamen veniſſe occulte ad eum colonos quoſdam loci, eos præſertim, qui in ſuburbiјs morabantur, rogaſſeq;, antiquorum officiorum memoriam recolentes, quæ in Ioannem patrem olim contuliſſent, ne ſe quoque eo pacto, nihil tale meritos, euerteret, parceretq; vaſtationibus eius agri, quando inde verius illis quam hoſtibus auferuntur alimenta. Non deeſſe tempus, non defuturam viam meliorem, qua ſumi vltio de præſidio Tyranni, & extorqueri è manibus eius ille locus poſſet, ſe captaturos occaſionem, futurosq; maxime adiutores eius rei, ſi quid vſquam affulſiſſet ſpei. Audita hæc libenter Caſtrioto & credita etiam ſunt. Quid enim dubitaret tum de Chriſtianis hominibus, tum de paternis olim ſubditis? Quare ſublatis ſignis, eam ſæuitiam aliò tranſtulit. Tractus enim quidam eius regionis erat pulcherrimus, habitantium multitudine refertus, & frequentibus inhabitatus vicis Mocrea accolæ appellant Triballos verſus. Huc cum exercitu proficiſcens, imperiј ſui terminos latius extendit, ampliauitq;, quàm Iohannes pater poſſidet. Hoſtes nullibi inuenti, nam Turcæ aut iampridem ſublati fuerant, aut aufugerant. Incolæ & reliqui Epirotici generis, mox abiecta Amurathis memoria, nouum ducem, & nota olim ſigna, aquilasq; (nam rubea vexilla nigris, & bicipitibus diſtincta aquilis id gentis inſigne erat) gerebat Scanderbegus) vel non inuitati ſequebantur. Tum ex iјs

Caſtriotus immunis à bellorum turbine, hyemem pene totã tranſegit.

Scanderbeg ampliat imperium ſuum.

Mocrea. Triballi. Vide Plinium lib. 3. cap. 26.

Vexilla & inſignia Caſtriotæ gentis & familię.

in alia & alia loca, nunc mitis, nunc terribilis irrumpens, quotidie aliquid imperio ſuo addebat, ordinabat ſemper aliquid per prouinciam, diſponebat præſidia, cuſtodias collocabat. Reuiſebat crebro Croiam, ac cætera loca, oppidaq́; Nunc hac, nunc illac oberrabat ſedulus, perluſtrabat, contemplabatur ſingula, montes, colles, ſyluas, ſaltus, valles, & latebras quaſque, quo pacto minima ſuorum iactura olim cum tanto hoſte belligeraret, quod ſupererat temporis, omne excurſionibus aßiduis, & deuaſtationibus hoſtilis agri impendebatur. Nolebat enim milites ſuos otio marceſſere, afferens ſemper in medium id Fabij Maximi, negantis vtile eſſe loco vno ſedere exercitum: itineribus, & mutatione locorum nobiliorem ac ſalubriorem eſſe. Latuerunt non diu hæc Amurathem, iam alij atque alij ab Alchria & reliqua Macedonia nuncij, veſtibula eius replebant, direpta omnia, & deformata clamantes, nihil vſquam præter mortem & ſeruitutem conſpici, non contentum paterni imperij recuperatione Epirenſem, tota die infeſtis agminibus cæteros regios colonos infeſtare, agros diripere, & multarum iam rerum poſſeßionem adeptum, nihilq́; indies de ſolita ferocia ſæuitiaq́; remittere. Dibram vtranque iampridem voluntarias ſe imperio eius addixiſſe, cæſis propria manu Turcarum præſidijs, aut vinctis nouo duci traditis. Hæc loca olim Johanni patri ſubiecta fuere, tamen (vt iam dictum eſt) ab Amurathe oppreſſus, pacem ab eo petitam tuliſſet, vna cum filijs obſidibus, Dibras quoque ei pactis conditionibus tradidit. Sfetigradum inde dicebant iam propiorem, vt caperetur, fore, quum in Dibra inferiore poſitum, omnibus vndique ab hoſte poſſeßis, nihil reliquum habeat ad belli ſubſidia, vel alimenta virorum. Mocreas deſciſſe, & pleraq́; alia loca, quæ nunquam Caſtriotæ gentis imperium ſenſiſſent, aut incolarum rebellione, aut timore, aut longis coacta malis, iugum eius ſubijſſe. Pepulerunt hæc nedum ira, ſed neceßitate potius quadam Tyrannum ad arma, quare celerrime, & conſultationibus habitis, & lato decreto delectum ingentem fieri iußit, quo ſine ancipiti certamine, & integro exercitu ſuo Scanderbegi nomen penitus deleret, Epiriq́; defectionem, & tot ab eo illatas iniurias vlciſceretur: ille nedum obſcuris nuncijs (vt non deſunt quotidie in tanto motu rerum) ſed à certis hominibus & amicis, quorum plures adhuc illi iampridem conciliati apud Amurathem erant, quos mutata fortuna mutare non potuerat, certior de ſingulis factus, ſicut ad pericula capeſſenda multum præbuerat audaciæ, ita etiam inter ipſa pericula plurimum cõſilij adhibuit. Cogitans enim quantam rem animo concepiſſet, quodúe ſuſcepiſſet humeris pondus, & veritus non ſatis idoneas ſuas vires ad tot quotidie renouanda & perferenda fore bella, quæ iamiam in viſceribus Epiri ſe viſurum non falſus vates ominabatur, externa quærere auxilia ſtatuit, quo & ſecurius rebus

Dictum Fabij Maximi.

Auxilia Scanderbegi in Amurathem.

conſu-

conſuleret ſuis,& imminentis impetum procellæ,multis adiuuantibus propulſaret. Primum igitur omnium ineundam ſocietatem,& genus aliquod perpetui fœderis cum vicinis Principibus reguliſq́, tam Epirotici, quam Illyrici generis decreuit, difficilem certe rem aggreſſus, quum natura ad diſſentiendum quam ad conueniendum aptiores ſint homines, facillimam vero expertus, vt mox aperuit euentus, & omnis deinde rerum tenor declarauit.

Conſilium de ineundo fœdere cum vicinis Principibus.

Id autẽ vel priuatè cum ſingulis per literas, vel nuncios, vel per ſe ipſum commode agi non poterat, pulcherrimum viſum eſt, vt commune concilium in aliqua Epiri parte omnibus indiceretur, vbi & præſens virorum aſpectus, & in medium collatæ ſententiæ, expeditius conſultiusq́ quid vtile eſſet, quid honeſtum, inuenirent, in electione quoq; ipſa loci pari prudentia & moderatione vſus eſt. Non enim vel Croiam inuitati fuere Principes, ne magis propriæ quam alienæ dignitatis rationem habuiſſe videretur,& ſuſpitionis etiam aliqua ſubeſſet cauſa, vel Apolloniam, Daynum, Xabiacum, aut aliquod Epirotici nominis oppidum, ne aut inuidiæ foret, aut aliqua tergiuerſationis cæteris cauſa, cum vel moleſte quidem in aliena traherentur loca, vel (non indigniora ſua, aut etiam magis digna exiſtimantes, quod eſt hominum genus, ſua præ cæteris extollentium) ad aliena accedere loca dedignarentur, Lyſſum oppidum erat, Aleſſium communiore vocabulo dicimus, duobus & viginti paulo plus millibus paſſuum à Croia diſtans, inter eam & Scodram vrbem ſitum, non ineptus ad id negotium viſus eſt locus, cum ob commoditatem ſui, tum ob Venetorum gratiſſimum æquæ omnibus ac acceptiſſimum imperium: illorum enim ditionis id erat oppidum.

Comitia in Lyſſo oppido.

Lyſſum oppidum ciuium Romanorum ab Epidauro centum mill. paſſuum. Plinius lib.3.cap.22.

Miſſi igitur vndique qui inuitarent viros, & locum diemq́ conuenturis prædicerent. Nemo ſelectorum tardatus eſt, nemo quippiam cauſatus, nullum publicum, nullum domeſticum (vt fit) impedimentum quempiam tenuit, contentione quadam omnes & promptiſſimis aduolarunt animis: ſatis efficax id fuit ſignum, quales ſe ad reliquos deinceps belli vſus præſtaturi eſſent, nunc concedant aliquantulum mihi legentium animi, concedat hiſtoriæ grauitas, euagariq́ paululum ſinat: Quippe cum nimis curioſe fortaſſe, velut in albo quodam referre illorum nomina ſtatuerim, qui id concilium tunc præſentia ſua, ſed longe magis Epiri dignitatem honeſtarunt, vt doleant poſteri, & mirentur tam ſubitam Epiroticæ rei calamitatem, & ſordes noſtras, ex illarum rerum imagine commonefacti, licet nihil forſan ab re, vel factum vel dictum videri debeat, quod patriæ, quod tuis pia ratione & officioſe impendas. Verum priuſquam eorum referam nomina, qui ad concilium cõuenere, non incongruum mihi viſum eſt, hoc in loco recenſere, remq́ à pleriſq; exoptatam, veluti ſub oculis ponere, vnde ſcilicet origo Epiroticæ ſeu Albaoæ gentis exordium habuerit: Epirotæ, qui & Albani appellati ſunt, ex Albanis priſcis, & nobilibus

Origo & nomen Albanæ ſeu Epiroticæ gentis.

In Strabone lib. 11. legis, linguas habent 26.

olim Italiæ populis, qui Colchidis etiam portionem incoluerunt quandam, originem traxiſſe dicuntur, à quibus ſermonem Albanum, ſeu Epiroticum fluxiſſe (vt mea fert opinio) non malè fortaſſe quis dixerit, quum ibi ſex & decem linguas vigere Strabo referat: de eorum quoque origine cùm Pius Pontifex, diuini, humaniq́ iuris peritiſſimus, tum nonnulli recentiorum, qui Trogū Pompeium ſunt ſecuti, eadem ferè ſenſerunt. Trogus enim Pompeius Albanorum originem Italicam eſſe dicit, aſſerens Albanos Herculem ex Italia abſcedentem ſecutos fuiſſe, cum is Gerionis armenta in Italiam deducta, in Albano monte paſcui fertilitate pellectus, aliquantiſper habuiſſet. Ab his igitur Albani orti ſunt, quorum pars hodie in Peloponeſo, pars in Macedonia, ſiue Albania & Epiro ſedet. Horum autem Princeps eſt Georgius Scanderbegi, magnanimus & inuictus Princeps, qui multa per

Georgius Scāderbegi.



ætatem noſtram aduerſus Turcas pro Chriſti nomine prælia geſſit, qui ætatem penè omnem in armis pro fide catholica pugnando conſumpſit, qui multos & magnos Turcarum exercitus parua etiam manu bello vicit atque deleuit, cuius conſpectum nunquam ferre Turcarum acies potuere, qui ſolus quodammodo regionem illam in Euangelica Chriſti fide continuit. Sed nunc ad propoſitum noſtra recurrat oratio. Ariannites Thopia Golemus, ſiue Latiniore vocabulo Commatus, magni vir nominis & autoritatis, tum propter longam generis nobilitatem, tum ob maximam rerum bellicarum peritiam, & dignitatem præcipuam oris, vultusq́, quod non vltimo

Arriannites Thopia Golemus.

timo loco ſpectat vulgus, inſigni equitum peditumq́; comitatu conuolans; cæteros omnes præuenit. Hic oppreſſus olim ab Amurathe, tributum ab illo imperatum non negauit, ſed nunc oblata occaſioue erectus, animo concœpta iampridem odia, & ſeruatos glorioſè ſpiritus egregie depromſit; nemoq́; ardentius ſe aut pro libertate pepigit, aut in caput illorum iurauit, neque modus deerat ad eam animi cupiditatem explendam, & ſat idoneæ eius vires cum alijs iunctæ, ad reformandam fortunam Epiri videbantur, quæ ſolæ aliquando integra tyranni bella ſuſtinuiſſent: nam à flumine Aoo, ſiue Aeante, licet ei incolæ aliud ſuperindiderint nomen, Vauiſſam appellantes, ad ſinum vſque Ambratium ferè per omnem maritimam Epiroticæ regionis oram imperium eius extendebatur. Hic eſt ille Ariamnites, qui apud Macedones & Epirotas cognomento Magnus & dictus & habitus eſt. Nam magna profecto & præclara in Turcas pro Chriſti fide & Euangelio geſſit, varias ac ingentes de eis clades, ſtrageſq́; edidit, & quoad vixit ſemper inſecutus eſt. In Meumethem eorum principem in Epirum irruentem irruit, quem fœdauit atque afflixit. Nam eius caſtra aggreſſus, ſignis, regijs vexillis, atque tabernaculo ablato priuauit, illumq́; è prouincia & regione ſummo cum dedecore, clade, & ignominia abſcedere compulit. Secutus eſt eum Andreas Thopia, clarus vir genere, factiſq́;, nec minus ætate verendus, cum duobus filijs, Comino, & Muſachio, Tanuſicq́; nepote, quorum maiores fundatores Croiæ & Petrellæ fuiſſe diximus. Horum quoque non pœnitendæ vires, & ſat amplum imperium in Epiro inter Tyram minorem & Epidamum fuit, tamen præter eorum locorum dominium, quæ abolitis penitus antiquis nominibus, Scuria, Muſachiema, Cherabi, Farca vocant Accolæ, Cimeræ, Vlizeæ, imperio noti erant principes. Montanus is eſt locus, Corcyræ oppoſitus. Indomita gens habitat, feroxq́;, ne bellicoſa dicam, Cimerotas vulgo dicimus, nullius rei, artiſue auxilio, præterquam naturæ, & locorum munimento tuti. Inſolentiam Turcarum poſt ſubactam Epirum, mortuo Scanderbego ſemper fœliciter contempſere, & egregia quadam libertate naturæ, ignari alieni imperij vſq; ad hæc tempora vixere, nunc (vt audio) vltro accerſitis ex Apulia Hiſpanorum præſidijs ſigniſq́;, & ducē norunt, & politiorem formulam viuendi accepere. Inter eos & Georgius Streſius nepos venit, Balſæ filius, Johannes & Boicus fratres domum relicti, nondum ætatis gratia, vel ad conſultandum, vel belligerandum idonei: horum ſedes intra Croiam & Lyſſum tam amplæ quam amœnæ erant. Ex Muſachijs quoque plures affuere, id nomen eſt genti: his ſicut idem voluntatis, idem etiam habitus animorum erat cum Scanderbego, ita neque imperium ab illo vlla ex parte ſeparatū, diſtinctumúe habebant. Quinetiam magnanimi præſto fuere Principes Nicolaus, & Paulus Ducaginus, ſpectatis armis ambo;

Aous Aeas dictus à quibuſdam. Plinius lib. 3. cap. 23. Strabo lib. 7.

Andreas Thopia.

Georgius Streſius.

Poſt ſinū Rhizicum, Liſſus oppidum eſt, & Acroliſſus & Epidānus. Strabo lib. 7.

Plinius habet Drinius, lib. 3. cap. 26.

ſed eximio quodam præ cæteris religionis cultu notior Paulus, qui agrum vltra Drinum flumen, Xadrimam ſuperiorem appellant Epirotæ, vſque in ſuperiorem Myſiam poßidebant, regionem amplam, & frugibus fœcundam, fontibusq́ ac riuulis ſaluberrimis irriguam, & ferociſsimis inhabitatam viris: ibi multa vetuſtatis veſtigia viſuntur, oppida, ædificia, templaq́ notiſsima Dei, proſtrata nunc vndique & diruta ante oculos iacent multa, quin etiam in eo tractu marmorea viſuntur monumenta, in quibus pleraque Romanorum & aliorum Jmperatorum nomina licet intueri: inter hæc & veſtigia quædam, quibus ſatis percipitur, Paulum Apoſtolum ibidem fidem Chriſti populis annunciaſſe. Acceßit & Lucas Zacharias, quo nemo vnquam impenſius, eodem fidei & beneuolentiæ tenore, Scanderbegi partes eſt ſecutus. Hic licet latiori dignus imperio, tamen ſatis amplam Xadrimæ partem ſuperioris, necnon Dayni oppidum à maioribus ſuis & conditum, & per manus ſibi traditum tenebat. Puſilla ciuitas eſt in edito monte, prout omnes ferè vrbes Epiri, ſita, agrum tamen habet campeſtrem vberem, ſaluberrimumq́, venationibus, apium, ac omni frugum & arborum genere refertum. Amœnißimus amnis Drino à parte, qua occidentem ſpectat, eam alluit, quæ ita contentione quadam veteres celebrarunt ſcriptores, vt vix loci quippiam ad dicendum relictum videatur poſteris. Tamen quia multa ad hunc vſq; diem ex veteri rerum facie (vt fit) immutata ſunt, non malum erit fortaſſe, ſi ipſe aliquid etiam hodie dixero. Epirum à Dalmatia atq; Illyrico, vt nonnulli voluere, diſterminat amnis Drino, & haud multum Eridano magnitudine inferior exordium ſumit à Macedonicis populis ſeptentrionali plaga, Lyßiq́ vrbem celeri curſu præterfluens, in ſinu Rizico iuxta Acroliſſum mari Adriatico ſeſe immiſcet, vbi & inſulã facit, cuius ambitus ſeptem millia paſſuum complet, hac tempeſtate Lyßi nomen retinens, eò quod veteri oppido, quod in vlteriori fluminis ripa poſitum erat, à Turcis incenſo, multitudo illuc confugiens, domicilium perpetuum ſibi tanquam tutiore loco fixit, & nomen ipſum vrbis ad inſulam tranſtulit. Aderat præterea tam fœlix pater, quàm fortunatus Princeps Petrus Hiſpanus, cum Alexio, Boſdario, Vruoo, & Mirco, filijs ferè inter ſe æqualibus, & pari figura corporum, ac indole animorum quam ſimiles, Leccasq́ deinceps Duſmanus cum Petro, & alij reguli vicini, quibus Peones, Pelagonesq́ ſuperiores vſq; in Myßiam Sardonici, & oppidula quædam, ac loca circa Driuaſtum & Baleſium parebant. Progrediebatur non longe poſt hos Stephanus Zernouichius, cum Georgio & Johanne filijs tanto patre nihil indignis, qui in Illyrico ſiue Liburnia ad ripas lacus Xabiacum & Falconem munitiſsima oppida cum agro latiſſimo poßidebat, non defuere Chriſtianißimi & inuictißimi Principes Veneti, quorum tunc imperio (vt de Scodra mea taceam) pleraq; haud ignobilia

Paulus in Epiro Chriſtum annunciat.

Lucas Zacharias.

Daynum oppidum.

Plinius lib. 3. cap. 22. Amnis Drilo ſuperq; eum oppidũ ciuium Rom. Scodra à mari 18. milliũ paſſuum.

Petrus Hiſpanus.

Leccas.

bilia oppida, & non minima Epiri pars poterat gloriari. Traxit poſtremò ea conſultatio alios Principes iuuentutis, qui tum propria, tum communi cauſa operam ſuam contra Turcas pro publica ſalute & dignitate fortiſsime ſunt polliciti. Nunc ad Scanderbegi orationem me conuerto, qui poſtquam omnes, qui ad concilium euocati, in templo maiori in vnum congregati ſunt, ſic orſus eſt:

Vtinam, Patres & Principes optimi, aliquis ſit credendi finis Chriſtianis noſtris, & Ottomanæ nos fidei ſatietas tandem aliqua teneat, immò perfidia pluſquam punica palam fiat. Neque enim ego hodie quietum patriæ ſtatum, inuiſus fortaſſe noui belli autor turbarem, & vos ad haſce belli incommoditates, & maximarum rerum pericula ſollicitarem, niſi Iohannes Caſtriotus pater ille meus, Princeps alioqui prudentiſsimus, tantum olim perfido huic Amurathi fidei habuiſſet, dum funeſtæ pacis prætextu, velut certa pignora obſides ab eo filios, nõ difficilius quàm petierat, impetraſſet. Sed quid de parente meo diutius conqueror? Communis eſt hic error. Commune fatum omnium Chriſtianorum Principum. Quid de Græco dicam? quid de Myſorum & aliorum deinceps Chriſtianorum imperio? Omnes profecto nimia iſta credendi facilitas perdidit, nihilq́ue iam illis à perfido Ottomano relictum eſt, niſi vt tantũ eos pœnitere poſsit. Adhortatio Scanderbegi ad vniuerſum Conciliũ, pro tuenda orthodoxa fide. A perfidia Turcica.



Quare nihil eſt Patr. Con. quod vobis in hac parte orationis à me dici poſſit, quum ſatis alieno malo, vtili exemplo edocti eſſe debueritis. Dum tamen hæc conqueror, & Ottomanas ipſe fraudes mecum diligentius repeto, & ante oculos pono, pariterq́ue vos intueor, prudentiam æque & concor- Ab alieno exemplo.

diam

diam ſpecto, illud me maximè confirmat, & bono iubet eſſe animo, quod vix vllam ab eo gentem, præterquam dolis & inſidijs ſubactam, vel ſua ipſa credulitate, & domeſticis euerſam ſimultatibus cerno. Age tamen dicat quiſpiam, multa quoque ab Ottomano virtute parta, innumeras prouincias, plura hac ætate imperia armis eius ſub iugo miſſa, numeret longos triumphos, irrupit ferox in Aſiam, percurrit non ſemel Græciam, Myſiamq; incruentus toties penetrauit, ſic ne igitur indomitam Albaniam inuictam Epirum iniuriæ illius opportunam putauerimus? vbi tot duces, tot Principes inuictiſsimi, tot bellicoſiſsimi populi vnà concordes vigent in armis. quanti enim faciant barbari, virtutiq; veſtræ tribuant, huiuſce rei certiſſimum ipſe teſtimonium afferre poſſum, qui cum illis domi militiæq; plures annos traduxi, inuiti, coactiq; contra vos bellandi neceſsitatem omnem ſubeunt: inuitus verò atq; timidus animus quid boni, quid magni gerere poſsit, dicat mihi ſtrenuus atque optimus miles. Sed dum me cupiditas iſta dicendi, & iuſti doloris cauſa longius protrahit, non defuturos multos fateor, qui doleant, quod ſe tamdiu paci, licet non omnino honeſtæ aſſuetos, nunc ad hæc belli incommoda euocem, dicantq;, quemcunque euentum pariat fortuna, nihil tamen poſſe ſine cruore ſuo expediri. Dolebunt identidem matres, filios in belli diſcrimina miſſuræ, conquerentur vxores de virorum ſalute ſollicitæ, & orbitatem ſibi timentes paruuli domi relicti liberi. Appellabunt me omnes fortaſſe crudelem, & deteſtabuntur (quod ominari horret animus) nouum belli periculorum, & ſanguinis auctorem, quanquam libertatis potius (abſit verbo temeritas) aſſertorem & conciliatorem vocare deberent. Vix ſuppetit oratio mihi ad eam legitimam & iuſtam defenſionem, auertat hoc tamen Deus optimus maximus: non eſt ita publici boni oblitus animus, vt vnus tot veſtras vndique querelas audire, tot communia omnium mala vnus videre poſsim, quin ſi mei aliquem conſilij pœnitet, P. C. neque è Repub. & ex omnium dignitate hæc belli capiendi à me oſtenſa occaſio videtur, & Croiam ſum Amurathi (ſi ita conducibilius videtur vobis) & haſce omnes infœlicis regni reliquias mox reſtituturus, priuatoq; periculo ſaluti proſpecturus meæ potius, quàm regnaturus publico veſtrum. Illud vnum tantum ſubditi mihi populi, & innoxij ciuium ſanguinis vicem doleo, quos ſine duce, ſine tutore, velut victimas hoſti offerri non patitur animus haud immemor fidei illius, quam nuper in me ſibi reſtituendo omni ætati teſtatam reliquerunt. Sed quid per Deos immortales (vt vobiſcum iam liberius loquar.) An igitur æquum erat ciuem veſtrum à patria ſemper extorrem in ſeruitute apud Amurathem inter tot pericula, in damnata religione degere, potius quàm in Epiro in natali ſolo apud Chriſtianos, apud vos, quicquid ætatis erat reliquum exoluere debuiſſe? An in Epiro præterea eſſe, & auorum ſedes, paternum impe-

À ſucceſſu Turcæ per dolos & inſidias.

À fortitudine Epirenſium herouni.

Confutat argumenta detrectantium bellũ in Turcam.

A publica vtilitate.

A religione.

A patriæ pietate.

imperium, ſepulchra, templa; Deos ipſos in barbarorum poteſtate per omnem fœditatem & ignominiam aſpicere diutius potuiſſe? Quid de Croia demum (vt nulla ſit patriæ pietas) an vrbs tam munita, tam opibus clara validiſsimaq́ʒ, in hoſtium manu relinquenda fuit? Cor Albani imperij, & vna ad omnes bellorum & pacis commoditates à maioribus noſtris condita, negare iſtud quidem (ni nimis ipſe blandior mihi) vix poteſtis, Patres Juſtiſsimi. Mitius tamen cum Amurathe agi potuiſſe quiſpiam dixerit, non ita irritandum barbarum, non per tot ſcelera vel patriam recuperandam fuiſſe, ſi modo ſcelus id potius, quàm neceſſaria vitæ defenſio appellanda ſit, quæ non homini ſolum iure gentium, verum brutis animalibus lege ipſa naturæ eſt conceſſa, ſi tamen ſcelus hoc appellamus. Quid de tot eius in me odijs, tot ſimultatibus dicendum erit? Quid de inſidijs illis? quæ non ſolum vobis, ſed vniuerſo fermè terrarum orbi vulgatæ, vel cruentiſsimo hoſti aliquid potuiſſent lachrymarum elicere. Quid demum de miſerabili fratrum meorum cæde? quos omnes eodem fermè temporis momento, apud eum funeſto fato abſumptos his oculis vidi. Parum ne hoc igitur (proh dolor) meme ad hunc vſqʒ diem imbutas ſanguine meorum manus aſpicere potuiſſe, & apud homicidam impium tam certo vitæ periculo omnes fermè dulcioris ætatis annos tranſegiſſe? Sed quid in his immoror? Oſtendet propediem omnia an probe, an improbe facta, euentus belli iuſtus iudex: vnum illud polliceri auſim omnibus, vos militem me vel ducem inuicta patientia ad omnes labores ſubeundos, ad quæq́ʒ obeunda pericula habituros, non die, non nocte, non aliquo tempore, veſtræ pariter & Chriſtianæ rei ſum defuturus: & quamuis animi hanc mei cupiditatem virtus, & rerum gerendarũ gloria æquare non poterit, æquabit certe diligentia, & fides ſingularis, longeq́ʒ ſuperabit, tamẽ non pœnitendum ſaltem in eo conſilium noſtrũ eſſe poterit: nam quum hoſtis ingeniũ, artes, dolos, moresq́ʒ deinceps omnes (quod maximum cenſeri ſolet in rebus bellicis) tam diutino vitæ vſu optime norim, nihil incaute ſum, nihil temere, nihil non conſiderate acturus, ni fatum aliquod vrgeat, quod nulla vis humana vincere poteſt. Cur autem hæc læuia commemoro? quum maiora vel maxima planè omnia belli huiuſce fomenta, Deus vobis optimus dederit. Habetis vobiſcum Senatum, populumq́ʒ Venetũ, vnicum Chriſtianæ fidei columen, terra, mariq́ʒ hac ætate longe potentiſsimum, & qui cum omni hominum memoria triumphos ſuos comparare, & de vniuerſo laudis genere certare queat. Habetis hoſce Principes eius Reipub. non minimam partem, qui tum ſua, tum patrum voluntate, atque decreto, nobis omnia (quid nobis? Chriſtianæ certe Reipub.) pollicentur, iuſtiſsimũ bellum non recuſant, grauibus & ipſi à perfido barbaro iniurijs laceſſiti. Timendum nequicquam eſt his ducibus, his autoribus? Quid amplius, quæſo Albani Principes, à

Croia cor Albani imperij.

A crudelitate hoſtis.

Euentus belli iuſtus Iudex.

A fide Scanderbegi, & diligentia.

A præſidio Dei.

Senatus populusq́ʒ Venetus.

Ab auxiliaribus potentiſs.

Dijs immortalibus petere poteſtis? Pudeat iam nos (ſi Dijs placet) fortunæ noſtræ, turpe tum nobis, tum Veneto nomini turpiſsimum, eos diutius (ita me mala noſtra dicere cogunt) dominos ferre, quos Patrum noſtrorum memoria, infamis illæ Scythiæ vicus vix ſeruos perferre poterat, quibus nihil contemptius fuit, & latrocinijs tantum, ac rapto viuere aſſueti eò creuerunt hodie, vt extrema quæque nomini Chriſtiano audeant minitari. Dies me deficeret, ſi omnia enumerare vellem: pudet hoſtis humilitatem referre, cum quo bellum gerendum ſit vobis. Agedum igitur Principes, patriam, vxores, liberos, fortunasq́ veſtras per ſummam gloriam vobis vendicate, defendite, & ad veram libertatis tranquillitatem reuocate. Ecquid ſentitis, in quanto contemptu viuatis? Qui libertati idem, & vobis finis ſit. Si tamen tolerabilis videtur fortuna veſtra, ſumite pro me arma iuſtiſsima, non Albano, non Principis filio, non conſanguineo veſtro, ſed Chriſtiano, ſed transfuga. Non loquor apud recuſantes iuſta bella, Principes, defendite eum, quem Iohannes Caſtriotus, Princeps ille, de vobis non male meritus, fidei virtutiq́ veſtræ ſi poſſet, commendaret. Sed ſi adhuc nihil vos mouet fortuna mea, & vel ignominioſam pacem huic bello præponitis, ad gentis ipſe meæ, populorum, & ciuium fidem confugiam, quamcunque dederit ſortem fortuna, vnà cum illis æquo animo ſubiturus, qui tam magno æque ac grato animo ſuam ſalutem pro mea ſalute deuouerunt. Defenſuri tamen (vt arbitror) & vos eſtis P. C. Ad quid enim iſtuc conuocati tanto ardore conueniſtis, niſi ad bellum, quum nullus alius vobis mei vſus eſſe poſsit, niſi in bello ſit? Cæterum video iam ita omnium animos concitatos, & in concitatis animis hoſtiles ſpiritus. Contemplor ſuperbos vultus, vt armatos iamiam aſpicere videar mihi. Defendetis inquam vel inuiti, quum ſolum ab Amurathe oppreſſum auxilium veſtrum implorans audieritis, quum hoſtem impatientem, ac victoria elatum, libertatem atque imperia veſtra euertentem, & rabido, cruentoq́ ore, pollutis atque ſacrilegis manibus ad ſanguinem veſtrum hauriendum prouentem videritis. Non expectetis tamen (obteſtor) eas rerum difficultates, non expectetis, quouſque ſerum forſan iſtud à vobis auxilium petatur. Sed nunc nunc vires viribus, arma armis conferentes, vel expectemus quamprimũ erupturum hoſtem, vel in eum vltro irruamus, quum coniunctos viderit, vel pœnitebit eum conſilij ſui, vel ſi ire perget, luctuoſam fortaſſe vincendi cupiditatem malo ſuo eſt depoſiturus. Timet adhuc forſan quiſpiã veſtrum, & in ancipiti ſententia nutat animus, non vnum, neq́ debilem aduerſus nos Amurathem exercitum miſſurum, ſed & plures & validiſsimos, vel ipſum forſan venturũ ad eam iniuriæ atrocitatem vlciſcendam: parem autem non eſſe exercitum noſtrum aduerſus eas vires. Fateor iſta omnia quidem, & libenter fateor, magna tamẽ omnia animus

Ab hoſtis humilitate.

A libertate patriæ, vxoris, liberorũ, &c.

A meritis Iohannis Caſtrioti.

Ab hypotypoſi hoſtilium ſpirituum.

Ab extenuatione potentiæ Turcicæ.

mus meus præſagit, ſed vereor ſpondere quippiam incertis animis, quum futura in occulto ſint, & omnis lateat euentus. Quod vero ad humanum ingenium & conſilium attinet, promptum vobis rerum omnium remedium oſtendam, quippe quum nihil tam difficile ſit, quod non hominis conſilio expediri poſsit. Ingenioſa eſt ad ſui tutelam natura, & quicquid iuſtè geritur, fœlices ſortiri ſolet euentus. Sed quid hoc pacto difficultatem augeo? Nonne (vt de armis taceam) ſitus ipſe locorum, & Macedoniæ ſuapte natura tutiſsima regio, vos ſatis aduerſus quoſque impetus tutabitur, qua nihil ad propulſandam iniuriam omnem aptius, nihil commodius eſſe poteſt. Nonne præterea loca ſingula, oppidaq́; ante hoſtis aduentum muniri poterunt viris, armis, commeatu? Quid ipſe poſtremo cum exercitu à vobis commiſſo, intra muros ne & tectis incluſus eo modo oportunam calamitati prouinciam relinquam? & agrorum veſtrorum direptiones, villarum incendia, & publica id genus mala ex tuto loco, & alta aliqua turri, cum pueris veſtris degener aſpiciam? Non patietur quidem animus tantæ ignauiæ ſibi eſſe neſcius. Adero ſemper in hoſtis conſpectu, cum copijs, cum militibus meis, & licet non iuſto prælio, & aperta vi, impetus eius periculo vltimo tentaturus: ita tamen vtiliori alio militiæ genere, & incruentis fortaſſe legionibus meis, Amurathis vires pariter & animos propitijs Dijs frangam, vt relictis poſthac omnibus, vaſarijsq́; (vt aiunt) abiectis, omnem vobis prædam ſit relicturus, niſi maluerit in hoſtili ſolo & alienis campis, exercitū ſuum in tantis rerum omnium incommodis conſeneſcere, & obſeſſo quàm obſidenti ſimilior eſſe. Vobis nihil quicquam defuturum eſt, ipſe enim ſemper in oculis veſtris ero, omnia obibo, ſingula peragam, quæ ad oppidanorum & exercitus mihi traditi vitam non ſuſtentandam, ſed laute quoq; alendam facere videbuntur. Sed cur tantum vobis me oſtento hodie? & ſuperbas minas iſtas, fortia dicta, ac feroces impetus non hoſti potius ſeruo? Quid item de Amurathe nunc timidis mentibus obloquimur? Nihil eſt quod de aduentu eius terreamur, ſatis de hoc ſum ipſe à domeſticis eius tum in recenti illo rerum mearum tumultu, tum proximis diebus admonitus, ita barbarorum quoque animos mihi adhuc conciliata iampridem beneuolentia, & iuſtior cauſa ſeruat, ingentem tamen exercitum aduerſus nos, ſi quo intentius fieri poſsit, parari quotidie, tum fama ipſa, tum omnium ſermones affirmant. Quare tollenda eſt omnis mora, P. C. abijciendæ iam noſtræ iſtæ conſultationes, quas bellorum neceſsitates expectare non poſſunt, peragenda omnis prouincia, edictum proponendum, percenſenda capita, exercitus impigre ſcribendus, ne quum hoſtis in conſpectu erit, & tubarum clangor ad milites euocandos auribus obſtrepet, nos tum ſera belli conſilia quæramus. Surgite iam igitur Patres inuictiſsimi, dignos tandem iuuantibus Dijs, vos Chriſtiano

A natura iuſti belli.

A ſitu Macedoniæ tutiſsimo

A fugienda mora.

A debito.

imperio omni deinceps futuræ ætati oſtendite, gratiarum tamē à me actiones pro hodierno beneficio, armati ſub galeis ante ſigna in ſudore in puluere expectate, tales deniq; habituri, qualia belli præſidia dederitis.

Scanderberg conſtituitur Imperator & dux belli.

Poſtquam dicendi finem Scanderbeg fecit, Principes omnes in eum, vt libertatis, & totius gloriæ autorem, verſi, ex omni parte vno ore, claraq; voce ſententiam eius comprobantes, maximis laudibus efferebant, Singuli itaq; vltro iuribus ſuis, populis, armis ei commiſſis, ac velut per manus traditis, totiusq; rei ſumma ac belli cura demandata, vnum ſibi Imperatorem illum atq; ducem elegerunt. Ad vnum cuncti eos imperij faſces ingenti fauore & clamore ſatis idoneum rati, cuius vel nomine ſolo tanquam fulgure quodam omnis Macedoniæ angulus, aduerſus quoſq; hoſtium impetus defendi poſſet. Ad hæc & illa rerum bellicarum peritia, & imperatoria conſilia omnia, longus præterea cum barbaris morum, ac vitæ vſus, & diutina conſuetudine, experientiaq; iudicium firmatum, animos omnium certiore ſpe victoriæ accendebant. Sed & illud poſt multa promiſſa, oblationesq;, maximum fuit, quod Ariamnites ſurgens primus omnium, quum multo decore verborum, & Iohannis patris imperium, & inſtitutum filij ac fœlicia tum virtutis, tum fortunæ auſpicia laudaſſet, tributū annuum éi inſigni & prompto animo obtulit, quod accepit: hucuſq; inquiens Amurathes, dum funeſtiſſimis ipſe armis ignominioſam pacem præpono, & fœdam libertatem quàm infœlix bellum malo: accipe tu approbantibus Dijs hominibusq; macte virtute vir, accipe hoc non ingrati ſaltem, ſi non magnifici animi pignus, quod pro Epirotica, pro mea libertate, dignitate, imperio, liberis, populis tuendis vltro decerno tibi. Licet communia iam tibi mecum eſſe velim milites, arma, equos, & quicquid aliud vel fortuna mihi, vel pertinax virtus ab impio hoſte ſeruauit, Sed hoc non pacis, non belli diſcrimine habito, ſtatuimus tibi inuictiſſime (vt hoc te primus nomine appellem) Albanorum Princeps, ac vindex libertatis, tum alij plures æmulatione quadam ſatis ampla tributa pro habitu fortunarū ſibi ipſi imperarunt. Andreas cum Tanuſio nepote inſigni liberalitate nemini ceſſit, magna vis pecuniæ hoc modo ad belli vſus inuēta, hinc forte fama diuulgatum eſt, Scanderbegi prouentus in Epiro ducenta annua aureorum millia exceſſiſſe: nam licet latius imperium quā alius Princeps poſſideret in prouincia, tamē nimis oneroſum fuiſſe ſubditis fatendum eſſet, ſi eam ſummam à ſuis tantummodo exegerit populis, ardentibus quotidie omnibus bello, & viris altera manu (vt ſic dicam) colentibus agros, altera ferrum tenentibus, ni in ſalinis forſan magnum huius rei momentum fuerit, quas longe pulcherrimas habebat, in loco, qui Campupeſcupi dicitur, inter montem, & locum, cui Selita nomen eſt ex altera parte, ex altera ſanctū Nicolaum à petra notiſſima tellus, vel infamis potius, Senatus olim Romani obſidione, atq;

Ariamnites dat tributum Scanderbego.

Scanderbegus, Albanorum Princeps, vindex libertatis.

Prouentus Scanderbegi in Epiro.

Salinæ in Campupeſcupi.

ne, atq́ fortuna. Reliqui quibus non ea vis erat, non facultas, vt tributorũ onera ſubirent, corpora ipſa, & perpetuam operam voluntarij ſpopondere. Venetorum magnificentiã, non annua tributa cum cæteris, ſed quotidiana fomenta & præſidia, ſatis & fortunæ, & dignitatis ſuæ memor, non recuſauit. Quum igitur omni genere laudis atq́ officiorum alius alium ſuperare contendentes, hominẽ ſibi deuinxiſſent, mox diuinis ſupplicationibus ad icti robur fœderis, ac tam inſignis ſocietatis ornamentũ peractis, pars Croiam cum ipſo petijt. Alij in loca quiſq́ ſua ingenti gaudio, ſpe ingentiore ſunt dilapſi. Moſes primus omnium cum præſidio de finibus Croiam reuocatus, relicta tantum perexigua manu, & per iuga quædam diſpoſita, quæ cuſtodias ageret, venit. Quinq́ paulo plus hominum millia in eo præſidio erant. Selita Selitæ populi. Plin. lib.4.cap.11.



Nam proficiſcens inde Caſtriotus ad concilium, multos domum dimiſerat, tum edictũ impigre propoſitum, & miſſi plures ex proceribus ad delectũ habendum. Sed neq́ Amurathes concitatis iampridẽ ſuorũ animis ocia ducebat, deeratue vlla ex parte in omnibus peragendis, quæ ad eam belli materiam tantis odijs animisq́ cõceptam facere videbantur. Coactoq́ exercitu 40. millium lectiſſimorũ equitum, Alybaſſam vnũ ex præfectis ſuis ſtrenuũ & armis & conſilio virum, ac multis eâ ætate apud barbaros bellorũ titulis inſignẽ, ad id muneris ducem elegerat. Neq́ difficilẽ futurã victoriam, tum copiarum robur, tum Imperatoris virtus ſperare faciebat. Jam hic vbiq́ rumor erat, ea Turcarum ſpes cogitatioq́, vt captum crederes Scanderbegum, ſuppliciũ de eo ſumi diceres, velut in obſeſſa quandoq́, nec dum capta vrbe, temeraria, & præpoſtera militum conſilia, prædam ſibi, nec cruentam

 futu-

futuram victoriam promittunt, ac ſpolia diuidunt iam contentione quadam inter ſeſe id agentes. Ita ſunt humana ingenia ſecum tantum colloqui aſſueta, & ad maxima quæque ſpondenda ſibi nimio plus facilia, & prona. Itaq; in Epiro etiam iam omnia vario tumultu miſceri, & maximi quidam rerum motus inſtare videbantur. Fama præterea de Alibaſſæ aduentu omnia adhuc in maius vero extulerat, timor quidam nouus ac inſuetus multorum occupauerat animos, & vana etiam quædam trepidis credere & vereri ſuadebat. Agreſtes paſsim cum pecoribus ad vrbes vicinas confugere, Oppidani muros munire, ac pro portis, tanquam viſus eſſet hoſtis, excubare: ſenes vbiq; trepidi, patriam, vxores, liberos, Deos ipſos commemorantes, iuniorum virtutem appellabant, accendebantq́;: mulieres quoq; quas publicus pauor per vicos omnes extractas, armatis immiſcuerat viris, quæ nunc ſuorum animos miſerabili ac iuſto fletu excitantes, nunc per templa & delubra ſollicitæ, aris omnibus patriæ ſalutem commendabant, ſtupentibus etiam ad parentum lachrymas, vnaq́; plorantibus paruulis filijs. Scanderbegum verò vnum neq; auditus Alibaſſæ aduentus, & hoſtilis fama exercitus, neque vulgatus ſuorum timor vlla ex parte mouebat, vt nedum periculum vllum, ſed vel periculi ſuſpicionem maiorem crederet, quam ſemel animo induxiſſet. Ridebat autem tum hoſtis vanos conatus, tum vaniorem ſuorum trepidationem. Itaq; quum omnia prius prudentiſsime per vniuerſam prouinciam diſpoſuiſſet, ne nimia hoſtis contemnendi licentia, ſuorum ingenia ab ea belli cura laxaret, auerteretq́;, multis tum dictis, tum factis omnium animos tanta fiducia erexit, ſpeq́; victoriæ accendit, vt nihil vnquam deſiderio maiore, quàm hoſtis aduentum expectare ſint viſi, vt quiſque certatim enixam fortitudinis præliando oſtenderet operam, fidemq́; Principi ſuo tum priuato, tum publico merito modis omnibus teſtatam relinqueret. Fuit & illud longe maximum in eo inuicti animi, atque admirandæ fiduciæ exemplum, quod & ſingulorum in ſe oculos ingenti admiratione conuertit, & Alybaſſam quoque ipſum, ſi id Scanderbegi factum contemplari potuiſſet, tam ingentem ducis fiduciam maxime admiraturum crediderim: nam quum tot ad eum gentes & populi ferociſsimi vndique aduolaſſent, vt non vnus, nec ignobilis exercitus confici poſſet, & ante oculos eius ſtarent, iuſſa tantummodo expectantes & petentes arma, ille omnium animis æque collaudatis, lectiſsimorum hominum opera accepta, & octo tantummodo equitum, ſeptem peditum millibus ſecum manere iuſsis, alios tam ex veteri præſidio, quàm nouo delectu domos remiſit, ex quibus etiam nonnullos ad diuerſas belli neceſsitates per loca quædam diſpoſuit: mirati ſunt omnes tam audax conſilium viri. Sed puto præclarum, & expertum belli ducem cogitaſſe: Si victus aduerſis Dijs cum ampliore exercitu fuiſſet, non ita ſe idoneum poſtea ad repa-

Timor in Epiro propter Turcas.

Scanderbegi magnanimitas & cōfidentia.

Exemplum inuicti animi & admirandę fiduciæ.

Exercitus conſtans octo equitum & ſeptē peditum millibus.

reparandas vires, & inſtaurandas nouas copias futurum, & ideo diſpoſita credo pluribus locis præſidia ab eo fuiſſe, ac velut ſeruata ſubſidia quædam, vt aliquid eſſet reliquiarum, quod & fortunam recuperare, & incaute alioquin propter rem bene geſtam hoſti victoriam extorquere poſſet, licet nihil tale ipſe dicere ſit auditus, ſed præclaro, eodemq; oris habitu, & vocis ſono certam quaſi victoriam, & expedita ex animo omnia polliceri. Itaq; non vnicam illam rationem credo fuiſſe, cur ampliores non ſint retentæ copiæ, vt aliquid ſcilicet ſpei, ſi quid durius incidiſſet, in reſtituenda fortuna eſſet, ſed egregiam quandā ac mirabilem propè hominis fiduciam, id quod videre etiam ſæpenumero licet in magnis præſertim ingenijs, quæ raro admodum fefellit fortuna, & hoc laudant potiſſimum & admirantur homines in Scanderbego, quod toties, ac ferè ſemper cum minoribus longo interuallo copijs, tot incredibiles penè ex hoſte tulerit victorias, vnde ipſe plerunq; non ſine hæſitatione quadam, multa ad poſteros tranſmitto prius ferè, quàm illa ad animum admiſerim meum. Cæterum non iniquum fortaſſe credere, quod & ſeculis noſtris natura aliquid conceſſerit, vt & ipſi haberemus quod miraremur. Age nanq; potiſſimū huius virtutis & fortunæ exemplar, Hunniadem ante oculos noſtros ponamus, qui toties Turcarum vires fermè ſolus contudit, & ſæpius victor cum paucis euaſit, quàm cum pluribus alij exceſſere. Sed omittamus tam ſollicite fidem nobis ad hanc rem ambire, præſertim quod tam recentia, & quæ penè vidimus ipſi, negare niſi impudenter non poſſimus. Caſtriotus vbi ſinguli nomina dedere, percenſito, perluſtratoq; exercitu, mouens ſigna, multis remanentium ſupplicationibus, votisq; populi in diſcedentes nuncupatis Croiam reliquit, & non procul à Dibra inferiore inhibitis vexillis, quum aduentare hoſtem magis magisq; audiret, imperato per præconem ſilentio, nouus Imperator, nouos milites non iniuria alloquendos eſſe duxit.

Hunniades Turcarum victor.

Vellem milites fœlicioribus meis rebus, atque meliori imperij tempore, & vos me ducem nacti eſſetis, & ipſe hoc tam præclaro fidei veſtræ ſpectaculo perfrui poſſem, quippe quum nec tanta ſingulis hodie verecundia obſtrictus, vos ad hæc noua belli incommoda, cæteraq; id genus mala inuitarem, & gratiſſimis nunc ciuibus in quiete & ocio gratias agerem, quas olim cruentiſſimis militibus non incruentus dux pro ſudore, pro periculis, pro hoſti dando ſanguine referendas præparaui. At quando ita vrgentibus fatis mea tulit fortuna, vt neceſſitatis ſim vobis iudex, & periculorum magis quam ocij autor, ferenda omnia ſunt vel æquo, vel forti animo, & ſubeunda quantalibet belli huiuſce magnitudo, vt in pace aliquando & ocio viuere poſſimus, ſumenda libenter & propere arma, vt præciſis tandem tam diutinæ ſeruitutis nexibus, fugatoq; ex veſtibulis hoſte, fœliciorem poſthac degamus vitam, & imperpetuum libertate fruamur. Sed dum vos alloquor

Oratio noui Imperatoris Scanderbegi ad Albanum militem.

Exordium à tempore.

A neceſsitate.

Bellum ſuſcipitur pacis gratia.

A fine ſuſcepti belli.

Á calamitate anteacti temporis.

alloquor nunc, intueor, omnium in me animos pertracto, ſingulorum beneficia ſpecto, vix ipſe mei compos, nunc doleo, & lachrymis fermè temperare non poſſum, quum ſubit recordatio miſerrimi temporis illius, quod apud



Amurathem impium, longo à vobis, longo ab oculis veſtris interuallo ſeiunctus, per omnem indignitatem & iniuriam pertraxi, nunc ſeruitutem ipſe meam, nunc omnes ætatis annos recolo, pariterq́ deploro, quum metior ex habitu animorum veſtrorum, quis libertatis, qualis imperij mei ſtatus apud vos fuiſſet, atq́ nunc, nunc plane ſentio, & barbari maleficia, & omnem malorum meorum ſeriem, quotq́ amiſerim bona, priuatus tamdiu dulciſſimorum ciuium conſuetudine. Ex altera tamen parte, quum me diligentius colligo, & tacitus ipſe mecum nunc huius exercitus formam contemplor, omnia æquo animo fero milites, neque fortunæ iam meæ, neque tot perfunctorum malorum, neque longiſſimæ pœnitet ſeruitutis, quando nunc ex ea tot bonorũ, & perpetuæ forſan nobis libertatis occaſio eſt oblata, quando (vt cætera taceam) tam ſpecioſæ fidei veſtræ agnoſcendæ conceſſa mihi eſt cauſa. Quid enim perferendum non fuit, vt tot nunc ardores veſtros ſpectarem, tot in me vobis reſtituendo vota audirem, totius denique Epiri florem ante oculos hodie haberem, arma tantummodo petentem, & pro me attrectantem? Quid illo ſpectaculo pulchrius? Omne Epiroticum nomen, & tot Venetos Senatores, ac Senatorum filios ad hanc fortunã meam, velut ad communẽ periculi ſortem conuocatos fuiſſe, præſto vidiſſe, quod non Johanni Caſtrioto parenti meo illi, animis veſtris tam acceptiſſimo, non vlli (vt ita dicam) hac ætate Principi contigit. Et vt ad vos iterum noſtra ſe

Á ſpe fœlicitatis futuræ.

Amplificatio à voluntate ſuorum per comparationem.

ſtra ſe

ſtra ſe conuertat oratio, quid illud rei nouæ miraculum, totam fermè Macedoniam vacuam vidiſſe? dum ex omni parte voluntarij ad me milites concurritis, & contentione quadam, arma quiſq; bellumq; poſcitis, vt nemo patriæ, nemo magis ſuorũ deſiderio tangeretur, ita me defenſo vnà domos, focos, vxores, liberos, Deos ipſos defendiſſe videmini: approbet conſilia veſtra Deus optimus maximus. Quod igitur ad vos hortandos dicendum erat, nihil eſt quod à me agi poßit, quum & ita animatos videam, & verba fortißimis viris virtutem non addant: quid præterea armatis vobis, ferrumq; tenentibus, armatus & ipſe dixerim, ſatis ſcire debetis, & hoſtis vos admonet, quem iamiam in conſpectu habetis: admonent tot rerum indignitates, & armant omnes, ſingulosq;, tum priuata, tum publica ira. Dicam tamen, quod & ſi non dicerem, res ipſa palam vos docere poteſt, quæ hæc noſtræ (quæſo) ſeruitutis ſpecies? Neq; Chriſtiani iam ſumus, neque barbari, ſemel aut fortiter moriendum, aut arripienda poſſeßio fidei pariter & libertatis, quod hoc mali genus? Quotidie capitur, quotidie diripitur Epirus, in manu tantũ ſalus poſita nobis, aliud nullũ effugium. Quem nunc barbarum in nos creditis venire, quæ mandata defert? ad quod vltionis genus properat? Iam ſingulis ſuum ſtatuit ſupplicium, non iuſto belli odio, non veri hoſtis more, ſed furore, ac rabie quadam ad ſanguinem veſtrum hauriendum fertur. Quare ſi cui patriæ pietas, ſi cui ſua virtus, ſi cui parentum ſplendor ſubdere ſpiritus poſſunt, ſumite arma, acuite iuſtiſſimum ferrum, Croiam, & auorum ſedes, quas tam fortiter autore me incruenti recuperaſtis, cruenti (ſi ita res ferat) defendite, & regnum quod hucuſq; tanta fide ſeruaſtis mihi, & ſeruatum tanta virtute reddidiſtis, in poſterum ſeruate. Maior debet eſſe animus, maior ſolet dici virtus arcentis, quàm inferentis iniuriam. Prædam illi poſcunt, regnandi ſola cupiditate ducti in nos ruunt: vos ne præda ſitis, & vt ciues patriæ debitum exoluatis, pro qua nunquam nimis ſanguinis datum videri debet, omnia fortitudinis ſigna demonſtrate, nunquam pro ea ſatis pugnatum, cuius pietas omnem ſuperat pietatem. Sed (vt hæc iam libens omittam) quid defuturum eſt vobis ad ſummum victoriæ & gloriæ calcem, ſi oblato beneficio vti velitis, quum non modo quicquid eſt vſquam Albani nominis, vobiſcum in hac cauſa videatis, ſed Venetos quoq; principes illos, quos vniuerſa pariter colit & formidat Italia, pro veſtra libertate ſtare conſpiciatis, nunc recuperandæ tamdiu amiſſæ patriæ, nunc ampliandæ fortunæ veſtræ ſpes & occaſio adeſt, inducite in animum, quod non induxerunt patres auiq; veſtri (pace illorum dixerim) vt concordia hac Macedoniæ, principum altricis, priſtinum illum ſtatum effingatis, & ex ignominia hac propicijs dijs Epirum imperpetuum vendicetis, ipſi præterea vel commilitonem, vel ducem habere me malitis, ad omnes labores periculaq;, vos non vltimus ſequar.

Incrementũ.

A miſeria ſtatus præſentis.

Exaggeratio crudelitatis Turcicæ.

Concluſio.

Ab honeſto.

A facili.

Macedoniæ principum altrix.

A ſua perſona

quar.Et ſi in cæteris non ita fœlix audacia erit mea,hoſtis tamen ingenia, mores,artes omnes vobis ſub manu dabo,qui cum diuino ita forſan agente fato,maximum vitæ tempus ad ſatietatem vſque tranſegi,funeſtiſsimo ex-
A perſona hoſtis. *emplo,proprio malo edoctus. Piget me referre hoc loco eius humilitatem, quamuis alacriorem faciat militem,facilioris ſpes promiſſa victoriæ. Vix dicere audeo nunc,ne langueant vires,euaneſcant animi nimia eius contemnendi licentia,quippe quum ſæpe contemptus hoſtis ancipitem fecerit vi-*
Occupatio. *ctoriam,& cruentum ediderit certamen,quare ita cum fiducia ſui & ſine*
Primũ præceptum militiæ. *contemptu alterius gerenda eſſe bella,primum fore præceptum,antiqui militiæ conditores ſtatuerunt.Videbitis tamen ipſi,quamprimum contemnetis perditiſsimum hominum genus, quos & antehac ferociter æque ac fœliciter vel pauci contempſiſtis.Ecquis non contemnat,pariterq́; abominetur viliſsimam gentem? quæ omnis eſt ex ſeruorum colluuione collecta,furtis, & latrocinijs potius, quam veris aſſueta prælijs. Nonne (proh pudor)*
Turcæ qui,& vnde. *quorum hodie nomen tantum apud timidos mortales inualuit,Turcæ ſunt iſti ſerui,ex Scythis fugitiuis,qui (vt fertur) ſedes patrias vltra Ripheos*
Vide Strabonem lib.3. *montes, & Taracontas inſulas,etiam Aquilonis hubera ad Septentrionalem oceanum habuere? Gens fœda,ignominioſa, in luſtris ac lupanaribus educata,quæ non luporum,non vulturum carne, non abortiuis hominum fœtibus abſtinet, & cætera cuncta appetit,quæ vel ipſa fugit natura. Eos,fama eſt,Magnum Alexandrum tanquam pecora in ouile, & ſepe, intra Hyperboreos montes ferreis clauſiſſe repagulis, qui vix aliquid vnquam à ſe iuſto prælio partum,gloriari poſſunt, dolis tantum & inſidijs magna ſibi imperia adepti, & maiora indies adepturi, ſi eis exercendæ perfidiæ materia præbeatur.Ecquid creditis de vobis Albani? Videor iam videre mihi Amurathem,quum arma aduerſus vos non proficient, ad funeſtiſsimas artes tendentem. Adeſt, adeſt in oculis ſubdolus Ottomanus cum ingentibus ad vos promiſsis,aſſueta ductus aliorum fortuna.Vbique Græcos & Triballos,vbique Myſos fore putat, quos magis etiam quam homines decet, fati ſui ignaros,bona fide ſibi traditos,bonus Princeps omnes aut internecioni dedit,aut luminibus priuatos, cæteriſq́; mem-*
Occupatio. *bris mutilatos deformauit,Libenter horum meminit animus, Milites, non quod fides me veſtra vlla ex parte dubium habeat, cuius nullum vnquam principem veſtrum ad hanc ætatem potuit pœnitere,ſed vt admoneam(vt par eſt)quos ſtudeo conſeruare,quibus vitam ſanguinemq́; omnem deuoui,cum quo vobis hoſte manus ſint conſerendæ. Vidiſtis nanque omnes,vidiſtis quantum fidei,quantum virtuti veſtræ tribuam, quos ex tot gentibus, & voluntario milite,ſolos ad rerum omnium ſummam gerendam delegi, alios mœſtiſsimos domum remiſi. Vos omnes expectant quos laudent, aut accuſent. Ego nunc nec laudandum quempiam, nec vi-*

tuperan-

tuperandum cenſeo: quid enim fidei minaci in caſtris militi haberi poteſt? Sed quum fumantes ſanguine hoſtili, enſes veſtros aſpiciam, quum prodigam vitæ virtutem ſpectator ipſe & hortator imitabor, tunc omni laudis & munerum genere cumulabo. Quæ autem maior laus, quæ ingentiora præmia vnicuiq; veſtrum eſſe poſſunt, quam ſeruata patria, quam omnes & ſinguli vobiſcum fertis? Conſiderate igitur viri fortiſſimi, quantum momenti hodie ſit in vobis. Hoc prælio victi, toto bello victi ſumus: contra, victores, tum præſens à nobis Amurathis excutiemus iugum, tum paci tranquillitatiq; perpetuæ in poſterum conſulemus. Proponite vobismetipſis iugum hoſtile, & ludibria victoris & ſuperbos vultus. Proponite & illud, qua frequentia omnium generum multitudinis proſequente, à noſtrorum conſpectu profecti ſimus, quam omnia votorum & lachrymarum plena reliquimus, in qua nunc expectatione, coniuges, parentes, liberosq; veſtros eſſe credamus. Stant omnes ſollicitis ac pendentibus animis, proſpectantes, quem belli euentum vobis virtus veſtra dederit. De Occupatio. *fortuna enim nihil eſt quod timeat vir fortis. Pudet aliquam fortunam fateri, quam non in manu atq; enſe poſitam habeatis, Dij nanq; ibi eſſe con-* A fortuna. *ſueuerunt, vbi ipſa quoque ſtat æquitas. Veſtrum eſt igitur, vt conceptam omnium ſpem de virtute veſtra factis æquetis: quo numeroſior hoſtis, eo* Ab æquitate. *ſpecioſior laus veſtra, eo grauiores hoſtilibus ſpolijs domum reducam. Verum enimuero ſi quiſquam eſt timoris ſibi ipſe conſcius, qui vires noſtras ex hoſtilis fama exercitus metiatur, & à quibus ſuperatur numero, virtute quoq; ſe credat ſuperatum iri, hinc bona cum venia faceſſat, ne impedimentum magis illum, quam auxilium mecũ traham. Reuertatur propere ad vxorem, ad liberos, quem victor poſtea exercitus domi intra muros ac tectis clauſum inueniat. Si vero ea omnium voluntas & communis iſte eſt timor, exercitum hunc, niſi pudeat, Deorum pariter & hominum maioribus firmemus copijs, vel potius extemplo conuerſis ſignis abeamus. Qui* A loci natura. *enim cum hiſce legionibus, in Macedonicis præſertim tutiſſimis ſuapte natura campis, Amurathis præfectũ timeat, indignus mihi videtur eo quem gerit enſe, indignus aura qua veſcitur. Inuitus in hac parte orationis moror apud vos milites, nedum fortes viros, ſed principes etiam fortium. Agedum igitur, priſtinam excitate virtutem, generoſos ſumite animos, omnium rerum reſpectum, præterquam victoriæ, vobis abſcindentes (vt cuncta vno verbo abſoluã) morte ſola vinci deſtinate. Si vicerimus, omnia* Fortiter victis mors malorũ & miſeriarũ finis. *in poſterũ fœlicia futura vobis credite, fortiter victis, idem erit malorum & miſeriarũ finis. Hoc ſi fixum omnibus deſtinatumq; eſt, fruſtra me iam ardor iſte dicendi vlterius prouehit, quandoquidẽ nullus acrior homini ſtimulus, perſpecta virtutis conſcientia, ad vincendum à natura eſt datus.*

Vix hæc dixerat Scanderbegus, cum ab vniuerſo exercitu clamore ela-

to, eius approbata fuit ſententia, claraq́ voce vndiq́ conclamatũ eſt: properandum in hoſtem, & caſtra contra eum ocyus mouenda, vltroq́ irruendum. Vbi tandem cupidiſſimorum militum animi, fidesq́ erga optatum tamdiu Imperatorem, certo aliquo experimento comprobetur, confirmenturq́ in poſterum vix dum tuta Scanderbegi conſilia, quum tam prompte corpora ſuorum, hoſti tanto ardore, contentioneq́ paſſim obijci cerneret, & voluntatem ſaltem vitæ prodigam laudet, ſi virtutem non poſſet. Sed neque virtutem ſuis carituram laudibus, ſi hic hoſtis, hæc optata tantum gloriæ materia ardentiſſimis animis tunc daretur, nec differetur amplius, euaneſcere parua mora, elangueſcereq́ viuaces ſpiritus illos, ac concitata militũ ingenia, ſeneſcere dilatione belli vires. Maximus vbique ſtrepitus pugnam poſcentium, multus ardor erat. Ita ſocios, ita ſe ipſos exhortabantur viri, ita æquum quiſq́ ſuum (vt fit) enſem, dexteram alloquebatur, & manus ad ictus aptabat, ac mille cõſumebat vulnera, vt victi iam hoſtis ſpecies ante oculos omniũ obſeruari videretur. Tanto vndiq́ tumultu miſcebãtur caſtra, vt pugnantiũ ſimilia omnia magis, quam pugnam poſcentiũ diceres, vel erupturum quamprimum crederes auidum ſanguinis militem ſine duce, ſine ſignis, nullo diſciplinæ militaris ordine, vel tenore ſeruato. Scanderbegus itaque, quum eum totius exercitus ardorem cerneret, & æque omnes ſuorum ordines, omnem ætatem, omnium ingenia ad id accenſa, inflammataq́ animaduertiſſet: primum impenſius gauiſus, tacita lætitia ſingulorum feroces minas audiebat, ſuperbosq́ vultus, & feroces ſpiritus, ingentem molem irarum ex alto animo cientes contemplabatur, certa victoria concepta hoſtilis rei formam metiebatur, deinceps contemnebat. Poſtremo non ſatis tutum viſum, tam iuſta militum deſideria ſedari, tardariq́ amplius. Vbi donatis illis, ſacra Deo optimo pro victoria alia vouit, alia peregit, mox ad hoſtem caſtra mouens, quem non longe abeſſe certis exploratoribus nouerat, deficiente iam ſole in Dibra inferiore octuaginta millia paſſuũ procul à Croia, iuxta collem quendam dumoſum, vel verius ſyluam, denſiſſimis refertam arboribus, caſtra metatus eſt. Ibi primum omnium cognito idoneo inſidijs loco, præſertim quod hoſtem cum maximis copijs aduentantem audiebat, & vt incruentiorem ſibi eam victoriã faceret, ſumma ratione obequitans prius ipſe ac perluſtrans ſingula: Gneum Muſachium, & Ameſam cum tribus millibus locauit, iuſſos, ne prius exirent, quam ſe totis ſignis implicitum hoſti, & cruentatum vtrinq́ militem vidiſſent, tum obſeruato tempore, à tergo hoſtium improuiſi erumpentes, pari clamore & impetu, timidos exanimarent, ac introcluſos cæderent. Barbari non multum tardati, vix his diſpoſitis, aduolarunt, & ignari omnium non longe à Caſtrioti copijs fixis ſignis, conſedêre. Noſtri mox ignibus extinctis, ſomnum capere alij, alij

Exhortatio mutua ad pugnam.

Fortaſsis victi.

Ardor exercitus Scanderbegi.

Caſtra Scanderbegi in Dibra inferiore.

Stratagema.

Caſtra barbarorum.

vices

vices excubiarum agere iuſsi, Turcis ex eo animi magis aucti. Quare accenſis ipſi vndique luminibus, turpes noſtrorum tenebras deridebant, timida ſilentia interpretabantur. Atque quum ſub ipſo fermè vallo ſtreperent, dictis factisq́ ſimul odium explentes, per totam noctem occurſabant portis, ingerebant probra, ægre abſtinuerunt, quin caſtra oppugnare aggrederentur. At Scanderbegani ſemper ſilentium obſeruarunt, reſponſum nullum reddebant, quamuis non deficeret quod rectè reſpōderi poſſet: neque deerat cupiditas ardorq́ erumpendi, quum tot contumelias, tot inſultationes hoſtium ferre amplius nō poſſent, ſed Imperatoris edicto in caſtris taciti ſe tenebant; Barbaris itaq́, quod detrectaret pugnam Chriſtianus, animi accedebant. Properante iam aurora, Scanderbegus ſuos ante omnia curare corpora iubet, ne ſi pugnam aliqua belli (vt fit) fortuna

Silentium nocturnum in exercitu Scãderbegi.



præter ſpem ludificando longiorem feciſſet, ieiunus miles victus fame, quam ſola natura humana vincere non poteſt, ſegnius victoriam ſequeretur. Cibo igitur per ocium capto, alacres animis corporibusq́, atque irarum, ſpeiq́ plenos è caſtris educit, quos ibi quoq́ vbi ſtatim verba res erat ſecutura, enixe pro victoria exhortatus eſt. Dehinc vt prius noſceret hoſtium vires, quā diſcrimine vltimo tentaret, leuibus certaminibus equitum ſæpius, quam peditū periculo facto, iuſto prælio ſe accingit. In leuo cornu Tanuſium cum mille quingentis equitibus, totidem peditibus locat. Diſponebat autem ita equitatum: primo loco interſertis quibuſdam ſagittarijs peditibus, vt prima auſpicia pugnæ ab equite ſumerentur, neq́ reliquo peditatui ad erumpendum, & recipiendum ſe ad ſuos vbi labor poſceret, im-

Instructio acierum Scanderbegi.

Moſes à Dibris.

ret, impedimento equeſtris pugna foret. Moſes autem à Dibris præfectus eius à dextro cornu eodem tenore ſingula peragebat. Extendebat & ipſe legionum ſuarum primam frontem equeſtri turma, ita vt liber pediti ex omni parte exitus, ac tutus receptus foret, quamuis non multum momenti fieri debuit ad Dibrenſes milites in acie dirigendos, ita vel primo vel ſecundo loco, vel equitem vel peditem loces, omnia tuta ſunt apud eos, nunquam fallit fortuna, nuſquā fugit victoria conſcias manus, ſic & ordinem ſibi & fortunam quocunq; adſit, fortiſſimus miles facere & trahere ſecum conſueuit. Inter ipſa cornua, acie velut ſinuata, medium locum Caſtriotus ipſe cum reliquis copijs obtinebat. Ibi quoque equitum mille amplius in fronte diſpoſiti. Nam quum hoſtis pedites nullos haberet, non ſatis tutum viſum eſt, peditatum primo furori equeſtris procellæ obijcere. Iuxta totidem fermè ſagittarij appoſiti, hos equitem ſequi iubebat, quo poſt terga eius tutiores, neque ita hoſti expoſiti eſſent, & barbaro haud huiuſmodi quippiam timenti, cruentiorem facerent pugnam. Inter hos & illos, ipſe cum Georgio Streſio nepote, feroci iuuene ſtationem fixerat ſibi. Vtrinque Croienſis nominis miles, vtrinque Croienſis eum iuuentus circundabat. De induſtria nanq; ciuium ſuorum & ſpectator eſſe, & hortator elegerat. Sagittarios mox reliquum robur peditatus, & ſcutatorum, ac haſtatorum agmina cum Aidino Gnei fratre ſequebantur. Vranacontes prudens æque ac fortis bellator, cum cæteris equitibus extremam aciem, ac ſubſidiariorum munia obtinuit. Iuſſi tamen pedites, qui ante eum erant, vt quum primum proſilientes ſuos ex inſidijs vidiſſent, ac oneratum à tergo hoſtem & exceptum inter cornua, mox patefactis ordinibus, viam equiti darent, qui recens alio iniecto pauore hoſti, turbaret pariter feſſum, cæderetq;. Pedites vero ipſi iterum denſati loco velut ſubſidiarij, atq; triarij milites, aciem firmarent, neque penetrari exercitum paterentur, donec certum victoriæ indicium, & irreparabilem hoſtium formam aſpexiſſent. Ita inſtructa acie Scanderbegus ſtabat, neque vt ſignum daret ad progrediendum in hoſtem vnquam à ſuis impelli poterat, antequam & barbarū ipſum more ſuo compoſitum, procedentem in aciem vidiſſet, ne in digeſtum hoſtem effuſe erumpentes milites, inſtandi ſtudio, ordine violato, totius exercitus ſtatum in diſcrimen aliquod traherent. Alybaſſa quum exercitus noſtri formam contemplaretur, pauciores ſemper, pauciores, periculo propiores iterans, deridebat ordinem illum, & pompam ignari militis ad propria funera tam compoſite procedentis. Vna erat Ottomana legio ante alias audacius progreſſa, in hanc anteſignani acriter feruntur. Barbari mox ordine turbato, antequam totius exercitus fortunā expectarent, vera fuga, neq; ſimulato pauore, primo impetu vſq; ad ſtatiua ſe pelli patiebantur. Sed Scanderbegus extemplo fraudem metuens hoſtis, ac inſidias ratus,

Georgius Streſius nepos Scanderbegi.

Gneum Muſachium intelligit, de quo ſupra.

Alybaſſa contemnit exercitum Scanderbegi,

Pugna vtriuſque exercitus

ratus,partem equitatus immiſit,qui & ſuorum ardorem inhiberent, & in aciem quenque ac ſuos ordines reuocarent. Idem & à leuo cornu factum. Itaque & hi & illi ad ſuos recepti,rurſus ad pugnam parantur,iuſtiori totius exercitus dimicatione. Creuerant autem animi barbarorum, quod militem noſtrum velut ludificati eſſent,pauci multos. Renouato igitur iterum prælio,Tanuſius & Moſes hoſtium cornua inter ſe partiti,pugnam acriter inierunt.Eodem tenore Caſtriotus aſſumptum ſibi agmen, concitato impigre equite,aggreditur.Non tardatus ex inſidijs eques,priuſquã

Eruptio Albani militis ex inſidijs.

totis copijs in noſtros irrupiſſet, hoſtis maximo tumultu erupit: & antequam deſcendiſſent equi in campo omnes, plura ac extrema quæque Turcarum agmina repentino pauore conſternata, relicta pugna caſtriſq;, fugam iam inde arripiunt,primi quique inter noſtrorum cornua intercepti, mediæ legioni cædendi traduntur. Vnus erat cuneus hoſtilis, quem neque dimouere poterat loco Scanderbegus, neque penetrare audebat, ita in eo loco velut munimenta quædam fecerat numeroſior barbarus. Alybaſſa ibi (vt mox apparuit euentus) totius exercitus robore,ac fortiſſimorum quorumq; armis ſtipatus, iamdiu inclinatam belli fortunam ſuſtinebat. Aidinus quoq; in media acie iam cuncta barbarorũ cruore repleuerat,ferocior hic quam alibi Mars incrudeſcebat.Nam quũ obſeſſus fermè hoſtis nihil ſibi præterquam arma ſupereſſe videret,in ferrum quo poterat acrius,ne inultus caderet,ruebat. Traxerat præterea illuc & alios fortuna, atq; infœlix belli error,pleroſq; etiam auditus caſus ſuorũ,ad ſocijs ferenda auxilia impulerat. Itaque quo denſior barbarus erat, eo longior pugna, magiſq; ambigua fuiſſet,ni Vranacontes mox irruptione facta, & viribus pariter animiſq; recens,feſſo iam & labanti hoſti ſe immiſcuiſſet, & quicquid erat reliquiarum,hauſiſſet. Segnior autem idcirco eques eſt barbarum adortus,ac laborantibus fermè ſuis ſuccurrit. Nam quum cornua vtraque,& prætoriam cohortem totis ſignis implicita vidiſſet,ne ſubſidijs omnibus acies nuda penitus remaneret, tutius erumpendi tempus captauit. Ad vnum itaque conciſi ſunt omnes,præter trecentos,in quos inermes

Cædes barbarorum.

tendentes dexteras,ac vulneribus propè confectos,belli iure ſæuire Caſtrioto non viſum eſt.Victrices igitur poſt hæc confecta, legiones,eo belli labore peracto,ad Scanderbegum ingenti gaudio atque clamore tendebant, vbi læta omnia inueniunt.Perfregerat nanque cuneum omnem Croienſis miles,& ingenti edita ſtrage, Turcarum ducem in fugam conuerſum late ſequebatur,vbique ſanguis & cædes, vbique gemitus morientium audiebatur.Alij vincula captiuis inijciebant,alij deformem truncum relinquentes,ſpecioſum Imperatori munus hoſtile caput ſeruabant. Diripiebant ca-

Direptio caſtrorum.

ſtra plures,prout cupidiora ſunt prædæ mortalium ingenia. Itaque victor ex omni parte exercitus,tam præclarã victoriam recenſebat vix ipſi cre-

dibilem

dibilem victo, & ingentẽ tam exigui temporis operam mirabatur. (pugnatũ eſt enim à ſole orto ad tertiam horã diei) Cæſa ſunt eo prælio barbarorũ ad 22. millia, viuorũ duo millia capta: ſigna militaria 24. Ex victorib. pauci cecidere, vix 120. feruntur, licet vulneratorũ maior longe fuerit numerus. Ita tam magnã victoriam illo die Chriſtianus tulit iuxta omniũ ſpem atq; expectationem, quum nihil defuerit eo prælio, quod non ſolùm inuitare ad res bene gerendas fortunam, ſed cogere quoq; poſſet, non tempus, non locus, non rerum omnium exactus ordo, non iuſtior pariter, eademq; neceſſaria pugnandi cauſa. De ducibus poſtremo, militeq;, id auſim dicere: Leonum eo die leones ductores fuiſſe. Veterani horum non minima pars fuit, qui cum patre quondam ipſius Scanderbegi militauerant, vt non milites, ſed præceptores quoſdam militiæ electos crederes. Ita debellatũ videbatur, ſi eo viciſſent prælio, & ſemel hoſtis animos fregiſſent. Parta victoria Scanderbegus totam eam diem noctemq; quietiſsime in caſtris tranſegit: mane victoria inflatus, ad alia intendit animum. Cruentum adhuc militem ad non minus gratum opus, hoſtilium agrorũ direptionem alliciens his verbis:

Numerus cæſorum, captiuorumq;.

Leonum ductores Leones.

Veterani, non milites ſed præceptores militiæ.

Adhortatio Caſtrioti ad milites ſuos ad agrum hoſtilem diripiendum.

Pugnaſti hucuſq; mihi miles, pugnaſti patriæ, nunc tua te euocat militia, nunc propria inuitat fortuna. Vides late ſtratas virtute tua hoſtium legiones, recenſes ingentia facta, & quanta apud me pro ſudore hoc, pro



ſanguine, pro his belli laboribus exhauſtis, vos præmia expectent, taciti fortaſsis vobis ipſi reſpondetis. Non fallam quidem expectationem veſtram quantum in me erit. Ita & publica & priuata cuiq; apud me laus manet, ſi modo laude ſola (vt nunc liceat iocari vobiſcum) militum ingenia paſcuntur

ſcuntur

ſcuntur. Aliud nihil adeſt hodie mihi, quo fortes honorem dexteras, ſed & ſi affatim eſſent omnia, & manu ipſe mea darem vobis, quid gratius lætioresq́ (arbitrio alieno) accipere poteſtis, quàm quod quiſq; ſua captum manu, domum ouans retulerit? En iacet non longe hoſtilis ager, rerum omnium opulentiſſimus. Præſidio per virtutem exuiſtis, nunc prædam vobis dimiſſam, per ſummum captate ociū: & quos nunc videt hilares patria, ſentiat late victores hoſtile ſolum, quandoquidem non minima eſt hæc tam bene geſtæ rei acceſſio futura. Vt tamen hodierno prælio, & à me aliqua ex parte vos honoratos dicant mortales, neq; miles militi inuideat, quū omnium æqua fuerit in bello virtus, occiſorū hoſtium equos, pedes habeat ſibi, & omnes equites eſſe iubeo. Læti nunc igitur me ad hæc dulciora perfunctæ militiæ præmia, ſuperis bene iuuantibus, ſequimini. Ad hortationem hanc miles iampridem intentus, clamore vndecunque proſecutus eſt. Ruunt omnes in partes, nullo diſcrimine habito, ſine ordine, ſine duce, cōtemptu ac negligentia quadam orta ex re (vt fit) bene geſta. Sed cautus Princeps nunquam ſatis fortunæ fidens, diſtulit eo vſque deſideria ſuorum, donec miſſi exploratores, tuta omnia ab inſidijs nunciarunt. Tum libera depopulatione permiſſa, effuſus paſſim eques hoſtili terræ, agreſtibus bonis, pecori, ipſis denique arboribus recenti inflatus victoria inſultat, nulli rei parcit, cui ferro aut igni noceri poſſet, præterquam ſexui, ac ætati. Præda vndique ea contentione agebatur, vt alter nunc belli tumultus ac pugnantium plena omnia viderentur. Non quenquam vulnera tardabant (plures nanque & eorum, qui ſaucij exceſſerant prælio, ea cupiditas traxit.) Euanuerant recentes ſudores viris, non labor vllum, non onera grauabant: nulli copia ſaltem (vt fit) faſtidium faciebat. Ita mœſtior miles quædam quæ ferre non potuit, reliquit, quàm alia lætior tulit. Quum ſatis populationibus datum eſſet, & per agrum hoſtilem ad ſatietatem vſque ſæuitum, Scanderbegus ſignum proficiſcendi dedit, onuſtus præda miles, nulla facta mora, ingenti gratulatione ſequebatur. Deridebant duces ignauiam ſuorum, quod ex fortiſſimis bellatoribus abactores pecorum, & ex Albani nominis propugnatoribus, ouium cuſtodes facti eſſent, accuſabantq; vltro nunc hos, nunc illos alternis cauillantes verbis. Quid ſi Alybaſſa cum fracti exercitus reliquijs, vos tales nunc ex aliquo loco aſpiceret, tam ſordida trahentes impedimenta, & auari præmia militis? nonne puderet magis magisq; eum tam pudendi victoris? & crebro ſuorum ignauiam increparet, quod ab huiuſmodi ſuperati fuerint, & bellicam laudem ceſſerint vobis? Ita iugi lætitia feſtiuus miles per multiplices iocos cantusq́ viæ labores leuabat, donec caſtrorum ſuorum cuſtodias pro vallo prodeuntes, ingenti clamore ſalutarunt. Nocte illa in caſtris tranſacta, vix dum ſatis certa luce, Scanderbegus vaſa colligere iubet, & ad regiam vrbem

A militum ingenijs.

A præda opulentiſsima.

A virtute militum.

Ex peditibus facit equites.

Feſtiuitas ducū exercitus Scanderbegi.

Ex fortiſsimis bellatoribus abactores pecorum, & ouium cuſtodes facti.

Redeunt victores ad regiam vrbem Croiæ.

Laureatæ literæ.

Pugna ad Varnam.

Iulianus S. Angeli Cardinalis.

bem Croiæ cum victore exercitu pergit ire, multitudo per vias omnes effuſa, victores tum publice omnes, tum priuatim ſingulos appellabat, prædæ magnitudinem quiſque admirabatur, noui equites vix à ſuis cognoſcebantur, gratulationes factæ per multos dies, & laureatæ literæ, ac ſigna quædam militaria ad omnes Epiri regulos miſſa, alia affixa templis ſunt, ex quo inſignis iam ille annus ea parta victoria erat, multo tamen inſignior futurus illa Chriſtiana clade ad Varnam accepta. ſub idem namque tempus quo hæc in Epiro geſta ſunt, Hungari cladum omnium antiquarum, ac recentium obliti, arma, bellumq́ue, aduerſus Turcas ſumma vi parabant. Ita non contenta tot ſpectaculis fortuna ſeruatos nuper, ac vix reſpirantes prioribus malis homines, ad funeſtiora euocabat pericula, & in ſtatutum iampridem diſcrimen, ſuum quenq́ue fatum rapiebat. Vladislaum itaque regem, cum omni propè Hungaria, Poloniaq́ue, ad id certaminis inſtructum, ſequebatur & Julianus, Sancti Angeli Cardinalis, cum militibus cruce ſignatis, eam periculi ſortem tam cupide, quàm fortiter ſubiturus. Aderat & cum Valachis ſuis Hunniades, totius regij exercitus ductor. Mouit tamen omnes in tanti belli apparatu Scanderbegi fama, recensq́ue de barbaris victoria, maximum rati non incrementum ſolum copiarum, verum certiſſimam fore tamdiu cupitæ rei ſpem, ſi ipſum cum exercitu ſuo hoſtili adhuc ſanguine cruento, Hungarici belli apparatus habuiſſet. Quare ſummo æque deſiderio omnium, atque celeritate, quam & ingruentis propè mali ſpecies, & res quæ iam inde videbantur dubiæ futuræ poſcebant, literæ ad eum in hanc ſententiam datæ:

Literæ Vladislai Pannonũ regis ad Scanderbegum.

Laus Scanderbegi à patre.

Vladislaus Hungariæ, & Poloniæ Rex, Scanderbego Albanorum principi S. P. D. Diſtulit fortaſſe in hoc tempus fortuna ſeram iſtam gratulationem noſtram, quo non tantum hodie tibi ob recuperatum fœliciter imperium, ſed pari etiam prudentia fortitudineq́ue defenſum, duplici rei proſpere euentu gratularemur. Et gratulamur itaq́ue nec tibi tantũ, verumetiam Chriſtianis omnibus, quod tanta ſit benignitate Dei per virtutem nunc tuam, rei Chriſtianæ acceſſio facta. Quandoquidem non minima ſemper inter cætera mala, noſtra clades illa ducenda fuit, Epiroticæ gentis amiſſio. Quum iniquis ſublatus fatis Johannes Caſtriotus pater tuus princeps, (vt audio) de omnium animis optime meritus, neque tibi in aliena degenti poteſtate, regnum auitum filio tradere, neque aliter, ab Amurathe oppreſſus, imperio ſuo conſulere potuit: Et viueret vtinam nunc fœlix eo nato parens, qui omnium ſuperaſſet fortunam, ſi te ante vidiſſet, quàm à vita diſcederet. Ita vnus planè videris mihi (pace omnium dixerim) hac tempeſtate princeps, ſicut omnibus animi corporisq́ue bonis, ita diuino quodam fato præditus, cuius auſpicijs nõn ſolum tuta in

poſterum

poſterum omnis Epiroticæ terræ ora futura ſit, ſed cuncti præterea populi à corpore Macedoniæ imperij, nefario Ottomanorum latrocinio iam



pridem direpti, in antiquam formam iuris ac ditionis ſuæ redituri. Quid enim (vt cætera taceam, quæ & apud barbaros vel puero tibi olim tanta indies creſcente inuidia, maximum nomen prodiderunt) victoria illa ſpecioſius? quam nuper Alybaſſa cũ tot copijs cæſo, fugatoq́ʒ, partam tibi ingenti admiratione æque audiuimus, ac credidimus. Sed adeſt nunc Scanderbeg, Dijs agentibus, qui te exacto quodam conſilio in hæc difficillima tempora Chriſtianæ Reipub. reſeruarunt, maioris penitus tibi gloriæ materia. Subeſt occaſio contra Amurathem, omnes veteres, nouasq́ʒ tuas ac tuorum iniurias vlciſcendi, nec priuatas iſtas tantum, ſed & publica id genus mala, atque tot oppreſſæ, ne dicam extinctæ iam fidei ludibria, ſi cum victore exercitu tuo iſto, nondum deſperatis rebus noſtris adeſſe velis, Inuitant te ad hoc omnes Hungariæ & Poloniæ Principes, ac viri fortiſſimi: inuitat Iulianus Sancti Angeli Cardinalis, cum pijs illis Chriſtianæ ſalutis militibus, iamdiu nobiſcum in armis inſtructus: nihil præter tua ſigna expectamus. Quam ſi nunc oblatam vltro à Dijs immortalibus occaſionem non reijcis, debellari poſſe penitus palam omnes affirmant, expelliq́ʒ Turcas, & à tam diutina Europæ poſſeſſione deturbari. Omittendum itaque hoc loco apud te omne adhortationis genus cenſeo, pro ea cauſa, quæ defenſa, ſalutem, lucem, libertatem: omiſſa, ominari horreo quæ ferat. Satis nos hucuſque tandem deſeruiuimus Chriſtiani, conflagrauimus iam omnes, dum nemo incendium ad ſe traiecturum putat. Quid de Græcorum cernimus, quantum de Triballorum imperio? Iacturas demum ipſas

A victoria Alybaſſæ.

Vber gloriæ materia eſt Scanderbego pugnandi cõtra Amurathem.

Libertas.

Veriſsima ſententia, vtinã Germania haberet aures audiendi.

meas, totq́; exhauſta ac exhaurienda indies mala, quis recenſeat? Quis fortiſsimos principes, Hungarici imperij propugnacula, per omnes ætates amiſſos, & tot validiſsimos exercitus eodem funeſto belli fato abſumptos, ac occidione fermè occiſos? ita vt nulla ſit in Hungaria iam domus, nulla matrona luctus expers. Audiunt hæc Chriſtiani principes, nec mouet vllum miſerabilis ſociorum fortuna. Sic nos velut piacula quædam, luendis omnium periculis, hoſti paſsim obiectari patiuntur. Vnus Eugenius Sanctiſsimus Romanæ rei Præſul, & Philippus Burgundiæ dux, afflictæ fortunæ onus non detrectârunt. Alter Julianum hunc cum præclaro nobis milite adiunxit: Philippus claſſe inſtructa, & in Helleſpontum vſque miſſa, Turcis tranſitum, quantum in ipſo fuit, fortiter prohibuit. Alia nunc nobis ſpes propinqua ſubeſt, auxilij optandi: quare vltro nunc te ad tam neceſſarium bellum euocare, tum virtus tua in primis cognita ſuaſit, tum rerum omnium noſtrarum periculum, diſcrimenq́; coëgit. Cæterum cum ignoret nemo, quam id nunc ſis incommodo acturus tuo, propter recentem adhuc domeſticarum rerum tumultum, & vix dum pacatum nouiter redempti imperij ſtatum, id te mouere non debet, cum & tibi præclariſsimum nomen hac expeditione ſis pariturus, & hoc præſens beneficium apud minime ingratos animos ſis collocaturus. Quod enim prior tu hodie pro ſalute noſtra dignitateq́; feceris, id nos pro tua laude, & imperij incremento ſemper faciemus. Vale ex Buda regia noſtra. 3. Nonas Julij Anno M.CCCCXLIII.

Eugenius papa. Philippus Burgundiæ dux.

Alybaſſa iam ad Amurathem (licet plures eum cladis nuncij præceſſiſſent) fracti exercitus reliquias traxerat. Grauiter eum reprehenſum ferunt ab Ottomano, quod nequaquam credibile dicebat, tam validũ exercitum penè deletum, ſine aliqua vel ignauia eius, vel temerario in fortunæ ſe committendo conſilio, nunc proditum fuiſſe exercitum, nunc hoſtium inſidijs oppreſſum, ob ducis vecordiam clamare, nunc in conſerenda manu tutiorem locum hoſti relictum, vnde ſic facile tanta ſuorum ſtrages ædita eſſet. Alybaſſa licet hoſtium ſe inſidijs præuentum, quæ prudentiſsimum quenque fallere potuerint, negare non poſſet, excuſare tamen ſe, in alijs militum fidem implorans, nihil in eo præter fortunam reprehendi poſſe, non ordinem, non diſciplinam militarem, non ducem militi, non militem duci defuiſſe. Non aciem iniquo loco locatam, non è caſtris importuno tempore eductam, non fugæ memorem fuiſſe, niſi caſtris ab hoſte direptis, & ſalute penitus in armis deſperata. Sed experiretur iterum fortunam eius contra Scanderbegum, excogitaſſe ſe viam, qua luctuoſam eam victoriam illi eſſet facturus. Mouebant iam Amurathem vana Alybaſſæ verba, & maiori in Scanderbegum ira concitatus, iubebat delectum protinus fieri, inſtaurariq́; eius exercitum, ni Satrapæ, ac Purpurati eius, Calybaſſa præſertim

Amurathes ignauiæ arguit Alybaſſam, accepto cladis nuncio.

præſertim, conſilia illius, & animum eò labantem reuocans, aliam belli molem inſtare diceret, Epiroticam expeditionem tuto & differri, & omitti poſſe, nunc Hungaricos inſtare tumultus, in quibus curam ipſius omnem exhauriri debere conduceret. Allatæ interim regiæ literæ, mouerunt maxime Caſtriotum, neq; belli vnquam aut iuſtior cauſa, aut pulchrior materia viſa eſt: tamen ne quid inconſultis his ageret, quorum maxime opera in gerendis rebus vſurus erat, coactis ordinibus optimatum ſuorum, frequenti conſilio regias literas coram illis legi iuſſit, vbi nemo omnium eſt inuentus, qui id bellum recuſandum ſentiret, quum accenderet æque cunctos ingentibus irarum ſtimulis, & pauidas fermè maioris cuiuſpiam mali mentes, ſollicitaret tanta indies creſcentis Ottomanæ rei magnitudo, & moneret ſingulos miſerabilis, rerũ Chriſtianarum ſtatus, & inuicta quondam Hungarici imperij fortuna, quam ſi oppreßiſſet Amurathes, publicum priuatumq; quiſque ſibi fatum ante oculos proponebat, quum nihil foret vſquã virium, quæ melius tamdiu inclinatam rem Chriſtianam ſuſtinerent, & datum tot victorijs hoſtem, tam æterno bello, pariq; odio reprimerent. Spes prætereа hominum, ita proſpero illo belli euentu aucta fuerat, vt traderent vbique ſe ea fortuna vſuros, quum neque ducem, neque hoſtem ſibi, ſed locum tantum mutandum cernerent. Conciliare poſtremo ſibi potentiſsimum ea ætate regem, ad pleraſq; fortunæ & caſuum humanorum varietates, vnuſquiſq; vel aperto vitæ diſcrimine cenſebat. De auxilijs itaq; dandis ſine variatione decretum. De numero militũ, & quantitate copiarum ducendarum variatum aliquantulum, & conſultatio ad noctem tracta. Multæ hincinde dictæ fuère ſententiæ: aliqui quinq; millia militum, alij octo, pauciores plures decernebant: neque exhauriendam armis prouinciam, quum omnia bello arderent, & adhuc forſan infenſus hoſtis in limitibus Macedoniæ eſſet: neque depugnatum crederent, Alybaſſa ſemel victo, Amurathis neque vires fractas, neq; animos vlla ex parte diminutos, ſed irritatos magis. De Scanderbegi quoque profectione dubitatum à nonnullis, actumq; ingenti contentione, auxilia tantum mittenda regi. Ipſum ſine multo ſuorum incommodo, ac diſcrimine rerum omnium, vix dum firmati regni curam, relinquere non poſſe. Maximum fore domi, militiæq;, ſi opus ſit, in eo momenti, neſcire populum Albanum alij parere principi, augeri indies omnia, florere præſenti eius conſilio, abſentem plena omnia ſqualore ciuium, & lugubri quodam ſitu animorum omnium generum multitudinis habiturum. Scanderbegus quamuis nihil erat de priſtina ſententia mutaturus, cum tamen neq; his de profectione ſua, ne ciuium amorem, ſuorumq; beneuolentiam ſpernere videretur, diſſentire palam poſſet, neque illis de paucitate militum contradicere, ne inuitos ad bellum alienum trahere, & periculi alicuius autor eſſe videretur,

Quid Scanderbeg cum ducibus & præfectis ſuis ſuper auxilio ferendo Vladislao regi ſenſerit.

Publicũ, priuatum fatũ.

Decernitur auxiliũ Hungaris.

De Scanderbegi profectione dubitatur.

tacendum ſibi tunc è re non minus communi, quam ſua, eſſe duxit. Suſtulit tamen eas omnes contentiones, ſedauitq́ tot vno tempore motus animorum, auditus tum Pauli Duchagini ſermo, & concitatus in primis, & tanto principe dignus.

Oratio Pauli Duchagini reguli Epiren.

Quo ſim genere vobiſcum orationis hodie vſurus, Principes Albani & in quam veſtrum ſententiam iturus, expectatis omnes cupidis fortaſſe animis, ſed fruſtra id quidem, quum neq́ ex Scanderbegi, neque Epiroti-



Leges Conciliorum vt libere loquendi, ita patienter audiendi.

ci imperij dignitate, mihi quicquam elocuti videmini (cum præfatione honoris veſtri dixerim) licet primæ ſint leges conciliorũ, ſicut libere loquendi, ita patienter audiendi. Quoniam (quantum ad haſce Hungarici belli conſultationes attinet) illam ego & probatiorem longe ſententiam dicerem, & æquiori animo audirem, quæ nullum penitus regi auxilium accreuiſſet, ſed vicina incendia, periculaq́ aliena domeſticis malis, ac proprijs neceſſitatibus poſthabenda cenſuiſſet. Quid enim magis ridiculum, quæſo, quam nunc octona millia hominum, nunc quinq́, nunc pauciora (ſi Dijs placet) ad tanti belli molem computari à vobis? quaſi tanta contentione, potentiſſimum regem ad vltimum fermè certamen, eam militũ paucitatem ab Epirotico nomine exigere credatis? Sequetur is miles Scanderbegum in Varnenſes campos? vbi tot omnium publicis & priuatis votis expectatur. Videbunt tot proceres Hungariæ, & Chriſtiani exercitus ducem principem veſtrum, quem tanta vbique fama præceſſit, non cum aliqua exercitus ſpecie, ſed quadam potius prædonum ſimiliori manu è cornu ſuo prodeuntem. Nanq́ ſi (quod Dij omen auertant) vinci illum

Ab alienis periculis.

A tenuitate auxilij.

lum contigerit, victum merito aduerſis fatis hoſtes irridebunt, & ſui magis, quod in alienis locis eum hominum numerum duxiſſet, qui vix domi eſſet tutus. Victorem modica laus, minora manent præmia. Sed mittenda alius auxilia nouo conſilij genere hortatur, tenendum domi Scanderbegum, habendam ciuium rationem, habendam multitudinis inconditæ, quæ ægre alterius imperium ſit paſſura. En eò iam vertitur omnis diſputatio noſtra Principes (vt nunc dicebam) vt aut denegetur omne penitus auxilium regi, aut alium vos animum induatis. Mittemus ſcilicet Hungaris præclara hæc belli præſidia ſine Scanderbego, in cuius nomine ſolo plus eſt illis præſidij futurum, quam ſi omnes ſecum nos habeant cum coniugibus, liberisq́; noſtris, quem præcipue inuitant omnes, quem ſinguli expoſcunt. Mittamus igitur, ſi quiſquam eſt qui proficiſci velit. Non poteſtis ciues in ocio ſine Scanderbego diem vnum trahere. Poterit armatus miles alie- na ſequi auſpicia? Non domus, non patria tuta ſine eo videtur vobis, tutus erit in alieno ſolo miles procul ab aſſueto Imperatore? Quid igitur agendum? abhorrent Hungariam copiæ veſtræ ſine Scanderbego. Vos patriæ amor ac ciuium beneuolentia mordet. Illud non vultis, hoc non poteſtis Principes, Oportet itaque vos aliter animatos eſſe, ſi Vladislai deſiderium non reſpuitis. Ego & maximum delectum, quo celerrime fieri poteſt modo, habendum cenſeo, & propoſiti belli occaſionem ſuſcipiendam, neq; formidandum cuipiam de patriæ ſtatu, quum alijs nunc Ottomanum imperium diſtineatur curis. Victoriam præterea indubiam ex huius prælij euentu, quis non audacter ſpondeat ſibi? niſi cui ſuum ita edoctum ingenium pauorem facit. De Scanderbego vero id vnum nemo veſtrum negauerit, facilius vos inuenturos virum, qui ciuibus veſtris in pace, & iure reddendo, quam ferrum tenẽtibus militibus, præſit. Sed ne ad hoc magnifica tantum verba attuliſſe videar vobis, ecce cum quinq; millibus armatorum me ipſum Hungarico bello, pro Chriſti fide in primis, & veſtra omniũ, ac Scanderbegi dignitate offero, & ſi ita res ferat, deuoueo. Mutauit repente omniũ animos cũ acris Pauli oratio, & liberalis promiſſa opera, tum magna viri autoritas apud omnes Epiri principes, & Scanderbegum præcipue, qui & ipſe omnium primus in eam ſententiam diſcedens, laudare tunc palàm eum de omni acta vita, & vnũ illa die vere pro decore omnium loquutum, fœlicem dictitans rem Albanam, ſi multos eius propoſiti principes haberet. Erat hic Paulus (vt retulimus) tunc Epiri non ignobilis, neq; pœnitendarum virium regulus, religionis præterea, exactiori quodã inter cæteros cultu, maximo in honore apud omnes, præclara illa familia ortus, ex qua tot bellicoſiſſimi duces proceſſere, Nicolaus præſertim Pauli filius, qui in bellica laude paternos auitosq́; honores longe ſuperauit. Huius extat adhuc inuictæ virtutis, ac nõ mortalis (vt ita dicam)

A perſona Scanderbegi non proſtituenda periculo.

A præſidijs ſine Scanderbego infirmis.

Pauli Duchagini pietas & liberalis promiſsio.

Pauli Duchagini dotes.

Nicolai Duchagini celebre factum.

cam) dexteræ monumentum illud in Peneropoli vrbe Thraciæ, quæ nunc vulgo Præſerem ab incolis dicitur, vbi affixæ reliquiæ hoſtilis ſcuti, quod in prælio quodam recenti hominum memoria eodem gladij ictu ita tranſuerſum ſecuit, vt & pugnantis barbari manum, inutilem deinceps bello reddiderit. Non abre viſum eſt hoc loco parumper à propoſiti negocij tenore diuertiſſe, vt & patrem laudatiorem in filio oſtenderem, & tam inſigne viri facinus edaci obliuione, ac ingrato ſilentio non aboleretur. De Hungaricis rebus cura omnis, ac poteſtas ad Caſtriotum delata, ageret, iuberetq́ omnia, quæ è ſua, generisq́ Epirenſis dignitate, vtilitateq́ cenſeret. Qui ne diutius Vladislai deſiderium in ea rerum neceßitate remoraretur, antequam edictum aliquod de habendo delectu propoſuiſſet, regium nuncium traditis huiuſce generis literis, mox à ſe dimittit, maximis itineribus proficiſci iubet.

Hungaricæ res Scanderbego ad conſultandum commiſſæ.

Forma literarũ & reſponſio Scanderbegi ad regem Vladislaum.

Scanderbegus Epirenſium princeps, Vladislao Hungariæ ac Poloniæ Regi, S.P.D. Accepi literas tuas lætitia, deſiderioq́ pari, Inuictißime Regum, quas quum in maxima ducum meorum frequentia legi iußiſſem, ne-



mo omnium eſt auditus, qui tam iuſti belli occaſionem à te oblatam, non vltro adeundam cenſeret. Ita & publice omnes, & priuatim ſinguli dicere, gratius quicquam hodie à Dijs immortalibus ſibi tribui nõ potuiſſe, quam vt & optimum regem aliquo ſibi non ingratorũ animorum officio deuincirent, & rei Chriſtianæ ſimul tam oportunam operam præſtarent. Gauiſus ſum maxime ipſe in ea meorũ voluntate, tum tua in primis, tum communi cauſa, quum ita animatos pro Chriſti fide, & affectos tibi milites noſtros, & omnium generum ordines, vel ſine vlla adhortatiõe mea viderim,

quanquam

quanquam quis niſi Dijs pariter & hominibus inuiſus tam iuſtiſſimum bellum recuſauerit, vt nullus ſit religionis pudor, nulla communis periculi ratio, pro eo rege, ad quem, quod regnamus Chriſtiani, quod viuimus, quod ſpiramus, quod loquimur, vnice referre & poſſumus & debemus. Quis nō arma libens ſumpſerit? & in apertum etiam ruat diſcrimen pro Hungariæ populis, quibus tanto malo ſanguineq́; per omnes ætates Chriſtianæ ſalutis defenſio ſtetit, qui vel ab ipſis propè incunabulis æterni hoſtium noſtrorū hoſtes, Chriſtianæ ſeſe dignitati iam inde deuouerunt. Vtinam vellet Deus Opt. Max. Vladislae, vt poſſem ipſe ad hoc præclarum bellum tibi tantum afferre virium, quantum ſum animi & cupiditatis allaturus, nō iaceret diutius fortaſſe in eo ſqualore Europa, ab impio oppreſſa Amurathe: non velut piaculo quodam aliorum fumarent toties Hungarico cruore Baſilienſes ac Varnenſes campi, & Epirotico ſanguine omnis Macedoniæ angulus. Perijmus iam omnes, dum quiſq; ſibi ſe tantū natum exiſtimat. Sed quid nunc ipſe mecum has inutiles querelas iacto, & nequicquam conqueror? Profectò neq; virium me mearum pœnitet omnino, neq; ſi ſecundis Dijs acies tecum mihi ad tam fœlix bellum coniungere licuerit, fortunæ noſtræ Chriſtianum nomen (vt arbitror) vnquam pœnitebit. Ad ea nanq; 15. millia militum, quæ in Macedoniæ finibus nuper Alybaſſam fuderunt, totidem adijcere in animo eſt. Cum quibus quamprimū integrum fuerit ad vos iter arripiam, ſigna tua in omnem euentum ſecuturus. Vale. Ex Croia, pride Nonas Sextiles, M. CCCCXLIII.

Scanderbeg operam ſuam offert Vladislao.

Baſilienſes à Baſilia aliâs dicta Baltia. Vide Pli. lib. 4. ca. 13. de inſulis Ponti.

Datis ad Regem literis, ipſe toto animo ad delectū faciendū ſe conuertit. Copias quas contra Alybaſſam habuerat, primū omnium iubet inſtaurari, multi integri quoque abſtinere ab eius belli apparatu, nihil prohibiti ab ipſo, ita neq; inutili alicuius, & omni voluntariorum opera vſurum ſe ad eam rem ſtatuerat. Decreto inde per prouinciam interpoſito, mox decem millia hominum ſcripta. Paulus quem nuper in concilio verbis declarauerat animum, factis tunc pulcherrime aperuit. Nam procedens inter primos, quinq; millia lectiſſimorum militum, ſeq; cum illis Scanderbego tradidit. Tunc domeſticis rebus, ac prouincialium negocijs prius compoſitis, omni recenſito exercitu, Caſtriotus ordines diſtinguit, ac diuiſis, vt operepecium videbatur legionibus, ſuos quibuſque ductores dicit, velut iam inde bellum Hungaricum eſſet auſpicandum. Deinde pro victoria ſupplicationes ab omnibus factæ. Nunquā ab Epirotico bellicoſiori magis, quam religioſiori populo tot precibus Deus fatigatus. Ita ab ituro extra patriam milite, nullis votis pro reditu parſum. Sic diuinis humaniſq; rebus rite peractis, abſtractus à patria miles, alium iam ſibi animum induerat. Sola Hungarici belli, ſola aſſueti, ac fœdi nuper in ſanguine hoſtis ſpecies ante oculos obuerſabatur. Magno itaque gaudio iam Myſiæ fines intrabat ſi-

Scanderbeg conſcribit exercitum Hungaro auxiliaturus.

Supplicationes factæ pro victoria.

Irato Deo pugnare contra Turcam.

gnifer, quando vel fortuna immitis, vel immotus fatorum ordo, vel ſupplicio quidem propior apud ſuperos ſordium Chriſtianorum indignitas, vnius hominis perfidiam excitet ad ea omnia impedienda, turbandaq́, & ſimul perpetuos Hungaris luctus, ac tam inſignem cladem nomini Chriſtiano infligendam. Erat hic Georgius Vuchouichius, de quo ſæpius mentio facta nobis eſt, tum eius prouinciæ princeps Deſpotes Seruiæ vulgo dictus, ita ſumpto vocabulo, vir (ſi quicquam iſta ad bonos mores prodeſſent) & corporis decore, ac maieſtate oris non vulgari, facundia vero, ac ſermonis grauitate, ſi quis alius venerabilis, familia nobili, vetuſtiſſimaq́, ætate quidem prouecta. Religionis autem & fidei (ne id ſcelerum eius omittamus) neglector, vt nullus fermè deorum cultus in pernicioſiſſimo hominis caderet ingenio, æque & Chriſtiana præcepta, & Macomethi leges ſpernebat. Semel quum diu poſt hoc Varnenſe prælium nonagenarius ſenex, Meumethem fugiens, in Hungariam ad auxilia petenda veniſſet, agenti multa ſecum de Chriſti fide, Joanni illi Capiſtrano reſpondiſſe fertur, Laqueo citius vitam finire perſuaderi ſibi poſſe, quàm imbutas patrum traditiones relinquere: ſicq́ abijſſe è conſpectu iterantem ſæpius, malle ſe à ciuibus ſuis infœlicem principem, quam delirum ſenem dici. Js igitur Turcarum tunc enixe partes fouebat, tum ob collocatam in matrimonium Amurathi Cathaguſinam filiam, tum propter odium in Hungaros, Joannem præſertim Tranſiluanum. Cuius quum opera olim (vt in liberatione Scanderbegi ſupra retulimus) contra Amurathem adiutus eſſet, & in regnum reſtitutus, quædam Seruiæ oppida, quæ Hunniades in virtutis mercedem retinuerat, non reddita ſibi, æquo animo perferre non poterat. Quare audito Hungarici belli apparatu, & Scanderbegi aduentu, tranſitus ei omnes, vias & itinera præcluſit. Conatus eſt nequicquam Scanderbegus monere per nuncios Deſpotem, & lenioribus verbis agere, ne maleficio præoccuparet ſe, quando nulla ſubeſſet iniuriæ cauſa, & hoſtem vellet ex amico, vicinoq́ ſimul, & totius Hungariæ, & Epirotica in ſe arma ſollicitare, à tergo, à fronte hoſtem omni tempore habiturum, niſi nunc ad ſe cum Vladislai copijs iungendum, liber legionibus ſuis pateret aditus, ne patiatur grauem aliquam iacturam rei Chriſtianæ, quæ & ſe pariter cum omni imperio exhauriat. Dum tantum filiæ eum amor Amurathi conciliat, ſatis & generi perfidiam, & Hungarorum beneficia expertum. Quum nihil prodeſſent hæc apud perditum hominem, neque vllam niſi in armis ſpem erumpendi cerneret Caſtriotus, quamuis moleſtum erat, & periculoſum, videbatur iam inde belli labores ordiri, qui recentes ſuorum vires aduerſus regium ſeruabat exercitum, viam tamē ferro aperire ſi poſſet, pulchrius eſt viſum. Dum ſic in Myſiæ finibus irritatus Epirenſis exercitus per multa incōmoda moram trahit, & Scan-

Georgius Vuchouichius atheos. Pernicies Hungariæ.

Ioannes Capiſtranus.

Ioannes Trāſiluanus.

& Scanderbegi iter Deſpotes tardat magis quam impedit. Erupiſſet enim tandem, quamuis non incruento milite, & viciſſet omnia pertinax ducis virtus. Vladislaus interim tum literis Scanderbegi erectus, tum magis fato trahente ductus Valachia tranſmiſſa, Danubioq́; ſuperato, cum copijs Christianis Varnam attigerat, vt inde per plana locorũ itinere faciliori in Romaniam ſignis infeſtis pergeret: campeſtris is locus eſt in Myſiæ finibus ab alia parte ſitus, nobilis iamdiu tot exercituum ſtrage, & inuiſum

Valachia. Varna. Romania.



vel fortiſſimis bellatoribus ſolum. Amurathem tamen cum hoſtilibus copijs, interim Hungarus alacribus animis, & ingẽti cupiditate expectabat, nullo loco ſatis temporeúe detrectaturus pugnam, vbi hoſtis facultas adeſſet. Turcarum exercitus ſegnior aliquantulum, præter ſpem omnium Christianis occurrit: nam quum Amurathi Græcorum, & ſuorum etiam, qui in Europa manebant, fides ſuſpecta eſſet, exercitum ex Aſiatico milite cõparauerat: ſed quia claſſis Romana, Philippiq́; freti traijciendi ſpem abſtulerat, diu inops animi trepidabat, magisq́; conſulebat, donec Christiani quidam (ſi vera eſt fama) ea Ottomanum cura exoluere, polliciti nauibus ſuis, accepta mercede, copias in Europam tranſportare, ſicq́; in anguſto quodam loco, quod inter Propontidem, & Euxinum pelagus ſpacij interiacet, Europam ab Aſia diſcriminans, Aſianus tranſuectus eſt, aureo nummo à ſingulis vectori tradito, centum millia fuiſſe ferunt. Quum tam immenſis copijs Amurathem aduentare fama præmonuiſſet, Vladislaus, cæteriq́; auxiliarij principes de fuga agere cum ſuis cœperunt, & dum integrum eſſet, conſulendum ſaluti omnium, barbaro cum ea multitudine venienti, ſine maxima totius exercitus pernicie occurri non poſſe. Vnius

Propontis. Vide Pli. lib. 4. c. 12. Euxinum pelagus.

Aduentus Amurathis in Europam centum millibus

Hunniadis magnanimitas.

Nota: Turcas ſemper plus nominis quàm virium adferre ad bellum.

tamen Hunniadis ſententia vicit, qui per maximum contemptum hoſtis, omnem ex ſuorum animis fugæ memoriam aboleuit, quum expertum ſe toties Turcas diceret: Plus nominis ſemper, quam virium ad bellum afferre conſueſſe, demptoq; eo nominis fulgore, fœminas certe fore, atque longo interuallo Hungaris impares. Expectatus itaque hoſtis eſt, quo viſo, Hunniadem, qui cæterorum prius arguerat timorem, præſenti tamen re & periculo perculſum, fugam ſuaſiſſe regi ferunt. Multaq; hic de illo ſiniſtre vulgata ſunt facta, & quod in ipſo pugnæ ardore, dum Vladislaus fermè victoriam è manibus Amurathi extorſiſſet, cum decem ſuorum millibus aufugiſſet, nonnulli auſi ſunt affirmare. Ego in re tam incerta maluerim ſequi illorum ſententiam, qui nuncij poſtea, & reliquiæ eius cladis ad Scanderbegum in Macedoniam venêre. Hunniadem æquè viſas ac auditas Turcarum copias contempſiſſe, in bello pari animo ac virtute vſum, primoq; ferme impetu Europæ atq; Aſiæ præfectos maxima edita ſtrage, in fugam conuertiſſe, eosq; terga hoſtium cædendo late inſecutum, donec ex alia parte Vladislaus ſpreto Ioannis conſilio, qui illum è caſtris egredi prohibuerat, niſi ſe cum victoria reuerſum vidiſſet, tum ſuorum quorundam funeſta adhortatione impulſus, qui dicerent Ioannem regis gloriæ inuidiſſe, & idcirco ab eo in caſtris relictum, vt omnis victoriæ laus apud ſe foret, tamen ob ætatem impatiens. Adoleſcens enim erat caſtris infœlici auſpicio egreſſus, in Amurathis cohortem impetu alacriter facto, aliquandiu circa munimenta hoſtiũ acrius quàm cautius dimicans obtruncatus eſt, caput eius haſta infixum, viſumq;, tum deſperatam iam victoriam Turcis reſtituit, tum Hungaros, Hunniademq; hoſtium tergo inſtantem, terga dare mutata fortuna coëgit. Fugientem eum poſtea in Seruiam, Georgius cepit, fœdeq; in vincula coniectum, non prius dimiſit, quàm illa, quæ diximus, imperij ſui oppida habuit. Hic euentus fuit tam memorabilis belli, quod victoris certe quam victi maiori emptum ſanguine perhibetur. Quamobrem Amurathem poſt exhauſta iam hæc pericula mœſtiorem viſum, obiurgatum à ſuis dixiſſe ferunt: Nollem ſæpe ita vincere, poterunt merito me equidem conqueri ſemper Chriſtiani de Deſpotis perfidia, qui Epirotica auxilia è prælio ſubtraxit. Vt nulla enim futura fuerit tot millium hominum opera, quid non excellens præſtitiſſet? Quam non traxiſſet belli fortunam à Scanderbego, adiuta Hunniadis virtus? Quid eo præterea pulchrius ſpectaculum vlla vidiſſet ætas? Fortiſsimi milites ambo quando opus erat, idemq; optimi imperatores: Virium vi maxima, vigore animorum pares. Fœlicior hic noſter bellator, fortunæq; maiori afflatu ſemper vſus, vt ex omni deinceps vitæ tenore apparuit. Prouectior Hunniades, & militia, & ætate iunior: hic prælia licet pauciora, ſecundo tamen omnia fecerat euentu, ſingulari certamine non minus quàm ordi-

Vladislaus occiditur ſpreto Hunniadis conſilio.

nario

nario Marte aſſuetus, & fœlix. Militum animis accepti ambo, ſed lætiori ingenio Scanderbegus, Hungaricum ille ac Valachum militem nunquam fermè mutauit. Hic Italorum opera frequenter vſus in rebus gerendis, & eorum conſilijs armorumq́; vſu delectatus. Hoſtem niſi barbaricum non noui Hun niades. Caſtriotus ex Italo bello, & Neapolitani regni liberatione non minus fermè, quàm ex barbaricis triumphis nominis ſibi & gloriæ vendicauit. Poſtquam fama Chriſtianæ cladis iam vbique peruagata eſt, & Hungarorum exercitum fuſum, deletumq́;, Scanderbego adhuc in Myſiæ finibus degenti, nunciatum eſt, dolore penè confectus, multaq́; diu voluens animo, iam conuerſis ſignis abire conſtituit. Ne tamen inultus ex omni parte foret dolor, & Georgij perfidiam aliqua vlciſceretur re, mox infeſto exercitu, Deſpoticum & hoſtilem agrum irrumpens, lateq́; depopulatus, omnia igni, ferroq́; abſumpſit. Reuertenti in Epirum, paßim Hungari, Poloniq́;, qui ex ea ſuperfuerant clade, vt quoſq́; fuga fortunaq́; ſua contulerat, occurrebant, quos liberaliter habitos, cultosq́;, & vt in calamitate tali pecunijs, ac multorum cibarijs dierum adiutos, nauigijs impoſuit, qui Raguſium tranſportati inde in Hungariam reuerſi ſunt.

Caſtriotus cladem Hungaricam ægre ferens, agrum Deſpoticum diripit atque incendit.

Scanderbegi humanitas erga reliquias cladis Varnenſis.

MARINI BARLETII DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI, LIBER TERTIVS.



Amurathes ſollicitatus à ſuis, vt bellũ Scanderbego inferret, pacẽ ab eo literis fraudulenter doloſeq; fruſtra petit.

AMVRATHES *Hungarico exercitu deleto, neque victoriam eſt vlla ex parte, neque arridentem fortunam proſecutus, ita vt diminuti potius ex eo belli euentu, quam aucti animi eius viderentur, & tot vno tempore clades alia ſuper aliam, abſtinere tam victores ab omnis belli cupidine cogebant. De Epiroticis itaq; rebus, quæ dilatæ fuerant, eo conſilio, ne duplici onere res Ottomanæ aggrauatæ eſſent, nihil actum eſt omnino: interrupit tamen omnia, accenditq; ſopitos, & veluti oblitos iam iniuriarum animos, recentibus irarum ſtimulis, nouus ac frequens nuncius, nunc à Deſpote, nunc à Macedoniæ finibus, hoſtilibus vndiq; armis, atq; Scanderbegi exercitu omnia deleta, deſertaq; ferebantur. Iam non agrorum, non villarum eſſe, non cæterarum rerum veſtigia, cuncta ferro abſumpta, incendioq; arſiſſe, agreſtes trucidatos, niſi quos fuga ſeruauerat, Chriſtianum exercitum præter ſubitaneas quaſdam, & leues excurſiones iam bis totis ſignis impune irrupiſſe, & tantum abactum prædæ, agreſtisq; patrimonij, quod ex ea ſola pecunia commode ſit Caſtriotus Ottomanum longo bello pulſaturus. Res Chriſtianorum florere indies magis, ocioſos agreſtes, nunquam culturam agrorum omiſſam, omnium rerum illis affatim copiam exhiberi, ſe præter hoſtem aſſiduũ, famem quoq; iamiam imminen-*

imminentem timere, quia tot excurſionibus ſementem facere prohibiti ſint. Georgius quoque querelis cuncta repleuerat, & generis auxilium implorauerat, ſe deſperatis fermè rebus Turcarum non defuiſſe, eorumq́ pericula ſuo diſcrimine & ſanguine propulſaſſe, quibus vix ope deorũ omnium conſuli potuiſſet, & imminens exitium Ottomano imperio, imperij ſui corpore protexiſſe, Epiroticas copias diutius translato in ſe bello, de Hungaris ab altera Myſiæ parte expectantibus iungerentur, maximis prouincialium incommodis ſuſtinuiſſe, arcuiſſeq́, ac corpora ſuorum pro munimentis Scanderbego oppoſuiſſe. Cogitaret in quo ſtatu res Turcarum nunc, niſi Epirotica auxilia Hungarico bello eius diligentia fuiſſent ſubtracta, quando ſolæ Vladislai copiæ tam cruentam ſibi victoriam fecerint: nunc ſe quod miſeratus fuerit eius fortunam ad Hungarorum odia, veteresq́ ſimultates Scanderbegi quoque, & vicinorum in ſe omnium arma concitaſſe, pœnamq́ immerito eius beneficij luere, Scanderbegum non Amurathem victorem videri ex Hungarico prælio, ita compoſito agmine nunc ſuis, nunc eorum finibus inſultare, nihil iam ſe vſquam præter omnia hoſtilia aſpicere. Medium quodammodo inter Hungaros, Epirotasq́ bellicoſiſsimos populos imparem fore eorum viribus, ni gener curam eius ſuſciperet, quem ipſe in anguſtiſsimis rebus tanto beneficio præoccupaſſet. Mouerunt maxime omnes tum prouincialium querelæ, tum Deſpotis recens meritum, Scanderbegi præterea vires tunc opprimendas, & opprimi tutius poſſe rebantur, ne ſenſim per ruinas illas agrorum, & tot oppidanorum vexationes, totius vendicandæ Macedoniæ occaſionem quæreret. Odium eius in ſe, ac efferatam rabiem ſatis ex eo nuper percipi potuiſſe omnes dicebant, quod omni fermè præſidio prouinciam exhauſerit, & vacua omnia cuſtode reliquerit, vt ad eorum nomen delendum Vladislao cum copijs ſuis præſto eſſet. Ni cito reprimatur ea ferocia, cæterorum Chriſtianorum continuo arma in ſe ſollicitaturum. Propior itaque ad bellum erat Amurathes, & è veſtigio delectum, armaq́ iuſsiſſet: ſed quia tum magna ex parte militaris ætas Hungarico bello exhauſta erat, & Alybaſſæ fortuna recentis adhuc cladis memoriam refricabat, tum quia iam ſenior ipſe in quiete reliquum vitæ tempus tranſigere cupiebat, tam vanum quam nouum conſilij genus eſt meditatus, quo notis artibus, ac fœlici toties apud alios mendacio, captaret hominẽ, quem armis ſuperare non poſſet. Non extraneum me equidem fore duxi, neq́ ingratum forſan legentium animis, characterem literarum Ottomani hoc loco contexuiſſe, quibus Scanderbegi ingenium ſollicitare, & in omnes partes verſare conatus eſt.

Georgius Deſpotes.

Amurathes Ottomanus Turcarum princeps, atque Orientis Imperator,

Literæ Amurathis Ottomani ad Scãderbegum.

tor, Scanderbego alumno ingratiſſimo, nullam ſalutem D. Officia, quibus te ornarem omni tempore, dum apud me ageres, nunquam defuerunt



mihi, Scanderbege hominum ingratiſſime. Verba nunc quibus alloquar, deſunt, ita multiplici tu ſcelere perfidiaq́, animum meum offendiſti, læſiſti dignitatem, vt quo ſim genere orationis apud te præſertim domeſticum vſurus, nec conſilium, nec modus ſuppeditet. Neque enim vel atrocior ſermo, demoliturus eſt ferox ſuapte natura ingenium, vel mitiori tu dignus oratione, qui feritatem omnem longe ſuperaſti, & ne quam mei irritandi omitteres, eo es nuper amentiæ progreſſus, vt vel propria incommoda, & ciuium tuorum ſalutem, Hungaricis contra me ſumptis armis poſthabueris. Piget proloqui alia, & velut vulnera quædam attingere, ſi modo obliuiſci vnquam pateretur animus, vel ſilentio tegendæ forent tot nefariæ tuæ fraudes, & ingratiſſimi animi exempla. Monendum tamen aliquando, licet ſero fortaſſe duxi, ne ea te ferocia præpropere cum tuo iſto funeſto imperio præcipitem agat, & tunc diutini huius erroris confeſſionem exhibere velis, quum iam nullam tibi opem deſperatis rebus omnibus reliquam feceris. Satis tot tuas hucuſque iniurias pertulimus: ſat multis Ottomanum imperium contumelijs laceſſiſti, & tot ad mala patientem me ſatis præſtiti. Impune tibi proditus ille in Hungaria exercitus ceſſiſſe exiſtimas? Impune tot direpta in Epiro à corpore imperij mei oppida, & cæſa præſidia? impune & hæc (recentiora loquor) ceſſura credis? deletum Alybaſſæ exercitum, tot agrorum vaſtationes & incendia? nouiterq́ adiutos, quantum in te fuit, Hungarici belli tumultus, ac Georgij ſoceri, quod te abſtinere ab imperij ſui limitibus voluiſſet, late depopulatus ager

Catalogus malorũ, quæ Scanderbeg intulit Turcę.

tus ager? Reſipiſcas tandem aliquando improbe, neque expectes diutius quorſum ſit hæc indignatio mea eruptura. Ne leuiuſcula hæc ſecundarum rerum incrementa, eo ſtolidum deſiderium prouehant, & acuant libidinem, vt miſerabilior poſtea fortuna tua, vel infenſo cuiquam atq; ipſi mihi miſerationem commouere queat. Memineris aliquando (ſi quid iam reſidet in perdito ingenio humanitatis) meorum officiorum, ne tam male in te locata longius deplorem. Quamuis non ciuilis ſit animi, commemorare ea, quæ in aliquem liberaliter contuleris: ingratiſſimi tamen eſt, præteritorum meritorum ſic facile obliuiſci potuiſſe. Quare non poſſum non dolere hoc loco ſortem tuam Scanderbege, & miſeratione quadam affici rerum tuarum. Vt enim omittam animæ ſalutem (id quod tu ad extremum perditus homo pro nihilo habes) vt ſpretas Macomethi leges, & contemptum à te diuinum Prophetam, præ Chriſtianis ſuperſtitionibus taceam. Quid eorum, quæ magis cæca hominum ingenia delectant, defuit vnquam à me tibi, haſce pauperis regni tui ſordes tanti hodie æſtimanti? An arma, an equi, an longus ſeruorum ordo, an pecuniarum, rerumq; cæterarum ſuperfluentia, quæ omnem ætatem ſolent allicere, an exercendæ virtutis, & totius gloriæ materia tibi deerat? An domi militiæq; negatæ dignitates, præfecturæ, & cuiuſuis generis pares tuæ ætati honores, in aula demum quis te vnquam charior mihi? quæ acceptior indoles non peregrina tantum, ſed magis intima domeſticaq; vnquam fuit? Qua diligentia, inſtitutioneq; infantem fermè ad me delatum, educare curaui, & bonis artibus, ac optimis moribus alui, auxiq; creſcentem indies virtutem, tum præmijs, tum omnimodis laudibus, & ita bellico decore (quo nihil pulchrius eſt in rebus humanis) omni tempore exornaui, vt nullo certaminis genere, vel notior apud me miles, vel dux clarior haberetur. Pro hiſce tu beneficijs eum te exhibes hodie Scanderbege, vt non modo non quem putâram virum, ſed peſtem quandam intra parietes meos aluiſſe videar. Sed age patriæ te amor ſollicitabat, quam ſi à me petiſſes, negaturus ne tibi eram, quum iam toties, ſi meminiſſe potes, vltro eam tibi promiſerim? Maluiſti tu tamen eam per maleficium ipſe, quam à me beneficio habere. Habeas igitur Dijs approbantibus, neque me reprobante, & profecto qua ſum animi clementia erga quoſcunque mihi aliquo tempore familiares, & cognitos, omnium nunc ipſe tibi veniam trado, non tuo præſenti merito, quod nullum eſt, ſed quia & in hoc publico odio, tum priuatim in te collati officij, tum præſtitæ tuæ olim in rebus meis fidei libet meminiſſe, quandoquidem multo diuturnius tempus fuit, in quo ſeruiuiſti, quam in quo offendiſti. Croiam & regnum paternum tibi, licet nefaria fraude vendicaris, concedimus ea lege, vt cætera Epiri oppida, quæ nullo ad te iure pertinent, ſed virtute ipſe quondam mihi, ac belli fortuna quæſiui, vltro re-

Turca ingratitudinis accuſat Scanderbegum.

Macomethi leges.

L tro re-

tro reſtituas. Myſſorum res ſocero meo incorruptas, quoad magis fieri poteſt, quamprimum reddas, & cætera, quæ abſunt, æſtimata pecunia rependas. Deincepsq́ in omne tempus, tam eum, quem nos amicum habuerimus, violari à te, quàm hoſtes meos aliqua iuuare opera, nefarium cenſeas. Sic & Turcarum odia effugies in perpetuum, & idem erit apud me tibi amoris, & beneuolentiæ locus, qui antea fuit, niſi malueris malo edoctus tuo, tum pœnitentiæ fruſtra locū quærere, cum audacia iſtæc tua & ferocia me præſentem implacabilem vltorem habeat. Noſti iam vires meas, noſti exercitus robur. Habes ante oculos Hungaricæ fortunæ non leue documentum, quare longiori admonitione non indiges. Cæterum quicquid es ipſe facturus, ſcribere te ad ſummum velim. Poteris etiam cum Ayradino noſtro coram agere, homine & certo, & fideli, à quo & alia plura audies, quæ non ſunt literis commiſſa. Vale, ſi ſapis. Ex Adrinopoli 17. Kalen. Iulij, à generatione Ieſu M. CCCCXLIIII.

Ayradinus.

Inanes literæ.

Inanibus literis fides non habita à Scanderbego, ſed ſpretæ æque cum ipſo autore ſunt. Non defuerunt tamen, qui dicerent, à præſenti Amurathis conſilio, dolum omnem abfuiſſe, neceſſarioq́ id timori aſcriberent: coactum tyrannum ad haſce pacis conditiones propter Hungaricum metum, & grauiorem iam ſenectam deuolutam fuiſſe. Meumethis quoq́ filij ætatem imperij oneribus imparem, ſollicitudinem patris intendiſſe. Scanderbegi præterea vires ex recenti illa Alybaſſæ clade metiri, ſimulq́ fidem tot Epiri populorm in illum, ac gratiam eius apud Chriſtianos principes indies creſcentem, vereri, mentiri tamen illum, dum reſtitui ſibi oppida illa, & Epiri partem, dum refici damna ſociorum à Scanderbego diſſimulato pauore petit: multa propoſuiſſe iniqua, vt aliqua æqua ferat: eam habiturum pacem, eas conditiones ſubiturum, quas dederit Caſtriotus: neque de amiſſa iam Epiri poſſeßione, aut Myßiorum rebus mentionem facturum amplius, dummodo ab armis abſtineat Epirenſis. Componi autem eo modo cum Ottomano, & inducias aliquas fieri, nec inutile, nec indecorum fore, quum ipſe præſertim prior ad hoc inuitaſſet, & alioquin ad multas prouincialium commoditates id facere, bellorū euentus incertißimos eſſe, ſtolide arma paci præponi, non fidendum fœlicibus primordijs fortunæ, & Hungaros plura quam ſe aduerſus Ottomanum fœlicia prælia geßiſſe, nunc tamen recenti illa obrutos clade ingentia damna fruſtra recenſere. Occupandum potius hoſtis animum beneficio aliquo, quam irritandum longius, ſi pax ab eo vltro quæſita ſpernatur. Scanderbegus tamen in ea paucorum ſententia (licet & vera aliqua dicerentur) improbare audacter eorum conſilia, conqueriq́, quod Ottomanas artes Epirotica gens omniū vltima, maximo ſuo malo ſcitura foret, Amurathes inanes literas, inaniorem quæ ſibi haberetur, fidem inueniſſe, ſpectatorem Ayradinum

Per Epirenſem Scanderbegum intelligit.

Non fidendū fortunæ primordijs.

dinum apud ſtolida ingenia ſuorum oratorem cenſeri, & caduceatorem miſſum, adhuc & ſi nihil eorum timeatur, & omnia ſint propiora vero, quid tantæ leuitatis eſſet, quam hoſti magis etiam, quam rebus ſuis credere, & ab aliena fortuna, belli, paciſq́ conſilia mutare, quum à ſua poſſent: Fateri ſe, & Amurathem effœta iam ætate, & Turcarum perniciem, in Varnenſi prælio, & alia, quæ ad deponēda tunc barbarorum arma maxime inuitent, ſed nunquid ea ad deprimendos Epiri animos proficerent, vel tollendos magis? An ad eas pacis conditiones ſubeundas, quas victus hoſtis, victoribus offerre audeat? Neq́ momentum fieri, quod admittendas quaſdam, reſpuendas alias dicerent, vtroq́ modo fœdiſſimam pacem futuram, neq́ effici poſſe, vt Ottomanus pauorem animorum & diffidentiam eorum non cognoſceret. Agerentur tamen, quieturum crederent aliquantiſper Amurathem, dum nondum omnino ſedatos Hungaricæ cladis tumultus, & exorientes iam ignes extinguat, pace interim ſua gauiſuros Epirotas, quouſq́ plenis viribus, totoq́ bello in eos verſo, nequicquam violatum fœdus prætendentes opprimat, neq́ tamen eam eſſe ætatem Ottomani, quæ adhuc ad bella gerenda non ſufficeret, conſilium ſpectari in Imperatore, non manum, prudentiamq́ ducum ſe magis, quam promptam bello dexteram, ac ſtultam, infœlicemq́ temeritatem ſemper timere conſueſſe. Manere in effœto corpore vegetum ingenium, hoſtileſq́ ſpiritus, ſed & ſi nulla eſſet Amurathis opera, non hoſtem ſibi ideo defuturum. Breue præterea commodum pacis, cum morti propiori ſene fieri poſſe, erupturum in maiores apparatus ferox Meumethis ingenium. Se igitur pacem, quum arma vtiliora eſſent: bellum, quum ocium mallent, habituros. Nihil tunc, niſi Turcarum commodis conſuli ab Epirenſibus, quæ ratio eſſet expetendæ pacis, quum victoriam in manibus haberent, quum hoſtis apertam confeſſionem cernerent? Cur non fortunæ ſequerentur afflatus, & oblata vltro fruerentur occaſione? Cuius ſi præteruolaſſet opportunitas, omiſſam poſtea, nequicquam ſint dolituri. Turpe tum de pace fieri mentionem, quum vix vulnera ex recenti illo Alybaſſæ prælio coaluerint viris. Recuperarent prius auorum ſedes, & tot populorum ſuorum libertatem vindicarent. Tum demum pacis conſilia honorifice, vel proponi, vel admitti poſſe. Adeóne Vladislai clades tam inſigne illis documentum pauoris dediſſet, vt magis Epirotarum animos, quam Hungarorū ea belli fortuna ab armis alienaſſet? (ferebantur nanq́ incertæ quædam vulgi voces, Hunniadem ad delendam illam Varnenſem ignominiam, animum conuertiſſe, & tacite de inſtaurando exercitu cogitare) Commoti ſunt maxime ex eo omnium animi. In hoc igitur, ſicut & in alijs rebus, obtemperatum Scanderbego, quin pœnitebat homines aliquid eſſe eloquutos, quod ipſe non probaret, ne cuius belli conſilia ſecuti eſſent, ea in vlla rerum ſuarum fortuna aſpernari viderentur.

Conſilium in Imperatore ſpectandum, non manus.

L 2 *Caſtrio-*

Caſtriotus itaq; primum omnium Ottomani nuncio ad ſe vocato, pluribus cum eo egit, nunc omni teſte ſemoto, nunc palam ſuorum audiente concione multa, tum publicarum, tum domeſticarum cladium enumeratione de Amurathis perfidia eſt conqueſtus. Dehinc illo perbenigne habito, lautiſſimeq; per aliquot dies accepto, & pari animo, fiduciaq; (ne timoris alicuius ſibi ipſe conſcius exploratori, quem putabat, videretur) ducto per ocium ſecum ad munimenta ſingula, & militum ſtationes viſendas, ac omnem caſtrorum formam contemplandam, cum huiuſmodi ſententiæ literis illum à ſe dimiſit.

Reſponſio Scanderbegi ad epiſtolas Amurathis.

Athleta Chriſti Georgius Caſtriotus, aliâs Scanderbegus, Epirotarum princeps, Amurathi Ottomano Turcarum principi S. D. Superaſti olim tu me (vt ſcribis) multiplici genere officiorum, ego te hodie modeſtia, & linguæ temperamento vincam. Neque enim quicquam tam ſeruilis ingenij eſſe puto, quam vel apud infeſtiſſimum hoſtem ea fœditate ſermonis, & petulantia dicendi, abſtinere nō potuiſſe. Quare & literas tuas, & nuncium æquo animo accepimus, vidimusq;, & riſum (vt vera fatear) magis excitârunt mihi tuæ literæ, quam mouerunt ſtomachum, dum vel in ipſo ſtatim dicendi ingreſſu, tantæ ingratitudinis & perfidiæ audes me inſimulare, & rurſum leniori quodam ingenio ductus, animæ meæ iacturam recenſes, miſerrimi fati tui ignarus, ac longi erroris ſtudioſus defenſor. Demumq; nullo belli iure, ordineq; rerum ſeruato, imprudenter, ne dicam impudenter, tanquam victor victo multas pacis conditiones proponis, & eas præſertim, quas libere aures vix queant audire. Ego quidem Amurathes, quamuis tot tua maledicta poſſent, vel patientiſſimum quemque ad maledicendum armare, concedò tamen aliqua ætati, & liberiori ſenis ingenio, dolori reliqua, quem difficile eſt temperare, præſertim quod ipſe non iurgijs tecum, conuitijsq;, ſed armis, & iuſta belli ira certare inſtitui. Quid tamen, quæſo Ottomane, ita Deos homineſq; accuſas, quaſi prior ſis à me hoſtilia paſſus, non prior intuleris? ita ne neceſſariam à te defectionem perfidiam appellas? Scelus obijcis mihi, recuperatam ingenio & virtute patriam? Sed age obijcias, nihil enim recuſo, vt horum me reum criminum in omnia ſecula efferas. Officia quoque in me tua, quæ longo ordine recenſes, commemoraſq;, recordarer & ipſe libenter, ni ingentium omnium malorum memoriam, hæc traheret ſecum cognitio, quæ ſi forent inuicem compenſanda, obrueretur ſanè maioribus vndecunq; maleficijs tanta magnitudo tuorum meritorum, reputare tamen ea tecum te ipſum, quam me referente erubeſcere malo. Miretur ſanè illud vnum vnuſquiſq;, qui ſciat, quomodo aut ipſe ad ea patienda ſuffecerim, aut te nō aliquo tempore tantæ crudelitatis, odiorumq; ſatietas ceperit. Abſtuleras regnum paternum mihi, necaueras fratres, meq; ipſum nihil tale timentem, iampridem nefaria

Vult modeſtia ſuperior eſſe.

Diluit obiectionem de ſcelere & ingratitudine.

ria

rix morti deuoueras, & nouũ adeò nunc videtur Amurathes, quod tunc non immemor libertatis animus, tantæ ſeruitutis effugium aliquod conquiſiſſet. Quouſq; tandem dominationem tam ſuperbam laturum me putaſti? Pertuli tamen multa diutius, neque iugum apud te vllo tempore detrectaui. Pericula publica æque ac priuata, tum vltro ipſe, tum iuſſu tuo adij per omnem ætatem. Serebantur colloquia de te quotidie, & frequens apud me erat de inſidijs tuis ſermo amicorum. Ego tamen & verbis & factis tuis, fraudem omnem abeſſe diutius credidi, donec improba ſeſe conſilia late aperuerunt. Diſsimulaui tunc & ipſe, totus in tuas artes verſus, quouſq; aliqua vendicandæ libertatis occaſio affulſiſſet. Nihil eſt igitur quod doleas nunc, quum tuo (vt aiunt) perieris exemplo. Parua tamen hæc Ottomane ſunt inſtar eorum, quæ ſpe ac animi cupiditate concepi. Omitte itaque impoſterum acres iſtos minarum aculeos, & Hungaricæ fortunæ nobis toties ſubijcere deſiſtas exemplum, ſuum quiſq; animum habet, mi Princeps, ſuum genium, & nobis ea fortuna, quam Dij dederint, patienter erit ferenda: interim tamen neq; conſilia rerũ gerendarum petimus ab hoſte, neq; pacem ex te, ſed victoriam Dijs propicijs quærimus. Vale. Ex caſtris noſtris, pridie idus Sextiles. M. CCCCXLIIII.

Libertas. Victoria.

Quum literas Caſtrioti inſpexiſſet Ottomanus, & ab Ayradino reliqua eius conſilia didiciſſet, nihil quidem eorum, quæ nunciabantur, læto animo audiuit, ſed tum ferox, ac libera viri oratio, tum fiducia ingens, quam nõ ex nihilo conceptam putabat, magis pauorem quendam iniecit, quam irritati eouſq; animi indignationem acuit, & difficultatem belli Epirotici iam inde ominatus eſt Amurathes. Ne tamen ſuis tunc aliquod trepidationis ſignum præbere videretur, dixiſſe ferunt ſenile mentum ſæpius demulcẽtem, ac ridenti ſimilem: Cupis cupis improbe, ſpecioſum aliquod læti nomen. Dabimus, dabimus (mihi crede) aderimus ipſi alumni exequijs, & præſentes iniuſsi, pompam funeris, maxime rex Albanorum proſequemur, ne vnquam apud inferos ignobili te functum fato conqueri poſsis. Hærebat tamen conſilium tyranni in ea rerum difficultate. Nam orientes quotidie rumores de Hunniade, & frequentes à perfido Deſpote nuncij, quem duplici iam inſignem proditione, nimis inuidioſe fata tanto Chriſtianorum malo eouſque pernicioſum ſenem ſeruauêre, aliò eius animum trahebant, & integrum in Epirum bellum conuertere prohibebant. Ne tamen inulta tum foret omnino, ſpreti recẽter fœderis iniuria, ſtatuit interim ocium ſaltem, & pacem turbare Scanderbegi, ſi tollere nequiret, opportunum maxime ex eo id genus conſilij ratus, quod negligentiam quandam ortam apud Chriſtianos ex tot bene geſtis rebus audiebat, & Scanderbegum dimiſſo exercitu, toto milite populabundum, tota die à caſtris procul intrepide ſolitum vagari percipiebat. Accerſito itaque Feriſio,

Negligentia apud Chriſtianos ex rebus bene geſtis.

Feriſius cum 9.millibus mittitur contra Scanderbegum.

vno ex præfectis ſuis (id erat nomen barbaro viro) & ferocis ingenij, & ad omnia impigro, nouem millia lectiſſimorum equitum ei tradit, multisq́; oneratum promiſſis, ſi voti compos victoriam retuliſſet, in Epirum,



quo maturius poſſet, & cautius, vt prius hoſti viſus, quàm auditus foret; proficiſci iubet. Idcirco neque delectum tunc maiorem haberi viſum Ottomano, ne vel diſpendium eſſet in mora, vel rumore præeunte, excitatum Chriſtianus conſilio adhibito periculum caueret, ac nouas (vt poſtea docuit euentus) artifici tenderet inſidias. Verumenimuero dum hæc ipſe tam affirmo audacter de varijs conſilijs Amurathis, tum in bellorum externorum cura, tum de ipſa imperij gubernatione, non defuturos multos reor, qui mirentur, de eo hanc noſtram ab alijs varietatem ſentiendi, & ſedulo quærant, vnde in tam alienum opinionis genus mutatus. Quum recens multorum aſſeuerantium ſit memoria (id quod ſcriptis etiam aliorum poſteris teſtatum licet intueri) ſeniorem Amurathem mox illo ad Varnam expedito bello, plura tum de incommodis regnantium, tum fortunæ temeritate conquerentem, compoſitis tamen prius rebus domeſticis, ac Meumethe filio maiore natu, ſub Calybaſſæ cura conſtituto, imperio ſe penitus abdicaſſe, & Adrianopoli relicta, in Aſiam profectum, ibi pondere omni rerum publicarum omiſſo, religioni cuidam patrio ritu, retentis paucis ſecum, eius conſilij ſocijs, ſe addixiſſe, neque abſceſſiſſe prius, quàm auditus Tranſiluani ad Sophiam fuerit aduentus, & crebræ populi querelæ eum reuocaſſent, quum imparem ob ætatem ei oneri Meumethem iactarent, & Calybaſſæ priuatis ſanè auſpicijs defutura obſequia militum, & obedientiam in

Sententiæ variant de imperio Amurathis.

am in bello dicerent. Ego quidem miror præcipue, vnde tantus error in re præſertim tam recenti habuerit originem. Neq; enim ita temerarium in eo nonnullorum ſermonem, & grauiſsimorum ſcriptorum conſilium omnino vanum dicere auſim. Vnum tamen illud intrepide poſſum affirmare, & meo iure cõtendere, & ſuperiores fuiſſe ex Adrianopoli Amurathis nomine miſſas literas, & Feriſium, ac plures alios præfectos poſt tentatam nequicquam pacem, eo decernente, in Epirũ irrupiſſe, ſed non ex eo eius erroris proceſsit vis. Nullus enim temporum cõfunderetur ordo, ſi iſta quoq; ab Amurathe, antequam renunciaſſet imperio, tranſacta cõcederemus. Illud profecto quieſcere non ſinit animũ, quod vel mortem ipſam tyranni ex Epiro in Aſiam tam imprudenter video translatam, quo quid vero alienum magis? Quum Croienſem obſidionẽ ſeniles hauſiſſe ſpiritus mortalium inficiatur nemo, & extincti ob doloris impatientiam Ottomani laudem, omnis deinde ad Scanderbegum ſine variatione retulerit ætas. Legentium tamen æquitas hæc ſingula ſi libet, & veri totius ſimilitudinem ex diligenti adinuicem computatione temporum eliciat. Nos interea ad Feriſium reuertamur, qui ſilenti admodum agmine Macedoniæ fines intrârat, & conceptæ iam victoriæ præmia, tumido ex tanta ſpe animo nequicquã impartiebatur, hoſtem vbiq; circunſpectans obibat, omnia prædoni ipſe magis, quàm hoſti ſimilior, non tamen potuit famam aduentus ſui præuenire. Admonitus nanque Scanderbegus de ſingulis à locorum cuſtodijs, repente (vtpote qui ſemper agmine ad omnes caſus compoſito ibat) & temporis & loci captata occaſione vallem quandam anguſtam, Mocream appellant, ſolus barbaro tranſitus patebat, prior occupat, & armato implet milite. Appropinquabat iam Feriſius, & denſiore equorum inceſſu, oriens puluis, ſignum iam vicini hoſtis erat. Noſtri eodem ſilentij tenore expectabant, donec intrantem iam feſtiue barbarum, & à dumoſis ſyluarum iugis, ac ſaxorum vndiq; crepidine implicitum equitem conſpexêre, tum vnà omnes eruptione facta, inſperati ſeſe offerunt hoſti. Pedites, quorum mille & quingentorum erat numerus (iam & equitum duo amplius fuêre, ſed horum tum ad aliud vtilior ſeruabatur opera) ſatis fermè vel loci ſolius incommodis victum hoſtem, à tergo, à fronte, à lateribus adoriuntur, cæduntq;. Turcæ nihilo gradu dimoti, quem primo hoſtis impetu tenuerant, enixe aliquandiu pugnantes retinuerunt, donec victoriæ aliqua ſpes affuit. Equorum tamen impedimentum maius, quam auxilium erat viris, qui tandem & ſibi, & dominis exitio fuêre, ita velut obſeſsi, plura multo vulnera accipiebant, quàm dabant. Et quum nullum iam periculi effugium appareret, obſtinatioribus ſemper animis ad mortem vſq; ab illis certatum eſt, omniſq; ferè poſſeſſum ſemel locum moriens occupauit, præter paucos, quos vel fœda vitæ cupido, vel neceſſarium magis in re conſilium,

Computatio temporum.

Aduentus Feriſij cum exercitu in agrũ Albanum, cædes exercitus eius, irruptio Caſtrioti in agrum hoſtilem.

Mocrea.

lium, quum eum ſtolidæ potius, quam honeſtæ mortis appetitum ſperneret, ſupplices abiectis armis ſaluauit, & cõciliauit victori. Capti igitur ſeptingenti ſexaginta: occiſorum maior pars fuit. Ita barbarus dum ad prædam properat, prædæ ipſe fuit, & lætum præbuit hoſti male conceptæ victoriæ documentum. Feriſius cum reliquis copijs, quum interceptam primam ſuorum aciem, & occupatum interim ea gloriæ materia hoſtem vidiſſet, immemor præceptorum Ottomani, & inſitæ ſuopte ingenio ferociæ, ſtatim terga dedit Chriſtiano, maiorem adhuc vim periculi, & numerum hoſtium in re tam ſubita, & eo locorum habitu ratus, laudabilius vociferans

Fuga Feriſij cum reliquis copijs.



peritus belli dux aliquos ſaluare, quam perire omnes, & vbi præſertim velut iumenta, præberent iugulum hoſti. Non tulit tamen vel fugam eius incruentam Caſtrioti eques, ſed inhærens ſemper fugientium tergo, plures moratorum occidit, lateq́; ſecutus eſt, donec magis laßitudo vires hauſit, quàm inſtandi ſatietas animum cepit. Ita expeditis omnibus, & fugatis hoſtibus, ſine multis ſuorum vulneribus, tunc in hoſtilem agrum toto agmine irrumpens Scanderbegus, aſſueta prædæ dulcedine, militum deſideria expleuit. Feriſij euentum nihilo lætior Muſtaphæ fortuna excepit, nam Ottomanus percepta cæde ſuorum, & auditis Scanderbegi inſidijs, quum neceſſariam, nedum vtilem fugam ſuorum fuiſſe videret, & nullum ſibi reprehendendi ius in tam opportunis eorum conſilijs fortuna faceret, acriori percitus in Scanderbegum ira, neque dies, neque noctes patiens quietis animus, odium omne, & conſilium in vnius viri perniciem verterat, ac nihil magis, quam Epirenſes campos, vbi tot veterum & recentium in-

Muſtapha.

um iniuriarum cupitæ tamdiu vltionis materia adeſſet, ignara proprij mens mali optabat, ita occulta quædam vis fati timidam ſuopte ingenio ſenectutem trahebat. Quia tamen exoluendi doloris propter vulgatos Hungarorum motus, facultas tum omnino non ſuberat, tenore eodem indignationis Hunniadi glorioſus ſenex maledicebat, pariterq́; minabatur, Ottomanus glorioſus ſenex maledicit Hunniadi. *ſalutare dictitans Epiroticis rebus, id genus belli Hungarici non ſemel fuiſſe. Sed ne inulta iacerent penitus fortiſſimorum militum corpora, & recens ſuorum ſanguis, præſertim quod ab inſidijs vtili priorum exemplo, ſatis præcaueri poſſe exiſtimabat, & non vlla hoſtis virtute, ſed locorum iniquitate, victam nuper ſuorum aciem, ac Feriſij copias dicebat. Muſtaphæ præfecto (cuius frequenti poſtea & infœlici in eis locis opera ſæpe vſus eſt) eius rei curam demandauit. Supplementum ad Feriſij copias habere, & augeri numerum iubet ſex millibus additis. Mandat deinde ſedulo, ne interiora Epiri loca, vbi ſtatiua hoſtium, & certius periculum eſſet, vllo vel conſilio, vel bene gerendæ rei ſpe ductus adiret, fines tantum prouinciæ hoſtilis deuaſtaret. Satis gloriæ cenſere relatum iri, ſi arbores interim, agerq́; Epiroticus ferrum victoris ex aliqua parte ſentiat, & igni deuaſtetur. Monebat ita Ottomanus, quaſi prædici poſſent audientibus, quæ armatis poſtea eſſent agenda. Nihil tamen eorum diligens poſtmodum præfecti cura omiſit, quin opportune plura adiecit, ſitu locorum, & regionis natura inſpecta. vt primum enim hoſtili ſolo ſigna ſunt illata, ipſe aperto nuſquam campo digrediens, trecentos equites ad obequitanda & perluſtranda late loca ſingula, ac rimandas inſidiarum latebras nihil moratus, præmittit, iuſſos, vt ſi quid inuenirent periculi ab hoſte, reciperent ſe mox inter ordines, vel paulatim decepto eo inſtandi ſtudio, pelli ſe vſque ad deſignata loca caſtrorum paterentur: ita & caute agi, & hoſtem tacite ad pugnam extractum opprimi poſſe, ratus, quem neque pauciorem iure timere poterat, neq; numeroſiorẽ in re tam ſubita exciri poſſe credebat. Quum igitur ſollicitus eques ſingula perluſtraſſet, & tuta omnia, ac vacua periculo nunciaret, barbarus quatuor equitum millibus ſecum retentis, ſpe-* Exercitus Barbari. *cie quadam caſtrorum, locum ipſum quo cum ſignis erat moraturus, tum ad prædam conuehendam, tum ad omnem varietatem fortunæ vndecunq; ſeptum, munimentis & armatorum robore firmat. Editior ibi aliquantulum terræ tumulus in collem aſſurgens, validiora eorum munimenta, ac difficiliorem hoſti aſcenſum faciebat. Sic habita cura caſtrorum, cuſtodias deinde per quædam montiũ iuga cum certis ſignis diſponit. Tum reliquum equitatum intrepide, ingentem rerum omnium ruinam ſecum trahentem, in campos hoſtiles immittit, admonitis prius omnibus per præconẽ, vt qui ad tubæ ſignum auditũ, cum receptui caneretur, in caſtra non conuolaſſet, perinde haberetur atq; hoſtis. Diripiebatur iam pulcherrimus ager, & ſub*

M barba-

barbarico ferro, arbores & ſata omnia late cadebant, gemebãtq́; velut prata, ac fumantia villarum incendia patentia late, vltorẽ aliquem appellare videbantur. Semẽte omni equitis vngula pertuſa (autumni nanq; tempus erat) iam inde miſeros agricolarũ labores, innoxia tellus fruſtratura apparebat. Nihil integrum relinquebatur, quod ferro poſſet igneq́; abſumi. Vilioris agreſtium patrimonij præda abunde ſuperaret, hominũ modica, rarus nanq; ibi cultor, propter hoſtis vicinitatem habitare audebat, & eorum plures cum coniugibus & liberis, omniq́; familia, precioſioriq́; peculio, in oppida vicina confugerant, dum ſic ferox Barbarus id genus victoriæ, Dijs ipſis infeſtus ſequitur, & nullo fatis digno precio, modo huc, modo illuc excurſans, prædæ cupiditate tempus conterit. Caſtriotus interim, licet ſerius aliquantulum de his admonitus, cum quatuor equitum millibus, mille peditum, Mocream attigerat, & notas valles adhuc hoſtili ſanguine madentes, lætus miles intrârat, vbi dum aſſueta vndiq; hoſpitia tacitus perluſtrat, & incerti fermè conſilij, hæret in ea ſolitudine locorum, ac rerũ omnium ſilentio, ducis animus. Stupentibus omnibus, magnæ vir audaciæ, melioris fortunæ, Epirota quidam, qui manus effugerat barbarorum, multis inſignis vulneribus, ac recenti cruore decorus, ante pedes Caſtrioti ſtetit, fidem eius appellans, ac feroci omnium animos adhortatione incendens, deſolatum agrum, euerſa omnia à barbaris, eosq́; fuſos, & palantes paßim vagari, præda quenq; funeſta occupatum, poſſe de ſingulis paruo negotio incruentaq́; victoria, quod ipſi voluerint ſuppliciũ ſumi. Erecta ſunt prima facie tam opportuno nuncio ducis conſilia: ſed quum diligentius hominem de omni rerum habitu, & caſtrorũ ſitu percunctatus eſſet, Muſtaphæ prudentiam eo ipſo admiratus laudare cœpit. Cautius proinde cũ eo hoſte agendũ ratus, qui neq; ipſe aliquid temere ageret, audiente omni ſuorum corona.

Caſtriotus Mocream venit.

Oratio Scanderbegi antequam Muſtapham aggrederetur.

Conſueui, inquit, ego, milites rebus ipſis dare conſilia, nunc ea me ab illis, & vos mecum vnà accipere oportet, quæ & tutiora eſtis ſinguli, & honeſtiora (vt nulla ſit vis rationis) vel ex ipſo euentu omnium magiſtro iudicaturi. Populatores audieramus Barbaros ſine ordine, ſine vllo rerũ reſpectu, per agros fuſos, palantesq́; ac omnia magis alia, quam hoſtem timentes, ſicq́; me autore ſententiæ, & comite, vtili tam propoſito cuncti in eos ferrum ſtrinxiſtis. Nunc oportunus iſte viri aduentus, quid noui attulerit conſilij nobis, nihil eſt quod agam vobiſcum, illum enim quæ apud hoſtem agerentur recenſentem audiſtis. Vnum illud negare nemo poterit, ſi Barbari propoſitum in caſtrorum locatione, & tot armatorum præſidijs conſiderare velitis, non prædonis (vt creditis forte) illũ, ſed callidißimi hoſtis animum aduerſus vos gerere intelligetis. Quamobrẽ cautius eſt vobis (vt arbitror) & conſultius contra hoſtes agendum, quam in prædones acturi videbamini. Abſtinendum primo impetu à populatoribus, ne intento duci ex

caſtris prorumpendi ſimul, & victoriæ materiam præbeamus, vbi dum vagos ipſi vagi inſequimur, duplici obruti hoſte indigne obteramur. Irru-



endum omni robore in ipſa munimenta caſtrorum, quæ ſi pertinax (vt ſolet) perfregerit virtus, & vel ducem in fugam conuerterit, vel occiſi caput reliquis barbarorum turmis poterit offerre (quod Deus optimus maximus nobis præſtet) omnia profecto incruentis vobis expedientur. Cætera nanque prædonum manus, tum à ſuorum auxilijs excluſa, tum à vobis per gradus ſingulos obſeſſa, vel mortua, vel viua ſi malueritis, in poteſtatem veſtram eueniet. Cæterum caueatis commilitones, ne in caſtris diripendis, ſordide vos prædæ cupiditas detineas, quæ ſæpe vel victoribus manifeſto exemplo iacentis gloriam hoſtis è manibus per ſummũ dedecus extorquere conſueuit.

Cupiditas præde ſæpe obeſt.

Aſſenſu militum ingenti, id ducis conſilium approbatum. Diſtincti itaque vt operæ precium videbatur ordines, iam egredientes ex occulta valle copiæ, cuſtodijs barbarorum apertiore campo ſe ipſas prodebãt, tum manipuli ſublati è montibus ſignum præbuêre caſtris. Exin perſtrepens mox tubarum ſonus, diſperſo per agros ac præda occupato equiti moleſtior auditus. Reuocati ſunt plures, & recepti inter munimenta ante hoſtis aduentũ. Recipiebantur alij ſimul, & vicini iam fremitus militis Scãderbegi nomen pauidis auribus inculcabat. Multi excluſi, quos velocior Epirenſis in ipſis caſtrorum portis, onuſtos præda vulneribus inſuper onerabat. Oppugnabantur vndiq; munimenta, diſiecta primo fermè impetu impedimenta equorum, & ſcutatorum præſidia, tumultus ingens intrantium ſimul & exclu-

Scanderbeg caſtra Turcæ inuadit & fugat.

excluſorum. Promiſcue recepti omnes, plena cuncta hoſte, pilorum miſsiliumq́; nullus vſus in ea locorum anguſtia, cominus gladijs res gerebatur, & clauis ferreis quibuſdam commodius, breue eſt teli genus, quo Turcæ, maxime in bello vtuntur. Nouum ſpectaculi genus barbari pugnantis, manu altera gladium, altera prædam exitialem tenentis, ita auidiora ſunt Turcarum ingenia, & prædæ cupidiora. Ferocior ſemper inſtabat Chriſtianus, vrgebatq́; vndique, & omnia conſternatione, cædibusq́; replebat, donec deſperata in armis ſalute Muſtaphas, qui in tutiori caſtrorum parte hortator magis aderat quàm pugnator, per eam, quæ à pugnantibus maxime auerſa erat, portam, citato equo, terga dedit hoſti, tunc remiſsior

Claues ferrei teli genus.



vbiq; Mars, & paucior aliorum effuſus eſt ſanguis. Hi nanq; inermes, hoſtile iugum non dedignabantur: illi in fugam effuſi, neceſſarium ducis conſilium conſequebantur. Multi quos prædandi ſtudium à caſtris longius traxerat, à longinquo hoſtili clamore audito, ſociorum fortunam conijcientes, fuga & ipſi qua ſola poterant, ſe ſaluabant, ſed vix fermè vllus integer euaſit, intenta enim vndecunq; ſagittariorum manus in fugientium terga iacula conijciebant, & qua poterant, odium late explebant. Sunt qui affirment eo prælio barbaros ad vnum occiſos, præter Muſtapham, cum paucis optimatibus. Propior tamen vero illorum mihi videtur ſententia qui quinq; millia cecidiſſe dicunt, captiuorum paucior numerus, vix CCC. *ad ſummum fuiſſe dicuntur, & hi fermè omnes vulneribus deformes, & inutiles.*

inutiles. Irritati nanque præter modum eo in prælio, & proniores ad ſæuitiam fuerunt militum animi aſpectu prædæ ſuorum, & deuaſtati eouſque agri. Victorum ex equitibus viginti deſiderati, pedites quinquaginta, qui ab equis obtriti ſunt potius, quàm gladijs interempti. Sic caſtris, ſignis, & impedimentis omnibus potitus Epirenſis, tum hoſtiles campos ingreſſus, certiori præda illata damna lætior compenſauit. Per eoſdem dies, quibus hæc fœliciter geſta cum barbaris fuerunt, Lecchám Zachariam, de quo aliqua ſupra diximus, à Leccha Duchaino Pauli filio indigne obtruncatum audio. Inſignis hic vir fuit multo euentu proſpero malorum conſiliorum, patre tamen longe optimo natus. Rationē aliam ſimultatis, & cauſam inſidiarum nullam, niſi perditam regni libidinem, dulce mortalium ingenijs inſitum malum inuenio fuiſſe. Nam quum vicini eſſent inter ſe principes, & ſine liberis Zachariam videret Duchainus, nulla legitimi hæredis ſpe ſubſiſtente, facile omnia primo occupantis futura ratus, ſimul & illum de medio abſtulit, & non minimam imperij eius partem mox ſibi nefario iure vendicauit, non tamen potuit omnino male ceptum deſiderium explere. Daynenſes nanque (ea erat vrbs regni caput, roburq́;) peremptum principem, fidei pertinacia, qua ſola poterant, proſequuti ſunt, & Boſam defuncti matrem grauem iam annis, ac mœſtam filio ſuperſtitem enixe tutati, donec ipſa conſilijs quorundam, ac ſuaſionibus àmicorum impulſa, quum imparem curam ſenilem, & muliebre ingenium imperij oneribus, in ea præſertim rerum vexatione cerneret, Scodram confugiens, Venetis ſe cum vniuerſo tradidit regno, belli mole omni vicinorum principum in eos translata. Parabat iam hinc fortuna Caſtriotum præclaro quoq; Veneto bello, & Italorum armis nobilitare. Inde Muſtaphas apud Amurathem non iniquus, quamuis inuiſus hoſti iudex, tum vt ſuam pariter, & ſociorum fortunam excuſaret, inuictam viri virtutē, exactamq; vnius rerum bellicarum peritiam, multo ſermonis decore commendare, alijs viribus opus, & grauiore bello dictitans, ad eam ferociam comprimendam, fruſtra tentari eo modo hominis ingenium, & excurſionibus eiuſcemodi, ac vaſtatione agrorum acui magis ſuperbæ ſuapte natura Epirotæ gentis ſpiritus. Inſidias quoq; omnes aduerſus ipſos inſidiarum artifices, inaniores ſemper futuras. Contemptum potius quendam rei Ottomanæ apud Chriſtianos tot indies cumulo victoriarū tacite excitari, vel abſtinendum cenſere penitus ab armis, vel ſemel debellandi cum hoſte animum induendum. Non poterant Amurathi, licet mœſtior hoſtilibus laudibus aures præberet, timidæ videri Muſtaphæ dicta, quū eandem ſuorum omnium fortunam, quos Caſtrioti armis obiecerat, in oculis haberet. Hinc Alybaſſa, hinc longe venia dignior Feriſius, cladium maiorum memoriam ſubijcientes, infœlicē ducis virtutem principi excuſabant. Quare mutato

Leccha Zacharias obtruncatus, hinc cauſa belli.

Regni libido dulce malum.

Daynenſes.

Boſa mulier Scodram cōfugit & Venetis ſe tradit, hinc fortuna parat Scāderbegum Veneto bello.

Muſtaphas apud Amurathem ſe excuſat nō ſine laude Scanderbegi.

Muſtaphas diſſuadet bellum contra Chriſtianos.

& ipſe conſilio (ita ſæpe aduerſis in rebus cito homines pugnæ ſatietas capit) reſpirare aliquantiſper ab armis ſtatuit, neque vlterius nouo ſuorum bellicoſior ſenex pergeret ipſe iniquo fato petiturus. Iuſſo tamen interim Muſtapha copias denuo inſtaurare, & proficiſci in Epirum iubet. Sed prohibuit in primis hoſtilem agrum vlla oblata occaſione infeſtare, vel tentare aliquo modo Caſtriotum, fines tantum ſubditorum populorum tutaretur, & ſeruaret ab hoſte, caueretq́ maximo ingenio ad vllum genus dimicationis elici ab eo, ſed porrectæ ſpem victoriæ omnem æque ſperneret. Dijs profecto curæ fuiſſe dixerim Scanderbegum, qui in ipſis Veneti belli auſpicijs, eum Amurathi animum dedêre. Eodem fermè tempore & Muſtaphæ aduentus inde, & hinc Daynenſis fortunæ nuncius, Caſtrioti animum diſtraxerant, & curam omnem hauſerant ſolliciti in re tam ſubita ducis. Mouit tamen ſegnius barbarus aſſuetus vinci. Horrendum amiciſſimi principis fatum, & tam crudelis, quam præacerba viri mors mirifice Caſtrioti commouit animum, & dolore penè confecit. Acceſſio quoque ad eam moleſtiam maior facta, quũ Boſæ conſilium, & nouam in ea re curam Venetorum adiectam audiret (firmauerant nanque omnia, Dayni præſertim oppidum, validiſſimo præſidio vrbium vicinarum præfecti.) Hæc omnis diſſidij cauſa inter eos, & belli origo fuit. Quærebatur Epirenſis, Venetos in defuncti regno principis ius vllum prætendere, & ſibi id vendicari velle, quum vana præſertim fuerit matris translatio in illos bonorum ad ſe à viuente delatorum filio, neq́ præceps Boſæ conſilium debere quicquam legitime officere ad nati voluntatem violandam. Pactum nanq́ apparebet inter eum & Zachariam olim confectum, vt quis eorum ſuperuixiſſet, alterius imperio potiretur. Dictamq́ inter eos legem iuramenti vinculo firmatam. Iuris ego quid in ea re fuerit, iuriſconſultis relinquo, quamuis iudex omnium Mars non inique forſan diremerit. In ea animi fluctuatione, Caſtriotus intentior, ſemper Muſtaphæ copias obibat, paſſimq́ raro procurſans milite, nunc periculoſe progreſſus, nunc fugam ſimulans incompoſite inter ſuorum ordines receptus cauto hoſti nequicquam infœlicia ſemel arma ſuadebat. Vbi vero neque pugnæ ſpem vllam, neq́ hoſtis fallendi arte modum vidiſſet, copijs omnibus, quas ſecum habebat, ibi ad nouos rerum tumultus & barbarorum impetum ſuſtinendum in hoſtilis agri limitibus relictis, ipſe ad Daynenſis belli apparatum conuerſus animo, confeſtim paucis admodum equitibus Croiam petijt, & vbi ius omne in armis vidit, mox & edicto ad delectũ habendum propoſito, & ipſe cum nonnullis optimatum ſuorum, vniuerſam prouinciam ad conquiſitionem militum obequitans, & exercitum validum confecit, nihilq́ moratus priuſquam frumenti curam habere potuiſſet hoſtis, Daynum obſidione ingenti in coronæ ſpeciem vndiq́ cinxit, nihilq́ omittens, nunc leniter, nunc aſpere agendo om-

De leccha Zacharia obtruncato loquitur.

Scanderbeg apparat ſe ad bellum Daynenſe.

Daynum in coronæ ſpeciem obſidetur à Scanderbego.

do,omni cura ad deditionem oppidanos ſollicitabat, veritus ne ſi tum ea vrbis potiundæ occaſio præterlaberetur, allatus interea Venetias nuncius, patrum animos ad eam belli curam, & maiora ex Italia præſidia mittenda excitaret. Abſtinuit tamen à vaſtatione agrorum (quod primũ obſeſſarũ vrbium malum eſſe ſolet) ne Daynenſium irritaret animos ad ſeruandam tenacius hoſti fidem. Neq; expugnatio oppidi vſquã per vim tormentorum, & murorum ruinas, aut ſcalis tentata, intercluſis tantummodo ciuibus facultate vndecunq; annonæ, & commeatus habẽdi præciſa, famem aſſuetum diuturnæ incommodum obſidionis iamiam imminentem minabatur, quum coacti ad deditionem ſero eius clementiam implorantes, hoſtilia omnia eſſent paſſuri. Præſides prouinciarum Veneti nominis, & ciuitatum adiacentium præfecti, audita vrbis obſidione, admonuere de ſingulis Senatum, & decreto accepto, coactis vndique ſubitarijs auxilijs, tam ex Epiroticis militibus, quàm Illyricis & Italis, quorum præſidia ſemper in propioribus locis hoſti, à patribus haberi ſolita, mox ad eam obſidionem ſoluendam impigre ſe accinxêre. A duobus quoque viris Epirotici nominis adiuti ſummopere ſunt, & auctæ eorum copiæ, Leccha Duſmano, & Petro Hiſpano, qui licet contra Turcas Scanderbego perpetuam operam pollliciti eſſent, neq; vnquam illi defuiſſent, antiquior tamen longe cum Venetis neceſsitudo, præſertim quod vicini etiam Driuaſto, & quibuſdam eorum oppidis erant, & veteri ingentium officiorum vinculo aſtricti illis, vt præſto eſſent, fecerunt eum apparatum. Scanderbegus nihil tanta exorientis vndique belli mole territus, lætis auribus accepit, ſimulq; impigre diuiſis copijs ſuis, quæ 14. millium hominum numerum excedebant, ſeptem equitum millia, tot enim non amplius erant, & duo peditum nouo hoſti deſtinata, reliquum agmen ſuorum relictum ad vrbis obſidionem, quam nulla ſatis hoſtilis fama exercitus omittere decreuerat, cura omnium habita diſpoſuit. Ita trifariam diuiſerat vires inuicti prudentia ducis, & auctæ ſtolide audacia inani ſingulorum animos bene gerendæ rei ſpe erexerat. Daynenſes nanque ſublata Caſtrioti præſentia, obſidione ipſa ſoluti videbantur. Segnior pro portis excubare miles, rarior in muris aſpiciebatur numerus armatorum, patentibus portis ſæpe hoſtis cum ciue recipi potuit. Negligentius rerum omnium interpoſita cura, fames ſola iam vicina vexabat animos, quæ neque contemni poterat per audaciam, neque ferro vinci. Firmabat tamen vires, & ad quæque aſperrima ferenda cogebat promiſſæ ſemel fidei pudor, & paſcebat velut vicina ſpes quædam hominum animos quod ſuorum copias ad ea mitiganda mala, & leuandã obſidionem maximis itineribus aduentantes audiebant. Neq; parem Caſtrioti militem eis viribus credere, ſed certum iam conceptæ victoriæ nuncium ſolliciti vndique proſpectantes expectare. Sic omnium fermè ingenia, qui quum

Daynum in coronæ ſpeciem obſidetur à Scanderbego.

Abſtinet à vaſtatione agrorum.

Fames aſſuetum obſidionis incommodum.

Vires Scãderbegi trifariã diuiſæ.

quum plus tribuunt fortunæ, eidem fidelius parent. Muſtaphæ quoque in eo rerum Epirenſium tumultu, & Scanderbegi abſentia inſignis lætitia erat. Creſcebant iam fracti eouſque animi, & prioris fortunæ memoriam omnem tacita quædam inuaſerat obliuio, libenter relicta ibi hoſtis præſidia tentare Barbarus, & debiliorem ſine duce militem amiſsis nuper ſocijs immolare, libenter cupiebat, & cum Venetis inuiſi capitis victoriam partiri peroptabat, oblatæ occaſionis penè ſtudioſior, quam mandati. Verum dubiam mentem ſeuera Ottomani mandata reuocabant, & plura aliorum violatæ obedientiæ documenta. Exin (quamuis non improbaturum ſorte Amurathem tam opportuna conſilia crederet) tutius viſum ei ſegnem imperio alieno, quam propria temeritate fœlicem dici. Venetorum interea exercitus contractus ad vrbem Scodram, quæ eſt caput gentis, dum in apparanda belli eius materia moram trahit, Scanderbegus inſtru-

Venetorum exercitus ad vrbem Scodram.



ctis iampridem copijs, Drinonem fluuium ſuperauerat, & (quod maximum erat audaciæ, ac fiduciæ ſignum) præoccupatis prior ipſe hoſtium conſilijs, vel in ipſis hoſtilis ſoli viſceribus ad congrediendum cum hoſte pergebat ire. Non tulit id Venetus, ſed motis ocius caſtris infeſtis ſignis illi occurrit, Jam & clamor vndique armatorum, & late auditus clangor tubarum aduentantes hincinde hoſtes prodebat. Tunc vere hoſtiles animi, & feroces ſpiritus reuocabantur viris, ardere iam oculi militum, & index irarum fremitus paſsim exaudiri. Vota tum publice à ducibus, tum à ſingulis priuatim, & omnis generis ſupplicia non omiſſa, Iuſtiora quiſque arma ſua, & æquiores partes credebat. Omnium vna mens ad iniuriam propulſandam, parq; belli ratio videbatur. Epirenſis ad obtinendam ablatæ

Index irarum fremitus.

latæ iniuria poſſeſſionem vrbis, hi ad tuendam deditorum fidem. Maiorem illis animum tot indies contra Barbaros bene geſtarum rerum; & parti nuper aduerſus Muſtapham decoris memoria faciebat. Venetus, & ſi procurata eſſent omnia, quæ vel ad maioris vſum belli ſufficerent, & non ſolidam ſibi præbere poſſent victoriæ ſpem, tamen etiam ſi victus eo prælio aduerſis Dijs fuiſſet, haud ſummiſſurus animos videbatur, neque ceſſurus in omni belli euentu hoſti, quum inuictas patrum vires ad inſtauranda & præparãda perpetua arma aptiores longe viderent, quin omnia magis bello arſura, & exitialem futuram Daynenſem oppugnationem Caſtrioto, augebat tamen curam miſerabilior obſeſſorũ fortuna (audierant nanque ibi ad obſidionem maximam vim armatorum relictam). Apparebat iam certior aſpectus hoſtium, & propius erat pugnæ tempus. Tum ſubito ſilentio quies vtrinque mira inſequuta eſt, & ſigna humi fixa, caſtrisq; momentaneis loca opportuna capta ſunt ducibus, vbi & corpora curaret miles, & ducum hortamina tum præuenirent fortes viros, tum aliquam timidis adderent virtutem. Danieli Iurich Sebencino, viro impigro, & militiæ perito, Veneti exercitus cura tradita erat (Vaiuodam vulgo dicunt). Is vbi certos ſingulis ordines ſtatuit, & parata quæque vidit in hoſtem, ita cœpit.

Daniel Iurich Sebencinus Imperator Venetorum.

Omnia ſibi licere ſtatuit ſtolida mortalium temeritas, vbi ſemel aliquo ſecundarum rerum incremento delinitus eſt animus. Inde vix ſui compos mens, & præſentis iam impatiens fortunæ, modo hac, modo illac pererrans, ocia aliorum turbat, & pro libidine aucupat bella, donec miſerrimo tandem exitu inanium luat cogitationum pœnas. In oculis exemplum eſt milites. Tam vanus iſte quàm ſuperbiſſimus hoſtis, quem eo iam funeſta audacia, & indulgentior prouexit fortuna, vt audeat indies ex bellis bella ſerere, eosq; laceſſere principes, quorum ſi recenſeat in ſe officia, nihil eſt ſibi, temeritate excepta, reliquum futurum, quod ad illos non poſſit referre. Sed ſubuertit ita iam rerum omnium diſcrimen, ferox hominis ingenium, vt non publicis nos tantum hodie, ſed priuatis quoque ſingulorum odijs in eum hoſtem armatos eſſe oporteat. Obſeruetur nanque ante omnium oculos Daynenſium fortuna, irritet animos iuſtiſſima ira, ſociorum cura, ſunt ibi liberi veſtri Scodrenſes, vrbis præſidio poſiti, ſunt multorum fratres, ſunt conſanguinei, & affines in ea obſidione, tam Illyrici, quàm Itali nominis ſtrenui, quibus iampridem à perfido præoccupatis hoſte in rerum omnium neceſſitate nulla ſpes alia, niſi in vobis relicta. Vos late ſollicitis ac pendentibus animis mœſti proſpectantes è mœnibus expectant, veſtra hodie virtus vel libertatem eorum vindicabit, vel præciſa ſpe omnium rerum fœde iugum hoſtile ſubire illos neceſſe eſt, & ad ſuperbos Caſtrioti vultus ſpiritum precarium trahere. Quo nemo intolerantior

Adhortatio Imperatoris Veneti exercitus ad ſuos.

A ſucceſſu qui erigit criſtas.

A temeritate & magnitudine hoſtis.

A cura ſociorum & conſanguineorũ.

A periculis libertatis amittendæ.

 in victo-

in victoria, nemo inclementior facile inueniri poteſt, vtpote qui cum Barbaris diutino vſu educatus, omnem ſuperat feritatem. Vt enim taceam cætera, quid hac temeritate maius? quid ſtolidius? quod dum nefario iure cuncta occupare nititur, & inani colore pactorum ſceleratam regni libidinem excuſat, prohibet perdito exemplo mortalibus rerum propriarum deditionem, & aufert iura ipſa libertatis. Indignatur Venetos ſibi à Daynenſibus præpoſitos, oppugnatq; liberum matris conſilium in defuncti bonis filij. Sed excæcauit (vt videtis) eouſque ea cupiditas hominem, & ſtudium indignationis, vt vel in perniciem ipſe ſuam amens ira, odioq; ruat. Non potuit tantũ huiuſce belli curam differre, donec pulſo barbaro hoſte, quem in imperij limitibus aſsidue habet, integras ad odium Venetorum vires afferret: non in obſeſſæ vrbis aſpectu maioribus copijs congredi nobiſcum melior ratio viſa. Diuiſit vires vbiq; peritus belli dux, vobis quàm ſibi æquior iudex. Dumq; hinc Muſtaphæ, inde Daynenſis obſidionis cura mordet animum, vobis victimam potius quam hoſtem ſuũ reſeruauit exercitum. Agedum igitur multi paucos bellatores prædatorum turbam cædite, vrgete, & inflatis ſtolide animis extorquete iniuſti belli confeſsionem, quibus profligatis, nihil eſt quod de reliquis copijs hoſtilibus, quæ Daynum obſident, vos noua cura terreat. Sequentes nanque rei bene geſtæ modum, tenore eodem infeſtis ſignis, præoccupatis eorum conſilijs, priores ipſi petemus hoſtem, vbi euocato præſidio, ex vrbe interclusis his, vndique victoria omnis per ſummum ocium expedietur. Scanderbegi oratio neque ita hoſtilis, neque crimine alieno læta, ſed moderata, leniorq;, & in hanc fermè ſententiam dicitur fuiſſe.

A crudelitate hoſtis.

Adhortatio Scanderbegi ad milites, moderata & lenis.

Honeſta necne videatur ſuſcepti belli ratio, milites, neq; diſquirendum hodie armatis, neque decernendum nunc in ipſo hoſtis conſpectu fuerat, præſertim quum à me ipſo vobis arma tradita videatis, quem vel iuſtiora recuſaſſe, vel appetiſſe iniquiora nullo ſatis tempore conqueri potuiſtis. At quando illud maxime in rebus omnibus agendis torqueat mortalium ingenia, & ſollicitudinem augeat militarem, priuſquam gladij cominus in hoſtem ſtringantur, ſcire vnde iuſtior eſſet cauſa, & vtrum cum hoſte tantum, an cum Dijs quoque pugnandum ſit vobis. Non recuſo ciues, vel quocunque veſtrum iudice, ſi velut temerarium conſilium meum damnatis, & nimis ſtudioſus belli autor videor, ſtatim conuerſis ſignis abire. Neque enim is ſum, qui vel ignaros velim ad periculum trahere, vel in eo imperij mei ſtatu, & rerum Epirenſium tumultu, nouas cum Venetis obſtinato propoſito ordiri ſimultates. Sed vbi vacet huiuſcemodi reprehenſione conſilium, & iuſta æque ac neceſſaria præſentis belli ratio videatur, nullius magis intereſt, quàm veſtrum efficere virtute ipſa, ac animi pertinacia, vt fœlix quoq; euentus arma veſtra iuſtiora oſtendat. Quandoquidem

Belli ſit iuſta cauſa, ne ſit opus θεομαχεῖν.

Fœlix euẽtus arma iuſtiora oſtendat.

dem nihil eſt turpius viro forti, nihil magis contra regium decorem, quam per ignauiam pati iura ſua occupari ab alijs, & compreſſis (vt aiunt) manibus ſedere, vbi ius omne in armis videas. Noſtis ad vnum omnes, quæ beneuolentiæ vis, ac idem prope vitæ vſus fuerit mihi per omnem ætatem cum Leccha Zacharia, cuius hodie tam crudelis, quam præacerba mors, tot vndiq; arma concitauit, & quod vehementi illo affectu impulſi inter nos legem mutuo conſenſu dixerimus: Qui noſtrum prior deceſſiſſet ſine liberis, regnum eius ſuperſtes iure pacti haberet. Sublatus eſt ille prior, ita agentibus fatis: Veneti imperium obtinent, ego lachrymarum tantum relictus hæres, renunciaueram olim rebus ipſe meis in illa pactione, quum & priori mihi caſus aliquis finem vitæ afferre potuerit ob communem mortis fortunam. Nunc bello renunciare, niſi vel victus aduerſis Dijs, vel Dayni recuperata poſſeſſione apud animum meum non ſtatui. Nemo ſanus belli huiuſce culpabit me, quod ſuadet tam pulchra ratio. Nemo illata mirabitur arma Chriſtianis, Venetis, vicinis, quorum ipſi iuſtam dederunt occaſionem, & quæ ipſi fermè nobis in manu tradiderunt. Obſidemus conſanguineorum & ſociorum vrbem, non infeſtis adeò, vt ipſi putant, animis, non regni, non ſanguinis hauriendi libidine vlla, ſed vt eam pariter è manibus hoſtium, ac ingratis ciuibus obſtinati erroris confeſſionem extorqueamus. Deſcendimus in aciem cum hoſtibus, priores ipſi hoſtilia paſſi. Quamobrem certis iam animis ſinguli, pulchrum tuendæ dignitatis veſtræ propoſitum induite. Satis amplam belli materiam ſuppeditare videbatur Daynenſe imperium propoſitum victori, ſed nulla (quæſo) talis vos armet ratio, cupidorum hæc animorum vota, & ignobilis vulgi irritamenta eſſe ſolent. Conceptæ duntaxat deſiderium laudis, ſtimulos ingerat fortibus viris, quamuis omnia ſint veſtra, ſi viceritis hodie. Pulſo nanque hoc hoſte, oppidanus tum ſpe ſociorum deſtitutus, tum fame ipſa victus, mox patentibus portis victores eſt accepturus. De victoria autem nihil eſt quod agam vobiſcum aſſuetis vincere viris: nouus hoſtis eſt, nouum gloriæ genus. Sed multitudine ſuperat Venetus? eſto, nonne pauciores ſemper vos ad hunc vſque diem belli laudem ex hoſte tuliſtis? Indignatur eo modo vincere præclarus miles, vbi nec ſingulorum virtus ſpectari, nec priuatæ multum laudis domum afferri poteſt. Quid præterea momenti in maioribus eorum copijs? quibus ſicut diuerſa lingua, alius veſtitus, alius armorum vſus, ita nec idem habitus animorum. Confectus eſt exercitus ex multarum gentiũ colluuione, Illyrici, Itali, Epirotæ, ibi vario ritu, eadem ignari ſigna ſequuntur, diſſonus erit in bello clamor virorum, inaniores ducum adhortationes. Quare agite, primo impetu ad fugam quàm ad pugnam paratiores impellite, diſſipate, & renouate hodierna quoq; laude tot contra barbaros victoriarum ſpecioſam

Familiaritas Scanderbegi cum Leccha Zacharia.

Extenuat obiectionem cur in Venetos Chriſtianos vicinos bellũ moueat.

Eleuat quod Veneti multi cõtra paucos Scanderbegicos agant.

memoriã. Remiſſiore tamen ira in hunc hoſtem vtendũ, & pronioribus ad pietatẽ animis, captiuos ducite, neq; per intemperantiã belli, & ſtudium indignationis, ſanguine deditorũ victrices dehoneſtate dexteras. Non enim res eſt nobis cum barbaris, aut efferatis gentibus, ſed cũ Chriſtianis, quibus iure decertamus, vt propulſemus iniuriã, & in pace viuamus. Acuit magis Scanderbegus militũ ſtudia, & ſuorũ animos deuinxit ea modeſtia ſermonis, quod raro exemplo, ſimul & eorũ rationẽ, & curã hoſtium habere videretur. Tunc ordines circa eum effuſi, laudare conſiliũ ducis, animatum quiſq; ſe dicere in omnẽ euentũ, ad eius augendã, nedum ſeruandã gloriam pugnare. Venetorũ arma nõ eouſq; fore expaueſcenda, vt dum nimis multũ defertur illis, proprij decoris obliuiſcatur animus. Communẽ ſubditorũ populorum iniuriã eſſe, ſi per ſocordiã inulta Daynẽſis ignominia omittatur, neq; cadẽdum animis in ea rerũ vexatione, & duplicis mole belli. Nihil auctores mortales, ſi retardet ſemper feroces ſpiritus, quæuis cõſultatio, & ſingula ignaua cogitatione metiantur, Audendum fortibus viris, tẽdendum recto in pericula vultu. Neq; ſemper retro aſpiciendi cura, augendũ ſibiipſis timorem, & ſollicito cõſilio recondita mala homini interpretanda, Condiri neceſſitate virtutẽ, Pluraq; irritatis ſemel mẽtibus, & militũ furore ſuperari, quæ liber alioquin, & quietus nunq̃ auſurus eſſet animus. In dijs præterea nõnihil debere eſſe momenti, qui iuſtiori aſſidere bello cõſueuerunt. Sed & ſi in enſe viris tantũ poſita ſit ſalus, munitã ſatis fore rem Epirenſem ipſo fidei præſidio, & cõcordia populorũ. Amurathẽ demum Hungarico bello occupatum, Venetorum vires magnas noſſe, ſed Italorũ gentem ſegnius ſequi, quanto longius à domo trahatur. Iactabantnr hæc paſſim incondite à militibus, & alia plura, velut inſtinctum, cuiuſq; erat ingenium, & vt priuato officio audienti ſe duci cõciliarent. Ipſe ſingulorũ voluntate, æque collaudata ilocalariter mixto riſu dixiſſe auditus. Reprehendi merito poſſe naturã, quod tam præclaros Epiroticæ gentis ſpiritus nõ altiori incluſerit fortuna. Tum iuſſis curare corpora, omnibusq; procuratis alacer animis, atq; fiducia ingenti ſexta fermè hora diei in aciẽ procedit, ſagittarios, & leuiorẽ armaturã ante ſigna locat. Deinde grauiorem armis, peditem diſtinguit per cornua. Duo equitũ millia in vtranq; partẽ ſtatuit, media acies Tanuſio tuenda data. Ibi quoq; equitatui pedites aliquot immixti. De ſubſidiarijs non multum curatũ, quũ certam victoriã, & faciliorẽ lõge armis ſuis hoſtem, quã inito prælio incrudeſcens Mars, & obnixi Venetorum vultus oſtẽdere cõcepiſſet. Tantundẽ de caſtrorũ præſidio procuratum: vacua nanq; relicta raro cuſtode, qui vix ab inermi prædone ea tutari potuiſſet. Nõ abfuiſſet à reprehenſione temeritatis tã ſecura fiducia ducis, ni verius præſidiũ ſibi in obſidentib. Daynũ copijs ſtatuiſſet. Nã ſi præter ſpem ſuperiorẽ vidiſſet hoſtem, ad eos ſe recipere deſtinauerat, quum neq; militum numerus, neque babi-

Venetorum arma quatenus expaueſcenda.

Daynenſis ignominia.

Scanderbeg aciem inſtruit contra Venetos.

Secura fiducia Scanderbegi.

habitus ipſe locorum ad firmanda ibi caſtra ſuaderet. Sed indignius adhuc iſtud cõſilium tanta prudẽtia viri, quum pernicioſior magis victis eo modo fuga futura, quã pertinacior reſiſtendi animus fuerit. Nã tum inſequens palantes Venetus victor, tum difficilior in tã præcipiti tumultu tranſitus Drinonis, quicquid erat reliquiarum hauſiſſet. Quare eò decurritur, vt inſuetã vinci virtutem in ſe tantum ſpem poſitã habuiſſe dicamus. Venetus quoq; Italis haſtatis præmunt ſigna, cornua hoſtili exẽplo diſpoſita. Daniel in dextro Illyricorum validiſsimo cinctã præſidio, ſtationẽ ſibi eligit, Italos nonnullos equites grauis armaturæ in frõte, & poſt ipſum cornu diſponit. Colla Humoi Scodrenſis, cuius ſecundæ erant in ea belli cura partes à leuo cum ciuibus ſuis Moſi & Dibrano militi oppoſitus. Andreas frater cum Simeone Vulcathanio mediã aciẽ obtinuit, promiſcue ibi vario militum genere, & inutiliori præſidio onerati magis, quàm firmati ordines. 13. paulominus millia Veneta fuere, his copijs cõcurſum eſt. Prælium ab haſtatis inceptum, auertere primo impetu ſagittarij eos. Sed vbi inaniores ꝓpinquitas Pugna Caſtrioti cum Venetis apud Drinonis ripam.



ipſa ſagittas effecit, qui ſcutati erãt obnixis clypeis cum reliqua leui armatura ſtrictis gladijs cõminus hoſtem petunt. Cæteros Caſtriotus extemplò circundedit equitibus, & retractatos aliquãtulum vtiliorem illis reſtituit telorum vſum. Haſtati, quia tuta ferro pectora, & loricis tecti audacius ſe obijcientes in hoſtem incubuerãt, dederunt reliquis ſpem bene gerendæ rei; tũ omnis circunfuſa acies, clamorq; vtrinq; ingens ſublatus. Epirenſis equitum & numero & virtute ſuperabat. Locus non vni æquior quàm alteri, pugnatum eſt enim in lata planitie, & ãpla, nõ procul à Drinonis ripis. Par

viribus aliquantiſper magis quàm animis Venetus fuit, Et circa Illyrici ſtationem ducis variante fortuna diu pugnatum, donec Scanderbegus concitato ibi equo cum paucis equitibus in medium agmen hoſtium inuectus, vulneratis pluribus, multis pauore diſſipatis, extorſit ſpem victoriæ Veneto. Illyrici vndique mox in vnum conglobati (vt egregia eſt gentis eius velocitas) denſiori præſidio munita ſtatione ducis, excluſerunt hoſtem, defendebant tamen magis quàm pugnabant. Media acies vtrinque ſpectatrix potius, quàm pugnatrix eouſq; aderat, dum vario adhuc euentu res agerentur à cornibus, tum Tophia vbi oneratum ſatis dexterum cornu hoſtium vidit, erectus & ipſe Caſtrioti exemplo, confeſtim lectiori equite, & parte peditatus in medios præterlatus hoſtes, nouum iniecit pauorem. Illyrici nanque qui in fronte expoſiti fuere hoſti, non tulere impetum, ſed mox in cornu dextrum deducti, ac ſeipſos tutati, & hinc prodidere ſocios, & inde interuentu ſuo auxêre difficultatem Scanderbego ſtationem oppugnanti. Idem reliquus peditatus fecit. Impar nanque Epirenſi equiti, paſſim effuſus in fugam ſe ſaluauit, quæ res effecit, vt nudatus præſidio Scodrenſis eques, ac oppreſſus ab hoſte circumueniretur. capti enim ſunt ambo præfecti, cum alijs pluribus, qui à pedeſtri robore relicti, deſperata in armis ſalute, ſeſe tradiderunt hoſti, reliquis quoque turmis incuſſerunt pauorem, timentibus, ne penetrata acie Epirenſis à tergo adoriretur cornua, & intercluſos ferocius premeret. Sed non id ſuccurrit victori, quod pauebat victus (ita vel obtuſiora ingenia hominum efficiunt res ſecundæ) Nihil enim quærens vltra lætus ea victoria animus, gratum duntaxat ſuis ſpectaculum vinctos hoſtes offerebat. Caſtriotus quoque rerum aliarum omiſſa cura, gregarioq; omni milite præterito, velut dedignans ſanguinem cæterorum ad ducem tantum animum intenderat, ſed fortiſſimorum agmen militum difficilem ei aditum faciebat, ac inanem reddebat ferociam viri. Conuerterat omnium animos in ea dimicatione Moſes, & Scodrenſis à ſiniſtro cornu. Multus ibi labor, periculumq;. Ita velut ipſi de ſumma rerum decertarent, obnixi ingentibus ſine reſpiratione odijs, mutuis vulneribus incumbebant, haud impares equis viribus aliquandiu pugnauerunt. Sed hauriente iam laſſitudine Dibrenſium ictus fatigati equi, viriq;, ac victi propè ſenſim ceſſiſſent hoſti, ni referentibus gradum Moſes increpando ſimul timorem, ſimul ignauiam pudore laſſitudinem excuſaſſet, & vinci fermè paratos vincere docuiſſet, clamans:

Res ſecundæ obtuſiora efficiunt hominum ingenia.

Moſis obiurgans exclamatio in ignauũ militem.

Quæ ignauia viri? quod perditum inſueti pauoris exemplum? Potuit Dibrenſis aſſignatum ſemel locum viuus relinquere? Potuit bellicam laudem vendere hoſti? Vbi miles ille qui Alybaſſæ copias deleuit? Feriſij inhibuit ferociam? Muſtaphæ vires contudit? ac barbaricis ſpolijs Epiroticas domos dicauit? Quo tumor ille animorum euanuit? Quo

minaces

minaces illi in caſtris vultus, ac fortia promiſſa abiere? Sic Daynū Scanderbego reſtituitis? Sic obſeſſæ vrbis oſtium intrare paratis? Nuſquamne alibi hoſtium virtus? nuſquam fortis dextera? nuſquam radians enſis niſi hic? At vbiq; iam ſocij veſtri victores parti decoris fructus recenſent. Tanuſius captis ducibus, ac vinctis poſt terga manibus deductis in caſtra, mediam hoſtium aciem omnem aut deleuit, aut diſsipauit. Scanderbegus perfracto Illyricorum robore, iam ſingulis per ocium inijcit vincula. Hic pauor tantum, & fugæ memoria relicta.

Coacervatio factorum exercitus Scanderbegici.

Iniecit ea obiurgatio militi tam acres ſtimulos vincendi, vt alij repente facti viri, equiq; viderentur. Tum recenti renouato prælio mutata fortuna, iam pelli paulatim Scodrenſis, reſiſtebat tamen magis numero quam animis. Donec Humoi, coniectata ex hoſtili ſermone fortuna fratris, quum vix præ impatientia doloris armorum tenendorum potentia eſſet, oblitus ſociorum ad ſerum germano auxilium ferendum progreſſus, & in medios illatus hoſtes, certam Moſi victoriam reliquit, docuitq; quantum ordinibus in duce ſit momenti, mox nanque effuſi in omnes partes terga ferienda præbebant hoſti. Daniel quoque ex altera parte iampridem omni præſidio anteſignanorum exutus, pudore magis quam viribus ordine ſeruato ſuſtinebat hoſtem, ſed vbi haud dubiam ſuorum fugam, & eandem omnium fortunam aduertit, citato & ipſe equo fuga conſuluit ſibi. Sparſos paſsim per agros Epirenſis ſegnius eſt inſecutus, impediebat namque laſsitudo viros, quum dimicatum ſit vſq; in vltimam defatigationem. Nō tamen licet feſsi, liberam fugam fecere, hoſti. Miſſum enim præconium à Scanderbego, vt totis ſignis inſtaretur agmini fugientium vſq; ad vrbem Scodram. Pulchrum fortaſſe viſum duci ſimul ira, ſimul gloria elato conſpici victorem à mœnibus hoſtium, quæ ingenti multitudinis turba completa erant. Carpebatur in multis locis poſtremum agmen, & magna pars moratorum capti, prohibuerat namque quenquam occidi. Mox in propinquo vrbis conſpectu inhibita ſigna & acies firmata. Tum victores conglobati circa ordines ingenti clamore, lætitiaq; mœſtæ vrbi publico, priuatoq; dolore captiuos ſuos ſubijciebant oculis. Ingerebat ciuibus hinc nouos irarum ſtimulos tam miſerabilis aſpectus, & fortuna ſuorum. Hinc recens iam clades ſpiritus omnes hauriebat. Cura præterea captiuorum maior iniecta hominibus prohibebat viam vllam hoſtis irritandi tentare. Caſtriotus vbi vel ad ſatietatem militi victoriæ laudem explendam permiſiſſet, ſigno dato, parum nanque ſupererat diei, collectis hincinde vaſis, ad Daynenſem obſidionem dirigit iter. Sed fefellit omnino inanis ſpes ducem, quum recluſis portis, oppidanos fortunam omnem legemq; deditionis ſub ſe victore confeſtim ſubituros concœpiſſet. Daynenſes nanq; licet & ſubita legionum ſuarum clades, & intus creſcentia indies incommoda annonæ (prohi-

Daniel dux Venetorum fugit.

Daynenſis obſidio fruſtra tentata per Scanderbegū.

(prohibuerant nanque ſemper frumentationem obſeſſis Epirenſes copiæ ad idipſum locatæ) dolorem ſimul & curam auxiſſent, nulli tamen ſatis tot vndique malorum effugij fœda cogitatio ſuccurrit, ſed omnia in ea rerum neceſſitate conſtantiſſime procurata, diſpoſitaq́ ſingula exacto iudicio ac parcior militi præbitus cibus, quo fidelis tantum ſpiritus ſeruaretur, ſeniorum nulla cura viris, vtpote qui & prævalido vrbis ſitu, & validiore multum fidei munimento tutabantur. Caſtriotus nanq́ vt primum victricibus ſignis reliquis copijs ibi cõmorantibus ſe adiunxit, multa nequicquam vani irritamenta pauoris obſtinatis animis ac oculis obſeſſorum ſubiecit.

Agmen captiuorum Daynenſium circũ muros dũcitur.

Oſtentata ingenti militum clamore, & inſultatione capta ex hoſte ſigna, ductum circa muros mœſtũ captiuorum agmen, fixis in terram oculis pudore ſociorum intuendorum, quibus circumfuſ is per mœnia lachryma-



rum vim magnam excutiebat tam fœdum ſuorũ ſpectaculum (erant nanque in eo numero multi obſeſſorum conſanguinei,) vt intelligi potuit ex ijs quæ ſupra retulimus.

Inſigne reſpõſum liberorũ ciuium.

Tum vbi admonitos ſatis credidit oppidanos, Scanderbegus de deditione cum illis agere cœpit, & præſidium Venetum certa iam fiducia petere tradi ſibi. Inſigne tamen tulit pro inanibus poſtulatis liberorum ciuium reſpõſum. Deſineret eiuſcemodi ſpectaculis oculos & aures minis territare. Non eſſe tam leui momento fidem ſuam fundatam, vt ſe potius ex recenti rerum aduerſarum euentu, quam ex veteri habitu animorum metiantur. Fixum omnibus, deſtinatumq́ eſſe, ſi aliter non poterunt, laceratione corporum ſuorum infœlicem fidem bonis principibus teſtatam relinquere.

Conſtantia obſeſſorum.

Neque

Neque eam fore beneuolentiam ſuorum, & ſociorum vincula, vt tam fœdam illis pietatem extorqueant; quod nec ipſi capti, ſi interrogentur, ſibi præſtari cupiant. Sperare præterea ſub Venetis patribus neque perpetua vincula eorum, neque longam ſuam obſidionem futuram. Exemplum hoc vero pro documento habendum: Non eſſe gerendam populis mutabilem fidem, cum inſtabili principum fortuna. Fuit & in Scanderbego illud non indignum admiratiōe, liberalitatis, & ingenitæ pietatis indicium. Quod quum ſpreta conſilia ſua ab oppidanis vidiſſet; & ſublatam ſpem omnem habendæ vrbis in ea pertinacia animorum; non ad aliquã indignationem conuerſus (vt procliuia ſunt principum ingenia) non ad rabiem vltionis procurrit, ſaltem in captiuorum terga ſæuiendi, quum omnia illi in eos ſolutiſſima eſſent, ſed demi protinus vincula iuſſit, & liberaliter habitos, cultosq́; ad domos ſuas quenq́; remiſit. Ni fecerit fortaſſe callidus princeps, id quod licet nō ita eleganti propoſito actum, laudari tamen omnino debuit, vt quum aliter Daynenſium animos ſuperare nequiret, eo vinceret beneficio, & quos metu non poterat, humanitate ſibi tacite conciliaret. Duos tantum viros honeſtiores, Andream & Vulcathanium velut quædam futuri fœderis pignora, & Scodrenſis ferociæ inanem cautionem apud ſe tenuit, quos in arce Petræalbenſi ſub cuſtodia, benigne tamen lautiſſimeq́; haberi iuſſit, His ita tranſactis, noua illi vrbis potiundæ cura inceſſit. Inde quo celerius cupitæ tamdiu rei compos fieret, vtile cōſilij genus eſt aggreſſus ad eam obſidionem & Veneti belli commoditates. Argumenta liberalitatis & pietatis Scanderbegi.

Baleſium oppidum fuit, tunc monumentum tantum vrbis, nullo ſatis conditore, ſed vetuſtate ſola notum, ſitum in radicibus montis Sardonici, Maranai vulgo appellant. Iuxta ager, & locus quidam, quem accolæ ſupra Scodram vocant, diſtans à Scodra 12. à Driuaſto 5. à Dayno vero 15. fere millibus paſſuum. Reſtaurare eam vrbem Scanderbegus olim à Barbaris euerſam, animo concœpit, vbi impoſito præſidio, copijsq́;, commodius inde & Venetum agrum late infeſtari poſſe, & prohiberi obſeſſis ſubſidia, à tot vndiq́; vexationibus occupato hoſte putabat, ſicq́; partim muro, partim lignis ocyſſime renouauit locum. Et quum vrbis ſpeciem quandam, effinxiſſet, relicto ibi præſidio, Ameſam nepotem, Marinumq́; Hiſpanum Epirotam notæ virum fidei, ad reliqua peragenda præfecit operi. Procuratisq́; his, ipſe ad obſidionē Daynenſium nullis ſatis temporum vel bellorum incommodis omiſſam, in vlteriorem ripam Drini eo die ſe contulit. Ameſa abſoluto murorum munimento; & quibuſdam ſtationibus militaribus prout operæprecium viſum. Ipſe impatiens ocij adoleſcens (acuebant nanque iuuenile deſiderium tum omnes laudes domeſticæ, tum recens in oculis patrui virtus) quum multas ſecundas populationes & vaſtationes agrorum feciſſet, maiora quæque cogitatione aggreſſus; Driuaſti vicinæ vrbis Baleſium oppidum. Pli. lib. 3. cap. 11. Ameſa nepos. Marinus Hiſpanus.

O oppugna-

Driuaſti vrbis oppugnatione induit Ameſa.

oppugnationem toto animo induerat. Itaque expedire iam tota die copias, & exhaurire nouam vrbem præſidio, ratus ampliorem eam ſibi laudem futuram, ſi priuſquam præſtitiſſet eum apparatum patruus, inſcio adhuc illi ſubitũ tam egregiæ geſtæ rei nuncium, cum ipſis captæ vrbis ſpolijs mittere poſſet, taciteq; conſeneſcentem eius virtutem ſub Dayni mœnibus argueret. Ita feruens adoleſcentis ingenium intumuerat fortunæ inani ſponſione. Sed Marinus, cuius æque induſtria in nouæ vrbis cura à Scanderbego electa fuerat, & coniuncta perdito exemplo prudentia cum temeritate, doctior longo rerum vſu, & venerabilior ætate vir, ne aperta contentione refragando iuuenis voluntati, ſimultates ſibi cum illo (peſtiferum in rerum adminiſtratione malum) aliquas pararet, primum impedire ex occulto eius conſilia, & abire tacite militum fauorem ad ludificandos ipſius conatus. Deinde vbi propenſiores illi vulgi animos, & militarẽ libidinem vidit, propalam libera voce ſe omni alieni conſilij euentu exonerans, his verbis adoleſcentem dicitur admonuiſſe.

Simultates peſtiferum malum in rerum adminiſtratione.

Verius hoſtem te mihi Ameſa, quam Venetos Scanderbegus reliquit, quo cum hodie quando omni bello flagrante prouincia, longe aliæ conſultationes nobis ineundæ erant, nouas ordirer contentiones, & latentia aliqua odia excitarem, dum ſtudio aduerſandi, & iuuenilis gloriæ inuidia diſſuadere iſtuc ipſum fortaſſe videor tibi. Sed quid de me doleo? qui Dijs hominibusq; abunde videbor ſatisfeciſſe, ſi conſilium in hac re meum neq; omiſſum deſiderari, neque impenſum reprehendi poſſit. Veſtra eſt iactura, teipſum patruumq; hodierno bello non Driuaſti vrbem oppugnare paras, ad ciuium ſanguinem hauriendum, & exaturandum militum tuorum cruorẽ hoſtile ſolum properas. Siccine inſtaurauimus hanc nouam vrbem, firmauimus copijs, ac robore armatorum, vt tam cito præſidio exutam intento ad id hoſti, ac nihil magis optanti, dum alias ſtulte appetimus, velut in manibus tradamus? Siccine (vt nulla ſit huius loci cura) ea militum paucitate oppugnari vrbes quiſquã duxerit? Qui vix ſufficerent ad tutandas, Driuaſti præſertim oppidum, quod ſicut amplum eſt, & numeroſum ciuibus, ita (liceat hæc in hoſte quoque laudare) & armis, ac fortiſſimis viris refertum. Idem (ni fallor) & tu & hoſtis expectat. Irridebunt è muris ſenes, & imbellis multitudo leues apparatus & inania vrbis capiendæ conſilia. Iuuentus vero certaminis auida vel facta eruptione ad fugam ab oppugnatione per ſummum dedecus nos conuertet, vel patentibus late portis, deceptos intra muros, per ſecurum ocium recipient, & vlciſcetur recentes ſuorum clades, ac Scodrenſium iniurias, tollent tum animos cæteræ vrbes, inſurget ferocia victis. Depone igitur, quæſo, dum integræ ſunt res, pernicioſam audaciam iſtam, neq; adoratum patrui nomen ea indignitate per hoſtium ora trahi patiare. Expecta ſecundis dijs laudis am-

pliorem

pliorem & tutiorẽ materiã, tunc arma ſuadebo ipſe, & in manu tradam. Nemo inuitus fœlicia ſigna ſequetur, cohibe nunc feruorem iſtum & ſi difficile ſit cohibere, diſce prior ipſe pati iugum à ſenioribus, quod hoſti cupis imponere. Adoleſcentia nanq; haud capax conſilij (vt liberius iam tecum loquar) non ſibi quam hoſti ſæpenumero æquior eſt, trahitur magis quam ducitur. Nullum ea perniciosius onus mortalibus datum, cõſilio bella ſunt gerenda, & vix, vbi omnia caute, recteq́; egeris, fœlix reſpondet euentus. Adoleſcentia haud capax conſilij. Cõſilio bella gerenda.

Fregiſſent animum adoleſcentis prudentia dicta viri, ſed quum iampridem omnia præcipiti conſilio ad eam belli curam velox temeritas expediſſet, turpius viſum arrepta ſemel arma prudẽter deponere, quam infœliciter exercere. Spreta itaque ſalutaris adhortatio, & vtilis pudor inani pudore victus. Militum præterea receptus fauor, & vulgi promptior opera iuuenis deſiderium magis acuebant, prohibebantq́; dubias aures, ſani quicquam ſermonis haurire. Ad ea igitur, quæ egerat Hiſpanus, primum inſolenter dicere, Aequatum ſibi cum eo à patruo imperium, non eſſe cur alieno arbitrio vel bello, vel pace vtatur, retineret ſibi ille milites ſuos, poſſe de copijs ſuis quoduis ipſe velit ſtatuere. Verum vbi loquendo ira aliquantulum reſedit, & quieuit immodicus animi motus, tum modeſtior lingua, & lenior oratio adoleſcentis fuit. Laudaturum ſe eſſe collegæ conſilia, ni ſimul tum & Baleſij, & Driuaſti cura poſſet expediri, neutram alteram impedire. Sat eſſe copiarum, quæ & præſidio hanc firment, & oppugnent illam: neque ita ſtolide ſpem eam conceptam ſibi, aggreſſurum improuidos ciues, & inermem iuuentutem inuenturum, nullis cuſtodijs portarum, nullis murorum ſtationibus diſpoſitis, plures præterea fore oppidanos, qui agentem ſe de deditione libenter audiant. Et ſi difficiliora cuncta præter ſpem viderit, non immoraturum longius ibi obſtinato propoſito cum militum ſuorum pernicie. Tum apprehenſa Hiſpani manu, vt bono eſſet animo hortatus, Deosq́; inſuper precatus, vt fauſtam ſibi eam oppugnationem faceret, copias impiger educit. Præſidio Baleſij ægre duo millia cum Marino relicta, non quod quiſquam inuitus duceretur, ſed quia tum patientiora periculi, quam ocij Epirotarum ingenia, tum nullum familiarius gratiusq́; militi belli genus, quam vrbium oppugnatio erat. Verũ Ameſa, quamuis ſilenti admodum agmine improbum deſiderium cælaret, non potuit tamen nuncium aduentus ſui anteuertere. Admoniti nanq; oppidani (vtpote qui à Daynenſis primordio belli ſemper circa quaſdam ſtationes vrbis diſpoſitum tenebãt armatorum numerum) primo ſoliciti progreſſi in muros neceſſaria ad propugnationem parare, & conuehere vndiq; ſaxa, ac omnis generis miſſilia. Deinde vbi ex propinquo viſus hoſtis, negligentius acta res, & contempta paucitas cum ipſo duce. Nihil tamen minuit fiducia eorum inſignem adoleſcentis fiduciam, quin extemplo ciues in-

Reſponſio Ameſæ ad admonitorem Marinum.

Vrbium oppugnationes gratæ militibus.

Ameſa petit Scanderbegi nomine deditionem vrbis Didraſti.

gentibus oneratos promiſſis ad voluntariā deditionē pelliceret, & vrbem patrui nomine peteret. Repulſus acriter ab eis, incertus adhuc animi, grauiq indignatione percitus, duodecim pauloplus ſtadijs à muris abſceſſit, ibi multas nequicquam vario militum aſſenſu oppugnandæ vrbis rationes verſare, tormentorū vis nulla aderat, ita conſultabat ſimul & obſidebat. Diſpoſitis tamen circa cuſtodijs, ne alicunde impetus, præſertim à Scodrenſi agro in ſe fieret. Interim oppidanos egregia eius obſidionis ſoluendæ cura inceſſerat, qui priuſquam motus aliquis in muros moliretur ab hoſte, fortunam certeminis experiri ſtatuerant. Autor eius rei erat Andreas Angelus, vnus ex optimatibus, clarus vir factis, & emeritæ in bello laudis, qui ad portam inferiorem, quæ planum, & occidentem verſus ſpectat, inſtructa acie, vbi & diſpoſita per muros de induſtria armatorum agmina, & firmata præſidia portarum vidit, priuſquam eruptionem faceret in hoſtes, his verbis ſuorum animos ad pugnam accendere adortus eſt:

Andreas Angelus.

Andreæ optimatis Didraſti adhortatio ad ſuos milites & ciues.

Si vnquā, inquit, milites, ſuperuacua vlla eſt habita fortibus viris adhortatio, hic planè dies, veſterq omniū hilaris, & promptus acceſſus idipſum mihi nunc clariſſimè oſtendit. Quū quiſq veſtrū à parentū, ab vxorū conſpectu, ab ipſo amplexu liberorū huc alacriter ſponte veſtra conueneritis, & omnia ea vobiſcū feratis. Quum pugnandū, & ſub mœnibus, & pro mœnibus inſigni ſpectaculo obtulerit fortuna. Nonne vultis, cōmilitones & ciues mei amantiſſimi, vrbē veſtram, patriā, lares, & Deos penates exemplo maiorū tueri, defendere, atq ſeruare? Quid omnes nunc triumphos, quos de hoſtibus reportarunt, ſcientibus gnarisq commemorem? ſat erit de multis paucos in medium afferre, longā enim narrantis orationē anguſtum nō patitur tempus. Memini me audiuiſſe à maioribus noſtris, quemadmodū Barach ille Turcarū præfectus Amurathe imperante cum viginti millibus equitum in agrum noſtrum irruens, pactis quibuſdam & conditionibus vrbem à ciuibus noſtris primum petere aggreſſus eſt. Cui quum hi minime obtemperaſſent, isq ſata omnia, & quicquid frugiferi in campis erat, igni ferroq dare cœpiſſet, ciues noſtri & populus Driuaſtenſis in vnum coacti agmen, hoſtes hincinde per agros & campos ſparſim diffuſos, & palantes aggreſſi, partim eorum trucidarunt, partim viuos ceperunt, & in fugam conuerterunt. Eoq modo præclaram ac memorabilem victoriam reportarunt, & veluti triumphantes vrbem victores ingreſſi ſunt. Quid præterea de Stephano, cognomine Herceco, duce Boſnæ dicam? Qui quum & ipſe cum viginti quinque millibus militum in agrum noſtrum irruiſſet, ſimilemq expeditionem aduerſus vrbem noſtram tentaſſet, & prius illam in ſuam ditionem poteſtatemq petijſſet, quum ei populus noſter Driuaſtenſis parere noluiſſet, is in furorem & indignationem verſus, per omnem agrum & campos ad illum depopulandum, incendendumq, effuſus

A pietate in patriam.

A triumphis maiorum contra Turcam.

Stephanus Herecus dux Boſnæ.

fuſus

fuſus eſt. Noſtri præclaro admodum agmine tam equitum quàm peditum facto, hoſtem adorti in fugam conuerterunt, atque profligarunt, deꝗ; eoq; inſigni victoria potiti, quamplurimis ſpolijs & ſignis militaribus captis, ouantes ad vrbem reuerſi, patriam decorantes incolumem egregiè ſeruarunt. Quare agite præclarũ hoc obſtinatæ ciuitatis reſponſum ſolidò



hoſti afferamus & extorqueamus prædonibus impoſterum inanem ſpem vrbium capiendarum. Pudeat deorum hominumq; tam ignauum agmen diutius nos intra muros, & ſub tectis clauſos continere. Quid Daynenſis pertinacia? in quam tamdiu Scanderbegus totis viribus incubuit. Nonne omnium animis graues inijciat ſtimulos pudoris? Nepoti vilis veſtrum tradita cura cum ea hominum paucitate, quæ mox vix ad tutanda propria caſtra idonea erit, ſi viri eſtis, quum vobis in promptu omnia ſunt, quum nihil roboris ibi ſit, non gnarus dux, non certus ordo, promptiſſimus quiſq; cum paruo obeſt. Colluuiem tantum multitudinis, impatiens ocij adoleſcens, ad hanc obſidionem traxit. Mouit hæc oratio militum animos, omneſq; fremere cœperunt, & in hoſtem duci conclamarunt. Tum dato ſigno, omnes ingenti ſublato clamore erumpunt. Reliqui per muros vndique ad ſua quiſq; miniſteria diſcurrentes, augent ſuperne & ipſi clamorem. Iniecit primum ſtationibus hoſtium tam repentinus tumultus, & clamor inſuetus, vnde minime fuerant ſuſpicati. Dehinc vbi excurſare vbiq; armati viſi, & tenore eodem impeti caſtra ab oppidanis, inſiliens velociter in equum Ameſa, cum expedito agmine ſuorum impigre illis occurrit, vt ludificaret eouſque hoſtem, donec reliquæ copiæ, quæ paſſim va-

A pudore, ne iuuenili hoſti & paucis ſe dedant.

 gaban-

gabantur per agros coacta, & quæ in caſtris aderant, commodius inſtructa prodeuntes cum ſignis in vnum aggregarent ſeſe. Sed turbauit peritus dux ſerum iuuenis conſilium. Tripartito nanque milite quoſdam Italici generis, quod ibi præſidium Venetus poſuerat, cum parte equitatus ad aggredienda ſuperne caſtra præpropere mittit. Alteram partem, in qua maior vis agreſtium ſagittariorum erat, obſidere viam caſtrorum iubet, qui & hos auerterent, & interciperet illos. Ipſe cum tertia parte expedita, ferocius Ameſæ obnixus, diſiecit primo impetu omne agminis robur, & ducem exactum præſidio, trepidum auertit in fugam. Cui penetrata ſagittariorum acie (vt dat plerunque vires nimius timor) tutus cum ſocijs in liberos campos euaſit. Tum renouatus vndecunque clamor, & hinc ducis fortuna, hinc ſubitus interuentus hoſtium præcidit ſtationarijs omnem facultatem inſtaurandæ pugnæ. Exin tota acie in caſtra incumbente, ibi quoque aliquandiu dimicatum, vincentibus egregie Driuaſtenſibus. Quare vbi proniora omnia ad victoriam hoſti videre Ameſani, relictis munimentis, per omnes partes effuſi fugientes ſimul & reſiſtentes decurrunt in planum. Angelus non inſecutus palantes, neque occupatus in caſtris diripiendis, ſed ſat indulſiſſe victoriæ ratus, mox reuocato milite, vrbem ouans ingreditur, non tamen diu læta ea victoria Driuaſtenſibus fuit. Ameſa enim cum collecto ex fuga milite, eam ignominiã verius quam cladem perpendere, ſimul & ademptam ſpem omnem cerneret vrbis habendæ, temerariam irritati animi vltionem aggreſſus, quicquid fructiferi, amœniúe circa vrbem erat, deuaſtauit, tecta omnia diruta, incenſaq́ue, olearum, quibus maxime laudatur illa ciuitas, vſus fermè nullus relictus, ſed non idcirco oppidanos fœlix ſemel audacia extraxit ex vrbe, quam procul à portis ſæuiret hoſtis, veriti ne longius progreſſi à ſuis excluderentur, vel in inſidias aliquas inciderent. Opportunum mihi viſum eſt hoc loco Driuaſtenſe oppidum nullo ſatis cõditore vel vetuſtate nobile quoquo modo ſubijcere legentium oculis, quamuis ad Romanos vrbis conditæ originem credulus ciuium error contumaciter referat. Hinc & gloriabundos audiſſe memini Romanorum Colonos ſe appellantes, & inde originem ſuam traxiſſe contendentes. Ignoſcendum id tantum cupidioribus gloriæ ciuibus potius, quam credendum cenſeo, quum nullis vſquam vel ſcriptorũ, vel rerum monumentis id comprobetur. Quod etiam Antibaro notiſſimo hac ætate in ea regione oppido accidit, quod de veterum ingrato ſilentio non immerito conqueritur, Cæterum non indignus quidem videtur locus (ſi rationem ſequamur) qui vel amœnitate, vel commoditate omnium rerum Colonia fieret, & ad ſe habitandum colendumq́ue homines alliceret. Eſt enim ager ipſe omnium quæ ad vitam pertinent feraciſſimus. Scaturientes vndique fontes, & colles velut manu diſpoſiti, planiciem exornant. Aër quoquo verſus ſaluberrimus beat omnia

Driuaſtenſes vincunt Ameſanos.

Ameſa agrum Driuaſtenſiũ pernicioſe vaſtat.

Driuaſtenſis oppidi deſcriptio.

Antibarum.

omnia,cõditq́. Vrbs in mõte poſita, qua parte meridiem ſpectat, in planum vergens, à torrente Clyro alluitur, quem verius fluuium dixerim quantalibet æſtatis intemperie indeficientibus aquis. Murorum ambitus duo millia paſſuum amplius complectitur. Arx in montis vertice natura humanoq́ opere munitiſsima tuetur vrbem. Diſtat à Scodra 8. à Motri 7. & 20. millibus paſſuum. Ita eam in hanc formam poſt inclinationem Romani imperij euerſam à Gallogræcis, Helena regina Francigena, fœmina Chriſtianiſsima, Simeonis Nemagnæ, Myſſorum & Illyricorum regis vxor, poſtmodum erexit atq́ inſtaurauit, quæ & alia vicina oppida æque diruta renouauit. Cœnobia & loca religioſa pleraq́ in Epiro atque Illyrico conſtruxit, vt ex his in marmore inciſis, alijsq́ monumentis licet intueri. Expleta ad ſatietatem ira Ameſa, & deſolato hoſtili agro, non Baleſij repetendi amplius illum cura inceßit, pudore fortaſſe collegæ quem integra re non audiuerat, & ob illius ſpreta conſilia ſero tum dolebat, cum ſtolida temeritate ſe etiam nouiſſet infœlicem. Sed Daynum conuerſis ſignis pergit ire, imprudens dum Hiſpani reprehẽſionem fugit, grauiorem patrui iram ſubiturus. Inſtructus enim de omnibus à nuncijs locorum Scanderbegus, vbi de eiuſdem aduentu cognouit, vocatum ad ſe protinus plenus irarum propalam in vulgus (quod acerbiſsimum fuit adoleſcenti) omnium criminum reum inſimulauit, & debitorem poſtulauit ſanguinis ſociorum, temerarium clamans, quod tam ſtolidum conſilium iniſſet ſine mandato, ſe quum à Baleſio diſcederet, nihil horum ei præcepiſſe, interpretandam conticentis fuiſſe voluntatem, vt prohibuiſſe intelligeretur. Deinde qui proximi erant milites ſciſcitatus, vbi tranſacta omnia contra aſſenſum collegæ cognouit, infeſtius exarſit, & perſtabat in incœpto immitis animus, dolereq́ ſe ex eo non minus dicere, quod eam temeritatem grauiore alia & longe immaniore culpa auxiſſet in deuaſtandis nefario exemplo oppidanorum agris, igniq́ & ferro in arboribus ædificijsq́ deſæuiendo. Ad ea Ameſa quũ haud facile poſſet reſpondere, vocem non emiſit. Illud tantum ad ſocios conuerſus, Nihil, inquit, victo turpius eſt, Dij boni, quum & hinc hoſtium ſuperbas inſultationes, & hinc moleſtiores tuorum vultus expectes. Tum circumfuſi omnes deprecare Scanderbegum, vt modum indignationi faceret, caſtigatam ſatis adoleſcentiam nepotis eſſe, & oneratam triſtibus verbis illius fortunam. Se quoque vnà cum eo eius criminis reos damnari. Mitigauere itaq́ ſubito militares preces populare ingenium Ducis

Torrens Clyrus.

Helena regina Myſſorum & Illyricorũ

Scãderbegus grauiter expoſtulat cum Ameſa.

Milites intercedunt pro Ameſa apud Scanderbegũ.

MARINI

MARINI BARLETII SCODRENSIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI,

LIBER QVARTVS.



DVM *ſic inter Chriſtianos tumultuatur potius quàm belligeratur, & ſub Dayni mœnibus Scanderbegus conſeneſcit, Amurathes de ſingulis, tum à Muſtapha iam inde certaminis auido, tum fama ipſa admonitus, multa vario conſilio agitabat. Nunc pulchram opprimēdi hoſtis occaſionem laudare, nunc inuictam eius fortunam admirari, demumq́; quod magis dubiam mentem detinebat ficta Chriſtianorum odia, & vanos tumultus vereri. Ita dum inops conſilij princeps ſolicite alia ex alijs interpretatur, præterlabebatur paulatim è manibus occaſio miteſcente iam Venetorum ira. Sed perpulchre ad infœlicia arma Ottomanum frequentes Muſtaphæ adhortationes poſcentis bellum, ad delendam priorem ignominiam tendebant. Quamobrem laudata ducis voluntate, mox nuncium ad eum cum eius generis literis mittit.*

Muſtaphas obtinet ab Amurathe, vt cum Scanderbego confligeret.

Bellum quod tantopere poſtulas Muſtapha, en dedimus tibi, laudem ex eo (ſi vera ſunt quæ ad nos de Venetorum armis afferuntur) tua tibi virtus ac dextera pariet. Caute tamen agendum eſt cum eo hoſte, neque ſumenda credule arma, quæ vbi non credas, per ſummam fœditatem deponas. Fallacis forſan inter Chriſtianos belli ſpecies, & inanes ſimultates te

tantum

tantum capiunt, quippe quum (vt aiunt) nulla ſit breuior cõtentio, quam inter patrem & filium. Nos neque monere abſentes præſentem poſſumus, neque ſtolidam pugnæ libidinem laudamus. Obeunda ſunt tibi omnia, & diſquirenda ſingula inermi, quæ armato poſtea ſunt agenda. Militem habes inſignem numero viribusq́ integrum, hoſtem tum feſſum tot prælijs, tum exhauſtum. Reliqua ages pro arbitrio tuo. Nihil enim vt facias prohibemus, quod è dignitate noſtra cenſeas futurum.

Poſtquam facta eſt belli copia ab Amurathe Muſtaphæ, inſtructo agmine, ingentibus animis eo certamine totius belli labores finire concepit, neque inſidiantis more eum celabat apparatum, ſed palam hoſtis animum præſeferens, vbicunque ſui copiam faceret Epirenſis, iuſta acie collatisq́ ſignis omnem fortunam ſubiturus videbatur. Interea nuncius à præſidio, quod ibi ad Macedoniæ fines Caſtriotus reliquerat, Daynum miſſus magnis itineribus illum inſtruxit, qui de ſingulis & omnia prout erant, expoſuit. Quare intrepidus princeps, & impiger belli artifex, alium recentem viribus nuncium celeriter ad ſuos expedit, qui moneret eos, vt cauerent omnino aliquam pugnæ facultatem præbere Barbaro, ſed vel per montium ſaltus, & inacceſſa fermè loca ducentes agmen ludificarent. Interim hoſtem vel quadam fugæ ſpecie paulatim deciperent, differrentq́ eouſque fortunam certaminis, donec ipſe cum copijs ſuis opportuno aduentu reformaret ſingula. Quem vbi vidiſſent, mox eodem tenore ſequerentur, ibi ſigna, ibi acies, ibi robur belli foret, vbi ipſe eſſet. Dehinc quamuis moleſte à Daynenſi negocio abſtraheretur, accito Ameſa, obſidionis curam illi tradit, non conſilio ſolum, ſed prece etiam agens cum iuuene, ne aliquid ſe abſente moliretur in obſeſſos, ſatis proprio edoctus malo, néue pedem vſquam à mœnibus referret, quo vel reſpirandi copia fieret oppidanis, vel frumentationis faciendæ facultatem haberent. Ipſe diminutis ibi copijs quingentos equites, mille quingentos lectiſſimos pedites ſibi ad vetus preſidium augendum contra nouos Barbari motus elegit. Driuaſtenſes copiæ ad obſidionem cum adoleſcente relictæ ægretulerunt. Cupiebat nanque quiſque, & Scanderbegum orabat, vt concederet ſibi recenti contra Barbaros virtute culpam priorem corrigere, & abolere ignauiæ memoriam noua gloria. Nemo tamen acceptus, quum neque omnes ducere ex re ſua eſſet, neque alios poſſet ſine cæterorum moleſtia & diſcordia quadam ſeligere, dum nullus ſe ſocio deteriorem credit. Veteranos tantum, & emeritæ militiæ viros totius robur exercitus elegit, non ignarus optimus belli dux, aliud eſſe muros obſidione cingere, & ſub ignauis mœnibus compreſſis manibus ſedendo vincere hoſtem, aliud cominus furentibus gladijs, & cruento Marte difficilem laudem appetere. Vix abſceſſerat Scanderbegus, cum Scodrenſes & de Turcarum motu, & de ducis conſilijs pariter & pro-

Scanderbeg firmat ſuos contra Amurathem.

Scodrēſes Baleſium incendunt, funditusq; euertũt.

fectione non ignari, ſumma diligentia copias & magnam vim tormentorum ad nouæ vrbis oppugnationem parabant, veriti niſi inde Caſtrioti præſidium expelleretur, & expurgaretur locus ille hoſte, ſe in viſceribus ipſis bellum ſemper habituros, neque facultatem vnquam reſpirandi futuram. Quare velut auidum luporum agmen, vbi abeſſe paſtorum curam nouerunt, irrumpunt intrepidi in imbellem gregem, & indefenſa ouilia rapiunt, diſiiciuntq́, ita intenti iampridem hoſtes, poſtquam profectum ad aliam belli molem Caſtriotum aduerterunt, ſtatim infeſtis ſignis, infeſtiori apparatu Baleſium petentes, inde acceptarum iniuriarum vltionem ordiuntur. Nihil abfuit, quin præſidium ibi opprimeretur, ſi expectatus fuiſſet hoſtis. Sed Hiſpanus vbi afferri machinas & reliqua quatiendorum murorum inſtrumenta cognouit, collecto milite, cæteriſq́ impedimentis, Daynum ad ſociorũ copias ſilenti agmine iter arripuit, vacuis tantũ munimentis hoſti relictis. Superauerat iam Clyrũ Scodrenſis, & duobus fermè millibus paſſuum diſtabat ab oppido, cum tacita omnia ſubito viſa, non clamor virorum, non præſidij ſignum aliquod pro muris auditum. Iniecit pauorem primo & horrorem quendam animorum viris tam improuiſa res & ſuſpectum ſilentium. Deinde vbi exploratores miſsi, vacua omnia cuſtode nunciarunt, audacius proceſſere ſigna, inſidiarum ſublato timore. Moleſtior tamen ea res & hoſtium fuga fortibus viris fuit, quod ſibi tantũ cum ignauis mœnibus, & inanima vrbe pugnandum aſpicerent. Humoi præſertim duci illi, qui ſeruitutẽ fratris præclaro aliquo facinore vlciſci cupiebat, indignatus quod tamdiu libertatẽ illi apud Caſtriotum exorare nõ potuiſſet, ni fecerit fortaſſe (vt ingenioſos reddit homines amor) eo conſilio,

Amor ingenioſos reddit.

quod expugnato Baleſij præſidio ſperaſſet habere efficax aliquod pignus captiui hoſtis, quẽ poſtea cum fratris corpore permutaret. Subire itaq́ muros vndiq́ milites, ad quos diruendos non ſatis neceſſarius vſus tormentorum fuit. Recenti enim ferè adhuc cemento, inutilis compago lapidum vectibus tantum ferreis acta, paruo impulſu ſua ſponte ruebat. Diſiecta igitur pauco momento omnia, reliqua lignea materies, & ſtipitum robora iniecto igne arſerunt. Stationes militares, & cætera munimenta pariter ſolo æquata.

Inanimo, quod anima caret, ſicut Vergilius exanimum corpus. Iã enim dixerat de muris dirutis.

Ita inanimo vltionis genere Scodrenſes odio expleto, deformem vrbis aſpectum reliquerunt duci vlciſcendum præpropere maximo ſuo malo, & grauiore longe calamitate. Non deerant ibi, qui ducendas recta via copias ad Daynenſem obſidionem ſoluendã dicerent, & tentandam ibi fortunam, quum omnia eſſent ad victoriam proniora, Scanderbego abſente. Sed tum paucitas ipſa ſuorũ minuebat audaciam, tum moliri quicquã noui conſilij in hoſtes præter mandatum præfecti vrbis cæteri prohibebant. Signa itaque conuerſa Scodram, & retro actæ domum copiæ nullo ſatis ſpecioſo gloriæ genere, non captiui ſpolijs, non hoſtili ſanguine decoræ.

Marinus

Marinus quoque Daynum reducto præſidio, & dolorem Ameſæ propter publicam ignominiam, & riſum quendam ob priuatam eius fortunam excitauit, ne ſolus ignaue repulſus à Driuaſtenſibus videretur, cum & collega ſocius mœſtitiæ ac fortunæ eſſet, tum publice ad milites conuerſus adoleſcens.

Age nunc, inquit, miſereamur poſthac miſereamur eouſq; hoſtium, donec funeſta pietas iſta noſipſos præcipitet. Soluamus pernicioſo exemplo Scodrenſium vincula, reddamus libertatem captiuis, vt facilius poſtea in capita noſtra deſæuiant. Quis animus patruo erit? Vbi deformem vrbis aſpectum cernet, vbi diruta mœnia aſpiciet ab illis, quos captos nuper in Drinonijs campis, tam ſpecioſo omniũ ſpectaculo libertate donatos patriæ reddidit, vt noua hodie aduerſus ſe arma ſumerẽt, & feroces inſtaurarent ſpiritus. Ignoſcamus Driuaſtenſibus, abſtineamus ab hoſtili agro, hoſtiliaq; æque in corporibus noſtris paſſuri. Iam eò decurritur, vt dum tam faciles in ignoſcẽdo ſumus, omnium in nos arma excitemus, & dum aliorum vincula rumpimus, nobis iugũ ipſi imponamus. Habendus ita eſt hoſtis, quum in poteſtatem venerit, ne dum pij magis ſimus quàm par eſt, pietatis ius omne amiſſum in eum transferamus. Nemo conqueri poterit de nobis, ſi belli iure vtamur: nemo crudeles appellare eos, cum quibus pari odio de vita, de ſanguine decertet. Tacita Ameſę querela.

Gerebantur hinc res ignauis querelis. Inde Muſtapha immiſſo agmine Scanderbegi præſidium quieſcere non permittebat, ſed aſsiduis procurſationibus laceſſebat magis, quàm terrebat hoſtes. Ipſi nunquam æquo Marte congreſsi, defendebant ſe nunc munimentis caſtrorum & locorum potius quàm proprijs viribus, nunc modico agmine educti, ſimulata fuga, per ludificationem Barbari diem extrahebant. Ille itaque vbi inanem ſpem præſidij opprimendi vidit, neque oppugnare ſtationes eorum aggreſſus, neque palantes longe inſecutus timore inſidiarum cuſtodijs tantum diligenti conſilio diſpoſitis, in deuaſtandis adiacentibus agris, reliquum operæ conſumebat, donec admonitus de Scanderbegi aduentu retractis copijs non multo minus quàm duo millia paſſuum procul ab hoſte firmatis ſignis conſedit. Locus ipſe quem ad id certaminis elegerant, Oronicheus, vel notiori vocabulo Oronochius appellatus, in Dibra ſuperiore eſt, in quadam planicie haud multum lata, ſex millibus paſſuum procul à Croia. Caſtriotus quoque cum nouo milite receptus in caſtris, primum omnium edicto admonitos, ne quis iniuſſu exiret ſtationes, ſingulos ad opus muniendorum caſtrorum traducit, neq; à barbaro motus aliquis exortus. Quieta igitur vtrinque ſtatiua fuere. Dehinc Epirenſis vbi procurata eſt ſatis caſtrorum cura, & arma munimentis firmata, tum armis firmare munimenta cœpit, & ordinum habere rationem. Veteres copiæ trium millium Muſtaphas non facta ſibi copia pugnandi à Scanderbegano præſidio, agrum incendit atq; deuaſtat. Oronochius locus.

Copiæ Scanderbegi.

& quingentorum equitum numerum complebant, peditum ſexcentorum. Nam licet Caſtriotus haud multo minus quàm quinq; hominum millia ibi reliquiſſet, quum ad Veneti belli apparatum proficiſceretur, plures tamen inde ab eodẽ poſtea diuerſis rationibus euocati ſunt. Computatione itaque omnium habita, ſex hominum millia inuecta, qui eo prælio Barbaro opponerentur, & inſignis gloriam certaminis ſubirent. Neq; tamẽ omnibus copijs pugnatum: vacuas nanq; cuſtode reſtare ſtationes (quencunq; euentum dediſſet fortuna) non paſſa eſt ſolertia ducis, ſed trecentorũ virorum lectiſsima corpora ei cuſtodiæ addixit. Copias ſumma ratione conſilioq; deduxit in alas, equitum robora in frontibus locauit, mille & quingentos vtrinq; diſpoſitos, veritus imparem peditem primo impetu hoſtium facile pelli poſſe. Circumfuſi itaq; pauci poſt alas, nam in medijs ordinibus maior vis peditatus reſeruata. Ibi quoq; munita quingentorum equitum robore, vt prima eruptione vndiq; eques cum equite, ſi ordines turbati non eſſent, concurreret. Dum ita inſtructa acie Caſtriotus immota ſigna, & ſilentio militẽ contineret, expectans vt ſe hoſtis moueret, Barbarus à reliquis copijs euectus (Caraguſio nomen erat) in medium, quod vacui interiacebat campi prouocationis ſignum dedit. Deinde progreſſus ante ipſas ſtationes, inſigni voce fortiſsimum quenq; popoſcit, qui ſecum ſingulari certamine decerneret. Tenuit ſilentium primo viros, quippe quos ſicut à detrectando pudor, ita ab accipienda conditione metuendum pugnæ genus impediebat. Non tulit tamen diutius inſultationem Barbari, Paulus Maneſsi, notus equeſtri gloria bellator, quum & ad idipſum omnes ordines ſpectabant, velut potiſsimum illum ea appellaret prouocatio. Sed ſurgens ingenti ferocia, lætitiaq;, ad Scanderbegum, voluntatem eius ſciſsitaturus, ire perrexit, à quo laudatus egregie eſt, & accenſus grauioribus ſtimulis irarum ſimul ſpeiq;. Pergeret ſecundis Dijs, tum ad priuatum decus petendum, tum ad inſignem ſociorum victoriam, eo præclaro facinore auſpicandam, quem cæteri poſtmodum imitentur, & lætus exercitus pulchra recentis eius gloriæ auſpicia ſequatur. Circumfuſi igitur vndique turmales, velut iam inde victorem laudare. Ille tantum moratus, dum arma, & ſolitos ad id genus certaminis apparatus expediretur, mox equum conſcendit, & in ſubiectum prouolans campum, expectantem hoſtem infeſta voce compellat, & ad ictus ſe parare iubet. Barbarus autem tantulum moræ petens, dum loqui pauca ſibi cum eo liceret:

Duellũ Pauli & Caraguſij.

Leges duelli.

Victoriam, inquit, dextera & fortuna decernet, leges ipſæ victoriæ nobis ſunt ſtatuendæ. Si gloriam de me hodie tibi promiſêre fata, nihil recuſo victus belli iure, & opima ſpolia tibi, & cruentum cadauer auferas. Sin ipſe ſub manibus meis occumbes, idem iuris ſeruari mihi in captiuo corpore poſco. Idq; ratum habeant duces, ne vel in ipſo certaminis ardore, vel poſt de-

poſt decretum duellum, motus aliquis oriatur à ſtationibus ad iuuandam alterutrius fortunam.

Ad ea Paulus comprobatam eſſe eius pugnæ legem, quam ipſe velut timido deſiderio ſeruari poſtulet ſibi, cedere aperto iure victori reliqua, vbi ferox ſpiritus ceſſerit. Pugnaret intrepidè, hoſtem niſi ſe tantum habiturum, quem vbi ſpoliaſſet vita, inulti quoque cadaueris liberam poteſtatem futuram. Nam vel ſi ipſe concedat eas inanes reliquias militum lachrymis, non paſſurum Scanderbegum, vt ignaua membra ad ſe deferantur. Mouit Barbarū audax viri reſponſum, & facilis vitæ contemptus, adeo, vt prouocaſſe fermè pœniteret. Tum vbi firma omnia & rata ſanxêre duces, deſtituti in medio ambo, omnium in ſe oculos conuerterunt. Defixerat pauor mixta ſpe homines, qui ad ſpectaculum aderant, ſolicitos euentuum. Pares namq; viſu ambo ac ſpecie erant, media virorum ſtatura, ætas ferme eadem, neq; patiens ignauiæ, neq; iuuenili calore vana. Idem ambobus habitus armorum, haſtæ equeſtres, clypei laminis ex calybe in vmbilico diſtincti, enſis vtrique de more recuruus, & ferrea claua, corpora loricis, & capita galeis tecta. Addebant præterea decorem quendam (licet nihil ad victoriam facerent) fulgentes ex ſerico tunicæ. Citatis itaq; ocyſſime equis, trucibus oculis ſimul & animis campum diuerſi rapiunt. Et

Deſcribit Paulum & Caraguſium, & horum Panopliam.



quum infeſtis cuſpidibus concurriſſent, Paulus ſupra ſcutum, dextrum oculum rimatus, Barbarum haſta transfixit. Delapſumq; humi cum vulnere, ex equo deſiliens, armis corpus, & capite truncum priuauit, ac cæſi hoſtis onuſtus ſpolijs, equum conſcendens, ad ſuos redibat, quem effuſi vn-

Paulus vincit Barbarum in duello.

diq; ex ſtationibus milites ingenti gratulatione perducunt ad ducem. Collaudatũ eum Scanderbegus mox inſigni clamyde ex auro contexta, ac villa quadam opulenta publice donauit. Tum cæterorum ordinum animos (pugnæ nanq; & iaciendæ congreſſus illius aleæ tempus inſtabat) ſolitis de more adhortationibus accendit.

Oratio Scanderbegi, qua auget ferociã ſuorum, & minuit hoſtium.

Animatos ſatis vos ſingulos præclaro hoc priuatæ virtutis ſpectaculo (ſi facta quicquam viuaces fortium virorum ſpiritus mouent) eſſe exiſtimo milites, quippe quum nullum acriorem ſtimulum ſubijcere Dij hodie potuerint vobis, quam fœlicia hæc victoriæ delibamenta, quæ & augerent ferociam veſtram, & minuerent hoſtium. Quare agite, factam ad laudem viam audacter ingreßi, fumantes adhuc cruore hoſtili militis veſtri manus, pulchra omnes contentione imitamini. Vouit pro vobis, vouit pro victoria ſolicita ſocij cura. Jmmolauit victimam pro vobis fortis dextera, quo incruenti vos poſtea ſecundo Marte deuota vobis corpora conficeretis, & promiſſa peteretis ſpolia. Jrrumpamus igitur nunc nunc in hoſtem, prouocauit prior extra ordinem vos ille, prouocemus priores nos tota acie ipſum, extrahamus inuitos in funeſtum campum, dum ignauus dolor vires hauſit, & torpor animorum homines mœſto ſilentio compreßit. Sub ijs dictis curatis iampridem corporibus, ſigna canere iubet, & quinta fermè diei hora in aciem educit. Jnſignis ſanè ferocia viri, & digna inuictæ virtutis fiducia, quam omnis ætas admiretur. Auſus eſt ea hominum paucitate vnicus belli artifex, contempto egregie hoſte æquo campo, collatisq; ſignis tanti fortunam certaminis ſubire. (Nulla nanq; tum ignauæ fraudis, nulla inſidioſi ſtratagematis ratio procurata.) Auſus eſt prior relictis monumentis, libero euectus campo ei hoſti inſultans velut renitentem educere ad pugnam. Jamque ad ipſas hoſtium ſtationes ingenti militum clamore pergebat, ni Muſtapha tumultuario primum agmine, dehinc totis viribus illi occurriſſet, ſed ſicut timide progreßi, ita facile primo impetu pellebantur, & vix dum omnes è caſtris educti iuſtam aciem compleuerant, quod plures ſubita fuga iam recipiebantur inter ſtationes. Jd vbi aduertit Barbarus, neque ſigna ſuorum, neque militem vſquam conſiſtere, quo accenderet audaci exemplo viros, clamitans vt ſe ſequerentur, & vbi eum vidiſſent, conuolarent ſigna. Concitato repente equo, primam hoſtium frontem inuadit, pertinaci conſilio aut victor ad Amurathem reuerſurus, aut non inultus caſurus. Secuti ſunt plures ordinum ductores, & turmalium non ignobile agmen. Reliqui quoq; pudore ducis relinquendi, paulatim inferentes pedem ora hoſti ferienda præbebant, & varijs locis conferti, obnixius quo poterant, ſuſtinebant aciem. Ita vbiq; iam ordines inſtaurati, ac renouata pugna erat. Sed nullum vſquam indicium variantis (vt ſolet) fortunæ viſum, perdita æque ex omni latere victoriæ

ſpes,

ſpes, vincentibus perpetuo tenore Chriſtianis. Adeò duorum militum euentus fortunam quoque vniuerſi exercitus iam inde firmauerat, & ſingulorum animis impreſſerat audaciam & pauorem. Moſes à ſuo cornu nunc equite immiſſo, nunc ſubiecto pedite, & deducto pro ſignis turbabat barbaros, ac diuiſos acrius premebat. Illi velut fato quodam magis, quàm ab hoſte ſuperati, & vix ad deuitãda vulnera idonei, vinciri magis, quàm vincere aptiores videbantur. Paulum in media pugnantẽ acie, maxima vndiq; hoſtium ſtrages ſequebatur. Turbati iam hincinde ordines erant, non equitis, non peditis locus, promiſcue æquata omnia, & maior fermè ibi Turcarum numerus confoßis ſibi equis ab Epirenſium peditibus, verutis pedes pugnabat, ſed tum inaſſueta corpora pedeſtri pugnæ, tum in incommodiora arma pernicioſe perpediebant viros. Augeri ſemper hoſtium illis videbatur acies, rareſcentibus copijs ſuorum. Stabant tamen cæci pudore, expectantes ducis euentum altera parte, quem cum nobilißimis quibusq;, & omni exercitus robore ad Scanderbegi ſtationem præteruectum reformare cunctorum ordinum fortunam poſſe credebant. Pauli aſpectus nunc vrgebat, quum metirentur timidis animis maiorem quæq; in hoſte, ex perempti nuper viri gloria. Nunc irritabat ardentibus ſtimulis homines, quũ deformis militis ſui ſpecies, & inulta ſocij vmbra ob oculos verſaretur. Ingentia præterea (quod maximum irritamentum erat) præmia à Muſtapha pro inuiſo capite propoſita victori auidiora periculi militum ingenia faciebant. Denſati itaq; plures circa vnum totis viribus incubuerant, & velut obliti cæterorum, obnixis vultibus vnum appetebant. Per cædes, per vulnera ſuorum emere quiſq; precioſi capitis munus non recuſabat, ſed ſtolidum hominũ deſiderium pernicioſum ipſis etiam reddebat pertinax viri virtus, qui ſtipatus quorumcunq; fortißimorum cateruα propellere ſatis eam vim poterat, & cõtemnere inanes conatus. Tum cõſpiciens Barbarorum exercitum à reliquis copijs inceſſantem infeſtius agmen ſuorum, tacite conſecutus obliquum viri caput gladio perſtrinxit, & vno ſubinde alteroq; ictu præcipitem deiecit ex equo. Stratum humi vbi videre ſocij, retracto protinus pede, neq; vlciſci iacentem, neq; corpus à reliqua hoſtium vexatione tutari curabant. Inſtare tum acrius Epirenſes, ac ſine reſpiratione vrgere turbatos, donec pulſi penitus omnem laudem ceſſere victoribus. Fugientes Paulus quantum maxime poterat, carpebat poſtremos, mordacibus ſubinde verbis in illos cauillatus:

Chriſtiani victores.

Veruta pila dicuntur, quod velut verua habent præfixa.

Perpedire, pro impedire.

Quo fugitis ignaui? Itá ne omnis ſociorum memoria abijt? Nullús ne hic Carapuſij frater? non conſanguineus? non neceſſarius iacentis quiſpiam in tanto numero, qui deformem truncum vltione ſaltem, quæ ſola ſupereſt auxilio proxima, honoret? En ipſe ipſe nunc vos appello, prouocoq;, quem priores vos nuper ad malæ concœptam gloriæ ſpem euocaſtis.

Siſtite

Siſtite gradum, accipite cruenta ſocij ſpolia, que vltro vobis ipſe offero.

Illi nullius rei præterquam fugæ memores, turpi ſilentio hoſtis increpationem neq; approbabant, neque reprobabant, ſicq; liberiori paulatim euecti campo, ex oculis euaneſcebant, vt vix fremitum inſequentium audirent. Sagittariorum tantum obſtinatior ſæuitia in eos fuit, cæteri ordines abſtinuerunt fugientium tergo, nanque tum laſsitudo, tum ſatietas hebetauerat hominum vires, animosq;. Abiecta tamen vbi ſigna, & ſparſas paßim lunas (militaris id genus eſt ſigni Turcarum populis) collegiſſet, læti milites pulchro clamore, & iactatis incondite carminibus, ad Scanderbegi ſtationem contentione quadam afferebant. Læta nanque ibi omnia iampridem erant, hoſtes vel cæſi longo ordine iacebant, vel ſeruati belli iure inutilibus poſt terga manibus, & propriæ ignauiæ & hoſtilis clementiæ confeßionem faciebant. Muſtaphas quoque ipſe cum 12. purpuratis ſimiliter conſpiciendus cantherio ducebatur, augebatq; ſpectaculum, & leuabat velut fortunã cæterorum. Nam quum præter latus pernicioſo gloriæ appetitu in Caſtrioti cohortem eſſet, & obſeſſum ſe ibi, ac omni ſuorum robore exutum vidiſſet, neq; aut effugij, aut pulchri interitus facultas vlla adeſſet, maluit infœlix dux omnia, libertatem quoque ipſam pro vita paciſci. Neſcio an pulchrior res, & magis ſecundis Dijs toto belli tempore cum Amurathe geſta, ita ſpecioſa omnium eo die opera fuit, non dux, non miles, non ordo aliquis onuſtior priuatæ ſimul & publicæ laudis antea redactus. Cæſa ex hoſtibus referunt 10. millia, captos 72. ſigna militaria 15, Scander bego modica militum iactura ea ſtetit victoria, vix trecentorum (vt aiunt) hominum. Caſtra quoque non ignobili præda ditarunt militem, nam quum Barbari aliquot menſibus ibi moram traxiſſent, peculium quoddam ſibi quiſque conſtituerat, cæſorum ſpolia pulcherrima inuenta, equorum inſignis numerus. Non tamen licet præda militem oneraſſet, exaturauerat ira ferocem ducis animum, quin extemplo refocillatis corporibus, quod reliquum ſupererat diei, ad deuaſtationem agrorum militem traduceret, Sicq; victoriam recentem ſecutus, iniecto late igne, quæ ferro non potuit, abſumpſit. Neque inde tamen vulgi manus vacuæ receſſere, & non ſolum ſi quid precioſi fuit, nihil relictum, ſed pecorum quoque magna vis abacta. Ita dum feſſos præda etiam iſta magis tardat, vix prima noctis vigilia recepti ſunt in caſtris. Reſiduum noctis ibi quieti datum, tranſactumq; tacite ſine iocis, ſine clamore, & nullo fermè victoriæ indicio, mœſtiorem nanq; ducem viſum propter auditam Baleſij ruinam, modeſtiora quoque militum ingenia, & ad ipſum compoſiti vultus imitabantur, nunc conſolantes leniter, nunc priuato odio frementes in hoſtem. Sed non poterat æger animus ſomnum capere, dum Scodrenſium ferociam, dum ſua in illos beneficia collata crebro retractat. Mane itaq; dubia adhuc luce relicto ibi

Lunæ militare ſignũ Turcis.

Mos. Manus poſt terga ligatæ captiuis.

Cantherius equus, cui teſticuli amputantur. Sex. Pom. F.

Decem millia ex hoſtibus cæſa.

Scanderbeg mœſtus propter Baleſij ruinam.

vt

vt conſueuerat præſidio duobus equitum millibus, & mille peditum cum reliquis copijs ad Daynenſem obſidionem conuertit ſigna. Captiui quoque omnes abducti, & prædæ fermè quicquid precioſi fuit. Vbi quum ab Hiſpano ſingula magis certo ordine didiciſſet, tantum moratus, dum renouaret militem, mox recentibus copijs, multa ſimul damna importans Scodrenſibus, Drinum traiecit, immiſſoq; paßim equite, quicquid ſati in campis fuit (Autumni nanque in ipſo exitu altiori tum herba ornabantur prata) deuaſtauit, vires vniuerſæ internecione deletæ. Omnis fermè fructifera arbor æquata ſolo, agreſtes qui inuecti fuere occiſi plures, dum arceret hoſtem, reliqui omnes male habiti, exutiq; patrimonijs. Subinde ad alia loca & oppida Venetorum progreſſus, eandem omnium fortunam faciebat. Villani, & ſi quid præſidij reliquum in agris erat, cuncti ad ipſum defecerunt, priuſquam ruinam ſentirent. Culpauit Scanderbegus Ameſæ indignationem, ſuam non cognouit, execrauit adoleſcentis ferociam, præferuidam in ſe iram cohibere non potuit. Tum vbi procurſata omnia, & inſolenti dominatione ſubiecta ſibi vidit, vrbibus quoque ipſis incipiebat eſſe terribilis. Sed appetens iam frigoris vis, & increbreſcentes quotidie pluuiæ, inuitum ſub aſſuetis mœnibus in hyberna compulerunt. Veneti interea prouinciæ præſides, & Scodræ magiſtratus ſoliciti de rebus omnibus, præſertim de

Scanderbeg ad obſidionē Daynēſem ſe conuertit.



Dayni præſidio, vbi ad vltimum inopiæ ventum ſciebant, literas ad Senatum de ſingulis decernunt. Sub idem quoque tempus & Barbari cum ingentibus donis ac magna vi pecuniæ pro captiuis redimendis ad Scander-

Muſtaphas cū alijs 12. purpuratis captiuis, 20. aureorum millibus redimitur.

begum acceſſerant, 25. nummum aureorũ millia fuiſſe nemo diſſentit. Datus itaque Muſtaphas cum cæteris, & honorati hoſtes, habitiq́; liberaliter ſunt, velut omne odium reſediſſet. Exin & duces dati, regionis periti, qui ignaros regerent, & ſeruarent ab inſidijs ſuorum. Captiua pecunia omnis militibus erogata, vt penes eoſdem præmia, penes quos pericula eſſent. De Dayni oppugnatione nihil per eos dies tentatum, prohibebat namq; moleſtia frigoris quicquam moliri in muros. Oppidani rerum omnium, præterquam fidei, immemores, de aſſueta pertinacia nihil mutabant. Hauſerant vires hominibus tot vndecunq; incommoda, ſed idem feruor animorum erat, vegetiorq́; indies in diminutis corporibus ſpiritus. Ita puſilla vrbs fortiſſimi ducis impetus retardabat, & tot ſimul bellorum victorem ſola conſtantia vincebat. Nunquam tamen Caſtriotum pudor vllus ab incœpto auertit, ſed dedendo, ſi aliter non poſſet, vincere deſtinauerat. Ferebantur iam obſcuræ quædam vulgi voces, & incerta murmura de propenſioribus ad pacem patrum animis. Quare & mitius Scanderbegus agebat cum hoſte, leniusq́; in procurſationibus aſſuetis indultum iræ, nunciatur extemplo ſibi legatos decreto Senatus miſſos, qui noua pacis conſilia inirent, iamiam adeſſe. Præmiſſo itaque de more obuiam nobiliſſimorum ordine, venientes honorificè excepit: deinde habitos lautiſſime, poſtero die exhibuit copiam dicendi ea, quæ à patribus afferrent. Propoſita ſimul & accepta ſine variatione inter eos eſt vnica illa pacis conditio, vt ſoluta Dayni obſidione Epirenſis, acceptam ſemel in ſuam fidem vrbem cum omni iure Venetis cederet: Ipſi ager quidam iuxta Drini flumen, & locus quem Buſegiarpeni appellant, ad inuicem conſignatus. Nihil negauit Scanderbegus, ſed quæ ſtatuiſſent ipſi, lætus tulit. Firmata igitur pace, & rite peractis omnibus, tum ſilentio facto (parabat namq; generoſus animus inſigne indicium liberalitatis oſtendere) ita exorſus eſt:

Puſilla vrbs fortiſsimi ducis impetus retardat.

Conditio pacis obſeſsi Dayni.

Buſegiarpeni.

Viueret vtinam nunc bonus Princeps ille, cuius mors & præcipuum ſimul dolorem mihi, & moleſtiſſima vobiſcũ arma excitauit. neq; enim dum impij belli auſpicijs, ac domeſtico ſanguine cruentam Dayni poſſeſſionem à vobis quæro, cernerem hodie prouinciam Chriſtianorum, & ſociorum, tot immerſam malis, & inuiolata cum optimo Senatu pace gloriarer, quam læſam nunc tam leui cauſæ momento, vix vnquam cõquerere poterit animus, ſed alia contentionis huiuſce origo. Excuſabilem veſtram ſumpti belli rationem illorum perfidia fecit, quibus auctoribus primũ Daynenſis deditio facta vobis, dum & iniquis conſilijs facile mulieris ingenium à me abalienaſſent, & que acta iam pridem inter me & Lecchamfuerant, doloſe, & aſſentationis ſtudio quodam reticuiſſent.

Grata lautaq́; oratio Caſtrioti ad Venetorum legatos, qui cum pace ad eum venerunt.

Non ſum igitur ſuccenſus eouſq; vobis, non arma ſumpſi, vt iniuſtos arguerem, non vt regni libidinem imputarem Venetis, quos vnquam ini-

Laudat Venetos.

qui

qui alicuius belli auctores nulla ſatis ætas vidit. Illud tantum moleſtiſſimè tuli, quod minus mihi, quã par erat, credidiſſetis, & dum à verbis illorum non diſceditis, contentionis me ſtudio motum, & cupiditate aliqua impetrandi arbitrati eſſetis. Inij tum ipſe belli occaſionẽ, quam in manibus fermè mihi traditã videbam, quum ius omne in armis reſideret. Depono nunc vltro poſcentibus Dijs, & ſi vos non poſceretis, agrum & campos, quos in Dayni compenſationem decreto Senatus attuliſtis mihi ad fœderis huiuſce firmitatẽ, & libenti animo accipio voluntatẽ patrum, liberaliſſimorumq; Principum amicitiam amplector, aliud quippiam neq; peto, neq; accipio. Sed & quicquid agri eſt mihi, ſi oporteat, regnum, fortunas, vitam deniq; pro vobis, liberisq; veſtris, & imperij dignitatè deuoueo.

His dictis, præconia per vniuerſam regionem decerni iubet, & cupitam tamdiu pacem lætis populis annunciari. Obſidio tum diſſoluta ocius, & demolitis oppugnationis operibus, alacres ordines excipere oppidanos, ac inuitare ad ſtationes, deleto odio omni ſimul publico, ſimul priuato. Andreæ quoq; & Vulcatanio libera abeundi poteſtas data, reſtitutaq; cætera legatis, villæ, & caſtella, quæ Scodrenſibus nuper ac vicinis vrbibus adempta fuerant. Poſtridie editis de more varijs ludorum ſpectaculis, cum ingentibus donis legatos à ſe dimiſit.



Ipſe impatiens ocij cum omnibus copijs ad Barbarorum fines deuaſtandos, & aſſuetam prædam, ire perrexit. Collectoq; ibi veteri præſidio, ac coactis in vnum ordinibus, iuſti cuiuſdam exercitus formam expleuit, vt non ad depopulationem agrorum, ſed ad ingentis alicuius belli morem in-

Excurſio atq; deuaſtatio agri Amurathis à milite Epirenſe facta.

ſtructam aciem diceres. Ita lætus quiſq; ſequebatur ad accipienda promerita diutinæ militiæ ſtipendia. Aliud enim nihil tum à duce poſcebat militaris cupiditas, niſi quod quiſq; ſua manu cepiſſet. Hinc ioculariter ſæpe vicini principes Aerarium Scanderbegi agrum hoſtilem appellabant. Tum tripartitis copijs Turcarum fines ab omni parte ingreſſus, biduum in depopulando conſumpſit, colonorum magnus numerus cæſus, niſi qui Chriſtianum nomen profitebantur. His quoq; nihil præter vitam & libertatem relictum. Ignis poſtea tectis immiſſus, deformauit omnia, ac in cineres vertit, ita vt ſi exercitus hoſtilis eo tempore veniſſet in Epirum, niſi conuecto ſecum commeatu, vix vnius diei alimenta inde ſperare potuerit. Vbi igitur nuda tantum tellus, & ſola cladis veſtigia relicta, tolli ſigna Caſtriotus iubet, & retracto intra ſuos fines exercitu, collaudata ſingulorum opera, milites omnes exauctoratos domum dimiſit, præter tria millia, quod præſidium nunquam à ſolita cuſtodia reuocatum, ipſe cum reliquo ciuium agmine, & ſtationarijs ſuis, Croiam petijt.

Aerariũ Scanderbegi, hoſtilis ager.

Caſtriotus à Venetis ciuitate donatus, totius rei Venetę in Epiro, Illyricoq; ſummus creatus eſt Imperator.

Quum relatum eſt in Senatu de Epirotica pace, & Scanderbegi munificentia, ac laudes celebratæ publice à legatis, ingens patrum gratulatio exorta, quod reſpiraſſet eo bello prouincia. Tum vt decorarent eam viri virtutem ac libertatem aliquo gratorum animorum exemplo, primum habitis ſuffragijs ſine variatione abſens cum omni poſteritate ciuitate donatus, & inter clariſsimas familias receptus eſt: deinde & vnus electus ingenti patrum conſenſu, cui in ea regione totius rei Venetæ ſumma demandaretur. Datæ itaque mox literæ ad eum cum regijs muneribus. De Barbaris & aſſuetis eorum excurſionibus nihil per eos dies auditum. Defixerat namq; pauore quodam eos Muſtaphæ fortuna, ac prohibebat Amurathem ſolita agmina decernere in Epirum, & eiuſcemodi copijs augere magis, quàm oppugnare hoſtis vires, quum omnes exercitus ſuos, qui ad id tempus ad Scanderbegum laceſſendum Macedoniæ fines intraſſent, vel maiori ex parte deletos, vel fœde fugatos, aut redactos in ſeruitutem cerneret. Maioribus proinde viribus, & alio apparatu, ad id peragendum opus eſſe ratus, terebat dies conſultationibus, & laudis materiam ſibi olim inani propoſito reſeruatam differebat. Sed vbi & fama Venetæ pacis, & prouinciæ deuaſtatio, ac clades alia ſuper aliam audita, pronus iam inde ad bellum animus, acrioribus ſtimulis impulſus eſt. Solicitus itaque ſenex priuſquam decretum aliquod de habendo delectu interpoſuiſſet, accitis purpuratis quibuſdam, qui propiores Tyranni lateri aſsidere ſolent (conſiliarios illi vocant) amens ira furoreq; nutritum tamdiu odium his tandem verbis explicauit:

Acris Tyranni adhortatio ad ſuos ſuper

Fouimus iam hucuſque, optimi duces, auximusq; nefarij transfugæ fœlicem ſemel audaciam, dum nouis ſemper Hungarici belli neceſsitatibus præpe-

prædediti, inuiſi capitis ſupplicium diſtulimus, vt tot ſubinde iniurijs, contumelijsq́, Ottomanum imperium impune laceſſiuerit, quas neque audire iam aures, neque videre oculi poſſunt. Creuit (proh pudor) proceſſit eo ferox inſania, vt audeat hodie prior totis nos armis impetere, & apertè timorem ſimul & ignauiam veſtram arguere. Quid Alybaſſæ nunc fortunam, aliorumq́ ducum eundem euentum narrem vobis? Sumamus ex Macedonia imaginem conditionis noſtræ, quam ita aſſiduis euerſam ex curſionibus, & hauſtam incendijs audio, vt nulla iam ſimus prouinciæ, ſed ſola hoſtium veſtigia viſuri. Ita integros dies nuper populabundus ingreſſus, compoſitis ad idipſum copijs, ſignisq́, in deuaſtanda ea regione conſumpſit. Quouſque tandem ſcelerati hominis propoſitum paſſuri ſumus? an dum vincula nobiſipſis circundet? Extinguendi ſunt improbi conatus, ne ſenſim per negligentiam noſtram creſcat incendium, & ſerum (quod ominari reformidat animus) remedium conqueramur, quum à paruis initijs contemptus hoſtis olim funeſtum caput extulerit, & auxerit vires. Inuitant ad bellum omnia, & arma tradunt vobis. Nam & ſi nulla ſit conſilij huiuſce ratio, nonne ſatis fortium virorum animos ſolicitare debeat miſerabilis aſpectus ſubditorum populorum? An pudorem non excitent tot indies vincula noſtrorum, & fumantia late incendia villarum vltorem eo ipſo poſcentia? Compreſſimus iam totiens Hungaricam rabiem memorabili ſemper clade, ſordidaq́ in luctu ſuo Græcia relicta, hauſimus tot inſolentiſſimorum Principum vires, Epiroticos tumultus per ſocordiam noſtram creſcere permittimus? & vectigalem, ac ſtipendiariam nuper prouinciam æquo nobiſcum bello decertantem diutius cernimus? Itáne alios tam repente Epirenſes terra ædidit? Noui ne, & inuſitati nobis hoſtes repente apparuerunt? Experiri iuuat igitur ipſi mihi, vtrũ tam inuicta bello gens, & inflati pertinacia ducis, iugum aſſuetum ſubire poſſit, Neque enim amplius ineunda ſunt nobis inania conſilia opprimendi per inſidias hoſtis, non alternis ducibus, copijsq́ ſolitis decernendis exaturandum ſanguine noſtrorum inuiſum ſolum. Habemus namque in oculis eandem omnium fortunã, vel ductorum, vel copiarum, quorum ad hanc diem operam verius ad nos, quàm ad hoſtem oppugnandum elegimus. Alybaſſæ aut Feriſio ne exercitum tradamus? qui præter vulnera ſuorum, deformesq́ reliquias, nullum reliquum hoſtile ſignum afferant? Muſtaphæ infœlicia conſilia vlterius exerceamus, vt ſtipendijs alat Chriſtianos, & foueat hoſtium vires, dum ignaua vincula cupit exoluere? Victi totiens, capti, ac redempti tot pœnas dedimus, vt pudere merito iam nos debeat fortunæ noſtræ. Quare ſubeunda eſt omnino nobis belli huiuſce ratio, incumbendum ijs viribus, progrediendum eo exercitu, quem vix capiat Epirus, nedum eius ſuſtineat impetum. Sicq́ incruenti omnia expurgabimus,

bello contrà Scanderbegũ decernendo.

Macedonia deuaſtata.

Miſerabilis aſpectus populorum.

Victoriç Turcicæ.

A fortuna ductorum & copiarum.

hoſtibusq; aut expulſis aut memorabili clade domitis, amiſſas populorum perfidia vrbes, in antiquã formam redigemus. Vel ſi pertinacia gentis (vt ſolet) temerario propoſito ducis tutandi ſtudio in arma ruet, dabimus excidio auidos ſupplicij animos, & cupita tamdiu vltione veteres publicas, priuatasq; iniurias cõpenſabimus. Sumenda hæc arma ſunt vobis fortiſſimi viri, non velut aduerſus Hungaros, aliosq; hoſtes conſueuiſtis, ſed maiori longe ira, indignationeq;, tanquam in ſeruos veſtros, & transfugas, qui inſolentes in vos ſpiritus nefario iampridem conſilio ſeruatos excitarint.

Apparatus belli Amurathis contra Epirenſem.

Clamabat hæc concionabundus irarumq; plenus, maximoq; ſilentio ac aſſenſu auditus eſt à ſuis, approbantibus omnem belli eius rationem è totius dignitate imperij futuram, acclamantibusq; curam apparandarum armorum ſubeundam, quàm maxima fieri poſſet feſtinatione, ne vernum tempus (nam miteſcente iam hyeme, veſtiti niuibus colles aperiri incipiebant) in apparatu per negligentiam conſumeretur. Tum confeſtim per prouincias & ſubditos populos ac regna ſociorum præconia emiſſa, edictaq; propoſita, ac iuſſæ nominatim vrbes, prout Tyranno viſum, tot hominum, tot equorum millia impendere, qui ad regiam vrbem Adrianopolim, qua maxime poſſent feſtinatione, properarent. Nondum enim mœſta tanto funere Græcia, nobiliſſimorum Imperatorum ſedem Barbarico ſubditam iugo, ingemiſcebat. Inuaſerat rumor, terrorq; pariter vicinos populos, vrbesq; Chriſtianas, ignaras, quo tanti belli moles eruptura foret, occulta namq; tyranni conſilia vix vllus poterat coniectare, ne illorum quidem qui magis intimi domeſticiq; erant, præter conſiliarios, quos diximus aliquot maxime obſeruantes Ottomani, ne præmoniti hoſtes, ad vim propulſandam conſilij copiam habere valeant. Hinc memini prima Scodrenſi obſidione prius fermè viſos nobis ſub muris, quàm auditos fuiſſe hoſtes. Sed & illa inſigniori fallacia perdita gens vti ſolet, vt alio plerunque mendacem belli famam, ac inanem tumultum præmittat, alio veros exponat impetus, quo pernicioſa credulitate ductos facilius incautos opprimat. Quare omnia ingenti tumultu vndiq; miſceri. Hinc Hungari verentes æterni perfidiam hoſtis, exhauſtas iam tot cladibus vires, ac infœlicia arma erigebant. Hinc Græcia ſolicita tenues inclinati iam imperij reliquias defenſura, diſperſos domeſticis odijs ſpiritus colligebat, non fefellit tamen Scanderbegum Amurathes, qui omnes ſimulationes, & diſſimulationes Ottomanas longo iam vſu callebat. Admonitum tamen illum etiam ferunt à primoribus quibuſdam, & purpuratis Principis, per indicia quædam, & occultiſſimos nuncios, licet nihil valde certum affirmarent, ſed credita ſunt facile omnia ab Epirenſi. Augebat namq; præcipuè fidem, inſolitum Amurathis ocium, quod nihil penitus præſidij, & copiarum, vel ad recentes Muſtaphæ iniurias vlciſcendas, vel ad tuendos fines

Conſilia Turcæ ſecretiſſima ſunt.

Mos Turcæ, mẽdaci fama belli illudere.

fines ad eam diem miſiſſet. Dimiſſa itaque vrbanarum rerum cura Caſtriotus, nihil ex tam vaſto belli motu, ac hoſtili tumultu fluctuatus animo, expedito conſilio omnia, quæ vel alius Imperator prudens & impiger in tali re præciperet, ageretq́, præcepit ordine, atque egit. Illicoq́ ſimul nuncios cum literis ad vicinos, regulos, & ſocios Epirotici nominis mittit; quo inſtructi ſtarent in armis, diſponerent præſidia, ac firmarent armatis oppida, communirentq́. Promiſcua etenim omnibus damna, communesq́ vaſtitatis ruinas tanti exercitus magnitudinem afferre, tendereq́ Ottomanum, non ad eius perniciem tantum, ſed ad commune excidium Epiri. Ipſe ſimul, dimiſſo prius Moſe, pluribusq́ optimatum ſuorum, tum ad copiarum cõquiſitionem, tum ad frumentationem habendam ad eas belli neceſsitates, nihilo ſegnior ab alia parte peragrans omnia, obequitansq́ crebra edicta per vniuerſam prouinciam decernere, non dies, non noctes ceſſare, donec omnem materiam ſæuiendi hoſti, & gloriæ occaſionem ſuſtuliſſet. Agreſtium itaq́ magna pars, & inutilis turba, cum vniuerſa ſuppellectili in vrbibus reducta. Quod roboris virorum fuit, & omnis militaris ætas retenta ad belli diuerſos vſus, præſidium quoq́ à Macedoniæ finibus reuocatum ad nouum apparatum belli, coactæq́ vndiq́ copiæ ad regiam vrbem Croiæ, non cõtemnendam formam effecerant exercitus ſpeciem. Tum Caſtriotus conuerſo animo ad ſecernendas copias, primum omnium decem hominum millia, qui ſecum nuper contra Venetos, & apud Oronichium meruiſſent, eligit ſibi, quos barbaris, prout opportunitas locorum ſuggeſſiſſet occaſionem, liberiori certamine opponeret. Croiæ præſidio M. CCC. *milites ad veterem ciuium numerum adiecti, Epirotici generis omnes, ſpectatæ virtutis in multis bellorum caſibus. Ciues quoque ipſi tum omni genere telorum, quod ad propulſandum à mœnibus hoſtem, in rem eſt, tum robore animorum præcipue, ac deuotorum fide pectorum armati. Simul igitur & nouum præſidium impoſitum, & imbellis turba fœminarum, ac inutilis puerorum ætas extracta ex vrbe, ſola militaris iuuentus, neque tamen cum vulgi promiſcue colluuio relicta, quorum non ſic facile ardentes animos penetrant virtutis ſtimuli, & ſegnius præcioſum libertatis nomen ignaua pectora acuit.*

Quæ Caſtriotus ad ſalutẽ regni procurauerit, audito Tyrãni aduentu in Epirum.

Decem millia hominũ electa cõtra Turcam.

In rem eſſe.

Ingeniũ vulgi nõ admodum virtutis & libertatis curans.

Habitum ſumma ratione, exactoq́ conſilio rerum omnium diſcrimen, vtpote quod clauſtrum totius prouinciæ ad comprimendos barbaricos tumultus ea vrbs videbatur, à qua reliqui ſpes imperij penderet, ſalusq́. Sed neſcio an meliori conſilio abſtrahi à ciuium conſpectu filij, vxoresq́, an relinqui ſibi potuerint. Quum acrius longe irritamentum mœſti præſentium vultus, viſæ lachrymæ, auditi gemitus, ac oberrans præ oculis ſeruitutis calamitas, & fœditas vinculorum, quàm ſola abſentium memoria armatis futura fuerit. Ni tutius idcirco fortaſſe id conſilij genus peritis

Croia clauſtrum Epirotici regni.

militiæ

militiæ viſum, quod licet apta ſit ea adhortatio cernentibus ad labores, & pericula ſubeunda, ſimul tamen & hoſtilis audaciæ, pertinaciæq; non leue momentum eſt. Quod ſperatæ prædæ libido impingit obſtinatiori ad arma propoſito milites, & feruidioribus ad inſiſtendum ſtimulis acuit barbarorum ingenia, acrius in vulnera, acrius in tela ruunt, neq; illos vel muri, vel ſuperſtantes armati arcere queunt, quin certatim ſubeant, ſegnius ſi nihil audiant in vrbe præter fortium præſentiam virorum, ſi nihil aſpiciant in mœnibus præter auidas ſanguinis dexteras, & morti deſtinata pectora. Miſerabile ſpectaculum erat, flebile Croienſium diſcedentium agmen, plena omnia gemitus, vlulatusq; fœminei. Non domus, non vicus, non pars vlla vrbis expers luctus. Perſonabat vario clamore forum nunc reprehendentium, nunc inuitantium ſuorum lachrymas. Præcipua tamen in templis & delubris eius fortunæ, ac publici doloris ſpecies erat: ibi nanq; ingens populi concurſus, & omnis generis multitudinis verſabatur. Supplicationes, votaq; mixta cum miſeranda vi lachrymarũ, per aras omnes cadebant, pectoris ac oris (vt mos eſt gentis) laceratio, fœdiorem aſpectum

Spectaculum miſerabile cũ pueri & fœminæ vrbe eijciũntur.



calamitatis faciebat. Matronarum nihilo ſegnior dolor, & præter vultus deformationem, dulce videbatur imitari reliquarum mœſtitiam. Nihil pudendum, nihil immodicum in ea ſorte cenſebatur, & laudatior ea ceſſit, cuius inſignior mœror iudicatus. Non deerant quoque ſicut ſolitæ, ita impiæ mortalium querelæ, ac improbæ voces fœminarũ, malorum ſuorum cauſas in Deos vertentium. Deinde vbi reſedit aliquantulum per lachrymas exaturatus dolor, ad alloquia ſuorum verſæ matres iterato ſermone

Malorum cau ſas in Deos vertere.

vndiq;

vndiq; tumida cum oſculis mandata dabant. Nunc præſtita olim officia filijs, & promeritam pietatē commemorantes, nunc infirmam ſenectutem, & verendam caniciem oculis ſubijcientes. Idem omnium ſtatus, & habitus ſermonis, vxores paruulos obiectantes viris, viduos iam inde penates, & ſordidam orbitatem deplorabant. Senes mœſto ſilentio defixi, & æque de natorum ſalute ſoliciti, neq; accendere vlterius verbis feroces ſuorum ſpiritus, atq; auidam ſuopte ingenio periculi iuuentutem, neq; dehortari à laboribus, & perfungendis pertinaciter muneribus, ne liberorum amorē patriæ charitati præferre viderentur. Mox decretū à Scanderbego miſſum, vt leuaretur eo onere ciuitas, & armati ad ſua quiſq; munia abirent, quū ſatis iam impenſum ignauo dolori & priuatis ſingulorum conſilijs diceret. Renouatus igitur iterum luctus, clamorq; cum lachrymis ſublatus, velut rapi iam ab hoſte omnia, viros, parentes, mœnia, delubra, Deos ipſos vidiſſent. Vix abſtrahi poterat multitudo à poſſeſſo ſemel amplexu, manere quiſque ſocius periculi ſuorū, ac comes fortunæ vellet. Sed vbi iam inſtare moleſtius præcones, & apparitores ducis aduertere, in vltima oſcula prolapſi omnes, paulatim chara pectora relinquebant, & fixis ſemper in mœnia oculis, incerta humi veſtigia figentes abibant. Tranſportatos ferunt in maritimas Epiri vrbes, & alia ſociorum oppida, ac Veneti nominis, ibidem & ingens colonorum multitudo cum armentis, gregibusq; ac patrimonijs redacta, ne opportunum quicquam calamitati relinqueretur, vnde alimenta eliceret hoſtis, quibus abunde vteretur, Poſtquam ſummota eſt turba, & ſedatus clamor, ac tumultus in vrbe, ſolaq; viris armorum cura relicta, Scanderbegus reliquum eius diei in recipiendis frumentatoribus, ac diſponendis publice horreis conſumpſit. Diuiſa eſt & viritim annona militibus, telaq; omnis generis, ac ingens ſcutorū copia dono data, vt inde iam liberali erogatione ſuorum fidem præueniret. Arma ſe ferrumq; ita largiri dicebat hominibus, vt ſibi perpetuo liberè haberent, vel glorioſius tranſferrent in hoſtem: clypeos ita demum tradere, vt iterum reſtituerent. Sic procuratis his per iocum, & deuinctus varijs muneribus vulgi animus, poſtero die Vranacontem, quem vrbis præſidio præpoſuerat, Epiro oriundum, gratum & auorum meritis, & propria virtute virū ad ſe accitum, primo ſummotis arbitris, multa cum eo de Croienſi obſidione, & Barbarorum ingenijs longo examine egit. Deinde propalam in foro, medio armatorum agmine immixtus, altiori ſono vocis, vt ſermo ad omnes peruenire poſſet, ſingulorum fidem appellans, patriæ ſalutem commēdabat, nunc hortans, nunc imperans, nunc precibus agens, & tum perfidiæ pœnas, ac ſceleris, tum generoſæ fidei præmia ſtatuens. Subirent fideliter patriæ onera, arcerent pertinaciter hoſtem, neque quicquam ſatis hoſtilis colloquij ad obſtinatas aures deferri paterentur. Inſidiaturum eo modo Ottomanum, &

Vulgi animus muneribus deuinctus.

Vranacontis heros Epirenſis vrbi Croiæ præficitur.

Scanderbeg patriæ ſalutē commendat.

captaturum eiuſcemodi perſuaſionibus, ac funeſtæ pacis colore, ſi faciles ad credendũ inueniat. Contra ſi nihil præter feroces ſpiritus, & ſurdas inanibus blandicijs aures videat, pulſum primo impetu aduerſis Dijs collecturũ vaſa, neq; moliturũ diutius quippiam in muros, ni perniciem militum ſuorum capiat, & in indignationis explendæ cauſa apertum ruat diſcrimen. Croia vrbs munitiſsima. *Eum namq; ſitum vrbis inſigni munimento naturæ eſſe, vt locus ipſe, vel ſi compreſſis manibus ſedeant ciues, iniuriam facile cedere poſſit. Exin, ſi motus aliquis fiat in muros, neminem exceſſurum integrum, præclaramq; ſimul ac incruentam gloriam paratam ſibi, dummodo vti ea velint.*

Adhortatio Scanderbegi ad Croienſes ſuos per occupationem.

Ecquid, inquit, orationis vobiſcum mihi eſſe poteſt amplius? Quid horter diutius, accendamq; eos, quorum totiens virtus, fidesq; ſpectata, iam omni fermè terrarum orbi innotuit? Quin & ſi minus omnia tuta mihi viderentur in vobis, & nulla hucuſque dediſſetis conſtantiæ, nulla fidelis operæ pignora, iuſtius tamẽ crederem à ciuibus ipſe meis decipi, quàm diffidere.

Scanderbeg Croiam exit.

His dictis, ſexta hora diei exit vrbe. Ingens, ac omnis ferè ciuium turba prodeuntem vſque ad portas ſecuta eſt. Tum relictis & obſeratis portis, ad reliquas copias in ipſo conſpectu vrbis in campeſtrem locum deſcendit, ibiq; ſigno ocius dato, mota ſunt caſtra, haud multo longe progreſſus, Moſem cum expedito militum agmine obuium habuit. Redibat autem à Sfetigrado, quod oppidum ad Barbarorum fines poſitum, impenſius ſolicitudinem augebat Scanderbegi. Munierat id verò Dibrenſis rebus omnibus, viris, armis, commeatu, operibusq; quibuſdam in muris, quæ in rem videbantur exſtructis. Impedimenta præterea omnia inutilis ætatis, ſexusq; abducta ex vrbe, cura vrbis Petro Parlato, graui, ac perito militiæ viro tradita erat. Petrus Parlatus. *Sed illud longe optimum videbatur, quod perniciofiſſimum ex ipſo poſtea euentu apparuit: Quod omne fermè præſidium armatorum ex Dibrano milite conſtabat, quos de induſtria Moſes tanquam longe bellicoſiſſimos Epiri populos ex totius corpore imperij ad id elegerat. Laudatus eſt multum à Scanderbego, quod omnia ex animi eius ſententia geſſiſſet. Traditis itaque illi alijs copijs, quas ad cæterarum præſidia vrbium parauerat, ipſum cum optimatibus quibuſdam ad cætera prouinciæ loca & oppida firmanda mittit, & ſingula fermè munia ſingulis deſignat, quo celerior foret omnium procuratio, neque periculi quippiam ſequeretur ex mora. Ipſe cum paucis equitibus Sfetigradi portis adequitauit, ſolicitus namq; de ea vrbe erat ſupra quam dici poſſit, velut tacita diuinatione præſagientis animi imminens malum. Vt autẽ præſenti ſermone firmaret magis, accenderetq; ſuorum animos, & Barbarorum inſidias, ac delinimenta Amurathis, quæ magis etiam quã arma ipſa timebat, doceret præcauere, Sfetigradũ ingreſſus, in media vrbe, vbi maior*

ior aderat concurſus, & fremitus armatorum, ac circumfuſa vndiq; nobiliſsimorum quorumcunq; aſtabat corona, exorſum ita ferunt:

Non poterat hodie meliorem materiam Sfetigradenſes offerre vobis Deus Optimus Maximus, non pulchrior occaſio laudis ardentibus animis, & cupidis militibus ſubeſſe, quàm ea, quæ nunc iuſtiſsima vobis arma tradidit, quo & priuatam ſimul fidem mihi, & publicam Epirotico Oratio Caſtrioti ad præfectum Sfetigradenſem & oppidanos.



nomini in omne tempus præclaro exemplo teſtatiorem ſanciretis. Pro victoria hucuſq; pro decore imperij dimicauimus, nunc pro ſalute, libertate, & mœnibus ipſis patriæ pugnandum eſt vobis. Enitendum ne quas tot bellis fœliciter geſtis meis auſpicijs laudes promeruiſtis, nunc per ſummum dedecus & ignauiam dehoneſtetis, multa ac maxima fermè fortunæ huiuſce pars à vobis pendet. Primus nanq; Amurathis tranſitus in Epirum, primus (vt nuncius ſim ipſe vobis eius periculi) Barbaricus furor vos impetet, vt inde velut demolitis clauſtris Epiri, opportuniorem iniuriæ prouinciam perrumpat. Vos belli eius primitiæ manent. Vos (ſi reſidet quicquam in pectore virtutis, ſi viget in fortibus viris memor libertatis Libertas. *animus) contundere poteſtis ſuperbas hoſtis vires, & feroces frangere ſpiritus, à vobis & timoris & ſpei initium ſumpturus eſt Ottomanus. Si ita animatos offenderit, vt nunc ego vos in pulchro furore contemplor, & lætus immodicos fremitus audio, maiorem vbiq; vim periculi timebit, & documentum eo ipſo feret abſtinendi à cæteris vrbibus Epiri. Neque premet diutius vos inani obſidione, ni conſeneſcere hic copias ſtolido propoſito volet obſtinatus ſenex. Is enim vrbis eſt habitus, ea natura loci, quæ* Sfetigradi vrbis habitus.

contemnere æque quantumlibet irritatum hoſtem poſſit. Quare inducite in animum ciues ſola pertinacia animorum, ac fidei conſtantia incruentam hanc pariter & ſpecioſam vobis victoriam parare. Ex euentu virtutis veſtræ (id quod libenter repeto) fides quoque cæterorum populorum plurima ex parte pendet. Vos ſpectabunt omnes, quos laudent, quos accuſent, quos demũ velut omni reformata belli fortuna imitentur. Quid enim obtendere fatum, & caſuum humanorum neceſſitatem fortes viros decet? Ratione res optime & ſuſcipiuntur, & finiuntur. Vix eſt vt fallat conſilium fortuna, & non ſequatur virtutem. Habetis autem omnia, quæ exactiſſimo iudicio potuerunt prouideri, & præſtari vobis. Non arma, non commeatus, non validiſſimum præſidium extrinſecus deſiderare poteſtis. Non inutilis vos turba vulgi impediet, non querulæ fœminarum voces, & moleſtæ occurſationes liberorum à muneribus publicis, ab armorum cura, & patriæ cuſtodia auocabunt. Solos vos vobis, & patriæ mœnibus, Dijs, aris, focisq́ reliqui, vt gloriæ tantum, & libertatis ſtimulis, laboris, ac periculi certamine, ipſoq́ inter vos conſpectu accendamini. Adero tamen & ipſe non longe cum expedito milite & ſpectator, & hortator tacitus virtutis veſtræ. Et licet non in temeraria libidine pugnandi omnem cruenti hoſtis impetum, & vniuerſi fortunam belli æquo Marte ſubiturus, multos tamen labores veſtros in me transferam, & vanos hoſtis conatus crebris infeſtationibus ludificabo. Quandoquidem nulla potior ratio dimicandi, nulla tutior militia exercenda eſt nobis inter eam hominum colluuiem, & tot armatorũ millia, quam nunquam ſatis copiam facere pugnandi hoſti, nunquam, vel ſi certam victoriam videamus, totius aleam fortunæ intrare. Dabit nanq́ de induſtria primum materiam nobis bene gerendi Barbarus, fouebit audaciam noſtram ſanguine ſuorum, vt velut ineſcatam fœlici ſemel ſucceſſu temeritatem facilius circumueniat, opprimatq́. Sed eludenda erunt ſumma ratione, conſilioq́ improba Ottomani deſideria, carpendusq́ paulatim immodicus hoſtis, prout temporũ ſuadebit & locorum habitus. Luctuoſa namq́ mihi profecto illa eſſet victoria, quam militum meorum pernicie emerem, & triſtius (mihi credite) quàm lætius ſpectaculum cernerem, cæſa octona, vel 10. hoſtium millia, pauciſſimorũ quantumcunq́ veſtrûm iactura. Satis laudabo Epirenſes meos, & honorabo pro victoribus, ſi non vinci ſe à Turcarum rege permittent. Reliqua voſipſos vobiſcum reputare Dibrenſes, quam ſolicite monendo de fide veſtra tacita aliqua dubitatione referre, malo.

Ratio dimicãdi cum Turca.

Aſianus miles in Europam trãſportatur.

Per eoſdem dies, quibus Caſtriotus collectis hincinde copijs ad Croiam firmandam conceſſit, Aſianus miles eſt in Europam tranſportatus, Adrianopolimq́ magnis itineribus contendit. Haud multo plus quàm 40. hominum millia fuiſſe omnes conſentiunt. Nam quum bellum in Europa eſſet, confe-

confectus eſt ibi ex maiori parte exercitus, vtpote quod & aptior eſſet ad belli aſſueti vſum miles, & commodius in ea celeritate domeſticus fermè apparatus fieri poterat.

Dum ſic ex omni parte indies aduolarent regiæ copiæ, & ingentis iam ſpeciem exercitus confeciſſet Amurathes, ac prope finem apparatus eſſet; varia exordiendi belli conſilia apud Tyrannum afferebant purpurati, ac periti militiæ. Alij non amplius morandum rati, mittendum prius expeditorum equitum agmen in Epirum (præcurſores illi de more gentis appellant) qui velut procella ſubito impetu confunderent, turbarent, miſcerentq́ omnia, ac incautum hoſtem extraherent ad certamen per ludificationem, donec ſubſequens deinceps ipſe toto exercitu facilius opprimeret. Alij abſtinendum omnino ab eiuſcemodi inanibus irritamentis cenſebant, ne vel maiorem hoſti materiam procurandi præberent, quæ ad totius belli molem in rem eſſent, vel priores ipſi præcipitarent in inſidias. Satis multa eſſe aliorum recentiſſimæ cladis documenta, audire ſe præterea, id quod & propalam quotidie in vulgus nuncietur, totam Epirum iam pridem inſtructam in armis eſſe, vrbes, oppida rebus omnibus, & præſidijs armatorum affatim communita, loca cuncta fermè & aditus locato ad id ipſum milite teneri, Epirenſem cum reliquis copijs tota die peragrare prouinciam, ac perluſtrare ſaltus ad fœlices toties inſidias, ſi quas deinceps etiam poſſet, concinnandas. Perincioſum eſſe cum eo hoſte ſeruare eum belligerandi morem, ineunda alia conſilia, quæ non, vt conſueuit, adhuc improbet euentus. Quid enim obſtare, vt non ad vnum pereant ſub hoſtili gladio omnes, antequam ſerum lenti exercitus auxilium adſit oppreſſis? Cauendum ne belli eius auſpicia à ſuorum ſanguine capiant, progrediendum cum omnibus ſignis, ac integro apparatu, exoluendumq́ tandem eo labore Ottomanum imperium. Vicit tamen media quædam ſententia, vtpote quæ aptior tempori, ac rerum gerendarum dignitati videbatur, vt haud multo minus, quàm tertia pars exercitus præmitteretur, idoneum numerũ rati non ad propulſandam ſolum, ſed inferendam quoq́ ignominiam, qui turbatis repentino aduentu hoſtilibus rebus, conſilijsq́, liberiorem deinceps regio exercitui aditum pararent. Electa mox igitur 40. equitum millia leuis armaturæ, eoq́ ipſo magnis itineribus expedita recta ad Sfetigradum via, vt priores eius obſidendæ vrbis rationem inirent. Tum ſurgens ex toto Tyrannus, perluſtrare reliquas copias iubet, ac in ordines deduci. Legionum duces penè innumeri erant, diuidi namque conſueuit per Flambura exercitus, quibus Feudatarij, quos ipſi Timaratores appellant, præſtent, & ſingula Flambura plures Subaſſidas, ac capita ordinum, & pro qualitate maiorem vel minorem equitum numerum habent. Pedeſtres item copiæ tam Aſianæ, quàm ex Europa, certo quæque Flambura. Timaratores. Subaſsidæ.

 ordine

ordine conſtant, ac ducibus ſuis diſtinguuntur. Auxiliariorum quoque armorum, quæ belli tempore decerni conſueuerunt Tyranno, non ignobilis numerus erat. Non deerat etiam, vt ſolet in omnibus fermè negocijs, multitudo voluntariorum. Aderant præterea haud multo minus, quàm tria millia, obæratorum, ac exauctoratorum, & aliorum florentiſſimorum iuuenum, qui mercedem regis, & ſtipendia militaria, ac reſtitutionem ordinum præclaro aliquo facinore, atque ignominiæ abolitione expectantes quærunt. Prætorium, ac ſtationem Principis, amplius quàm ſeptem armatorum millia, Janizaros vocant, cuſtodiunt, & hæc verius familia Tyranni dicitur, pedites omnes cæterorũ longe bellicoſiſſimi, quos velut Triarios in ſubſidijs habent in bello Barbari. Sed & ad augendam ſpeciem exercitus magna ſeruorum colluuies, & ingens inermium fermè numerus ad terrendum magis, quàm ad belligerandum appoſitus cogebatur. Et vt ea materia cedendi oblata occupatus, hoſtis exhauſtis viribus facilius feſſus opprimeretur, id quod inter maxima Turcarum ſtratagemata numeratur, huius exercitus duo præcipui ductores ex more fuêre, quos illi Beilarbeidas, hoc eſt, ducum duces vocant, vnus Aſiæ, alter Europæ, nos vſitatiori vocabulo Baſſas nuncupamus. Nimis moleſtum eſſet animis legentium, ſi demonſtrare nunc ſingula proprijs nominibus, & ſuis quæq; numeris recenſere vellem. Satis igitur feciſſe mihi in hoc propoſito ſcribendi videbor, ſi totius exercitus ſummam certa aliqua eius rei notitia perſtrinxero, ſed & in hoc etiam ſicut in multis non tranſit ſine variatione res, quæ minuat aliquantulum fidem certa approbantibus. Aliqui enim 150. millia armatorum tum affuiſſe Amurathi narrant, 90. equitum, peditum 40.. Quidam 120 tantum, & de equitibus 20. millia detrahunt, 10. de peditibus. Jpſe vtramuis ſententiam ſequar, non multum video momenti, inclinat tamen in maiorem numerum animus, vt parem magis tamdiu præparato bello apparatum dicamus. Quamuis non ſic exactiſſimo eouſque ordine confectus eſt hic exercitus, veluti quum ad dimicandum collatis ſignis, vbi vera appareret virtus, proficiſceretur Ottomanus, omnia conſilia, omnes apparatus potius ad obſidionẽ vrbium, & murorum euerſionem, quam ad vlla campeſtria certamina ordinabantur. Scanderbegus firmatis Sfetigradenſium animis, rebusq́; prout operæprecium videbatur, ad cætera loca, vrbesq́; imperij ſui perrexit, peragransq́; maxima ſolertia vniuerſam prouinciam, nunc laudibus, nunc præmijs, nunc ipſa etiam periculi vaſtitate ſuorum fidem acuebat, accendebatq́;. Firmauerat autem omnia validiſſimis præſidijs Moſes, annona, armis, cæteroq́; apparatu, ad ſuſtinendam quantamlibet belli fortunam. Dimiſſa itaque eorum cura, Caſtriotus ad copias, quibus non longe à Croia ſe operiri mandatum fuerat recta ire pergit. Aſſequutus eſt eum Dibrenſis in ipſo itinere,

& re-

Ianizari.

Beilarbeidæ, ducumduces, apud Turcas, Baſſæ dicti.

Summa exercitus.

& reducto ſimul milite in caſtra læti ſe recipiebant. Vix ſpacium ad colloquendum fuit vel militibus, vel ducibus, quod ſubito vndique trepidi nuncij, clamorq́; inſuetus iamiam in veſtibulis adeſſe hoſtem, ardere omnia, miſceriq́; miſerabili tumultu nunciabant. Ignari (vt credulos facit homines timor) Amurathem ipſum adeſſe, compleſſeq́; iam armatis montes, iuga, prata & valles omnes aſſeuerabant, obteſtabanturq́; ſoliciti ducem, conſuleret ſibi copijsq́;, ne campeſtribus locis pernicioſa audacia primos tam validi hoſtis impetus excipere vellet, reduceret militem in aliquo æditiſſimo loco, vnde ex conſpectu ipſo melius, tutiusq́; poſſit ſumi rerum omnium iudicium.

Timor homines facit credulos.

Non multum mouebant hæc Caſtriotum, vt ſemel poſſeſſa caſtris loca, iuxta eorum ſuaſiones relinqueret, ſed vbi vndiq́; cuſtodias ad ſe aduolare vidit, & eundem fermè omnium ſermonem, niſi quod de magnitudine copiarum hoſtilium incerta ferebantur hominum iudicia, nondum enim deſcenderat omnis in campos barbarus, nec collecta in vnum agmina conſederant, vt de numero certa poſſet fieri æſtimatio. Tum ſublatis ocius ſignis, quatuor equitum millia, mille peditum ſe ſequi iubet, & ad Sfetigradum, vbi caſtra metaturum hoſtem ſciebat, quanto maxime potuit ſilentio procedit. Extremum noctis erat, quum ſignum proficiſcendi datum eſt militi. Subſequenti die igitur vix ſecunda noctis vigilia conſederunt circiter ſeptem millibus paſſuum ab oppido procul. Diſtabat enim à Croia Sfetigradus per 400. fermè, & 80. ſtadia.

Proceſſus Caſtrioti aduerſus hoſtem erumpētem in prouinciam.

Diſtantia inter Sfetigradū & Croiam.

Vbi tutum caſtris locum cognouit Epirenſis, aggere quoq́; ducto vt tutior eſſet, curauit diſponi pedites, equitesq́; ſuis locis, decerni cuſtodias, ac quærere tacite idoneos inſidijs ſaltus. Prohibuit tamen ignes, vel priuatim, vel publicè fieri. Sic omnibus procuratis, imperatoq́; ſilentio viris, ipſe ad ſpectanda caſtra, & contemplandas res hoſtium cum Moſe, & Tanuſio Topia perrexit, taciteq́; nunc per ſyluas, modo per occulta vallium collem aſcendit oppoſitum vrbi. Inde certa iam luce quietiſſime perluſtratis omnibus repetit ſtatiua. Ea res non ſine multa variatione conſiliorum eſt tranſacta, nam quum ſub ipſis mœnibus caſtra metatus eſſet hoſtis, & partim ſubiectos campos, partim montes teneret, vix aliqua ſpes rei bene gerendæ apparebat ducibus ſine multa ſuorum pernicie, ne pauci ſcilicet multis, nunc in plano, nunc deſcendentibus ex monte integris ſuccumberent. Verebantur præterea (id quod etiam abſtinere tum fermè eos ab omni ratione pugnandi cogebat) ne ſi reliquæ regiæ copiæ ex improuiſo ſuperueniſſent, opprimerentur in medio omnes, eademq́; ratione & euocare præſidium ex oppido periculoſum cenſebant. Tutior illa via viſa, vt conſuetis artibus, ſi poſſent, diuiderent hoſtium vires, & diuiſas in magis opportuna iniuriæ loca traherent. Nihil tamen actum ea die, nam nox agendis interuenit, miſsi tantummodo exploratores latiſſime per omnia loca,

qui

Stratagema Scanderbegi ad alliciẽdum hoſtem ad pugnam.

qui obſeruarent aduentum Amurathis, & ne quid inſidiarum ab hoſte fieret. Dimidium eius noctis quieti datum eſt, reliquum diuerſis operibus conſumptum. Motis enim inde caſtris Epirenſis propius vrbẽ tranſtulit vaſa, vt vix à ſtationibus hoſtium 40. ſtadijs diſtaret, facilius namque extractos ad certamẽ ex propinquo opprimi poſſe putabat. Ordine deinceps curatis corporibus, & inſtructis (vt ſic dixerim) ad manum ſingulis, quæ apta inſidijs videbantur loca, complet armatis, & per omnes ſyluas, dumetaq; circumfundit milites, peditatus ſuperne per magis ardua mõtis, & ſaltus inuios diſpoſitus, ipſe latuit inter equitatum, & ſecundum radices montis vallium ſinus obtinuit. Moſem deinde pluribus verbis cohortatus, & Muſachium Angelinæ præcipuum bellicis artibus virum, cum 30. ferociſsimorum iuuenum agmine, ad hoſtes è ſtationibus eliciendos & trahendos ad locum inſidiarum mittit. Electi ſunt equi, viriq; ex omni turma maxime inſignes, gregalibusq; amicti ſagulis, ne militaris & ſpecioſior habitus proderet inſidias, quas maxime tegi cupiebat. Data fermè ſingula iumenta equitibus agenda onuſta frumento, vt frumẽtariorum ſpeciem quandam præ ſe ferre viderentur. Juſsiq; (ne deeſſet quippiam ad fraudem) per latentia itinera adequitare oppido, qua parte liber hoſtilibus tentorijs mons patebat, vt inde intrare vrbem ſimularent, nihil horum eſt prætermiſſum à veteranis & ſagaciſsimis ducibus. Milites quoq;



intrepidi, & obedientiſsimi in omnem euentum ſequebantur. Rareſcentibus iam ex interuentu diei ſtellis, mille fermè paſſuum ſpacio appropinquauerant hoſtium caſtris, quum barbarorum cuſtodiæ ex alto conſpectos, primum ſublatis ſignis, deinde clamore prodiderunt. Jpſi nihil his vocibus turba-

turbati, accelerabant inſtantius gradum, nondum enim vel periculum ab hoſte timere poterant, vel vtilis fuga videbatur. Sed experrecti à vigilibus turmales quidam, incerti ex ſomno, arreptis armis incondite, è ſtationibus progreſſi in eos proruunt, paſtorũ, & agreſtium frumentatorum gregem rati. Epirenſes contempta paucitate venientium, maiori quidẽ animo quàm conſilio præparant ſe ad dimicandũ, primo tamen procurſu hoſtium paululũ retrocedentes terga vertunt, & ſimulato pauore, relictis iumentis arripiunt fugam. Barbari vbi timoris indicem fugam aduerterunt, quàm concitatiſſimos equos immittunt in eos, & inſultant ferocius fugientiũ tergo. Tum conuerſi vno impetu omnes ſiſtunt equos, & ſtrictis cominus gladijs inferunt pedem, tanquã vel neceſſitate coacti, periculũ vltimũ ſubituri, vel obiectis corporibus, & obnixo vultu vim inſequentiũ propulſaturi, quum pernicioſam iam fingerent fugam afflantibus fermè humeros hoſtilibus equis: Turcæ nihil territi, & ex habitu ſolo metiti viros, ſublatis velociter ſcutis, appropinquantes hoſti ordiuntur priores pugnam. Vnusq; ex eis Aſiatici generis ingenti mole corporis ante alios progreſſus, ferream clauam maximo ſimul clamore & impetu rotatam dextera, vt telum magis concitaretur, iacit in hoſtes. Qui conferti in vnum, ac conglobati, vitare ictum venientem non potuerunt, licet vulnus vitaſſent. Perlata namque in medios, ingenti ſonitu à Dibrenſi quodam iuuene porrecto ſcuto eſt excepta, dehinc ſecuti cæteri, & gladijs geri cœpta res. Pulchrum ſpectaculum faciebat, & ſpecioſam formam dimicationis, idem fermè vtrinq; numerus armatorum, & non diſpar armorum habitus, nam neq; Barbaris, vt in ea celeritate, & per cõtemptum quendam eruperant è ſtationibus, præter ſingula ſcuta, gladioſq́;, aliud teli genus aderat. Illud tantum onerabat hoſtes, quod electiſſimi ex omni virorum robore, & Principes iuuentutis noſtri erant, illi ſine diſcrimine ignaui, forteſq́; ſimul, prout tumultuarie exciuerant eos vigiles, prorueránt. Sicq; haud dubie primo furore congrediendi fortuna eorum longè inferior apparuit. Confoſſo namque ſub Moſis manibus Aſiano, in quo totius robur agminis erat, ingens terror cæteros, ac deſperatio ſimul inceſſit, nedum victoriæ, ſed ſalutis quoq;, ni auxilium aliquod adeſſet è caſtris. Quare referẽtes paulatim pedem, terga dant hoſti, & per quem modo alios inſequebãtur, mutata ſorte fœda fuga campum deſerunt. Epirenſes liberam præbuêre facultatem fugiendi, neque moleſtæ quicquam vocis, aut indicem victoriæ clamorem ſuſtulêre in victos, ſed exactiſſimo conſilio collecti circa duces, relictis corporibus, ſpolijſq́; occiſorum repetunt iumenta, & ægrè fugientibus ſimillimi, vnde venerant, pergunt. Creuerat audacia, animiq́; viris ex eo proſpero pugnæ ſucceſſu. Differebant tamen gaudium omne in ſecundum cœptæ iam rei euentum. Vnus erat notæ in multis bellis operæ miles, cuius aſsiduus gemitus, & impatien-

Fuga timoris index.

Ferrea claua Aſiatici.

Aſianus Moſis manibus confoditur.

S

patientia doloris ex vulnere cæterorum ſolatia perturbabat, & impediebat lætitiam ſociorum, transfixerat namque Barbarus gladio leuum viri humerum, vt neq; ad arma gerenda, neq; ad regendum equum ſufficerent vires Hunc miſeratus Moſes deſiliens ex equo, ſublatum ſuis manibus vni ex militibus commiſit, ne inter curſum equi procideret inutilibus ad ſuſtinendum manibus, & quàm ociſſime priuſquam alius excitaretur tumultus ab hoſte, ferri in caſtra ad ſtationes ſuorum iuſsit. Reliqui integri omnes erant, nemoq; præter illum eo certamine violatus exceſsit. Barbarorum quinq; occiſi, vulnerati octo, pauci quidam numero, multi tamen, vt ex ea paucitate. Simul itaque & equus hinc ex oculis ſociorum rapuit milites, & clamor inde, fremitusq; ingens à caſtris hoſtium exauditus. Impleuerant namq; querelis omnia ſaucij, & deformia oſtentantes vulnera, excitauerant ad arma totius exercitus furorem, illosq; præcipue, qui affinitate aliqua contingebant occiſos. Proinde impatientes imperij, prorumpebant vndiq; ſine duce, ſine ordine è ſtationibus, vt quenque ira, cupiditasq; vltionis ducebat. Miſſo tamen edicto à prætorio Imperatoris, reuocati ſunt omnes, & conuenère circa tentoria, iuſſa eius expectantes. Ille aſſuetas veritus hoſtium inſidias, & ne ſub frumentandi prætextu fraus aliqua circum latitaret, præſertim quod plagæ ipſæ ſuorum, & vulnerum vaſtitas, nō humilis vulgi dexteras, & aggreſtes gladios arguebat, quatuor fortiſsimorum equitum millia, ne ita expoſita ignominiæ eſſet paucitas, ad id muneris eligit, qui ſimul & id agmen frumentariorum opprimerent, exuerentq; iumentis, & vicinos colles, valles, ſyluas, ac latebras locorum diligenti indagine oberrarent, ad aperiendas inſidias hoſtium. Peruenerat interim ad Caſtriotum miles à Dribenſi miſſus, & tradito ſocio ſtationarijs obuiam progreßis, vt vulnera viri curarent, ipſe vix ſui compos procurſans huc, illuc, ob oculos armatorum, & multos nominibus appellans, arma arma clamabat, iamiam adeſſe Barbaros, concitata omnia caſtra hoſtium, & tollens indicem, venientium puluerem oſtendebat. Tenuit dolor primo, timorq; Scanderbegum, ſolicitum de ſalute ſociorum, quum & duos tantum ex toto agmine, alterumq; profluenti recentium vulnerum cruore oblitum ad ſe deuectos turpi fuga cerneret, & ſtolidum clamorem militis, ac plenum pauore exaudiret: ſed vbi ordine quæ acta fuerant, didicit ab homine, mutata in riſum mœſtitia, & ſolicitudine in audaciam, omnes bono eſſe animo, & equos, tela, armaq; viris in procinctu eſſe iubet. Conſpiciebatur iam Moſes à cuſtodijs ſuorum, quæ per montium iuga diſpoſitæ fuerant, aperto campo hoſtes eodem tenore inſequentes, iamiam ad locum inſidiarum pertractos, ſociorum manibus cædendos traditurus. nam lentiori gradu primum noſtri inter agenda iumenta deflexo nunc hac, nunc illac procurſu expectantes magis, quam fugientes carpſerant iter.

Miſericordia Moſis ducis in militem ſaucium.

Milites duos intelligit, alterum vulneratū, alterum cui Moſes hūc commiſerat.

Sed vbi prorumpentes è caſtris aſpexêre hoſtes, relictis ſaccis impedimentiſq;, in apertam fugam inclinauerant. Momento itaque temporis planicie ſuperata, contigere collem, qui à ſeptentrione oppoſitus, tegebat vallis vmbilicum, vbi aderant armati. Et priuſquam immineret propius hoſtis, recepti tacite ſunt inter ſuos, ita labore & curſu continuo exhauſti equiq; viriq́;, vt verè fugiſſe appareret. Barbari velut prolapſos mox eos è collis vertice aſpicientes, valle immerſos latitare arbitrati recta illos inſequuntur, & appropinquantes loco, vt commodius vndiq; obſeſſos caperent, effuſi paſsim ac inordinati, hi collem conſcendere, hi ab alijs partibus ingredi vallem parant. Conterruit tamen primo viros auditus ingens fremitus equorum, immotiq; gradu ſilentium tenuerunt, donec certior iam ſonus, ſtrepitusq; increbreſcens, aperto indicio patefecit hoſtes. Tum audita maiora omnia viſa, & incerta timidius (vt fit) interpretata, perpulere facile ad fugam homines. Fugere iam parantes Scanderbegus dato prepropere ſigno, ingenti, vt in re ſubita, iniecto terrore, conſurgens à dextro latere eſt aggreſſus, Tanuſius à ſiniſtro, ſuperne quoque peditatus, qui inter confragoſa montis loca, & aſpera latitabat, ex improuiſo deſcendens, eodem impetu obruit. Stetêre tamen admiratione quadam magis, terroreq́; perculſi, quam certo ad dimicandum animo. Sed vbi ſæuientibus vndiq; hoſtibus ſuaſit arma neceſsitas, concitatis ingenti furore equis, occupauêre collem. Et primo equeſtres haſtas iacientes ex alto (nullus enim alius in tam exiguo interuallo loci, ac præcipiti, & inæquabili ſolo eius teli vſus aderat) arcebant hoſtem, ſed ſuccedens ab auerſa parte Peicus Manudi cum agmine peditum, quorum ducenti ſagittarij, totidem ſcorpionarij erant, facile pulſos loco impulit in præceps. Subter hoſtis vndiq; circumſidebat. Deorſum premebat intollerabilis vis telorum, ita vt vix vllus ad effugiū exitus pateret oppreſsis. Strictis itaq; gladijs omnes in duas partes diuiſi irruunt in aduerſos, ac velut cæci multa ſuorū ſtrage incumbunt in tela, & in ferrū ruunt, ſed facile pellebantur retro à pluribus pauciores, & feſsi ab integris. Præſertim à dextero latere, vbi Scanderbegus vallū, murumq; velut fecerat denſato agmine equitū, peditumq; haſtatorum. Coaceruati igitur eadem rabie omnes, à ſiniſtro latere perfracto robore noſtrorum penetrant aciem, emptaq; multo ſanguine via, pugnantes ſimul, & fugientes cōſulunt ſaluti. Confuſa repente ſunt omnia, neq; vel ordinis ſeruandi cura, vel retinendi collis habita amplius ab Epirenſi, pro ſe quiſq; inſtat victis, & cædere fugientes pergit. Attriti ſunt fermè plures in eo tumultu contentioneq; exeundi, proprio onere, & ſociorū armis, quam hoſtium. Effugêre tamen paulominus, quam duo millia: reliqui occiſi, nudataq́; ſpolijs cadauera palpitantia adhuc iacuêre, qua quenq; oppreſſerat fatum. Fugientium 34. viui capti. Cæteros vix vllus eſt 20. paſſus inſecutus, mox nanq;

Peicus Manudi.

Scorpio militare inſtrumētum eſt, quod vulgo nūc baliſtam vocāt, ita dictus, q; paruis ac ſubtilibus ſpiculis inferat mortem.

receptui cani iuſſum à Caſtrioto, quum contentũ ſe ea victoria diceret, timereq́ , ne ſi exaturari ad finem libidinẽ ſuorũ permitteret, breue foret id eis gaudium ſibiq́. Signa militaria tria tantũ adempta, ſed neq; plura tulerant Barbari, quum tumultuarie, & quaſi latronũ more veniſſent. Equi occiſorũ mille amplius inuenti, cæteri confoßi inter pugnandũ fuêre. Victorum 22. tantum interfecti, vulnerati 15. Ita compẽſauit egregia præda victoriaq́; iacturã frumenti Albanus. Turcarũ ſtatiua, quæ ſub oppido morabantur, læta fuêre primũ cõuecto frumẽto hoſtili, iamiã inde vinctos frumentatores expectantia adduci ad præſtitutũ ſupplicium immolãdos manibus illorũ quinq; occiſorum. Vbi verò eam tanti agminis deformitatem, ac ſuorum ſtragẽ aſpexêre, obortæ cum inani indignatione lachrymæ viris, obtorpuereq́; inſigni mœſtitia animi. Trepidatũ quoq; ſummopere eſt in totis caſtris, veriti ne elatus eo ſucceſſu hoſtis, ipſos eodem impetu adoriretur, quum maiorẽ longe numerũ noſtrorũ, & totius vires prouinciæ adeſſe in oculis crederent. Quare diſpoſitæ vndiq; præcipua cura cuſtodiæ, partiti exactißime ordines, ac in ſpeciem coronæ circa ducum tentoria cõſidere iußi. Parata ſuis locis ſigna, equi ſtrati, frenatiq́; , velut certißimo indicio expectaretur hoſtis. Non tamen is animus Epirenſi, non ea victoriæ elatio & inſolentia ſpiritus erat, quin timebat non minus hoſtes & ipſe, quam ab eis timebatur, & moliri aliquid in ſe ad eam ignominiam vlciſcẽdam aßidue putabat, præſertim quod non longe iam regia caſtra abeſſe nunciabatur. Primum igitur omnium exortis tenebris colligi vaſa iußit, & alijs quinq; millibus paſſuum procul ab hoſte locauit ſtatiua. Mane vix dum orto ſole, Tanuſium cum 50. militibus, & ſingulis famulis Croiam verſus, ad accerſendas copias ibi cum Georgio Streſio relictas miſit, equosq́; ac prædã captiuam illis tradidit in tutiora prouinciæ loca deportanda. Procurata ſunt ea omnia, expeditaq́; ſeptẽ diebus, ac coactæ in vnum copiæ noſtrorum. Biduo tamen prius quã nouum iſtuc præſidiũ receptum eſt in caſtris, quinq; millia anteſignanorũ Tyranni, ſecunda noctis vigilia aduolârunt ad vrbem. Amurathes cum reliquo apparatu craſtina luce inclinato iam ſole eſt ſubſecutus. Milleſimus hic quadringenteſimus quadrageſimus nonus à Chriſti natiuitate computabatur annus, vndecimus autem à tempore quo Scanderbegus obtinuerat imperium, pridie idus Maias, quum matureſcunt ſegetes in campis, & veſtita herbis prata commodã præbent pabulationẽ exercitibus. Id aptißimum belligerandi tempus ad externas præſertim expeditiones obſeruant ſemper Barbari. Pari igitur ratione prohibuit Tyrannus quicquã in hoſtilibus campis corrumpi, vel proteri frumẽtum, vt mature factum poſtea & demeſſum præſtaret alimenta militibus. Sed ſumma ratione conſilioq́; , tum ex more gentis, tum vt deterreret oppidanos, huiuſmodi pompa ſpectaculi eſt conſtituta: primum inſtructa peditum agmina, &

Anno 1449. nono anno imperij Scanderbegi, bellum Sfetigradenſe.

na, & leuem armaturam Aſapporum, deinde equites iuxta Timaratores, Subaßidas, Sanzacchos, ac cæteros ſuo ordine duces obire mœnia vrbis præmittit, atq; ingenti plauſu, clamoreq́; militari, & omni inſtrumentorũ crepitu edito ſe præire iubet. Deinceps quiſq; ad eligenda ſtatiua diſcurrentes, fixis humi ſignis, ſtatuunt diuerſis locis tentoria, maior pars peditatus, ac vilia vulgi capita ſecundum radices montis ſub mœnibus, & in magis opportunis iniuriæ locis diſpoſita. Equitatus partim tribus, partim quatuor ſtadijs ſtetit procul ab oppido. Prætorium, & ſtatio Principis octingentis paßibus amplius à murorũ ambitu collocata. Totum id noctis in ſituandis caſtris, ordinandisq́; cuſtodijs, per iocos cantusq́; varios tranſactum. Non tamen expers moleſtiæ animus Tyranni erat, quum & recentem ſuorum ignominiam acceptam ab hoſte æquo animo ferre non poſſet, & difficilem vrbis potiundæ ſpem cerneret in ea, præſertim inacceßi loci aſperitate, qui in ardui crepidine montis ſitus, vix habilem expedito pediti præſtabat acceſſum, ita ni lenioribus conſilijs magis quam armis fidem oppidanorum expugnaret. Nihil igitur poſtero die tentatum vel molitum hoſtiliter in muros, retentus quietißime miles, neque procurſationibus vllis indultum. Mißi verò ſub ſero diei caduceatores ad vrbem, cum poſtulatis Ottomani, qui monerent obſeſſos imminentis mali, periculiq́;, ni priuſquam bellicum cani audiſſent, ad voluntariam deditionem animos inclinarent formula ea ædita ſingulis. Nihil immutaturum Amurathem de priſtino ciuium ſtatu, eadem onera, muneraq́; relicturum viris, quæ ante à Scanderbego eſſent præſtituta. Præfecto multa dona, honoresq́; propoſiti, præſidio libera abeundi facultas, & 300. millia aſprorum promiſſa (genus eſt argenti ſignati apud Barbaros) dare ſe eius noctis ſpacium ad conſulendum. Si perſiſtant in pertinacia, viſuros craſtina luce ſupra caput armatos, & fruſtra ſtrictis idem gladijs, ac perfractis mœnibus ſpretas ſemel conditiones imploraturos. Perlatus, qui in foro aderat cum agmine armatorum, vbi progreſſus è muris miles, nunciauit adueniſſe regios quoſdam, petentes, vt eum alloquerentur, citato gradu mox proceßit ad eam partem vrbis, vbi hoſtes expectare narratum, ſuperſtansq́; è muris per interpretem dicere Barbaros iubet, illi ſummoueri cæterã turbam, habere ſe à Tyranno, quæ cum eo ſolo agerent, poſtulant. Ad ea Petrus facete cauillatus & iocans: Aptum quidẽ tempus, ait, obſeruaſtis amici, quo archana iſthæc veſtra in noctem differretis, vt nedum milites meos, ſed diem quoq; ipſum laterent. Quare timeo, ne eius generis iſthæc ſint, quæ ad me affertis, quæ lucem ipſam nõ iniuria horreant, licet forſan verecunde factum à vobis, laudari debuerit. Non tamen accepiſſe ſe exemplum à maioribus ſuis, inquit, vt quicquam inconſulto milite ſuo ageret, quos laboris, & periculorum ſocios haberet, ac ſummoueret ab hoſtilibus alloquijs illos, quorum

Spectaculum Turcę quo obſeſſos Sfetigradenſes deterrere voluit.

Situs Sfetigradi.

Caduceatores quos vocant Hiraldos.

Reſponſum Perlati, datũ Turcæ petenti deditionem Sfetigradi.

præcipue fidem ad Scanderbegi imperium, ad Epiroticā libertatē defendendam ad ſui deniq; corporis cuſtodiam elegiſſet. Neq; conſueſſe ſe præterea noctem vllis externis cōſultationibus adhibere, in eo præſertim rerū tumultu veniam eius temporis darent, craſtina luce, ſi vellent, eos ſe ad ſatietatē vſque auditurum. His dictis excedere ilico à muris iuſſit. Irritati tum ſunt



maxime (vt leuiter impelluntnr) vulgi animi, ac ingenia militum, coactiq; circa præfectum ſpectatores ad ſitum vrbis contemplandum, & perſcrutandas res oppidanorum nō fœderis cauſa miſſos vociferantes, aperiri portas rogant, vt comprehenſos & adductos in vrbem, confeſſionem veri ab eis extorquerent, & præciſis manibus (vt puniri exploratores conſueuerunt) remitterentur in caſtra. Petrus non ſolum negauit iſthæc ſtolide petentibus, ſed ſeueriori etiam caſtigatione verborum, repreſſit libidinem militarem: Non eſſe, inquiens, aliquid in rebus humanis tam ſtudioſe obſeruandum mortalibus, quàm vt fides non læderetur. Ipſos curioſos nimis & ſolicitos interpretes factos, vt in ea incertitudine rei ius omne gentium, faſq;, & mores ac ritus bellorum violarentur. Rediêre igitur nuncij ad Tyrannum æque, ac venerant, ſicut nullo, neque facto, neque verbo inclementiori violati, ita incerti omnium, nullaq; re vel expoſita, vel impetrata. Indignatus eſt primo ſenex velut per deriſum contemni ab hoſte, & propior fermè ad oppugnandam prius armis, quàm verbis vrbem fuit. tamen ſedato animo, nihil ſatis humile ratus, vel pudendum Principi, quod pro imperij ratione & cupiditate gloriæ non ſit adeundum, præſertim vbi conciliari per beneficium populorum animi poſſint, & haberi oppida vr-

Fides ſeruanda & ius gentium.

da vr-

da vrbesq́ incruento milite, & ſine aliqua pernicie mortalium ſubiugari. Poſtero die iiſdem ipſis mandatis eoſdem tentare oppidanorum animos iubet. Adiecitq́ vnum ex purpuratis ſuis, verendũ animis virum, & præcipue in perſuadendo ſolertiæ, Epiro oriundum, quo & maior intereſſet agendis grauitas fidesq́, & notæ linguæ homo facilius obſtinatos animos nunc precibus, nunc conſiliis ad deditionem impelleret. Appropinquantibus illis oppido, Perlatus priuſquam ad colloquium deſcenderet, procurauit è muris vndiq; perluſtrari oculis montem, ac viciniores mœnibus ſaltus, ne inſidiæ aliquæ inſtarent à tergo. Dehinc portula quadam, cui Dibrana nomen eſt, recepit in vrbem barbaros. Purpuratus tantum immiſſus fuit cum tribus militibus, & duobus famulis, adductisq́ per medium forum in templo ſanctæ Mariæ, & conuocatis ſenioribus vrbis, concilium indixit. Iuuentus namq; omnis excluſa, ne is motus alicuius cauſa fieret. Tum conſurgens Barbarus, quũ ſuas diceret primas partes loquendi, qui prior ad colloquiũ inuitaſſet, multis prius verborum lenociniis præſtruere fidem ſibi, ac præoccupare oppidanorum animos eſt conatus, atq; à multarum vrbium populorumq́ exorſus exemplis, tam accurate diſſeruit omnia, vt nihil haberes quod reprehenderes, niſi quod immodice ad terrendos homines ſupra mortalium ingenia Tyranni vires extulit. Petrus eleganter ait, & optime eam cauſam actam eſſe, niſi apud tam obſtinatos animos, & deuota libertati pectora ageretur. Inclinaturos ſine variatione ad ea poſtulata omnes eſſe, ſi vel Ottomanum & inanes hoſtium minæ ad fortes animos penetrarent, vel imperium Scanderbegi illis faſtidio eſſet. Nullum neque maleficium eius ad hanc diem extare, neque beneficium Amurathis, quo præponat externum ciui, amico hoſtem, Chriſtiano Barbarum. Ageret, tentaret, experiretur armis Tyrannus, ferro perterreret obſeſſos, perfringeret muros, ederet prius occiſorum aceruos, vt eo ſpectaculo exanimati ciues ad genua eius prouoluti, tunc has pacis conditiones approbent, turpe nunc videri ſibi, ac prope ridiculum tantæ indignitati ſubmittere animos, priuſquam infeſtis ſignis impeti muros, & diſcurrere armatos ſub mœnibus, priuſquam gemitus, vulnera & ſanguinem ſuorum, priuſquam effoſſam murorum compaginem, ac nudata vrbis latera conſpexiſſent. Rectius tamen facturum Amurathem, ſi conuerſis ſignis Adrianopolim repetat, & ſenilis quod ſupereſt ſpiritus immunis à bellica inquietudine tranſigat, neque fatalem ſibi populum armis diutius laceſcat, quorum egregiam in tuenda libertate fidem, ac priuata, & publica in duces ſuos ſtudia, totiens tanto ſuorum ſanguine ſit expertus, ſe promiſſam ſemel Principi fidem, & traditæ curam vrbis, niſi mortuum non relicturum, ſat præmiorum, ſat honoris delatum ſibi credere, ſi vel defenſam patriam ſuperſtes aſpiciat ſpiritus, vel ea collapſa vindex

Secundo tentat Tyrannus Sfetigradum ad deditionẽ impellere.

Barbari oratio ſuper modum Tyranni vires efferẽs.

Pulchrum reſponſum Petri Perlati.

Fatales populi.

dex libertatis dextera, & inſons animus inter ſuorum cadauera liber ad meliorem patriam migraret. Idem finis & orationis & conſultandi fuit, nam primores vrbis, qui aderant, ad vnum ingenti aſſenſu, vocem præfecti laudibus efferentes approbarunt. Regij nihil vltra apud tam ſurdas aures agendum rati, re infecta exeunt de templo. Præfectus cum ſuis iuxta ſecutus, & quia prãdendi tempus inſtabat, laute & opipare acceptos habitosq́ ad portas vſq; deductos ad ſuos redire permiſit. Mouit maxime Ottomanum audita oppidanorum fiducia, & grauitas, prudentiaq́; ducis, rerum præterea omnium & alimentorum copia, non ad neceſſarios tantum vſus, ſed abuſus etiam in vrbe repertorum, quæ potius de induſtria curauerat diſponi per vicos Perlatus, intrantibus oppidum regijs, vt narrata poſtea Amurathi amouerent ſpem vrbis per diutinæ obſidionis, & famis incommoda potiundæ. Amurathes ægrefert leges bellorum ſibi dari ab infami caſtello. *Quare vbi nullum aliud remedium præterquam in armis cognouit Tyrannus, indicto mox ad prætorium concilio, purpuratorum & fortiſſimorum quorumcunq;, ac peritorum militiæ virorum, ardens odio ſimul, iraq́;, quod leges bellorum, & agendorum conſilia ſibi ab infami caſtello, & clauſo latronum agmine darentur. Quod inuictos ſe, & fatales populos velut vſurpato prouerbio appellarent. Multa de oppugnandæ vrbis ratione quærens tacite, & conſulens diſſeruit, præcepitq́; tum ordine quædam viris, quæ ad id operis genus in rem eſſent. Reliquus apparatus, & exordium oppugnationis in poſterum diem dilata, nam parum adhuc eius diei ſupererat.*

MARINI

MARINI BARLETII SCODRENSIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI, LIBER QVINTVS.



INuaſerat iampridem ex Amurathis aduentu, & hoſtilis exercitus fama, pauor, timorq; vniuerſum Epiroticum nomen, regulos præſertim, ac Principes vicinos ſolicitos, ne ſi tam immodicus hoſtis obſeſſam vrbem abſorbuiſſet, eodem quoq; calamitatis tenore cæterorum fortunam traheret. Quare ſecretis hincinde concilijs habitis (licet pleraque, ac ferè omnia ad locorum præſidia, & ſaltus regionis cuſtodiendos antea procuraſſent) legatos ad Scanderbegum ex omnibus locis decernunt, qui monerent ducem, ne pateretur ea impunitate diutius Amurathem vrbes Epiroticas vexare. Nam ſi iniquo aliquo ſydere Sfetigradenſis vrbis atrox Tyranni animus compos fiat, cæterorum quoq; ſumptis velut inde victoriæ auſpicijs, & ferociæ alimentis eandem fortunam facere. Neue (id quod longe pernicioſius eſſet, & maximo omnium periculo futurum) ſolus ea hominum paucitate ad hoſtium vires tentandas, & tanti exercitus molem laceſſendam animum deſtinaret, offerrentq; ei arma, equos, viros, commeatus, aliaq; omnia, quibus amoueri commode tantum incendium poſſet, antequam vniuerſi conflagraſſent, ſatis ſe quiſq; de-

fenſos, tutosq́; dicentes, ſi defenſum nunc eum ab ea periculi vaſtitate præſtent, à qua tum publice, tum priuatim incolumitas omnium, & quietiſſima poſſeſſio imperandi, tum prouinciæ totius robur, & perpetua Epirotici nominis gloria pendeat. His alijsq́; multis obedientiſſimorum ſociorum & beneuolentiſſimorum animorum documentis onerati nuncij, recta via circumfuſos Sfetigrado montes, vbi locata Principis ſtatiua eſſe ſciebant, petunt, ſed non inuentum illum, ibi per totum diem expectârunt. Namque quum primum Amurathes ſigna intulit in Epirum, & tam immenſi exercitus, ac tantæ rei fama omnium aures animosq́; formidine repleſſet, poſtridie eius diei Scanderbegus cum Tanuſio, & Georgio, ac decem electis cuſtodibus corporis ſui, militari (vt conſueuerat) ſagulo amictus ad peragrandas propiores periculo prouinciæ vrbes, & firmandos animos, ac ſtabiliendam eorum fidem proceſſerat, non ignarus (vt in re noua ac recenti) multum illos ex tanto rerum motu atq; creſcentibus quotidie vel falſis rumoribus, & animo perculſos eſſe, & plurimum ſe omnium ſolicitudini, ac timidis conſilijs mederi poſſe, reſtituereq́; hominibus (ſi qua parte labaſſent) priſtinum robur animorum & ſolitæ pertinaciam fidei, ſicq́; nihil (vt inſtituerat) prætermiſit. Orſus enim à Croia, tanquam

Vranacontis reſpõſum datum Scanderbego.

à capite, vel imperij, vel ſolicitudinis, accito ad portam Vranaconte cum agmine armatorum, ac nobiliſſimis quibusq́;, vrbem namq; ingredi prohibebat, multa ex breui temporum agendorum inſtantia, plerisq; concitatis rebus (vt aiunt) calcaria addere ſuperflua cura conatus eſt. Reſponſum à præfecto tulit, ſicut tantæ non indecens fidei, ita neque iniuria ingrato ſilentio à præclaro viro auferendum. Indignanti namque primo ſimillimus, & velut mœſtior ex eius aduentu: Si, inquit, hodie Scanderbege Amurathem, & hanc quam narras, præclari exercitus formam, quam te ipſum viſuri erant Croienſes, adeò ſicut ingratus & publice omnibus, & priuatim ſingulis ſermo iſte tuus fuit, ita nihilominus aduentus quoque ipſe moleſtus. Quid enim deterius afferre potuiſſet hoſtis vel viſus, vel auditus, quod magis fortium virorum turbaret animos, & feroces oſtenderet ſpiritus? Iam eò decurritur, iam eos aduerſus te & Epiroticum imperium animos gerimus, vt donec vigent hi rerum motus in prouincia, & donec reddit in Epirenſibus campis armatis iura Amurathes, expectatior ſit omni tempore, gratiorq́; nobis hoſtilis congreſſus, quàm tuus iſte futurus, quandoquidem hic nihil præter tacitas querelas, ac velut inclinatorum ad perfidiam animorum ſolicitas dubitationes aduehit. Ille totius materiam laudis, præclarum fidei experimentum, ac perpetuæ occaſionem gloriæ eſt allaturus. Nihil aduerſatus ijs Caſtriotus, ſed expurgans ſe, & nuncium non hortatorem appellans, dimiſſo inter oſcula præfecto militibusq́;, ad reliqua euectus loca, ex animi ſententia omnia & inuenit, & reliquit,

liquit, abſcedentibus tenebris, neque adhuc certa die applicuit in caſtra, feſſus longa itineris fatigatione, & continuis vigilijs propè exhauſtus. Sed vix reſpirandi tempus cõceßit ipſe ſibi, vbi legationes ſociorum vidit. Conuocatisq́ extemplo primoribus ac optimatibus ſuis, permiſit liberas conciones viris. Illis auditis, liberaliter conſenſu omnium laudati, maxime ſocij, & gratiæ actæ à Scanderbego, quod in ea perturbatione rerum tantam ſalutis & laudis ſuæ pariterq́ Epirotici nominis rationem haberent. De auxilijs reſponſum, vt bono eſſent animo, non videri ex re nunc ſibi maioribus copijs agere cum hoſte, & integris adhuc omnibus nudare præſidijs ſociorum latera, ſtarent interim inſtructi & ipſi, atque defixi in Ottomanum. Difficile eſſe perfidi hominis conſilia pernoſcere, vbi aliqua bene gerendæ rei occaſio affulſiſſet, illuc præter ſpem omnium irrupturum ſe, quum operæprecium erit, & maior exiget ius periculi, ac ratio dimicandi, illorum opera libenter, & æque ac ſua vſurum. His expeditis, paratæ militariter menſæ, ac refocillatis corporibus, tertia hora diei cum multis muneribus dimißi. Dum hinc conſultationibus geruntur res, & verborum magis quàm armorum vſu Amurathem oppugnat Caſtriotus, ille dilatam ac præſtitutam diem Sfetigradi oppugnationem aggreſſus, locatis in eminentiori quodam loco oppoſito vrbi, vnde apertior murorum aſpectus apparebat, duobus tormentis ingentis magnitudinis (neq; enim plura aduexerat) triduo ad id operis intentus, crebris ictibus ſatis amplam murorum partem decuſſerat, concœperatq́ craſtina luce totis ſignis & robore exercitus ſuccedere mœnibus, ſperans non poſſe aliqua oppidanorum pertinacia, vel arte excludi ab vrbis poſſeßione milites, quum perfracta inuaſtum vrbis latera non difficilem ſuis aditum promittere viderentur. Nunciata hæc omnia Epirenſi per eam noctem ſunt à cuſtodijs locorum & exploratoribus. Proinde coniectatus & ipſe tacitam hoſtis voluntatem, ac inſtitutum Amurathis, ſubueritus eſt primo, timens ne obruti multitudine ea armatorum, ciues ad hoſtes propulſandos non ſufficerent, & collapſa alioquin ab ea parte mœnia eum timorem augebant. Quare voluens plura animo, ſtatuit eius periculi laborisq́ partem in ſe transferre, ac laxamenti aliquid præbere obſeßis. Medio itaq; noctis acceptis tantum vnius diei cibarijs, reliquis impedimentis, ſarcinulisq́ ibi relictis, quinque millibus paſſuum procul ab hoſte in veteri præteritarum loco inſidiarum poſuit caſtra. Præmiſſoq́ Muſachio, & Guiriza Vladieni, primoribus ſuis, ac præcipuæ ſolertiæ viris, ad ſpectanda hoſtium ſtatiua, & obſeruandum apparatum ad vrbis oppugnationem, ipſe iugi ſilentio manſit, donec gerendorum conſilia ex ſuorum aduentu ſumeret. Secunda diei hora ſimul & Epirenſes ſpectatores ad copias ſuorum vertunt iter, & educti è ſtationibus Aſappi atq; auida periculorum gens Janizari, armis inſtructi, & ad

Oratores ſociorum atque Principum Epiri, Illyrici atq; Macedoniæ ad Caſtriotum cõtinuò cõuolant auxilia offerentes.

Oppugnatio vrbis.

Aſappi auida periculorum gens.

inuaſionem parati conſcendunt montem, equites vix tribus paßibus ſuperare radices montis propter accliuitatem illius poterant, & procul intenti ſagittis, ſuperſtantes è mœnibus hoſtes terrebant magis quam arcebant, viliora capita vulgi, ac imbellem turbam ad primos impetus oppidanorum exponebant, vt defatigatos ea cædendi occaſione facilius ipſi poſtea ſternerent, & auocatis ad eam materiam rei bene gerendæ à deſignatis cuſtodijs ciuibus, nudata præſidijs munimenta occuparent, hæc ab ea parte moliebantur, qua perfracta mœnia tormentis fatiſcebant. Sed facile locus ipſe natura arduus & erectus pellebat homines, & leuißimo quoque ictu deturbabantur ab oppidanis. Aggerem præterea eo loci per eam noctem fecerant ciues, congeſta terra tumuli in modũ & cratibus vimineisq; pluteis circundederant locum, præparatisq́; circa ſudibus, & lapidum congerie paruo impulſu emiſſa tela altitudo ipſa, ac decliuitas loci concitabat in ſubiectos, vix vllo ſatis firmo retinaculo oblato, vel certo veſtigio firmandorum pedum ruentibus in præceps in alijs vrbis partibus, præſertim iuxta portas, vbi planior locus erat, & facilior militibus aſcenſus, deſcenſusq́; oſtendebatur. Circumfuſi vndiq; Aſappi ſcutati à fronte, & pone duo lectorum hominum agmina ſcloppis, ſcorpionibus, ac velut caligine ſagittarum ad auertendos à ſtationibus oppidanos locata erant, vt fa-



cilius euaderent in muros Janizari, qui plures admouerant ſcalas, ac ſumma contentione vulnerum prorſus, mortisq; immemores, integri alij, alij vulneribus confecti aſcendentes iam ad coronam ſummis manibus attentabant. Jnconcuſſa namq; ab ea parte mœnia fuere, neque præſidium

aliud,

aliud, quàm per ſcalas, potiundæ vrbis apparebat, ſed quo altius à terra euecti ſuperabant muros, eo infirmiores ad inſiſtendum, multi ſuo ipſi onere ruebant, & cum ſcalis ipſis deuoluebantur humi, quæ pondere frangerentur aſcendentium. Plures præciſis digitorum retinaculis, inutilibus ad tenendum manibus, quibus collapſa primum arma corporis, deinde ipſi quoque ruina ſequebantur. Sed ſaxis præcipue gerebatur res, quæ ſupernè demiſſa cum ingenti fragore promiſcuè & armatorum, & omnis apparatus idem exitium trahebant. Et licet paſſim innumeri caderent, aſcendebant tamen nihilo pauciores, ac recentes, integriq́; pro defeſſis, ac vulneratis ſuffecti, oppugnationis miniſteria ſubibant, & per cadauera ac ſanguinem iacentium irruentes maiori iam vltionis ſtudio, quàm cupiditate prædæ, abiecto omni procul mortisq́; timore, ingenti fremitu rapiebant murorum propugnacula, & feſtinatione ipſa, ac certamine aſcendendi, quum quiſque ſummus euadere non poſſet, alij (vt plerunque fit) alios impediebant. Oppidanis cum ingens copia congeſta telorum ſuppeditabat, tum etiam vires ad exercenda non deerant, adiuuabat præterea omnia locus, & ipſe ſibi ſuppetias ferebat. Ad ſagittas autem & miſſilia hoſtium, plutei quidam, & tabulata diſpoſita fuerant, ac porrecta in modum ſcutorum, vt tecti ponè milites facilius aſſignatas ſtationes ſeruarent, & ſua quiſq; munia commodius obiret. Turcarum plures viui capi manibus poterant, quum propter altitudinem ſcalarum corporibus penè ipſis contingerent hoſtes, & inermes nonnulli relictis armis aſcendiſſent, dum impedirent onera ſcandere cupientes. Nemo tamen viuos, quàm mortuos mallebat, timens, ne ſi in eo furore & rabie pugnandi hoſtis ſeruandi cura, & prædæ cupido animos inceſſeret, vrbs ipſa ſtolide ab ignaris amitteretur. Hæc primo fermè & ſecundo impetu tentata à Barbaris. Vbi verò fœde repulſos ſe ſemper viderunt, iam inanes conatus, & ſtolidum mortis appetitum cognoſcere incipientes, & quiſque propria tractans vulnera, ac profluentes ſanguinis riuos aſpiciens, tum demum ferinam mitigare iracundiam cœperunt, imbelles, tum etiam virorum ictus tardior concurſus ad muros. Non agilis dextera, non pernicitas pedum aderat propter tacitam virium defectionem (vt maxime ſolet laſſitudo haurire ſpiritus ex aſcenſu continuo) ſed aſtantes à tergo duces & purpurati regis, nunc adhortationibus, nunc minis vrgentes, feſſos concitabant in hoſtem, ac impellebant verberibus, ſi qui ſegnius intuliſſent pedem. Ita coacti redintegrabant pugnam, & languida corpora trahentes in hoſtem, torpidos efficacesq́; ictus in aduerſos muros effundebant, & paulatim deficientes mœſtam exhalabant animam. Multos inter expirandum ſocij tractos pedibus, dum à ſæuitia oppidanorum ereptos deducere in tentoria conantur, & officio pietatis fungi credunt, alij quaſi conſulentes ma-

Clamor lætitiæ index.

gis vulneribus confoßi, ſuper ſemianimes cadebant ſocios. Exin facile iam victor oppidanus ex clamore indice lætitiæ è muris ſublato & feſtiuis inceſſationibus irridebat victos, augebatq; dolorem viris, ac renouabat vulnera, ſed non ferens inultam eam ignominiam Tyrannus, vnum ex ſatrapis ſuis, Feribaſſæ nomen erat, præclarum & virium, & ingenij robore ducem, cum tribus armatorum millibus, ac quibusq; bellicis inſtrumētis, magno præterea ſcalarum numero ad oppidanorum excidium, vel verius ad vlciſcendas iniurias, & præſidium ferendum ſocijs miſit. Mox clamor omnis ceſſauit in vrbe, & timorem arguens ſilentium ad aliam belli duriciem, & recentes ſudores ordiendos euocauit milites. Intenti itaq; omnium animi, oculiq;, ad auertendum nouum hoſtem, & perturbandos progredientium apparatus, ſagittis primum, manubaliſtis, ſcloppis, catapultis omnis generis, quibus à longe potuit arceri procul à muris tenuerunt hoſtem. Deinde vbi inferri pertinaciter ſigna aſpexere, & præter aliquem periculi reſpectum impeti mœnia viderunt, ſudos ſaxaq;, illitas pice oleoq; corbes & ſarmenta iniecto igne iaciunt in ſubiectos. His igitur onerati, ac perterriti regij, dum alij ab incendio ſe ſubtrahunt, alij ad extinguendum ignem accurrunt, paucas admodum vllas mœnibus ſcalas admouere potuerunt, & quæ admotæ fuerant plures arſerunt incendio. Dux ipſe cum parte agminis euectus aliquantulum ab eo tumultu, & occiſis ſtationarijs quibuſdam noſtrorum erectis ad eam partem murorum ſcalis, pugnando ſimul & hortando accēdebat viros, vt in vacuam inde vrbem intrarent. Neque deerat obſequium militum, & ſuopte inflammati ingenio vulgi animi, ingenti namq; ferocia, ac propè rabie omnes certatim, id decus petebant, non ignari quam præclara quæq; præmia, & ampliſſimæ faſtigium fortunæ, præter muralis coronæ donum parata eſſent ei, qui primus murum aſcendiſſet, ſed irritas & ducum adhortationes, & contentiones militum fecit, accurrens repente in locum demortuorum ſociorum Perlatus, cum non ignobili manu Dibrenſium, ac grandine veluti telorum obrutos homines contriuit, apparatusq; omnes perfregit, ac diſſipauit. Clamor iterum renouatus ex vrbe, & repulſus hoſtis, licet maiori timore quàm periculo. Vix enim ex eo agmine 30. ceciderunt, vulnerati duo de viginti. Nemo tamen ab alijs operibus oppugnationis abſtinuit, priuſquam receptui cani audiuiſſent. Inſtabant ab omnibus partibus pertinacia ſola, qua poterant, ac pudore magis quàm viribus, ita vt ſatis ampla copia reſpirandi fuerit oppidanis. Longe tamen amplior, nunc futura ex ipſo Scanderbegi aduentu, & aſpectu ſociorum, quos index iam venientium puluis ac fremitus equorum auribus, oculisq; omnium prodebat. Tarditatis autem noſtrorum (pugnatum eſt enim ante eorum aduentum ſub muris tribus amplius horis) ea cauſa fuit, quod poſt multas deniq; ſententias tutius viſum,

Feribaſſa.

Donum paratū ei, qui primus murum aſcendiſſet.

viſum, & magis opportunum, ſi protraheretur pauxillũ eius dimicationis exordium, donec hoſtes vacuis tentorijs relictis omnibus ſignis viribusq́; in oppidanos intendiſſent, ac quiſq; ad ſua diſcurriſſet miniſteria, facilius tunc rati intentos operi, ac occupatos feſſos, ac duplici oneratos hoſte aggreſſæ vrbis, & initæ oppugnationis pœnas luere poſſe. Sed nõ adeo ſupinus inuentus Ottomanus, nec tantæ ſe reum ſtultitiæ prudentiſſimus Imperator præbuit, vt conuerſa in oppidanos cuſpide, nuda tantum terga Epirenſi relinqueret. Locata namq; ipſe ſtatione paulominus quatuor ſtadijs procul à muris ſpectator & hortator conſederat, ſtipatus aſſuetis cuſtodibus corporis ſui & lectiſſimorum iuuenum agmine circa paſſim 15. fermè equitum millia diſpoſita, qui obirent aſſidue, & luſtrarent oculis omnia, ne motus aliquis orıretur à tergo. Epirenſis ſeptem millibus equitum, tribus peditum inſtructis vſq; ad duo millia paſſuum prope hoſtem proceſſit. Ibi verò de more partitis copijs, Moſem cum peditatu omni, & duobus equitum millibus in inſidias, & ad varios fortunæ euentus locauit. Ipſe cum reliquo equitatu maximo impetu apertiſſima, & campeſtri via tendit in hoſtem, & priuſquam ad coniectum teli appropinquaret, ingenti ſublato clamore & oppidanorum animos erexit, & depreſſit Barbarorum equitatus. Regius qui ad idipſum (vt dixi) inſtructus ſtabat, nihilo ſegnius occurrit, & concitatis equis irruit in aduerſos. Ipſi nihil multitudine territi, vel gradu turbati, illato infeſtius pede, primo impetu facili negocio propellunt ac diſſipant venientes, pluresq́; immixti, ac congreſſi cominus iam gladijs furere cœperant. Regij nulla re, præterquam numero ſuo aliquantiſper pares, iam cedere aperte, & timida fuga momento temporis paulatim confeſſionem ignauiæ præbere non erubeſcebant. Id vbi aduertit Tyrannus, & aduerſis vbiq; Dijs, ac infœliciter rem geri cognouit, mox cecinit receptui: Proh pudor, inquiens, & oſtentans digito paucitatem noſtrorum: Terga veſtra ait, tam infame latronum agmen vidit, ſed vidi, & ipſe, quod magis excitare ruborem fortibus viris debet. Ita ne Deos illi in manibus, in ſinu victoriam gerunt? Vos tantum imbelles gladios, mortales dexteras, & humana, ac ferro obnoxia corpora habetis? En expectant adhuc, quid ſtatis? Oberrant præ oculis tam vobis pudendi victores, abſorbere poteſtis cum totis armis equisq́; viros. Vlciſcimini ſanguinem veſtrum, vlciſcimini (vt enim ſit publici honoris ratio) cladem ſociorum, & priuatas ſaltem iniurias. Ad hanc illius vocem conuerſi extemplo omnes, & vndique relictis operibus effuſi ex monte proruunt in ſubiectos. Non expectauit Epirenſis, licet feſſos & inordinatos, ſed retroactis ocius ſignis, adeptum ſemel victoriæ decus ordinato in tuto receſſu, qua ſola poterat via ſeruauit, & vno tantum ſuorũ amiſſo, tribus vulneratis, ad Moſem ſe recepit. Ex Barbaris 60. amplius ceciderunt, & ſub ſolius Scanderbegi

Tyrannus receptui canit.

Exhortatio Tyranni ad ſuos.

Victoria Scanderbego cedit.

derbegi manu quinq; interfectos narrant. Recedentes eos Turcæ non longe ſunt inſecuti, nam veritus inſidias Tyrannus (præſertim quod de cæteris copijs latitantibus non incerta apparebant indicia) iterum receptui cani iuſsit. Pulchrum ſpectaculum erat, quum momento eodem & vrgere ab vna parte Barbaros, & vrgeri à tergo ab oppidanis cernere liceret. Inſultabant hi Caſtrioto cedenti, ac carpebant conuitijs, quem armis non poterant. Jllis moleſtior longe Perlatus & clamore aures, & telis terga inceſſebat. Nam vbi relictis munimentis ad auditum Scanderbegi nomen deſcendere eos ex monte vidit, occaſionem ſequens præbitam cum 300. armatorũ agmine erumpens, multo fremitu, ac grandine velut telorum, vſq; ad extremum montis illos eſt inſecutus. Jta omnia aduerſa irritaq; ea die Ottomano ſteterunt. Vrbis oppugnatio intermiſſa, hoſtes non aſſecuti, &

Ottomanus infœliciter pugnat.



incruenti erepti ex oculis, aucta oppidanorum audacia, & promptiſsimus ferme quiſq; ſub mœnibus amiſſus. Rerum præterea aliarum, ac totius apparatus vix tolerabilis ruina. Tria namq; hominum millia confoſſa per montis latera ſunt inuecta. Vulneratorum quatuor amplius millia exceſſere, inſtrumẽtorum bellicorum magna vis perfracta, ac conſumpta incendio. Oppidanis 40. non amplius militum iactura ea victoria ſtetit. Vulneratorum magnus numerus. Jngens tamen telorum multitudo ac ſpoliorum inuenta ſub muris, conuectaq; in vrbem, dum circa Caſtrioti receſſum occuparentur hoſtes, Tyrannus nihil amplius per eam diem tentauit. Sed recedens ab oppido, fixis circa tentoria ſignis, ac ſtationibus firmatis, per totam vſq; noctem mœſto ſilentio ſe continuit. Epirenſis quoque ſatis ea victoria

ctoria contentus, quod & diſsipatos hoſtes, & tantum laxamenti datum oppidanis cerneret, moratus tantummodo dum reſpirarent milites, ſublatis ſignis in priora caſtra vbi reliquerat impedimenta conceſsit, ac ibi cibo refocillatis corporibus ſomnoq́; mane ab vna parte nuncios rei bene geſtæ, & Sfetigradenſis victoriæ ad Vranacontem, & cæteras imperij vrbes ac populos decernit. Subſequenti die ab alia parte ipſe cum ducentis viris per ardua montium ad res hoſtiũ contemplandas ire perrexit. Et quum quieta vidiſſet omnia, idemq́; ocium oppidanorum, reuerſus in caſtra, & ipſe biduo ibi manſit. Poſtridie verò in Dibras ſuperiores cum omnibus impedimentis tranſtulit copias, ibiq́; munitiſsimo loco ſtatuit caſtra, 15. millibus paſſuum procul ab hoſte. Eam potiſsimum (vt arbitror) rationem in tam crebra mutatione loci ſecutus, ne vel certis ſtationibus ocio aſſueſcerent milites, vel conſilia inire poſſet hoſtis, aut per inſidias captandi viri, aut ab eo præcauendi. Amurathes interea ægreferens funeſtæ illius diei fortunam, & tam grauem repulſam ab oppidanis non æquo tollerans animo, vbi ſatis iam cæcis conſultationibus, & ignauo dolori datum eſt, accitis furoris & vltionis miniſtris, contemplari denuo ſitum vrbis, & obſeruare, qua parte magis obnoxia iniuriæ mœnia eſſent, iuſsit. Deinde diſpoſitis machinis, integro triduo in euertendis muris inanem operam conſumpſit. Nam licet ab ea parte laxarentur vrbis latera, & exſtructa opere humano munimenta corruerent, inſignis tamen natura loci nulla vi poterat, vel ingenio mortalium expugnari. Et quamuis aperta omnia, ac ſine defenſore fuiſſent, progredi vix manuum pedumq́; (vt aiunt) adminiculo expeditis licuiſſet viris, ne dum armatis, & eos trahentibus apparatus. Ita confragoſi montis ſaltus, & anfractus præcipites, liberum prohibebant aſcenſum. Ab alia parte vnde commodior apparebat oppugnatio, ſi perfringi mœnia potuiſſent, vmbilicus quidam in modum gibbi in dorſo montis oppoſitus, defendebat à machinis, ne à ſtationibus hoſtium in eum locum apponerentur tormenta. Sed tum propter aſcenſum in primo aditu difficilem, tum ob vicinitatem nimiam vrbis, fruſtra ſæpe tentata res. Erumpentes namq́; oppidani, ſemper apparatus impedierunt, & deiecerunt omnia beneficio loci adiuti, tormentis præterea cæteriſq́; id genus inſtrumentis, ſecure de muris hoſtium conatus deturbabant. Sic inanis labor ex omni latere apparebat, neq́; dilucebat quippiam, quod inuitaret ſenem ad ſpem tam cupitæ rei potiundæ. Statuit tamen crebris certaminibus, & vexatione aſsidua inceſſanter incumbere, exhauriri poſſe obſeſſorũ vires dictitans, quod licet dies primæ oppugnationis multo ſibi ſanguine ſteterit, ſatis tamẽ multos hoſtium quoq́; cecidiſſe, vt ex eo numero, ſed non totius tamen aleæ fortunam experiri auſus eſt, quum & à tergo reſidens hoſtis inijceret pauorem Tyranno, & recentis memoriæ cladis adhuc ob oculos obuerſaretur.

Sfetigradēſes erumpunt in Turcicos.

Ignobilibus tantum dimicationibus laceßiti oppidani, & quæſita crebris procurſationibus occaſio à regijs vrbis ex improuiſo potiundæ. Sagittandi tamen nullus finis erat, neq; à reliquis operibus oppugnationis à longinquo ceſſatum. Minimum itaq; vtrinq; iacturæ fuit, neq; aliquid dignum memoratu geſtum, muri non attentati manibus, & ſcalæ eouſq; nuſquam admotæ, donec Ianizari quidam latenter progreßi, obſeruarunt ſolitudinē quandam vrbis ab auerſa parte, vnde non ſatis neceſſaria viſa fuerat procuratio oppidanis, propter inacceßi propè loci munimētum, & prærupti montis cupidinem. Res ad Amurathem delata, mirifice eius mouit animam. Itaq; approbata ea occaſione, alij poſt alios ab illo mißi, & illuc conuolantes, iuſti agminis formam expleuerant. Præfecto obeunti munimenta, ea res nunciata eſt ſtatim à cuſtodijs propinquis, quamobrem accurrens mox ad locum cum delecto ſatellite, & magna vi telorum, ex occulto primum, & ipſe ſpectatis hoſtium conſilijs, admiratus ſummopere eſt eam audaciam hominum, vel verius ſtultitiam, & apertū vitæ contemptum. Deinde vt dolum dolo, & ſilentium ſilentio falleret, latuit tantum poſt munimenta, donec intentos operi ſingulos, erectaſq; ſcalas, & alios ſcandentes, atq; in ſublime leuatos vidit. Tum erumpens illico ita vel ſolo aſpectu exanimauit hoſtes, vt relictis armis, ſocijsq; multis, prout pauor cuiq; ſuadebat, profugerent, priuſquam ſub teli iactu eſſent. Pleriq; tamen inter fugiendū obruti ſaxis, reliqui obtriti ferè cum ſcalis omnes, & præcipites ad ima montis deuoluti. Ita deformatis, contritisúe corporibus, vt inuenti poſtea nō agnoſcerentur à ſuis, quum vix effigies humana ſupereſſet, oppidanorū nemo læſus abijt, ſed nec per totos eos dies gemitus fermè in vrbe eſt exauditus.. Nam ab ea parte qua tormentorum ictibus quatiebantur mœnia, interdiu quidē ſumma ratione verſabantur ciues. Noctu verò congeſta terra ſtipitibus, ſarmentis, lapidibusq; reficiebant locum. Dum ſic leuibus offenſis laceſſunt ſe, & acuunt magis iras, quam dimicant cum oppidanis hoſtes, Scanderbegus cum duobus equitū millibus ſollicitus vbiq; peruagabat, perluſtrans ſummo ſtudio omnia, ſi alicunde ſibi daretur occaſio intercipiendorum frumentariorum, vel aquatorum, vel id quod facile credebat miſſorum forte quorundam à Tyranno ad depopulationē prouinciæ, & vaſtationē agrorum. Vanus tamē huius rei æſtimator ſemper fuit, nam neq; tum, neq; vllo deinceps tempore Sfetigradenſis obſidionis tentatum tale quippiam comperio ab Amurathe. Redibat mœſtior in caſtra Epirenſis, vbi irrita ea conſilia, & nullam explendæ iræ materiam offerri ſibi cernebat.

Quadam die decima Kalend. Quintilis, acta iam ſecunda noctis vigilia, cupidus iampridem ſanguinis conſcendens equum cum Tanuſio, & quinquaginta viris ad aſſuetum opus, ſcrutandas videlicet res hoſtium profectus, quum ex alto proſpectans velut muta omnia, neque præter ſigna

hoſtile

hoſtile aliud quicquam vidiſſet, & ſtratos promiſcue cum iumẽtis ſub tentoria homines (torrebat namq; impatientia æſtus corpora cancer nimijs ſolis ardoribus peruſtus) conuerſum ad ſuos ita, & inſigni vocis orisq; habitu proloquutum ferunt:

O præclarum ſpectaculum viri. En Orientis Imperator, & terror gentium Amurathes. En orbis victor exercitus, qui Hungaricis ſpolijs, & Aſiatica gaza, ac Peloponeſiacis ornamentis toties barbaricas domos decorauit, ſepultus ignauo dolore, ſomnoq; iacet, à Sfetigradenſi præſidio, & tam puſilla vrbe victus, vt obſeſſo iam videatur, quàm obſidenti ſimilior, vix exaturari animus eo aſpectu poteſt, quam turpis rerum omnium facies, & iumentorum ſimillima omnia. Sed adeſſent vtinam ſpectatores Chriſtiani Principes, vix temperaturi quidem lachrymis nunc mecum, quum ex eo fœdiſsimi habitu hoſtis, fortunæ ſuæ indignitatem metirentur. Quod ad vos attinet, tranſmittite quæſo hæc ita ad ima pectora, & memores libertatis animos, ſicut oculis nunc tam ſordide ſubiecta ſine contemptu cernere non poteſtis, agitedum, properate mecum, dum aliquid diei ſupereſt, & recens huius ſpectaculi imago hæret animis. Abeamus in caſtra, vt accipiamus ſigna, vt ferrum tradamus ſocijs, dum iacens tam belle hoſtis cruentum nobis iugulum tradit. Oratio Scanderbegi ad ſuos.



His dictis, concitato equo, ſequentibus impigre alijs, totus irarum ſpeiq; plenus ad ſtationes contendit, atque nullo ibi laxamento ſuis dato, vix cibi militariter ſumendi facultate conceſſa, auelli præcipiti feſtinatione ſigna & copias omnes, arreptis vnius tantum diei cibarijs ſe ſequi iubet. Ad cu-

 ſtodiam

ſtodiam caſtrorum 40. militum libera capita, cæteri ſeruilis corporis, & lixarum manus relicta, nondum ſole fugato opertam tellurem inuaſerant tenebræ, quod octo millia paſſuum prope hoſtem irrepſerat Epirenſis, tacitus ſemper præeuntibus equitibus quibuſdam, ac luſtrantibus omnia, & peragrantibus aſſueta indagine ſingulos ſaltus, ne ſtruendarum tantummodo inſidiarum artificem Caſtriotum appareret. Timebat ſemper peritus belli dux, vel ex compoſito ſumma ingenij dexteritate timorem ſimulabat, vt cautiores efficeret milites, & ad omnia redderet intentos. Jnde crebro dicere ſolitum ferunt, plures claros Imperatores exercitusq́, inſidijs, quàm aperto Marte deletos. Optare ſe contra decem potius viros certa cum deſtinatione, atq; aperta fortuna congredi, quam aduerſus duos in aliqua rei lociq́; incertitudine confligere, quum & omnia occulta formidoloſiora, & in re ſubita quæq; maiora videantur. Vbi verò quadringentorum ferè interuallo ſtadiorum hoſti propinquus factus eſt, progredi vlterius ſigna prohibuit, donec duos milites multis pellectis donis ad diſquirenda cuncta vſque ad ſtatiua Barbarorum miſiſſet, ſed & ſponte cum illis id ſubijt onus Moſes, vtpote qui non ſatis vel audaciæ, vel peritiæ illorum fideret. Et deſcendens illico ex equo, vt pedes tutius falleret vigiles hoſtium, ſeruili veſte tectus, ac Jllyrico præcinctus enſe, alacer euanuit ex oculis ſociorum. Milites ambo intrepide ſecuti, erecti ſunt omnium animi, quum Moſis ingenium ad id negocij adiectum vidiſſent. Expectabant itaque ſoliciti inuitantibus pauorem noctis tenebris, quæ gerendi belli conſilia tantus explorator afferret, neq; fefellit hominum vota Dibrenſis. Quum non tantum adiacentia caſtris loca, ſed in intimas quoq; ſtationes progreſſum, latebras omnes hoſtium perluſtraſſe non ab re dictum ſit, nec me præterit aliquis ad Scanderbegum id audaciæ experimentum tranſtuliſſe, quod tamen ego à Moſe non aufero, ſecutus in re non ſatis certa plurium ſententiam, licet non prima, & ſolius ea Moſis fuerit laus. Nam & Caſtriotum ipſum in Croienſi præſertim obſidione, nemo negat id munus obijſſe, pari animo, euentuq́: quid enim dicam conſilio? quum vix fermè ibi aliquid ratione, ſed ſolo caſu geratur. Quare non multum auſim laudare in ducibus tam prodigam vitæ virtutem, & ſi quod reprehendas in Epirenſi nihil relinquit fortuna, quæ omnes viri conatus, cogitatusq́; ita ad ardua quæq; eſt comitata, & ſecuta, vt rarum illud ſpectaculum ea ætate cernere licuerit, euentum cum conſilio, fortunam cum virtute coniunctam. Sed dabitur aliâs his locus, nos interim cum Moſe redeamus in caſtra, quem conſpectum à longe ſtationarij (luna namq; pernox erat) obuiam progreſſi, multo gaudio exceperunt, tacitoq́; murmure perduxêre ad Jmperatorem, circumfuſi tum turmales, & mixta multitudo optimatibus concurrunt ſoliciti ad audiendum quæ viderit, quæ egerit, quantum timoris, quantum

Plures exercitus & clari Imperatores magis inſidijs, quàm aperto Marte deleti.

In ducibus nõ laudatur prodiga vitæ virtus.

ſpei

ſpei attulerit. Vbi tuta omnia ſunt nunciata, ac lætitia in ſingulos transfuſa, Scanderbegus ſentiens iam pugnæ optatũ adeſſe tempus, medius vadens per agmina armatorum, diſponebat ſimul tela, viroſq́ꝫ, nunc primos, nunc poſtremos ad ſua quenqꝫ officia collocans, ſimul animos præclara verborum adhortatione accendebat:

Et ſi, inquiens, milites nunc cum tempus ipſum, ac multa prope vndiqꝫ omnia, tum ſpectata totiens virtus veſtra me ad ſilentium inuitarent, tamen noua hæc conſilia noſtra, & inſueta belli gerendi ratio non alienum fortaſſe ſermonem meum apud vos faciunt, quandoquidem cum nocturno nunc hoſte, non aperto (vt conſueuiſtis) Marte ædenda vobis nouæ virtutis exempla decerno. Quare ago libenter nunc vobiſcum, & ſi quo intentius fieri poßit, hortor, obſecro, obteſtor omnes, vt memores animorum, memores per tot annos parti decoris præſentes vos tenebræ oſtendant. Nam ibi ipſe neque ſpectator, neqꝫ adhortator cuiuſquam veſtrum vel virtutis, vel ignauiæ eſſe potero, ſola luna teſtis, & dextera vobis veſtra hortatrix aderit. Aderit à vobis rerum geſtarum tamen & euentus publice teſtis, ego priuatim ſingulorum iudex, quum cruenta occiſorum ſpolia, & oblata è tentorijs ſigna, quum trunca hoſtium capita manibus veſtris ad me deferri videro. Hæc & huiuſmodi alia velut per iocum iactabat, monens tamẽ præcipua cura viros, abſtinerent ab hoſtilium caſtrorum direptione, neqꝫ dum ſordidam cupiditatem explere conantur, funeſtißima ſe præda præpedirent, nullam poſſe meliorem fortunam, nihil precioſius præclaro militi offerri, quàm hoſtile iugulum. His expeditis, ac ſupplicationibus, votiſq́ꝫ multifariam pro victoria nuncupatis, quarta ferè hora noctis inde eduxit ſigna. Sed priuſquam ad caſtra hoſtium peruentum eſſet, illorum aduentum prodidit equorum hinnitus, armorumq́ꝫ ſtrepitus cuſtodijs Barbarorum. Itaqꝫ momento temporis vigiles excitatis ducibus caſtrorum confuderant omnia, ac repleuerant tumultu. Prætorium quoque Principis re ſubita perculſum, excitusq́ꝫ facile è ſomno ſenex, quæ in tam præcipiti facto potuit quaſi inops animi procurauit. Non tamen idcirco tardauere, ne dum tenuere impetum Caſtrioti, qui & ſi eo motu miſceri caſtra, ac volitare per ſtationes armatos ſentiret, vix aliquid de concœpto iampridem ardore moderatus, ingenti clamore, fremituq́ꝫ impetit munimenta. Dimicatio primum orta circa tentoria Aſiaticorum quorundam militum, quæ forte prima occurrerant. Facile itaqꝫ diſiectis omnibus, & ſtationarijs tum fugatis, tum occiſis, ad alia viciniora eandem traxit ruinam. Occurrebãt multi ſumptis tumultuarie armis, ſed impares & numero, & ferociæ noſtrorum, mox diſcerpti gladijs, vel in fugam acti fuère. Inde Epirotæ vbi deſertas quaſdam ſtationes viderunt, iniecto igne & funibus præciſis vacuas cuſtodibus domos deformabant. Stetit incru-

Oratio Scanderbegi ad milites nocte pugnaturos.

enta eouſq; victoria Scanderbego, donec collecta in vnum, & denſata valida Barbarorũ manus è viſceribus ipſis, ac robore caſtrorum ad eam ignominiam propulſandam accurrit. Tum anceps apparuit Mars, & opertus cadaueribus, ac multo cruore notatus locus. Caſtriotus namque deductis à fronte ſcloppis, ſcorpionibusq́;, ac omni agmine ſagittariorum, primo impetu venientes exceptos ea ſtrage afflixit, vt obſtupefacti primo augente pauorem nocte dubijs pergerent, ne ire, an retrocederent animis, ſteterint. Freti tamen numero (14. namq; millia amplius illuc confluxerant) reliquam fortunam experiri deſtinant. Epirenſis poſſeſſum ſemel locum necubi mutauit, ſed obnixo perſiſtens gradu, pari animo conſilioq́; ad ictus cum inferendos, tum ſuſtinendos ſe præparabat. Neque enim vel ingredi vlterius caſtra hoſtium ob cõfertam multitudinem poterat, vel eam præclaram victoriæ occaſionem vllo propoſito diſcrimine dimittere volebat. Collato igitur cominus pede, gladij gladijs, ſcuta ſcutis concrepuere, ac congreſſus velut vir viro (cauebant namq; permiſceri, ne in ea noctis confuſione periret diſcrimen hoſtium, ſociorumq́;) ſingularis cuiuſdam certaminis ſpeciem effinxere, ita vt ne dum publico, ſed priuato quodam odio inſanire viderentur, dum quiſq; ſibi veluti aſsignatũ credit hoſtem, & cruenta inuiſi capitis ſpolia detrahere ſtudet. Dilucebat iam ex omni parte, quam fixa militum animis recens oratio Caſtrioti, quam infuſa mentibus ſingulorum priuata quoque præcepta forent. Ita vndique ſub manibus victorum gemebant Barbari, ac ſecta ferro guttura cum profluenti copia ſanguinis ſtridebant. Dum abſciſſa quiſque capita ſolicitus velut datæ pignora fidei, & emeritæ ſigna virtutis duci oſtentare cupit, ſed non permiſſa diutius noſtris ea facultas ſæuiendi. Nam vbi oneratum agmen ſuorum viderunt Turcæ palantes vndiq; integri, ac ſaucij ſimul ad tutiora caſtrorum loca, & vallum Principis ſe recipiebant. Deprompta mox è ſtationibus omnis acies, & egregie (vt in eo tumultu potuit) inſtructa, ad eam partem ſicut magno, ita inani impetu incubuit, quum in ipſo fermè hoſtium fugæ initio, noſtri quoque ſatis ea cæde tum defeſsi, tum exaturati retroceſsiſſent. Cæterum cum vix adhuc per duo ſtadia abeſſent, nullus tamen inſtare auſus fugientibus ob timorem inſidiarum. Manſere ibi igitur, donec illuceſcens aurora ſuorum ſtragem, & cadauera ſociorum recenſenda illis multis cum lachrymis obtulit. Duo occiſorum millia fuiſſe omnes conſentiunt. Vulneratos quingentos amplius. Noſtrorum quoque duo & quadraginta inter hoſtium aceruos iacuêre, quos inuentos Barbari, licet frigida tactu corpora, & liuentes ex more oculi conſpicerentur, ac priſtinos membrorum vſus fœlices iampridem deſeruiſſet anima, inani tamen vltionis ſtudio fœde laceratos, publica ſimul & priuata odia in exangues truncos, & ſurda nequicquam cadauera explere ſatagebant. Scanderbe-

derbegus interim ereptus omnino ex oculis auribusq; hoſtiũ in quadã valle, quam Pulchra incolæ appellant, 5000. paſſuum procul ab his ſtare iußit ſigna, donec reſpirarent milites, & reformarẽtur æquius ordines ſub ſplendore diei, ſauciorumq; cura haberi poſſet, quos ipſe ſingulos adeundo cõſolabatur, & imperatorij decoris oblitus, militari ingenio, velut vnus ex plebe, manibus ſuis attrectabat. Procuratis diligenter omnibus, ſignis ſublatis, inde circiter quintã diei horam peruenit in caſtra. Nam tardabant multã viros vulnera, calores, præterea prædæ hoſtilis ſatis grauia onera captorũ, quinetiã non ignobilis erat numerus fortunæ tam publicæ, quã priuatæ, ſub tentorijs quantũ inuentũ, tantum fermè arreptũ, equi 230. ſigna militaria ſeptem. Sed ornabant præter cætera ſpectaculũ præclara geſtamina, & inſignia priuatæ virtutis cruenta hoſtium capita in manibus militum. Hos Scãderbegus publicè multis verbis doniſq; honorauit, captiui ad vrbes vicinas tranſmißi, donec pro redimẽdis precium afferretur. Signa ad regulos ſocios cũ quibuſdã ornamentis Barbarorũ tranſmiſſa. Reliqua præda conceſſa militibus, & diuiſa, quieſq; per eos dies data caſtris ad reparandas vires. Exacto triduo collecta vaſa, & in Aemathijs campis caſtrametatum. Ottomanus ex tam miſerabili ſuorum fortuna, & fœdißimo caſtrorũ aſpectu ab ira in rabiem & furorẽ verſus, quum aliam vltionis materiam non videret, truculentißimos animi æſtus in oppidanos & oppoſita mœnia nequicquam expromebat. Ter per eos dies præfectus nouæ Romæ cum inſigni apparatu eam oppugnationem aggreſſus, repulſus totiens ab oppidanis, & maxima clade deiectus. Sed quantum ferociæ ex ea re obſeßis & animi accedebat, tantum atrox indignatio, & præferuidus furor vexabat magis Amurathem, & ſuperſtes in effœto corpore virtus, ac vetuſta rerum geſtarum memoria ſeniles erigebat ſpiritus. Bellorum varios euentus dicebat, & nullibi inſtabiliorem fortunam, difficultates omnes pertinaci conſilio, & indefeſſo ſtudio ſuperari poſſe, debiles fore vrbes, infirma oppidorum munimenta æquabilia ſolo omnia, vbi mortalium ingenia, & humanus labor intendere vellet, accendens his dictis ſuorum animos, & præmia ſimul (qualia vix vllo imperij ſui tempore polliceri conſueuerat) proponens viris, poſterum diem ad vrbis oppugnationem deſtinauit. Non latuit horũ quippiã Scanderbegũ, ſed prout vel decreta, vel tentata fuerant, detecta ſunt omnia ei per ſingulos dies, tũ ab exploratorib. à ſe diſpoſitis, tum à transfugis barbarorũ, quorũ indies multi ad eum confluebant, vel imperiũ Ottomani faſtidientes, & ſequẽtes fortunã ducis, vel ſola ducti (vt fit) ingeniorũ leuitate. Conciliabat præterea ita ſibi homines liberalis natura, & prudentia viri, vt ſi quid ſimulati & pernicioſi ingenij ſecũ attuliſſent, ea victi clementia id fermè omne exuerent. Moratus itaq; tantum Epirenſis dum Moſes rediјſſet, quem ad conquirendos milites, & in ſupplementum amiſſo-

Scãderbegus ſolatur vulneratos, & manibus ſuis attrectat.

Bellorum varij euentus & nullibi inſtabilior fortuna.

Scanderbeg conſcius conſiliorum Turcæ.

amiſſorum ſufficiendorum miſerat, reliquos ordines, turmasq́, tanquam viſus eſſet hoſtis, in procinctu tenebat. Ab Amurathe vt conſtiterat ſigna ſub mœnibus illata, & cœpta oppugnatio ſub primo ferme diei exortu. Cincta vrbs corona vndique qua acceſsibilis mons erat, & operta omnia armatis. Nam quum vltimam eam dimicationem Tyrannus propoſuiſſet, in obſeſſos, totis viribus, roboreq́ exercitus incubuit, ſed ne perturbaret ea (vt conſueuerat) improuiſus Caſtrioti aduentus, Feribaſſæ feroci illi duci ſponte id munus petenti, 12. equitum, 6. peditum millia tradita, qui hoſtis impetum auerteret, ſuſtineretq́, neq́ reliquas turmas à tenore oppugnationis interpellari pateretur, multum conſilij aderat Barbaro, plurimum animi, vtpote militaribus non minus, quam imperatorijs officijs aſſueto. Obibat ſingula crebra perequitatione, & exploratoribus præmiſſis perluſtrabat remotiora etiam à tentorijs loca impatiens animi, ocijq́, velut cupitum expectans hoſtem, & indignans tam præclaram laudis materiam diutius differri ſibi (ita oberrans præ oculis fatum, & vicina libertas, audaces plus nimio homines facit.) Rudis namq́ propriarum virium æſtimator deſtinauerat, iampridē animum ad ſingulare certamē cum Scanderbego ineundum, ſi per militares tumultus, & furores belli ſibi vſquam licuiſſet. Deformata interea tormentis multa murorum parte, & diſiectis munimentis quibuſdam oppidanorum, repleuerant ſcalis muros

Libertas audaces homines facit.



regij, & intenti omni genere telorum, aſſeribus præſertim (vſitatiori vocabulo Arpagones dicimus) ſuperſtantes armatos inceſſebant, neque cuniculo-

culorum inanis labor à quibuſdam intermiſſus, ignes quoq; rotati à multis partibus, & immiſſi in vrbem (nondum enim vel nota mortaria, vel ſatis in vſu erant) ſed facile extinguebantur ab oppidanis, agebaturq; intrepide vndique cura murorũ. Plurimus tamen labor, ac ferè periculum omne ad portam maiorem erat, vbi conuectis multis ſcalis tabulisq;, velut turrim quandam erexerant regij, quo & plures ſimul euadere poſſent, & pedum ſtabiliore veſtigio tela iacere ad ſummouendos, ſtationibusq; deturbandos oppidanos. Augebatur ſemper numerus hoſtium confluentium, tanquam inuenta via eſſet potiundæ vrbis. Alij ingentis magnitudinis trabes ad firmandum, ampliandumq; nouum opus, ac latentes muris inſidias ſtruendas ſubuectabant. Machinas minores alij, & ferreos vectes ad fodienda ſubter mœnia afferebant, miniſtrabantq; ſimul ſagittas, lapides, ac cætera id genus miſſilia ijs, qui à ſummitate eius compaginis, vrgebant hoſtes. Iamq; ſeneſcebat paulatim ab alijs partibus ardor oppugnationis, & vis omnis, ac certamen illuc transferebatur. Tumultus prætereà, clamorq; inſultãtium omnia maiora faciebat, inceſſerat formido mixta deſperatione oppidanos, quibus ea ſtatio aſſignata fuerat, quum in eo ſtatu res viderent, vt ne dum remoueri vlla pertinacia ab eo opere, ſed neque tardari Barbarus poſſet. Quo maiori ſtrage pellebant hos, eo numeroſiores alij ſcandentes nuſquam reſpirare illos patiebantur, ita vt tela quoque cum viribus deficerent obſeſſis. Quare vbi inane ſuum præſidium ſenſere, periculumq;, ne inde vrbs caperetur, extimeſcerent, ſoliciti de ſalute patriæ, præfectum acciri cum manu armatorum ocius iubent. Sed exciuerat rumor, pauorq; alius ab alio Perlatum, quia inuenere eum non longe feſtinantem ad eam partem, cum longo ciuium agmine. Conſternata namque omnis ætas velut captam ciuitatem audiſſent, nondum certo dolore, ſuſpenſoq; gemitu cupidi ad tam inuiſum ſpectaculum accurrebant. Deiecit primo impetu hoſtes Petrus, qui euaſerant in muros. Signa quædam Tyranni inuenta affixa munimentis, multo clamore auulſa, delataq; in forum, quo eius prædæ aſpectu ſolicitudine ſociorum animi leuarentur. Vnum reſtabat, vt lignea moles illa perfringeretur, & iniunctæ ad muros trabes (vt diximus) æquarentur ſolo, ſub quibus tecti milites vectibus ferreis demoliebantur fundamenta, & reliqua miniſteria oppugnationis exequebantur, licet & ex ipſa turri ſæuientibus Barbaris non ſatis adhuc tuti noſtri erant. Congeſta igitur vi ſaxorum ingentium, ac oleo, aceto, aquaq; feruentibus affatim coniectis, eodem momento machinæ tabulata, compago illa ſcalarum crebris ſuperne ictibus diſſiparunt, reliqua inſtrumenta hoſtilia obruta, perfractaq; pari ruina. Gregariorum quoq; centum amplius capita attrita, ſuffocataq; in eo tumultu, & duo non viles ordinum ductores. Liberata eo metu ciuitate, ac renouatis munimentis, cuſto-

Perlatus præfectus feſtinat ad tutandum murum.

X diarum-

diarumq́ habita ratione, vix enim vllus de vetere præſidio inuiolatus exceſſerat, ad alios hoſtium motus vbi par iam cõtentio de muris, ideoq́ propior periculo vrbis fortuna apparebat, conuerſis ſignis dux peruolat. Barbari, qui à recenti agmine noſtrorum repulſi, abſceſſerant aliquantulum à mœnibus, dum primus ille feruor oppidanorum reſediſſet (vtpote quos licet magna, non tamen omnis penitus tentatæ rei ſpes deſeruiſſet) vbi abeſſe ducem nouere, procurrentes illico ad relicta miniſteria, & fumantes adhuc ſuorum ſanguine trabes, renouant oppidanis priorem periculi faciem, ſed paulopoſt accurrens Perlatus, vix dum compactam materiam leui momento diſiecit. Inter has virorum contentiones, & fortunæ variationes, ſpecioſior lõge figura belli ab alia parte affulſit, quæ vtrorumq́ auerteret animos manusq́ à pugna, & velut mitigata ira, ac ferro depoſito ſpectatores timido ſilentio euentus ſociorum faceret. Adduxerat enim repentine inſtructum militem Caſtriotus quinque fermè ſtadijs prope hoſtem, celeriq́ curſu ad hoſtium caſtra pergebat, ni inſtructus iampridem Feribaſſa cum aßignatis ſibi à Tyranno copijs ei occurriſſet, non paſſus propius progredi hoſtem, ne (quod maxime intendere noſtros ſciebant) diſturbaretur eo tumultu oppugnatio vrbis, & auocarentur à mœnibus reliquæ principis copiæ. Scanderbegus ſimulato pauore, retulit latenter pedem, & 140. amplius paſſus protraxit, longius adhuc ſe inſequentes hoſtes, tum deductis ex more copijs, infeſtis paßibus procurſum eſt in aduerſos, verusq́ depromptus furor. Barbarus olim auidus pugnæ, nihil recuſauit, ſed quum eam paucitatem noſtrorum vidiſſet (nam cum 9. paulo plus millibus Chriſtianus venerat, reliquos enim ad M. D. amplius, cum Muſachio 10. fermè ſtadijs procul velut ad ſubſidium cæterorum, ſi variaſſet fortuna reliquerat) peditatu omni, & quatuor equitum millibus à fronte oppoſitis, impetum eorum excepit, reliquas copias equeſtres militari aſtu deluſas à robore cæterorum, ac paßim circunfuſas ad occludendos & opprimendos à tergo noſtros miſit, ne vllum effugium pateret obſeßis, ratus forte Scanderbegum quoque ipſum eo modo viuum in manus ſuas venire poſſe. Senſit fraudem veteranus dux, moxq́ concitato equo, Moſe cum cæteris ibi ad mediæ aciei ſuſtinenda onera relictis, ipſe cum expedito equitum agmine ad dextrum latus peruolat, & progredientes ad proſtitutas inſidias, hoſtes primo aſpectu inhibuit. Deinde cominus illato pede acerrime vrgens loco mouit, tranſtulitq́ animos hominum ad propriæ ſalutis curam. Quatuor amplius hoſtium millia erant, Epirenſis vix duum millium implebat numerum. Par itaq́ aliquantulum victoriæ ſpes, & ardor animorum fuit, licet dimicatio diſpar, quum longe plures illorum caderent. Muſachius à ſiniſtra parte euocatus, & ipſe à ſocijs toto agmine in hoſtem incubuerat. Ita tripartitæ

Feribaſſa occurrit Caſtrioto.

copiæ

copiæ vtrinque triplicis ſpeciem prælij effecerant. Moſes conſilio magis, quàm dextera rem gerebat, neque indulgere ferociæ ſuorum, neq; nimium adire periculi volebat, donec proſperum aliquem ſucceſſum, & exordium victoriæ à cornibus conſpexiſſet, ſeruare recentes ſuorum vires, & denſatis ordinibus differre fortunam tergiuerſando in aduentum ſociorum. Feribaſſa eo inſolentior inſtabat, & crebro ad ſuos conuerſus:

Inferte pedem, clamabat, ſocij, Vtimini Dijs propitijs, vtimini victoria, dum torpent hoſtium gladij, dum ſeneſcunt vires. Petite deuota vobis capita. Exſcindite ſcelerata ferro pectora. En quàm ignaua vndiq; omnia. Vix hoſtile quicquam aſpicimus in hoſte. Non vultus hominibus, non vox, non motus aliquis, index animorum apparent. Vel protrahunt fortaſſe in noctem certamen tenebris aſſueti prædones. Vobis aperta luce eſt vtendum, & è manibus hoſtium ea conſilia extorquenda. Nunc & virtute & numero ſuperamus. Nox expectata, & pluribus pauciores, & ignauos fortibus eſt æquatura. Sed quid hos increpo? quid inſequor? qui velut æſtus maris ſubito ceſſabunt, vbi procellam ſuſtuleris. Abſcindendũ caput ipſum, cæterorum ſicut vilis, ita facilis ſanguis. Vbi eſt nephandus transfuga ille, tot autor malorum? quem incruentis vobis, ſi eum mihi aliquis hodierni prælij offerat caſus, ſolus conficere cupio, & elatam tantis latrocinijs feram ſociorum mactare manibus. Longum hoc deſiderium meum, nõ noua aliqua & ſubita libido certaminis eſt, milites, iamdudum eſt quod hoc cogito, animumq; meum iſtuc iamdiu ſolicitat certamen, & ſcelerati hominis ſupplicium, experiri iuuat, an & hoc ferrum nocere poſſit? An penetrabile corpus illi, vnde ea virium vis, & in quo fœlix tamdiu bellator iſte cæteros ſuperet mortales.

Feribaſſa hortatur ſuos ad pugnam.

Eo vociferans modo, minus quàm ducem decet, perluſtrabat paſſim oculis, ſicubi eum conſpexiſſet, & abalienato à reliquis animo, ſolum manu, ſolum voce poſcebat. Milites non inuiti audiebant hominem, & licet inuicta omnibus ducis noſtri virtus videretur, expectabant tamẽ intenti (vt auidum eſt vulgus rerum nouarum) tam pulchrum ſpectaculum cernere, ſperantes præterea alterutrius victoria finem ſibi eius diei potius laboris ac ſanguinis futurum. Multi tamen, quibus maior rerum cura, & honoris inceſſerat ratio, lenibus nequicquam alloquijs, ne ignauiam tacitè imputarent viro, ſummo ſtudio ſingulare illud certamen diſſuadebant. Pernicioſam æque ac nullius exempli rem eſſe dicẽtes, vt duces ipſi eius rei præberent ſpectaculum, cuius deberent eſſe ſpectatores. Militares eſſe eas contentiones, & priuatorum munia. Imperatoris partes magis in conſulendo & imperando, quàm dimicando ſitas eſſe. Non defuturos plures alios (ſi res ferat) qui intrepide id muneris obeant, ne ipſe ea ferocia & auiditate periculi, poſſeſſum iamiam decus & certam victoriam aleæ committeret.

Feribaſſa prouocat Scãderbegum ad ſingulare certamen.

Imperatoris partes magis in cõſulendo quàm dimicando ſitæ.

Surdis ad omnia auribus præfectus, neque vel tantum ſalubre conſilium ad animum tranſmittens, vt ſtolidum propoſitum differret; dum ſignum aliquod bene gerendæ rei à cornibus affulſiſſet, concitato propere equo, militum ſtipatus agmine, Scanderbegum clara voce compellans, parare ſe ad pugnam iubet. Jlle & ſi audiſſet nuper omnem fermè orationem viri, nihil tamen ab incœpto dimicationis ardore auocatus, vel diſsimulans regio decore, vel contemnens, vix caput conuertit. Vbi vero & expeditam præ oculis victoriam, & inſtantem moleſtius Barbarum vidit, adductis ad eam partem militibus; mox & ipſe recenti ſucceſſu ferocior, ac hoſtili cruore reſperſus conuolauit. Poterat Barbarum is præſentis aſpectus, poterant fuſæ ſuorum ex lateribus legiones, ac tanta militum iactura commouere. Debebat talis fortunæ ſuæ facies illum perterrere, & extinguere eoipſo illi omnem dimicandi cupiditatem. Tamen vel coactus fatis, vel pudore prohibitus à retractando, nihil de priſtino animi habitu mutare viſus eſt. Quieuêre mox ex omni parte tela, & publicus furor inhibitus à ducibus. Non tumultus, non clamor, non hoſtile quippiam auditum, circumfuſi tamen milites ac purpurati circa Caſtriotum, non precibus modo, ſed contentione agere, vt manibus ſuis clamoſam beluam illam relinqueret, caput tantum occiſi deberi Imperatori, reliqua omnia ſua eſſe. Magis futurum & ex eius, & Epiroticæ rei dignitate, ſi ſentiat Ottomanus, pares milites Albanos ducibus ſuis, quàm pares Imperatores. Jndecorum præterea videri tantum principem eam gloriam rerum geſtarum, & tot annorum laudes cum infami Amurathis ſeruo dimicando in diſcrimen dare, ſe noui decoris nihil exinde expectare poſſe, Feribaſſam illuſtriorem eo facto, quàm reliqua omni anteacta vita futurum. Ad ea Scanderbegus mirifice omnium animis ac priuatis in ſe ſtudijs collaudatis, inter apparandum, quæ ad id genus certaminis in rem erant:

Oratio Scanderbegi ad ſuos, oſtendentis paratum ſe ad duellum cũ Feribaſſa.

Auertat, inquit, Deus optimus maximus, ſocij, vt dum hæc dextera ad telum gerendum ſufficit, dum viget in corpore tale virium robur, extorqueat à me quiſquam veſtrum huiuſmodi fortunæ euentum, quemcunq; parauerint fata. Seruate in aliud tempus officia iſthæc veſtra, quum ſenem me, & haud ſatis viribus meis fidentem videbitis. Nunc cauiſſe potius vos oportet, ne dum nimio plus ſalutis meæ anxij eſtis, laudis videamini inimici. Quid enim, ſi ad vos (vt poſcitis) id periculi tranſtulero, dicturus eſt hoſtis? niſi tergiuerſando apertam timoris diſsimulare confeſsionem, quum ſentiam me ſibi parem non eſſe. Nam (quod ad vos attinet) non priuatorum hæc tantum, ſed Imperatorum etiam quandoq; munia eſſe conſueuerunt. An pudori Alexandro cum Poro Indorum Rege glorioſa illa dimicatio fuit? An Pyrrho cum Pantacho duce ſingulare certamen

Etiam Imperatores ſingularibus certaminibus vſi.

men illud vitio dedere veteres? Marcellos hoc in loco, Torquatos, Coruinosq́ conticeſco, qui prouocantes hoſtes magna ſua ciuiumq́ ſuorum gloria proſtrauerunt. Mea ſors hæc, manibus his ſubeunda, me hoſtis poſcit prodigus minarum. Me trux belua compellat, ignauus ſim, ſi recuſem, ingratus ni tanto hominis deſiderio morem geram, ſatis dignus eſt, qui ferrum hoc ſentiat, quem tanto non indignum imperio ſenſit Amurathes.

Alexander. Pyrrhus. Marcellus. Torquatus.

His dictis, mox vnum è ſtationarijs ad Barbarū, vt ad ictus pararet ſe, mittit.. Ipſe ſubinde maximo militū clamore euectus, in deſtinatū certaminis locum prorupit. Minus nobile ſpectaculū fecit, ſicut impar hoſtilis du-



cis virtus, ita præproperus exitus. Primo nanq; concurſu telorum excepta in faciem cuſpide Feribaſſa, eo ſolo ictu corruens, ſimul & equum & vitam reliquit. Scanderbegus dimiſſo cadauere, ſpolijsq́ iacentis, & ad ſuos reuerſus, inire ocius omnes pugnam, & inſtaurare vndique prælium iubet. Non expectauere hoſtes, ſed vbi ſtratum vidêre ducem, primo denſi accurentes, tractum pedibus cadauer ab ignominia, deinde haud ſatis commode tutari conati ſunt propter interuentum noſtrorum, eo officio defuncti totis ſignis effudere ſe in fugam, illi prout auide prodierant, multi fugientibus inſtare, anteſignani præſertim, donec receptui dato reuocati ſunt omnes. Ita priuata ſimul & publica victoria lætus Epirenſis, vbi quieta omnia, & nihil præter veſtigia hoſtium, ac frigida iacentium corpora vidit, mox vulgus ad legenda occiſorum ſpolia dimiſit. Ipſe inſtructus cum reliquis copijs, & promptiſſimis quibuſque, ne quis motus fieret ab hoſte, obſeruabat. Amurathi nunciata hæc primo, deinde viſa ita dolorem mixto timo-

Scanderbegus iugulat Feribaſſam.

Scanderbeg ſuos mittit ad legenda occiſorum ſpolia.

re incuſſerunt, vt vocem aliquandiu non emiſerit. Quum ita velut inuiſus ſuperis fatisq́ prohibitus, fruſtratam vndiq́ ſpem ſuam videret. Sed retrocedente paulatim vi doloris, quæ in ea re prudentiſsimus quiſque procuraſſet, ordine procurauit atq́ egit. Primum namq́ diſpoſitis vndiq́ militibus, ſolicite obſeruare omnia hoſtis conſilia iubet. Deinceps deductis à muris quibuſdam minoribus machinis, locat ab ea parte caſtrorum, qua magis ſolitus aggredi hoſtis, & opportunior iniuriæ locus apparebat. Auctis præterea copijs ducis occiſi, ac quatuor millibus in ſupplementum ſuffectis (totidem enim ceciderant) ad cuſtodiam munimentorum collocauit, edicto ne quis ſigna extra efferret ad dimicandum cum hoſte, niſi cominus inuectum in caſtra vidiſſent. Tunc tormentis ad id ipſum locatis magis quàm corporibus ſuis rem gererent. Facile eo modo ratus incruento milite ſuo omnium certaminum veteres & nouas iacturas reſarcire. Ita & commode vbiq́ prouiſum, & oppugnatio vrbis non omiſſa. Corruerant tamen animi Barbaris, defecerant vires, conſenuerant ictus. Vbi infœliciter pugnatum in campis, ſecusq́ quàm expectauerant, belli fortunam inclinaſſe conſpexerunt, & priuata ducis noſtri virtus, fortunaq́, multorum ſibi conciliauerat animos, illorũ præſertim, qui ex ſucceſſu rerum formant, variantq́ fidem. Quare ea die transfugarum ad noſtros numerum, amplius quinquaginta fuiſſe inuenio. Oppidanis velut alimenta quædam audaciæ, & virium victoria ſociorum præſtiterat. Exin acrius ſemper pro munimentis inſtare, neq́ reſpirare vnquam ſinere, donec feſſus iam hoſtis ſuperuenientibus etiam tamdiu cupitis tenebris, relictis operibus, ſigno receptui dato, reuocatus eſt in caſtra. Stetit ea dies Tyranno ſeptem amplius millium militum iactura, ſaucij fermè plures, quàm integri exceſſere. Ex oppidanis 70. deſiderati, vulnerati nonaginta duo, adeo vt rareſcente indies noſtro numero, multorum animos timor inceſſerit, ne defendentium aliquando paucitate, vrbs cuſtodiri non poſſet. Igitur intentiores quotidie ad reficienda mœnia, & conſtruenda munimenta, ne penitus obnoxia telis hoſtium corpora offerrent, curam omnem tranſtulerunt. Erigebat tamen illud præcipuè feſſos, & acuebat animos incluſorum, quod eandem ſemper Principis ſui fortunam aſpiciebant, & hoſtilem exercitum tot cladibus ſordidatum, ac magna ex parte diminutum. Scanderbegus autem priuſquam deſcendiſſent ex monte regiæ copiæ, lectis tutiſsime iacentium ſpolijs, duplici ouans victoria abſceſsit, & receptus in caſtra, quod noctis ſuperfuit, cantibus, iocisq́ varijs conſumpſit. Prædæ tantum aduectum, quod iam ſatietas homines ceperat, equorum præſertim, vt concederentur promiſcue ignauis, fortibusq́, multi dona regulis vicinis, cum alia gaza hoſtili miſsi. Confluxerat præterea ea tempeſtate multitudo mercatorum ex Italia, alijsq́ locis, qui emptos pecunia, vel mercium facta permutatione

Bona conſultatio Amurathis hoſtis cõſilia obſeruare.

Transfugę ex Turcis ad Chriſtianos.

tatione,abducebant indies ex prouincia. Quieuerat iam pauor per vniuerſam regionem, & perinde contemni cœperat ab omnibus Ottomanus, quum ſic confractas penè eius vires viderent. Scanderbegus quoque ipſe iamiam vrbis obſidione relicta, diſceſſurum vltro credebat, neque amplius tot acceptis iacturis, moram tracturum in Epiro,crebros tamen ſpectatores quotidie decernebat, qui regis conſilia explorarent, ſed nullus motus apparebat à caſtris hoſtium. Itaque ipſe impatiens ocij,cum duobus equitum millibus per aſpera montium progreſſus, oberrabat indies loca,& contemplabatur omnia:neque ſatis poterat coniectare, quid conſilij verſaret hoſtis,ſi quos frumentatores, & vectigales Tyranni intercipere poterat affixus ſtabat. Aggrediendorum nanque caſtrorum, vel congrediendi aperto campo, nulla vſquam tuta occaſio apparebat, quum & vnitas tantæ multitudinis vires, & detectas à transfugis inſidias machinarum timeret. Obequitabat tamen pluribus locis conſpiciendus hoſti,vt eliceret ad certamen viros ea militum paucitate, ſpe bene gerendæ rei intecta.Sed ea conſilia nullus vnquam euentus eſt ſequutus. Nam velut obſeſſi in ſtationibus Barbari,vix pedem extra vallum mouebant, quum edictum à principe fuiſſet,capitali propoſito animaduerſionis metu,ne quis iniuſſu ſuo,non ſolum in hoſtem pugnaturus egrederetur, ſed neq; etiam pugnandi vllam facerent mentionem.Epirenſis vbi inanem expectationem ſuam vidit, plenus curarum indignationisq; reuertitur in caſtra,cõſultaturus,quæ ratio obſidionis ſoluendæ,& fugandi ex prouincia hoſtis eſſet ineunda,quum alioquin & imparem ſe ad vim apertam,& hoſtem nihil temere agentem cerneret. Solicitare ad arma ſocios, & regulos nominis Epirotici concitare, ac dare fortunæ pignus totius ſummæ rerum, nunquam ſatis tutum viſum,quippe cum licet certa apparuiſſet victoria, non poſſet tamen tanta res ſine multo ſuorum ſanguine comparari.Illud ex multis conſilijs melius eſt viſum receptumq;, vt ſolito tenore,bellum cum Barbaro gereret,ſineretq; marceſcere hoſtem, donec tacitis exhauſtus incommodis, ſeneſcentibus indies viribus, vltro malecœptam prouinciam damno ſuo deponeret, ſe eouſq; neq; de vllius fide, neq; de fortuna conqueri poſſe. Sfetigradenſis conſtantiæ ea iam dilucere exempla, vt omnes conſtanti,quietiſſimoq; animo eſſe poſſint.Vrbem prætera rebus ſingulis, quibus indigeant obſeſſi,non ad vſum ſolum, ſed abuſum communitam. Itaque hoſtem vel nihil diutius moliturum in muros, vel maxima ſuorum pernicia, vrbem tentaturum, præſertim, quum operibus occupata oppugnationis multitudine, caſtra ipſa inuadi paruo negocio campeſtribus copijs poſſent, & affici vndique ignominia Tyrannus. Hæc propalam hilari vultu, pulchraq; fiducia iactabat Scanderbegus. Varij tamen intus æſtus curarum vrgebant ſolicitum viri pectus,interpretabatur

Edictum Tyranni per omnia caſtra.

Exempla Sfetigradenſis conſtantiæ.

conſilia

conſilia Amurathis, prout euentus poſtea ipſe rerum non falſum æſtimatorem oſtendit. Silentium illud, & ocium ſenis non minus quàm arma ipſa timebat, vtpote cuius longo vſu nouerat ingenium, auro & largitionibus, munerumq; copia oppugnari poſſe vrbem aſsidue cogitabat. Subinde mortalium pectorum cupiditas facile omnia timenti ſuadebat, & penetrabilia auro mœnia, ac corpora virorum, quæ omni ferri genus contempſiſſent, non vanum ſuſpitionis metum incutiebant, quum præcipue facillimum videretur voluenti ſingula, in tanta præſertim multitudine aliquem reperiri poſſe, qui nefaria ea libidine obcæcatus, ſordidas conditiones ad ſceleratum animum tranſmitteret. Neq; de Sfetigrado tantũ ea ſolicitudo ducis erat, ſed de cæteris quoq; vrbibus, Croia præſertim, ne occulta alicuius perfidia, & ſecreta ſuorum conſilia cum Ottomano aliquid ſtruerent. Quare nihil moratus Tanuſio tantum, & Muſachio ſocijs conſilij acceptis, & triginta non amplius viris ſibi adiunctis, militari veſte amictus, ad diſquirenda omnia, & digitum ad fontem (vt aiunt) intendendum ire perrexit. Ita hic Epirenſis, inde Ottomanus varijs ambo curis alter alterum timentes anxie torquebantur. Cæterum Ottomanus totos eos dies (vt ante dictum eſt) caſtris incluſus, vafris conſultationum diſcurſibus conſumpſit. Nam vbi nihil vel arma, vel minas, vel diutinam obſidionem, & crebros armatorum inſultus ad vrbem potiundam ſatis eſſe cognouit, & perſtare in pertinacia oppidanos vidit, alia ſibi via fortunam tentandam eſſe ſtatuit, licet non deeſſent, qui inſtandum adhuc ferro, & vrgendam ſolito apparatu vrbem dicerent. Plures autem qui nihil vltra tentandum in ea rei difficultate affirmarent, ſed vel diſcurrendum totis ſignis ad deuaſtationem hoſtilis agri, & cæterarum rerum incendia, & inſequendum hoſtem, qui tot elatus victorijs, per omnis contemptum periculi cum ignobili virorum agmine paſsim vagaretur: Vel relicto Sfetigrado, Croiam copias deducendas, ibi fortaſſe meliore fortuna rem geſturos, & obſideri poſſe in ea vrbe Scanderbegum, ſicq; vnum tantum hoſtem habituros. Facilè enim credebant ducem curam eius loci nulli præterquam ſuo ingenio fideiq; commiſſurum. Hæ ſententiæ haud quaquam ad animum Tyranni tranſmiſſæ, ſed ſpretæ æquæ atq; abiectæ ſunt. Nam prædandi agri ridicula ac penè puerilia conſilia non immerito dicebat eſſe, quum nihil fermè vſquam appareret, vnde vnius poſſet militis libido exaturari, ita ante eorum aduentum procurauerat omnia Epirenſis. Caſtrioti quoque inſequendi nihilominus ſtolidas cogitationes ſuorum ridebat, perniciosiſsimum inquiens ſaltus Epiroticos, & inacceſſa ferarum magis, quàm virorum cubilia eo inani ſtudio adire, quippe quum nihil aliud eo cupiat hoſtis. Croiam præterea copias tranſmittendi, nouas ambages & refugia fortunæ appellabat, ſcilicet, pugnatiores ibi eos futuros, & alios Sfetigradi, alios Croiæ Deos eſſe. Subinde

Auro peruia mœnia quæ genus ferri contempſiſſent.

Prouerb. Digitũ ad fontem intendere.

inde dictitans, ſcilicet in minoribus male expertam virtutem, fortunamq́ ipſorum, ad tantæ rei onus inani quodam appetitu tranſmittendam, & intrantibus intima Epiri, ac vmbilicum ipſum hoſtilis imperij veluti exordium, à tergo Sfetigradum relinquendum. Ita his conſilijs ſpretis, alijs adhuc non inuentis, omnia in incerto erant. Et abſcedere Tyrannum, hinc pudor & indignatio pluſquam credi poteſt non ſinebant, inde tentare quicquam diutius ſatis cognita fortuna prohibebat. Stabat igitur diſſimulato dolore Ottomanus, & ne nihil ageret perſtructa paulatim occaſiõe, ac captata colloquij copia, benignis verbis hoſtes pellicere aggreditur, apta irritamenta, ad ingeniorum leuitatem, & quod magis cæcam hominum libidinem inuitat, ingentia dona proponens, & ingentioribus etiam promiſsis

Solicitat Ottomanus Dibranos ad deditionem vrbis.



ſeſe oſtentans, ad portas aperiendas, & præſidium in vrbe accipiendũ pellicere conabatur. Varia ſubinde à ciuibus reſponſa tulit, omnia tamen recidentia in idem, non eſſe cur ad mutandam cum muneribus fidem deſcenderent, Scanderbegiq́ amicitiam cum alieno iugo permutarent, cuius neminem ad eam diem pœniteret. Conſociata ſibi omnia cum eo eſſe, & ad vltimum futura. Aluit tamen ea ſpes Barbarum per aliquot dies, quum tanta perfidiæ præmia propoſuiſſet, quæ vel obſtinatiſsimos labefactare animos poſſent, neq́ eum ſententia fefellit poſtremò. Exciuit nanque ſordida cupiditas hominem quendam perditum, qui pernicioſis muneribus, & Barbari pollicitis muneribus corruptus, præſcius commodis, ciuium, patriæ, ac ſociorum ſalutem ne flocci quidem faceret. Obſeruato itaq́ tempore quo cuſtodias falleret, habitis ex occulto ſermonibus cum quibuſdã exploratoribus

T regijs,

regijs, ignaram ciuitatem mercede pactus eſt. Sed non obtulit tam cito cõſilium fortuna naefario propoſito viri, & haeſitabat timidus ſcelere aliquid tentare, ne detecta fraude, prior ipſe tanti mali periculum pernicie ſua lueret. Non portas & ſerras moliri, non effringere clauſtra, egredi ad excipiendos hoſtes ſatis tutum viſum, quum omnia ciuium cuſtodijs tenerentur, non ſibi ſocios conſciſcere, qui nocturno tumultu occiſis optimatibus conſternatam ciuitatem opprimerent, traderentq́ Barbaro, quum alieniſſimos ab ea re omnium animos cognoſceret, infixumq́ viris, aut defenſa patria victoriam reportare, aut expugnata, ſpecioſam mortem oppetere velle, cerneret. Montana vrbs erat, & in aeditiſſimo vertice ſaxi ſita, nulla neq́ intus ſcaturientis aquae, neq́ propinqui fluminis commoditate vtens, vnicus erat intus puteus aquae, vetuſta populi cura, tum ad priuata hominum commoda, tum magis ad bellorum neceſſitates, ſi quae incidiſſent, in medio vrbis vico effoſſus conſtructusq́. Praeſidium omne (vt diximus) ex Dibrenſi milite conſtabat, ſubiecta ea gens Scanderbego, ſed non vſquequaque Epirotici nominis, & linguae erat. Duas nanque Dibras regio habet illa, ſicut natura, ita nominum etiam diſtinctione ſeiunctas. Et alteram quidem inferiorem, alteram vero ſuperiorem Epiri accolae vocant. Inferior plana ferè tota eſt frugiferis circundata campis, & rerum omnium fertilibus. Albani, & Epirotae incolunt loca, fortiſſimi bello populi, quorum praecipue armis Caſtriotus & ſeruauit, & auxit imperium, & ardua quaeque ac difficillima expediuit, ita vt velut Colophonem quendam ad omnem bellorum vim & hoſtiũ molem illos haberet. Egregios inde viros vniuerſo promptiſſimo tempore habuit, qui non imperatorijs minus, quam militaribus rem Epiroticam iuuerunt. Superior Dibra montuoſa eſt, & aſpera, ferax tamen, & Macedoniã tum ipſa loci vicinitate, tum ſimilitudine morum contingens. Bulgari, ſiue Tribali habitant, ferox in armis gens, & non minus Scanderbego multis praeclarae virtutis fideiq́ meritis grata. Propior tamen externis, quàm Epiroticis moribus, & abhorrens in multis ab Albano cultu, Graecanico ritu victitabat, & pleraſque eorum ſuperſtitiones ſequebatur. Hinc occaſionem nepharij propoſiti ſceleſtus ille proditor ſumpſit, ratus ſi alicuius in puteo demerſi animalis cadauer conſpexiſſent Dibrenſes, ſubituros potius vltimam perniciem, vel foediſſimas pacis conditiones admiſſuros, quam eam amplius aquam hauſturos. Neque vanus eius rei aeſtimator fuit: nam quum noctu proiecto in puteum cane, contaminaſſet aquam, ea re poſtridie mane perſpecta, quum rumor alius ex alio totam vrbem cito peruaſiſſet, tumultus ingens vndiq́ exortus, ac prope ſeditionem res fuit, dum tanti autor ſceleris quaeritur, nec inuenitur. Dolentibus vicem ſuam Dibrenſibus, proditos ſe, & velut ignaua pecora iam ſiti omnes extinctos iri, vix enim vllus eſt inuetus, qui

Deſcriptio Dibrarum.

Superſtitio Dibrenſiũ ob demerſum in puteo cadauer canis.

non

non magis id aquæ genus, quam hoſtile iugum formidaret, clamantibus alijs incendendam vrbem, & per medios hoſtes erumpendo, conſulendum fuga ſibi, aut fortiter cadendum, leuiſsimum tamen malorum deditio viſa. Sedatus itaque paulatim dolor, & clamor vbiq; ceſſauit. Iam feroces viris ſpiritus tam paruæ rei momentum abſtulerat, iam relegata fides ſuperſtitioſa pectora reliquerat, iam facilior barbaris aditus, & placidiores hoſtilibus alloquijs aures factæ, ſolicitiq; vndique milites, quas nuper tam glorioſe ſpreuerant, ſordidas pacis conditiones ab Amurathe petituri vltro ire parabant. Ciuium minor numerus longe erat. Itaque impares viribus, Dibrenſium nulla vel cædendi, vel expellendi præſidij conſilia inire poterant, quum præſertim vel ſi eieciſſent eos, non ſatis paucitatem ſuorum ad murorum cuſtodiam eſſe viderent. Fremebant tamen omnibus locis, nunc perfidiam illorum, nunc inanem ſuperſtitionem accuſantes, inceſſenteſq; querelis Scanderbegum abſentem, quod patriæ & ſalutis ſuæ curam in eorum manibus tradidiſſet. Attonitus in eo tumultu Perlatus, & commenta proniorum ad perfidiam animorum, corruptionem aquæ cauſantium ratus, ac prodita omnia credens, prohibuit primo quicquam poſthac cum Turcis ſe inconſulto decerni. Deinde progreſſus in forum, coacta in hunc modum concionis multitudine:

Oratio Perlati vrbis præfecti, ad Dibrenſes ſuos, ne ſe Ottomano dedant.

Ita ne, inquit, Dij boni, tam leui momento fides veſtra fundata erat Dibrenſes, vt non minus animos nunc veſtros, & illam tot bellis ſpectatam



conſtantiam, quàm aquam ipſam corruperit? Quiſquis ille eſt tanti reus criminis, Dijs pariter & hominibus inuiſus, vix poſſum (proh pudor)

mei compos eſſe, animumq́ meum componere, quum & pernicioſiſſimas has conſultationes veſtras, tamq́ ſubitam rerum omnium mutationem, & leuem, ac ridiculam quidem eam cauſam tantæ indignitatis aſpicio. Prodere patriam ſociorum ſatius ne videtur, vxores, liberos, aras, focos, Deos ipſos in manus hoſtium transferre? Et vos tam inſignis perfidiæ reos in omnia ſecula offerre, quàm ſordidiori hoc, vel (vt vos appellatis) fœdiſſimo etiam potu contaminatos, & obnoxios præclaros ſpiritus tantam animorum mundiciam, & fidei nitorem ſeruare? Nihil video cur pereatis milites, ni Dæmon aliquis conſilia veſtra ſana peruerterit. Iam certis eò decurritur, vt dum ſuperſtitioſiores ſumus quam par eſt, honeſtatis, pietatis, fidei rationem vniuerſam abijciamus, & malimus, vt perfidos nos, quam minus ſuperſtitioſos homines appellent. Ridebunt mortales, mirabuntur poſteri, deteſtabuntur etiam hoſtes ipſi tam ſtolidam fidei mutandæ cauſam, tam faciles ad ſtultam, futilemq́ perfidiam animos, vel potius credent omnes (in quam ſententiam tamen & ipſe, ni aliam vos mentem indueritis, licet inuitus deſcendo) corruptos Barbaricis muneribus vos, & beneficijs præoccupatos, commentitiam hanc cauſam perfidiæ veſtræ nunc velle prætendere, qua certe obiecta cum culpa coram omnibus vacare contendatis, culpam profecto omnium iudicio, ſceleſtiſſimumq́ facinus confeſſione veſtra confirmabitis. Quæ enim eſt tam efficax ratio? quis perſuaſionis modus? qui tot ſimul honeſtiſſimarum rerum, ac Scanderbegi officiorum memoriam abolere à pectoribus veſtris potuerit? Quæ tam fœda animorum imbecillitas, mentiumq́ inconſtantia, vt adeò parua, contemnendaq́ res, totius vtilis, & honeſti diſcrimen abſtulerit à vobis, ni aliud ſit tanti motus pretium, alio morbo infirmi ſenſus, & corrupta ingenia. Hæc ne Scanderbego præmia Dibrenſes? Hæc conſtantiæ documenta? Hæc gratiſſimis hiſce ciuibus, & ſocijs veſtris debita exoluitis? Piget ea apud fortes viros referre. Nihil tutum vſquam erit, nihil ſanctum, nihil integrum, ſi tam delicatum prætextu, & perfidum ſit genus humanum, ſi tam leuibus de cauſis mortalium pendeat fides. Et quis tam ignauus eſt, tam perditus hoſtis, qui non ſemper aliquem inueniat modum nocendi, inſidietur, tentet, experiatur omnia, ſi tantum videat promiſſum fraudis fructum? Fruſtra mœnibus circundedêre vrbes patres noſtri, fruſtra aggeres & turres in iugis montium conſtructæ, fruſtra & armatorum præſidia adinuenta, ſi mutabiles cum ſingularum rerum & temporum mutatione homines gerant fidem? Si ratione hyemis & æſtatis velut arbores alios induamus, & inuicem exuamus animos? Quid, ſi immodici calores & intemperies cœli corrupiſſet aquam, facturi eratis? Nempe iſtuc ipſum. O pernicioſum fidei genus. O deteſtabilem ingeniorum leuitatem, Sic agimus, ſic loquimur de vrbis ſalute, libertate, velut de re humilli-

millima orta ſit contentio. Pedibus trahi oportebat vos exangues, ſemineces, de loci huius poſſeßione, non ſic voluntarios, integroſq́; tam præclaræ dominio fortunæ cedere. Nos ipſi (ſi Dijs placet) vltro inuitamus hoſtem, ſubdimus iugo collum, abrogamus libertatem, ius omne, faſq́; polluimus, ne ſordidiori potu ſuperſtitioſa ora inficiamus. Sic ne Darium illum Perſarum ſuperbißimum & lautißimum regem, quum ſuperatus ab Alexandro noſtro, fœda fuga memorandæ cladis veſtigia recenſeret, oblatam à ſeruulo ſibi turbidißimam aquam, quam inter fugiendum circa equorum vngulas & cadauera occiſorum collegerat, recuſaſſe audiſtis? Accepit inſolentißimus rex, & quum hauſiſſet, nunquam ſe bibiſſe libentius teſtatus. Præterijt ita iugum hoſtile, diſtulit fortunam, & regios ſeruauit ſpiritus. Qui? Caium Marium magni nominis Romanum Imperatorem in bellico ardore, & inter militaria opera, ac obſeſſarum vrbium munia obeunda, coctámne ſemper habuiſſe refert antiquitas? Quid (vt Saguntinam pertinaciam omittam) Petilia ciuitas in Brutijs, Annibalis tempore, memorabili, ac propè incredibili exemplo, nonne fidei ſuæ conſtantiam poſteris teſtatam reliquit? Quæ non canum modo, quos tantopere vos execratis, ſed omnis generis quadrupedum carne, ſutrinæq́; corijs, radicibus, & corticibus, ſtructiſq́; cois veſci non dubitauit, vt receptam ſemel Romanis fidem, & nuda ſeruaret mœnia. Temiſtoclem illum longe clarißimum Athenienſium, lætiferum poculum hauſiſſe ferunt, vt ingratißimam patriam interitu ſuo liberaret. Multa ſunt per omnia ſecula vetuſta & noua huius generis exempla, quæ vos ipſos vobiſcum verſare, quam me referente cognoſcere malo. Sed alienam fortaſſe patriam dicetis, non veſtram. Vobis tradita, veſtra eſt Dibrenſes, veſtram potißimũ fidem ad id muneris elegit Scanderbegus: vos reſtituere principi commiſſam vobis vrbem oportebat. Date quæſo modum tempuſq́; perditis conſilijs, nec vim, ac neceßitatem appellate, quod peruerſum conſilium appellandum ſit. Quid enim, ſi ſpretis conditionibus deditionis veſtræ ad ſupplicium vos vocet Ottomanus? An recuſaturi exitialem potum ſitis? Hauſturi quidem omnes potius vos, quàm in voſmetipſos ſæuituri. Nunc quia ſaluis vobis nihil præterquam fides perit, inſaniſtis eadem cogitatione omnes, adeò minimum malorum inuiolatæ crimen fidei videtur. Nequeo animo meo imperare Dibrenſes, nequeo lachrymis temperare, quum obuerſatur ante oculos, nunc illa concionantis Principis noſtri ſpecies, obteſtationes illæ, preceſq́; diſcedentis, quas in hoc ipſo loco nuper, tanta veſtrum corona fidem ſingulorum appellans, credulus iactabat. Quum fremitus item veſtros illos, & audaces ſingulorum tum publice, tum priuatim pollicitationes, ac fortia dicta recolo, vbi nunc voces illæ Dibrenſes? vbi feroces ſpiritus? vbi vrbi huic deuota pectora? vbi tam

Caius Marius

De hoc Titus Liuius, Val. Max. & Cice. in Philippicis.

Plutarchus in vita Themiſtoclis.

audax vitæ contemptus? Eoſdem quidem viros, eadem arma video, diuerſum tamen animorum habitum, & cum deplorata iam vrbe infœliciſſimum rerum omnium ſtatum. Adeſt, adeſt forte in oculis veſtris ſolicitus Princeps, tam inſignis perfidiæ ſpectator. Quem putatis fore eius? quem cæterorum animum? Quos prouinciæ tumultus? Quam totius Epirotici nominis fortunam? quum ea malorum & calamitatis ſuæ initia fluxerint à vobis. Proponite ante oculos, dum integrum eſt, facti huius indignitatem, & ſeruate vos vobis. Retinete patriam ſociorum, retinete libertatem dignitatemq́ veſtram, quæ per ſummum ocium tenere poteſtis. Reſpicite mœſtos ciues, reſpicite meipſum iamiam, ſi patimini, ad genua veſtra prouolutum. En offerunt iugulum omnes. En trado & ipſe hoc pectus vobis Dibrenſes. Aperite ferro, haurite (nihil enim recuſo) ſanguinem hunc, ſi iuuat potus iſte, ſi fidem ipſi veſtram, ſi vrbem hanc aliter ſeruare non poteſtis. Sed heu quos nunc ſermones vobiſcum iacto Dibrenſes? Audire ſine lachrymis hæc apud vos loquentem poteſtis? Neque moueo (vt mihi videor) iam quempiam vanus adhortator, quos nuper, dum cruentis ſanguine veſtro mœnibus inſtaret hoſtis, ad pericula, ſudores, & extrema quæque audenda, vel nutu ſolo mouere potui. Expiraſſetis vtinam tunc mecum omnes potius, quàm ad iſtas nunc conſultationes, ne dicam mala me vobiſcum fata ſeruaſſent. Poteratis tunc impranſi totum diem tranſigere in armis, & pari ſitis, ac caloris tolerantia perdurare pro muris iſtis, pro ſalute ſociorum, pro Caſtrioti, & Epirotici imperij dignitate: nunc quum omne fermè iter per ſummam laudem emenſi ſitis, & verius hoſtem in caſtris obſederitis, quam ipſe obſederit vos, inani hac ſuperſtitione dehoneſtare & peſſundare omnia vultis? Intuemini, iterum repeto, intuemini ſordidatos ciues, audite iuſtiſſimas ſociorum querelas, & preces obſecrantium. Ne quos vobis tantis officijs, & ſparſo paſſim cruore deuiciſtis, nunc vel tanquam iumenta tradatis hoſti, vel extorres patriam per ſummum dedecus ſtipem mendicare cogatis? Momentaneum hoc erit Dibrenſes, quod nunc vos abhorretis tantopere, palatum tantum & labra veſtra inficiet: perpetuas vero calamitates, perpetuas ſordes, æterna mala, amiſſa ſemel miſeris ciuibus patria, obſtinatio iſthæc veſtra eſt allatura, neque ora ſolum, oculosq́; ac ſingulos ſenſus contaminabit, ſed vret continua laceratione animos, & memores nequicquam ſpiritus libertatis. Sed (vt nullus ſit horum reſpectus, nulla honeſtatis ratio, veſtræ ſalutis, veſtri capitis) non minus (vt opinor) cura eſt habenda. Seruaturum creditis Tyrannum pacta vobis, cuius vos totiens omnes pacis conditiones inſolentiſſime recuſaſtis? & ſtudio tuendæ libertatis, dictis factisq́ ita hominis indignationem in vos acuiſtis, vt nihil expectat, nihil quærat dies noctesq́, quàm vnde tamdiu conceptum venenum

A perfidia Tyranni.

in capita veſtra, in hanc vrbem euomat. Ibimus ſcilicet ſequentes fidem Amurathis, tranſibimus per tot armatorum ordines in hoſtium oculis integri, inuiolati? Quos tot publicis, priuatisq́ calamitatibus affecimus, vt vel ſi prohibeat Amurathes, vel ſi ipſi nolint, manus tamen ipſæ hoſtium impatientes odij, vlciſcendi cupiditate ſponte ſua ſint in ferrum dilapſuræ. Poterunt Barbari? Quis furor hic, quæ mentium inſania, truces hos aſpectus, & cruentas adhuc ſanguine ſuo dexteras intueri, neque ſubrepet cuiquam tot cladium, tot malorum recentium memoria? Non feruebunt iuſtiſſimo dolore pectora, quum fratrum, parentum, quum filiorum occiſorum vmbræ ob oculos obuerſari videbuntur? Victimæ omnes (mihi credite) erimus Dibrenſes. Et (vtinam Dij omen auertant) dabimur pro cuiuſq́ appetitu ad varia genera ſuppliciorum, iugulabimur alter in alterius conſpectu, neq́ proderunt tum inanes querelæ vobis. Sera erit ſpreti huiuſce conſilij pœnitentia. Expirabimus tanquam ignaua pecora, & rei proditæ vrbis, rebelles ſociorum, proditores ſanguinis noſtri, inter hoſtium tormenta infœlices efflabimus animas, hominibus pariter & Dijs inuiſas. At quanto ſatius eſt nunc & cum ſocijs, & pro ſocijs viuere. Nolite igitur per Deos immortales in voſmetipſos crudeles eſſe. Agitedum, properate mecum, en propino ipſe primus omnium vobis poculũ aquæ eius milites, nunquam ſuauius eſtis, nunquam dulcius potaturi. Quandoquidem libertas eo, & vita veſtra, dignitas Albani imperij, opes, pœnates, ſociq́, & chara ſociorum patria ſeruatur.

Perlatus præbibit Dibrenſibus.

Hæc dicens, ſequente fermè omni multitudine, progreſſus ad puteum, ſpectãtibus omnibus, inde hauſtam bibit aquam. Idem fecit & maior pars ciuium. Porrecta eſt deinde quibuſdam optimatibus, & ducibus præſidij, ſed neque bene dicta, ſed neque facta, mouere quicquam ſuperſtitioſa virorum pectora. Vix auſim ſine rubore quodam vel credere ipſe, vel alijs affirmare leuiſſimam hanc, vel magis ridiculam tantæ rei cauſam, quum non dubitem riſum potius id poſteris, quam admirationem excitaturum. Ita vt ſi concedendum tamen ſit aliquid, negent tamen cauſam eam, ſed quandam verius occaſionem fuiſſe exiſtiment inclinatis ad perfidiam animis, & corruptis iampridem militum ingenijs. Ego quum omnia diligentiſſime euoluerim, neq́ vſquam aliud quippiam à me ſit compertum, nihil vereor tantæ credulitatis quoſpiam inſimulari. Quandoquidem nihil puto tam occultum in mortaliũ actis, aut abſtruſum adeò, quod latere tamdiu potuerit, præſertim quod nullus eorum (vt aiunt) qui ſuperſtitionem ſecuti ſunt illam, vel ad Amurathem transfugerit, vel conſequuto poſtea tempore ditior ſit deprehenſus, vt coniectari exinde fraus aliqua poſſet. Nec profecto mirum cuipiam eſſe videatur, ſi Dibrenſes hac ſua leuiſſima ſuperſtitione adducti, in hanc delapſi dementiam, huiuſmodi errorem commiſerint,

Superſtitio & hæreſis morbi connexi & affines.

miſerint, cum ij non tantummodo ſuperſtitioſi, verumetiam hæretici ſint, fuerintq́ ſemper (hæ nempe contagiones, ſiue morbi connexi ſunt inter ſe & affines) Sermo enim huius gentis Sclauonus eſt, cuius ſermo & lingua (vt nobiliſsimi ſcriptorum tradidêre) latiſsima, in varias diuerſasq́ ſectas diffuſa & ſparſa eſt. Nam ex Sclauonibus alij Romanam ſequuntur Eccleſiam, vt Dalmatæ, Croatini, Carni ac Poloni. Alij Græcorum errores & ineptias, vt Tribali, qui & Bulgari dicuntur, Rutheni, & multi ex Lituanis. Alij proprias hæreſes inuenêre, vt Boëmi, Moraui, & Boſnenſes, quorum magna pars Manichæorum imitantur inſaniam. Inſtabat tamen præfectus nunc precibus, nunc donis promiſsisq́ agens cum illis. Vbi vero obſtinatos eos & vanas omnes adhortationes ſuas vidit, aſſumens & ipſe conuenientem tempori animum, coactis tam Dibrenſibus quibuſdam, quam primoribus vrbis, breui conſultatione (res nanque moram non patiebatur) leges deditionis ſibi ipſi ſtatuere, quas neque graues ſibi, neque ingratas hoſti cenſuere, vt præſidio rebus armisq́ libera abeundi facultas daretur, ciuibus ſiue manendi in vrbe in priſtino ſtatu, ſiue diſcedendi, prout quiſque elegiſſet, poteſtas eſſet. De præſidio nihil mutatum eſt à Tyranno. Oppidanis tamen negata vrbs ad habitandum, cætera conceſſa, & deſignatæ ſtationes in ſuburbijs. Quare datæ mox claues Ottomano, & vacuum oppidum traditum. Ciues, quos patriæ amor, & cura na-

Conditiones deditionis.



talis ſoli tenuit, ædificatis extra muros tectis, in aſsignatis ſibi locis manſere. Multi impatientia hoſtilis iugi, relictis omnibus, confugêre ad Scanderbegum. Proditor ille & corruptor aquæ, apud hoſtes in oppido manſit,

qui

qui cognitus ab exploratoribus regijs, & in caſtra ductus ingenti lætitia ad Tyrannum, publice ab eo verbis ſimul & ingentibus donis honoratus eſt maioribus adhuc, quam promiſſa ſibi in eius perfidiæ præmium fuerant. Data nanque quinquaginta Aſprorum millia, tres veſtes inſignis artificij precijq́ꝫ, aßignatæ deinde tot villæ, prædiaq́ꝫ, vt reditus duum millium aureorum nummum ſuperaret. Sed breuis admodum earum rerum perdito homini poſſeßio fuit: nam quum publico omnium ſpectaculo his muneribus ac laudibus ſimul honorifice habitus eſſet ab Amurathe, & multo fauore verſaretur apud Barbaros, paucißimis poſtea diebus nuſquam vel viſus, vel auditus. Rumor fuit ſublatum occulte digno ſupplicio à Tyranno, non ſatis fidente eo viri ingenio, qui patriæ, ſociorum, & domeſtici ſanguinis prodendi, ſordida ductus cupiditate tam impia conſilia inijſſet. Præſidium Dibrenſe per medias hoſtium turmas, & tentoria Amurathis liberum inuiolatumq́ꝫ exceßit, licet magna contentione ageret apud patrem Mahumetes ferox adoleſcens, qui tum paterna caſtra in Epirũ, belli & gloriæ cupiditate fertur ſecutus, ne inani ſtudio fidei ſeruandæ ita per ſummam ſuam ignominiam illæſi dimitterentur hoſtes, quum alioquin nullum haberent Turcæ certius fidei documentum, nullum antiquius eſſet legis Mahumetanæ præceptum, quam omnibus modis ſæuire in Chriſtianos, & omne in eos exercere ſupplicij genus, in eos præſertim, à quibus tot iacturæ fuiſſent, tot calamitates acceptæ, cæſæ legiones, cæſi duces, & deformatus magna ex parte exercitus. Plectendos Sfetigradenſes ad terrorem cæterorum, & præſtãdũ reliquis exemplum, ne in eiuſcemodi pertinacia diutius perſtarent: non eſſe, inquiens, clari Imperatoris officium, ex hoſtium fortuna mutabilem animi habitum gerere, & precibus eorum illachrymari: tranſigendos ferro omnes, aut habendos in vinculis, donec precium pro redimendis afferretur. Oſtendit ſatis ex ijs Mahumetes & adoleſcens, & priuatus, qualis eſſet ſenex, qualis olim Imperator futurus, feritatis & auariciæ ſuæ ſordes iam atrox declarauit ætas. Sed nihil potuêre apud ſenile pectus impia filij conſilia, quin reprehendens eum, dixiſſe fertur: Nullam eſſe inter mortales maiorem neceßitatem, quàm fidei ſeruandæ, qua ſublata, neque imperia poßint, neque aliud quippiam permanere, & in claro quoq́ꝫ principe, qui magnarum rerum imperia ſpe animoq́ꝫ complexus ſit, alteram omnino eſſe debere, aut veram, aut ſimulatam ſaltem, vt hominum ingenia eo modo concilientur, alliciantur q́ꝫ. Perfidiam & feritatem deſtruere regna, vrbes, populos, ac ſibi poſtremo ipſis non minus quàm alijs iniquas eſſe, deuinciendum beneficijs ac liberalitate mortalium genus, qui fideles ſibi eos futuros cupit, crudelitate, ac odio nihil profici apud ſubiectos. Quodſi immiti regantur imperio, nunquam diu ſint inſolentis domini iugum laturi. Allici ea clemẽtia

Proditori merces datur à Tyanno.

De diſceſſu Chriſtiani præſidij ex oppido ad Caſtriotum.

Mahumetes putat Chriſtianis nõ ſeruandã fidem.

Mahumetis feritas & auaritia arguitur à patre Amurathe.

Perfidia & feritas deſtruũt regna.

poſſe animos multorum, qui quum acciderit, tam lene iugum non ſint recuſaturi. Quid præterea peccaſſe Sfetigradenſes ipſos, vel contra imperij noſtri dignitatem deliquiſſe, ſi patriam, ſi liberos, vxores, & penates ſuos tutati ſint? Si conditiones tandem ſibi eas impoſuerint, tenuerintq́, quas victor ipſe approbaſſet. Dimißis Dibrenſibus, & reliquo hoſtium agmine, Amurathes impoſito nouo præſidio in oppido M.CC. *Janizaris, curam omnem tranſtulit ad reficienda mœnia, & ſtructuram murorum, qua parte quaſſati tormentorum ictibus corruerant. Scanderbegus interim reuerſus iampridem à perluſtratione prouinciæ, & admonitus recentibus nuncijs de vrbis euentu, & Dibrenſium perfidia, plenus irarum in caſtris mœſto ſilentio ſe continebat, quum non multo poſt Perlatus cum infami militum agmine apparuit, triſtis ipſe, ac ſqualore obſitus, triſtiores oppidani, & manantibus patriæ deſiderio per ora lachrymis. Dibrenſes & ipſi tanti erroris conſcientia demiſſo in terram vultu, cæterorum mœſtitiam imitabantur. Sed vbi propiores facti ſub ducis fuêre conſpectum, & vim ingentem indignationis in truci facie videre, abiectis humi armis, & ſuis quiſque cingulis circundati colla, prouoluti ad genua eius, veniam tanti facinoris flebiliter orabant. Quid faceret mitißimus princeps? non facile erat de tanta multitudine ſupplicium ſumere, non cauſam tanti ſceleris aliam, niſi ſuperſtitioſam gentis crudelitatem videbat, confeßio erroris vltro à præſentibus ingenti abiectione animorum fiebat. Mouêre itaq́ hæc Caſtriotum, & mitigata ira conuerſus ad eos haud grauate omnibus pepercit, & vitam ſe illis in præmium eorum, quæ pro mœnibus vrbis bene geßiſſent, largiri dixit. Sfetigradenſibus pro dignitate & veteri fortuna cuiuſque noua patrimonia data, multis illuſtres ordines in militia ad ſolatium amiſſæ patriæ conceßi. Dibrenſibus quoque quæ petierunt, nihil fermè negatum, pudore tamen recentis infamiæ, pauci manſere in caſtris, aſpectum ſociorum declinantes. Perlati virtus conſtantiaq́ in rei Sfetigradenſis adminiſtratione, tum longo ſermone Scanderbegi, tum præſentium teſtimonio militum ſatis præmij tuliſſe potuit, quamuis non iniuria fortaſſe reprehendi potius meruerit Perlatus, quam commendari, & amiſſæ culpa vrbis non in conſilium, ſed in laxiorem eius indulgentiam, vel imprudentiam magis reijci poſſe contenderim. Quod tam facile in eo rerum diſcrimine ad colloquia hoſtes, & veluti in promiſcuam quandam ciuium ſuorum familiaritatem admiſerit, vnde conſuetudine aßidua & facile allici ad perfidiam oppidanus poſſet. Caſtriotus tamen non ſolum præclaro verborum decore fidem, ac facta eius publice comprobauit, ſed dictis etiam nihilo indigniora facta adiecit, onerando virum, licet enixe recuſantem, pecunia, equis & reliquis quibuſque varij generis ornamentis. Ita Perlatus multo cum honore & amplificatione nominis domum remiſſus.*

Scanderbeg triſtis in caſtris ſe continet.

Scanderbeg Dibrenſes & Sfetigradenſes in gratiam recipit.

miſſus. Erat ex Emathia vir iſte Antiſtes, quem illi Prothoſengeli, nos Abbates vulgo dicimus, emendatiſſimæ vitæ, atq; ingenti morum mundicia, doctrinæ præterea excellentia, ac facundia linguæ, cum grauitas ipſa annorum, reliquas hominis virtutes decorabant. Expeditis his Scanderbegus vbi intentum muniendo oppido Tyrannum, & occupatos operibus Barbaros cognouit, acceptis quinq; equitum millibus, ad laceſſendas ac diſturbandas res hoſtium illico feſtinauit. Sed nulla inuenta occaſione bene gerendæ rei, biduo ibi oberrans per ſaltus ac montium iuga obſeruabat, ſi quos pabulatores, vel frumentarios regios intercipere poſſet. Neque expers penitus prædæ miles diſceſſit, nam (vt fit in magno exercitu) multi libere palantes equi, viriq; capti. Amurathes perfectis ſatis commode (vt pro ea breuitate temporis) mœnibus vrbis, impoſitoq; pro vnius amplius anni neceſſitate frumento, ac reliquis rebus velut obſidionem iamiam præſagiret animus, deducere ex Epiro exercitum, & Adrianopolim repetere ſtatuit. Multa hic mendacia haud ſatis conſtans fama interſerit, dum quiſq; archana Tyranni conſilia coniectando diſquirit. Hi Hungaricos, alij Græcos, nonnulli Perſicos tumultus cauſam diſceſſus eius inquiunt fuiſſe. Multi accepta in Epiro damna, & varias belli eius difficultates ammouiſſe, tum ex prouincia Ottomanum affirmant, vt validiori, & recentiori poſtea apparatu rediret ad Croiam oppugnãdam, quum maioribus ea vrbs viribus indigere videretur. Ipſe admittere ſingulas ſententias poſſum, quod habet vnaquæque ſimilitudinem quandam veri. Hanc tamen probabiliorem crediderim, vtpote quam euentus ipſe rerum ſatis efficax teſtis approbauit. Vel illud fortaſſe non temere quis dixerit, quod non vrgentibus fatis præſtitutum ſeni tempus aduenerat. Neq; (vt licenter ſcribunt Poëtæ) omnia adhuc ſtamina impleuerãt ſorores. Pridie itaque kalendas Sextiles collectis vaſis, impedimenta omnia cum equitatus parte præmiſit. Ipſe poſtero die, incenſis prius per noctem caſtris, ſub ortu ſolis cum reliquo exercitu ingenti omnium lætitia, clamoreq;, ac crepitu inſtrumentorum ædito, eſt ſubſecutus. In medio turbarum robore Tyranno locus ſemper eſſe conſueuit, ſicut etiam tunc fuit, vbi albo vectus equo, ac Ianizarorum cinctus armis, nihil tumultus periculiúe incurrere vſquam poterat. A fronte nanque præfectus Aſiæ, à tergo nouæ Romæ ordinibus ſumma ratione conſtitutis, tutam eius ſtationem præſtabant. Triginta hominum millibus amiſſis, eoq; pauciore numero quam cum venit, diſceſſiſſe ex Epiro Amurathem omnes ferè conueniunt. Reliqua quoq; exercitus ornamenta, ac ſigna militaria, magna ex parte amiſſa & fœdata. Sed auxit eas iacturas Barbaris, ac renouauit priorum cladium formam recenti ignominia Scanderbegus. Nam vbi reductus in caſtra diſceſſum hoſtium audiuit, totis ſignis roboreq; ſuorum octo equitum, tria peditum millia erant,

Prothoſengeli hoc eſt abbates.

Amurathes parat reditũ in Adrianopolim.

Amurathes redit poſt occupatum Sfetigradum.

Scãderbegus veſtigia fugiẽtium inſequitur.

veſtigia velut fugientium eſt inſequutus, carpens poſtremum ſemper agmen, ac exhauriens inceſſabili cæde quoſque ceſſantes, aut aliqua caſus



contingentia relictos. Hoſtis ſæpe conuerſis ſignis, ac obnixo cultu propulſaturus impetum inſequentis ſtetit. Tum ille nunc ſimulata fuga reſiſtere cupientes fruſtrabatur, nunc per proximas valles, vicinosq́ colles ſubductus, & poſt ſubito apparens, nunc à fronte, nunc à lateribus inſtabat, modo illorum terga premens, magnis illos incommodis afficiebat. Ita res per eam ludificatiõem diutius protracta, vt per ſex amplius millia paſſuum infeſtis ſignis moleſtior ſemper inſtaret. Tyrannus non vlterius eam ignominiam clademq́ ſuorum perpeſſus, Baſſam Romaniæ cum 30. armatorum millibus retro conuertere ſigna iubet ad quietem, & liberam abitionem reliquorum, ac hoſtem vel pugna inceſſere ſi perſiſtat, vel ad fugam compellere mandat. Caſtriotus ea re animaduerſa, retracto aliquantulum ſuorum agmine, ne medius inter duos hoſtium acies interciperetur, tantæ multitudini ceſſit, reductisq́ in valles quaſdam, & montium anfractus copijs, vbi tutus caſtris locus, & idoneus ad quantumcunq́ hoſtium ſuſtinendam multitudinem eſſe apparuit. Stetit aliquantiſper ita inſtructus, velut iamiam deſcenſurus in aciem, & collatis ſignis cum præfecto regis dimicaturus, feciſſetq́ id forſitan (quæ erat viri audacia) ſed tum feſſus tam longis procurſationibus miles, tum impar hoſtium numero, ea ſuorum paucitas coëgit tam temeraria conſilia abijcere ferocem ducem. Vnde quaſi excuſans ſe conuerſus ad milites, inquit, id quod prouerbij loco ſemper fertur vſurpaſſe: Malo infamem dici hunc locum Scanderbegi fuga, quam cruce. Conſueuit nanque à noſtris crucis ſigno notari locus,

Baſſa Romaniæ cũ 30. millibus armatorum.

vbi

vbi Chriſtianus aliquis præſertim clari vir nominis concidiſſet. Quippe quum ait: Aboleri illa aliqua recenti laude poſsit, hanc ad id, quod irreuocabilis, & funeſta ſit, infamia quoque & vulgi latratu, & obloquutione non carituram, quum nihil ex conſilio, ſed ex euentu ſolo omnia metiantur homines. Barbarus vbi tenentem ſe intra ſtationes Epirenſem, & nihil mouentem vidit, conuerſis paulatim ſignis, & ipſe non inuitus, relicto hoſte, præeuntia agmina ſociorum aſſequi contendit. Idem fecit Caſtriotus ſuaſu militum obſecrantium, ne eam peſtem abeuntem ex prouincia, peruicaciori inceſſatione in viſceribus Epiri contineret. Quare eodem temporis tenore Croiam hic, Adrianopolim ille per Macedoniam, Triballorumq́ montes iter faciens rediit. Mæſti ambo propter res maxime variante fortuna geſtas. Mæſtior tamen longe tyrannus quod neque hoſtem, ad quem potiſsimum delendum venerat, ſuſtuliſſet, neque puſillæ fortunæ vrbis ſe caute ad tot mala & clades compenſandas idonea videretur. Mæſtitiam tamen noſtrorum ſpes ea multum leuabat, quod vbi abiiſſet hoſtis, recuperari à ſe oppidum poſſe certa iam fiducia conceperant.

Prouerb. Cruce ſignatus locus vbi Chriſtianus vir occidit.

MARINI BARLETII SCODRENSIS DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI,

LIBER SEXTVS.



PACATO prouincialiũ ſtatu ex hoſtilium copiarum diſceſſu, ac ſolicitudine ſingulorum ſoluta, reſeratæ vrbes, arceſq; vndique, præſidia dimiſſa, ac homines ad priſtina quiſque miniſteria traducti. Legiones ſuas Scanderbegus ita demum militiæ onere per id modicum tempus reſpirandi cauſa exoluit, vt inde ad duos menſes omnes ad Sfetigradenſem obſidionem, & extorquenda è manibus hoſtium ſociorum vrbem aduolarent. Retenta tamen ex eis copijs duo equitum millia, mille peditum, qui more ad Macedoniæ fines tranſmiſſi, eo in tractu incolentium fortunas à præcurſionibus hoſtium tutarentur. Dum ſic temporaria quiete, ocioq; recentes belli labores penſaret Caſtriotus, & Croiæ ad inſuetum ſibi munus ciuilia negocia in iure dicundo animum tranſmiſiſſet, purpurati eius & principes vicini conſanguineiq; ægreferentes, quod ſine prole vlla liberiſq;, tam clarus vir omnes ætatis annos tranſigeret (quadragenarius namque tum, & maior forte erat) confluentes ad illum quod ſæpius etiam antea fecerant de vxore ducenda, liberiſq; legitime procreandis, co-

gitationem

gitationem in animum eius inducere velut contentione quadam conabantur. Fruſtra dicentes imperij terminos, fruſtra rem Epiroticam eouſq; ampliatam ab ipſo, ni quibus tantum decus magnitudinemq; nominis, ac gloriam rerum geſtarum per omnes ætates comparaſſet, de futuro quoq; principe procuraret, niſi forte vellet mortalem, & ſecum perituram rem Albanam fore, & cum vnius corpore hominis, totius corpus imperij extingui. Audiret tacita ſuorum vota, audiret ſollicitas populorum querelas. Nam quod ad alios principes, & extraneos ſucceſſores attineret, neſcire eam gentem alterius iugum pati, aſpernari quoſq; dominos, niſi quem ex ſanguine ipſe ſuo eius virtutis effigiem, atq; hæredem dediſſet. Manſuram eouſque fortunam, manſuros deos ſecum, dum in ea ſtirpe Epiroticum reſideat imperium. Quod ſi caput ex ea gente non adſit cupidiſsimis ſubditorum animis, mox expiraturam cum eo Epirotarum rempublicam, ruitura in præceps omnia, & velut diſiectum ouile ad priſtinas calamitates & ſordes Epirotarum nomen rediturum. Scanderbegus qui abalienatiſsimo ab ea re animo alio iampridem ingentes cogitatus direxerat, & immemor, velut cæterorum ſumma quæq; ſpe, atque cogitatione complexus ſupra hominem erexerat caput, fertur primum pluribus verbis multa auctoritate audientiumq; ſilentio conſilia ſuorum improbaſſe, laudaſſeq; non vanis rationibus cœlibatum in ſummis viris. Quippe quum nihil diceret tam graue libero ingenio, quam vxoris dominium, non corpori, non animo ius ſuum eſſe, vbi ea moleſtia penates ſit ingreſſa, imperij amplificationem, & rerum gerendarum magnam partem fortunam diminuturam. Deinde, ne tanta publica ſimul & priuata ſuorum vota ſpernere videretur, annuiſſe nil ſe recuſaturum, quod ex vtilitate omnium, & rei Epiroticæ dignitate cenſeant fore, ſubiturũ qualecunq; iugum ipſi voluerint, probauerintq;, moram ſe tamen & veniam eius ſolummodo temporis petere, dum Sfetigradi poſſeſsionem è manibus hoſtium extorſiſſet, exoluiſſetq; ea cura animum, pudori nunc maxime ſibi fore, ſi relictis ſub hoſtili iugo ſocijs, conſanguineiſq;, ipſe nuptiarum ſolennia celebraret, vel lætum quippiam pertractaret. Satis conceſſum ſibi credentes homines, nihil vltra quæſierunt, ſed ingentibus gratijs actis, velut magnum quippiam tuliſſent, iam inde prouinciam omnem eo gaudio replerunt. Interea nuncij quotidie à præſidio quod ad hoſtium fines locauerat Epirenſis, aduolabant, nunc deuaſtatos agros Barbarorum, nunc fugatas eorum cuſtodias afferentes. Sfetigradenſi quoque præſidio multa damna per eoſdem dies illata procurſationibus aſiduis equitis noſtri, qui occultantes ſe inter ſaltus vicinos vrbi, ſi qui pabulatum, vel alterius rei cauſa longius proceſsiſſent, omnes illico opprimebant. Quare laceſsiti ſæpius Barbari erumpentes ex oppido, pleraq; ignobilia certamina fecere. Noſtri nanque timentes iniquitatem loci, congredi

Scãderbegus admonetur de vxore ducenda.

Cœlibatus in ſummis viris laudatur.

Vxoris dominium graue libero ingenio.

Sfetigradenſi præſidio damna inferuntur.

gredi ſub mœnibus ipſis non ſatis audebant, ſed ſimulata fuga protrahere aperto campo hoſtem conabantur. Creſcente oppidanis audacia, die quadam ſtudio inſequendi radices montis iactu fermè iaculi trecenti prætergreſſi, conſerta furore magis, quàm conſilio cum noſtris manu. 43. occiſi, 14. viui capti ſunt, reliqui fuga ſe ſubduxerunt. Nemoq; exceſſiſſet integer, aut intraſſet mœnia, ni à ſtationibus relictis ſocij ad propulſandam eam cladem præſto fuiſſent. Potuit in eo tumultu animorumq; conſternatione, & rerum omnium confuſione, facile vrbs ipſa capi, ſi magis, vel feruoris noſtris, vel virium fuiſſet. Compulſis intra mœnia barbaris, tantus poſthac timor inceſſit, vt pedem amplius extra non efferrent. Ita velut obſeſſi ab ignobili agmine noſtrorum ſtabant. Hæc omnia geſta à parte eius præſidij, de quo nunc dictum eſt, inconſulto tamen & ignaro Scanderbego, quum nihil eorum præcepiſſet, & ad tutandos tantum ab inſultationibus hoſtium ſuos id præſidij ibi teneret. Sed hac re poſtea nunciata, ita id eorum conſilium & opera placuit prudentiſſimo alioqui duci, vt nihil vel cōtemtam tacite imperij eius maieſtatem, vel diſciplinam militarem à ſuis neglectam doleret, quinimmo præbuit ea res feſtinationem quandam negotio, & impulit acrius hominem ad oppugnationē vrbis, quum eo pauore clauſos per ſummam fœditatem regios audiret. Proinde nihil moratus, priuſquam edictum de cogendo vetere milite, & nouo conquirendo propoſuiſſet, trecentos equites, & quingentos pedites, qui tum ad manus ſibi (vt aiunt) erant, Sfetigradum ad iuuandos ſociorum auſus, & multa cum ijs dona priuatim publiceq; ſuis miſit, approbans ſummopere, quæ eouſq; geſſiſſent, pergerent, & in ijs quæ caute agi poſſent, nō ſinerent reſpirare oppidanos, donec ipſe maioribus copijs, totoq; apparatu opprimere poſſet obſeſſos, tum ad copias legendas conuerſus, paucis diebus duodeuiginti hominum millia collegit, 8. equitum, peditum reliqua, omnibus iam ſatis comparatis, ac præmiſſis impedimentis. Ipſe ſecutus 10. kalend. Octobres ſub mœnibus vrbis copias expoſuit, ſtationem ſibi, atq; equiti tantum longe ab hoſtibus fixit, quantum ſclopis ſuperne impeti non poſſet, ijs nanq; potiſſimum vtebantur regij, & peritiſſimos quoſq; eius artis locauerat ibi Tyrannus. Pedites non procul à muris conſedere, & ne obnoxij telis oppidanorum forent, trabium magna vi conuecta, tabularumq; velut tegetes ad omnem iniuriam excludendam conſtruxere. Epirotæ ſagittarij fermè omnes erant. Cæteri Italici, ac Germanici generis ſclopis ac ſcorpionibus inſtructi. Non deerant Illyrici, licet gladio quàm arcu aptiores, qui eius delectus fama, & prædæ cupiditate pellecti, multi voluntarij ſe adiunxerant, ſine vlla ſtipendij mercede. Confluebant ea tempeſtate in Epirum ex omnibus gentibus indies milites ad ſtipendia Scanderbegi ſumenda, quum ſolus ex Chriſtianis ducibus nullo ſatis tempore quieſceret, & ſemper occupatus bello eſſet,

Duodeuiginti hominum millia collecti, vt Sfetigradum obſideretur.

In Epiro ex omnibus gentibus miles conducitur à Scanderbego.

perpe-

perpetuus Turcarum hoſtis. Quare tum quotidianæ prædæ dulcedine, tum locorum amœnitate detenti multi (vt vidi ipſe,dum res noſtra loco



ſtaret)perpetua ſibi domicilia ibi ſtatuêre. Alij plures ditiſſimi captiua gaza,ac pleni fortunarum,domos ſuas ſunt reuerſi. Gallorũ quoq; quinquaginta amplius aderant in eo exercitu. His minores quædã machinæ (quum ad id præcipuam operam ſpopondiſſent)regendæ ſunt traditæ,quibus verius defenſoribus quàm munimentis ipſis noceretur. Aliud maius tormenti genus ad ruinam murorum aduectum non inuenio. Commodior nanq; per ſcalas oppugnatio vrbis apparebat. His hoc modo conſtitutis,vnum præcipuum omnium reſtabat,quod ad totius exercitus quietem, & continuandam tutius obſidionẽ attinebat. Vt occluderentur ſcilicet aditus omnes hoſti,ne ſubſidij quicquam ſperare poſſent obſeſſi, & loca ſingula opplerentur armatis,qua maxime ad ſoluendam obſidionem tranſituros dubitabatur regios. Accitum itaq; vetus præſidium illud, & nouum etiam ſupplementum octingentorum militum. Eiſq; milleni equites additi ex copijs præſentibus, tum bipartitum hoc agmen, pars cum Georgio Streſio,pars cum Tanuſio diuerſis locis ad cuſtodiam cæterorum,& excludendum ſubſidium oppidanis miſſi. Breui hæc tempore omnia procurata, perfectaq́; fuere,tum traduci ad munia quenq; ſua, & miniſteria oppugnationis,ac veros ordiri furores tum Barbaris duci opportunum viſum eſt. Septem Sfetigradum oppugnatur. *nanq; integris diebus, ex quo illuc acceſſerant noſtri circa caſtra munienda, & conficiundas militariter ſtationes, quum ibi ſe crederent hyberna acturos,occupati,nulla ſatis re, vel verbo moleſti fuêre hoſti. Concurſu*

itaq; facto ad ducem, poſcebat ex omni parte pugnam miles. Ille nihil ferro prius quàm ſi qua alia poſſet via intentandum ratus, diſtulit eouſq; deſideria ſuorum, donec oppidanorum perſcrutaretur animos, quouſq; ea pertinacia in tutandis mœnibus eſſent vſuri. Miſsis igitur per duos ex militibus iiſdem deditionis conditionibus, quas populus Sfetigradenſis prius ab Ottomano acceperat, Barbari poſtea quam intrepide ſpretis eius poſtulatis ſanguine emptam vrbem, ſanguine vendendam, non verbis dixerunt, armatorum itaq; corpora, & caput ipſe ſuum pro eius redimendæ pretio offerret, ſciturū profecto, an velut Dibrenſium nuper, fides ſua ex aquæ puteo illo penderet. Quum nihil nouum vel inexpectatū audiſſet, quippe qui illos ita eſſe reſponſuros iam præuidiſſet, conuerſus ad ferrum, & cupitum iampridem militi opus, non iam ſuaſoris, ſed veri hoſtis animum induit. Maneque prima luce deductis ſub muris copiis, primo procurſu vicos illos, & ſuburbia, quæ aſsignata fuerant Sfetigradenſibus, impetit, diſiicit, incendit. Inhabitantium plures primo aſpectu noſtrorum, ad veteres ſocios & conſanguineos confugere. Alii paſsim palantes ſub mœnibus à ſuperimpoſito præſidio ex muris tutabantur. Aedificia quoque, quæ proximiora fuêre oppido, illæſa manſere, niſi quæ inuēta ſimul incendium ex aliis ad alia traiectum eodem tenore abſumpſit. Hic non vlterius ſæuitum, quin pauci ex Barbaris ibi, ſed omnes fermè veteres ciues, & Epirotæ collocati eſſent, qui & ſi iam (vt apparebat) hoſtium induiſſent animos, ſegniores tamen noſtros faciebat pietas, ex priſtino, non ex præſenti animorum habitu homines metientes. Moſes interea, quum occupatos in tutandis ab ea parte ſuburbiis, & extinguendo igne oppidanos vidiſſet, trium amplius millium lectiſsimorum militum agmen ad portam maiorem traduxerat. Intentuſq; operi vineis contectos ad clauſtra perfringenda impellabat armatos. Regii, qui ſatis multi pro ea loci exiguitate in cuſtodiis erant, & adeſſe vbiq; commode poterant, ocius hincinde accurrentes, ſimul alii ſuperne ingenti vi telorum auertere ab eo opere hoſtem. Alii intus congeſtis lapidibus, & maioribus trabibus oppoſitis firmauere portas, ita cum paucorum iactura ea tranſacta eſt res. Noſtri nanq; quum ſcalas tum caſu non attuliſſent, nihil diutius tentarunt in muros, miſsilibus tantum vtrinque & ſagittis exaturata odia, ac certamen finitum, dato à Scanderbego receptui ſigno, licet Moſes iam accenſus paulatim furore illo dimicandi, ad ſcalas & reliqua inſtrumenta oppugnationis conuehenda hortaretur ſocios, reuocati tamen ſunt omnes ſubito interuentu ducis, & quaſi inuiti reducti in caſtra. Sic accenſis inuitatiſq; eo die vtrorumq; animis puſillo pugnæ congreſſu, nulla vel ſpe, vel timore dirempta pugna. Quod eius diei ſuperfuit Epirenſis varia conſultatione diſtraxit, quæ potior eſſet oppugnandi ratio, & tutior via eligenda, enixe diſquirens. Fortiſsimus ac inacceſſus fermè vrbis ſitus,

Pietas ſegniores facit animos hoſti nocendo.

ſitus, validiſsimum prætereà Tyranni præſidium ſatis certam periculi ſpeciem, ſi temere, & furore quodam ducerentur in muros milites oſtendebat. Efficaci quoque nuper exemplo Amurathes ſimilis fortunæ ſubeundæ conſilia noſtrorum tardabat. Illud per eos dies optimum factu viſum, vt leuibus prælijs maximo ingenio fraudeq; alliceretur ad pugnam oppidanus, aſſueſieretq; ſpe bene gerendæ rei paulatim egredi muros. Ita vel minui tacite robur incluſorum ſine multa ſuorum pernicie, vel protractis paulatim ſimulatione fugæ à cuſtodia portarum Barbaris, deducto poſtea magna impreſſione ex improuiſo milite, in eo tumultu facile capi vrbem poſſe cum fugientibus, & conſternatis ſimul intrantibus noſtris. Per eam noctem igitur ſummo ſtudio ordinata omnia, & Moſi trecentorum iuuenum cohors ad hoſtem laceſſendum data. Zacharias Groppa cum quingentis militibus ab vna parte in inſidijs deſtinatus, Scanderbegus ab alia pari numero armatorum, qui omnes noctis occaſione vſi quam maximo fieri potuit ſilentio ſubrepentes, per montem inter anfractus illos, & dumis obſitos ſaltus iacuere, ignaris hoſtium excubijs. Nam ignibus alijs extinctis, alijs abſconditis & occultatis ab auerſa parte caſtrorum fuerant egreſsi, electo inſidijs loco, vnde minime timebat hoſtis. Tempus quoque ipſum iuuit aliquantiſper latere cupientes, quando per totam noctem grauidus (vt aiunt) imbre aër craſsiori nebularum caligine obducta tellure, & tonitruis aſsiduis oculos ſimul aureſq; hominum perſtringentibus fallere non difficulter cuſtodes poterant. Dibrenſis & ipſe non expectata certa luce cum ſocijs latronis more circunſpectans omnia, taciteq; approximans muris, ac in oculis ipſis oberrans ſui copiam oppidanis facere. Non idem omnibus animus conſiliumq; in vrbe fuit, ſed contentione conclamantium à pluribus progrediendum in ſubiectos eſſe, neque per ſummam ignominiam præterlabi eam occaſionem patiendum. Nonnullis è contra quieſcendum videri potius, neque temere quicquam agendum. Variatumq; in ea re eſt, prout maiores quibuſdam ſunt ferociæ ſtimuli, & inani credulitate ductis, ac ſuperficiem tantum, non rerum medullam introſpicientibus, ſalubria quoque conſilia ſordent, & omnis eo ipſo erepta in perpetuum è manibus fortuna videatur, ſi breuis morulæ temperamento gerendorum ratio condiatur. Eorum tamen (vt apparuit) ſententia præualuit, qui quieſcendum eſſe decernebant. Nullus enim eorum exitus, nulla eruptio, ſed telis tantum ſuperne petiti noſtri, portas egrediendi facultas nulli conceſſa. Noſtri nunc conglobati, nunc diſperſi, intento & ipſi arcu inſuper ſtantes, hac illac procurſabant, vt diutiori inceſſatione irritarent ad eruptionem viros. Vbi nihil ſatis efficax ad id negocij vidit Moſes, & magis iam periculi ſibi, quam ſpei dilucere, duobus nanq; militibus amiſsis, ſeptem ſagittis fixos vix ſemineces ſubtraxerat, dato ſigno, reli-

Conſilium laceſſendi oppidanos.

Zacharias Groppa.

Salubria conſilia ſæpe ſordent.

ctis muris pari indignatione ignominiaq́; paulatim ex hoſtium oculis ſe proripuit. Nihil deinde moratus Scanderbegus, ipſe cum ſocijs pudore quodam in apertum prodiens mœſtiſſimus eſt ſecutus. Ita ij nocturnis pluuijs omnes plene obruti, ille etiam gementi milite in caſtra reductus, ridiculum ſpectaculum, & lætam eam diem præbuere hoſti. Sed non pertulit diutius hanc ignominiam Caſtriotus, propenſo ad veram oppugnationem, & apertam fortunam animo. Poſtridie curatis corporibus, ordinibusq́; diſtinctis, ac ſuis cuique miniſterijs aſſignatis, quarta diei hora decem armatorum millia ſub muris primo impetu deduxit. Cæteri partim ad caſtrorũ cuſtodias relicti, partim ſi latitudine & vulneribus grauati ſocij intermittere oppugnationem cogerentur, vt recentibus viribus præſto eſſe poſſent, ne interpellaretur dimicatio cum hoſte. Moſes cum expedita iuuenum manu ſcalis primus aggreſſus incruentus aliquandiu euadere tentabat, non vana ſpe vrbis potiundæ. Nam Scanderbegus ſubter cum magna vi ſagittariorum, & ſcorpionarijs Italicis auertendo à tutela murorum regios, liberiorem aditum ſcandentibus faciebat, ita vt multi iam ſcalis ſuperatis, mœnibus tantum fortiter apprehenſis hærerent, & pari cupiditate de vrbis poſſeſſione decertarent cum regijs. Tormenta quæ diximus ab alia parte ad munimentorum molitionem diſpoſita, neque ipſa ſinebant quieſcere oppidanos, licet enim non magna ruina eos ictus ſequeretur, abradebantur tamen aſſidue muri, & in oculis pugnantium decreſcebant, rareſcebant paulatim, & cuſtodiæ ipſæ, cum eodem tenore ictuum, & murorum perſtringerentur, & armatorum corpora contererentur. Sed ſæuior ab ea parte Mars, & acrior profecto pugna, qua Zacharias cum totius fermè robore exercitus, & neſcijs cedere, ac ruentibus in ferrum Germanis, ſecuribus, & ferreis vectibus nouiter refecta mœnia demoliebantur. Hi ſcutis ſociorum, & iunctis cratibus tecti fodiebant fundamenta. Hi lapides demolitos expurgantes in cuniculi ſpeciem reducebant locum, Barbari ſuperne non vſque adeo prohibere poterant, vt obſtinate non continuaretur opus. Nam licet plerique ex noſtris miſſilibus de propugnaculis obruerentur, nullo periculi reſpectu, nullaque formidine, ſemper alij in demortuorum locum ſuccedebant, & reliquæ turmæ ſagittis, ſcloppisq́; intentis aucupabantur vndiq́; oculis cuſtodias hoſtium, ita vt ſine diſcrimine obuerſari in muris nequirent. Diſtrahebant itaque certamen regij, quum opera noſtrorum perinde riderent. Nam ea erat muri latitudo confecta à tyranno, congeſti præterea intus ab oppidanis lapidum, ac terræ aggeres, vt tutus ſatis ex ſe locus eſſet, ſine vllo armatorum auxilio. Zacharias aliquandiu in incepto perſtitit, ſicubi penetrare muros poſſet, ſed vbi fruſtra exhauriri vires ſuorum, & longi temporis opus eſſe cognouit, ad ſcalas nullo prorſus conſilio conuerſus, agere &

Germani neſcij cedere.

exhor-

exhortari cœpit in mœnia milites. Barbari nouum hoſtis propoſitum intuentes proſpectabant, & adhibita ad idipſum fraude euadere plures ad



ſumma mœnia patiebantur. Tum effuſa velut grandine telorum vi, ſaxorumq; mole, facili impulſu eos cum ſcalis ipſis ad ima montis deturbabant. Breuiſſimo nanq; ibi æqui loci ſpatio cincta mœnia erant. Mox reliquum montis procliuitas ingens amplectabatur. Idem fermè reliquorum fuit euentus ab alia parte, qua aggreſſus ſcalarum applicatione cum ſocijs Moſes, non ſemel Epirotica ſigna cruentis mœnibus fixerat. Nam verſi eo aſpectu in rabiem oppidani, accitoq; recenti præſidio ſuorum, quod in ſubſidijs ſtabat, præter omnem periculi mortisq; reſpectum, diſiectis ſcalis, ac noſtris partim occiſis, partim diſſipatis, breui temporis momento ſuperiores effecti ſunt, ita vt afflicti potius, & penè capti, ſic Chriſtiano victoriam extorſerint, vt repente mutata omnis fortuna, mutati Dij manifeſte viderentur. Victoria Chriſtianis ex manibus extorta. *Scanderbegus acri dolore perculſus ex ea cæde ſuorum, vulnere præſertim Moſis, quem vix telis hoſtium ſubtractum curandum in tentoria miſit, retrocedens aliquantulum à muris, & duorum hincinde militum parmis tectus, alios ſecum ad ſagittandum in hoſtes furenter inuitat, alios recentes arreptis ſcalis renouare timorem oppidanis iubet, hortatur. Mirabile dictu ferunt, quot hoſtium ea die ſolus transfixerit Scanderbegus. Ita nullus fermè iactus manum eius fefellit. Scalæ nō difficulter mœnibus admotæ, ſed rarus iam miles ſubire eam ſortem periculi audebat. Alius ad alium reſpiciebat, neq; (licet ingenti promiſſione munerum allicerentur à duce) funeſta quenquam præmia mouebant. Ita ſe-*

 neſcentem

neſcentem paulatim vtrinq; pugnam nox ignauis æque, ac fortibus optata diremit. Tacita per eam noctem caſtra noſtrorum fuêre, vtpote quos & heſterna ignominia, & præſens accepta clades ad ſilentium inuitaret. Amiſſa nanque ducenta promptiſſimorum militum capita, quingenti amplius vulnerati, ſed & horum 30. paucis poſt diebus ex eis vulneribus periere. Oppidani (licet & illis plures ſubtracti ea pugna forent, ac ingens ſauciorum numerus gemeret vndiq;) tamen velut victores expulſo hoſte, ac vrbe ſeruata, multis iocis clamoribusq; eam noctem tranſegere, ac crebris ignibus ſuperata noctis caligine, per propugnacula diſcurrentes, hilarem noctem duxere. Ottomanus interea Sfetigradi obſidione audita ægreferens, quod quando vix à laboribus reſpiraſſet, & diſſoluiſſet exercitum, præſertim quod in ipſo ingreſſu hyemis alieniſſimum bello gerendo tempus inſtabat, denuo ad noua arma cogeretur, neceſſitate tamen quadam, & pudore victus, ne per eam ignominiam opprimi vrbes ſuas ab hoſte pateretur, increbreſcentibus indies magis magisq; nuncijs de Scanderbegi pertinacia, propoſito nouo edicto, redintegrare priorem apparatum ſtatuit, & miſſis per ſingula loca purpuratis, adiuuare rem feſtinatione, ſi quo poterat intentius procurauit, vulgata prius fama de ſuo ipſius reditu in Epirum. Ex compoſito forſan, vt vim maiorem adderet negocio, & noſtros eo timore perculſos, facilius ab vrbe oppugnanda auerteret. Vix enim ſimile vero crediderim Tyrannum vltima præſertim confectum ſenectute, brumali intemperie eam prouinciam fuiſſe ſubiturum, præcipue quum neque tanti res momenti eſſet, vt vel ſi quid durius accideret læſura immodice dignitatem imperij videretur, vel ſatis commode per alios non poſſent expediri. Caſtriotus nihil ex illa cæde ſuorum, & iniquitate fortunæ mutatus animo, omnem operam, ſtudium omne, ingeniumq; in aſſidua vexatione oppidi conſumebat. Nunc noctu, nunc interdiu, deducens ſub muris agmina ſuorum, & ignibus per ſublime inter hoſtes rotatis, conſternare aliquo tumultu vrbem conabatur. Nunc raro milite miſſo legere corpora occiſorum, & trahere in caſtra adhibita fraude iubebat, ſi quo pacto inuitare ad eruptionem oppidanos poſſet. His inaniter omnibus tentatis, neq; vel modice rei fructu vllo tam varias artes & aſtus ducis ſecuto, finem imponere obſidioni, vnicæ prius pugnæ tentata fortuna decreuit, quoquo modo res caderet, præſertim quod præteritæ oppugnationis euentum, tum vulnus ipſum Moſis, tum noctis interuentus velut excuſare videbatur, & melioris ſpem fortunæ ſolicitis animis, ac ſingula ex proprio deſiderio interpretantibus ſuggerere. Poſtridie igitur eius diei orto iam ſole, ſub præconis voce per vniuerſa caſtra præter ipſam vrbis direptionem ingentia præmia victoribus publice, priuatimq; propoſuit, augens verbis rem quam maxime poterat, dolensq;

Caſtriotus rurſus tentat Sfetigradum oppugnare, ſed non ſuccedit.

inſuper

inſuper Epirotici nominis ignominiam, quod tot præclari duces, militesq́ tantis ſpectati prælijs ab ignobili ſeruorum manu, ſeneſcere tamdiu ſub fœde amiſſis mœnibus fœdius cogeretur. Quouſque tandem id dedecoris paſſuros, vt in ſua prouincia inter tot proprias vrbes, oppida, populosq́ id præſidium tyranni, nudis tantum mœnibus clauſum, & reliqua ſpe omni deſtitutum in oculis diutuis habeant? Quid non turpiter commiſſuros in alienis locis, & longinquis regionibus, quare eum hoſtem præ foribus ſtantem, & in viſceribus ipſis hærentem tollere nequeant? Jis dictis, & ſuo examini exacerbatis, partitis dehinc copijs, ac ſexcentis circiter militibus ad caſtrorum cuſtodiam relictis, vrbem ab omni parte, qua acceſſibilis mons fuit, corona cinxit. Primum telis vtrinq; laceſſiti animi, ac inuitati ad ſanguinem, deinde vbi ſatis eo modo vtrinq; velitatum eſt, & excanduit ira, promptiſſimus quiſq; arreptis ſcalis propius aggredi hoſtē parat. Semel atq; iterum nequicquam tentata re ab oppidanis ſunt reiecti, neque admoueri potuere ſcalæ muris. Sed victus deniq; pertinacia noſtrorū barbarus, quum velut famelici leones non retium, non fraudis alicuius humanæ memores, ad ouile diripiendum in ferrum telaq; ruerent, paulatim & tanto furori ceſſit, & deficientibus viribus, telisq́ ad propugnandū, retractus aliquantulum intra munimenta, ſatis opportunos iniuriæ muros reliquit. Epirenſes (quid non timor inſidiarū poteſt?) qui pauloante ad cruentiſſimū Martem mortemq; ipſam præ oculis oberrantem tanto feruore, rabieq́, ac nullo reſpectu periculi tendebant, vbi frigeſcere ſenſim hoſtiū ictus, & mœnia pauliſper deſeri conſpexere, fraudē verentes, & ex compoſito latitare grandi aliqua molitione inſidiarū credentes, ſegnius ad omnia diſcurrunt, & vndiq; ſoliciti circunſpectantes, iamiam obrui certo pauore exſpectabant. Ita Barbaris reſpirandi copia, et quæ in rem erant, procurandi ſatis temporis fuit. Accurrentesq́ ex omni parte ſocij, multa vi telorū conuecta, reſtituere eis ſimul cum animis fortunā ſunt viſi. Multi in eo concurſu hincinde cecidere, plures tamen ex noſtris, & longe plures etiā cecidiſſent, ni propere Zacharias ab alia oppidi parte non procul admotis ſcalis, interrupta ea victoria, hoſtium plurimos auocaſſet. Caſtriotus cum agmine ſuorum modo propius ipſe terrebat oppidanos, modo opera militū & munia cuiuſq; obeundo agebat, nunc prece, nunc increpatione in muros. Homines ſagittariorum turmæ, quæ in coronæ modum circum mœnia locatæ fuerant, nunquam aſſignatum ſemel locum relinquebant, ſed errantes in muris cuſtodias certis iactibus vulnerabant, inualeſcente ſemper prælio, & incrudeſcente Marte. Oppidani vbi rareſcere ſuorum multitudinem vel numerum, & pertinaciam noſtrorum pluſquam hominum conſpexere, timentes eius diei fortunam, & protrahere rem cupientes, excogitata mox fraude, ſublatis ex munimentis ſignis Tyranni, clamare à mœnibus

Timor inſidiarū quid non poteſt?

Barbari iuuātur à ſocijs.

bus

bus ſunt auditi, tantillum ceſſationem ab armis petentes, donec alloqui Scanderbegum licuiſſet. Nihil negatum à noſtris, iuſſu ducis, ſed extemplo omni belli furore inhibito dicendi copia facta Barbaris. Tum ſenior quidam ex eis, gratias agens primum Imperatori, militibusq́, quod tam liberaliter hoſtibus in deponendis ex voluntate eorum armis eſſent obſequuti, illud tunc ſe tantum ex ſociorũ conſenſu eius diei ceſſationem expoſcere dixit à pugna, vt ad quam iam ſine variatione omnium inclinauerant animi, de deditionis formula ſententiam conſultandi id ſaltem ſibi temporis eſſet. Ituros poſtea craſtina luce ad eum in caſtra nuncios cum conditionibus quibuſdam, quas ſibi ipſi impoſuiſſent, ſi ratas eſſet habiturus, maximam ſe rem, neq; tamen inexpectatam, à tanta clementia laturos. Quod ſi ingratæ illi forent, non recuſare quicquid ipſe ſtatuiſſet, neq; iudicio ſe eius ſubtrahere, ſperareq́; omnia cum ipſo ex vtrorumq; commodo acturos. Haud ita facilis ijs poſtulatis hoſtium primo Epirenſis fuit, ſed (vt ipſo poſtea patuit experimento) fraudulenter per eiuſcemodi ludificationes, differre eius diei fortunam illos ratus ad aliquid, quod ex re ſua eſſet procurandum, vel expectandum auxilium à Tyranno. Exponere tunc quæ vellent, ocyus iuſſit, aut eodem tenore belli ſe iure eſſe acturum. Impertinentia eſſe, inquiens, tam longa conſilia præſenti neceſſitati. Victus tamen longis hoſtium blandicijs, tum adhortationibus ſuorum, haud grauate ceſſit, præſertim, quod nullam ſatis certam ſpem potiundæ per vim vrbis eripi ea dilatione è manibus ſibi videbat. Retroacta igitur vndique ſigna, & inſtrumenta oppugnationis, ac reductæ in caſtra copiæ, totumq́; id diei cum nocte ſequenti profundo ſilentio tranſactum. Poſtridie mane quatuor ex Barbaris notæ fraudis viri ad id muneris electi, miſſi ad tentoria cum exquiſitiſſimis donis conceſſerunt. Conditiones eius generis proponi iuſſæ, quas victus quiſque, nedum victor ſpreuiſſet, & compoſito omnia fieri, vt ita protraheretur tempus, dum his abiectis, aliæ deinceps, aliæq́; inſinuarentur, & res in longum deduceretur. Hæc autem fuêre petita, videlicet, vt prioribus ciuibus receptis in vrbe, iura ciuitatis, ædificia agriq́; æquo iure inter ſe & illos diuiderentur. Atque ita data ſimul & retenta vrbe, auſpicia eius exploſo penitus Ottomano nomine ſecuturos, in fideq́; perpetua manſuros fore. Præterea præfecti nomine 10. millia aſprorum petita, riſu ſolo reſponſum à noſtris, & ad arma ſubito ingenti vndique indignatione conclamatum, atque ita per ſummam contumeliam cum fallacibus donis fallax legatio dimiſſa. Non ceſſauere ideo Barbari, quin eoſdem extemplo ſupplices mitterent, voluntatem ducis ſciſcitaturos, & ad eius arbitrium omnia relaturos. Tanta commutatio animorum, & hoſtilis fidei ſuſpecta liberalitas, quanquam illius animum ad nihil temere credendum propenſiorem facerent, non contemnenda tamen omnino illorum dicta viſa ſunt Caſtrioto. Pro-

Neceſsitas nō fert conſilia longiora.

Conditiones pacis fucatæ per Barbaros propoſitæ.

to. Proinde conuerſus ad homines, de priſtinis conditionibus, quas antea integris rebus eorum, illæſoq́ exercitu ſuo propoſuiſſet obſeſſis, nihil ſe immutare dixit. Minime graues ſibi videri debere, quas Sfetigradenſibus ipſi tam æquas cenſuiſſent, ſatis hoc illis conceſſum exiſtimare, quod ſi approbent, placere, vt ſine vlteriori clade vrbs reſtituatur. Sin eiuſmodi ambagibus tempus protrahere vellent, & in pertinacia perſiſtere, expectarent quamprimum omnem belli ſæuitiam, illud fixum, deſtinatumq́ ſingulis eſſe, vt obſidioni finem res nulla præterquam mors omniū ſit impoſitura. Dum eunt, ac redeunt, ſimulant, diſſimulantq́ Barbari, triduum in eis conſultationibus eſt conſumptum, cœpitq́ tandem dilucere quod erat. Quare hinc detectæ oppidanorum fraudes, & cognita ſatis mendacia, inde aduolantes iam de motu hoſtium, & Amurathis aduentu nuncij creduli, eouſque ducis animum ingenti moleſtia replerunt. Deſerere oppugnationem, recens contumelia, continuare nouus pauor iniectus à tergo, & maiorum omnium rerum momenta non ſinebant. Commoratus eſt tamen paucis diebus, donec certiora indicia apparatus nunciati eluceſcerent. Sed velut prohibentibus fatis tanta aquarum vis è cœlo delapſa, per totos eos dies, vt non ſolum progrediendi ad mœnia, ſed ne pedem quidem mouendi è caſtris facultas militi ſit conceſſa. Ceſſantibus pluuijs, Epirenſis decreto die ſubſequenti, oppugnationi vrbis, expedire omnia, & apparare maximo conſilio iubet, ipſeque per eam noctem inſomnis, nunc publicè quædam & priuatim peragendo munia, nunc verbis nihilo ſegnioribus homines animando diſcurrebat, identidem clamitans, vel tota Epiro cedendum hoſti, vel niſi capta vrbe, in caſtra non redeundum, deformatum videri imperium, minus tuta omnia, ſi hoſtis ibi diutius alatur. Et (vt minima eſſet eius dedecoris, periculiq́ ratio) quouſque tandem recentes contumelias, & deriſiones hoſtium paſſuros? Ita paulatim per eas conſultationes, procurſationesq́, conſumpta nocte, dies inſtabat. Priuſquam igitur certa patuiſſet lux, tractis vndique copijs, Albanus ſub mœnibus conuolauit, difficilius irrepſit miles, & infirmiora vbique veſtigia virorum, propter humefactam tot imbribus tellurem, inſtrumenta, ſcalæq́ dentibus (vt aiunt) tractæ. Sed irritati iampridem viri, pleni irarum, ac furoris, neque difficultatem, neque laborem ſentire poterant. Oppidani haud tale quippiam timentes, rariores primum circa munimenta, & negligentiores ad omnia inuenti. Cæterum ſummo ſtudio omnibus ſtatim comparatis, & crebri accurrentes, cuſtodijs auctis ad propellendum hoſtem ſatis virium habuere. Minor inde noſtrorum ferocia viſa, & inſpectum propius ferrum, vultusq́ hoſtium, agere conſilio quædam, non omnia animo & furore ſuadebant. Circunſpectantes itaque ſoliciti ſuperſtantium ictus altera manu habere, non inania famæ mendacia ſecutum, ita rumor alius ex alio ſumptis viri-

Deſerere oppugnationē.

Continuare oppugnationem.

Caſtriotus in oppugnando Sfetigrado omnino ſerius.

A cōtumelijs & deriſione hoſtium hortatur.

Conſilio res agendæ, non animo & furore.

bus vix dum cœptum hoſtilem apparatum oculis fermè ipſis hominum ſubiecerat, & Tyrannum adhuc Adrianopoli morantem, apud credulos tanto timore animos tranſuexerat quaſi in Epirum. Inuictiſsimo animo hæc duci audita, parere tamen neceſsitati coactus, confuſis omnibus, in-



terruptisq́, receptui cecinit. Tertia inſtabat diei hora, quum pranſis militibus tollere tentoria, & vaſa colligere iuſsit, valla, cæteraq́ munimenta caſtrorum diſiecta, atque igne immiſſo ſuccenſa. Non abſtinuiſſent vulgi odia ab arboribus, cæterisq́ fructiferis in campis deuaſtandis, ni Scanderbegus inſanam ſæuitiam cohibuiſſet, inquiens, non defuturum forſan olim tempus, quum melioribus Dijs recuperari vrbs poſſet, & ad priſtinum ſtatum redigi res. Itaque nullo quaſi hoſtili ſigno relicto, ſilenti maxime agmine profectus, recto itinere Croiam petijt. Fama eſt, Caſtriotum quingentos amplius milites ſub Sfetigrado amiſiſſe, & hæc propior vero mihi ſententia videtur. Nam non deſunt, qui vix 60. hominum iactura abſceſsiſſe ab ea obſidione aſſerant, quod abeſt multum à ratione, ni magis penetrabilia hoſtium, quàm noſtrorum corpora dixerimus (vt delirant Poëtæ) quum priori oppugnatione nuper tot Turcarum millia cæſa omnes fateantur. Septimo kalend, Nouembres is dies erat, quum obſidione omiſſa Croiam reuectus exercitus eſt. Ibi non momento fermè temporis quieti dato, duces, ordinesq́ (vt operæpretium erat) & poſcere nunciatæ res videbantur, partiti, Croiaq́ inutili omni ætate, ſexuq́ expurgata, duo paulominus hominum millia præſidio eius impo-

ſita,

ſita, Epirotæ, Itali, Germani, Illyrici, Gallíq; permixtim. Concordibus tamen ſupra quàm dici poſsit, iuncti animis, vt euentus poſtea ipſe, & ingens ſeruatæ vrbis triumphus oſtendit. Vranaconti (vt conſueuerat) ſumma rerum omnium in ciuitate, atque imperij ius miro omnium conſenſu datum. Vix alter ex vniuerſo exercitu, vel ad id muneris aptior, vel animis militum acceptior eligi poterat. Ita quum maximi inter pericula conſilij erat, tum parere, atque imperare iuxta paratus, laudemq; potius conferre in medium ſolitus, quàm ex communi ad ſe trahere. Generis præterea nobilitas ipſa, tum res per omnem ætatem geſtæ, ac grauitas oris, annorumq;, magis honorabilem vulgo faciebant. Qui ſi quid laboris, vigiliarumq; impendi poſſet, certantem ſe amiſſurum promiſit, vt tanto totius exercitus conſenſu opinionem de ſe conceptam conſtantem efficiat. Steluſio, Petraalbæ, atque cæteris locis opportunis, alia deinceps præſidia, ducesq; miſsi, & vndique ingens oppidanorum multitudo ad frumentandum, & annonam conuehendam deſtinata. Sed quia propter aſsidua belli incommoda, & occupationes armorum neglecta velut eo anno cultura agrorum fuerat à Scanderbeganis, vix trium menſium alimenta colligi inde potuêre. Aduectum tamen occulte ferunt à colonis, & mercatoribus Venetis, nam ictum fœdus per eos annos à patribus cum Ottomano fuerat. Ego vero adiutum ſemper pecunia Scanderbegum ipſa voluntate Senatus comperio. Et ipſum fermè quoad vixit, Venetis auſpicijs militaſſe, gloriamq; bellorum, & triumphos omnes ad eam Rempublicam retuliſſe. Neque immerito me equidem, quando & ciuitate ab eis donatum, & imperij faſcibus in ea prouincia decoratum, ſatis recentibus monumentis conſtet, vt quarto enarrauimus libro. Quamobrem hoc loco, in quam prius ipſe admirationem incidi, plurimos fore dubito caſuros, vnde hæc Venetis pax cum Ottomano Scanderbego excluſo, quum ſocialia prius ſibi fœdera, & tot amicitiæ iura cum eo forent. Sed quis tam prudentiſsimorum principum conſilia non auſerit intrepide coniectare? Nihil cupide, nihil perperam ab eis fieri potuit. Simulabant, diſsimulabantq;, neceſsitati parentes, & quum reliqui nominis Chriſtiani, tum Græciæ præcipue ſeruandæ ſtudio, quam ita in ſe ipſam ruere cernebant, vt ſuſtentari iam nulla vi humana, nullis armis poſſet, id effeciſſe videntur. Vnum illud (quod ad rem attinet) affirmare ipſe audacter ſingulis poſſum, Caſtriotum nunquam vel de fide Veneta conqueſtum, vel imperij eorum pœnituiſſe. Comportato hincinde frumento, Croiæ horrea omnia, ac publica armaria completa facta computatione, vt integri anni alimenta ſatis commode parata eſſent militi, tormenta iuxta, ac omnis generis tela aucta, ampliataq;, cuſtodiarum maior pars ſcloppis, ſcorpionibusq; inſtructa. Machinarum cura à Gallis

Laus Vranacontis.

A fauore militum.

A dexteritate conſiliorum.

A nobilitate generis.

A præclare geſtis.

Venetorũ pecunia adiutus Scanderbegus.

Auſerit, à verbo audeo.

non tranſlata, his ſemper tam pacis, quam belli tempore, quinq; aurei menſtrua ſtipendia ſingulis à Scanderbego ſtatuta. Croienſium rebus firmatis, reliquum quod ſuperfuerat commeatum exportari per cætera oppida, & partiri iuſsit. Ipſe priuſquam ad noui militis conquiſitionem, quem de more ſecum ad laceſſenda interdum hoſtium caſtra haberet, ſe conuertiſſet, cum Moſe, & paucis equitibus, ad copias iampridem prouinciæ præſidio relictas ire perrexit, cauſa inuiſendi cuncta, & decernendi ſpectatores ad rimanda conſilia Ottomani, & examuſsim ſingula diſquirenda. Non frigus, non glacies, non operta niue tellus ſolertiſsimi Ducis ardorem tardabat, non magnitudo expenſorum terrebat, non itinerum labores, dum lætior ſemper munia obiret, ſubiretq; omnia, modo hanc, modo illam vrbem inuiſens, modo paſtorali amictus ſagulo ſub mœnibus Sfetigradi peragrans, & veteris ſtratagematis non immemor, locato in inſidijs milite, obſeruans, ſi vi extorquere, aut dolo ſurripere Ottomano vrbem (vt olim fecerat) poſſet. Quare vix reſpirare vnquam oppidani poterant, ſed velut obſeſsi, pedem extra mœnia non mouentes, de aſſuetis diurnis, nocturniſq; cuſtodijs nihil intermittebat. Interim reuerſi exploratores ſuperſeſſum in delectu habendo, nunciarunt, dilatamq; iram armorum à Tyranno, ac bellum Epiroticum omne in vernum tempus reiectum. Vt primum enim audiuit Amurathes Sfetigradi obſidionem ſolutam, non inuitus per eos dies tanto nuper ardore cœptum apparatum, pauliſper remiſit, edicto mutato, ac publica iuſsione nouo interpoſito decreto, vt Idibus Martijs omnes ordines, duceſq; ad id deſignati, Adrianopolim conuenirent. Occultare profectionem ſuam in Epirum, & Croiæ obſidionem ſubticere maiorem in modum cupiebat. Sed adeò veris indicijs patebat res, vt ſinguli eo bello Scanderbegum ſibi hoſtem certiſsimis animis deſtinaſſent. Reſpirauere aliquantulum, & cogitationes noſtrorum, Tyranni propoſito audito, præſidiumq; ibi mox dimidiatum, ac vix duo hominum millia relicta ad regionis limites, qui conſtructis militariter ſtationibus, hyemalem intemperiem vt poterant excluſere, cæteri domos remiſsi. Scanderbegus Croiam cum Moſe, & quibuſdam ſuorum reuerſus, aliquot dies ibi manſit, donec munimenta quædam vrbis augeri, & firmari muros Tyrannam verſus, longa pereſos vetuſtate procuraſſet. Tum impatientiſsimus (vt ſemper erat) ocij, nunc ad regulos vicinos, & principes conſanguineos, nunc ad præſides Venetorum gregali habitu cum decem ad ſummum equitibus conuolans, imminentis molem belli admonendo ſimul, & animando homines ſingulorum animis inculcabat. Sed maiorem fermè partem eius hyemis ſub pellibus cum præſidio illo in Macedoniæ veſtibulis tranſegit. Sfetigradenſes vix pro portis errantes viſi, ſolicitos nanque ſupra

Amurathes audita ſolutione obſidionis Sfetigradi, & Scanderbegi diſceſſu, aduentum ſuum in Epirū differt.

quàm

quàm dici poſsit, faciebat, & augebat timorem viris ipſa hoſtilium caſtrorum propinquitas. Quum pauloplus 120. ſtadijs noſtrorum ſtatiua inde abeſſent. Exactis ita hyemis incommodis, inquietiora longe omnia, & publicos ſimul ac priuatos labores, malaq́ꝫ, exoriens ver aduexit, non nox, non dies vllus ſine nuncijs, literisq́ꝫ Caſtrioto præterijt. Hinc transfugæ indies confluentes, inde non obliti veteris neceſsitudinis, Barbari quidam non obſcuris indicijs conſilia Tyranni inſinuantes duci, & ſolertiam eius in omnibus agendis magis acuebant, & cæteris pro cuiuſque ingenio tum pauorem, tum ardorem excitabant. Sed quia vrbibus iampridem affatim prouiſum, neque reuocatum quicquam fuerat, modica reſtabat cæterorum cura, ſolum vt ſpecies aliqua exercitus conficeretur ad vrgendos, quum res ferret, nunc montanis, nunc campeſtribus locis hoſtes, & diſturbandam, vt toties fœliciter Sfetigradenſi obſidione fuerat tentatum, Croienſem olim oppugnationem. Moſes tunc tantum ex primoribus, Tanuſius, & Streſius aderant Scanderbego, nam cæteri alijs neceſsitatibus addicti, diuiſiq́ꝫ per oppida fuerant. Hos celeriter hincinde ad militum conquiſitionem dimiſit, ſed quia exhauſta velut robore virorum prouincia erat, & omnis fermè flos iuuentutis per ciuitates, & alia loca tranſmiſſus, plurimi dies in eo apparatu abiere. Hinc ferunt Scanderbegum (vt maioribus vbique præſidijs firmaret prouinciam) plures eo bello ſubditos Venetorum, & ex proxima Dalmatia aliquos ſtipendijs ſuis conductos habuiſſe. Noui & ipſe multos ciues meos, qui varijs temporibus illius auſpicijs meruerunt, & vel eo ſolo nomine ingentia famæ decora ad poſteros tulère. Ottomanus interea congregata ad præſtitutum tempus maiori parte copiarum (nam & multa adhuc millia deerant ad conficiundam veteris exercitus formam) prout quoſque vel longinquitas locorum, vel viarum incommoda tardauerant, dum integer apparatus compleretur, in cæteris, quæ ad rem tantam neceſſaria videbantur, procurandis, id temporis impendit in commeatu præſertim conuehendo, licet maior pars militum priuatim multorum dierum cibaria ferre iuſsi, quum ſatis crederetur hoſtem ad id, quod nihil triticeæ meſsis in campis eſſet relicturus, pabulum quoq́ꝫ ac herbam ipſam attriturum, corrupturumq́ꝫ. Quamprimum eorum aduentum cognouiſſet, inſtrumenta ad oppugnationem penè infinita varij generis præparata, inter hæc multa ruſtica ferramenta, vectiumq́ꝫ ferreorum ingens numerus, ſimul & laminæ quædam ferreæ incuruæ ad cuniculos (vt poſtea patuit) excauandos. Nam inſidiari eo rationis modo ſatis commode poſſe inexpugnabili alioquin vrbi, perſuaſum fuerat Tyranno. Machinæ quoq́ꝫ minores, quæ vehi iumentis potuere, multæ comparatæ, ad tormenta maiora conflanda rude æs ſumptum. Omnibus ſatis comparatis, & copijs iam certo numero perfectis, 160. pugnato-

Scanderbegi conſiliarij Moſes, Tanuſius, & Streſius.

Amurathis copiæ coguntur ad obſidionē Croiæ.

gnatorum millia fuiſſe omnes conueniunt, præter inſtitores, operarios, ac omnis generis artifices, fabroſq́; qui tum publico regis ſtipendio, tum priuatim lucri cupiditate ea caſtra ſecuti dicuntur, quum longiorem Croiæ obſidionem fore, & moram in Epiro omnes crederent futuram protenſiorem. Nam quoniam de vrbis munimentis inexpugnabiliq́; illius ſitu vulgo plura iactabantur, ſtatuerat Amurathes, niſi capta ea, Adrianopolim non reuerſurum. Nonæ Apriles erant, quum paratis cunctis ad profectionem, anteſignani, præcurſores non minus vſitato, ſed non ſic Latino vo-

Anteſignani Præcurſores.



cabulo dicimus, cum Sebalia Zeureneſio perito militiæ viro, in Macedoniam miſſi, qua tempeſtate Caſtriotus confecto ex animi ſententia milite, ac cuſtodijs per ſaltus omnes atq; iuga montium diſpoſitis, reuocato inſuper præſidio à finibus hoſtium, ſimulq́; vnitis ordinibus, octona autem ſolummodo hominum millia fuiſſe comperio, duo peditū, reliqua equitum, nunc hac, nunc illac procurſans, pariter & perluſtrans omnia oberrabat. Maiorem armatorum numerum ea obſidione Caſtriotum non habuiſſe ſinguli atteſtantur, vel propter penuriam militis (vt nuper dictum eſt) quum diſpenſari tot locis præſidia opportuerit, vel forte (vt mea fert opinio) ludificandi paulatim hoſtis melior ratio viſa, ac ſeruandarum virium ad alias neceßitates, & varios euentus fortunæ, quum in viſceribus ipſis, & vmbilico prouinciæ gereretur bellum, contentioq; de totius imperij, & omni rerum ſumma agi videretur. Triduo tamen antequam irrupiſſent in prouinciam Barbari, Epirēſis perequitans agros & campos omnes, quicquid ſati alicubi fuit, immiſſo partim milite contriuit, partim ferro igniq́; corrupit.

rupit. Deinde crebris nuncijs de propinquitate hoſtis admonitus, cum omnibus copijs campeſtribus locis relictis, in montem, Tumeniſto nomen eſt, quatuor millibus paſſuũ procul à Croia, ſe recepit, capturus ex tẽporis & rerũ ratione conſiliũ. Equitatus itaq; Tyrãni nullo inuento obſtaculo ingreſſus prouinciam, in agrum Croienſem, nullo negotio integer illatus eſt, ibiq; ſingulis circum vrbem diligenter inſpectis, qua tutius caſtrametari poſſet, & commodior eſſet futura oppugnatio murorum, in Tyrannam ipſe copijs expoſitis tentoria fixit. Planicies eſt ſatis ampla, aſpectuq; pulcherrima, ad meſſem tamen, quam ad reliquam frugem aptior, interiacens inter ipſam vrbem Croiæ, & oppidum Parthinorum. Cæterum, hoc in loco plura ſanè me admonere videntur, vt aliquid de eius oppidi primordijs, veteriq; fortuna in medium afferam. Illud verò præcipue, quod & ſcriptorum monumentis celebratum, non ignotum, nec latitat poſteritatem. Ante enim ciuilia Cæſaris & Pompei bella, fuiſſe ſatis honeſto numero in prouincia id oppidum, licet animaduertere, & ruina adhuc ipſa, ac ſingularum rerum veſtigia, priſci ſtatus decorem, ac veterem nobilitatem loci non obſcure repreſentare valent. Expugnatum nanque, & dirutum à Cæſare ferunt, quum Pompeium atque Senatum Romanum in vrbe Dyrrhachina obſediſſet. Iacuit autem ſemper in ea ruina, neq; reſtituti vlla deinde ætate aliqua dilucerent indicia, niſi quæ priuata incolentium ſtudia ad varias neceſsitates ſuccedentibus animis renouarunt. Nomen aliud loco neq; inditum, neq; vſurpatum comperio, æque nec vllum certum conditorem affert in medium vetuſtas. Sed non temere ad eoſdem & condendi originem tranſtulerimus, id quod tum nomen ipſum ſuadet, tum atteſtantur antiqui, dum non inter ignobiles populos Epiri, Parthinorum gentem cernimus annumerari. Præſam nunc incolæ mutato vocabulo appellant, tam intus reliquiæ ipſæ murorum, quam extra ſuburbia, & loci omnes in numero habitatorum tenentur, ita amœnitate præcipua, & rerum omnium commodis gaudet locus. Bellicoſiſsima ea gens hodie inter cæteros Epirotici generis populos computatur. Tamen tunc propter famam hoſtilis aduentus ætas omnis cum ſuppellectili in tutiora oppida translata, nudaq; fermè tellus relicta. Locato commode milite Sebalias, ac omnibus maximo conſilio ad quantamcunque vim hoſtis contemnendam ordinatis, obſeruabat tantum oppidanos intercluſo aditu portarum, ne quid præſidij, commeatusúe afferretur in vrbem, in cæteris vix aliquod ſignum hoſtium apparebat. Hoc autem idcirco (vt arbitror) quoniam neque laceſſendi ad pugnam incluſos, vel admouendi mœnibus agmina ſuorum illi ſanum conſilium viſum, quum præter haſtas, gladioſq;, nullum reliquum armorum genus aptum ad oppugnationem ſecum attuliſſent, neque deuaſtandi agri, & procurſandi prouinciam edoctum ſatis aliorum tum veteribus, tum

Tumeniſtus mons quatuor millibus paſſuum à Croia.

Parthinorum gens inter nobiles populos Epiri habetur.

nouis

nouis caſibus vlla animum libido inceſsit. Quum & Tyrannus præſertim eadem ipſa proficiſcenti iuſsiſſet, prohibuiſſetq́, ne ſumma vrgeret neceſsitas, vllam vſquam copiam dimicandi dari hoſti, haud abſimilis quidem ratio noſtrorum quoque animos auertit à pugna, & differre omnia auſpicia belli in aduentum ipſum regis coëgit. Nam quum Scanderbegus cum parte militum ad exploranda conſilia Barbari, & contemplanda ſtatiua perrexiſſet, vt ſi alicunde daretur, impetum in ea faceret, videns tum copiarum magnitudinem (quadraginta nanque millia vt anno priore venerant) tum miram ducis prudentiam in caſtris ſituãdis, reliquisq́ agendis, re nulla penitus tentata, quum etiam aduentum ipſum Tyranni formidaret à tergo, quo maximo potuit ſilentio, in ſtationes ſe recepit ſuas, moraturus ibi, donec Amurathes ipſe omnem explicauiſſet apparatum, & conſediſſet ſub muris, tum diſperſa late tentoria, & inordinatam (vt fit) multitudinem commodius impeti poſſe, & quotidiana irruptione hoſtes laceſciri, præſertim quum oppugnatione vrbis incœpta, totius fermè robur exercitus diuerſis miniſterijs occupatum magis opportuna iniuriæ propria munimenta reliquiſſet. Inter eas deliberationes, & ſalubria noſtrorum conſilia aduentare iam indies regiæ copiæ cœperunt, & oppleri circunquaque armatis omnia. Tyrannus cum nobiliſsimis quibuſque et robore virorum, præmiſſas copias in exitu ipſo Aprilis eſt conſecutus. Inter

Ottomani aduentus in Epirum.

præcurſorum & Ottomani aduentum 20. paulominus dies interceſſere. Sed non debet id quempiam mouere, nam tum propter varia exercitus onera, & impedimenta militaria, tum ob ipſam principis iam ſeneſcentis commoditatem, vix quina milia ſingulis diebus fuere confecta.

Milia, hoc eſt, miliaria.

Expoſitis ordinibus Barbari, ac in coronæ modum circundata vrbe, locum omnem, camposq́ muris ſubiacentes tentorijs operuerunt.

Obſidetur Croia à Turca.

Multi quinquaginta ſtadijs amplius procul à mœnibus conſedere, dum tanta multitudo locari aliter nõ poſſet. Potuit id ſpectaculum fortiſsimi cuiusq́ vel Imperatoris, vel militis animum mouere, & non irrationabilis me equidem formido proprij periculi, contemplatione oblata patriæ, penatum, Deorum, fidei, & honeſti totius rationem à cuiuſuis pectore extenuare potuiſſet. Erecto tamen ſupra hominem ſpiritu, oppidanus nihil tam formidoloſa ſpectaculi pompa de veteri cogitatiõe mutatus, vel maiorem etiam inde pertinaciæ fideiq́ conſtantiam ad conceptum iampridem decus, & libertatem tuendam ſuſcepit, metiens gloriæ ſuæ magnitudinem, & futuri ſpeciem triumphi ex ipſa periculi vaſtitate compenſans. Quare ingenti lætitia, & cõtentione quadam effuſi per mœnia milites, alter alterius in peragendis omnibus, & apparandis ad pugnam non ita ſedulam operam carpebant, per noctemq́ ignibus accenſis, clamoribus, cantuq́ vario contemptum hoſtis oſtentabant. Cæteræ quoq́ Epiri vrbes, ac prouinciæ oppida, multum de ſolito timore

more abiecerant, neque vel auditus, vel viſus Ottomanus tantum (vt olim apud Albanos) vel nominis, vel virium afferre viſus eſt, quum aſſueuiſſent iam malis homines, & contemptores periculorum aſsiduitas ipſa feciſſet periclitandi. Quatriduum in aptandis & mutandis hincinde ſtatiuis hoſtis conſumpſit. His ordinatis, concurſus ad prætorium Tyranni factus, poſcentium copiam pugnandi. Nihil conceſſum per eam diem, retentiq; intra munimenta ſunt, ſæuerißimo decreto. Nam & Scanderbegi inſuetum ocium augebat præter modum curam ſenis, ne magnum quippiam interea ſolitus artifex coqueret. Mane quod ſecutum eſt, duo nuncij ad

Amurathes per legatos petit vrbē Croiam.



Vranacontem cum ijs mandatis miſsi, vt ſi tradere vrbem ſibi vellet, libera illi eſſet cum præſidio & rebus omnibus facultas abeundi. Ad hæc bis centena Aſprorum millia addita, & inſignis ei locus (ſi velit) inter purpuratos principis promiſſus. Cæteris quoq; Croienſibus ne imperium eius faſtidirent, omnia quæ vel ad priſtinam libertatem, vel maiora etiam commoda attineant, abunde ſunt promiſſa. Cum his mandatis viri recto ad portam itinere pergunt, quæ vnica tantum eo loci eſt in vrbe, nam circum reliqua ciuitatis latera, præruptus, atq; inacceſſus mons eſt. Accitus igitur à cuſtodijs præfectus, cum inſigni comitatu ad eam portam venit, poſtulantibusq; colloquium regijs, oppidum quidem intrare non conceſſum, ſed propius accedere iußis, ita vt commode inuicem ſe exaudiri poſſent, dicere quæ vellent illos admonuit. Verum accidit, vt primo congreſſu vix auditi, & infecta re diſcedere ſint coacti, interrupta plena libertatis, atq; egregij ſpiritus Vranacontis voce, conclamatum vno ore vndiq; ab armatis, ferro, non verbis reſpondendum hoſti, neque conuitijs, & probris quibuſdam (vt

ſolet) libido militaris abſtinuit. Ea vbi narrata Ottomano, veterem magis indignationem recenti iniuria exagitarunt. Quamobrem ea ſpe deſtitutus, ordine ad miniſteria oppugnationis conuerſus, primo omnium expediri maſſas illas infecti æris, & ex illis conflari machinas iuſsit. Longum id opus fuit, quindecim amplius dierum ſpacio, decem conſertæ diſpari aliquantulum magnitudine, quatuor æquales, quæ ſexcentarum amplius librarum pondo ſaxa iaciebant, reliquæ ducentarum, harum quatuor cum duabus maioribus locatæ, qua mœnia Tyrannam verſus Orientem ſpectant. Aliæ qua portæ locus eſt, oppoſitæ vrbi: nam ab his partibus tantum potiundi per ruinam murorum oppidi ſpes ſuberat, quum magis acceſſa ea loca, & opere hominis conſtructa munimenta, ac manu facta paterent, quæ licet fortiſsima eſſent, nihil tamen dubitabatur ea vi tormentorum æquari ſolo poſſe. Reliqua ciuitatis propugnacula ita inſigni naturæ munimento vndique monte cinguntur, vt ſatis ſine vllo mortalium artificio, contemnere quantumcunque hoſtis pertinaciam poſsint. Itaque corona tantum murorum per ſummitatem ibi apparet, ornandi magis quàm muniendi cauſa appoſita olim à conditoribus loci. His tormentis apparatis, & ſuper rotarum vehicula impoſitis, quo commodius vbiq; veherentur, quatriduo integro, priusquam cominus ductis agminibus ſub muris manus confereretur cum oppidanis, ad concutienda ab illis duobus lateribus mœnia, opera omnis expoſita eſt, offenſumq; maxime vtrobique vrbi, ac diſiecta fœde munimenta, abraſaq; fermè dimidia murorum pars. Cætera ita quaſſata, vt facili impulſu lapſura apparerent. Creuit præter modum ſpes Barbaris, vbi factum eum aditum intrandi oppidi aſpexêre. Quare crebri apparare ſcalas, reliquasq; machinas ad proximam murorum oppugnationem, tam publico, quam priuato ſtudio aduehi hincinde trabes, excurſare lætos per ſtatiua milites vidiſſes, conſtruiq; varijs modis omnis generis artificia. Singula fermè tentoria, ſingulos apparatus velut æmulatione quadam depromebant, dum quiſq; tacita contentione primus muralem coronam ſibi habere cupit. Purpurati quoq; regis multa priuatim impendere, vt animum Amurathis præuenirent. Mahumetes inter cæteros præcipua ingenij ſolertia, atque indefeſſo ſtudio, velut vnus ex gregarijs militibus, ſemper aderat patri, ac regij decoris oblitus, non vigilijs, non laboribus parcens obibat ipſe, peragebat omnia, ſedulus nunc hac, nunc illac pererrans, verbis pariter & exemplo animabat viros. Propoſuiſſe ferunt & ipſum præter cætera à patre publice promiſſa, centena Aſprorum millia ei, qui primus euadens in vrbem, Ottomana ſigna fixiſſet. Oppidanorum animos ſicut diſpar omnino ratio, ita diſpari effectu acuebat: illi cupiditate tantum prædæ, & gloriæ libidine eos inanes timidosq; ſpiritus induerant, ſegnius idcirco petituri, id quod nunquam poſſediſſent, hi ad id, quod honeſtiſsi-

Machinæ bellicæ conflantur.

Barbari ad pugnam contra oppidanos ſeſe accingunt.

Mahumethis ſedulitas & ſolertia.

Diſpar ratio Croienſiũ & obſidentium Turcarum.

honeſtiſſima quæque ſibi apud Scanderbegum non erant defutura, imperij, patriæ, ſociorum, totius denique Epirotici nominis ſalutem in manibus ſuis poſitam cernentes, nedum incredibili ad omnia pertinacia; ſed furore quodam, ac rabie accendebantur. Exin licet deformata & diruta ab eis partibus mœnia aſpectu ipſo, ac forma ſpectaculi, dolorem incuterent ſimul & pauorem hominibus, prævalebat tamen animi magnitudo in viuidis pectoribus, proculq́; fugabat facile ex cuiuſq; ingenio ignauam mœſtitiam. Solabantur ſe inuicem viri, animoſq́; viciſſim acuebant; & inter cæteros medius vadens per turmas Vranacontes, dexteras ſuorum, ferrataq́; pectora pertractans: hæc ſunt, dicebat, vrbium munimenta, hæc infracta murorum propugnacula, hi immoti lapides, hoc firmiſſimum cementi genus. Quid decoris, quid laudis, quem triumphũ inde ſperaremus, ſi illæſis his, integriſq́; tecti à munimentis magis ab illis ipſi defenderemur, quam ea nos defenderemus? Scilicet & ignaui ita pugnare ſciunt, & pecorum armenta luporum fremitum contemnunt, ſi tuto occludantur ouili.

Adhortatio Vranacontis vrbis præfecti ad Croienſes.

Sed murorum ea non hominum laus, vrbem Caſtriotus nobis, non nos vrbi commiſit, periculis aſſueta virtus eſt, in difficilibus educata. Quis nõ bonus nauta tranquillo mari? Quæ firma ſunt, per ſe manent, nullamq́; opem humanam, nullam ferociam noſtram quærunt. Proinde fugiunt ea viri fortes, ex quibus vel ſeruatis, vel non ſeruatis, par ſequi ſolet laudis fructus, inclinata cupiunt ſuſtentari, eo properat virtus. Iterum repeto milites, ibi ſplendor animorum, ibi præclari eluceſcunt ſpiritus. Quare nudata ab hoſte latera, armata dextera tegat. Fortium virorum corpora pro ignauis munimentis opponantur. Integris mœnibus pugnaturi ex ſummitate murorum fœminarũ more eratis, nunc proſtratis aliquantulũ, æquiori deſcendentes loco, cominus ferietis hoſtem, melius furorem omnem, iramq́; exaturabitis. Accipiam ipſe quoque certiora tum publicæ, tam priuatæ virtutis veſtræ experimenta. Adiuuat tamen & nunc pulcherrime vos locus ipſe, & vix aliqua præſenti ruina murorum, de priſtina ſpe bene gerendi detractum videtur, ſi accuratius inſpexerimus. Nam dorſum hoc montis quamuis non ita in ſublime erigatur, ſicut ab alijs partibus, nonne ſatis ad onerandos hoſtes, & eludendam vim omnem idoneum videtur? Procliuitas quoque hoſti infeſtiſſima, nonne vires vobis indefeſſas ſeruabit, ſuggeret, & concitabit tela? Exoptandum itaque potius iſtud nobis erat, ſi cædem hoſtium ex hac obſidione cupimus, ſi gloriam inſignem ex hoc bello, ac perennes in omnem ætatem titulos animo complexi ſumus. Inuitabit nanq́; hæc apertura murorum Barbaros, alliciet ad aſcendendum armatos, ſubibunt plures longe, quam mœnibus integris forent ſubituri, tot nullo certe negotio vndique cadent, quot petierimus ipſi, ni compreſſis vos manibus ſedere malueritis. Reſtaurabũt vobis diſiecta munimẽta cor-

Vrbs ciuibus commiſſa nõ ciues vrbi.

Periculis aſſueta virtus.

porum ſuorum aceruis, ſi viri eritis, ſi memores libertatis, quid ad victoriam, quid ad memorabilem hoſtium ſtragem obſtat, duces ac milites fortiſſimi, hæc tantum vrbis latera impeti ab hoſte poſſunt. Cætera omnia extra periculum poſita, vim nullam humanam reformidant, hic tantum labor, hoc opus vobis relictum, omnes hic eritis. Virtus, animi, conatusq́ſingulorum hic aderunt. Quid facietis tot duces, tot fortiſſimorum militum capita, longe plurimi defenſores pro paucitate cuſtodiarum ſumus, agendum igitur ita, enitendum. Croienſes vero vnica tantum pugna & vires contundamus Tyranni, & animum illius frangamus. Relinquet vrbem, deſeret aduerſis Dijs cœptam obſidionem, vbi prima belli auſpicia tanto ſuorum cruore tincta conſpiciet. Hæc nunc Albana ipſe, & Italica expromens lingua, nunc per interpretes ſuorum animos ad futuram poſtridie oppugnationem præparabat, atq; dictis ſimul factisq́ alliciens homines ad peragenda ſedulo omnia, & difficilima quæq; obeunda inuitabat. Ita hincinde varijs operibus diſtinctis militibus, dum ex illius aſpectu ad ſingula magis exequenda accenduntur, nox aduenit. Neq; tamen vſq; ad ſecundam vigiliam præfecti ſolertia ab eo tenore apparandorum ceſſauit, quod ſuperfuit quieti indultum. Barbari expeditis per diem omnibus, nocte vſi tranquilliſſima ſunt vſq; ad auroræ aduentum. Nam pridie inclinato iam ſole, decreta vrbis oppugnatione ſub præconis voce omnibus clare mandatum fuerat, vt ante ſecundam diei horam curatis corporibus, certi duces ordinesq́ inſtructi ad prætorium Tyranni adeſſent. Quare feſtini vndiq; dicto parentes milites, ante præſtitutum à principe tempus, habita corporum, & reliqui apparatus ratione, ad ſtationem eius expeditiſſimi cõuolarunt. Accerſiti ibi nobiliſſimi quiq;, & corona de more facta, oratio Amurathis pluſquam pro viribus, & exhauſto iam ſenectute ingenio ardens audita, neq; Mahumetes lingua æque, ac manu promptus adoleſcens ſilentiũ tenuit, ſed patris ſermone vix completo, furenti ſimillimus aſſurgens, ita eſt præter priuata aduerſus Epirotas odia in Chriſtianum nomen inuectus, vt velut alter olim Annibal Romanis exortus, nobis infenſiſſimus hoſtis videretur. Cæteri quoq; duces priuatim milites quiſq; ſuos vſq; ad ſatietatem adhortati ſunt. Quinta agebatur diei hora, quum perfectis omnibus, & pranſo per quietem rege, mouere è caſtris, ſatis incommodum tempus ad pugnandum, æſtiuis præſertim ardoribus videri poterat. Sed ideo forſan opportunior ea hora principi viſa, ne ſi per noctem, vel incerto die receſſiſſet è caſtris ipſe, commodior relinqueretur infeſtandi munimenta occaſio Scanderbego, licet neque ſic eum fefellerit timor. Dato (vt diximus) ſigno, vno omnes impetu, maximo tubarum clangore, hominumq́ clamoribus egreſſi, mœnibus ſuccedebant, & iam cœpta erat dimicatio à primis, quũ ſubito tumultu repleta omnia, ac trepidatio ingens per vniuerſa

Decreta vrbis oppugnatio.

Adhortatio Amurathis Mahumetisq́ ad ſuos.

caſtra

caſtra exorta. Irruperat nanque Caſtriotus cum expedito ſuorum agmine in extrema quædam tentoria hoſtium. Quum diu intentus Tyranni Caſtriotus irrupit in caſtra Turcæ.



conſulta obſeruaſſet, ſtationarij eo loci conſtituti, primum impetum noſtrorum ſatis audacter exceperant: ſed vbi pluribus amiſſis impares ſe eis viribus nouerant, hincinde diſſipati iam cuſtodias omnes, & ſtationes eo timore reliquiſſent, ni proximi quique vndique accurrentes, reſtituta pugna, fugiendi pudorem inieciſſent hominibus. Noſtri nihil gradu turbati victoriam ſequētes, in obnixos infeſtius tela acrius ferrum ſtrinxerunt, & ſexcentis amplius occiſis, ac pulſis ab vna parte loco hoſtibus, tentoria bina diripuerunt, militaribus aliquot ſignis, ac ornamentis omnibus ablatis. Ita rumor alius ex alio (vt fit) dum certatim ſocij, qui manſerant in caſtris ad id incendium extinguendum peruolarent, ad Ottomanum explicantem ſub muris copias allatus. Senex, & ſi procuraſſet multa antea, ac fideret viribus eorum, qui relicti fuerant in caſtris, conuerſus tamen anxio animo, vtpote qui nihil obſtaturum efferatæ beluæ diceret, Seremetum vnum ex præfectis ſuis cum quatuor armatorum millibus obuiam noſtris miſit. Mahumetes quoque ardens iampridem odio hominis maxime reclamante patre, cum aſſuetis cuſtodibus corporis ſui eſt profectus. Sed priuſquam fermè hi mouiſſent, Epirenſis impar tot aduentantium numero conuerſis ſignis conſuluerat ſibi & ſuis. Cæterum ſolus Scanderbegus ardore illo dimicandi ſuimet oblitus, mox (vt aiunt) ac inter conſertiſſimos præterlatus hoſtes, dum occluſos vndiq; aditus vix penetrare poteſt, fermè oppreſſus eſt, præſertim quod equum pariter ipſumq; deſtituerant

Rumor de irruptione Caſtrioti affertur Ottomano.

Scáderbegus vix euadit.

vires. Quamobrem ægre à multis vndique in illum ruentibus ſe ſubtraxit. Barbari fugientem ſecuti ſunt, dum ſpes aliqua capiendi fuit. Ita exercitus ex vna parte, dux ex alia, fœlici fuga ex inſequentium oculis euanuere. Reuocatus igitur in caſtra miles, & Mahumetes cum ſuis mœſtiſſimus ad patrem reuerſus, quod ita per ſummam caſtrorum deformationem deluſus fuiſſet ab hoſte, pollicitus tamen publice eſt (ſi oporteat) ſeſe vel integros menſes, dies, noctesq́ vigilaturum, donec tandem inſtructis ad id ipſum inſidijs eam beluam capiat. Non animum, non conſilium deficere ſibi, neque defuturam fortunam, ſi ille in ea temeritate inuadendi munimenta perſiſtat. Scanderbegus vbi tuta iam terga ab hoſte vidit, deflexo itinere ad ſuos pergit ire, qui ſoliciti de eo, nunc hac, nunc illac pererrantes, ac mittentes in omnes partes milites, perluſtrabant ſingula oculis ſicubi eum conſpicerent. Et multi non ſine lachrymis tam longum hominis deſiderium perferrebant. Iam inde viduam rem Albanam, orbatum Epiroticum imperium, hominem propè diuinum à Barbaris tam crudeliter necatum dolentes. Quare inſperatus fermè eius aduentus, tantum publice, priuateq́ lætitiæ attulit, vt præter gaudia vulgi, cantusq́ varios, multi perſoluere vota ſint viſi, quibus ſalutem eius petitam à Dijs ſe impetraſſe credebant. Scutum viri ita perfractũ attritumq́ ferro erat, vt vix forma remaneret. Corpus tamen illæſum omnino, inuiolatumq́, minuit aliquantulum hoc loco facti magnitudo fidem. Ego vero haud grauate permiſerim iſtud perſuaderi mihi, quandoquidem (vt nulla fuerit fortitudo viri, nulla armorum peritia) pleraque vel maiora alia, caſus, ne dixerim Deus, poteſt efficere: ſed illud magis fortaſſe dubiam hanc rem facit, quod in omni acta vita, & rebus ab eo geſtis, nunquã tam imprudẽter Scanderbegum ſolum lapſum inuenio, vbi locus aliquis conſilio fuerit. Ni conceſſerimus aliquando (vt faciunt Poëtæ) furentes quoſdam impetus fortibus viris & Martis feruorem, ac bellicos ſpiritus ſemel indutos exui illorum arbitrio minime poſſe, quippe quum in gladio ſtringendo non omnino conſilium abſit, ſtrictum tamen ſolus furor agit. Sic Horatij Coclitis apud Romanos animi præſtantia, Porſenæ exercitum vniuerſum, dum ponè demolitur pons, ſubſtinuit. Et apud Græcos, Lacedæmonius Leonides cum paucis, Xerſis innumerabiles copias apud Thermipylas remorari non dubitauit. Cæterum eo in conflictu ex noſtris parua iactura fuit, vix decem, vulneratorum par numerus (vt aiunt) interiêre. Nam peditatu omni, & & infirmiori parte equitatus in ſtatiuis relicta, cum quinque expeditiſſimorum equitum millibus in caſtra Barbari irrupit Caſtriotus, qui ad fugam æque ac pugnam prompti, facile iniuriam omnem hoſtilem euaſere. Inuento Duce, noſtri læti continuantes iter, celerrime ad ſocios ſe recepêre. Non tamen vllum ſatis efficax gaudium, vel feſtiua recens Scanderbego victo-

Lapſus Scanderbegi.

Horatius Cocles.

victoria erat. Iacebat animus alta mole curarum, & malorum imagine confuſus, donec aliquem eius diei Croienſis fortunæ nuncium habuiſſet. Nam licet ſatis nota tum præfecti, tum præſidij virtus, & fides, vrbis præterea inexpugnabilis ſitus, & habitus loci ſolicitudinem eius leuarent, tamen nunc tantæ rei momentum, & periculi magnitudo, nunc patriæ (vt ſit) inexhauſtus amor, vel inuitum timere cogebant, & ſedula interpretatio multa inania quoque ſibi ipſi ſubijciebat. Amurathes cœptam oppugnationem, quamuis propter motus illos caſtrorum non interpellaſſet omnino, tardauerat tamen quoſdam apparatus, & cætera, quibus certius vehitur militi periculum, donec euentum eius certaminis audiſſet. Quo cognito (vt ſupra meminimus) tum poſtremos quoſque agens in hoſtem, & ſingula opera, exponi ſub muris iuſsit. Ante omnia ſagittarij, & alij id genus leuis armaturæ milites, qui emittere tela in ſuperſtantes poterant, paſsim fuerant circunfuſi, tormenta minora non longe diſpoſita. Cætera viliora capita vulgi ſubiecta primo furori hoſtium, ſcalas, & alia deinceps trahebant per montem. Hos promptiſsimorum iuuenum agmina IaniZarorum, & Aſſapporum ſequebantur, vt ſi admoueri munimentis ea potuiſſent, euaderent in muros, & cominus perterrerent hoſtem. Hæc ab illis partibus ordinata, vnde liberior apparebat aditus vrbis ex ea fractura murorum, quam grauiores fecerant machinæ. De cæteris non multum curatum, quando & ſi ablata fuiſſet ea corona murorum, vix attentare potuiſſet aliquid ibi miles, ob altitudinem, & montis inſuperabiles anfractus. Affixa tamen tormenta quædam ab hac quoq; parte, petitaq; crebris ictibus vrbs, tum perterrendi cauſa hoſtis, tum euertendi intus priuata nonnulla ædificia, quæ obnoxia iniuriæ videbantur. Oppidani primo venientem hoſtem tormentis à longe petiêre, turbaruntq; ſæpius pluribus occiſis, alijs diſſipatis, & auertiſſent fortaſſe ab incœpto, ni turmis quibuſque duces ſui inſtantes à tergo, nunc adhortationibus, nunc minis, verberibusq; interdum, & vulneribus hoſtiliter vrgerent. Ad hanc pertinaciam illud quoq; non deerat, quod & Barbari machinis ad idipſum locatis, impetere noſtros oberrantes per munimenta nõ ceſſabant, vt arcerent, dum anteſignani, & ſeruorum manus, qui ſcalas, & reliquos apparatus trahebant muris propinquiores fierent. Ita quamuis non incruenti, ſuppreſſere tamen. Tum Croienſes ad ſua quiſque miniſteria dilapſi, certius teli genus exercere occipiunt in ſubiectos, ac vera cominus aperire odia. Reſonabant vndique clamore omnia, ſtrepituq; armorum. Crepitus præterea, ſonitusq; tubarum ex vicinis refractus collibus ingeminatus, & multiplex æditus, ad inijciendum ardorem viris, offendebat magis pugnantium aures. Sicut tamen diſpar cauſa armorum, ita diſpar dimicatio erat. Spes potiundæ vrbis omnino nulla à principio apparuit, ni maius aliud quippiam fors,

Amurathes tardus in oppugnando.

fors,caſusúe attuliſſet. Scalæ mœnibus fruſtra admotæ,ſed cum vectoribus ipſis attritæ per montem iacuêre. Reliqua vulgi colluuies tota aut deleta, aut expauefacta effugerat,vt idem horror animos,torporq́; pariter membra inuaſerat. Vix pedem iam vllus promouebat ad muros,licet neq; apud ſuos vllum pateret effugium. Aderat nanque non longe ſpectator,ſæuusq́; adhortator Mahumetes, crudelitatis nomen apud poſteros, vel inde aucupans ſibi, qui nedum quenquam referre pedem, ſed ne reſpirare quidem patiebatur. Ita miſeri dum hoſtium furorem fugiunt, immoderatiore ſuorum imperio plectebantur. Chriſtiani hi ex maiore parte ſunt Ottomano ſubiecti,quorum ingentem multitudinem ad omnes expeditiones du-

Mahumetis crudelitas.

Vt Chriſtiani captiui tractentur ſub Turca.



cere ſolent Barbari,inermem fermè,quum non ſatis eis fidant. Hi omnia penè onera caſtrorum ſubeunt,aquandi,lignandi,valla,aggeres aliaq́; munimenta conſtruendi,tempore vero pugnandi,ſi in campis, & aperta fortuna dimicetur,hæc primum obijcitur materia cædendi hoſti, quæ aduerſariorum diſtrahat ſimul & exhauriat vires. Si vrbium oppugnatio agatur,hæc inſtrumentorum vehicula ſunt, hæc ad implendas corporibus ſuis foſſas materia electa,ac pontes velut cæteris faciendos. Quare ſi ſegnius aliquid exequantur,crudeliores crebro dominos patiuntur,quam hoſtes. Occaſio ea potius fortaſſe,quam cauſa, & ab odio ipſo naturali omnis depromitur ſæuitia. Vidi multa huiuſcemodi ipſe,quum infœlici fato ad patriam defendendam infœlicia arma tenerem, cuius nunc memoria ſicut mirifice recreor,ita recenſere ſine lachrymis non poſſum. Audiebamus ſtantes pro munimentis,miſerabiles illorum querelas, & ſupplices deprecantium voces,vt

ces,vt mitius cum eis ageremus,dum non conſilio, non voluntate propria, ſed ſæuiſsimo imperio Tyranni hoſtilia ſe facere dicerent. Corpora ſe tantum inuitiſsima,ſigna infeſta in nos trahere, animos gerere amiciſsimos,vtpote quibus ijdem Dij, eademſacra, vota eadem,licet non ijdem principes Chriſtiano ex vitio,ſuaq́; ipſorum calamitate eſſent. A noſtris quamuis male tunc in ea fortuna ratio alicuius haberi poſſet, multis tamen quantum in tali furore potuit parſum.

Querelæ Chriſtianorum.

Proh dolor,libet exclamare hoc loco,paulumq́; digredi. Vident hæc, & audiunt tamdiu Chriſtiani principes,neq; tam grauis ſeruitus ſociorum,tam fœda vincula, vocesq́; mœſtiſsimæ, quibus montes iam,maria, camposq́; omnes per tot ætates impleuerunt,quempiam mouent,fluit vndique noſter cruor,deficimus paulatim,neque ſentimus,incidimus in ea tempora,volentibus dijs,vel potius ita agentibus nobis,vt vilior iam apud Turcas Chriſtianorum, quam iumentorum ſanguis habeatur,futurumq́; ſit,ſi hæc diutius peſtis inualeſcat, vt triginta ex nobis,vix vno obolo olim liceant hoſtes,quod in captiuitate illa Hieroſolymitana de Iudæis ſcriptores referunt.

Exclamatio in ignauiam principum Chriſtianorũ.

Licere, paſsiue ſignificat æſtimari.

Ioſephum putat & Egeſippum.

Verum enimuero, nihil eſt quod timeamus amplius, iam ad ſummum turpitudinis deuentum eſt. Neque nos ad duriora perferenda apti ſumus,neque hoſtium crudelitas ipſa magis ingenioſa eſſe poteſt:ſed redeat iam noſtra vnde ſe ſubripuit oratio. Croienſes primis quibusq́; Barbarorum, aut occiſis,aut propulſatis,aperta quoque portula,quæ è regione erat,60.fermè egreſsi erumpentes improuiſi in hoſtem,auxerunt ſupra quam dici poſsit, timorem hominibus.Germani hi omnes,Epirotis mixtis fuêre,qui vix exorata à præfecto exeundi facultate, cum ſingulis tantum ſcloppis proceſſere non longe à mœnibus, æditaq́; ſatis magna cæde, vt pro numero pugnantium extemplo recepere ſe in vrbem, rurſus infeſtiores erupturi, ſed nullis precibus,vt id rurſus facerent,obtinere potuerunt ab Vranaconte. Laudati tamen ab eo publice & donati ſunt omnes. Barbari obſtupefacti ea audacia noſtrorum, primo retulêre pedem aliquantulum, deinde tum pudore,tum conſilio denſati in vnum expectabant, ſi victoriam ſecutus oppidanus iterum erumperet. Maior longe cædes ab Tyranna ædebatur,laxior nanque hiatus murorum liberiorem faciebat dimicationem hominibus. Ibi oppleta iam cadaueribus omnia. Gemebat velut ſtridore morientium tellus. Non deerant tamen obſtinatæ adhortationes viris,& furore quodam miſeri periculo inſtabant, ne confeſsionem ignauiæ præberent hoſti. Referta telis vndique munimenta, & propugnacula vrbis,ac caligine fermè ſagittarum vincebatur dies. Hæc à primis turmis Tyranni ſine reſpiratione geſta. Medio iam ad veſperam declinante die,circiter octauam ferè illius horam,quum Amurathes videret partim cæſas,partim ob nimiam laſsitudinem defectas viribus copias ſuorum, Chriſtianosq́;

acrius ſtantes pro munimentis, dubius fuit primo, an recentes alios feſſis ſubijceret, renouaretq́ pugnam, an in alium diem differret oppugnationem, quum ſatis iam pro ea parte diei tentata eſſet fortuna, & nimij ardores defeſſa militum corpora reſoluerent. Adhortationibus tamen ſuorum coactus eſt continuare certamen, quũ dicerent turpiſſimum fore ita incruentam fermè eius diei victoriam relinquere oppidano, & quãdo nulla ſpes ſubeſſe poſſet vrbis potiundæ, tot iacentia fortiſſimorum virorum, & ſociorum corpora inulta dimittere, neque differendum ardorem belli, omnia ſecunda ſegniora eſſe, contemptioraq́, vbi hoſtis velut aſſueſiat periculis, & obduret malis. Nouis conſilijs, ac reparandis omnibus magis futurum locum obſeſſis, ſi ea reſpirandi facultas detur. Succedendum recenti milite in munimenta, feſſosq́ propugnatores, qui vbi eam pertinaciam viderint, aut voluntarie deſerent cuſtodias, aut ſuo ipſi concident onere. Mirari ſe, vnde iam is ſpiritus, ea corporum vis, perditis hominibus tamdiu ſuppetat. Subductæ igitur ex eorum ſententia nouæ, vt electæ magis, ita nihilo pauciores in mœnia copiæ, ac omnia dicto citius renouata. Fortaſſe & fortuna ipſa victoribus relictis ſecuta fuiſſet nouos virorum conatus, ni oppidanus quoq́ nihilo ſegnior eandem ſuorum rationem habuiſſet. Recentibus itaque recentes oppoſiti, facili negocio poſſeſſum ſemel decus, & victoriam omnem retinuêre. Ruebant velut occæcatæ beluæ in ferrum Barbari, ad portam præſertim, & licet anguſtior via vix binos admitteret equites, adequitantes tamen muris ipſis recta cuſpide impetebant portas. Cæterum vituperandus magis tam ſtolidus vitæ contemptus, quàm miranda audacia. Quare æditi paſſim tot eorum cadauerum acerui, vt non falſum vatem Vranacontem fuiſſe omnes dicerent. Non perpeſſus diutius tam miſerum ſpectaculum, tantamq́ ſuorum ſtragem ſenex, receptui cecinit. Deſerta mox munimenta, relicti hoſtes, non quenquam cœpta odia, non feruor dimicandi tenuit. Ita ab omnibus priuatim, publiceq́ id ſignum expectabatur, neque noſtris ingrata ea ceſſatio ab armis fuit. Exhauſerat nanq́ ſpiritus viris, tum labor, & calores, tum ſitis & inedia, quũ pleroſq́ impranſos præueniſſent hoſtes. Proinde quod reſtabat diei, & nox ſubſequens, quieti ac curationi corporum indulta: Caſtrioto quoq́ lætiſſimam eam noctem conuolantes vndiq́ de Croienſi victoria nuncij fecêre. Impertitus poſtea per eum eſt regulis ac populis vicinis eius diei fauſtus euentus. Hoſtibus mœſtiſſima omnia per eos dies fuêre. Vix nanq́ tolerabilis eius pugnæ iactura videbatur, 8. amplius hominum millia amiſſa. Oppidanis modico ſanguine ea victoria ſtetit. Amurathes tentorio clauſus, biduo integro fertur primores ſuorum varijs conſultationibus diſtinuiſſe. Mahumetis tamen inter cæteros inſignis quædam mœſtitia erat, quod & præferuidũ illius ingenium, & aduerſorum inſolens ætas dolorem

Turca receptui canit, infœliciter pugnans.

Læta nox Scãderbego de victoria.

Octo hominũ millia occiſa.

lorem omnem in rabiem verterat. Exin cupidiſſimus vltionis non dies, non noctes, omnia obeundo, ac perluſtrando exercitum, à laboribus vigilijsq; ceſſabat, ab ea præcipue parte, qua nuper eruperant noſtri, ibi promptiſſimorum militum agmina, ac varia genera inſidiarum poſuerat, pernoctabatq; ſæpius ipſe, vt ſi attuliſſet aliquam bene gerendæ rei occaſionem fortuna, illam non prætermitteret, & oppreſſo Scanderbego, illiusq; profligato exercitu, aliquando ea cura animum exolueret, libereq; vniuerſa Epiro potiretur. Sed inanem hanc eius expectationem reddidêre ſagaciſſima ducis conſilia. Nam tum à transfugis, tum ab exploratoribus indies miſſis, de omnibus edoctus, per aliquot dies ſedendo conſuluit ſibi, atque hoſtem diutina mora contriuit. Cæterum abhorrens tam longum ocium, excogitata & ipſe fraude, qua intentos tantopere homines caperet, nocte quadam maximo ſilentio, collectis vaſis in locum, quem Munticleum vocant incolæ, traſtulit copias, vnde impeti hoſtium ſtationes pari commoditate poterant. In Tumeniſto quingentos tantum equites cum Tanuſio & Moſe reliquit, factaq; computatione temporis, & viæ, ac conſilijs ſuis apertis, iuſſit vt nocte ſubſequenti ſecunda vigilia impetum in caſtra Tyrãni facerent, ab ea parte, qua nuper irrupiſſent, vixq; prima limina ingreſſi, nullatenus facta hoſti copia pugnandi effuſa fuga abirent. Ipſe quoque in Munticleo omnibus ordinatis, & diſpoſitis, ac vix ducentis viris ad ſtatiuorum cuſtodiam relictis, ſignata nocte copias ſuas mouit. Modicum interuallum fuit inter eius & Moſis aduentum: nam vt primum tumultuatum ab ea parte ſenſit Caſtriotus, & conſternata, velut eo motu omnia, occaſionem amplexus, vnde minime timebatur, irrupit. Ita incerta in caſtris omnia, trepidatumq; maxime eſt, alijs hinc, alijs inde procurſantibus, ad arcendos hoſtium aggreſſus. Cæteris excitantibus ſocios, quum obſeſſos ſe vndique hoſtium armis clamarent. Sed à Moſe timoris aliquid fuit, damni nihil omnino. Nam locato iampridem ibi milite per Mahumetem, facile voluntarios præſertim, pepulit in fugam. Inſequi fugientes prohibuit nox, quum inſidiarum, & vetus, & potiſſimus timor eſſet. Damnum ingens datum à Scanderbego, deformataq; caſtra ſunt, tam incendio, quam ferro. Neq; tamen diuturnior ea ignominia fuit propter concurſum ingentem hominum, qui noſtros, vel interuentu ſolo auertere à munimentis, veritos æquo campo (in Tyranna enim pugnabatur) tantæ multitudinis vires experiri. Sed nihil noſtrorum retroceſſu inſigniter ab hoſtibus actum eſt, quum neque illi cedentibus inſtarent, & peditatum omnem cum octingentis equitibus ponè à tergo, non longe ad varios euentus fortunæ, cautus bellator Caſtriotus locaſſet. Exceptus itaque ab illis lætitia clamoreq; ingenti, nihil moratus, reliquum noctis in itinere conſumpſit. Vix vnquam incruentiori victoria ex hoſte vſum inuenio, nullus

Mahumetis conſilia contra Scanderbegum.

Fraus excogitatur à Scanderbego contra Mahumetem.

Pulchrũ Stratagema.

Incruenta victoria Scanderbego contigit.

amiſſus, ſed nec vulneratus quiſpiam fuiſſe dicitur. Barbaris omnia vulnerum, lachrymarum, ac gemitus plena relicta, oblitaq́; penè eſt Croienſis fortuna, præ ea calamitate. Nemo vel hiſcere iam apud Tyrannum audebat, vel conſilij quicquam in medium afferre, cum turpiſſime veteres, & nouas hominum conſultationes omnes eiuſmodi euentus reprobaſſet. Recurſum eſt tamen ad orbem caſtrorum tormentis circumuallandum, firmandumq́;, quod optimum ipſo vſu in Sfetigradenſi obſidione priore anno fuerant experti. Ita ceſſaturum rati hoſtem, ab eiuſcemodi incurſionibus. Deducta igitur multa tormenta minora, quæ oppoſita mœnibus fuerant, & circum tentoria, vt commodius viſum, locata. Maior tamen pars in priore opportunitate periculi manſit, nam ita diffuſæ paſſim, & diſcretæ per interualla inter ſe ſtationes fuerant, propter nimios æſtus, & impedimenta iumentorum, vt non ſatis prouideri vbique poſſet. Nihil eorum occultum diu Scanderbego fuit. Non transfugæ defuerunt, non audaces exploratores, qui edocerent omnia facilem ad credendum propter prioris anni exemplum. Statuit itaq; aliquantulum quieſcere & ipſe, atq; quæſita eouſque fortuna, pauliſper contentus eſſe, eaq́; per ocium frui, donec aliqua alia occaſio bene gerendæ rei affulſiſſet. Penuria præterea cõmeatus, quum nuſquam colonus, nuſquã habitator in aruis eſſet, vnde ſumeret alimenta miles, ad alia procuranda cogebat. Quare ad commodius quæque habenda, præſertim vitandi quoque caloris cauſa, ad maritimum quendam locum præcipuæ amœnitatis, iuxta flumen, Iſmum accolæ vocitant, cum omnibus copijs ire perrexit. Ibi cibaria crebris nauigijs affatim conuecta, à Dirachinis etiam (non longe nanque aberat ea vrbs) petitum frumentum, neq; negatum eſt, licet quo cautius poterant præſides Veneti iuuarent noſtros, ne res innoteſceret Tyranno. Eos dies cunctos Barbari in quatiendis muris Croiæ, & euertendis, ab eis præſertim partibus, vbi vel quippiam integri reſtabat, vel oppidanus reſtaurauerat, conſumpſere. Nam tentandæ iterum fortunæ, per militum virtutem regis animum libido inceſſerat, quum opus cuniculi, & reliquæ id generis inſidiæ, longi res temporis ac ſupremi laboris videretur, propter quaſdam loci confragoſitates, & ſaxorum crepidines. Miſeri, qui tam immoderato reguntur imperio, & quos tam ſuperbis dominis ſubiecit fortuna, vt libidinem eorum, ſi aliter nequeant, ſuorum ipſi corporum laceratione, & proprio ſanguine explere cogantur. His expeditis, dirutisq́; in vaſtum mœnibus, quæ attingere tormenta potuêre, apparere eo die milites ad craſtinam ineundam pugnam, & noua vulnera Tyrannus iubet. Vix vllus, vel publice, vel priuatim, vt conſueuerant, hilari animo ſeſe obtulit. Annuebant tamen mœſtiſſimi, quum recuſare, vel tergiuerſari mixtus timor, pudorq́; prohiberet. Amurathes videns eam animorum demiſſionem, & inuitiſſimos omnes ad eam

Scanderbeg cum copijs ad Iſmum flumen ſe recipit

Amurathes timorem & ignauiam ſuis exprobrat.

rem

rem trahi adnimaduertens, fertur conuocatis optimatibus, ac notæ militiæ viris, multis verbis timorē eis, ignauiamq́ exprobraſſe. Quod tam par-



uis momentis, vel verius iocis fortunæ ſubmiſiſſent animos, & imperpetuum de victoria deſperaſſent. Quodúe primo impetu non expugnaſſent vrbem, quod iacentia cadauera ſociorum æquis oculis aſpexiſſent. At quod fore tam ignobile oppidum, infameq́ caſtellum, vt abſorberi ita vno impetu poſſit, vno ictu corruere. Durandum eſſe, ſtandum inconfracto, atque inſatiabili animo, qui eas feras velit à ſuis luſtris depellere. Conſenuiſſe multos præclaros Imperatores, exercitusq́ ſub mœnibus hoſtium, leuis & priuatæ ſæpe iniuriæ cauſa. Se publice priuatimq́ ab Epirotica perfidia tot affectos contumelijs, per ſummam indignitatem ita inulta omnia relinquere velle? Quam præterea inſignem victoriam vlli ad eam diem ſine ſanguine ſtetiſſe? Varnenſis fortunæ meminiſſent, cui gloriæ vix quicquam æquari poſſet. Difficile fore iugum hoſti incruentis manibus imponere. Præclara quæque ſudore maximo, laboreq́ confici. A Croia belli eius vim omnem pendere, ea ſublata debellatum eſſe imperpetuum in Epiro. Scanderbegum nanque illo velut totius robore imperij amiſſo, diem vnum non manſurum in prouincia. Quare bono eſſent animo, agerentq́ intrepide. Nuſquā incertiores euentus, quā in bello eſſe, tentandam fortunam, laceſſendamq́ inſuper illam ſæpius, qui ad ſe trahere velit. Non tamen negare ſe, vt cautius impoſterum ageretur cum hoſte, & conſultius pericula adirentur, neque beluarum more ruerent in ferrum milites, ſatis multos cadere ex oppidanis, ſi decem qualibet pugna deficiant, vrgendos

Inſignis victoria nō eſt ſine ſanguine.

Præclara ſudore & labore perficiuntur.

Fortuna laceſſenda, ſi ad te trahere velis.

 tamen

tamen iugiter eſſe, ac onerandos quotidianis infeſtationibus, ne reparare vel vires, vel munimenta poßint. Et fortaſſe ſi arma non prodeſſent, inuenturam aliquem modum fortunam, vt Sfetigradenſi obſidione præter expectationem omnium fecerat. Ita ingenioſam mortalium perfidiam, & humanam cupiditatem eſſe. Hæc dicta reſtituere vigorem animis, ac timore omni velut fugato, ſimul priſtinum vltionis deſiderium, ſimul ingentem gloriæ appetitum ſubiecêre hominibus. Illud præterea moleſtiam & metum magna ex parte leuabat, quod videbant poſtridie dum circa vrbem ipſi occupati eſſent quieta ſaltem ſtatiua ab incurſionibus Caſtrioti, & tuta terga futura, à fronteq́; tantum hoſtem ſe habituros. Nanque ad alias procurationes, quas nuper recenſui, id quoq; ad auertendum Scanderbegum per eam diem à caſtris, ne diſturbaretur oppugnatio addidit. Tyrannus, vt Sebalias Ieureneſius, de quo ſupra facta eſt mentio, cum 16. equitum millibus ab alia parte prouinciæ ad ludificandum hoſtem per deuaſtationem agrorum iret. Futurum enim ſperabat, quod Epirenſis ad eam maxime regionis partem cum omnibus ſe copijs transferret. Prima itaque vigilia accepto milite Barbarus profectus eſt, admonitus tamen ab Amurathe, vt quantum maxime poſſet, ſui copiam hoſti non faceret. Vicena amplius millia paſſuũ emenſus erat Sebalias, quũ nuncius eius ad aures noſtrorum venit. Mox ingens murmur inter milites ortum, varie (vt fit) conſilia ea hoſtium interpretantes. Eadem tamen omnibus ſententia erat, ardorq́; animorum, ſumenda propere arma, eundumq́; ſilenti agmine, claudendos aditus, ac obſidendos ſaltus, vnde tranſiturus credebatur. Sed inimica præpoſteræ celeritati ducis prudentia, neque ſatis fidens tenebris, omnia in diem diſtulit. Rareſcentibus ſub aduentũ diei ſtellis, ſublatis ſignis cum omnibus turmis mouit è caſtris, per montuoſa, ac tuta loca agens agmen, præeuntibus ſemper exploratoribus, ne inſidijs hoſtium alicubi interciperetur. Eadem fermè hora Amurathes ſigno ex caſtris ædito, vrbem eſt aggreſſus. Nam quum procuraſſet omnia, quæ vel ad excludendum, vel auertendum Scanderbegum attinerent, non expectata certa luce, ne in medios diei ardores oppugnatio protraheretur, rem aggredi cœpit. Multum animi addebat viris nunciatus Caſtrioti abſceſſus. Exin ardentiores ad omnia intrepide, primo impetu ſcalas, & alia id genus inſtrumenta ad muros propius deduxêre. Non defuerunt quoque, qui recentis cladis immemores ad portam ipſam prælati impingerent cardines, ac perfringere clauſtra conarentur, malleis, ac vectibus ferreis impetentes. A Tyranna ignes pluribus locis iniecti in vrbem, neque tormenta inter pugnandum quieſcebant, & licet nocere noſtris ſine pernicie ſuorum Tyrannus non poſſet, abiecto tamen eo reſpectu, æque hoſtem militemq́; ſuum ſternebat. Non inſuauem omnino vnius capitis Chriſtiani victoriam credens, quam 20. ſuorũ

Sebalias cum 16. millibus mittitur ad ludificandũ Caſtriotum.

ſanguine

ſanguine comparaſſet. Croienſibus quamuis non incruenta omnia, tuta tamen erant, neque dubitatum vnquam de amiſsione oppidi. Ita inexpugnabilis præter cætera locus ipſe, vim omnẽ hoſtium inanem reddebat. Quantum vero in virtute hominum defenſio vrbis ſtabat, ingẽtia profecto vbique tam fortitudinis, quam fidei exempla ædebantur, ſuperiorq́; longe ſemper oppidanus erat, & animis, & viribus, & fortuna. Qui ad portam proceſſerant, vix vnus inde pedibus ſuis exceſsit. Ab alijs partibus primi quoque occiſi, poſtremorum magnus numerus vulneratus. Scalæ vix alicubi attigere munimenta. Non tamen idcirco Amurathes vllo ſatis loco intermiſit pugnam, ſed pertinaciore ſemper propoſito recentes feſsis ſubijciens, ac omnia renouans eo ſpectaculo paſcebatur ſimul, & cruciabatur, donec exaturatus iam ea calamitate ſuorum, ſigno receptui dato, finem oppugnationi fecit, ſuadentibus maxime purpuratis, ne per eam indignationem perdere exercitum vellet, quum nihil vſquam diluceret ſpei vrbis per vim potiundæ, ſeruandos milites ad opus cuniculi. Eam vnicam eſſe viam, qua inſidiari hoſti poſsit. Non inuitus ſermonibus ijs acquieuit ſenex, reductisq́; in caſtris militibus, quæ ad id operis in rem erant, accitis peritioribus quibuſdam, maximo cõſilio procurauit, atq; egit. Sed quia laborare iam fame exercitus cœperat propter inopiam commeatus, ſegnius actum id opus per aliquot dies, miſsiq́; frumentatores Lyſſum, & alia oppida Venetorum vicina, quum propter pacis iura inter eos, ſatis crederetur nihil eos negaturos. Caſtriotus interea cognito ab exploratoribus itinere Sebaliæ, qui immiſſa parte militum, vites, & alia frugifera deuaſtabat in campis, ſilentiori quam potuit agmine mouit, & trium minus millium ſpacio approximans hoſti, quatuor equitum millia ſibi ad inuadendum aperte eum ſelegit. Peditatum omnem cum reliquis equitibus in colle quodam prope viam, qua tranſituros putabat regios, collocauit, & Moſem à Dibris cum his admonitum, vt ſi trepidos illos ac palantes ad eam partem fuga tuliſſet, mox improuiſus cum ſuis exiliens, fugientum tergo inſtaret. Si pari fortuna animoq́; reſiſtentes ſibi vidiſſet, deduceret impigre & ipſe eas copias, ſeq́; reliquo equitatui adiungeret, facile ſic ratus hoſtem vel reſiſtentem clade nobili, vel fugientem affici ignominia cum detrimento poſſe. De hoſtium fuga non vanus æſtimator fuit, cætera omnia ſpem eius fefellère. Nam præmonitus à cuſtodijs de eorum aduentu Barbarus, dato ſigno omnes ſuos circa ſe collegerat, præter paucos, qui latius diſsipati prædæ noſtrorum fuère, & priuſquam fermè ſignum aliquod hoſtile conſpexiſſet, inclinauerat ad fugam parte alia, non ea qua venientem præſciuerat Scanderbegum, quare nihil dignum memoratu geſtum. Inſequi enim vlterius hoſtem noſtri prohibiti ſunt à duce, quum & peditatus ægre longum perſequutionis eius laborem laturus eſſet, & Croiæ perpetua ſolicitudo

Suauis Turcę victoria, vnius capitis Chriſtiani cũ viginti ſuorũ ſanguine.

Victoria oppidanorum aduerſus Tyrannum.

Foſsio cuniculi à Barbaris ad vrbis ingreſſum & expugnationem.

tudo ferociam temperaret Caſtrioti, quum ſeruare exercitum ad quotidianas vrbis neceßitates magis cuperet. Ita Barbarus inde alacer, quod voti compos minimo incommodo ſuo tota die ludificaſſet hoſtem, ad Ottomanum properauit. Hinc Epirenſis moleſtiſſime eius diei iacturam ferens, ac Croiæ præter modum timens, quod non longe ab ea conſueuerat abeſſe, in caſtra perrexit. Ferunt tamen in itinere occurriſſe multos, qui de frumentatoribus Tyranni rem omnem eum edocuerunt. Proinde extemplo (vt in omnibus caute agendis conſueuerat) gregali ſumpta veſte, ac centum nō amplius militibus haud abſimili amictu veſtigia hominum ſequutus, iuxta viam qua redituros regios nouerat, in inſidijs ſe collocauit, miſitq́ duos exploratores ex ſuis Lyſſum, viros expertos, qui velut turmas hoſtium & frumentatores regios venarentur, & eos caute obſeruarent, ne ſi forte aliò quam venerant iter flecterent, Scanderbegum quam propere admonerent. Sed ij eadem via reuerſi in Scanderbegum inciderunt, à quo

Stratagema Scanderbegi, vt frumentatores Tyranni inuadat.



partim capti ſunt, partim cæſi. Frumentum omne ſimul cum iumentis & equis in caſtra Chriſtianorum conuectum, inter milites diſtributum atq; diuiſum eſt. Moſes relictas ſibi copias in ſtationes iuxta Iſmum reduxit. Amurathes dum fodiendo cuniculo inſtaret, leuibus certaminibus vexare oppidanos nunquam ceſſabat, vt per cuſtodias munimentorum occupati minus ad nouas inſidias aduerterent. Interim duo diuerſi nuncij conuolauêre in caſtra: alter de frumentatorum cæde, diruptioneq́, quæ geſta erāt, indicans: alter ab Alchria de aduentu commeatuum ex Macedonia ſignificans: quantum mœroris ille, tantū hic ſolatij aduexit. Quare facta vtriuſque

vſque compenſatione, non multum mutati hominum vultus, ſed cæterorum omnium ratione omiſſa, ad perducendum nouum commeatum cura militibus inceſſit. Quare non abnuente rege, 20. amplius lectiſſimorum hominum millia ad id muneris deſtinata, ne ſi pauci iiſſent, præda eſſent noſtris, velut de aliis nuper frumentatoribus audierant factum. Sed occupatus tum Scanderbegus & ipſe erat in conuehendo ad ſuos captiuo frumento. Nam timore hoſtium diuerſis itineribus longam aggreſſus viam, per aſperrima locorum agens incommodiſſime iumenta, multum laboris, neque modicum temporis in reditu conſumpſit. Quamuis ſi liber adhuc eo fuiſſet onere, & in procinctu ſuas habuiſſet copias, non ſatis crediderim ſtudio perſequendi hoſtis, contra eam multitudinem tantum fuiſſe aditurum periculi. Moſes tamen incertus de Caſtrioto, quum motum regiorum ex caſtris ab exploratoribus nouiſſet, veritus ne ad illum opprimendum ea vis hoſtium properaret, quatuor impigros equites maximis itineribus ad eum quærendum, monendumq́ de ſingulis miſerat. Sed nullibi prius conſpexère, quàm in caſtra reductum cæſorum ſpoliis, ac conuecto commeatu onuſtum. Regii quoque nullo inuento obſtaculo, cum frumentatoribus, atque alio cibariorum genere celerrime applicuêre ad ſuos. Ita corporibus prouiſum, & ferocia magis, animiq́ rediere viris. Cuniculus non dies, non noctes intermiſſus, ſed laborioſiſſimum opus multos ſub terra conficiebat, licet partitus eſſet numerus artificum in tot horas, atque in reliquis manipulis idem ordo ſeruaretur. Vincebat tamen omnia improbus labor, & pertinacia hominum. Ad oppidanos fallendos ſolitis procurſationibus ſub muros quotidie decurſum, & licet aliquis eo modo ſemper caderet, non ideo id iacturæ loco in tanta multitudine computabatur. Igitur læta aliquantulum Barbaris per eos dies omnia fuère, nam præter aduectum nuper commeatum, multitudo ingens mercatorum ex proximis Venetorum oppidis cum annona, vino, oleo, & omnis generis cibariis in caſtra quotidie confluebat. Cæterarum quoq́ mercium vectores non deerant, ac velut ad mel muſcæ (vt vulgo aiunt) vndiq́ in regia caſtra conuolabant, quum ſcirent hominibus in ea fortuna penuriam rerum omnium, ſolius pecuniæ abundantiam eſſe. Nouerat hæc optime Caſtriotus, ſed ne vel ſubditos amicorum offenderet, vel priuatorum officeret vtilitati, æquiſſimo animo patiebatur omnia, monueratq́ tacite ſuos, vt diſſimularent & ipſi. Neq́ verbo quenquam aut re violarent, maxime quod non ignorabat, ſi hinc afferri probibuiſſet, aliunde alimenta hoſti non defutura propter vicinitatem Macedoniæ, Thraciæ, Myſiæ. Quare aliud agitabat animo, quomodo armis, ferroq́, non fame Barbarum fugaret ex Epiro. Quamobrem augendarum copiarum prima, ac potiſſima ratio viſa, eò magis, quod ex 8. hominum millibus, quos in ipſis belli

Viginti millia conſtituti frumentatores à Turca.

Foſsio cuniculi cõtinuatur à Barbaris.

Veneti aduehunt alimoniam Turcis ad caſtra.

Conſilium Scanderbegi armis & ferro, non fame Barbarum fugare ex Epiro.

auſpicijs ſcripſerat, paulo minus mille tum ferro & varijs caſibus, ac incommodis ſublati ſibi fuerant, tum plures eorum ipſe ſponte domum dimiſerat, quum ſatis perfuncti periculis & malis viderentur. Tanuſio igitur, Moſiq; id muneris iniunctum, qui peragrantes prouinciam omnem, vix duo hominum millia confecêre, quingentos equites, reliquos pedites: haud facile fuiſſet, tum in Epiro vllum inuenire, qui ad arma ferenda eſſet idoneus, non belli certis munijs occupatum, & proprijs miniſterijs addictum. Ita ſumma ratione firmauerat omnia præſidijs Caſtriotus, ne vllus ſatis imperij angulus opportunus damno, & ignominiæ relinqueretur. Per eoſdem dies, quibus is delectus habitus eſt, Croienſes crebris procurſationibus hoſtium laceßiti, non potuerunt ſe continere mœnibus, ſed erumpentes ſæpius fœliciter manum cum regijs conſeruerunt, præſertim die quadam, in qua quadringenti fermè egreßi egregie per cædem, ac fugam hoſtium inſequendi ardore, in caſtra penè ipſa ſunt illati. Barbari ineſcatam hominum temeritatem credentes, non multum cæſos ſocios indoluêre, ſed inanem illis ſpem eam reddidit Vranacontes: nam licet modica iactura reuectos ſuos vidiſſet, eximius tamen periculi eius diei, ac hoſtilis fraudis ponderator, non pedem amplius extra munimenta efferre permiſit. Aliam tamen mœſtitiam, cladem aliam Amurathi aduehebat Scanderbegus, qui accepto nouo milite, ac copijs cum Tanuſio, & Moſe tripartitis in occaſu ſolis, egreſſus è ſtatiuis diuerſo itinere, & latenti maxime agmine, ad caſtra eius properauit. Detectus tamē ipſe eſt à vigilijs, priuſquam locum Monticlum dictum attigiſſet, à quo ſedecim fermè ſtadijs aberant munimenta, tumultuatumq; ſummopere in caſtris, præcipue vbi tentoria obnoxiora periculo erant. Quare quod remedij ad eum auertendum propulſandumq; per eam incertitudinem noctis fieri potuit, nihil omiſſum. Octo fermè hominū millia ſubitarie collecta, ac oppoſita illi ſunt, ſegnior tum Caſtriotus moderatiore gradu paulatim prope hoſtem irrepſit. Barbarus prior clamore ſimul procurſuq; orditur pugnam, noſtri continuo retrocedere, vt protractis longius à munimentis minuerent aliquantiſper ferociam hominibus. Tanuſius interea & Moſes aßignatas ſibi caſtrorum partes ex improuiſo penè ingreßi, terrore tumultuq; omnia compleuerant, irrumpensq; per vacua quædam tentoria occiſis ſtationarijs miles, igne iniecto, quæ ferro non poterat, abſumebat, magis ab his cædis, ignominiæq;, quàm à Scanderbego fuit. Nam conuerſis ad eam partem hoſtium animis, liberiora cuncta ad diripiendum, ſæuiendumq; Moſi relicta, & impune primo impetu vim omnem exercere potuit, ac conſternare tumultu homines, vt ſit in re ſubita, victoriam paucißimi peperêre, non accurrentes poſtmodum illuc denſiores Barbaros nemo expectare curauit. Tormentis præterea quæ ſummopere formidabant noſtri,

Conflictus apud Monticlum.

ſtri, manus à regijs nō eſt admota, vel quod non ſatis commode per noctem ijs vti poterant, vel præ timore (vt ſæpius contingit) illius auxilij ſunt obli-



ti. Iam lux appetebat, quum relictis hoſtibus, in medio animorum ardore Caſtriotus viginti fermè ſtadijs procul in colle quodam ſatis omnibus conſpiciendus conſedit, Moſem cum cæteris legionibus expectans, vt prodeuntes è caſtris conſtituerant, locumq́ præfixerant. Eo viſo hoſtes vndiq́ ad prætorium Tyranni conuolantes, petunt maximo ſtudio, vt egrediundi ad eum opprimendū facultas ſibi concederetur, paucitatem noſtrorum oſtentantes. Victus illorum clamoribus ſenex, in ſententiam illorum diſceſſit. Prorupêre momento tempori duodecim lectiſſimorum hominum millia, ſeptem equitum, quinque peditum: conſpecta ea multitudine Epirenſis, dubius primo conſilij fuit, an expectaret venientes, maxime quum ipſa hoſtium caſtra tam propinqua eſſent, an tempori cederet. Melius tamen pro re nata illi viſum eſt, mediam eligere viam, & neque fugere omnino, neq́ reſiſtere venientibus. Retrocedens igitur per editiores & tutiores colles trahebat agmen, confiſus tum loco, tum ſocijs, quos puluis iam ex inceſſu ſublatus à longe prodebat. Turcæ infeſtis ſignis maximo ardore vſque ad eos colles proceſſere. Tum inſpecta difficultate loci, quod ex ſolo aſcenſu, ſuo ipſa onere grauabantur corpora, ſegnius inferebant gradum. Caſtriotus non prius mouit, quàm ſuorum aduentum à tergo certis indicijs cognouiſſet, ſed neque Barbarum ij doli latuêre. Conuerſi nanque & ipſi propter ſtrepitum aduentantium, & viſis noſtrorum præcurſoribus, pluribus ſignis præ timore feſtinationeq́ relictis, terga dedêre Scanderbego. Non tamen

Turci petunt congredi cum Epirenſibus.

 incruen-

incruentos omnino fuga excepit, quum inita dimicatione plerique ſuperne telis à noſtris obruti fuiſſent. Moſes quoque impigre aduolans, nonnullos moratorum ſponte ſe dedentes viuos capit, reliquis tutiſſima fuga conceſſa. Nam Epirenſis veritus maiorem motum caſtrorum, repente dato ſigno, omnibus circa ſe collectis tuta montium iuga petijt. Nunciata hæc, & viſa Amurathi, præſertim nocturnæ cladis ſpectaculum, ac deformatio caſtrorum, vocem præ dolore incluſere, neque quicquam ea die vel tentatum, vel decretum in hoſtem. Poſtero die ferunt Scanderbegum (vt conſueuerat) cum paucis comitibus per iuga montis, qui Croiæ imminebat, oberrantem, & colloquentem cum Vranaconte viſum à Barbaris, nunciatumq́ id maxima feſtinatione Tyranno, ac digito etiam oſtenſum hominem, tum canino (vt aiunt) riſu ſuorum leuitatem, ſtultitiamq́ obiurgantem, dixiſſe aiunt ſenem: Dimittendum indomitum leonem, neque efferatam beluam diutius ſanguine ſuo exaturandam, ita melius fortaſſe rabie ipſum ſua, quam armis vllis vinci poſſe. Cæterum vt parum turpe Caſtrioto fuit, ex ore Amurathis hæc verba audire, ita longe pulcherrimum ad ea dicendum illum cogere potuiſſe. Iam ſordidatus ex omni parte exercitus, & obſeſſo, quam obſidenti ſimilior, per ſummam fœditatem inuiſos trahebat dies, donec ad alia quoque mala illud non minimum additum, quod cognitis cuniculi inſidijs, oppidani nocte quadam maximo ſilentio egreſſi, diſiectis ex maiori parte operibus, dolos omnes hoſtium detexerunt, neque auditi à vigilibus ſunt, niſi quum deformatis omnibus in vrbem receſſere, quum noctis concubio veniſſent, quando profundiſſimo ſomno premuntur homines. Aliqui tamen negant vllam eruptionem ab eis factam, neque occurſum eo modo operibus hoſtium, ſed quum regij non potuiſſent ſatis eas inſidias cælare, viſos à Croienſibus, deprehenſasq́ illorum fuiſſe technas. Quamobrem pluribus in locis ab oppidanis diſpoſitas fuiſſe pelues, & vaſa ærea, vt ex ſubterraneo impulſu ab eiſdem redditus tinnitus, inſidiarum locum ſubeſſe indicaret. Nam licet aditum ipſum cuniculi viderent, tamen verentes ne intus perplexe effoſſus ab alia parte quàm crederent, educeret armatos, hoc incerti mali remedium machinati ſunt. Vtrunque dictum verum eſſe poteſt, illorumq́ neutrum ratione caret, quamuis hoc quo plus ingenij, tanto minus præ ſe ferre fidei videtur. Illud vnum in dubium non reuocatur, Croienſes licet minimum fermè eos hoſtium conatus timuerint, procuraſſe tamen intus cuncta exactiſſima ratione, vt ſpem omnem diutius inſidiandi præcluſerint Tyranno. Nam vbi detectum id opus animaduertit, & parari in vrbe omnis generis obſtacula ſtrenue ab oppidanis cognouit, penitus ab incœpto amouit animum. Sed & ſi eodem tenore latitaſſet fraus, mutaturus tamen vltro ab ea re conſilium erat, quoniam ita in fodiēdo ſingulis locis natiua occurrebāt ſaxa, propter vicinita-

Sentētia Turcæ de Scanderbego.

Per pelues & vaſa ærea inſidias hoſtis experiri.

Opera & conatus hoſtiū in cuniculo fodiendo in irritum ceciderunt.

vicinitatē montis, vt ad ea incidenda, tum opera inæſtimabilis, tum tempus perpetuum exigeretur. Abiecta itaq; ea cura, ad aliam adhuc inaniorem, mentem adhibere ſtatuit, ſi quo modo pecunia, atq; ingentibus promiſſis trahere ad ſe obſeſſos poſſet, quum non arma, non minæ, non fraudes vllæ prodeſſent. Igitur vnum ex Satrapis multæ apud ſe autoritatis, ac ſpectati ingenij virum ad Vranacontem mittit, & duos tantum cum eo ſeruulos multis donis, ac Barbaricis ornamentis onuſtos. Mandata eius generis fuere, vt priusquam ſermonem vllum de vrbis deditione proponeret Barbarus, ea munera præfecto Amurathis nomine traderet, quo conciliaretur magis hominis animus, ingeniumq́;, ad præſtitutum colloquium. Deinde latenter eius mentem animumq́; ſolicitaret ad proditionem, deditionemq́; Amurathes Vranacontē muneribus vult corrumpere.



oppidi, & ingentibus auri, argentiq́; pollicitationibus pelliceret, atq; doceret facillimum id fore ſibi, qui caput præſidij eſſet, quum ciuium ibi minimus ſit numerus. Subituros Croienſes vel volentes, vel coactos eas conditiones, quas præſidium acciperet. Præſidium vero accepturum eas, quas ipſe vellet, & præter ea dona ornatiſſimum illi locum, militibusq́; apud ſe nunquam defuturum illi promitteret. Cum his mandatis regius nihil moratus ad vrbem contendit, & quum approximaret portæ, procedere vlterius à cuſtodibus prohibitus eſt, donec præfectus accerſeretur, eo impigre accito, auditus benigne Barbarus eſt. Qui cum primo proferens dona Amurathis, multa ad ea magnifica verba adderet, & ita aures ſibi hominis conciliare ſtudens, ac præſtruere mandatis fidem, contereret tempus:

Reſpondet Vranacontes Legato Turcæ.

Satis eſt, inquit Vranacontes, præclara ex ſe munera, præclariſſimis

quoq; verbis ornaſti. Nunc cætera iuſſa Tyranni effer. Ita demum admiſſuri largitionem veſtram, & accepturi dona ſumus, ſi poſtulata audierimus. Aliter nullo patiemur modo priores à vobis beneficio deuinci, neque hoc turpiſſimorum forte munerum vinculo aſtringi, niſi ſciamus quo tam inſueta hæc liberalitas tendat. tum enim & acceptare egregie, & recuſare iuſtiſſime dona veſtra poterimus, quum ex verbis animum veſtrum cognitum, perſpectumq; habebimus.

Nihil confuſius ad ea Barbarus, quicquid ſit, ait, de cæteris rebus, non ideo dona attulimus, vt eo colore quenquam deciperemus, cum ſeruis, eo pacto & pueris agi ſolet, non cum liberis & fortibus viris. Et licet ſuſpecta omnia hoſtium ſint, vt vere locutus es Vranacontes, id quod neq; ipſi ignorabamus, non auſi fuiſſemus tamen ſine rubore manibus (vt aiunt) vacuis ad te venire. Spernere gratitudinem animorum noſtrorum non debes, ſi vir es, qualem præ te fers, & quem homines prædicant. Iſthæc æquo animo accipe dona, quæ vim tibi afferent nullam, neq; impedient, quo minus in rebus tuis ius tibi integrum, ac plena ſit poteſtas. Neq; ſi contempſeris poſtulata noſtra, & alia quæ ad te attulimus dicenda, in quibus non minor fortaſſe tui, quam noſtri ratio habetur, neq; ſi probaueris munera, tā ingenuo oblata animo, exprobrabimus.

Sordidi animi eſt, ita dare, vt inde velis aliquid expectare.

Quandoquidē nihil tam ſordidi animi eſt cenſendum, quam ita dare, vt inde aliquid expectare velis. Libere ad te venimus optime dux, ex animo ipſo loquimur, non verbis, non donis capere cupimus, quem armis ferroq; toties ſenſimus inuictum, qui omnia infra te ducis. Amat te ideo Amurathes, admiratur eas virtutes in hoſte, & ſi quo fieri poſſet modo, ſecū habere cupit. Ibi certe melius apud tantum regem præclara hæc animi magnitudo, & ingenij dexteritas viam ſibi ad omnis fortunæ & gloriæ apicem inuenire poterit. Non quod Scanderbegum damnemus, quem ob recuperatam, & defenſam toties, te tamen in primis adiutore patriam, hoſtes etiam celebramus. Sed alio tu principe, alia fortuna dignior. Non qui in ea obſcuritate, ne dicam ſordibus (abſit verbo temeritas) omnes ætatis annos tranſigas, & inſignes exhaurias ſpiritus.

Odiū Turcæ in Caſtriotū.

Momentanea præterea hæc quæ videtur fortunæ facies Caſtrioto eſt futura, nimis immodicum hoſtem fata illi dedêre, differri poteſt ſupplicium homini, auferri non poteſt. Ita ad ingentes vires ingentiora quoq; odia ſumpſit in eum Ottomanus. Non impenſæ, non labori, non periculis vllis iurauit ſe parſurum, non diſceſſurū ex Epiro, donec funeſtiſſimum iugum ceruicibus eius imponat. Principium vero eius mali en ab hac vrbe à vobis potiſſimum orditur. Audimus quotidie his eius vocibus prætorium reſonare, non ſi Adrianopolis, ſi regnum omne ſit turpiter relinquendum, abiturum ex poſſeſſione loci huius, niſi vobis expugnatis, niſi exaturato animo laceratione corporum veſtrorum. Et faciet profecto (quod ominari ipſe reformi-

formido) licet enim & ego hoſtilem in vos animũ cum alijs geram, tamen & homo ſum, & affectus humanos habeo, vix oculi Croienſes paterentur tam miſerum fortunæ veſtræ ſpectaculũ. Faciet inquã, ni vos aliam mẽtem indueritis, ni oblatam vltro ſalutẽ, lucem, libertatem, pacem per ſummum ocium acceperitis. Nam agite dum inſignis vos locus iſte, inacceſſa mœnia, & virtus præcipue veſtra protegat, ſed quouſq; tandem hæc ſunt protectura? Eouſq; planè, donec alimenta, donec cibus corporibus ſuppetat. Ecquid creditis Ottomanum hanc obſidionem medio belli ardore relicturum? Videbitis malo veſtro, percipietis, ſi arma non proderunt, ſi omnes incaſſum aggreſſus cadẽt, hoſce hoſtes, hæc tentoria ſemper habebitis in oculis, & præ foribus quotidie, donec fames diutina, quæ omnia ſuperare ſolet, vos tandẽ perdomet. Quid quæſo reliquum ſpei ſupereſt vobis? Vnde ea cupiditas periculorum obſtinata pectora inuaſit? An Scanderbegus ſuggeret alimenta incluſis? Qui totos dies abditus in ſyluis, & per iuga montium fugiens, ac laboribus curiſq; vndiq; oneratus, vix miſerum ducit ſpiritum. an Veneti commeatibus iuuabũt? qui omnia nobis aduerſus vos belli huiuſce fomenta quotidie vel ad abuſum conuehunt, & ſuggerunt: Reſipiſcite proinde nimio plus fortes viri, colligite vos aliquando. En hoſtis moneo, ſatis in pertinacia perſtitiſtis, non eſt aduſq; patria, libertasq; defendenda, vt vel aduerſis Dijs pro ea pugnetis, cedendum eſt fortunæ, potentioribus obtemperandũ. Sed quid ego hanc libertatem appello? Vera vos libertas, vera præmia, perpetua vitæ tranquillitas apud Amurathem manet. Conſulite vobis, dum integra omnia ſunt ad decernendum, dum hoſtes hortamur, rogamus, & malumus voluntarios vos ſocios, quã coactos ſeruos habere. Hæc adhibito ad id maxime vultu, vocisq; ſono exegit Barbarus, expectans quẽ animorum motum vidiſſet inter homines, vt tunc ex occaſione ipſa cætera ſummotis alijs cum Vranaconte ſecretius ageret. Cæterum vbi alieniſſimas ab eius ſermone omnium mentes vidit, vtpote qui ſpernere ferrum, nedum verba norant, & fremere vndiq; homines tanquam non hortari ſe, ſed cogi ad deditionem crederet, rogauit Vranacontem, vt ſibi pauca cum eo ſolo colloqui liceret. Id quoque conceſſum: nam vt tum prudentiæ viri, tum conſtantiæ fidebant omnes, vt nihil dubitarent cuncta eum è publica dignitate imperij, & ſingulorum vtilitate acturum: tum mandata Tyranni improbus homo, quo magis poterat colore, & prætextu verborum exponere cœpit. Sed quum tam ſordida cõſilia præſenſiſſet Epirenſis, interruptum in medio ſermonem reliquit, & hominem abire confeſtim ex oculis iuſſit, ſic totus pudore obrutus diſceſſit, neq; de donis quicquam à quoquam acceptum, prohibente præfecto, nam libido militaris haud grauate ſeruulos eo onere leuaſſet. Illud tamen regio illi legato pro tot compoſitis verbis edixit Vranacontes, ne poſthac ipſe vel alius quiſpiam à Tyranno ad vrbem accedere

Venetos cõnatur alienare hoſtis Croienſibus.

Libertas aduerſis dijs nõ defendenda.

Croienſes norant ſpernere ferrum, non tantũ verba.

Colloquium legati Turcici, cum Vranconte ſolo.

cedere auderet, aut ſe petere ad colloquium: nam reſponſum aliud à ſe non aſportaturos, præter manibus, naſo, auribusq́; præciſis, totius corporis fœdiſsimam deformationem. Reuerſus in caſtra nuncius, magno accurſu turbæ eſt acceptus, quod ingentibus tum publice, tum priuate deſiderijs expectabatur. Quid de voluntate oppidanorum ferret, quæ vnica fermè ſpes hominibus ſupererat habendæ per deditionem vrbis, tamen primo non accepta quæ reportabantur munera viſa ſatis nihil actum oſtendere, deinde audita oratio viri, & expoſita pertinacia Croienſium, ſingulorum animis pro cuiuſque ingenio tum dolorem, tum pauorem, tum furorem infudit. Senex impatiens magis explendæ iræ cauſa, quam vlciſcendæ eius ignominiæ, ad arma, & omiſſam iam oppugnationem conuerſus, apparari ſcalas, & reliquas machinas pro ſubſequenti die iubet. Tota fermè nox in eo vano labore conſumpta, & tormenta quæque ſuis ordinata locis. Ad cuſtodiam caſtrorum, & incurſiones Caſtrioti, 30. amplius hominum millia equis iuxta ſtratis, frenatisq́; relicta. Mane ſub crepuſculo auroræ, adductus ſub muris miles, & in ipſo procurſu hoſtium ad munimenta machinarum furor vtrinque depromptus, ſed fœliciores cadebant ictus noſtrorum. Nam hoſtes tantum eos ſentiebant. Barbari vero nihil ſuis, quam oppidanis æquiores erant, & dum depellere ciuem à tutela mœniorum cupiunt, ſeipſos tum cæde, tum timore periculi auertebant. Vbi ea ſæuitia reſedit, ad ſcalas ventum, ibi ſicut vera apparuit virtus, ita maior longe cladis oblata eſt occaſio, atque momento temporis nudauère cuncta ſanguine, ac cadaueribus repleta ſunt omnia. Non potuit diutius in ſeipſum crudelis eſſe Amurathes, licet obſtinatiſsimo animo cœpiſſet dimicationem. Quare diremta pugna velut furore correptus, querulus conceſsit in caſtra, ibiq́; per totam diem ſenile mentum violentis manibus pertractans, atque erectis in cœlum oculis, iniurios deos ſuos compellans conqueſtus eſt, quod caniciem ſuam ad hæc mala, ignominiasq́; ſeruaſſent, vt omnis eius anteacta vita, ac Ottomanum nomen penitus eo modo deturparetur, resq́; omnes per tot annos à ſe geſtas vnum ignobile Epiri oppidum denigraret. Purpurati, & alij, qui proximi illi ſtabant, varijs ſermonibus ſolabantur hominem, pleraque nunc vetera, nunc noua alienæ fortunæ, & externorum regum exempla ægro nequicquam animo ſubijcientes. Poſtridie eius diei ſenex, licet haud ſatis firmus corpore, quum tam efficax dolor totum penè hominem confeciſſet, in dicto concilio cum ſatrapis (quatuor eſſe ferunt) duos Baſſas, Romaniæ, & Aſiæ, & duos quos conſiliarios dicunt, multum temporis conſultans de totius belli ſumma conſumpſit. In tres ſententias diuiſum concilium: Vna de proſequenda obſidione Croiæ fuit, & hybernis ibi ducendis, donec fames tandem diutina conficeret, & debellaret homines. Alia Croia relicta vniuerſo exercitu inſequi Scanderbegum ſuadebat, ita ſi armis capi non

Turca exprobrat infœlicitatem ſuam dijs.

pi non poſſet, includi tamen fugientem aliquo loco poſſe, vbi fame necaretur. Vltima, quum ſatis tentata omnia, & expertam omnem fortunam,



neque morandum amplius per eam ignominiam, neque perdendum per indignationem exercitum diceret, legatos ad eum mittendos decreuit; qui tributarium ipſum, & vectigalem Ottomani quoquo modo conſtitueret, ſi acceptare conditionem vellet, exigeretq́; ab eo 10 . millia aureorum annua. In hanc, quæ tutior videbatur diſceſſum, quippe quum ſatis ampla victoriæ ſpecies videretur Amurathi, ſi priuſquam diſcederet ex Epiro, iugum eo modo impoſuiſſet hoſti, & vectigalem ſibi prouinciam feciſſet. Nam continuandæ obſidionis ratio ad animum non tranſmiſſa, conſideranti multa hyemis incommoda, & quod prius obſidentes, quam obſeſſos eius rei tædia caperent. Commeatuum præterea inopiam ad eam multitudinem tanto tempore alendam, & quod maximum erat, aſsiduas incurſiones, & irruptiones hoſtium in caſtra, neque inſequendo per Epiroticos montes Scanderbego terendum tempus viſum, quum & periculum eo modo ſummopere timeretur. Quare vnus multæ vir autoritatis, cui Iſup nomen erat, ad id muneris electus, ſed veritus ſenex nimis grandem forte pecuniam luſuram iri Epirenſi, monuit legatum, vt ſi ſubire hoſtis tam ingens tributum recuſaret, ad quinque millia tantum rem redigeret. Vna ſupererat difficultas, quod incertum erat vbi caſtrametatus eſſet Scanderbegus, & in ea incertitudine peragrare prouinciam ad eum quærendum ardentibus bello omnibus, non ſatis tutum videbatur, licet inuiolabile eſſet legati nomen: exoluere tamen ea cura Tyrannum captiui quidam Dibrenſes, qui libertate impetrata, ſi incolumem Barbarum ad Caſtriotum

Amurathes oratorem ſuum ad Caſtriotum pro pace petenda dirigit.

Inuiolabile legati nomen.

perduxiſſent, ſolutis vinculis, læti præeuntes hominem, ad caſtra ire perrexerunt. Tumeniſtus mons primum recto itinere petitus, ibi non inuento Scanderbego, ad Iſimum fluuium in ora maritima conceſſere, ſed nec ibi repertus eſt: nam ſublatis per eam noctem ſignis, in planiciem quam rubram appellant, tranſtulerat vaſa. Quare admoniti de eo Dibrenſes à quibuſdam incolis loci, abeuntes inde ſine mora, minus horæ vnius ſpatio (nam parum ab Iſimo diſtabat) illuc deuenère, & priusquam intrarent caſtra, vnus ex ducibus, relicto non longe legato, cum ſocijs ad Scanderbegum conceſſit, ſciſcitatus eius voluntatem, an ſui adeundi regio legato poteſtatem faceret. Viſum primo Dibrenſem, turmales ex longo deſiderio in amplexus, & mixta lachrymis oſcula effuſi, ingenti plauſu excepêre. Tum impigre deduxêre ad Caſtriotum, qui vbi vidit & audiuit hominem, eo perbenigne ſuſcepto, nihil immoratus quoſdam equites & pedites mixtos, Tanuſiumq́ cum his ad accerſendum honorifice legatum Tyranni mittit. Eo in caſtra deducto, de mandatis quidem regijs nihil ea die relatum, nam nox inſtabat, ſed humaniter ſuſceptus, lautoq́ inſuper & opiparo acceptus conuiuio, in caſtris pernoctauit. Cæterum iuſſus Moſes cum expeditiſſimorum equitum agmine ſingula circum loca, ſaltusq́ peragrans, atque augens cuſtodias, ne per eum colorem Ottomanus aliquam fraudem moliretur, totam penè noctem eo in opere conſumpſit. Orta luce, Scanderbegus conuocatis optimatibus, fecit copiam dicendi regio, ille compoſito iampridem ſermone, maxima arte, ſi modo tale quippiam perſuadere liberis animis poſſet, ſic exorſus fertur:

Oratio Oratoris Tyrãni ad Epirenſem.

Dediſſent Dij iampridem hanc mentem nobis Scanderbege, quam ad te hodie tandem longis admonitis malis, ſerius fortaſſe quam par erat, attulimus: neq́ enim vel ipſi tot exercitus deletos, tot præclaros duces eodem extinctos fato vidiſſemus, neque tu laceratum imperium quotidie in oculis haberes, & tot paſſim vulnera, ac gemitus tuorum exaudires. Sed ita natura comparatum eſt, vt ad pacem & æquitatem, niſi per ſanguinem & bellorum iniurias veniri non poſſit. Quare æquo animo quod ſupereſt accipiamus, & has ſaltem reliquias melioribus Dijs ſeruemus. Satis inundauit per tot annos ſanguine humano Epirotica tellus, ſat deformе ſui ſpectaculum amœniſſima olim regio, & pulcherrima principum ſedes præbet iam diu, ingentes vires, ac quaſi ſupra mortalium vota Amurathi Dij dedêre, tibi minimas (ſi ad eum referas) vt libere loquar Scanderbege. Non pœnitendas tamen illas, tum militum, & tua virtus, tum (quod maximum eſt) facit fortuna, vt præclare omnibus bellis oſtendiſti, quod & ipſi admirati ſæpenumero, licet in hoſte, & publice, & priuatim ſumus, dum ſuperbiſſimos Hungariæ populos & Græciam tot bonis affluentem, tam facile perdomitam à nobis recordamur, ſola gens hæc inuicta ac impatiens

Collatio fœlicitatum Turcæ & Scanderbegi.

patiens

patiens dominij eſt reperta (nihil adulor hoſtis). Atque vtinam iſta vera non eſſent, quæ loquor, in vos tantum, vt video, hucuſque neque fortes, neq;



fœlices ſumus. Verum enimuero hæc vobis potiſsimum timenda fortuna Epirenſes, quæ forſan funeſto exitu credulos erexit ſpiritus, vt velut perpetuam illius poſſeſsionem amplexi, tandem ruatis: neque tamen, ſi ſingulas fortunæ veſtræ partes oculis proponatis, vobis quoque parum virium, & dignitatis hoc tam diutinum bellum abſtulit. Nam quamuis non multa hominum iactura hucuſque nobiſcum bellum geritis, Vbi Sfetigradum eſt? Vbi latiſsimus eius oppidi ager? Vbi tot villæ, tot ædificia, tot prædiorum ornamenta? Vbi rerum omnium facies? Cur tam fertiliſsima regio perijt? Vbi tot horrea annonæ, quæ omnes olim vicinas vrbes, & Italiam ipſam replebatis? Vbi denique (vt ſileam alia) pulcherrima Croiæ mœnia? quæ ita deformata iacet, vt vix veſtigia murorum, & ſpirantes intus hominum vultus, nedum priſtinæ vrbis formam retinere videatur. Quid expectas vlterius? Vides quàm prægnantia tibi ſint malis omnia, vrbes aliæ captæ, aliæ obſeſſæ, caput ipſum imperij Croia, penè ad nihilum redacta. Sola autem hominum adhuc reſiſtit pertinacia, quæ tandem frangatur neceſſe eſt. Decreuit nanque Amurathes auctis copijs hyemem ibi omnem traducere, & aliam æſtatem, ſi opus fuerit, ac plures deinceps annos, donec fames tandem, ſi ferrum non poſsit, inijciat iugum hominibus: ſed hoc ita demum, ſi tu quoque mali tui ſtudioſus per eam imprudentiam allatas has ad te pacis conditiones ſpreueris. En ex funeſtiſsimo hoſte ſocium te ſibi, ac tributarium conſtituit Ottomanus, ſoluit Croiæ obſidionem, aufert in perpetuum hoſtilia ſigna ex Epiro, & mauult vectigalem ſibi

Fame iugum hominibus inijcere, ſi ferro non poſsit.

Turca tributum petit à Scanderbego.

ſine ſanguine prouinciam hoc beneficio deuincire, quàm tam cruentum diutius iugum quærere vobis. Perexiguum vero pro magnitudine officij onus imponitur, 10. tantum annua aureorum millia præſtari ſibi petit. Aliud nihil, neque veſtrum quærit, neque ſuum repetit. Poteſtis Epirenſes, potes Scanderbege, pro tot oppidis noſtris in Epiro, tot villis, tot pulcherrimis rebus, quas non vllo hæreditario iure, ſed vi ablatas tamdiu poßides, iſtuc citra dedecus & iacturam tuam concedere Amurathi iuſtißime petenti. An ignobilior Epiro Peloponneſus? An Caramanus nobilitate tibi, vel potẽtia cedit, vel opibus? (ſine reprehenſione temeritatis dixerim) cæterique vetuſtißimi, & populi nobiles, à quibus quotidie Adrianopolim tributa æquo & libenti animo afferuntur, præcipue quod hoc nõ ſeruitutis loco, ſed magis propter quoddam ardentius fidei vinculum imponitur vobis. Diſcute vires tuas prudentißime dux, diſcute fortunam omnem, neque hodie tam pulcherrimam occaſionẽ præterlabi è manibus ſine. Voles adhuc hæc fœdera, ſi id neglexeris, tunc cupies forte redire quum non poteris, quum mutatus rerum tuarum ſtatus, victorum quoque ſuperbiores ſentiet vultus. Sed dum tam ſtudioſus huius rei hortator apud vos ſum, magis quàm par erat, pro grauitate legationis, & dignitate Amurathis in hanc partem orationis incubui, nihil tamen ideo reuoco quæ dixi. Quinimmo ſi hoſtis apud vos aliquid poſſum precibus rogo, obteſtorque (vt dum licet) dum conſilium non mutat ſenex, veſtri pariter, noſtrique rationem habeatis. Ecquid enim creditis, huius non impetratæ pacis, ſi id forte contigerit, dolorem Amurathis magis, an noſtros animos offenſurum: noſtra hæc proculdubio, ac priuatorum capitum iactura, qui ex libidine eius hæc vilia corpora huiuſcemodi caſibus deſpondemus, & ſi veſtro non poſſumus, noſtro plerunque ſanguine animum eius exaturamus, erimus quotidie in viſceribus veſtris, dabimus ſanguinem, & hauriemus, donec tandem vel tot ſatietas malorũ alterutros teneat, vel longa pertinacia, & fatum aliquod vtroſque crudeliter abſumat.

Nondum finierat Barbarus, quod multo murmure confuſum concilium, plerique immodico gaudio, quod defatigatum iam armis ſuis Amurathem, & velut bello victum viderent, riſum non tenuère, quum tanta pompa verborum tributi mentionem proponi ſibi audiſſent. Alij ſub hac ſpecie pacis captare Amurathem ſe dicentes, vt quod hoſtibus non poſſet, tributarijs olim paulatim iugum imponeret, hoſtiliter fremebant, neque vel vnus eſt inuentus (ita mortaliũ animos inflant res proſperæ) qui eam pacem, quam bellum perpetuum mallet, aut cogitandum ſaltem ſuper ea re diceret: Heu quo nunc abijt ille ſplendor gentis, illa nobilitas animorum, eius inuictæ virtutis ſemina? Videbant Albani laceratum imperium, vrbes alias captas, alias obſeſſas, auita iugera hoſtilibus operta armis, vxores, li-

Mortalium animos inflãt res proſperæ.

res,liberos,procul à conſpectu ſuo in timore, & lachrymis tabeſcentes,diſcerpi quotidie ante oculos corpora ſuorum, & manantia ſanguine omnia, tamen iacere magis quiſque in ea fortuna,& licet non omnino infœlicem, cruentam tamen libertatem fouere malebat, quam minimam confeßionem ignauiæ præbere hoſti. Scanderbegus igitur timoris neſcius inter eos ſedato murmure conuerſus ad Barbarum,ne animi dubium,& ſuſpenſum per contemptum ad Amurathem dimitteret:

Haud abſimilis multum eſt,inquit,hæc tua legatio illi,quam Aiaradinusq; dudum(ſi memoria teneo) attulit, qui in ipſis fermè imperij noſtri auſpicijs quaſdam Epiri vrbes, & Macedoniæ partem nomine Ottomani allatis ad id ipſum literis petijt. Proinde ſatis tum vobis in perpetuum credo fuiſſe reſponſum,nam neque diminuta adeouſque fortuna mea mihi videtur,neque veſtra ſic aucta,vt nouas has conditiones proponere nobis hodie honeſte poßitis. Quod enim longo ordine amiſſum Sfetigradi oppidum, diruta Croiæ mœnia, & corrupta in campis omnia recenſes, vix id iacturæ loco computatur à nobis. Salua modo hæc capita ſint, incolumis miles, ſoſpes populus, recuperabuntur amiſſa omnia ,deuaſtata reſtaurabuntur,iuuantibus Dijs(mihi crede). Hæc mortalium manuum opera facile & deſtrui, & conſtrui facile conſueuerunt,modo artifices,modo fortes dexteræ non deſint. Sed dic quæſo, quando ita iuuat noſtra enumerare,quanti empta hæc vobis ad hunc vſque diem ſunt? Quando Sfetigradenſis vrbs,licet non virtus veſtra, ſed ciuium ſuperſtitio eam perdiderit? Quanto Croienſis oppugnatio ſanguine ſtetit? Agitedum, nihil inuideo.Ita fortes, ita fœlices per omnia ſecula eſtote. Videam ſemper ipſo eo modo ſigna veſtra in Epiro,obſidete vrbes, oppugnate , inſultate agris, corrumpite quicquid frugiferi tenet Macedonia, dum ea relinquatis fortunæ veſtræ veſtigia, ea fortitudinis ac virtutis monumenta. Quare rogare potius vos,vt non diſcederetis,expediebat nobis,quam vel ea pecunia diſceſſum veſtrum emere. Abſit vt viuente Scanderbego vectigalem vobis prouinciam hanc vlla videat ætas,vel hominum vllus audiat. Non ſi totius poſſeßionem Macedoniæ, & omnes patrum noſtrorum ſedes reſtituatis, non ſi mecum diuidat imperium Ottomanus,ea nota inuri Epiroticum nomen paterer. Fruſtra itaq; externa coaceruas exempla,fruſtra Peloponneſiacam fortunam, & Aſiaticas ſeruitutes,ac cæterorum oculis noſtris ſubijcis,& diſertando animis inculcas, quandoquidem nullum eſt tam efficax exemplum, quod ad eam turpitudinem poßit liberum ingenium inuitare. Nihil vlterius locutus eſt legatus, nec aliud quippiam hac de re contendere voluit, aut iuxta conſilium ſenis de minori ſumma agere cum hominibus curauit, quum tam alienos ab ea re omnium animos videret. Dimiſſo igitur concilio, ductus eſt cum ſocijs apud Scanderbe-

Reſponſio Epirenſis ad Oratorem Tyranni.

gum ad curanda corpora. Tum opipare acceptum, & honorifice habitum, Tanuſius cum aliquot equitibus mille fermè paſsibus procul à caſtris eſt comitatus, ne libera militum licentia violaretur. Vix abſceſſerat è conſpectu legatus, quod Caſtriotus veritus inſidias hoſtium, ſi eum locum non mutaſſet, ſublatis ſignis, Tumeniſtum copijs omnibus petijt, cuſtodibus paſsim per loca exploratoribusq; intentius quàm vnquam antea feciſſet, diſpoſitis. Reuerſus legatus in caſtra, quæ in Tyranna minori poſita erant, ſicut dolorem Amurathi, ita ex ægritudine morbum quoque ſum-

Morbus & ægritudo Tyranni.



mopere auxit. Quare eo magis quotidie inualeſcente, Satrapæ depoſita quaſi omni cura armorum, ad curandum ſenem, illiq; medicamina adhibenda animos tranſtulêre. Sed in ea morbi incertitudine, nullum efficacius, quam verborum remedium videbatur: nam impatientia doloris contractum malum, appoſitis ad id ipſum ſolatijs erat leniendum, & noua aliqua lætitia curandum. In eo ſtatu res per paucos dies manſere, neq; non ſatis compos ſui omnino erat Tyrannus, ſed & audire ſuos, & alloqui ſatis commode poterat, atq; iubendo multa procurare, quæ in rem videbantur, donec Scanderbegus audita ægritudine eius, irrumpens bis, terq; in caſtra, quicquid fermè tum animi, tum corporis ſupererat reliquiarum exhauſit. Prima & ſecunda incurſio ipſius vix cruenta fuit, neq; aliquid dignum memoratu geſtum, quum ſolertiſsime inuigilarent Barbari ad defendenda caſtra, ac omnium animi eſſent magis ad ſe tutandum, quam ad alios laceſſendum intenti. Iniecit ea res Scanderbego maiores, ac pene maximos ferociæ ſtimulos. Igitur noctem primum vt ſæpius fecerat, ex ſe ipſa ſatis pa-

uoris

uoris tumultuſq; excitaturam ad ea conſilia amplexus, equitatu fermè omni ſecum ducto Tyrãnam petijt, nam commodior ab ea parte erat procurſio equiti, & magis opportuna iniuriæ hoſtium ſtatiua. Exacta media nox erat, quum appropinquans Tyrannæ, ſtrepitu ipſo eques ſe prodidit, tenebræ maiores aſſueto erant, quod obducta multa nubium caligine cœlum viſum omnem ademerat. Itaque male potuit quippiam aduerſus impetum venientium prouideri, prouiſum tamen eſt pro tempore, ordinatuſq; miles, vt exaudito, non viſo hoſte, ſumi iudicium valuit, neque noſtris, minus iniqua, ſuſpectaq; ea habitudo temporis erat, & licet plus animi afferentibus, quam nõ expectantibus iniuriam eſſe ſoleat, tamen horror quidam inuaſerat pectora, & promouere vix vllus gradum audebat amplius. In ea vtrorumq; hæſitatione, Scanderbegus acceptis centum non amplius equitibus ex Anteſignanis, euolans è reliquis turmis maximo impetu ad laceſſendos hoſtes vſque ad munimenta ipſa procurrit, inceſſanſq; clamore ſimul, ac coniectis verutis, homines aliquot extra aßignata ſibi loca protraxit, concitatos ad ſe aſſequendum opprimendumq;. Sed oppreßi ipſorum nonnulli ſunt, reliqui ſponte recepêre ſe inter ſuos. Epirenſis per ludificationem aliquantiſper hac illac curſitans, excitare in ſe maiora agmina quærebat. Vbi vero abire per eam inanem expectationem tempus vidit, & noctis aliquantiſper tenebras appropinquante die fugari adnimaduertit, reuerſus ad ſuos, abiecto omni reſpectu, ſumma ratione cum Tanuſio, Streſioq; (nam Moſes in Tumeniſto cum peditatu fuerat relictus) diuidit copias, admonitiſq; ſingulis, quid facturi eſſent, ducit in hoſtem. Mißilibus primus furor exatiatus, ac maior pars dimicationis per coniectum telorum acta. Nam Caſtriotus timens, ne ſi confunderentur ordines, diſcrimen ſuorum hoſtiumq; periret, negabat militi cominus inferre gradum, neque ad gladios veniſſet res, ni regij multitudine freti, inſigne agmen ſuorum à leua parte miſiſſent, vt noſtros medios interciperent, quos vbi aliquantulum à reliquo robore progreſſos vidit Scanderbegus, relictis munimentis ocijßime ad id latus conuerſus, diuiſis & ipſe viribus, vt vtrinq; pugna non intermitteretur, maximo impetu aggreſſus eſt. Non ſegniter primo impetu excepere Barbari, ſperantes mox à caſtris affuturum ſubſidium: tamen vbi tarditate ſuorum dilabere paulatim vires ſibi, & hoſti creſcere cum victoria ipſa ferociam vidêre, verſis ad tentoria equis, fuga, qua ſola poterant, ſe ſaluarunt, plures tamen ante fugam cecidêre, ſimul & ex noſtris nonnulli. Streſium etiam Tanuſiumq; iam exoriens lucifer & inualeſcens ſemper vis hoſtium terga vertere coëgit, inſecuti ardentißime hoſtium ordines eam noſtrorum paucitatem eſſent, ſed ne animum Tyranni offenderẽt, abiecta cupiditate vltionis ad damna ſua recenſenda ſunt conuerſi. Præter cædem alia deformatio caſtrorum non fuit, neque præ-

dæ quip-

Opinio purpuratorum & ſatrapum, ad valetudinem Tyranni recuperandam, & ad repellẽdos Caſtrioti impetus.

dæ quippiam ablatum, niſi aliquot priuata occiſorum ſpolia, nam pro vallo non intra munimenta & cœptum & finitum eſt certamen. Purpurati maximo conſilio cælauerunt eam cladem Amurathem, ne maiora præberent alimenta dolori, tamen nihil ſolicitum ſenem fefellit, quod & publicum murmur, & priuatæ vulgi querelæ facile eam calamitatem inclinato ad male ſuſpicandum animo, prodidère. Hoſtis captato tempore prætorium ipſum cruentis ſignis irrumperet, relinquere obſidionẽ, & cœptum tanto odio bellum pudor prohibebat. Suadebant tamen nonnulli Tyranno, vt maiori parte copiarum Croiæ relicta, ipſe Adrianopolim repetens, ſaluti ſuæ conſuleret, abituram quoq; vim omnem morbi, ſi ex eò calamitatis ſpectaculo, & cruentiſsimo hoſtium aſpectu abiret, ſed ingraueſcente quotidie malo, & deficiente paulatim ſpiritu, ſenſere omnes eam violentiam fati nulla ſatis poſſe loci mutatione, nulla ope, vel conſilio humano excludi. Quare licet iuuaſſe medicamentis (vt nunquam mortalia pectora ſpes deſerit) confectum corpus non deſinerent, velut orbati magiſtro nautæ, pro ſe quiſque procurabat omnia, quibus ſaluari ab ea tempeſtate exercitus poſſet, ſublatisq; tentorijs quæ late diſperſa magis obnoxia iniuriæ, & opportuniora hoſti erant, anguſtiori circulo redacta ſunt caſtra, firmataq; maximo & armorum & armatorum robore munimenta, ſic omnibus ordinatis expectabant, aut mortem Tyranni, quæ finem tunc armis faceret, aut valetudinem forte recuperatam, quæ eam obſidionem nouis conſilijs ſtabiliret. Nihil horum latebat Scanderbegum, nam tum ab exploratoribus viſa omnia ponebãtur ante oculos, tum cætera magis intima hoſtium conſilia, à transfugis aperiebantur, quorum plures quotidie ad ipſum & reliquas vrbes confugiebant, maxime ex quo credi expectariq; indubitate mors regis vulgo cœpit. Epirenſis itaque aduerſo ab aſſuetis irruptionibus animo, reſeruabat & ipſe ferociam omnem in mortem Ottomani, tamen per Crainum montem pergens interdiu, noctuq;, ſæpe Vranacontem alloquebatur, crebris quoque agminibus oberrans per colles vicinos, ſi intercipere ſeruitia aliqua exercitus poſſet, vel eo ſolo aſpectu dolorem hominibus incutiebat, ſed modicum temporis in ea rerum ceſſatione, & hoſtium mœrore & expectatione abijt: nam Ottomanus illo triduo expirauit. Ferunt tamen eum, quum adeſſe iam ſibi extremum vitæ diem ſentiret, lectulo cubantem multa cum purpuratis ſuis longis querelis egiſſe, quod tam ſordido exitu fata omnem ſuæ anteactæ vitæ tenorem ſugillaſſent, vt qui totiens Hungaricam ferociam inhibuiſſet, & inſolentiam Græcorum cum ipſo penè nomine ſuſtuliſſet, ſub ignobilis caſtelli mœnibus & oculis tam pudendi hoſtis, infamem reddere ſpiritum cogeretur. Deinde ad Mahumetem conuerſum, commendaſſe maximo ſtudio illum fidei ſuorum, monuiſſeq; multa, cum nunc audientibus alijs, nunc ſummotis arbitris, licet & defectum iam

Vltima Amurathis verba, cũ proximus eſſet morti.

viribus

viribus corpus, & manantes ex aſpectu filij per ora lachrymæ ſenis vocem impedirent. Illud ſæpius iterabat, contemnendum nunquam hoſtem, de eo ſe vno pœnitentiam toto vitæ ſuæ tempore egiſſe, & apud Tartara (ſi modo extincto corpore pars vlla hominis remaneat) poſt hac acturum, quod per contemptum paulatim educato hoſte, eam ſibi ipſe calamitatē, & notam in perpetuum, Ottomano nomini inuſsiſſet, dum tam ſordide ſub Croiæ mœnibus extinctum, totus terrarum orbis, & omnis deinceps ætas velut fabuloſe referat. Opprimendum tum transfugam fuiſſe, quum per ſcelus illud in Hungaria ſceleratum vindicauit imperium. Tum in ea rerum nouitate, & nondum firmatis populorum animis, deleri incruentis fermè omnibus ſuis cum nomine ipſo hominem potuiſſe. Non Alybaſſam, qui primus alimenta ferociæ eius & fœlicis auſpicia fortunæ dedit, non alios fuiſſe mittendos, quibus tum captis tum occiſis, ea & viriū ſibi fomenta, & fidem apud ſubditorū ingenia perſtruxerit, vt ipſe totiens tanta ignominia, & imperij laceratione vix fando iſthæc crederet, niſi experientia magiſtra ſuo malo edoctus eſſet, 160. amplius millibus armatorum dicebat, intrauimus Epirum, & hic conſedimus. Nunc ſi vacat, conferte capita, diſcutite omnia, animaduertetis quantum de ſumma ſit detractum, non poterat homines tenere locus. Hodie quot tentoria vacua? Quot errātes ſine dominis equi? Quam diminutis longe copijs Adrianopolim repetetis? nam ſpiritū hunc Epirotico ſolo deuouêre fata. Sed quid impedimenta, caſusq́ fortunæ imputo mihi? tum enim primum hæc malorū ſemina orta in Epiro, at quantis cum tot bellorum motibus ardebat Hungaria, Eugenij, ac cæterorum Chriſtianorum concitans in nos arma? Quum non de Epiri, ſed totius poſſeſsione imperij certabatur, vt Varnenſes, Baſilienſesq́ labores præbent omnibus documentum. Ita dum ad tot negotia neque tempus, neque vires ſufficiunt, creuit hic hoſtis, vt videtis. Quomodo autem poſthac cum eo, quàue arte belligerandum ſit vobis, conſilium à me expectare non debetis, qui tam iniquus mihi ipſi æſtimator in rebus omnibus fui. Nunquam magis cogitatus meos fefellit fortuna, fœlicior tu fortè bellator contra eum futurus Mahumetes, & pro tot datis honoribus mihi, Epiroticum forſan tibi triumphum ſeruauêre Dij. Accipies itaque ſceptrum hoc, & alia regni inſignia fili, ac interea præcipue hoſtem hunc, ne inultam mortem hanc ſinas, id vnū pro tam amplo honorificoq́ patrimonio tibi ſumito, eam ſolum victimam ſeniles manus expoſcunt. Poſt hæc dicta obmuteſcens, dimidium ferè eius diei in anguſtia ſpiritus conſumpſit, tum obortis ante oculos tenebris, petitam tot Chriſtianorum odijs animam exhalauit. Operæprecium nunc eſt audire hæc, & videre eos, qui tanta mercede rerum humanarum ſtatum licentur, & credunt, ita concedi alicui poſſe perpetuam fortunæ poſſeſsionem, vt non aliquo temporis momento interpellari queat.

Amurathes moritur.

Fortunæ poſſeſsio non eſt res perpetua.

ri queat. Quid Amurathe quondam maius? Cui ſplendidior fama viri (cæterorum venia dixerim) toto orbe terrarum extitit? Quæ atteſtatior



Geſta Amurathis ſub compendio recenſita.

fortuna fuit? Quis ſpecioſiores ea ætate triumphos tulit, & tot victorum regum, ac ſuperbiſsimorum populorum ſpolijs obſoletum iam Ottomanum nomen, ac Barbaricas domos ditauit? Hic domeſtico furore inhibito, ac fraterno ſanguine (ita regni libido licere omnia facit) ſumptis fortunæ auſpicijs, primus inſanienti Græciæ libertatem extorſit, & fixo in viſceribus eorum imperio, acceptiſq; inde virium alimentis, deinceps cæteros populos Chriſtianos tot afflixit calamitatibus, vt eas enumerare ſit difficile. Hic primus murum Græcorum in Peloponneſi faucibus iuxta Corinthi Iſthmum, quem Heximilium nunc vulgo appellant, diruit, & peruiam ſibi vndequaque Europam fecit, qui tot regna in Aſia, vrbeſq; nullo hæreditario iure, ſed virtute ſola obtinuit, exercitus fudit, reges bello vicit, atque ſuperauit. Qui etiam rege Hungarorum occiſo, Hunniadem ingentis nominis ducem, ac bellatorum illum ſtrenuiſsimum non ſemel fugauit, eaſq; fortunæ ſponſiones animo voluens ſuo, totius orbis terræ dominium, ac Chriſtiana imperia omnia ſpopondit ſibi. At nunc quam diſpar hominis animus, quam anteactæ vitæ diſsimilis oratio fuit, vt tam ſordide in oculis contempti olim hoſtis conqueri, & gemere tam fœde ſit auditus. Quo inuicti illi ſpiritus, & imperioſa vox abierat? quam tot duces, legiones, tot armatorum millia, timidis auribus audiêre. At nunc quam alius hominis vultus, alia facies, aliud ſpectaculũ? Vbi caput illud tot decoratum triumphis? Vbi inſignis ſceptris dextera? Iacet de-

Corinthi Iſthmum Heximilium vocant.

cet deforme cadauer, compreſſæ manus, exporrecti pedes, qui tot glorioſe terras victrices calcarunt, neque quippiam de tot bonis, tot laudibus caducum ſibi corpus retinet. O imbecillem humanæ naturæ conditionem. O inanem mortalium gloriam. O cæcas hominum mentes. Quid iactamur? Quid extollimur? Quid eſt quod dignitates, opes, potentiam, tantopere flagitamus, perpetuo ſcilicet his frui cuiquam datum? O mira rerum mutatio, fluxa humani imperij gloria, & ludentis fortunæ iocus. Corpus eius vnguentis, aromatibusq́ conditum ſeruatum ornatiſſime eſt, humandum poſtea in Burſa Aſiæ oppido ex more gentis.

Deploratio humanæ imbecillitatis.

Mahumetes mox rex ſalutatus, mors ſenis, quo magis potuit ſilentio tecta eſt à purpuratis, ne eius rei fama ad hoſtes tranſiret. Per noctem collectis vaſis, ac paratis ad diſceſſum omnibus, incerta adhuc luce, ſublata ſunt ſigna. Mortuum autem Amurathem ferunt circa autumni dimidium, quinto, poſtquam obſideri cœpta fuerat Croia, menſe. De illius vero ætate variant homines, ſed nullus quintum & octogeſimum annum attigiſſe negat. Inuitus profecto Mahumetes eam obſidionem, & tam ignominioſum bellum reliquit: ſed coactus eſt ire Adrianopolim ad veterem morem in ſumendis faſcibus ſeruandum, & ſeditiones, ſi quæ (vt fit) in ea rerum mutatione orirentur, extinguendas. Non deſeruit veſtigia eius Scanderbegus, nunc vrgens, nunc carpens poſtremos, donec egreſſum omnes imperij ſui fines vidit, tum duplici ouans lætitia, & Amurathem tam ignominioſe de medio ſublatum, & fugatas hoſtiũ reliquias videret, ad ſuos reuerſus, Croiam recto itinere petijt. Oppidani iam ingenti deſiderio cum Vranaconte vrbe egreſſi, madentes adhuc ſanguine campos, & poſſeſſa tamdiu ab hoſtibus loca oberrabant, morabantur vbique, perluſtrabant omnia, vix viſis ſingulis ac perſcrutatis ſatis credentes ſibi, ita infixus iam pridem horror viris, nondum ſuſpenſa pectora reliquerat, Scanderbegus maximo concurſu vulgi exceptus eſt. Vranacontes primum inter multos amplexus deoſculatus, cæteri deinde ex more, vulgus nunc ad pedes ducis prolapſum, nunc veſtimenta eius apprehenſans, cupida (vt ſolet) illis oſcula figebat. Quantum magis potuit, ab ingenijs humanis clamore, cantibus, & omni genere inſtrumentorum expreſſa lætitia eſt, non campanarum tinnitus, non perennes tota nocte accenſi ignes per multos dies ceſſauêre, conuiuia, epulæq́ per totam vrbem, vicosq́ omnes & compita lautiſſime celebrata. Croienſes pro fideli opera, geſtisq́ rebus, egregie ſunt tum publice, tum priuatim laudati, præſidio vltra præfixa ſtipendia ingens pecunia, ac veſtimentorum magna vis erogata. Vranaconti præter aurum argentumq́, clamydes duæ purpureæ, vnaq́ auro contexta dono data, & quatuor deinceps villæ. Poſtremoq́ non expectatis faſcibus decoratus eſt, ac totius Dux Aemathiæ deſignatus. Sed illud in primis à

Mahumetes inuitus redit Adrianopolim.

Scãderbegus excipitur à Croienſibus.

Vranacontes dux Aemathiæ.

Caſtrioto non omiſſum, quum eius victoriæ nuncios ad omnes principes & populos vicinos mitteret: quare ingens vndique concurſus quotidie erat,



multi quoque (vt fit) nouæ tantum fama rei propter mortem Amurathis exciti, tanquã ad inſuetam aliquam pompam ſpectaculi venêre. Peruagauit is rumor breui totum fermè orbem terrarum, non expectatior tum, non lætior nuncius Chriſtianis omnibus eſſe potuit. Reſpirauit Hungaria, recepit Græcia ſpiritum, ac laxata velut ſibi credidit vincula, omnium animi inani illa ſpe ſunt erecti, dum eam regum mutationem, fortunæ quoque ſuæ ſtatum expectant innouaturam. Heu fallaces cogitationes, & miſeriora miſerorum refugia, ſublatum vidimus Amurathem, defuit ne ideo cruentior hæres? Huius certe nobis interitum poſt longa tandem mala lachrymis noſtris conceſſere fata, idcirco ne cũ Mahumethe noſtræ abiêre ſordes? extincta calamitas eſt? Cõpreſsis ſcilicet manibus ſedemus, mutuis inter nos odijs certantes, & ea vana credulitate mortalem cum vnius hominis capite tantam hoſtium fortunam credemus? Facturi tamen tum demum, & præpropere forſan (quod ominari horret animus) finem querelis, facturi malis ſumus, quum & reliquarum noſtrarum finem faciemus. Verum enimuero nunc lachrymis omiſsis, breuem hanc læticiam cum cæteris ſequamur. Iam certatim gratulationes ad Scanderbegum, vel ab externis gentibus aduolabant, diffuſumq́; præcipue tunc eſt per ora populorum celebre viri nomen. Croia morte Amurathis tunc nobilior, quàm Argos olim Pyrrhi morte reddita: ſed ad eas gratulationes, ingens quoq; à Chriſtianis ducibus gratitudo, & animorum munificentia acceſsit. Nanque

Gratulationes ad Scanderbegum ab externis gentibus.

que Nicolaus tum Romanus Pontifex, Ladiſlaus Hungariæ rex, & Philippus Burgundiæ Dux legatos contentione quadam ad eum cum ingenti auri argentiq́ pondere miſerunt, quum ſatis ſcirent eum tam longis bellorum incommodis exhauſtum, tali auxilio indigere. Alphonſus quin etiam Arragonum rex (vtpote qui longo cæteros interuallo in amando Scanderbego ſuperabat) ad maximam pecuniæ ſummam illud quoque addidit, c c c. *millia modium tritici,* c. *hordei, quum audiſſet ſementem fieri prohibitam ab hoſte in Epiro, & quæ facta fuerat corruptam. Multos quoque artifices pecunijs ſuis conductos, vt Croiæ muros inſtaurarent, quos dirutos à Barbaris nouerat, miſit. Caſtriotus inſtructis ludis omnis generis, ea pulchritudine ſpectaculi famam ipſam victoriæ mirum in modum auxit, alter iam exercitus ſub Croia videbatur, tanta vndique multitudo confluxerat, non ſpectatorum tantum, ſed lectiſſimæ iuuentutis ad propoſita ſibi præmia expetenda, non videbatur vſque adeo mirabile hominibus fractas ab Albanis fuiſſe vires Amurathis, intuentibus eam militarem ætatem, & virorum robur circa Scanderbegum aſpicientibus. Redierat vere tunc vetuſta nobilitas Macedoniæ, & ſecula illa Alexandri, Pyrrhiq́ iam obſoleta, in integrum reſtituta videbantur.*

Nicolaus Pontifex Romanus.

Ladislaus Hũgariæ rex.

Seculo Alexãdri & Pyrrhi nobilis Macedonia. Vide Plutarchum.

HIC BELLI FINIS CVM AMVRATHE FVIT.

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERbegi Epirotarum Principis,

Præfatio.

QVO ſtudium me iſtud ſcribendi longius prouehit, eò creſcere magis cum magnitudine ipſa rerum labores video mihi. Et nunc ex vero (quod in principio operis teſtatus ſum) conſideratam illam ſuſpicionem, non inanem timorem in hoc onere ſuſcipiendo, ipſo rei experimento fuiſſe agnoſco. Nam licet aliquam partem itineris emenſo, imminutus quoque paulatim labor fouere ſpe animum deberet, & maiores ad reliquum exoluendum corpus, expoliendumque ſubdere ſpiritus, non ideo minus me hoc onus conficit, quum & progredienti longius deficiant vires, & peractæ iam viæ incommoda, quæ ſolatium aliquod peragendæ poſthac afferre deberent, ècontrario ipſa laboris extimatione atque memoria, non contemnendum incutiant timorem, quum nihilominus ardua difficiliaq; mihi reſtare nunc video. Quis enim (vt Italicæ fortunæ, & Apuli triumphi nulla ſit habenda ratio) bellum cum Mahumete geſtum, illi quod cum Amurathe decertatum fuerat prius, vlla ſui parte, vel rerum, ac periculi magnitudine, vel longitudine temporis, vel cauſis ipſis comparauerit? Quippe quum toties non incruentis Epiroticis ſignis de ſumma imperij ſit certatum, & ad externa confugientes auxilia noſtros aliquando viderimus, neque res vlla finem armis, niſi mors alterius fecerit. Cauſas vero eius odij acriores omnes hic fuiſſe quis neget, & ſingula ad hoc bellum maiora præbita alimenta, quum amiſſa tantum poſſeſſio Epiri, & accepta in parte imperij damna, Amurathi arma induerint. Mahumeti non hæc ſolum, tamdiu pertractata, & veluti iam cocta, verum recens patris fatum, & intolerabilis iniuria, rabiem verius quandam & furorem iniecerint. Huius præterea tum ætatis impatientia, tum ſuapte natura ferox ingenium, & ſitiens ſanguinis, præcipue Chriſtiani animus, omnem cupiditatem, ſæuitiamque paternam facile ſuperauit. Nam ad imperium quantum addiderit, indeque paribus viribus ac odijs in nos ſit inuectus, Conſtantinopolitana fortuna (vt ſileam alia) ſatis efficax documentum præbere poteſt. Quare non ab re cenſui, tanta rerum molimina præcentione aliqua in medium deducere, & noui hoſtis apparatus, noua etiam præfatione recenſere, atque ita paulatim nunc ventis, veliſque, nunc remigio, velut nautæ faciunt, alta æquoris ſecans, ad præfixum animo ſignum properare. Vel ſicut onere aliquo, & labore itineris preſſus viator, nunc refocillat vires, nunc alternis manibus, ceruice, humeriſq; geſtat pondus, nunc trahit, donec præſtitutum attingat locum, ita ipſe nunc amœnis diuerticulis conſulam mihi, legentibuſq;, nunc ſi aliter nequeam tractum pedibus (vt aiunt) onus qualicunque exitu claudam.

Italica fortuna.

Apuli triumphus.

Cur nouã hic poſuerit præfationem.

MARINI

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS,

Liber Septimus.



TYRANNI *mors Adrianopoli audita, creditaq́; varios animorum & rerum motus excitauit. Optimates vrbis (vtpote qui nunquam vel imperium, vel fortunã Amurathis faſtidierant) maxime eo nuncio indoluêre, ac luxêre diu ſenem, tum ob communem iacturam (nullus nanq; ad eam diem Ottomanæ gentis vel charior ſuis, vel iuſtior in hoſtes fertur fuiſſe) tum quod eam regum mutationem non ſine multis priuatorum incommodis futuram ſciebant. Præferuida tamen ingenia, rerumq́; nouarum cupida, nullus ſatis profecto tetigit dolor, quin erecta ſunt magis & in ſpem adducta, quum Mahumethis & ferocis ingenij, & adoleſcentis ſceptrum longis iampridẽ votis exoptaſſent. Vulgus ſuopte ingenio auidũ nouarũ rerũ mutationisq́; maxima lætitia nunciata audiuit, indeq́; Ianizari, qui filij Principis appellantur, armati per vrbẽ peruagantes (ea enim licentia, vel peruerſa potius conſuetudine, in funere Regum gaudent) multa priuatorum*

Motus atque tumultus in Adrianopoli ex morte Amurathis.

Ianizari filij principis bona Iudæorum & Chriſtianorum inuadũt.

priuatorum bona, Chriſtianorum præſertim, atque Iudæorum, quorum inuiſa Turcis nomina, impune diripuêre. Confluxerant præterea, & confluebant indies ex omnibus partibus homines ad eam nouitatem rerum, & nouorum faſcium ſpectaculum videndum. Quare venienti cum exercitu Mahumethi, incredibilis prope multitudo obuiam proceſsit, ſed Ianizari quos diximus, primi omnium, à quo quum ex more veniam ſcelerum, & rapinarum factarũ in vrbe æque facile, ac petière impetraſſent, acceptum deinde intra mœnia ingenti lætitia, ac magno plauſu vulgi in regiam perduxêre.

Mahumetes fit rex Turcarum.

Tum ab omnibus ſummus princeps conclamatus, & ornatus diademate, ſceptroq́, ac cæteris regijs indumentis, in ſedem paternam multis ſupplicationibus populi, votisq́ repoſitus eſt. Aerarium, Areſauciq́ ei eodem tenore traditi. Obedientia à purpuratis & nobiliſsimis quibusq́ iureiurando promiſſa, aurum, argentumq́ paſsim per vicos omnes diffuſum, ac militibus magna vis pecuniarum erogata. Ita vetuſtus mos gentis, & ſolennitas in faciendis regibus ex parte ſeruata eſt in Mahumethe, ex parte non ſeruata.

Conſuetudo Turcarũ principum, vt liberi longiſsime abſint à parentibus.

Nam primũ omnium conſueuêre principes Turcarũ filios, vixdum pubertatis annos egreſſos, procul à ſe, & extra Europam in longinquis Aſiæ locis tenere, illa forſan ratione, ne (quæ vix vllam ſatis præterit ætatem, perſonamq́) regandi libidine parentibus inſidientur. Quum vero rex ipſe moritur, vel morti creditur vicinus, Satrapæ & alij, quorum maior autoritas ad populum, & cura imperij, atque rerum publicarum, prout quiſque affectus eſt regiæ proli, nuncios, literasq́ alij ad alios mittunt, monentes de ſingulis, & ſolicitantes aduentum illorum ad modo non iacens ſceptrum occupandum. Quinimmo ea contentione purpurati, dum amiciori ſibi quiſque ex regijs liberis imperium ſeruare quærit, literas inter ſe, nunciosq́ latenter adhibita fraude intercipiunt, ne celeritate ab alijs præueniantur. Nunc alijs relinquo cogitandum, quibus votis, quo libidinis æſtu, iuuenes admoniti ad eam magnitudinem præmiorum vndique proruant. Tamen qui primus littora Helleſponti contingit, vel ei regni inſignia manent. Nam prodeuntes obuiam, Ianizari cætera deinceps (vt narrauimus) per ſecurum ocium in eius poteſtatem redigunt. Cæteri fratres propelluntur extra omnes imperij terminos, vel interficiuntur, ne aliqua

Fœlicius priuatis quàm regibus liberos naſci.

ſeditionis cauſa ſuperſit. Vnde fluxit illud apud veteres: Fœlicius priuatis, quàm regibus liberos naſci. Cæterum iſtorum nihil Mahumeti contingere potuit, quum neque alij adeſſent fratres ad gubernacula imperij apti, neque ipſe priuatus ex Aſia, ſed magnis viribus ex hoſtili ſolo referret ſigna, vbi primum (vt dictum eſt) militari conſenſu, & totius exercitus ſanctione rex fuerat deſignatus. Quare præter tumultum, periculumq́ vllum, quietiſsime imperio eſt potitus, neque ea læticia populi multis diebus intermiſſa. Abierat iam cũ dolore ipſo nuper amiſſi ducis memoria, obliti recen-

recentis ignominiæ, ac Epiroticæ fortunæ omnium animi, euanuerant recentes clades, ac fumantia adhuc funera ſociorum, vixq́ue vllus deformati reliquias exercitus, præ ea noui ſpectaculi pompa vidit, vel ſuccurrit deſipientibus lætitia, quod virorum robur, quam ſpeciem ordinum miſiſſent in Epirum, & quam recepiſſent. Cæterum impatiens ocij, ac inſitæ ingenio crudelitatis Mahumetes, ad res imperij alias firmandas, alias innouandas conuerſus, primum omnium inueſtigauit, an proles alia extaret ex Amurathe, & frater vllus ſibi alicubi terrarum educaretur, in quem ex more gentis ageret, & regium odium expleret. Obtuliſſe ferunt Calybaſſam (vt noui animum regis conciliaret ſibi) infantem Calapinum nomine, ſextum agentē menſem, quem ex Sponderbeij nobilis viri filia nouiter in matrimonio ſibi iuncta ſuſceperat Amurathes, & moriens fidei hominis commendauerat. Mahumethes vbi adhibitis peritis mulieribus, certam patris ſobolem eſſe cognouit, necato illico infante, funus eius honorifice egit, ſicq́ue diri auſpicia regni ſanguine fraterno conſecrauit. Alij pro Calapino alienum puerum ſuppoſitum à Calybaſſa dicunt, educatumq́ue illum, & poſtmodum cum reliquijs naufragij Byzantini Venetias allatū, ac deinceps Romæ Calyxti temporibus ſub cuſtodia in aula Pontificum fuiſſe. Ego neutris aſſentior, ſed vix tolerabilem errorem in omnibus inuenio, quum non videatur ſimile vero, vt Amurathem octogeſimum iam egreſſum annum, generaſſe filios dicamus, ni hanc tam rarā liberalitatem naturæ noſtra ſenſerit ætas, quam in Maſiniſſa illo, & Catone priſca experta ſunt ſecula. Vtcunq́ue ſit, haud in magno diſcrimine pono, dummodo quod re ipſa fuit, diluceat. Libenter nanq́ue neq́ue ipſe errare vellem, neq́ue alios reprehendere, ſed ea eſt hiſtoriæ norma & lex, vt verſanda diſcutiendaq́ue multa falſa, mixta veris ſint, quo velut in purgatis aquarum riuulis, nitidior hauſtus relinquatur ad hæc noſtra properantibus. Sequutus eam ſeuitiam Mahumethes (vt nihil penitus de ſceleratis eius initijs omittam) nouis quotidie criminationibus in purpuratos domeſticosq́ue confectis, & nonnullis eorum crudeli ſupplicio ſublatis, breui (quod iampridem priuatus agitauerat) formidabilem ſe magis quam regem decet, ac inuiſum propè populorum animis fecit, veterū ſanctiones, ac inſtituta maiorū, & leges ipſe ſuas domi forisq́ue, nunc corrigendo, nunc ſupplendo omnes ferè innouauit. Nouis vectigalibus ſubditos onerauit, & ad copias augendas, ac ærarium locupletandū magis quā alius quiſpiam animū intendit. Nam (quod ad reliqua attinet vitia) inter cæteras eius ſordes, auaritia quid maximum numeratur, vt in veſtitu, victuq́ue parciſſimum fuiſſe dicant, ſagaciſſimum ſupra hominem ingenium, ac cupidiſſimum rerum magnarum nemo illi non aſcribit, crudelitate, & ferrea (vt aiunt) virga omnes exceſſit mortales, modicum diſcrimen inter ſuos extraneosq́ue fecit, vix mitior domeſtico quam hoſtili ſanguini, perfidia in

Calapinus Amurathis filius necatur à Mahumethe.

Autor diuerſæ ſententiæ eſt

Hiſtoriæ norma & lex.

Mahumetes magis ſe formidabilem, quam regem declarat.

Auaritia Mahumetis.

Dotes bonæ & malæ Mahumetis.

h dia in

dia in homine maior non inuenta, non fidem vlli, non promiſſa ſeruauit, ſed nō illecebris, omniq́ libidinum genere ferox animus abſtinuit, tamen ſine controuerſia tum peritus, tum fortis bellator, laboris ac vigiliarum patientiſſimus, religionis ſimulator non ineptus, vinum de more gentis nō bibit, linguam, literasq́ Græcas, Perſicas, & Arabicas calluit, hiſtorias verſare, audireq́, amor illi in vniuerſa vita fuit, aſtrorū ac ſyderum præcipuus obſeruator, vt omnia acta, agēdaq́ ſibi ad eorū curſus referret, neq́ defuit ſæuitiæ illius mixta quoque quædam ſeueritatis ac iuſticiæ ſpecies, vt peruia omnia, tutiſſimaq́ itinera eo imperante eſſent, abolitumq́ penitus latronū ac prædonum nomen. Et (vt habitum etiam ipſum oris, corporisq́ perſtringam) mediocris, vel modica potius ſtatura, tam ingētes claudebat ſpiritus, vultus animo non diſſimilis, aſpectusq́ toruus, terribilis, naſus obcuruus, pallidus color, corpus quadratū, ac membra robuſtiſſima, eaq́ vis brachiorum, vt olim quū apud Amurathem patrem Scanderbegus ageret, ex omni regia iuuentute in arcu tendendo à ſolo eo adoleſcente adoleſcens ſuperari vix pateretur. Magis fortaſſe quam par erat, ad Mahumetē intendimus animum, quandoquidem non eius mores, vitamq́, ſed Scanderbegi ſcribere promiſimus. Volui tamen in hoc cōmunis voluptatis rationem habere, quippe quum non ingrata hæc poſteris qualiacunq́ futura putem, vt tam præclari ducis, & hoſtis alioqui nominatiſſimi, interiorē, exterioremq́ habitum hic velut in ſpeculo poſitū haberent. Quū neq́ minima pars laudis noſtri ducis in eo verſetur, & eò magis fortuna, virtusq́ eius ſpectatior reddatur, quò magis hunc nunc deprimimus merito, nunc extollimus.

Hiſtoriarum amator. Aſtrologus.

Hoſtis latronum & prædonum.

Inſtauratio vrbis Croiæ.

Dum ſic hoſtium animi ad noui principis contemplationem eſſent conuerſi, & eius cura ad domeſticas res tranſmiſſa, Caſtriotus interea inſtaurationem Croiæ, & murorum reparationem maxima diligentia aggreſſus, totos dies in eo opere conſumebat. Munimenta vetera, quæ partim diruta, partim quaſſata, nonnulla etiam demolita erant, omnia renouauit, auxitq́, & in elegantiorem firmioremq́ ſpeciem reformauit, quā ab antiqua ſimplicitate fuerant conſtructa. Quum nullus tormentorum vſus, nullum machinarum inuentum, vrbium ſalutem tunc infeſtabat, in militum tantum pectoribus, & fortium virorū dextera omnia bellorum munia erant repoſita. Atq́ vtinam adhuc tam inſignis inuentor artis lateret, & eo munere noſtra carerent ſecula, plures fortaſſe Hectoras, plures Epaminundas, plures Scipiones haberemus, neque tam prompta deditio ciuitatibus eſſet, & paſſim ad perfidiam fideliſſimorum populorum animi cogerentur. Quod ſi priſca tempora id genus inſidiarum ſenſiſſent, non eouſque vel militum, vel ducum proceſſiſſet virtus, non occiſi laudem Hectoris Achilles, Aeneas Turni, Tolumnij Coſſus, ſed humilis aliquis de plebe vir, & vile mancipium habuiſſet. Non decennalis obſidio Troiæ totius penè orbis oculos,

Comparatio ætatis Scanderbegi ad hanc noſtram

Bombardorū vſus vtinam non eſſet.

oculos, vireſq; in ſe conuertiſſet, & per omnes ætates tot præclara ingenia excitaſſet ad ſcribendum. Non Tarentinam tam diutinam oppugnationem miraremur, Segnius, Saguntum, Numantiaq; celebrarentur. Taceretur Petilia in Brutijs, non Pœni ducis furorem obſcurum Caſſilini oppidum totiens contempſiſſet. Itaque quantum dedêre inuentis ſuis hinc nobis (vt aliâs multis laudibus extuli) materiæ ad ſcribendum præclara noſtrorum temporum ingenia, tantum abſtulêre inde, vel multo magis quidem. Iam non amplius vera apparere virtus poteſt. Nullum gladio, nullum ſcuto artificium, omnia iſthæc vana, irrita omnia. Quid melius? Eminus geruntur bella. Sedendo nunc omnes vincimus, quod de Romanis tantum olim dici conſueuit. Cæterum vt vnde egreſſa eſt, eò redeat oratio, ad portam ipſam vrbis, turrim ingentem ſolidiſſimam conſtruxêre, non tamen prærecta facies murorum relicta, ne opportuna iniuriæ eſſet, ſed velut iacens, vt facilius eluderet ictus machinarum. Nos à forma pedis ſcarpam vulgari magis proprio vocabulo eam appellamus. Tum reliquæ partes vrbis intus, extraq; nunquam intermiſſo opere, ſumma ratione reficiebantur.

Vera virtus apparere nequit.

Sedendo vincere.

Inter hæc agenda purpurati, ac principes conſanguinei Scanderbegum



quieſcere non ſinebant, cupientes iam ad magis domeſticas res, & curam prolis ſuſcipiendæ animum eius traducere, quum libera metu omnia dicerent, exhauſta pericula, hoſtes tum recenti clade, tum nouis rerum motibus, & mutatione regis ab omni belli cura auerſos. Non defraudandos vlterius eo gaudio populorum animos, ac ſubditorum vota. Læta præterea fore omnia, feſtiuaq;, tempus ipſum anni (erat enim menſis Maij, quo cun-

cta rident atque reflorent) id ſuadere. Pateretur aliquando & ipſe in eo vinci, gratum magis id ſuis futurum, quàm memorabilem victoriam de Amurathe, & omnes fermè res ad eam diem bello geſtas. Caſtriotus quamuis inuitus eo ſe velut vinculo illigaret, tamen ſingula conſideranti magis è dignitate vtilitateq́ id facere viſum, neque reuocare id ſibi integrum videbatur, quod priore anno itidem ſedulo petentibus fuerat pollicitus. Proinde nihil recuſans, totius rei arbitrium ad Muſachium Topiam ſororium ſuum, & paucos conſilij participes detulit: erat ea tempeſtate Harryanites comitatus (de quo aliâs diximus) inter omnes regulos Epiri, tum imperij amplitudine, tum vetuſta generis nobilitate præcipui nominis, non indigna eo patre puella Donica, iampridem ſermonibus omnium innotuerat, forma (quod non vltimo loco in fœminis ſpectari ſolet) elegantiſſima. Quare nulla vel Scanderbegum cura de alterius nuptijs, vel Harrianum de eligendo alio genero inceſſit, cuncta inter eos æque facile, ac cogitata fuerant, acta tranſactaq́. Dos ad arbitrium ſoceri relata, & eo ſtatuẽte accepta, digna quã & ille daret, & hic acciperet, feſtiuitas nuptiarum nõ dilata à Scanderbego, ſed eodem tenore & ducta in domum vxor, & ſolita lætitia impartita populo. Principes vicini, ac quicquid fermè vſquam fuit Epiroticæ nobilitatis, aut ipſi maxima pompa, & munerũ magnificentia ei ſpectaculo affuerunt, aut gratulationes, nunciosq́ cum lepidiſſimis miſere donis. Gaudebant omnes duos potentiſſimos Epiri principes inter ſe eo nexu affinitatis iunctos, quod impoſterum has vires vnitas ſeruaturas ab omnibus iniurijs bellorum, periculisq́ prouinciæ ſtatum facile apparebat. Veneti magiſtratus, tum legationibus, tum muneribus ex publico gratiſſimi Senatus voluptatem in eo oſtenderunt, ac cæteri deinceps principes beneuolentiam ingentem, quam in aduerſis aperuerant, in feſtiuis quoq́ (quæ duo eſſe tempora probandæ amicitiæ dicit vulgus) cumulatiſſime ſanxêre. Ab Alphonſo ita maxima omnia allata ſunt, vt recuſaſſe accipere Scãderbegũ dicant, coactum tamen à purpuratis & legatis ipſis regijs accepiſſe, dediſſeq́ ad eum alia nõ minora, equos, ſeruos, & cætera (vt conſueuerat) Barbarica ornamenta, ac deuictorum hoſtium ſpolia. Acta itaq́ ea feſtiuitas pari fama, atq́ pompa eſt: nam ad hæc ludi varij generis cum excellentibus præmijs propoſiti, cupidã vndecunq́ gloriæ iuuentutem excitârunt, & auxerunt maxime eo ſpectaculo formã rei ipſius celebritatem. Mahumethem neq́ inſtauratiõe Croiæ, neq́ eorum quippiam latuiſſe dicunt, ac libenter fuiſſe lætitiam noſtrorum perturbaturum, ſed domeſticis rebus occupatum, quum ſemper ægri aliquid in nouo regno oriretur, tum ad cumulandas pecunias, & ærarium locupletandum intendentem coactũ ab ea cura abſtinere: tamen inter minandũ (vt dicacior erat) appellaſſe infœlices nuptias, & breue miſerorum gaudium, quũ omnia fu- *neſtiſſimis*

Muſachius Topiæ ſororius Scanderbegi.

Duo tempora probãdæ amicitiæ.

neſtiſsimis penſanda lachrymis præpropere diceret. Scanderbegus, quod vnum reſtabat, accepto non ignobili armatorũ agmine, cum noua nupta aliquot dies in obequitãda prouincia, & peragrandis imperij ſui terminis, ac viſitandis vrbibus, locisq́ſingulis conſumpſit, id quod multis iam annis propter aſsidua hoſtium impedimẽta, & incommoda bellorum exequi non potuerat. Effuſa vndiq; multitudo, ac prouinciales paſsim certa æmulatione in eorum aduentum noua genera ſpectaculorum depromebant, conciliare pro ſe quiſque varijs officijs animũ dominæ, & ſic ad Principem ipſum aditum parare ſtudebat, nemo contemptus eſt, nullus affectus ſpretus, accepti pari vultu, & hi qui plenis, & qui vacuis deficiente fortuna manibus, ſed prodigis tantum animis venêre. Inter equitandum, & perluſtranda ſingula Caſtriotus, quum ad Macedoniæ veſtibula, & ipſos quaſi imperij ſui limites in Dibra inferiori veniſſet ad locum, vnde maxime Barbari irrumpere in Epirum, & repentinis excurſionibus impune lacerare res agreſtium, atq; incautos opprimere conſueuerant (nam licet non ſolus ille aditus pateret venientibus in Epirum, ſolus tamen fermè commodus, & ab ea potiſsimum parte noſtri quoque infeſtare hoſtium agros ſolebant) ſtatuit omnino in ea quiete, & ocio rerum, aliquo ingenio talem occaſionem tollere hoſti, & ſaluti ſuorum proſpicere. Mons erat, Modriſſum incolæ appellant, arduus atque præruptus, fines Turcarum propter ſui altitudinem late proſpectans. In eo caſtellum ædificare, & implere armatis in animo ſtatuit, qui crepitu tormentorum venientes hoſtes proderent, eiusq́; loci propinquitas vnum ex fuga receptaculum ſuis eſſet, rem iampridem conceptam, & procuratam omnibus modis, intermiſſam tamen propter aſsidua bellorum impedimenta. Igitur nihil moratus, præcipue quod non diutius vel ipſe delicijs marceſcere, vel militum animos ocio & luxu immergi volebat, Croiam petijt, iam ad calcẽ vrbis inſtauratio peruenerat, & reliqua opera murorum completa erant. Acceptis itaq; cementarijs, & maiore parte artificum, ſimulq́; quatuor paulo minus millibus militum, qui, ſi quauis hoſtium ingrueret, arcerent à perturbatione negocij, Modriſſam ire perrexit. Per ſummam tamen quietem, & cœpta ea res & finita eſt, neq; aliquid ſub id tempus innouatum ab hoſte. nam Mahumetes tunc, vtpote vltionis impatiens, licet ſummo ſtudio inſtauraret arma aduerſus Scanderbegum, tamen territus noui & periculoſiſsimi belli fama ex Perſia, tum propter magnam potentiam gentis, tum funeſtiſsima veteris fortunæ ſuorum documenta conſiderans, cæteris rebus omiſſis, ac quaſi neglectis, totus ad eam partem conuerſus erat, quem exitum motus illi eſſent habituri, quia tamen Scanderbegi tot rerum ſucceſſus, & aſsiduæ ſubditorum querelæ, diripi ſe quotidie à noſtris conquerebantur, eum perturbabãt aliquantulum. Primum igitur multis nequicquam

Mahumetis iudicium de nuptijs Scanderbegi.

minis, cōuitijsq́; in abſentem inuectus eſt, poſtremo ad inaniora pacta cum illo tentanda applicuit animum. Miſsi itaque Oratores per eos dies, ac pax oblata Scanderbego, ſi tributum vellet impendere, quod Amurathes pater prius petierat. Admonitus eſt de omnibus Epirenſis, & de ſimulatio-

Mahumetes tributum petit à Scanderbego.



ne Ottomani, & de Perſico bello ab amicis quibuſdam, & de purpuratis regijs. Quare poſt aduentum legati, maximo animo omnia illi negauit. Vix æquas ſe pacis cōditiones admiſſurum cum Tyranno, ne dum tam turpes, & inhoneſtas inquiens, veniſſe ſe ea mente in Epirum, vt ſolueret vincula prouinciæ, & tolleret quantum in ipſo eſſet omne nomen ſeruitutis, & non noua apponeret grauamina, fructum eum ſolum tot laborum, & periculorum ſuorum capere, quod ab illius tyrannide illam liberaſſet. Si amicitiam eorum vellet, ſubiturum id onus fuiſſe, quum omne penè Europæ atq; Aſiæ robur in viſceribus, quum Amurathem cruentū in oculis, ac idipſum ſedulo petentem habebat. Sat illis eſſe debere, quod ad eam diem exegiſſent, & eius ipſius temporis moleſtiſsimam fore memoriam ſibi. Nunc alium rerum habitum, alios homines exortos, qui cogi tantummodo ad eas ſordes, inuitari à nullo vnquam mortalium poſsint. Sic re infecta legatus dimiſſus, Caſtriotus totus & ipſe ad noui operis curam verſus, quietos aliquantulum hoſtes eſſe permiſit. Sed parata iampridem calce, lapidibusq́;, & cæteris ad ſtructuram neceſſarijs, breuiſsimo tempore vix ſemeſtri cinctum muris caſtellum, ſimulq́; priuata quædam ædificia, ac militares ſtationes conſtructæ, reliqua indies ædificanda, ampliandaq́; relicta, non vallo, non foſſa indigebat, munitiſsimus ſuapte natura locus, ac prope inacceſſus, eo-ipſo die viris, armis, & cæteris munimentis prouiſum, aduecta ex Croia tormenta

Caſtriotus abſoluto munitoq; nouo oppido, hoſtiles agros ingreſſus, omnia diripit atq; incendit.

tormenta quædam,& ad certum vſum(vt diximus)data oppidanis. His ſic peractis,noſtri ducente Scanderbego, finitimos Turcarum agros ingreſſi,vacua defenſoribus loca,rebus quoque cæteris exuerunt. Pars Croiam cum Duce multa præda onuſto conceſſit, pars maior præſidij loco ad imperij oſtia(vt conſueuerat)relicta. Nam licet ad ſalutem prouincialiũ multum per eam ædificationem caſtelli prouiſum eſſet,tamen nulla ratione præſidium ſolitum ab eis finibus reuocatum, vtpote quum ille locus diſtaret à Modriſſa 14.amplius millibus paſſuum. Præterea non eodem reſpectu,quo in Modriſſa,tenebatur ibi miles, ſed ad arcendas præcipue finitimorum iniurias,& tuendam prouinciam ab excurſionibus vicinorum.In aduentum vero hoſtium,quibus impar ad reſiſtendum id præſidium erat, vel per iuga montium, & tutiora loca ſe recipiebat, vel in interiora prouinciæ fugiebat. Vt ventum eſt in vrbem,Scanderbegus cupiens in eo ſtatu rerum,& occupationibus Tyranni egregium aliquid facere,& imperij ſui terminos ſi poſſet extendere,mox proceribus,qui aderant, & militaribus quibuſdam ordinibus conuocatis, de ratione gerendi belli, & genere agendorum coram eis in hanc ſententiam exorſus:

Satis iam(vt arbitror)Duces & milites fortiſſimi nouis ſaginati nuptijs,ab armis hucuſque,à bello,à virtute ipſa ceſſauimus. Satis celebrauimus victoriam illam ex Amurathe,dum nunc in publicis,nunc in priuatis voluptatibus, nunc in reficiendis, & nouis conſtruendis vrbibus tempus conterimus. Iam elapſus eſt annus, ex quo inſueto marceſcens ocio non hoſtem vidimus,non vllum dedimus experimentum virtutis.Nunc quoque eadem fermè vitæ ratio ſequenda relinquitur vobis,ni alium animum induatis, & oblatæ melioris fortunæ occaſionem,melioribus conſilijs apprehendatis. Barbarus nanque(vt audiſtis) Perſicis armis occupatus,oblitus iam Epiri eſt,oblitus noſtri,cæterorumq; hoſtium, pax vobis, ociumq; ad ſatietatem conceſſum. Sed quid turpius fortibus viris,quam ita opportuno tempore abuti? cuius maxime rei rationem reddere debet mortales,quin inuitare hoc ipſum potius ad arma, cogere ad difficillima quæq; aggredienda debet, dum alio verſus hoſtis, vel Dij potius ipſi peruia vobis,& incruenta omnia oſtendunt. Hæc duo maxime tempora ſunt rerum bene gerendarum,quum vel alijs occupatum,vel afflictum videas hoſtem: Quo in ſtatu Mahumetis ſint (vt nulla ſit alijs fides)ſatis recens eius legatio declarauit,tributum perfidus petijt,vel ſolum pacem libentiſſime laturus,ſi daretur,negauimus audacter omnia,nunc quo animo,qua ratione negauerimus,reliquum eſt demonſtrare, an & ferenda ita ſemper Sfetigradenſis iactura? Concoquendæ tot iniuriæ,tot imperij deformationes ab Amurathe acceptæ? Vbi feroces minæ noſtræ illæ? Quo ingentia conſilia,& excelſi ſpiritus abière? Quantum dilatauimus verbis olim imperij

Adhortatio Caſtrioti, ad proceres ac omnium militum ordines, de regno ampliando.

Quod duo ſunt maxime tempora belli in hoſtem gerendi.

perij huiuſce terminos? Quantum Macedoniæ ſubegimus? Quouſque Turcarum nomen inanibus inter nos colloquijs fugauimus? Sero hoc pacto, ſero Albani priſcum illum rerũ decorem reſtituemus, libertatem vendicabimus, & cupita tamdiu illa auorum ſecula effingemus. Dum noſtri potius aliquid amittimus quotidie, & non ſolum de ampliando imperio, ſed nec de vltione quidem vlla tot malorum cogitamus. Verum enimuero impediuit hucuſque cogitatus noſtros neceſſitas, impediêre maiora incendia, ac maxima quæque rerum momenta, nunc ne ignauia, & negligentia noſtra impediat, enitendum eſt milites. Quærendus aliquando, quærendus pertinaciter hoſtis, non expectandus ſemper, modo velitis, modo iubeatis. Non deeſt virtutis exercendæ materia, non ingentis occaſio laudis. En Sfetigradum vos tamdiu victores videt, expectat. Deterret (credo) ſuperioris anni oppugnatio, & male tentatæ rei euentus. Neque ipſe vos in eum laborem, & tam apertum diſcrimen trahere velim, ſed multa de ea difficultate, tum tot noſtræ victoriæ, tum Amurathis mors ipſa, & præſens hoſtium fortuna detraxit fortaſſe. Non deerunt præterea tormenta omnis generis, cæteraq́ inſtrumenta, quæ incruentis vobis, quàm maxime fieri poſſit, aditum faciant ad hoſtem. Reliqua tempus ipſum, & viſus in oculis hoſtis docebit. Vobis ego nihil ſine labore, & cruore veſtro audeo polliceri. Præclara ſententia. *Hoc maxime precium & Dij immortales ab hominibus exigunt. Vix tamen tunc quum fit, ſentit idipſum vir fortis, nedum priuſquam fiat formidet. Sed ſi Sfetigradum abhorretis tantopere, ſunt alia oppida & caſtella hoſtium non longe, quibus penſari id damnum, & expleri deſiderium noſtrum poſſit.* Belgradi oppidi deſcriptio. *Eſt Belgradum oppidum pari, vel minori fortaſſe ab hinc ſpacio, quàm Sfetigradum diſtans, non indignum quidem labore, & ſanguine noſtro, ſi vel præmia, vel laudem reſpicimus. Pudere me ipſum maxime omnium debet, quod iam agitur annus, ex quo hic imperito vobiſcum, & tot auorum ſedes, tot conſanguineorum oppida, & Epirotici imperij ornamenta per eam ignominiam hoſti ſeruientia cerno. Igitur hoc ſaltem quod ſupereſt temporis, ne labi diutius è manibus ſinamus, ſequamur Perſas & ipſi, ſequamur fortunã à Dijs immortalibus oblatam, propagabuntur ita imperij fines, libertas ampliabitur, vlciſcemur iniurias, vlciſcemur mala veſtra, & (quod pulcherrimum cenſeo) ab ocio iuuentus ignauiaq́ vindicabitur. Eundum & ſi nihil acturi eſſemus, eundum tamen putarem potius, quàm quotidie prædæ cupiditate cum agreſtibus finitimis, & pecoribus pugnando militum animos corrumpere. Non hac ratione Romanus Pontifex, non Alphonſus meus, & tot Chriſtiani Principes eam ad nos vim pecuniarum cum ingentibus donis miſere, vt ocioſi domi inter conuiuia, inter cantus & nuptiales illecebras degeremus, ſed vt armati ſub galeis inter ſudorem & ſanguinem verſaremur.*

Hanc

Hanc adhortationem Scanderbegi neq; ſubitus (vt conſueuerat) neq; idem audientium clamor, & aſſenſus eſt ſubſecutus, ſed interuallo quodam & maxime interruptus, vt ſatis appareret alienos hominum animos ab eius voluntate eſſe. Et licet pauci ſententiam eius probarēt, pudore tamen aduerſandi alius aliū circunſpectans, nemo vocem emittere audebat, ſimul ne vel ignauior cæteris, vel timidior notaretur, tunc ſurgens Vranacōtes:

Neque timor vllus, inquit, neque animi deſidia, neq; experta Sfetigradenſis fortuna, ſolertiſſime Dux, nos hodie tanto pudore à conſilijs tuis recedere cogit, ſed anni tempus ipſum, tempus inquam id non facere admonet, vt primus ego huiuſce ignauiæ confeſſionem præſtem tibi, in quo ſemper maxima pars agendorum ineſſe conſueuit. En parum iam autumni ſupereſt, vix delectus conficietur, vix cæteris ad oppugnationem neceſſarijs expeditis appropinquabimus muris, quod hyberna nos intemperies cum multis circumueniet incommodis, cum cœlo, cum terra pugnandum erit. Imbres, glacies, niues, cupidum laudis militem tardabunt, & tutabuntur hoſtem. Nam licet incommodum ad omnia, iniquiſſimum tamen oppugnationi vrbium eſt id anni tempus, quippe quum non paria nobis impedimenta cum hoſtibus ferat. Muris incluſi illi, tectiq; munimentis decertabunt nobiſcum, & in affluentia omnium rerum facile altera manu pugnabunt, altera inſtaurabunt vires, nobis pertinacia ſola, & prodigis animis vtendum erit. Quod enim ad tormenta attinet, vidimus ſatis tum in Sfetigrado, tum cæteris vrbibus, quàm parum in hiſce ſit momenti, & hoc ipſum hyemis tempore minime futurum. Quare fugiendos ego maxime hos inanes conatus, & militum perniciem cenſeo, atque tempus fortibus etiam viris, ſicut nautis expectandum iudico, non detrahet hæc ceſſatio de animis noſtris quippiam, non hoſti addet. De Perſico bello (ſi efferre liceat quod ſentio) parum omnino ipſe ſpei in ea re hodie pono, aut fama tantum vana eius belli erit, aut in aptius anni tempus eos apparatus reijcient Perſæ. Sed non ideo, ſi magis è dignitate, & vtilitate omnium ea ſententia videtur tibi, cōſilia tua impedimus. Sequemur cupidiſſime quocunq; nos duces, aptabimus ſermones, dexteras, tempora ipſa ad tuam voluntatem. Mites tecū niues, mollis bruma, & leniſſima omnia ſunt futura, neque labores, incommoda, aut periculi genus vllum ſub tuis nos grauabit auſpicijs. Facile Caſtriotus voluntate ſuorum animaduerſa, vt popularis erat, præſertim quod & vera multa dicebantur, in eam ſententiam ſe trahi paſſus eſt. Relicto itaque concilio, & dimiſſo milite, omnes domum redire permiſit, ipſe cum Ameſa & paucis equitibus Petralbam perrexit. Ibi nanque principio æſtatis vxorem reliquerat, id quod & omni deinceps imperij tempore fecit, vt per æſtatem autumnumq;, illic ſolatij cauſa, reliquo tempore Croiæ maneret, præterquam in aduentu Mahumetis,

Vranacontes reſpondet Scanderbego.

Tempus fortibus viris ſicut nautis expectandum.

vel immodici cuiuſpiam exercitus, quum de ſumma rerum, & imperij ſolicitus, Colchinium maritimam Venetorum vrbem, vel in alia longinquiora oppida cum omni familia & preciosiore ſuppellectili commigrabat. Planicies erat ſub caſtello ipſo præcipuæ pulchritudinis, tum ob amœnitatem naturæ, lociq́ miram, tum exactiſſima hominum cultura, & accolarum diligentia, non arboris, non vitis, non frugis, non rei vllius egens, quæ tellurem vel beant, vel ornant, Ibi cum familia, & longis de more puellarum ordinibus, ac regijs ſeruitijs domina eam anni partem agebat. Circum planiciem ipſam ſaltus vndique inacceſſi, & anguſtiæ mõtium erant, per quas Scanderbegus crebra armatorum agmina ad cuſtodiam eius aſſidue tenebat. Et oppidum ipſum viris, armis, commeatu ad omnes caſus fortunæ egregio inſtructum. Paucos ibi moratus dies Croiam illam reduxit, neque Croiæ poſtea quietis aliquid permiſſum, nanque haud falſus vates Vranacontes fuit. Aduolarunt mox alij atque alij nuncij, reſediſſe Perſicum bellum, motus omnes compoſitos, & extinctos, & exolutum penitus ea cura Tyrannum, arma conuertere in Epirum dicentes. Turbauit ea res audita Scanderbegum, ſed armis opus eſſe, atque conſilio, non indignatione inquiens, licet haud ſatis venturum tam alieniſſimo tempore hoſtem crederet: tamen Croia diſcedens cum quinquaginta non amplius viris ad Moſem & præſidium ire contendit, certius ibi ad agenda omnia conſilium probaturus, vera vt relata fuêre ſingula inuenta. Quare impigre lato decreto, & ſcriptis quinque amplius hominum millibus, in Dibram ſuperiorem, vbi caſtra & ſtatiua tenere conſueuerat, ſe recepit, admonito Moſe cæteriſq́, ne aliquid mouerent, priuſquam ſe cum copijs vidiſſent. Vix inter hæc apparanda, & hoſtis aduentum decem abiêre dies, memor mandatorum Caſtrioti noui caſtelli præſidium, tormentorum crepitu venientium inſidias detexit. Salutare id ſignum primo ab agreſtibus acceptum, tum à Scanderbego ſatis tempeſtiue, qui ſublatis per noctem ſignis, copias hoſtem verſus quo cautius poterat, mouit. Moſis nulla tum opera fuit. Nam quum ab alia parte multis millibus paſſuum procul ab eo veniſſent hoſtes, ipſe aſſignati ſibi loci cuſtodiam cum præſidio relinquere noluit, ne ſi vel victus, vel victor fuiſſet hoſtis, vacuam eam partem defenſore inueniret. Eam ipſam noctem & Barbarus ad iter ſuum celeritatem adhibuit, 12. hoſtium millia erant, nam plurium opera per id temporis vti Mahumeti non eſt viſum. Et hi ipſi equites omnes, & ad inferendas & propulſandas iniurias aptiſſimi electi. Noſtri dimidiati ferè pedites, & equites fuerunt. Extrema quaſi deficientis iam noctis reſtabat pars, quum Scanderbegus obſeruato per exploratores Ameſæ aduentu (id nomen præfecto erat) ſilenti admodum agmine Modriſſi partem occupat. Turcæ ignari, Mocreo monte ſuperato, vallem interiacentem ingreſſi, Modriſſum

Colchinium maritima Venetorũ vrbs.

Noui ex Adrianopoli motus & fama belli Mahumetis in Scanderbegum.

Incurſio hoſtis per Epirum: Concurſus Scanderbegi in eum.

conſcendere parant, vt inde ad interiora prouinciæ præteruecti, cõmodius captarent Scanderbegum, & res prouincialium vaſtarent. Pars iam conſcenderat locum, & impliciti inter ardua montis, anhelantibus equis euadere in iugum conabantur. Sequebantur alij, multi adhuc vallem non exierant, quum ædito ſigno, & clamore ſimul ingenti ſublato, Epirenſis ſuperne veluti ruina quadam fermè feſſos, equosq́ virosq́ inuadit, obruit, proſternit. Peditatum penè omnem in principio obiecit, ne in eo aggreſſu & habitu loci, equites ſuo ipſi impetu in præceps ruentes periclitarentur. Prima igitur laus, & maxima pars victoriæ peditum fuit. Turcæ qui montem conſcenderant, abiectis illico haſtis, gladijs ſe defendebant, ſed vix ſubſiſtentibus equis incerti hominum ictus, inualidæ manus erant. Noſtri ſcutis tecti, equos primo, tum viros non difficulter ſternebant. Multi in eo genere periculi iumentis relictis, aut pedites pugnabant, aut in ſubiectam vallem ad ſocios fugiebant. Ameſa noſter cum equitum robore à patruo ab alia

Duo Ameſæ, alter præfectus Turcarum, alter Epirenſis.



parte montis, qua deſcenſu facilior erat, miſſus, iam aliud in anguſtijs vallis ordiebatur prælium. Lux interim paulatim exorta, cæteros quoq; equites qui cum Scanderbego erant, deiectis prius hoſtibus, in planum reduxit. Pedites alij ſequuti ſunt equos, alij radices montis non reliquêre, ſed inde depromptis ſagittis diſſipatos inceſſebant. Caſtriotus ab vna parte, qua liberior exitus erat hoſti, fugientum terga acerrime cædebat. Ameſa à parte altera ab Ameſa obſeſſus noſtro, vbi iam neque victoriæ, neq; effugij viam vllam vidit, monenti id ſedulo Epirenſi, mœſtior abiectis armis fidem eius ſequutus, manus multo pudore vinciendas obtulit. Plures quoq; alij eo pa-

Ameſa Turca capitur.

 cto ce-

cto cedentes fortunæ, finem vulneribus & certamini fecère. Expedita victoria, milites ad ſpolia colligenda, & diripienda impedimenta verſi, ſigna militaria omnia capta, hominũ 7. millia cæſa inuenta, equi ex maiori parte confoßi, & deformati. Noſtris paruo admodum ea victoria ſtetit, nanque 30. ferè, aut paulò minus deſiderati. Ameſa dux, Ameſæ noſtro à patruo belli iure conceſſus, qui vinctus cum cæteris, & parte prædæ ſignis præſertim captiuis, Croiam ducendus ei traditus eſt, reliqua militibus conceſſa. Caſtriotus aliquot ibi moratus dies, dum fines hoſtium de more percurrit, dum militem dimittit, ſoluitq́, dum ſingula videt, ordinat, procurat, nundinis ipſis natalicijs in vrbem venit. Venientem turba ſenioribus magno numero & nobilibus immixtis obuiam extra portas progreſſa, multis gaudijs, plauſibusq́ excepit, publice priuatimq́ ingens vltra conſuetudinem lætitia exorta. Quod iam fœlicia auſpicia bene gerendi de Mahumete quoq; ſumpta dicebãt, eandem profectò, eandem eius quæ patris fuiſſet fortunam aduerſus Epirotas Scanderbego duce futuram affirmantes. Cognitũ nunc, cognitum ſatis ferox Mahumetis ingenium, & animum illum extra mortalium aleam poſitum, præſertim tributi mentionem nuper ab eo factam commemorantes. Ita ex ſumma aliqua delibatione rerum, ſecunda, media, & vltima quæque interpretantur imperitiora iudicia vulgi, præſertim ſi eodem & deſiderium ipſorum, & fortunæ ſponſiones tendant. Caſtriotus in ea temporis & rerum feſtiuitate, neque hoſti ipſi iniquus, ſolui captiuis vincula, & duci ad ſe Ameſam iußit, habuitq́ domi in conuiuijs ſecum, & humaniter, & honorifice inuitatus, vt ipſe quoque quam præbuiſſet, victoria frueretur. Sed rogatus primum omnium à Barbaro eſt, vt aliquem ex captiuis concederet ſibi Adrianopolim mittendum, ad monendos ſuos de eius captiuitate, & precium pro redemptione afferendum, quum diceret illos, qui ex ea clade ſuperfuerunt, ignaros fortaſſe eius ſeruitutis, credere illum cum cæteris cæſum, nihil Barbaro negatum. De pecuniæ ſumma pro liberatione omnium in 13. aureorum millia conuentum. Dimißi itaque duo, qui captiuorum cauſam agerent, cum vno ex noſtris, donec in tutum à prouincialium iniurijs educerentur. Allatus interea ad Tyrannum de ea ſtrage nuncius, & viſæ ſuorum reliquiæ ſine duce, ſine ſignis, & ſine armis, multum priuati & publici doloris eo ſpectaculo incuſſerunt. Mahumetes per cunctatus ſingula, regia vanitate, ex vi indignationis in ſolita conuiuia prorumpens, multum & laudi noſtrorum detrahere, & excuſare fortunam ſuorum eſt conatus. Mouitq́ longe acrius illiberalem principem noua legatio ab Ameſa miſſa, quã audita, viſaq́ nuper ſuorum calamitas mouerat. Quamobrem nunc eam cladem illi imputando, quod ſtolide exercitum per noctem, & eas locorum anguſtias tractum amiſiſſet, nunc tacite perfidiam, & ignaua conſilia accuſando, facile prohibuiſſet

Caſtriotus humaniter tractat captiuũ Ameſam.

Pecuniæ pro redemptione captiuorum.

Turca cladẽ imputat Ameſæ.

quicquam

quicquam pro ea redemptione decerni, tantum ingenioſa eſt ad opes tuendas auaritia. Sed circumfuſi purpurati, & conſanguinei captiuorum, non iniquis rationibus precibusq́ appoſitis, Tyranni animum illis conciliauêre. Contendentes non poſſe ex aliqua parte anteactæ vitæ id obijci Ameſæ, eamq́ inuri ſuſpicionem. Præterea non ſolum in ea fortuna eſſe, ſed alios plerosque fortiſsimos viros, neq́ ſpernendam tam miſerabilem cauſam ſociorum. Quippe quum cæterorum animi eo pacto offendantur, deterreanturq́ poſthac à rebus agendis tam duro illius imperio, neminem in poſterum in expeditiones iturum, ſi ita inſidiarum, ſi quid durius acciderit, vel ignauiæ inſimulent. Excuſatam ſemper eam belli fortunam eſſe debere. Inuen- Auaritia ingenioſa ad opes tuendas.



ta proinde ocius pecunia, & data legatis. Adhæc & alia multa dona ab eis priuatim parata, & allata ad Scanderbegum ſunt. Pecuniæ maiorem partem Caſtriotus nepoti numerari iuſsit, reliqua militibus qui aderant erogata, & Moſi diuidenda in præſidium miſſa, ſed non illiberalior patruo nepos, vix ſibi quicquam ex conceſſa pecunia retinuit. Identidem ipſe cum amicis omnibus tum periculi ſocijs omnia in medium contulit. Hoſtibus exoluto precio, libera abeundi poteſtas facta, & ad eorum arbitrium diſceſſus relatus. Mœſtior quaſi Ameſa diſcedere viſus eſt, & priuſquam abiſſet multa cum Scanderbego de ingenio Mahumetis, & ratione gerendi belli tacitè colloquutum dicunt. Diſcedentibus, pleraque dona cum multorum dierum cibarijs data, & cuſtodes plures ad educendos eos vſque ad imperij limites attributi. Priuſquam Ameſa Adrianopolim veniſſet inſtaurari iam eius copiæ, & ſuppleri numerus amiſſorũ cœptus fuerat Humaniter dimiſſus Ameſa.

Debreas iuſſu Tyrãni inſtauratis Ameſæ copijs, & ſuppleto militũ numero, in Scanderbegũ ſigna mouet.

à Debrea quodam audaciæ maximæ viro, neque ignaro militiæ, qui nimis ſolicite id negocium tum ſibi demandari contenderat à Mahumete, multis inanibus promiſſis regis animum augere conatus, & ad victoriæ ſpem traducere, omnia ad ingenium ſuum, omnia ad conſilium, & nihil quicquam fermè ad fortunam referendo. Illud tamen, non depugnaturum ſe totis viribus cum Scanderbego, ſed auſpicia ſaltem non ingrata victoriæ ſumpturum promittens, neque de maioribus copijs vlla eum cura inceſſit, niſi quot Ameſa habuiſſet, velut æmulatione quadam viri, vt pari, & eodem fermè milite fortunam reſtituiſſe diceretur. Sed neque ſolus id Debreas poſtulauerat à Tyranno, verum à pluribus alijs difficilis id laudis genus petitum. Nam quo maius apud Barbaros Scanderbegi nomen erat, & inuictæ cuiuſdam fortunæ fama, ita & fortiſſimi quique, vel nominatiſſimi erant, velut candidati aliqui ad præcipuos quoſdam faſces honorum, & gloriæ promerendos confluebant, augente maxime ea ſtudia hominum principis diuulgata liberalitate, qui honorifica iampridẽ præmia ſtatuerat victori. Ameſa viſus, auditusq́, multum de eis conſilijs immutauit, nam ita commendatione aſſidua, neque vana res noſtrorum, & ducis virtutem extulit, vt & Debreem penè pœniteret expoſtulati officij, & rex propior iam ad reuocandum decretum videretur, magis tamen è dignitate imperij viſum Ottomano augere copias, quàm vel operam Debreæ arguere, priuſquam experta foret, vel inultam pati Ameſæ captiuitatem, & recentes iniurias ſuorum. Addita proinde ad illud ſupplementum alia tria equitum millia. Ita Ameſa dum officioſus laudator, & gratus amico, alioqui & hoſpiti virtutes Scanderbegi edocet, iniquus penè illi fuit, vel autor potius maioris laudis, & cumulatioris victoriæ. Paratis omnibus ad proficiſcendum, & commotis fermè copijs, pluuiæ crebræ, & ingentes per aliquot integros dies delapſæ, tardârunt aliquantiſper deſideria militum. Ceſſantibus imbribus, & miteſcente quoque ipſo anni tempore, veris aduentu, iter impigre arreptum. Eadem ipſa temporis ratio Scanderbegum etiam è Croia in caſtra euocauerat, ad conſultandum cum ſuis & decernendum de his, quæ omiſſa propter hyemis incommoda in mitiorem partem anni reiecta fuerant. Quare fama omnis de eo apparatu, & aduentu hoſtis eum in Dibris cum Moſe inuenit. Quamobrem maxima celeritate (vt par erat) adhibita ſeptem amplius hominum millia illico confecit. Neque hic mirari quempiam oportet de tam ſubitario apparatu noſtrorum, & incredibili propè velocitate in conficiendo exercitu. Nam Scanderbegus magnam partem vectigalium ſuorum, villarum præſertim, vel vltro nullo prouocatus beneficio, vel in præmium virtutis proceribus ſuis quibuſdam conceſſerat, ea lege, vt ingruente belli neceſſitate, varia pro qualitate cuiuſque, militum præſidia impendere ſedulo deberent, & ipſi quoque corporibus ſuis

Velocitas in cõficiendo exercitu vnde fuerit Scanderbego.

omnibus

omnibus agendis pro eius arbitrio intereſſent. Hi itaq; ſemper ita inſtructi ſtabant, vt nihil penè præter ducis nutū expectarent. Præterea cæterorum prouincialium, agreſtium præſertim, magnus numerus, velut certa conſuetudine regionis, ſequi eum ſine commodo aliquo ſtipendiorum tenebatur. Prædæ demum cupiditas eam ſemper vim militum excitabat, vt nullum melius edictum, nullum aptius claſsicum, vel ſtipendia accommodatiora viderentur ad multitudinem conducendam. Quare ex hoc ſatis & illud cuiuis intelligere licet, quod ſæpe nimis multos querentes audiui, quomodo Caſtriotus ad tot quotidie reparanda bella ſuffecerit, quum non ea fuerit vis vectigalium, ac tributorum, vt alere tamdiu militem poſſet. Verum enimuero, & ſi non ille prouinciæ mos, non ea cupiditas, & ratio prædæ, communis tamen periculi reſpectus, tum & ipſa dexteritas ingenij, ac fortuna ducis, omnibus facile in manus arma dediſſet. De ſtipendiarijs auxilijs, & mercenario milite, multum momenti in Romanis Pontificibus, Regibus Apuliæ, & alijs Chriſtianis principibus erat, à quibus quotidie bellorum (vt aiunt) nerui non deerāt. Debreas ſuperata iam maxima parte tractus Tribalorum (Bulgariam vulgo appellant) Pologum attigerat, locus eſt ita vocatus ab incolis, vel regio potius eiuſdem Bulgariæ Barbaris parens, non multum diſtans à finibus Epirotici imperij. Id vbi nouit Caſtriotus, ſternere ocius equos, & infrenare iubet, tum equitum ſex millia ſeligit ſecum ducenda (nam in ea rei celeritate peditum non ſatis commoda, & inutilis opera viſa) reliquos cum veteri præſidio Moſis ordinatis, quæ in rem videbantur, dimiſit. Dibrenſem priuſquam ipſe mouiſſet cum decem equitibus ad obſeruandum aduentum. & exploranda conſilia hoſtium impigre præmiſit. Reliquæ copiæ pone cum eo ſequutæ. Conſederat Barbarus in campeſtri loco quodam ipſius Pologi lucem expectaturus. Mocreus ab vna parte mons noſter, ab altera oppidum Turcarum, Scopiam dicunt, terminabant planiciem. Erant & duo alij montes cingentes planum, inſignis altitudinis, quos nunc peculiariori vocabulo, montes Pologi audio appellari. Moſes ſingula commodiſsime contemplatus (luna enim pernox erat) facile Caſtriotum de omnibus exactiſsime admonuit, qui noctis maximo beneficio vſus, ingenti feſtinatione procedere militem iubet. Nondum Mocreo relicto planiciem intrauerant, quod mutatum repente cœlum eſt, tenuiſq; primo cecidit pluuia, & irrigari leniter cœpta agmina, tum paulatim accreſcentibus imbribus, tonitrua, & corruſcationes ſequutæ, cum magna vi ventorum. Steterat iam ſignifer, & exorto horrore quodam inter homines, alius alium reſpicientes veluti ſiniſtrum omen dolebant, quum Epirenſis irridens ignauiam, & inanem ſuorum trepidationem, progreſſus ad primos manu ſua ſigniferos impingit, iniquos interpretes ſibi ipſis appellans, ac eo maxime

Bellorum nerui Scanderbego à Chriſtianis Princip.

Debreas venit in Epirum.

xime

Epirenſis ſermo ad milites

xime tempore vtendum inquiens, & properandum in hoſtem, quum non ſatis ille crederet venturos. Præterea inſtabilitatem eam veris eſſe, Martij præcipue menſis, priuſquam adſit congrediendi tempus, limpidiſſima omnia (vt pauloante fuerãt) & quietiſſima habituros, ſic exhilaratus miles, ac omine pro ſe accepto inuicem ſe adhortantes animum quoque duci auxêre. Iam & propinquitas ipſa, & expurgatum (vt Scanderbegus prædixerat) nubibus cœlum, ac lucidioribus radijs progrediens luna venientes detegebat. Quum trepidus primo hoſtis paratis tam ad pugnam, quàm ad fugam omnibus, dubius aliquantiſper fuit, an expectaret. Ad timorem multum nox faciebat, & fiducia ipſa noſtrorum, quod tanto animo progreſſos aduerſus ſe extra proprios fines videbant. Ad audaciã autem econtra id exhortari videbatur, quod non in hoſtili ſolo ſe noſcerent pugnaturos, vbi vel inſidiæ, vel fraus aliqua à tergo timeri poſſet, ſed illud præcipue, quod multitudine ſuorum, & eo militum robore fidebat, & quod turpis admodum fuga tot millibus hominum conglobatis, vel cuiuis ignauo videri par erat. Dato igitur ſigno Debreas memor promiſſorum ſuorum, & conſiliorum Tyranni, ad animandos acrius viros, nunc ad hos, nunc ad illos procurſans, clamabat:



Adhortatio Debreæ ad ſuos ad fortiter pro victoria pugnandum.

Adeſte, adeſte vos veteres milites. En egregiæ vltionis, & vindicandi amiſſi decoris tempus, vlciſci vincula, & cladem ſociorum, vlciſci ſanguinem ipſi veſtrum poteſtis. Properant nocturni bellatores, afferunt iam cathenas (vt videre videor mihi) ad manus veſtras vinciendas. Ameſam hic credunt inuenire vrbanum hoſpitem ſuum, credunt Mocreas hic valles, & inuios Modriſſi ſaltus, ac aſſuetas prædonibus latebras ſecum futuras.

turas. Domi fermè (vt videtis) in rerum omnium ſecuritate affertur pugna, numero longe ſuperiores ſumus, virtute etiam, ſi vos velitis, locus ad equeſtre certamen non aptior vllus. Quod ad me attinet, aut vnà expirabo vobiſcum, & inter chara ſociorum cadauera liber ſaltem, licet infœlix conquieſcam, aut ea vobis adiutoribus efficiam, quæ ſeuera Mahumetis iudicia non arguant. Non Croienſes pueri irridebunt vincula, non ſtudioſi clementia hoſtis appoſitis epulis, & eſculentorum ſuauitate ſeruitutis turpidinem leniet. Quare agite, quiſque priuatum & publicum induat animum, voſq́ cæteri, quos ipſe mihi optaui, & manu fermè mea elegi vltores, reſtitutores fortunæ ſociorum, memineritis quæ ipſi promiſſa mihi, quæ propter vos ipſe dederim Ottomano. Nemo enixius hoc muneris petijt quàm nos, nemo cupidius accepit, nemo vel laudem & præmia ampliora (ſi vincimus) vel ſuperbiores vultus, & moleſtiora ludibria (ſi vincimur) expectare debet.

Simul hæc dicens, immiſſo in venientes anteſignanorum agmine, vt impetum eorum aliquantiſper tardaret, dum ſtabilius conſilium ipſe iactandæ totius aleæ ſumeret, init paulatim pugnam.

Scanderbegus contra: Proh pudor milites, inquit, ſumpſere iterũ in vos arma, ſumpſere animos captiui veſtri, adſunt turpes reliquiæ illæ Ameſani exercitus, dolẽt, conqueruntur vos malos conuiuas fuiſſe, nam optimi conuiuæ erat ita agere, vt nihil eſſet reliquiarum. Adeſt & nouus miles cum nouo (vt video) duce: quid aliud, quàm nouum gloriæ genus? Vincite (vt conſueuiſtis) non dicam pugnate Epirenſes, ne ſi per ſocordiam vel ignauiam noſtram hodie ex tam diutina, ac recenti admodum poſſeßione illa fortunæ deijciamur, Modriſſum, & Mocreas valles, non vos ſe viciſſe dicant hoſtes. Aperto campo, aperta appareat virtus, non peditum vos cura tardat, non impedit. Expeditißimi omnes ſumus, nihil præter ferrum & hoſtes, numero fortaſſe ampliores. Sed iacentes (niſi me ſpes fallit) eos melius curioſi virtutis veſtræ exactores numerabitis. Adhortatio Caſtrioti ad milites, vt fortiter, pro victoria decertent.

Inter ea dicenda maxime procurabat, vt conglobatus ſimul ſtaret miles, ne ordines confunderentur, ac diſcrimen hoſtium periret, præſertim quod dißipati pauciores à pluribus facilius circumuenirentur. Tamen progrediens in ſe hoſtile agmen, haud ſatis fretus anteſignanorũ ſuorum robore, Moſe, & Ameſa cum egregia virorum manu ad primos immiſſo excepit: veritus ne ſi labaſſent ibi prima auſpicia pugnæ, timor aliquis inter ſuos ſuboriretur, & audacia, animiq́ creſcerent hoſti, reliquas turmas connexas multo ſilentio, & ordine tenuit. Barbarus identidem, vel noctem timens, vel ad noſtrorum tenorem conſilia ſua accommodans, nihil quicquam mouit, Sed iunctißimis & ipſe ordinibus velut ſpectator ſtabat. Ita ſingularis quoddam certaminis genus, congreſſus ille anteſignanorum vi-

k deba-

debatur. Et ſoliciti vtrinque exercitus, ſubeundæ pignora fortunæ pendentibus animis expectabant. Sed non longum id ſpectaculum fecit Dibrenſis, qui velut procella irruens in medium illorum, occiſis fortiſſimis quibuſq;, facile cæteros impulit in fugam, ac omnium immemor præ animi ardore iam fugientes in mediam hoſtium aciem inſecutus fuiſſet, ni Ameſa reuocato milite, dictis ſimul factisq; furorem eius inhibuiſſet, ac retraxiſſet ad ſigna. Erat Moſes vel militaribus, vel imperatorijs virtutibus maxime mirabilis, ſed cruentato ſemel ore, ac erectis (vt aiunt) criſtis, impatiens animi, ac modicum ſibi imperans. Quare reprehenſum nunc à Scanderbego ferunt, & admonitum, modeſtius audacia ſua, conſultius victoria vteretur. Excuſabile id in turmali quopiã, & priuato milite, in duce vt perniicioſum, ita maxime reprehenſibile, & peſſimi exempli fore. Cæterũ huius me viri dignitas admonet, vt pauca de eius origine in præſentia breuiter delibem, quæ huiuſmodi ferè ſunt:

Modeſtius audacia, conſultius victoria vti.

Moſes, qui à Dibris dictus eſt (eò quia Dibras incolebat, vbi Scanderbegus multa ei prædia, magnamq; agri partem donauerat) & etiam aliàs, Moſès Golemus Arrianithis cognomento appellatus, natione Epiroticus Valmorum ciuitate Epiri oriundus, patre Muſachio, matre Voiſlaua. Cui Muſachio duo fuère fratres, Arrianithes ſcilicet Golemus, ſiue Comminatus, Scanderbegi ſocer, de quo ſuperius ſatis diximus, & Vladenius Golemus Arrianithis, qui Muſachium Angelinæ filium à nomine matris, aliàs Golemi Arrianithis cognomento nuncupatus, ex Angelina Scanderbegi ſororis ſuſceperat. Hæc obiter de Moſe ſint dicta, quare vnde egreſſi ſumus, redeamus.

Cæteræ copiæ ea viri audacia defixæ paululum, & immotæ ſtetère, hoſtes immodice ea re deterritos, tum demum frequentius, certiusq; de fuga conſilium inceſſit. Tamen nihil aliud per eas tenebras moturos noſtros credentes, & reliqui fortunam certaminis in lucem dilaturos, manſere, præſertim, quod præter ignominiam, periculoſam fugam ſibi per eam incertitudinem noctis videbant. Scanderbegus quoque maxime fluctuatus animo eſt, an diem expectaret, vel eam victoriam ſequeretur. Nam fefellit eum ſpes primo, quod improuiſos hoſtes, & inordinatos (vt Ameſam prius inuenerat) adoriri putauit, & poſtea propter eam fortunam anteſignanorum ceſſuros facile credidit, & terga daturos, ſeq; fugientes inſequendo, incruenta ſuorum victoria vſurum. Sed vbi egregie ſtantes, ac velut conſultantes aduertit illos, rupta omni mora, & edito vndique ſigno in eos fertur: dum recens eſt hominum timor, dum recens cruor, vtendum fortuna, inquiens, ac interrumpenda fugæ conſilia hoſti, quippe qui nihil aliud mente agitet, & obſeruet, præterquam quomodo tutus, liberq; ex oculis euaneſcat. Segnius occurrentes ſuos De-

os Debreas ad primos prouolans tum verbis, tum audaciæ, ac propriæ virtutis exemplo multum animauit, repreſſusq́ pertinaciter eſt impetus no-

Debreas animat ſuos.



ſtrorum. Sed quum permiſceri acies vererentur, haud ſatis cruentum aliquantiſper certamen fuit, donec vnus ex Muſachijs cum parte equitum à ſiniſtro cornu miſſus, ad laceſſendos inde hoſtes, turbandis eorum ordinibus initium dedit. Scanderbegus vrgens aſsidue eos, qui in fronte aderant, præfectum maximo ſtudio aucupabatur, & iuſſerat quoſdam ex ſuis, multis allectos promiſsis, vt hominem obſeruarent. Hoc peculiare illi in omnibus prælijs aiunt fuiſſe, vt à ducibus captandis, & tollendis, prima ac potiſsima conſilia victoriæ ſumeret, dicereq́ ſolitus erat, caput ſemper primum incidendum, cæterum corpus per ſe ruere, perireq́: neque noſſe ſe genus vllum animantis in vniuerſa natura, quod capite ſublato ſuperuiuat.

Peculiare Scanderbego in prælijs à ducibus captandis & tollendis.

Sed turbauit parumper ea conſilia Caſtrioti motus ille à Muſachio excitatus, nam relicta fronte in qua ſtabat Debreas, mox ad illam partem conualuit, vt expulſo hoſte, reſtitueret ordines viris, doceretq́ per ludificationem vſque in lucem valentiorem impreſsionem, vltionemq́ protrahendam. Senſit ſtatim hinc miles abeſſe ducem, nam laxius pugnare iam, ſegnius reſiſtere noſtris, & pelli intra ſigna facile patiebatur. Moſes ſtupentibus ſingulis, præterlatus inter denſiſsimos illorum, auulſum ſignum è Barbari manu ad ſocios proiecit, ita ingentiores irarum, ac veluti æmulationis cuiuſdam ſtimuli hominibus iniecti. Procurſum vndique maximo ardore in apertum periculi diſcrimen. Multi iam Moſes paſsim, multa ſine ſignis Turcarum agmina, ac vix vſquam bellantium vultus, ſed terga

tantum fugientium apparebant. Oblitus diſciplinæ, & ordinum ſeruandorum, oblitus compoſitæ ludificationis, Debreas citato illuc equo plenus indignationis ſimul & timoris aduenit. Reuocantem ſocios, ac inſtaurantem enixe prælium intentus iampridem Epirenſis, ſumma pectoris lancea rimatus transfixit, labente ſubter mentum ipſo ferro, quod dum reflexu capitis Barbarus vitare cupit, totum accepit, finis idem viri, & certaminis illius fuit. Prolapſum ex equo ſui tantum tutati, dum viuum putant, & reſilire in equum expectant. Sed vbi immotum cadauer conſpectum eſt, neque qui fugam multitudinis increparet, manſit, verſis (vt aiunt) proris, ſigna pariter omnia, caſtra, impedimenta, ſocij, hoſtes eodem tenore relicti. Ameſanus non immemor Modrißi, & recentis documenti noſtrorum, ſicut in hoc prælio maxime cautus, & ſtudioſus ſalutis, ita primus in fuga fuit. Exorta lux, licet certiorem eam fugam viris, cruentiorem tamen fecit. Nam Muſachius ab vna parte, Moſes ab altera effuſißimis habenis in eos proruentes, plures fermè inter fugiendum abſumpſere, quàm inter pugnandum ceciderant. Nonnulli eo pacto & viui in poteſtatem venêre. Quum afflantem penè humeros hoſtem claudere diutius nequirent, neque ad reſiſtendum, vel glorioſe cadendum, virium, aut animi quippiam eſſet. Amplior adhuc multum ea victoria fuiſſet ſaltem propter numerum vulneratorum, ſi aliquod ſagittariorum agmen habuiſſent noſtri, ſed præter ſcutum, haſtam, gladiumq́ aliud non aderat viris. Demum vbi intrantibus intima regionis Barbaris, periculoſior fermè ſequentibus, quàm fugientibus ea perſequutio eſt viſa, firmato gradu Scanderbegus, & collectis ſocijs, captiuisq́, ad ſuos multa lætitia, nullo amiſſo, neque violato ſe recepit. Cæſa eo prælio hoſtium 4. millia, 120. Noſtris (vt conſueuerat) donata, non empta victoria. Præda iuſſu Caſtrioti in medium congeſta, & diuiſa eo decernente inter milites eſt, ne deterior illorum cauſa eſſet, qui neglecta direptione caſtrorum, ſpolijsq́ de occiſorum corporibus prætermißis, & neglectis in fugientes continuauerunt eum furorem belli, & laudem victoriæ. Equum Debreæ cum vniuerſis armis manu fermè ſua ipſe multo decore verborum tradidit Moſi. Alijs alia, & nonnullis captiui conceßi. Muſachio adoleſcens quidam Barbarus egregiam quandam indolem & generis & animi præ ſe ferens. Sed non illepida contentio mox inter dominum & captiuum magna audientium voluptate orta eſt. Nam quum pro redemptione ſua verba mouiſſet iuuenis, & de quantitate pecuniæ Muſachij voluntatem ſciſcitaretur, conuentum tandem eſt in ducentos aureos, quos ſtatim Barbarus deprompto ſacculo numerauit, petentem poſthac libertatem Albanus irriſit: Aliunde parandum precium inquiens, iniquum fore, vt propriam ipſe rem pro ea redemptione cogatur accipere, & pecuniam, & quicquid cum eo captum eſſet, ſibi nuncupari,

Debreas trãs figitur à Scanderbego.

Verſis proris, prouerb.

Barbari in fuga necantur.

pari,& in eandem cum corpore rationem venire. Neque ſeruum belli iure ſeruare aliquid ſibi liberum potuiſſe. Inſtare ille nunc ratione, nunc precibus, vt ſe mitteret. Poſtremo res ad Scanderbegum deducta eſt. Qui de induſtria vtroque dicere iuſſo conuerſus ad milites: Bellum, inquit, profectò controuerſiæ genus iſtuc eſt. De re mea vterque iſtorum litigat, neque pecuniam quam ignorabamus, donauimus Albane, neque abuti tu per hanc fraudem beneficio noſtro debuiſti adoleſcens, vtpote, qui planè ſcires vel ſpiritum iſtum ipſum ad arbitrium alienum precarium ducendum tibi, nedum in alijs viris quippiam relictum. Cæterum neque ego etiam ipſe arbiter in cauſa propria iure eſſe poſſum. Sed quis non aptiſsime iudicet in negocio libertatis? Et iura omnia belli, omnes militiæ ſanctiones cenſeat eius fauore ſeponendas? Damus cuncta nos tibi ſcientes volentesq́ Muſachi. Tu libertati hominem vel naturæ potius reſtitue, ſi tamen aliâs vnquam in hanc rationem apud te venerit, ex omni arbitrio tuo, & animi ſententia in eum libere acturus. Sic lætus iuuenis accepta libertate, equo etiam, armisq́ ſibi à Scanderbego redditis, exclamans aſsidue eam libertatē, & Dijs omnibus, ducem, ac Epiroticum nomen cōmendans, dimiſſus abſceſsit. Noſtri collectis impedimentis, deficiente iam die, in Dibram conceſſere, ibi deducta aliquantulum in medium illa conſultatio de oppugnatione vrbium, ſed facile decretū, vt expectaretur quid acturus eſſet Tyrannus poſt eam cladem ſuorum, ne vel inania ſtatim, vel periculoſa ea conſilia experirentur. Statuti igitur duo ſunt menſes ad eam rem indagandam, & ſpectatores vndique maximo ſtudio emiſsi, licet vix vllo tempore transfugæ ex Adrianopoli & alijs locis deeſſent. His ſic peractis, ac exercitu ſoluto, Moſes ad præſidium, Scanderbegus Croiam cum Ameſa & reliquis purpuratis ire perrexit. Redierat interea ad Mahumetem exercitus, licet miſerabili facie rerum omnium, nihil tamen vſquam miſericordiæ inuenturus. Turbauit nanq; primo regem, tum & cæterorum animos tot hominū fuga, quos ſatis deperditam quanq; belli fortunam reſtituere potuiſſe dicebat. Deinde vbi de ſingulis interrogauit, & quibus locis, & quibus cum hoſtium copijs pugnatum eſſet, vehementius exarſit, ac abire illico ex oculis increpans aſſidue, ac eam deteſtans ignauiam, iuſsit. Debreæ quoq; caſus plus fermè lætitiæ, quam doloris ſui generis hominibus attulit, qui vel virtuti inuidebant, vel oderant audaciam, & magnitudinem animi. Ameſa adeo verum ſe vatem fuiſſe dolens: Recte inquit, fecit ſucceſſor noſter, qui promiſſorum ſuorum exactores noluit expectare, habeat tamen ipſe ſibi eam laudem, & glorioſæ pompa mortis fœlix gaudeat animus. Ego nihil inuideo, tum etiam & excuſare fortunam ſuam, ac ſuorum fugam cupiditate abolendæ ignominiæ audacius occepit. Minoribus ſe multo copijs, inſidijs quoque inter inacceſſos montium anfractus, & anguſtias locorum, à pedite, rigentibus

Perturbatio Tyrāni ex aduentu reliquiarum Debreæ.

 tibus

tibus prꝛterea glacie ac niue omnibus circumuentum, Debream paria omnia cum hoſte, copias autem dimidio maiores habuiſſe. Sic tacite, ac veluti neceſſario eò decurrebatur, vt vel ita volentibus Dijs, vel militum & ducis virtute, inuictam rem noſtram dicerent. Mahumetem eo rerum miraculo perculſum, ſtupor quidam nō ſine inceßione timoris inuaſerat, vix fieri poſſe dicebat, vt ea hominum paucitate, fines ſuos, & Pologi campeſtria aduerſus Debream ingreſſum Scanderbegum crederet: tamen quum & omnium idem teſtimonium, & proëmia falſi nulla videret, non audebat ſpernere hominum fidem. Quod ad rem attinebat, & rationem vlciſcendi, non deerant vndique appoſitiſsima ad regum vanitatem, morboſq́ inuitamenta vana adulatorum genera. Qui ſolicita interpretatione laudem omnem noſtris auferentes, capita ipſi ſua, corporaq́ pro ea re deuouerent. Artificem tantopere inſidijs intentum ſemel prꝛcipitaturū affirmantes, vt infinita eius generis exempla erant. Non Modriſſos vbique, non noctem ſemper, non Ameſas omnes, & Debreas futuros, cum difficili prꝛterea hydra implicitum Scanderbegum, tot quotidie renaſci capita ad eum abſorbendum, quot prꝛciderentur. Quod ſi in ſinu Iouis eſſet, minime tamen tutum fore. Mahumetes audire libenter ea ſtudia hominum, neque aperte reclamare offerentibus ſe vltro ad pericula multis. Nihilominus aliud coquebat callidus veterator, aliud incruentius vltionis genus verſabat animo, quomodo domeſtico aliquo bello opprimeret Caſtriotum, & inteſtina arma, inſidiasq́ in eum excitaret, vt in alios ſæpe fœliciter experta illi fuerat fraus, quod in Grꝛcorum prꝛſertim imperio extorquendo fecerat Amurathes, facile fretus (quꝛ humanꝛ cupiditatis incitamentum fuit, maxime vbi imperij cauſa agitur) inuenturum ſe ex magis intimis, & chariorибus viris adiutores, & auctores conſilij ſui. Plerique ea tempeſtate erant, quorum magna autoritas gratiaq́ apud Scanderbegum tam domi, quàm militiꝛ vigebat. Sed Moſes ſicut prꝛcipua in bello virtute, ita ſplendore quodam egregio nominis primas partes inter eos ſibi vendicabat. Tentare igitur tacite virum, & magnitudine promiſſorum ad perfidiam pellicere in animo ſedit. Accedebat & illud ad commoditatem rei, quod maxime vicinum imperium eius, finibus ſuis ac Sfetigrado prꝛcipue audiebat. Sic cōmodius inuitari ad colloquia hominem poſſe, & agi ſingula ſecretius & expeditius ratus eſt. Itaque quantum ad bellum & inanes ſuorum iactationes, ſimulans ſe non iniqua ratione nunc differre Epiroticam vltionem velle, adhibitis paucißimis admodum ex purpuratis ſuis ſocijs eius conſilij, literas de hoc ad Sfetigradi magiſtratus multo ingenio, ſtudioq́ confectas dedit. Alias quoque eiuſdem ſententiꝛ Alchriam ad prꝛfectum vrbis miſſas dicunt, ſed non multum refert, an has ſcriptas epiſtolas, an ſecus quiſpiam credat. Melius tamen (vt arbitror) eſt putare vix vnis tantum literis eam

Adulatores appoſitiſsimi ad regum vanitatem.

Mahumetes vult Moſen à Scanderbego abalienare.

ris eam rem agitatam. Ad quod exiſtimandum, & negocij huiuſmodi ratio inuitat, & illud fortaſſe, quod Alchrienſes nullus vnquam effectus eſt ſequutus. Illas ad ſe delatas & reſolutas Sfetigradenſis quo cautius poterat, habuit, & mandata Tyranni cupidiſsime ad animum tranſmittit: nam ſi rem ex voluntate regia peregiſſet, multa quoque honorifice promittebantur ſibi. Formula vero literarum, quantum ad Moſen attineret, ea erat, vt nomine Mahumetis cum eo ageretur, dareturq́ illi optio vel pecuniæ, & dignitatis, ſi mallet apud Turcas, vel Epirotici imperij ex omni arbitrio eius, ſi Scanderbegum tollere poſſet de medio, vel id agere, vt eius miniſterio tolleretur, aut ſaltem illo relicto ipſe Turcarum arma ſequeretur. Tum & alia verba multum idonea ad perſuadendum appoſita, neque de Moſe comprehenſum literis, ſed & de reliquis, licet non ita nominatim facta mentio, ac data præfecto poteſtas agendi, prout tempus locusq́ poſceret, ac cenſeret ipſe magis è dignitate, commodoq́ regis futurum. Nihil omiſit ex his Barbarus, ſumma ratione, conſilioq́, in inuitando primum ad colloquium Moſe vſus. Nam communicato eo conſilio cum vno ex ſuis, & Chriſtiano, & Epirotici generis, illum ad hominem accerſendum miſit, multis oneratum promiſsis, ſi id perſuaſiſſet Dibrenſi. Nox ad ea agenda (vt par erat) adhibita, & Epirota locorum peritus nihil aberrauit. Inuentus eſt cum præſidio Moſes ad imperij clauſtra, ſummotoq́ teſte, hoſtili nuncio copiam ſui commodiſsime fecit. Ille priuſquam aliquid de cæteris mandatis attigiſſet, vt Sfetigradum accedere vellet, eum inuitauit. Negantem acriter, ac velut irridentem impudentiam hoſtium, tum demum ad ſeria veniens, & totus in blandimenta verſus, ſibi hominem attentum fecit, & animum Tyranni ex parte illi aperuit. Audiuit non inuitus ea Moſes, hauſitq́ cupidiſsime (quæ præcipue militaris vanitas eſt) appoſita illa condimenta laudum ſuarum, præſertim quod regem Turcarum tam honorifice de ſe ſentire audiebat, & vnum ex totius Epiri flore vltro ad ſe & voce, & literis inuitare, ni erubeſcendum potius fuerit glorioſo militi, quod vnus ex alijs multis veluti perditus homo ad tam inſignem perfidiam, & deteſtandum facinus potiſsimum eligeretur. Verum obliuiſci omnium præ gloriæ & imperij cupiditate conſueuimus. Talem tamen ſe nunc nuncio illi vultus, ſermonisq́ habitu præbuit, vt neque approbare quæ dicebantur, neque repudiare videretur. Sfetigradenſis coniectata ſatis hominis voluntate, nihil diutius loquutus, pollicitusq́ ſe propediem rediturum, eo concedente ad præfectum reuerſus eſt. Interrogatum de eius colloquijs Moſem à militibus reſpondiſſe dicunt. Exploratorem ex agro Sfetigradenſi occultiſsime veniſſe ad aperienda quædam conſilia hoſtium, ſperareq́ ſe eius miniſterio maxime cogitatus Scanderbegi adiuturum. Credita facile omnia ab ignaris, præſertim

Forma literarum de tollendo Scanderbego.

Cupiditas imperij & gloriæ facit omniũ obliuiſci.

tim

tim quod & habitus & ſermo ipſe Chriſtiani hominis idipſum ſuadebat. Quid præterea Moſi non crederent? cuius fide neque antiquior vlla apud ducem, neque notior, neque gratior eſſet, qui toties, præſertim Daynenſis belli temporibus, totius imperij ſummam illi credidiſſet, dum hinc Muſtaphas, hinc Veneti rapere Epirum conarentur. Cogitabundus tamen ſecum Dibrenſis tantæ rei conſcientia, & mœſtior aliquantulum viſus, impellebat animum huc, illuc nunc Scanderbegus nihil tale veritus, & fortunæ ſuæ gradus, cuius nullum ſanè pœnitere potuiſſet. Nunc maiora omnia à Mahumete propoſita, præſertim promiſſum illud diadema tantum miſeris expertum mortalibus, ita dulce primo ſtare loco. Expectabat tamen intentus aſsidue exploratorem ſuum (quod ſatis efficax erat corrupti animi ſignum) O faciles aures, immo vero impias, quæ audire ea diutius potuêre, & hominem longe ingratiſsimum, qui paciſci tam facile patriam, principem, ſocios, Deos ipſos, dignitatem ociumq; ſuum pro inani quadam ſpe, & re maxime incerta voluerit. Reuertitur interea ſcelerata legatio non verbis ſolum aptioribus armata, ſed muneribus etiam, auroq; onuſta. Imbibiſſe perfidiam tantum Moſem, aliud nihil accepiſſe inuenio. Nuncio tamen ita reſponſum, ne ſe amplius adiret, accipere regis voluntatē, & quicquid ſit de alijs, enixe curaturum, ne ſe hoſtem vlla ex parte poſthac ille ſentiat. Ita dum Scanderbegus ignarus hincinde exploratores mittit, Mahumetis conſilia rimatus, hij multo funeſtiora alia in caput eius cudebant. Iam tempus præfixum ad dilatum prius bellum, & oppugnationem vrbium aderat, & quieta ſimul omnia ab Adrianopoli nunciabantur, quum Caſtriotus reputans iampridem quam rem animo concepiſſet, & quæ neceſſaria eſſent ad omnia recte agenda, ſtatuit omnino Italica auxilia (ſi poſſet) ad eam rem ſibi adiungere, quando ſicut ad campeſtria certamina, & equos vtrinque concurſus, copias ſe habere optimas exiſtimaret, ita non ſatis idoneum militem Epiroticum ad oppidorum expugnationes, & id belli genus planè crederet. Erat Apuliæ rex Alphonſus in ipſo propè conſpectu, quo vt ſæpius dictum eſt, non ille ſolum, ſed totus ferè Chriſtianus orbis familiariſsime vtebatur, de nullo alio tunc Epirenſem cura inceſsit, quippe qui neminem vel cupidius, vel celerius id oneris ſciret ſubiturum. Quare priuſquam aliquid de delectu habendo mouiſſet in prouincia, duobus nauigijs egregie apparatis, multiſq; lautiſsimis muneribus impoſitis, duos ex purpuratis ſuis cum literis ad regem, multa fiducia (vt conſueuerat) ac ioco quodam contextis in hanc ipſam ſententiam miſit:

Moſes cogitabundus.

Legatio Turcæ ad Moſen, non verbis armata ſed muneribus & auro.

Legatio Scanderbegi ad Alphōſum apuliæ regem.

Noſtri milites cum viris tantum pugnare & depugnare nouerunt, cū muris neſciunt. Vos Itali (vt audio) id belli genus & calletis, & amatis ſummopere. Itaque opus eſt in præſentia mihi auxilio & induſtria veſtra. Sunt oppida quædam hoſtium in Epiro, vel in ipſis propè viſceribus imperij

perij noſtri, vetus eſt deſiderium meum tollere eam ignominiam ex oculis ſi velint Dij, ſed aſsiduis bellorum incommodis detentus, non potui quippiam ad hunc vſque diem fœliciter attentare, Tempus iſtud & propter anni accommodatum tempus & ocium Mahumetis, cuius bis iam furorem repreſsimus, aptiſsimum ad eam cupiditatem exoluendam elegi. Paucis tenere potes quid facto ſit opus. Cætera omnia fermè in procinctu ſunt, vos tantummodo expectamus, dabis milites (nihil enim recuſo) qui eminus pugnare didicerunt, ſcorpionatos ſcilicet iſtos, & ſclopigeros, nam cæterorum nobis ad ſacietatem abundat copia. Sed ô fœlicem te rege Apuliam mi Alphonſe, ex qua ita liceat omne virtutis ſpecimen, tanquam ex theſauro aliquo affatim depromere. Si pace, ſi bello vtiles viros optauimus, tu forum, tu militiam ornaſti, tu legibus, tu armis Epiroticum fulſiſti imperium. Te domi, te militiæ omnis ſexus, omnis ætas, omnis Epiri angulus celebrat. Ego verò ita beneuolentiam tuam amplector, & foueo memoriam tuorum erga me officiorum, vt interdum vel eam fortunam exoptem tibi (& ſi non ſatis æquè agere videor) quæ amicos (vt aiunt) probat, nõ parat, quo voluntatem in te meam certiore aliquo experimento cognoſcere valeas.

Datis ad Regem literis, ipſe cum Ameſa nepote, Muſachio Topia ſororio, & alijs purpuratis Dibram ad præſidium conceſsit, conſultaturus ibi de ſingulis, & delectum inſuper habiturus. Quò cum perueniſſet, & interrogaret Moſen, an aliquid haberet ipſe noui propter vicinitatem hoſtium, quod ſua intereſſet, nihil inquit, præterquam, quod cum homine Sfetigradenſi collocutus ſit, an aliqua eſſet ratio, aut modus vrbis habendæ, & illum maxima aſſeueratione idipſum negaſſe, ita viris, armis, commeatu, & cuſtodijs diurnis, nocturnisq; exactiſsime oppidum munitum obſeruari. Veritus eſt Dibrenſis, ne Scanderbegus ad Sfetigradi oppugnationem animum intenderet, & neceſſe ſibi foret Mahumethi quoq; promiſſa non ſeruare. Quare ad idipſum maxime intentus, Scanderbegi curam facile Belgradum tranſtulit. Verumenimuero Tyrannus auditis his, quæ tranſacta fuerant cum Moſe, non multum quieuit animo, cum nullum videret promiſſæ fidei pignus datum ſibi. Tamen vrgentibus alijs curis ex Græcia, & poſcentibus arma, depoſuit aliquantulum Epiroticam expeditionem, quando vel ipſe tunc ire, vel magnis copijs rem agere commode non poſſet. Leuibus verò agminibus (vt fecerat) laceſſere vlterius hoſtem, vel alere potius, neque è dignitate, neq; ex vtilitate ſua videbatur fore. Itaque tantum renouatis literis, & datis ad præfectum Sfetigradi, quibus laudabat, & acuebat magis diligentiam hominis, aliud nihil de ijs, quæ ad Epiroticum bellum pertinerent curauit. Alphonſus interea legatione literisq; Scanderbegi honorificè acceptis, ſumma feſtinatione conquiri

Scanderbeg Moſen conuenit.

militem iuſsit. Delecti illico ſunt, ita exigentibus legatis mille pedites, quingenti ſclopiferi, reliqui ſcorpionarij. Adijcere numerum maiorem volentem regem prohibuerunt, negantes maioribus copijs opus Scanderbego fore propter breuem oppidorum hoſtilium ambitum, quæ oppugnatum eſſent ituri, & multitudinem ſagittariorum, quam haberent in prouincia. Petiêre tamen ad ea armatorum auxilia inſtrumenta quædam bellica, & vectes ferreos ad ſubruendos eruendosq́; muros. Data omnia, & tormenta pleraq; varij generis, artificesq́;, qui ijs vterentur. Neque contentus his rex, pecuniam etiam ampliſsimis addidit ad adiumentum eius belli, ac totidem alijs nauigijs magnifice inſtructis. Ventis, Dijsq́; homines



commendans, à ſe dimiſit, ſed non ſine literis & ipſe, quibus ingentes primum gratias agebat, ob ſibi data munera, tum laudabat fiduciam Caſtrioti de rebus ſuis, quibus vti vt proprijs hortabatur, & augebat officioſiſsimis verbis illam, ac mira liberalitate ſermonis pollicebatur omnia. De milite verò id facetiſsime reſponſum, Italos non cum viris tantum & muris, ſed cum fœminis melius pugnare noſſe. Cauerent itaq; Epirotæ, ne quos ad gerenda eminus bella inuitarent, cominus domeſticos ſibi bellatores ſentirent. Cætera quæ laudauerat in rege, omnia (vt ſolet) ad magnitudinem amoris relata. Et contra virtus, fortunaq́; noſtri ducis, incredibili decore verborũ extra omnem propè gloriæ humanæ aleam poſita. Auſtro ſpirante mox placido proſpera nauigatione ſunt vſi, pauloq́; poſt patriumq́; littus à nauticis ſalutatum (traiectus enim breuiſsimus eſt, vix 60. millium paſſuum) & miles in terrã cum ſarcinulis & armamentis expoſitus, ac

In Italos facete dictum & ſalſe.

prope-

properatum illico Croiam. Caſtriotus adhuc in Dibra morabatur, propter cœptam delectus curam, qui propè perfectus erat, & obſeruabat, an motum aliquem ab Adrianopoli ſentiret. Peractis, & comparatis egregie ſingulis, cum vniuerſo exercitu Croiam pergit ire. Ibi & regia auxilia ſibi adiuncturus, quæ certiſſima ſpe expectabat, & accepturus quædam, quæ ad eam oppugnationem ſibi opus erant. Moſes in Dibra cum vetere præſidio mille equitum, totidem peditum relictus. Non omiſit interea Scanderbegus inuitare hominem ad Belgradenſe negocium, ſatis cupiens tantum virum eo bello adeſſe ſibi, & mallens alij eam curam finium tutandorum demandare. Hortati ſunt & alij ad id ipſum Dibrenſem, ſed ille tergiuerſando, & cauſando multa, pertinax hoſtibus fidei datæ ſeruator non inani ratione ſe ſubtraxit, quum diceret non relinquendam ita opportunam iniuriæ, eam partem prouinciæ eſſe (nam Belgradum in diuerſa regionis parte erat, procul à Dibra centum fermè 40. millibus paſſuum) neminem cautius, vigilantiusq́ res ſuas, quam ſeipſum tutaturum. Non fuiſſe recuſaturum, ſi Sfetigradum iretur vicinum oppidum, & nulli moleſtius fore, quam ſibi, ab eo apparatu abeſſe, vbi & gloriæ multum, & vtilitatis plurimum ſperare poſſet. Sed neq́ ſe (vt credebat) ſine bello futurum: non enim quieturum Mahumetem, vbi obſeſſam vrbem audiat, irrupturum fortaſſe ab ea parte in prouinciam, vt nouo inde excitato belli incendio, Epiroticum exercitum à Belgradenſi cura auocaret. Accepta omnia vt dicebantur, & laudatum perfidum conſilium ab ignaris, dataq́ poteſtas præſidij augendi, ſi tempus resq́ poſceret. Caſtrioto venienti Croiam, regia agmina obuiam proceſſere, & multo gaudio, clamoreq́ exceptum duxere in vrbem. Reliquus exercitus fixis tentorijs non procul à portis conſedit. Expoſita ſunt omnia à legatis, quæ acta cum rege fuerant, & pecunia numerata, ac traditæ literæ, quæ multum riſus mouere Scanderbego. Idemq́ cæteris, nam eas magna ſuorum frequentia legi voluit Epirenſis. Laudauere omnes ſummopere tantam comitatem, ac populare ingenium regis. Caſtriotus magnificentiam eius, & amorem in Epiroticum nomen longa concione teſtatus eſt. Copias ab eo miſſas, prout gradus cuiuſq́ ac ordo poſcebat, laute haberi publicis cõuiuijs iuſsit. Reliqui purpurati interim machinas & tormenta apparare, expedireq́ alias neceſsitates, exercitus, ac omnia imperata enixe facere. Perfectis ſingulis Epirenſis, ſequente (vt fit) omnis generis multitudine, vſque ad caſtra ipſa vrbem reliquit, ibi primum percenſito exercitu, ſupplicationes votaq́ pro reditu, & victoria facta. Perſolutis his, & expectante iam milite ſignum ad proficiſcendum, Scanderbegum ita exorſum ferunt:

Reditus Caſtrioti ad vrbẽ Croiæ, Dibris cum nouo delectu, relicto ibidem Moſe cum vetere præſidio.

Laudatur perfidum conſilium Moſis.

Vndecimus iam hic annus eſt milites, ex quo (vt videtis) nihil aliud agimus, præterquam vt in Epiro maneamus, vt auorum ſedes, vt patriæ

Oratio Caſtrioti ad duces & milites in profectione ſua ad vrbē Belgradi oppugnandam.

poſſeßionem fato magis quodam, quàm vlla ignauia noſtra amiſſam recuperemus, recuperatamq́ retineamus. Nunc enitendum eſt tandem vobis, agendū ita, ne hoſtes hic maneant, & frena iugumq́, quæ benignitate Deûm tot vndecunq́ bellorum periculis, & laboribus exantlatis tam glorioſe depoſuiſtis, alijs glorioſius imponatis. Quod ſi illis, qui impoſuere vobis prohibet fortuna noſtra, at ſaltem teſtandum præclaro aliquo documento



vires defuiſſe vobis, animos, & pertinaces ſpiritus non defuiſſe. Ni ſatis fortaſſe teſtatum eſt idipſum vniuerſo terrarum orbi, quum oblatas olim vero ab Amurathe (cuius memoriam temporis libenter repeto) pacis non inhoneſtæ conditiones, immemores patriæ, immemores parentum, vxorum, filiorum, quietis, ocij, & omnium rerum, præterquam præcipui cuiuſdam decoris, & incorruptæ libertatis obliti velut ſordidißimas reſpuiſtis. Non ſubiectas oculis cruentißimus Tyrannus, non infixa oßibus veſtris tam horribilis exercitus memoria, mouere feroces animos potuit, & deſtinata ſemel pectora libertati, donec vel ipſi egregie cum ea caderetis, vel memorabilis cuiuſdam victoriæ confeßionem tanto hoſti vel inuito exprimeretis. Adiuuit cogitatus veſtros, Deus optimus maximus, vidiſtis, perſpeximus omnes eodem fermè temporis momento & tributa poſcentem Amurathem, & efflantem nobis ingentem ſcilicet ſpiritum, & tot mortalium votis petitum. Tunc relicta Epirus, & data eſt nobis. Tunc veræ libertatis omen acceptum, ac ſequēdum cupidißime fuit, & per recentis illius ſanguinis veſtigia hic, quem nunc paramus, ducendus erat triumphus, ac ampliauda gloria veſtra. Sed quid fruſtra præterita quærimur? præſertim quæ &

non

non iniqua ratione poſſint excuſari. Amplior fortaſſe hodie laus, & cumulatiora omnia ſeruata vobis. Non ex patre ſolum fortunæ veſtræ, ſed ex filio quoq; ſat egregia auſpicia ſumpta. Dedit experimentum nouus rex & animi, & fortunæ ſuæ, quale vos ipſi, ſi ſors daretur, eratis petituri. Tributum popoſcit primo egregius dux, ſat iam armis veſtris domeſtico exemplo planè edoctus, & altera fermè manu paternum funus ducebat, altera pacem quærebat à vobis, licet honeſto quodam prætextu tributi, talem tamen laturus, qualem eratis conceſſuri. Sed conſilium illud Tyranni propter Perſicos tumultus, non timorem quis dixerit? Quid dicam? Vos eodem vultu, pertinacia eadem, qualiſcunq; ratio cauſam ei vel timori, vel conſilio dediſſet, expoſtulatum negaturi fuiſtis. Et ita alacriter negata omnia, neque negaſſe quempiam pœnitet. Armatus poſtea id ipſum exigere voluit Mahumetes, dati exactores ad vos, perſoluiſtis egregie omnia. Numeraſtis in Mocrea valle publice, priuatimq; petitum tam cupide tributum iſtud, numeraſtis nuper in Pologenſi agro. Vbi vbi eſt, oro, recens adhuc, & cruentum Debreæ caput illud? Hoc ſignum ſequendum erat vobis, hoc ad Belgradenſes portas figendum. Prodeſſe hæc multum & poſſunt & debent ad vos animandos, cæteraq; euentum ipſum belli reſpiciunt, tempus, locusq; optime ſuggeret. Proinde nemo obijciat hodie mihi vel maiores hoſtium apparatus, vel formidandos aduentus Ottomani. Vbi armis oportebit, obnixo vultu, & intrepidis animis reſiſtemus armati. Vbi conſilio, prudentiaq; opus fuerit, temerario laudis appetitu funeſtam gloriam non petemus. Nemo vel pugnam, vel fugam noſtram rite initam poterit arguere, vt & in Sfetigradenſi oppugnatione factum à nobis meminiſſe poteſtis. Obſedimus vrbem, vexauimus quoad commode licuit incluſos. Quum de aduentu Amurathis fama percrebuiſſet, noluimus expectare vt ipſi obſideremur. Qua tempeſtate nedum hoſtem immodicum, ſed ne id tempus quidem expectaui, quod iniquiorem vobis proculdubio, quàm obſeſſis obſidionem illam faceret. Domum in hyberna vos reduxi, omiſſa totius vltionis, omiſſa vrbis recuperandæ, & honoris propè mei cura præ quiete commodoq; veſtro. Belgradenſis oppugnatio eadem ipſa ratione agenda eſt nobis, & agetur quantum conſilio humano effici poterit. Conſiderabimus cautè ſub muris, aduentum hoſtium cautiſſimè obſeruabimus, vt tuti interim à tergo, & ſine reſpectu aliquo pugnetis. Venientibus vel cedemus, vel reſiſtemus, prout res tempusq; feret, prout ipſi ſtatuetis. Et accommodabimus rationem omnem eius obſidionis ad veſtram omnium voluntatem. Si aliqua (vt fit) vel belli fortuna, vel pertinacia hoſtium deſiderium noſtrum protrahet, aut eludet forſan, non ideo ſtolida obſtinatione conſeneſcemus ſub muris. Idem & autumni erit, & oppugnationis noſtræ finis, ni magna aliqua ratio continu-

andi eius belli nos impellet, aut alicunde illiceat. Sed neque autumnũ virtus veſtra expectabit, neque inglorios vos ego, & vacuis (ſi viri eritis) manibus domos reducam. Nam per Deum immortalem quid agent tot dexteræ? tot oppoſita artificia, & bellici apparatus? Quid regius flos iſte militiæ ex omni propè Apulia electus, & datus vobis, vel relegatus potius ad hanc cauſam in Epirum? Examinanda hæc omnia vobis ſummo conſilio ſunt milites. Horum ratio exactiſsime ſingulis animaduertenda, & penſanda ſaltem hoc pacto Sfetigradenſis iactura Epirenſes. Nihil alienum appetimus, non noua gloria vlla quæritur nobis, ſi vincimus, ſed vetus reſtituitur nobis patrimonium, & recens ignominia aboletur. Nec noſtra ſolum, ſed totius penè Epirotici generis, nonne & Chriſtianorum id oppidum, & conſanguineorum veſtrorum? Omnes ferè meminiſtis, quod poſt Theodori Coronæ, reguli eius loci mortem, intentus iampridem Amurathes nepharia id ſibi arte ſicut cætera vendicauit. Plena adhuc eſt vrbs (vt audio) veteri habitatore. Adiuuabunt hæc multum (ni fallor) conatus noſtros, intus extraq́ oppugnabitur hoſtis, & incruenta fortaſſe vos victoria manet. Expectant aſſertorem aliquem, ac auctorem conſilij ſui. Mox velut longis preſſi tenebris, ab oblatam à vobis lucem, & auditum nomen libertatis ardentiſsime conuolabunt. Quare agitedum, vel adeſte expectantibus virtutem veſtram, vel cogite hos quoque vnà cum cæteris, ſi obſtinatos inueneritis. Gloriatur maxime Hungaria Belgrado ſuo Danubij ripam appoſito, & inter maxima virtutis ſuæ exempla id oppidum refert, ad arguendam hoſtium ignauiam. Patimur itáne (ſi dijs placet) & ipſi inſigni totius Epirotici nominis ignominia, Belgradum noſtrũ diutius in oculis, & viſceribus noſtris ab infeſtiſsimis hoſtibus poſsideri?

Theodorus Corona regulus.

Ab hac voce, velut ſigno dato, vndique ſublato alacri clamore, procedere iam agmina cœpêre. Sed Scanderbegus nihil adhuc ipſe mouens ſiſtere ſigniferos, & redire ad ſua quenque loca iuſsit. Nondum enim de more præmiſsi fuerant præcurſores ad perluſtranda rite ſingula, & occupandum caſtris locum. Electa ad hoc tria expeditorum equitum millia, & Tanuſio aſsignata. Qui mox abſciſſa omni mora diſceſsit, & veluti ex oculis hominum euolauit, cupiens ſi poſſet, celeritate præuenire hoſtem, & in re improuiſa egregium aliquid nauare, ante reliqui aduentum exercitus. Caſtriotus poſthac præcedentibus impedimentis cum cæteris copijs ſequutus eſt. Præuenerat iam fama prior, & inſtruxerat hoſtes de ſingulis. Quare nihil penitus vel ad inſidias, vel ad aperto Marte ſæuiendum materiæ inuenêre noſtri. Nam agreſtes, & quæ meliora in campis fuêre, omnia iampridem in vrbem recepta. Et frumentum omne (in medio enim æſtatis erat) demeſſum, ac contractum intra mœnia ab oppidanis fuerat. Miles impatiens ocij, vbi neque ad laudem, neq; ad prædam relictum ſibi quippiam vidit, ad

Tanuſius cũ tribus millibus equitum præit iuſtum exercitum.

dit, ad

dit, ad inijciendum tectis ignem, per agros, & reliquis ſatis, ac arboribus nocendum diſcurriſſet. Sed prohibuit Tanuſius ſe nihil tale à Scanderbego accepiſſe inquiens. Diſpoſitis itaque hincinde cuſtodijs, nullo neque verbo, neque facto laceſſens incluſos, quietiſſime conſedit ſub muris. Neque ab oppido motus aliquis fuit in ſubiectos. Intus tamen procurata ſtudioſiſſime omnia, ac ſtationes (vt operæprecium erat) diuiſæ, & miniſteria ſua ſingulis aſsignata. Præſidium Tyranni ſatis validum erat, mille amplius militum numerus, Chriſtianorum tertia parte maior multitudo vilium ad arma, nam infirmæ ætatis ſexusq́ capita non curata. Variatum multum ſententijs eſt inter regios, an id præſidium Chriſtianum eijceretur ex vrbe, an retineretur. Suſpecta fides hominum erat, nam & ritus, ac ingenia diuerſa, & alij quoque Dij, omnia ſuſpecta magis iure faciebant. Minuebat tamen eam ſuſpicionem, quod relicti tam diu ab Ottomanis præſidio vrbis, & habiti honorifice eſſent. Neq; vllo ſatis tempore aliquod perfidiæ indicium in illis fuiſſet deprehenſum. Videbant præterea vxores, liberos, parentes ipſorum, & fortunas omnes velut quadā pignora in manu ſua eſſe. Igitur multa in diuerſum dubias mentes trahebant. Præfectus cupiens & retinere illos in vrbe, & efficacius aliquod fidei alienæ pignus habere, ac tuto (vt aiunt) tergo, & ſine reſpectu domeſticæ rebellionis pugnare: conuocatis ſenioribus quibuſdam Chriſtianorum priuatim multa cum eis tacita inſinuatione ſuſpicionis egit, & militum ſuorum conſilia illis aperuit, inquiens, non ſine ſeditione rem tranſituram, ni aliqua ſecuritate, & vinculo fidei illorum animi ſedarentur. Se de officijs & fide ipſorum nunquam dubitaſſe, neq; in præſentia quicquā dubitare, & non minus ſpei in eorū armis, quam in ſeipſo, & regio præſidio ponere. Sed habendam rationem aliorum, neq; ſpernenda poſtulata illorum, quorū res agebatur, & præcipuè intererat vnicū tantū exiſtimare ſe habere hoſtem. Conqueri Belgradenſes nihil ſe tale vllo ſatis tempore cōmiſiſſe, vt pœnitere Turcas fidei ſuæ poſſet, vel ſuſpecta apud quempiā animorum ſuorum ſententia eſſet. Nullam ſubeſſe rationē, vnde tantus timor perfidiæ ſuæ oriretur, niſi ex eo, quod Chriſtiani, & Epirotici generis eſſent, ſed iniuria profecto id obijci ſibi, an ſcilicet meliores ſe Chriſtianos ſub alijs futuros ſperarent. Quum neq; liberalius, neq; indulgentius ritus, legesq́ ſuas ſeruare ſibi à quopiam permitti, concediue poſsit, quam eouſque à Mahumethe ſit permiſſum. Reliquas cauſas inanes proculdubio omnes eſſe, quæ Scanderbegum illi conciliare proponerentur. Nunquam ſubiectum id oppidum Caſtrioto fuiſſe. Dedignari id iugum Belgradenſes, & prius extrema omnia, quam eam ignominiam perpeſſuros. Timeri id poſſe ſi aliqua Theodori ſoboles extaret, & cupidæ veteris fortunæ multitudini offerreretur. Extinctā cum eo eſſe omnem Belgradenſium ſocietatem, & conſanguinitatem cum Epirotarū gentem, ac

Præſidiū Tyranni in Belgrado.

Colloquium Præfecti cum ſenioribus Chriſtianorum,

tem, ac Ottomanum abinde imperium tam patientiſsimis, quàm cupidiſsimis animis acceptum, libertatem ſe illi, patriam, vxores, liberos, parentes, corpora denique, ac ſanguinem ſuum dicaſſe, deuouiſſeq́. Neque habere nunc aliud certius pignus, vinculumúe, quo fidem ſuam regio obſtringant præſidio, præterquam id ipſum quod dediſſent Amurathi. Omnia in manu eorum eſſe, filios, vxores, fortunas, & quicquid charum, iucundumq́ in vniuerſa vita poſsiderent. Barbarus non tam quæ dicebantur, quam animos, vultusq́ dicentiũ contemplatus, accepit alacriter orationem, ſtudiaq́ illorum, tamen maximo ingenio pluribus adhuc actis, tranſactisq́, nõ prius eos dimiſit, quàm ſatis magnum numerum ex ſuis velut obſides promiſiſſent. Sic promiſsi pariter & dati ſunt, ac ducti in arcem cuſtodiendi, vbi Turcarum tantummodo præſidium morabatur. Miſiſſet profecto libenter eos ad aliquod oppidũ vicinum, vel Adrianopolim ad alligandam melius hominum fidem, ſed obſidione impediente non potuit. Pacatis eo modo, ac firmatis omnium animis præfectus, quum ſtationes ſingulas obijſſet & perluſtraſſet portas, ac loca quæq́ vrbis, & in foro iuxta morem ad varias rerum neceſsitates diſpoſuiſſet agmina armatorum, excitare deinde ſuorum animos, & inijcere ſuos quibuſq́ ſtimulos fidei virtutisq́ his verbis cœpit.

Obſides dati ex Chriſtianis.

Adhortatio vrbis pręfecti adBelgradenſes, vt vrbem munirent, fidẽ ſeruarent.

Si quid dicendum a Duce militibus in præſenti hac cauſa erat Belgradenſes, & ſi quid animorum vobis ex me ſumendum fuerat, præuertit certe id ipſum, præoccupauitq́ orationem meam omnem oculis ſubiectus hoſtis. Nulla efficacior adhortatio, nullus acrior ſtimulus vel fortibus, vel ignauis illo eſſe poteſt. Non hortatur vos ille, non inuitat, vt facio ipſe, ſed vrget, cogit ad arma. Strinxit ferrum in iugulum veſtrum, attulit vincula iam iam impoſiturus, ſi iacentes inuenerit. Affert ampliora alia omnibus publice, priuatimq́ Scanderbegus. Videor iam videre mihi inſolentiſsimum hominis aſpectum, & cruentum os illud vocantis vos ad ſeruitutem. Obturate, occludite aures, rogo per Deos immortales. Ad ſordidam vobis, turpemq́ vocem, non ore, non labris, ſed gladio, ſed dextera reſpondendum eſt fortibus viris. Appoſitis fortaſſe verbis, & honeſto aliquo prætextu ſocietatis pellicere ad ſe animos veſtros conabitur, & velut vana & leuia muliercularum ingenia in ſingulas partes verſare tentabit. Eodem ad omnia vultu, eadem pertinacia vtendum eſt vobis. Luctuoſum profecto eſt quouis modo, turpiſsimum autem ita libertatem paciſci. Et priuſquam ſanguinis aliquid forti viro ſit profuſum, eam exprimi turpis ignauiæ confeſsionem. Non ideo ferrum, armaq́ ſumpſimus, vt verbis expugnaremur. Non portas eo animo clauſimus, & valide fiximus, vt ipſi aperiremus. Aperiat tandem iter ſibi hoſtis, ſi fortuna ferat, ſed timendum hoc minus, quam nunc cœlum ruiturum. Quod ſi vel vrbis munimenta, vel abundantes omnis generis commeatus, vel habitum ipſum loci, vel numerum

merum

merum veſtrum, vel virtutem ſpecto, toties expectatum mihi huius belli euentum, & cupitam victoriæ palmam certiſsimo mihi animo ſpondeo. Potuit Sfetigradum in medio quaſi hoſtium ſolo, & præſidio adhuc minore omnem Epiroticum furorem tamdiu contemnere, & Ottomanum nomen ſeruare in Epiro? Potuit Croia (liceat ex hoſte quoque exempla virtutis petere) vniuerſum fermè Europæ atq; Aſiæ robur tam cupide & audacter expectare, ac proſtratis vndiq; mœnibus, omni nudata præſidio, pertinacia ſola, tam inſignem gloriæ titulum in omnia ſecula promereri? Nos in rerum omnium copia, ac fermè abuſu, in proxima etiam ſpe auxilij ab Adrianopoli, infame huiuſcemodi prædonum agmen, non ſolutis vndique animis bona cum ſpe aſpiciemus.

Exempla virtutis ab hoſte petere.

Inflammauit adeò ea oratio militum ingenia, vt præter multas (vt fit) iactationes, ſponſionesq; fidei, nonnulli circa præfectum circumfuſi, ſumma contentione poſcerent copiam erumpendi, ac congrediendi cum hoſte, ſed nihil conceſſum, quum Scanderbegus in propinquo eſſe nunciaretur, neque multum ſpacij inter hæc, & aduentum eius interceſſit. Quarta erat hora diei, quum exercitus noſter omnis contractus eſt ad vrbem, &

Aduetus Scanderbegi cum reliquo exercitu & copijs ſuis ad vrbis obſidionem.



conſedit ſub muris in campeſtri loco. Pranſum primo per quietem, & curata corpora, tum impigre partitæ copiæ, & ſua quibuſque loca aſsignata. Statuerat namque Caſtriotus eodem ipſo die oppugnationis initium facere, ni pacatum aliquid allatum fuiſſet ex vrbe. Quindecim hominum millia erant, octo equitum, ſeptem peditum, diſpoſita circum & per planum, & per montem omnia, qui non multum arduus neq; erectus non pe-

m diti

diti ſolum, ſed equiti quoq; ſatis commodam ſtationem præbebat: ſubducta eo ipſo tormenta, & locata à peritis, ac oppoſita mœnibus diuerſis locis. Ordinatis tamen omnibus, nocti conceſſum eſt, intus multum de recenti illa hominum audacia aſpectus ipſe noſtrorum, & is præſertim apparatus machinarum detraxit. Adueniente die, vbi concuti muros erectis tormentis vidêre, & nudari quibuſdam locis munimentis & propugnaculis vrbem, ſimul conſultantes, ſimul reficientes mœnia, variauêre aliquantiſper ſententijs, an colloqueretur cum hoſte, priuſquam ad ſcalas, & militarem furorem res deueniret, verentes tueri non poſſe vrbem. Etſi in ipſo ardore pugnæ id attentaſſent, hoſtem victoriæ ſpe inflatum non conceſſurum, tamen renitente præfecto, quum nondum talem vim periculi, & nunquam copiam eius turpitudinis defuturam diceret, ſuperſeſſum. Idem & die ſequenti factum, nam Scanderbegus nondum ſatis facta via militi, per fracturam murorum, cominus adhuc nihil moliebatur in oppidanos. Demum elapſis duobus alijs diebus, & vrbe iam ruinis deformata, qua parte magis obnoxia iniuriæ erat, ſepoſitis tormentis, militum iam animis, operaq; agendum ratus, poſteram diem veræ oppugnationi, atque virtuti præfixit, omnia apparari iubens, vt cum aurora ipſa ſuccederetur muris, quod factum eſt. Cæterum inferentibus iam ſigna noſtris, & clamore ſublato procurſantibus ad hoſtem, progreſſi illico legati ex vrbe, & deducti ad Caſtriotum, inducias eius primo petière, quæ nullo negocio fuêre conceſſæ. Sciſcitantibus deinde illis, quas dedentibus ſeſe conditiones eſſet allaturus, reſponſum quæ dedentibus deberentur. Salua eorum corpora cum armis & ſarcinulis eſſe velle, reliqua victoribus deberi. Reuerſa legatio, & expoſita omnia, ac audita maxima omnium moleſtia, quod tam grauia ſibi re adhuc integra ſtatuerentur, quæ ſalute penitus in armis deſperata, & vrbe ferè amiſſa impetrare victi facile poſſent. Mœſta vbique agmina, ac incerta quid agerent, timore, indignationeq; in diuerſum trahentibus. Chriſtiani nihil mutire, nedum dicere auditi, licet prout conditiones à Scanderbego propoſitæ eſſent, priuari ſe patria & patrimonijs ſuis viderent, tamen ſi vrbs dederetur, ſperabant facile ſibi quæcunq; petiſſent, conceſſurum Epirenſem. Itaq; neque pro conditionibus, neque contra eas interceſſere, ne qua etiam in eos ſuſpicio renouaretur. Rogati à præfecto quid de ea re ſentirent, nihil reſpondêre, iuſſumq; ſe, non rogationem expectare, quod ipſe è dignitate ac vtilitate omnium cenſeret, ſe & armatos, & inermes approbaturos. Multum eius diei conſultando tranſactum, decretum tandem, vt menſtruæ induciæ peterentur. Quod ſi per id ſpacium auxilium non haberent à Tyranno, nihil eſſent recuſaturi eorum, quæ imperarentur, ſperantes Mahumetem celerrime aduenturum, neq; paſſurum eam ignominiam, quem ante ipſum Tanuſij aduentum, de eo apparatu in ſe con-

Belgradenſes petunt inducias à Scanderbego.

Chriſtianorũ in Belgrado prudentia.

Menſtruæ induciæ petitæ.

ſe con-

ſe contracto, præmonuerant. Et ſic libertatem ſe, ac ciuitatem incruentos ſeruaturos. Quod ſi negaſſet id hoſtis, acuendum ferrum, animosq́; & pertinacia aduerſus pertinaces vtendum. Remiſſa itaque ea legatione in caſtra, Scanderbegus deridens eiuſcemodi poſtulata, ſanius deliberare de omnibus, & apparari ad bellum iuſsit. Deinde vbi obſtinatos, & vix quinq; dies ei tempori detrahentes vidit, acrius exarſit. Sed nox interueniens diremit eas actiones. Purpurati quidam, & periti militiæ viri, non reſpuendas omnino eas incluſorum conditiones cenſebant. Videndum tamen an minui id tempus ab eis petitum poſſet, allegantes difficillimam oppugnationem loci, quum & mons in cacumine, quo vrbs amplectebatur, non ſatis tutum aſcenſum ex maiori parte præberet pugnaturis. Et lapides viui circum pluribus locis aſſurgentes, ac opere humano in munimenta deducti, contemnerent omnino, & veluti eluderent ictus machinarum. Ex eo euentum belli tardiorem aliquantiſper, & rem longiuſculam futuram, vel darentur induciæ oppidanis, vel non darentur, vtroq; modo credere ſe auxilium Tyranni, eò loci acceſſurum. Magis tamen periculoſum fore, ſi & occupati forſan, & feſsi offendantur. Si verò vel non veniat, vel tardet id præſidium, incruentos ſe, & ſine militum pernicie potituros vrbe. Si veniat, tempore vſuros, & occaſione. Aptiſsima ſibi omnia ad pugnam, ad victoriam, ad laudem eſſe. Nihilo maioribus ſe copijs memorabilem illam cladem Alybaſſæ infligiſſe. Immemorem præterea tunc Epiri, ac oblitum ferè omnium Mahumethem præ Trabiſondei imperij cupiditate. Non alia ratione putare ſe, obſeſſos id ſpacij ad tradendam vrbem petere, niſi vt Tyrannus tam ſubitam & ignominioſam eorum deditionem non poſſit arguere: & profugi olim, ac rebus omnibus exuti venia apud eum, & miſericordia aliqua digni videantur. Subridens ad ea Caſtriotus: Saginatos tot victorijs Epirotas, delicatiores factos eſſe, inquit, ſuperiore anno frigoribus, nunc caloribus nimijs impediri. Opus eſſe (quod Dij omen prohibeant) aliqua fortuna, quæ eam ignauiam, & torporem excutiat animorum. Credulos etiam plus nimio appellans eos, prioris temporis haud abſimilem Sfetigradenſium perfidiam fuiſſe inquiens. Quid facturos demum, ſi quum tempus præfixum negocio aderit, vel coctam tacite fraudem, vel mutatos hominum animos ſentiant. Daturos pœnas eius crudelitatis, & amiſſi iacturam temporis nequicquam dolituros, ac pendendum tandem interim ex hoſtium voluntate, fideq́;, quia tamen vera multa præſertim de difficultate oppugnationis, ac occupationibus Tyranni dicebantur, non ideo ſe quid opus facto eſſet differre debere, & ſi aliquis interim apparuiſſet motus ab Adrianopoli, ſat egregias vires ſuas ad ſe defendendum, & ad omnem iniuriam excludendam eſſe. Dibras præterea Moſis præſidio tutiſsimas eſſe dicebat, paſſus eſt tamen & ipſe trahi in eam ſen-

Cōſiliū quorundam purpuratorū de inducijs.

Caſtriotus irridet cōſilium purpuratorū.

m 2 *tentiam.*

Induciæ ſedecim dierum.

tentiam. De tempore multis vltro citroq́ tranſactis, denique 16. dierum interuallum conceſſum. Sic re compoſita cum oppidanis, Caſtriotus primum omnium præter cæteras cuſtodias à Tanuſio prius diſpoſitas, 25. milites ſuper monte quodam non procul miſit ad latiorem ſecuritatem ſuorum, vt viſum à longe hoſtem ſublatis accenſis faſciculis primo, deinde ipſi aduolantes proderent, quo ſpacij aliquid militi ad inſtruendam aciem & arma ſumenda foret. Hoc pacto deinceps vt meliora exercitui ſtatiua faceret, & ſeparatis aliquantiſper tentorijs, reſpirarent agmina ab ijs caloribus qui tunc vigebant, ipſe cum Ameſa, & nonnullis purpuratis, retentis tantummodo tribus equitum millibus, & mille peditibus, montem tenuit proximum oppido, ſingulis ſumma ratione diſpoſitis, & tormentis quibuſdam in procinctu habitis, ne impetus aliquis in ſe ab oppido fieri poſſet. Muſachium & Tanuſium cum reliquo exercitu in ſubiecta planicie maioris commoditatis cauſa caſtra transferre iuſſit, & quieſcere ab armis, cæteriſq́ operibus militem; donec præfinitus oppidanis dies adueniſſet.

MARINI

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS,

Liber Octauus.



HEllesponti prope in littore ipſo, & transfretantem iam in Aſiam Ottomanum ad Trapezuntium imperium ſibi vendicandum, multiplex, neq; mendax fama Belgradenſis obſidionis inuenit conquerentem maxime & iniquo ferentem animo, quod tam ingentis paratæ facultas gloriæ ſibi eo impedimento è manibus quaſi eriperetur, quem etiam non ſine ſtomacho dixiſſe ferunt:

Tyrannus audita Belgradi obſidione, omiſſa omnia alia cura, totus in eam ſoluendam eſt conuerſus.

Semper Epirus aliquid mœſti rebus noſtris affert. Moxq; Aſiaticis rebus tunc omiſſis, & in alia die prius dilatis, toto animo Belgradi curam ſuſcepit. Non defuere quidam ex ſatrapis, qui minime interrumpenda ea conſilia ſuaderent, neque tantam rem, ac tam inſignem apparatum ob infamis vnius Epirotici oppiduli periculum prætermittendũ. Mahumetes autem nõ id exemplum ſe à maioribus ſuis accepiſſe inquit, vt dum plus nimia forſitan cupiditate appetit aliena, ſua indefenſa & iniuriæ expoſita

Sordida victoria, imperium hinc ampliare inde amittere.

relinquat. Sordidam victoriam omnem, & nullius ſe momenti quantamcunque gloriam putare, quæ minima alicunde ignominia deformetur, ampliandum ne hinc imperium expedire, amittendum inde? Quem vero ſuorum quieto animo pugnaturum in Aſia, vbi inſultantem Macedoniæ, & lacerãtem corpora ſuorum nepharium transfugam aſsidue credat? Multum laudis, plurimum prædæ fore apud Græcos, ſed maiorem iacturam ex Belgradi amiſsione, quam commodum ex totius acquiſitione Aſiæ videri ſibi, & eam famæ rationem præſentibus poſteriſq; hominibus ab imperatoribus velut ab optimis tutoribus exactius reddendam eſſe. Trapezuntium præterea non fugere, Belgradum ſi auferatur, recuperari difficile poſſe. Extinguendum prius eum ignem, ne contemptus vires ſumat, & compeſcendum furorem inſolentiſsimæ gentis. Croiam documento omnibus eſſe debere, quæ inultis adhuc cladibus, & malis ſuorum, maxima Ottomani nominis ignominia ſtet, & tantum eo titulo velut inſignita inter cæteras Epiroticas vrbes caput efferat. Inſtare tum illi, munitiſsimum rebus ſingulis id eſſe oppidum, procul abeſſe, vt vlla ſatis vi expugnari queat, vel decernendum id auxilij Belgrado, vt neque ipſum quicquam patiatur, neq; Aſiaticum negocium interpelletur. Sed nulla ratione ſuadere quicquam potuerant, aut obſtinatum eius auertere ab Epiro animum. Belgradenſis obſidio, & ignominia ſola totum hauſerat hominis ingenium. Ita nullum hominum genus diligens magis eſt, & anxium ad imperium cuſtodiendum, quam Turcarum natio, & inſignem in omnia ſecula iniuriam credunt, ſi vel lapidem vnicum ex rebus ſuis ſine vltione ſuſtulerit hoſtis, vel aliquid innouauerit. Multa de his exempla licuit ſemper, & quotidie inſpicere licet. Illud obiter non pigebit referre, de quo recens eſt hominum memoria. Quum Pannones, quos Hungaros nunc vocant, iuxta Danubij ripas turrim quandam ligneã, rem prorſus memoratu indignam, conſtruxiſſent, ad varias neceſsitates, & priuatas magis quàm publicas commoditates, auditum id Paiazetes iſte ita æquo animo ferre non potuit, vt exercitũ validiſsimum, & impenſas maximas ad eam rem ſubuertendam facere ſit aggreſſus. Neque eo contentus ipſe impatiens vltionis, illuc maximis incommodis conuolauerit. Ceſsit pariter, & deriſit hoſtis egregium eius rei ſpectaculum, neq; multum id damnum, aliaſq; ob eam cauſam depopulationes ſibi factas conqueſtus, multas illi tales victorias libenter imprecatus eſt. An laudanda ſit diligentia, an vitio danda, euentus ipſe rerum ſanè docet. Nos timendum nihil credimus, donec ad cubiculum & puluinar ipſum irrepſerit ignis. Quo fit, quod dum craſtinam ſemper aquam apparamus, præſenti conflagremus incendio. Conſilio igitur, quod maxime ad id rerum genus accommodari ſolet, vſus, ex eis copijs 40. equitum millia Sebaliæ cautiori, quam audaciori duci decreuit, exercitum, & numero

Studium Turcarum in imperio cuſtodiendo.

Pannones Hungari.

Craſtinam aquam apparare, & præſenti incẽdio conflagrari.

Sebalias magnis copijs mittitur contra Scanderbegum.

mero & virtute hominum pulcherrimum, & firmiſsimum. Egit deinde cum illo Tyrannus non adhortationibus modo, ſed precibus quoq;, & quàm efficacibus potuit verbis, vt quicquid animi, virtutis, induſtriæ, vigilantiæ in eo eſſet, tunc maxime oſtenderet. In euentum belli proſperum, ac liberationem ipſam vrbis, dona ingentia, ac excelſi quique gradus dignitatum promiſsi, præſertim ſi Scanderbegum aut viuum, aut occiſi ſaltem illius caput attuliſſet, & ſic finem Epirotico bello impoſuiſſet. Cæterum hanc rem aliter etiam tranſactam inuenio, duosq; ex eo exercitu longe fortiſsimos viros, Ahmath & Barach eorum nomina erant, acceſsiſſe ſponte ad regem, & in exitium Scanderbegi ingentem ſummam pecuniæ ſtipulatos, atque maiorem promiſſa præſtantem animam, & precioſum planè corpus, quod tanti æſtimet auarus. Sebalias re ipſa magis, quàm verbis conſilium Tyranni amplexus, factoq; ad ea peragenda opus eſſe ratus, nihil fermè moratus, tollere præcipua celeritate ſigna (vt opus erat) iuſsit, & militi quærenti quo duceretur, Epirum oſtendit. Nihilominus ipſe de ea re, quam Mahumetes anxius, Belgradum illi vbiq; vigilanti, in ſomnis, noctes dieſq; ante oculos erat. Quare veritus, ne incluſi rem ſibi integram non ſeruarent, & cupiens dubios confirmare ac implere ſpe proximi auxilij, vix relicto rege, expedire celerrime nuncium ad obſeſſos cum literis ſtatuit. Sed vix inuentus, qui id muneris acciperet, & tam apertum periculum ſubiret, licet ea promiſſa propoſita forent, vt (quæ mortalium libido eſt) non allicere poſſent, ſed cogere quemcunq; ad accipiendum. Nuncio equus (vt par erat) qui pernicior in omni exercitu eligi potuit, ad eam rem datus, qui diebus ac noctibus omni labore ac tempeſtate contempta, tribus paulo plus diebus ad oppidum quoddam Turcis parens, 125. millibus paſſuum procul à Belgrado, cui Girocaſtro nomen eſt, aduolauit. Nam de mutandis equis id ſtatutum eſt à Tyranno pro iſtis nuncijs, quos appellant Vlach Turcæ, vt quicunque inter currendum offeratur, nullo perſonarum diſcrimine habito, ex equis ſtatim deſilientes poſcentibus illos tradant, & ſic frequenti mutatione, recentibus ſemper equis incredibili celeritate peragunt iter. Ibi re communicata cum magiſtratibus loci, conſilio eorum vſque ad aduentum noctis manſit. Tunc demum equo relicto, mutatoq; habitu, pedibus profectus denſiſsimis tenebris, non procul ab vrbe ſe collocauit fallendæ cuſtodiæ, vbi Scanderbegi agmina erant. Nam reliquæ campeſtres copiæ, & Topiarum caſtra remotius ſtabant, quàm vt ſentire poſſent. Facile tamen eluſi omnes, quoniam declinata eius ſtatione ab alia parte montis, vbi difficillimus aditus erat, maximo ſilentio prælatus, vix quoque ſentientibus ſuis, muros ſubijt, ſibilo dato, vocatis allocutiſq; cuſtodijs cognitus, & fune demiſſa, acceptus illico in vrbem eſt. Circundederat iam vndique multitudo euntem ad præfectum, & quid attuliſſet

Belgradū mittitur nuncius à Sebalia, vt dubios cōfirmet.

Girocaſtrum oppidum vicinū Belgrado.

tuliſſet præſidij, quid ſpei pendentibus animis expectabant, ac ſedulo percontabantur. In propinquo enim erat finis induciarum, & tempus migrandi ex vrbe. Præfectus ſummota turba, & ſilentio omnibus indicto, paucis tantummodo eius conſilij ſocijs aſſumptis, audiuit per ocium hominem, & lectis demum literis, fidem ſingulis, quæ dicebantur, lætiſsimus adhibuit. Decretum inſuper inter Principes præſidij fuit de defendenda, ſi opus eſſet, ferociſsime vrbe, donec Sebalias adueniſſet. Die orto impertiendam publice eam lætitiam cenſuêre. Communicata itaq; eſt inter omnes nõ per clamores, & voces præconum, ſed per præfectum primo in foro, dehinc alijs per alios, & tegi res cautiſsime iuſſa, ne quicquam perſentiret hoſtis, quem tum ludificare de termino dato propoſuerant, tum incautum opprimi cupiebant. Tamen dum ſilentio fallere noſtros conantur, alio clamore, indicio, ſeipſos prodidêre. Nam verentes Sebaliam ad diem ſibi dictum nõ affuturum, & aut deditione, aut defenſione opus fore, fracta quibuſdam locis mœnia, & munimenta tormentis diſiecta, ſoliciti reficere, atq; inſtaurare incipiunt. Senſit Caſtriotus, & coniectatus fraudem, valde indignatus, iam propior ad oppugnandum fuit. Sed quia vix triduum deerat ad euentum conditionis, ſedato aliquantiſper animo, nuncium ad obſeſſos mittit, acriter obiurgando, quod ſtante fœdere inter ſe icto aliquid innouarent, & id apertum ſignum latentis alicuius perfidiæ eſſe, aut mox ceſſarent ab opere, aut hoſtilia omnia ſi paterentur, non fidei ſuæ, ſed ſibi ipſum imputarent. Paruit oppidanus, & abſtinuit prorſus ab ijs, quæ videre hoſtis, aut ſentire poſſet. Cætera neq; interdiu, neque per noctem omiſit, in conuehenda intus terra, & firmandis aggeribus fundamentis murorum, ac præparandis lapidibus, & alio miſsilium genere ponè munimenta. Quantum ſpes poteſt in variandis mortalium animis? Modo viſus ſolum hoſtis tantum ignauiæ integris iniecerat. Nunc quaſſatis vndique muris, & nudati eouſque præſidijs munimentorum parantur in hoſtem, & eo maioribus irarum ſtimulis exarſurum, quod fractam ſibi fidem vltore gladio iure queat expoſcere. Procurſant tamen ſeduli per muros, per priuatas ædes, ac publicas, & loca quæque eminentiora vrbis, ſicubi tam expeditum, & promiſſum ſibi præſidium conſpiciant, ſi puluerem, ſi ſtrepitum aliquem venientium notent. Omnis ſexus, omnis ætas ad id maxime intenta. Plus aſſueto vident oculi, & ab ea tantum parte immoti hærent. Quicquid vel offeratur, vel perſtrepet ſenſibus, omnia Sebaliam, omnia Deos ſuos eſſe credunt. Eadem ipſa res, quæ ſpei oppidanis, timoris noſtris cauſa erat. Proſpectant & hi ſoliciti cacumina locorum cuſtodijs ſuis aſsignata, an ramus, an ignis, an ſignum aliquod nunciet arma capienda, ſternendos, frenandoſq; equos, quos neq; ſtratos ſemper tenere poterant, neq; ipſi ſtare armati, deficientibus penè corporibus propter anni tempus maximis caloribus incom-

Caſtriotus mittit nuncium ad obſeſſos.

Quãtum ſpes poſsit in variandis mortalium animis.

incommodum. Prius tamen hoſtilia ſigna, clamoresq́, quàm aliud quippiam vel videre, vel audiuère. Tanquam nautæ quandoq́ in medio mari defixis in vexilla ſua oculis, pinacula multi dicunt, iampridem hærent, expectantes qua parte moueantur, quis ea ventus agat, vt vela, vt antennas expediant. Cæterum ſubita tempeſtas exorta, quam non nebulæ, non æquoris fremitus, non minæ aliquæ cœleſtes præceſſere, nihil tale timentes obruit, disijcit vela, ac rudentes è manibus excutit, & properantes ad miniſteria ſua turmas, ſatagentes hos, parantes illos nudo ordine opprimit, ac rebus tandem deſperatis omiſſa cæterorũ cura, priuatæ ſaluti homines conſulere cogit. Sic mirantibus noſtris ſuper capita quaſi ipſa gladium extulit hoſtis. Mirari æque & me cum illis non immerito me hercle ſubit, quomodo talis apparatus, & tam propinquus aduentus Barbari cælatus eouſque ſtare potuerit, vt non flumina, non lapides ipſi proderent. Ita forſan volentibus Dijs, qui (vt inquit ille) ex altero dolio, continuum fortunæ ſucceſſum, interpellare voluerunt. Nullo fermè bello defuère transfugæ exploratores, literæ, & occulti nuncij ab amicis Scanderbego, tunc omnia æque deſiderata, ni id forſitan fuiſſe cauſæ dixerimus, quod parato iampridem in Græcos, Aſiaticos, & habito ad manum exercitu ea celeritate actam rem, vt nõ potuerit fama aliqua prauertere venientes, ſicut in parando, & conficiendo delectu, vſu fieri conſueuit. Literæ præterea & nuncij non ſunt id negocij genus, vt ſemper poßint rectè expediri. Et inuidere fotaſſe veteres amici gloriæ viri, quem eouſq́ extra auitos limites efferentem caput æquo animo ferre nõ potuerunt. Sed hæc ſicut incerta, ita non ſatis audacter confirmanda nobis. At recenſenda tamen ſunt, vt negligentiæ ſaltem aut tarditatis crimen euitemus. Nam ſi quid minus verum dictum fuerit, excuſabit iuſtißime nos ea auctorum penuria, in qua paucis aut nullis extantibus ſcriptis vix aliud propius vero elici potuit. De cuſtodia quoq́ illa, quæ in opportuniore & clariore proſpectu erat, & ex qua potißimũ pendebant oculi noſtrorum, variant homines. Alij enim corruptos promißis, & muneribus ab hoſte illos dicunt, alij negligentius pererrantes quoſdam per amœniora loci, quoſdam dormientes ab anteſignanis hoſtium oppreſſos, & ſic occiſos omnes, priuſquam aliquid de conſtitutis ſignis facere potuiſſent. Quid credam ipſe non ſatis indicare poſſum, nam perfidiæ ſicut nullam cauſam, ita non facilem adeò eam rem puto fuiſſe, nam quod facile forſan fuiſſet in paucis, difficile profecto in eo numero exiſtimandum videtur. Occiſorum quoque nulla cadauera, nulla veſtigia poſtea viſa. Quamobrem non deſunt, qui captos eos non iniqua ratione aſſerant. Aliæ cuſtodiæ non eam partem obſeruabant, vnde periculum fuit, & quæ obſeruabant, non poterant venientes, niſi in propinquo aſpicere hoſtem. Hi itaque aliquantulum ſpacij præbuère ſtationibus ad ſe inſtruendum. Non potuit

Marinæ tempeſtatis deſcriptio.

Homer. Iliad. vlt. lib. ſcribit in Iouis limine ita eſſe duo dolia, quorum alterum ſit plenũ triſtibus, alterum lætis.

Scanderbeg deſtitutus exploratoribus.

de more longius ſpectatores mittere Caſtriotus, neq; proſpicere melius ſaluti ſuorum, ne incolarum inſidijs, vel aperta etiam vi tollerentur, quum omnia vbique hoſtilia eſſent. Præſidium illud montanum, & vel negligentia (vt diximus) vel perfidia hominum cauſa totius mali fuit, ac decepit exercitum, ita vt Muſachium, cuius viciniora ad accedentem hoſtem tentoria, & primum venientium impetum exceptura erant, iterantibus, & clamantibus cuſtodijs, adeſſe Turcas, & puluerem fermè oſtendentibus grauate credidiſſe dicant. Tamen hunc ipſum nonnulli alea ludentem cum contubernali quodam ex regijs, dormientem aliqui inuentum aſſeuerant, & imminente tandem hoſte, quum aſcendendi equi ſpes, atque copia præciſa foret, pedibus effuſa fuga petijſſe montem, ſed mox oppreſſum. Nos & tempus licet anguſtiſsimum ad equum, ad arma capienda habuiſſe, & acriter dimicãtem inter primos cecidiſſe accepimus, & illius interitum, principium fugæ fuiſſe. Nam quum apparere iam ſigna hoſtium, & procurſare anteſignani viderentur, ipſe inſtructus (vt potuit) copijs, dubius primo tam de pugna, quàm de fuga fuit: ſed quia propter nimiam hoſtium vicinitatem nihilo incruentior hæc futura apparebat, præterea non ratus eam hoſtium multitudinem, nolens deniq; Scanderbegum cum cæteris, qui in monte erant, relinquere, excepit acerrime impetum venientium, ac integer animi, viriumq;, aliquantiſper oppetendæ mox vltionem mortis ſuæ ipſe dextera ſumere volebat. Sed vbi cadentibus vndiq; ſocijs, nudari omni præſidio latus, & inanem virtutem ſuam, inanem pertinaciam vidit, citato equo ſæpius ſequente milite fugere in montem conatus eſt. Nullus enim alius locus propè erat, vbi differri, nedum euitari id periculum poſſet. Occluſis tamen omnibus ab hoſte itineribus, & velut circulo ſæptus, tum demum virtute in rabiem verſa, ipſo audaciæ miraculo hoſtem deterruit. Tanuſius Thopia licet ab altera parte & ipſe vix minore arderet incendio, miſeratus Patruelis caſum omnium oblitus, ac velut amens dolore, aperire viam illi facto in hoſtem agmine pluries tentauit, ſed vbi irrita omnia, & eam tantũ pietatem præſtari homini poſſe aduertit, vt ſocius illi caderet, ſaluare tum reliquos, & colligere circa ſe, ac hortari ad fugam cœpit. Idem Tanuſius Ginachius ac cæteri fecêre. Vix tamen quicquam periculi, vel ſanguinis diminutum per fugam, nam partiti, & effuſi vndique hoſtes, hi circa Muſachium, donec aliquid ſupereſſet reliquiarum, alij circa fugientium agmen cœptum ſemel victoriæ tenorem nuſquam interpellabant. Scanderbegus, cuius remotiora caſtra aliquantum ab ea iniuria fuêre, ſæpius deſcenſurus ad ſocijs quoad poterat auxilium ferendum, vel cum eis glorioſe cadendum ſuſtulit ſigna, tamen rogatus à ſuis, vt occaſionem aliquam captaret erumpendi, neque in tam apertum diſcrimen, & certam mortem rueret, infrendens dentibus, & ore iamdudum cruentato,

Præſidiũ mõtanum cauſa totius mali.

Muſachij fuga & interitus.

Tanuſij Thopia pietas in patruelem.

nunc

nunc huc, nunc illuc crebro ferebatur motu. Nam ferunt de eo illud quoq; dignum memoratu, quum initurus prælium foret, vel in ipſo etiam pugnandi ardore, præter cætera mirabilia mutati vultus ſigna, labrum inferius ſcindi ſolitum cum copia multa ſanguinis, quod etiam nedum in bellicis rebus, ſed ciuilibus quoque negocijs frequenter viſum, quum præter modum excanduiſſet. Barbarus Muſachij copijs cum duce ipſo conciſis,

Mos Scanderbegi, labrum inferius ſcindendi, vt ſanguis effluat.



Tanuſium, cæterosq; fugientes effuſiſſimo curſu ſequebatur, modico ſubſidio poſt terga relicto. Hinc forſan credi poteſt montanas copias noſtras ab illo non curatas, ſeu partim occluſas, partim quæ expedita campeſtri victoria, facile intercipi poſſent, aut ita forſan trahente ardore, & ſtudio inſequendi reliquam rei benegerendæ occaſionem amiſerunt. Tum Caſtriotus vbi non multum periculi ponè vidit, diſpoſitis, vt in eo tumultu, ſummo conſilio copijs, ac pedite intermedio accepto, relictis omnibus, deſcendit in planum. Ex oppido nulla vſquam eruptio vel inſtantem eum, vel diſcedentem facta. Quod ſatis mirandum eſt, quum eam vbiq; victoriam ſuorum, & tuta quaſi omnia viderent obſeſſi. Timuêre (vt plerunque fit) eos qui non minus timebant. Tamen Scanderbego diſcedente, mox aperta vrbs, & multitudo ad diripienda caſtra diſcurrit, priusquam victor miles ad eam prædam aduolaret, rapta per ocium omnia, & tormenta multo clamore, læticiaq; tracta intra muros. Scanderbegus relicta Muſachio cura, vbi vltione potius, quam auxilio vllo opus erat, in inſequentes maximo impetu delatus, ſimul lacerabat hoſtium terga, ſimul clamabat ſuis, vt ſiſterent gradum, & nouo auxilio vterentur. Agmina Turcarum, quæ

Scanderbeg fugit cum reliquis copijs.

in ſubſidijs fuêre, & cum Muſachianis depugnauerant, omiſsis ſocijs, noſtriſq́ue, ad prædam hincinde & ſpolia legenda circunfuſa, multum laxamenti præbuêre Scanderbego ad deterrendum hoſtem, & inhibendam fugam ſuorum. Nam vbi eripi ſibi victoriam à tergo, & inſtare Caſtriotum aduertit Sebalias, conuerſis prius ſignis, & obnixo vultu aliquantum & accepit cladis, & intulit. Dehinc retracto ab vna parte exercitu paulatim cedens firmauit aciem, donec diſperſum hincinde, & inordinatum militem collegiſſet. Scanderbegus non multum infeſtus cedenti, cogere & ipſe reliquias ſuas, ac vnire procurauit. Nullum reſpirandi tempus permiſſum à Barbaro, licet & feſſa, nec dum ſatis compoſita eius agmina eſſent. Irruit contemptu, ac deriſu quodam in aduerſos, finem iamiam Epiroticæ inſolentiæ, ac ſupplicium rebellioni adeſſe minitans, abſorbereq́ue ſe cum equis armiſq́ue eam paucitatem crebro dictitans. Nam præter alios qui apud Tanuſium, & inter fugiendum ceciderant, tria millia amplius cum Muſachio oppreſſa, duo peditum, reliqui equites. Scanderbegus velut intrepidus magiſter, collectis eius naufragij tabulis, ac vix refecta carina, ad nouam ſe tempeſtatem, maiore animo quam ſpe accingit, clamitans furibunda voce: Me me ſequimini cōmilitonem, ad cædem, non ad pugnam, increpanſq́ue ſuos, & ſingulos appellans: Quæ ſocordia iſthæc veſtra? Quis inſolitus timor? Iacebunt ne inulta tot egregia ſociorum corpora? Cadetis inulti vos? Hoſtis vetus eſt, hoſtis inquam nil aliud, quam aſſueta materia gloriæ veſtræ. Ac inter ea dicta ad confertiſsimos quoſque prouolans, neceſsitate iam etiam ipſa cogente vltima audere, Homericum illud vbique exactiſsime verum eſſe probabat: Fortitudinem ſolam inter virtutes ſæpe furentes quoſdam impetus habere, quare nunc cedentium, nunc reſiſtentium cæde & ſanguine cuncta replebat. Inuictus ſemper, ac fœlix bellator, ſed tunc virtus eius maxime enituit, & priora omnia fortitudinis opera longe eſt ſupergreſſus. Cæteræ quoque illius copiæ furentes, deſperatione, ac rabie velut cæci ruere in ferrum, & ſequi in quencunq́ue euentum Ducem. Cæterum Georgij Thopiæ Tanuſij fratris ſubitus caſus, multum timoris reliquis intulit, quem humi collapſum, ac obrutum propè vix ex hoſtium faucibus eripuêre noſtri, ac impoſuêre in equum. Pedites noſtri cauere melius vim hominum poterant, quam equorum, nam ab eis pluribus locis ſtrati obterebantur. Quare ſummo ingenio atque celeritate equos occiſorum, vel ſuos, vel hoſtiles, quos habere poterant, conſcendebant. Ea res cauſa ſalutis multorum fuit, & totius etiam exercitus, quum velut duplicarentur eo modo vires hominibus. Scanderbegum perfracto quodam cuneo hoſtili, penetrantem ad vexilla, & ſtationem ipſam Ducis, vt inde victoriæ auſpicium, & confeſsionis hoſtibus exprimeret, progreſsi ante alios duo viri, qui in caput eius olim iurauerant Tyranno, ſtrictis gladijs excepêre.

Tria millia cū Muſachio oppreſſa.

Pulchrum ſimile de tabulis naufragij.

Fortitudo ſola inter virtutes ſæpe furentes impetus habet.

Georgij Thopiæ caſus.

excepère. Eo loci Muſachius Angelinæ, dum patruo ſuppetias ferre cupit, vulneratus eſt in dextero humero. Identidem cæteri à fronte, à tergo, à lateribus pauci, à multis onerati vix reſpicere ad Caſtriotum poterant. Ita vnus duobus velut ſorte quadam relictus, omnium oculos in ſe conuertit, nam Barbari expellentes manu, voceq́; ſocios, ſoli eam ferre laudem & præmia ab Ottomano propoſita volebant. Circumeunt crebro virum, & citatis hincinde equis ſine reſpectu ſui diſcriminis inuiſum caput, & ferocem ſpiritum petunt. Iniecta Caſtrioti virtus, ac experta totiens dexte-

Stratagema Scanderbegi cum duobus Turcis.



ra, ſolicitos ſuorum animos, & trepidas turmas ſolabatur, quippe quem toties & ex duobus, & pluribus victorem excepiſſent. Multa tamen timere facit timor & ferocia, ac audaces hoſtium inſultationes. Impellunt vbique agmina oppoſita, & re adhuc integra, quod poterant auxilium, ferre Duci contendunt. Interim Scanderbegus hoſtibus cominus congreſſis ipſorum alteri, cui Barach nomen ſupra diximus, mediam faciem enſe, qua ſedes oculorum eſt, aperuit, alteri quum multiplices inter ſe ictus ambo ſine vllo hauſtu ſanguinis conſumpſiſſent, gladius humi prolapſus. Tum impiger hoſtis acto propius equo, victorem vtraque manu tenaciter amplexus, excuſſis ſtipendijs, & equo relicto, humeris eius toto corpore ſe ſuſpendit, vt eadem illum ruina traheret ad terram ſecum. Tum circumfuſi paſſim Turcæ, vt commilitoni ſuo ſuppetias ferrent, celeriter cõuolant. Sed ſtatim præciſa pendentis ceruice, Epirenſis liberũ ſe accurrenti fruſtra hoſti obtulit, aucti ex eo & cæteris animi, ac ſequentes victorem, inclinatos iam Barbaros multis confodiunt vulneribus, atque alios ſuper alijs iacen-

tibus addunt. Attulêre multum & moleſtiæ inde, & ſolacij hinc ea victoriæ auſpicia, ac mutatæ fortunæ omen acceptum. Sed defatigatio nimia hauſerat iam vtrorumq; vires, & parendum iam nocti erat. Prior Barbarus confeßionem vel timoris eius, vel laßitudinis præbere cœpit, ac hortantibus ducibus colligere ſe circa ſigna, & recipere in montem, priuſquam tenebræ eos in planum operuiſſent. Caſtriotus & ipſe immodico labore ac dolore confectus idem cum ſuis fecit, collemq; proximum 15. fermè ſtadijs procul ab hoſte conſcendens, ibi vſque ad ſecundam vigiliam noctis manſit. Ac tunc demum non ſomno, non cibo corporibus curatis, quum neque adeſſet quippiam, neq; præ mœſtitia optaretur, ſilenti admodum agmine diſceßit, Sebalias ea nocte oppidum non eſt ingreſſus, ſed comportatis ab oppidanis cibarijs, per montem, & ſuburbia tentorijs fixis, multisq; cuſtodijs adhibitis, eam victoriam celebrauit: nam credidit noſtros ibi diem expectaturos, & denuo velut inſuetos vinci homines, & impatientes eius ignominiæ, poſtridie fortunam belli tentaturos. Quare luce orta inſtructis ad pugnam omnibus, deſcendens in planum, crebra agmina ſuorum hincinde dimiſit, ad laceſſendum hoſtem, ſi alicubi latitaret: licet enim ſenſiſſet ſecunda vigilia ſtrepitum, & ſigna quædam diſcedentium, tamen ratus eſt vel aliquo tutiore loco illos vel aptiore ad inſidias contractos quieſcere. Hæc eadem quoque cauſa fuit, ne ad depopulandam, & deuaſtandam prouinciam exercitũ duceret, veritus eam victoriam, ac rem tam ſuis inuſitatam, caſu aliquo deformare. Igitur neque fugã noſtrorum, & ſperatæ copiam pugnæ ablatam ſibi, multum moleſte tulit, parti eius inſueti quaſi decoris, & poſſeſſæ ſemel fortunæ nimio plus ſtudioſus, id quod ſatis heſterna pugna oſtendit, quum prior ſacietatem, vel defatigationem ſuam confeſſus receptui ſignum dedit. Confici enim tunc forſan potuiſſe Epiroticum bellum nõ difficile crediderim, ſi plus animi Sebaliæ fuiſſet, quippe quum laßitudinis, & temporis par vtrinq; ratio, paria incommoda eſſent, immo virium autem plus, quo plures erant, & equites omnes. Quamobrem erupturos iampridem fuiſſe noſtros in fugam non dubito, ſi ſalutis quippiam deprehendiſſent in ea: ſed quia tum tutior pugna pediti viſa eſt, tum mali ſui confeßionem tumido hoſti dare nolebant, ita forſan ſtatuentibus Dijs, qui & augêre his, & illis minuere ſpiritũ voluêre, ac noctis demũ tam opportuno beneficio deſperatas iam res tutati ſunt, ne tot olim armorum laudes, ac perfungendæ gloriæ materia eo die clauderetur, ac peſſum iret Epiroticum imperium, priuſquam fermè creuiſſet. Vbi itaque vacua circum omnia hoſte viſa, & libera victoribus relicta, tunc demum reliquum ira, odijq;, quod in viuos non poterat, in iacentia paßim cadauera inſolens dextra expleuit. Spirantes tamen adhuc multi inuenti, præſertim qui attriti ab equis perfractis cruribus inutiles tam ad fugam, quam ad arma

Sebalias victo riã celebrat.

Sebaliæ puſillanimitas.

Odium Turcarum in iacentia corpora.

arma ceciderant. Quorundam manibus præciſis, reliquum corpus inuiſum ſpiritum ſeruabat. Aiunt etiam nonnullos vel multis laceratos vulneribus, vel ferreis hoſtium clauis deturbatos, ac relictos, per eam noctem tacitè ſurgentes, per loca vicina latitaſſe, & poſtea Croiam perueniſſe. Cæſa ſunt eo prælio noſtrorum 5. millia, 3. peditum, reliqui equites, vulneratorum magnus numerus. Regium auxilium Apulorum totum fermè deletum, nam maior pars eorum cum Muſachio fuit, præter agmina quædam, quæ Caſtriotus in monte ſecum habuit, & in re tam ſubita inutiles ſclopi, & id genus armorum fuerat, quin ex noſtris quoq; plurimi inermes, & ſternentes equos, oppreſſi: viui octuaginta capti. Illud tamen fœdiſſimum & teterrimum fuit, quod hoſtes cupientes teſtimonium aliquod priuatæ virtutis ſecum habere, diſcurrentes per ſtragem noſtrorum, palpitantia adhuc cadauera, vbi cæteris rebus nudaſſent, capitibus quoque (vt eorum mos eſt) priuabant. Et quia tum propter longitudinem viæ, tum calores æſtiuos, eò quod ſubito putreſierent, incommodum id onus erat, excoriabant ea, & cutem tantum acceptam, quæ formā oris ſeruaret, palea implebant. De multis hoc factum, illis præſertim, quos vultus & habitus ipſe, vel notiora nomina digniores eo odio fecerant. Muſachij non caput tantum omni fœditati & iniuriæ deſtinatum, ſed diſcerpta ſingula membra, & velut nefariorum graſſatorū regionatim ſparſa. Alij quoq; trunci tracti per loca, & valles adiacentes, ne fœtore vexarentur oppidani, & feris auibusq; relicti. Licuit impunè omnia, & per ſecurum ocium agere, nam Caſtriotus longè aberat, & addito ad eas reliquias recenti milite, loca quædam, & ſaltus obſederat, ne irrumpere hoſtis, & penetrare interiora prouinciæ poſſet. Sæpe libido inceſſit nouum aliquod vltionis genus tentare (ita quandoque inſtare periculo impetus eſt nobis) ſed nunc immodicus, & victor hoſtis, nunc longinquitas viæ, & grauantia ſociorum vulnera prohibebant. Impleuit ſubito fama eius cladis vicina circumquaq; loca, ac prouinciam omnem, quin & longius progreſſa mœrorem vbique, & lachrymas ingentes excitauit: nam dictum eſt à multis, exercitum noſtrum omnem deletum, & Scanderbegum ibi cæſum, vel cōiectantibus ita hominibus, vel aſtruente libenter (vt fit) vulgo præclarum aliquod, licet luctuoſum mendacium. Alij eadē ipſa fortaſſe ratione abolitas copias omnes affirmabant, & ſolum eum pugnando prius egregie, deinde fuga ſeruatum. Plures (id quod & verū erat, & propius vero videbatur) magnum numerū noſtrorum amiſſum, Scanderbegum vix credibilia diuini propè corporis, ac inuictæ virtutis experimenta dediſſe, & ſola quaſi ſua dextera & animos & vires hoſtium fregiſſe, ac demum eius prælij laudem è manibus victorum extorſiſſe, & illæſum, inuiolatumq; cum reliquis eſſe non longe à Croia. Cæterum luctus & vlulatus plena vbique omnia viſebantur, ſordidatæ matronæ,

Cæſa Chriſtianorum quinque millia.

Crudele iactātia cadauera capitibus priuare. Cadauera excoriare, & cutem palea implere.

Vulgi mos præclarè mentiri.

tronæ, & domus omnes in lachrymis ac ſqualore, licet nihil adhuc certi haberent, quid dolerent, tamē funera iamiam ſua, veluti ſi ante oculos eſſent, lugubriter expectabant. Moſis perfidiam, & occultam iampridem rebellionem, proſpera Scanderbegi fortuna, & res ſecundæ ſuſpenſam & dubiam eouſque tenuêre. Sed vbi audita exercitus clades, & cognita calamitas eius, tum demum cupita iamdiu occaſione accepta, vertit & ipſe ſcelerata arma in patriam, ac diripere cœpit (vt aiunt) naufragij tabulas, quas & ſtruxerat ipſe olim, & ſepenumero ſeruauerat. Sed quia ſordidum ſuapte natura factum eo fœdus Moſi videbatur, quo nullum eius negocij ſocium haberet, cupiens participes aliquos ſceleris ſui comparare, & multitudine quaſi peccantum, infamiam ſuam minuere, atq; maiore aliqua auctoritate accedere ad Ottomanum, ne ſi ſolus velut transfuga iſſet, perinde vt vilis contemneretur. Seduxit quoſdam ex ſuis magis intimos, & quorum ſatis peruias aures eiuſmodi conſilijs credebat. Ac velut dolens primo vicem Scanderbegi, & calamitatem Epiri tacite, & Mahumetis in ſe animum, & quæ ab eo multoties ſibi oblata eſſent, illis aperuit, alliciens multis verbis ad ſe ſequendum homines, & ad eam perfidiam complectendam, mutatam fortunam Epiri, ac coactos tandem, ſi nunc reſpuant quæ proponantur ſordida, & infœlicia omnia ſubituros inquiens. Et reflexa deniq; oratione, quid præterea ſemper ſe ſub Scanderbegi auſpicijs victuros? & ſanguine, ac ſudoribus ſuis alienam gloriam aucturos, cum alioquin tam certa imperij ſpes, & ingentis materia laudis detur à Tyranno, multiſq; ſubinde confictis criminationibus in Caſtriotum inuectus, animos illorum ab eo abalienauit. Solicitaſſet & alios fortaſſe Moſes ad eam defectionem, & multitudinis, ac populorum ingenia conciliare Turcis procuraſſet, ſed ita ſingulorum mētibus hærebat Caſtriotus, & tam infixum omnium pectoribus nomen, ac imperium viri, vt facilius (quod aiunt) Herculi clauam eripere potuiſſet, quam à vulgi affectibus Caſtrioti beneuolentiam amoremq; demoliri, namq; vnà cum corporibus ipſis, non cum vlla variatione fortunæ fides eorum expiratura apparebat. Quare non ſolum inanem eum laborem, ſed etiam periculum aliquod ſibi veritus Dibrenſis, nihil vlterius tentauit. Sed coniuratis ſuis contentus, & ordinatis omnibus, dato per noctem ſigno, Sfetigradum eos duxit, vt inde literis à magiſtratu habitis, & libero per ignota hoſtium loca impetrato commeatu, Conſtantinopolim ſecurus accederet. Neque quippiam fruſtra à Sfetigradenſibus deſiderauit, ſed perbenigne ab omnibus acceptus, & literis adiutus eſt, & comitibus qui euntem ab iniurijs prouincialium ſeruarent. Sebalias aliquot dies cum oppidanis commoratus eſt, donec munimenta quædam inſtauraſſet, ac diſiectos ab hoſte muros aggeribus ſtipitibuſq; ſolidaſſet, nam in ea celeritate non poterant apparari lapides, & alia ad renouanda mœnia demolita tormentis,

Moſes perfidus arma vertit in patriā.

Herculi clauā extorquere. Ioui fulmē eripere. Prouerbium natū ex Maronis Apophthegmate.

mentis,ſed & hæc procurata,atque ante eius diſceſſum ſummo ſtudio parari cœpta,præter cætera tamen copiam ingentem frumenti,& reliquos affatim commeatus inuehi in vrbem procurauit, quoniam ad vetus præſidium ſeptingenti amplius lectiſſimæ & fideliſſimæ operæ viri additi. Tormenta etiam quæ ablata noſtris fuêre, omnia oppidanis conceſſa, præter machinas quaſdam minores, ſcorpiones, & ſclopos, quæ cum cæteris occiſorum ſpolijs ad ornandum triumphi ſui ſpectaculum ad Regem ferenda reſeruauit. Ita munita egregie vrbe, ac obſidibus traditis Chriſtianis, laudatisq́ publice omnibus, mœſtam admodum, & quaſi trepidam ciuitatem lætiſſimus ipſe reliquit. Sed neque illis etiam deerat cauſa dolendi, quæ tam immodicam ſui lætitiam contunderet, & mancam redderet, licet inſuetis vincere hominibus nihil ea victoria pulchrius, nihil præclarius videretur, nam relicta ex ipſis quoque ſub Belgrado tria paulominus occiſorum millia. Illi præterea duo viri, quorum ſanguine, ſatis redempti Muſachij manes videbantur, merito cum fœlicitate illa compenſari poterant: factis tamen militariter foueis, humati omnes, ne victi forſan ad cladem recenſendam, & funera ſua accurentes, per lacerationem inuiſorum corporum vltionem, & nouam quandam ſatisfactionem quærerent. In Dibra orta luce, vbi nuſquam viſus Moſes, magnus tumultus, & mœror ſimul excitatus, præſertim inter amicos, & cõiunctiores viri. Quæſitus eſt ſolicite multis locis, & expectatus vſque ad noctem. Nonnulli occiſum, quidam tacite ad explorandum aliquid profectum, & aut captum ab hoſte, aut ſi id non eſſet, mox reuerſurum credidêre. Plures coniectantes pridiana eius conſilia, & latentes ſeductiones quorundam, id quod in re erat, affirmabãt, quæ ſententia ideo maxime recipiebatur, quod & ſuſpecti eius coniurationis nuſquam apparebant. Quamobrem trepidatum eſt multum in Dibris, præſertim inter milites præſidij, qui & adhuc hoſtem victorẽ in Epiro, & ſe ſine duce eſſe ſentiebant, proditumq́ præſertim ab ijs quibus minime debebat Scanderbegum, dolebant. Tamen militaribus pro tempore ſuffragijs, ac conſenſu inter ſe (vt fit) mox & ducem, & reliqua quæ opus erant, ſummo ſtudio ſtatuerunt. Erant inter cæteros nobiliores eius loci, & principes iuuentutis duo fratres ex vetuſta Beriſſiorum familia, Demetrius, & Nicolaus, quorum & præclara, & frequenti opera vtebatur Scanderbegus: hi audientes tum fortunam exercitus noſtri, & Belgradenſis obſidionis euentum, tum defectionem ipſam, ac perfidiam Moſis, nihil tardati, mox ad præſidium & imperij clauſtra aduolarunt, verentes ne vel timore aliquo, vel licentia ſolueretur illa cuſtodia, & vacuus defenſore locus relinqueretur, præſertim quod Sebalias adhuc in Epiro eſſe nunciabatur. Summa itaque ratione primum intentiſſima conquiſitione habita, auxêre id præſidium, & formauêre verbis, factisq́ animos hominum, concilian-

Sebalias munit Sfetigradũ

Moſes fugit ex Epiro.

Demetrius & Nicolaus e Beriſsiorum familia.

tes illis omnibus modis Scanderbegum, & eius fortunam commiſerantes, ac perfidiam Moſis deteſtantes, quem fortaſſe profectum ad introducendum illuc hoſtem, & mox affuturum dicebant. Credita facile omnia, ac redactus tutiore loco miles, & apparata ſingula, quaſi iamiam expectaretur hoſtis. His ordinatis Demetrius, matre ibi cum præſidio relicto, ipſe cum nobilibus quibuſdam Dibrenſium ad Scanderbegum magnis itineribus ire perrexit, vt illum admoneret, quo in ſtatu in Dibris res eſſent. Interim Sebaliæ diſceſſus à Belgrado ac tota Epiro certis auctoribus & exploratoribus nunciatur. Scanderbegus vel domeſticæ calamitatis, vel ignominia fortè quadam commotus, fugiens tam fœdum & luctuoſum ſpectaculum, reuerti amplius ad inuiſum locum ad mala ſua ſpectanda, ac renouandas lachrymas noluit, & quos viuos ſaluare non potuerat, neque mortuos componere curabat. Sed quum fremerent paſsim milites, & conſanguinei occiſorum, non defraudanda ſaltem tumulo oſſa ſuorum, & recentia adhuc cadauera feris, auibusq́; relinquenda, ne vulgi voluntatem offenderet, conceſsit illis omnia, inanem licet non ingratum eum ſepulchri honorem appellans. Cæterum ne qui ad beneficium alijs præſtandum contenderent, iniqui ſibi ipſis forſitan eſſent, & augerent magis corporibus ſuis, quam detraherent funera, ſi vel pauci, vel inconditi irent, ex eis copijs quas ſecum habebat, 7. amplius lectiſsimorum hominum millia ad eam rem elegit, qui illos tutos redderent ab iniurijs hoſtium, & eruptionibus oppidanorum. Tanuſio idipſum cupide petenti hoc munus commiſſum, ac exercitus cura tradita, qui præter cætera ſolicitus de corpore amici, & Muſachij reliquijs, mox Scanderbego relicto Belgradum ſine ſignis, ſine vllo bellico ornamento conuertit iter. Caſtriotum Croiam cum cæteris euntem, Demetrius eſt in ipſo quaſi ingreſſu vrbis aſſecutus. Effuſa eſt paſsim ciuitas obuiam venientibus, & licet à varijs prius nuncijs, à ſaucijs præſertim, quos ſtatim poſt acceptam cladem præmiſerat Scanderbegus, mala ſua didiciſſent, voluptas tamen quædam erat miſeris accuratius ſingula de venientibus percontari, præſertim quod repugnantia multa, & incerta ab alijs dicta fuerant, vel quod mortuos etiam ſuſcitari ad vitam, & reſtitui ſibi per Scanderbegi præſentiam poſſe credebant. Fœminæ, viri, ſenesq́; nullo diſcrimine, hi veſtes, alij dexteras militum per omnes gradus præſtantes, miſerabili voce fratres, viros, & chariora filiorum pignora repoſcebant, & ab inuitis alij luctus & doloris ſui cauſam extorquebant. Alij inſperato nuncio reſtituti, gaudia ſua, ne cæterorum offenderent animos, celabant, & priuatam ac publicam mœſticiam imitabantur. Vix tamen vllus, niſi qui præſentia corpora ſuorum in oculis habebant, vero & ſtabili gaudio affectus eſt, nam reuerſio illa ad Belgradi oppidum continui timoris & doloris cauſa erat. Conqueſti ſunt primum Dibrenſes de viciſsi-

Chriſtiani occiſi à Turcis ſepeliuntur.

Croienſes obuiam vadunt Scanderbego.

Cataſtrophe belli.

viciſſitudine rerum, & varietate fortunæ, nunc appoſitis verbis, lachrymiſq́, velut transferentes eius in ſe dolorem, nunc ingentibus animis conſo-



lantes virum, & hoc documenti cuiuſdam loco computantes Epiro. Statimq́ in Moſen delapſa oratio, & tota circa eum conſumpta, in eo præſertim, quod dubitabatur, ne ad Sebaliam accerſendum, & inſtruẽdum de rebus Dibrenſibus ijſſet. Attonitus Caſtriotus primo, & vix compos ſui, veluti immobilis aliquandiu ſtetit, mox interrogando libentius, quàm credendo, nonnihil temporis conſumpſit, magiſq́ tandem dolere de eo viſus eſt, quàm de tota Belgradenſi clade. Cæterum regia, vt conſueuerat, voce, parcere ſe inquit haud grauate Moſi, quod ea fortuna illum ſibi abſtuliſſet, quæ vel conſtantiſſimorum quorumcunq́ animos mutare poſſet: adeò vt quum legati ipſi, itemq́ cæteri qui aderant (ſicut libenter & euentu iudicant, & interpretantur ſingula homines) veteris, & iamdiu coctæ rebellionis illum accuſarent, & criminarentur: ideo Sfetigradenſem oppugnationem diſſuaſiſſe, ideo fugiſſe Belgradenſem, vt hoc nefarium expleret conſilium, velut indignatus plura de eo audire, ſilentium iuſſerit dicens: Vtinam cum Moſe perfidia omnis, & mala fortuna migrauerit ex Epiro. Cætera quæ de Sebalia introducendo non iniqua ratione dicebantur, non curata multum, quod egreſſum omnes Epirotici imperij fines, & nuſquam interpellato itinere properare in Græciam audiuerat. Tamen quia res magni momenti erat, & ſedari eum timorem, vel ſuſpicionem hominum oportebat, ac confirmare dubiam aliquantulum, & mœſtiorem prouinciam propter eam inſuetam cladem, vix ea nocte ibi moratus, mane cum Ameſa, & egregia

Scanderbeg dolet Moſis vicem & excuſat.

Scanderbeg ad Dibras cócedit.

equitum manu in Dibras conceſſit. Tanuſius cum exercitu ab oppidanis viſus, nonnihil priſtini timoris renouauerat, procurſum in muros, & ad priora miniſteria reditum ingenti feſtinatione, nam futura mox oppugnatio à multis credita, non id quod re ipſa erat. Sed poſtquam & paucitas ipſa, & inordinata agmina propius cognita, leuati metu animi, & ſedatæ mentes, noſtris ex fœdiſſimo ſuorum aſpectu, ignauis æque, fortibusq́ vis ingens lachrymarum euocata, præſertim quod audio fœminas nonnullas ex locis vicinis Tanuſium ſecutas, & ad diſquirenda funera ſua progreſſas. Vix tamen vllibi certas figere lachrymas, aut domeſticum funus honorare alicui conceſſum eſt. Horum infames trunci, ac nuda cadauera illorum deformati, ac corrupti iam vultus, nedum certam illam & peculiarem, ſuisq́ cognitam, ſed & humanam effigiem omnem amiſerant. Multa etiam iam dealbata oſſa à feris, vulturibusq́. Flebant tamen miſeri ad quodcunque oblatũ cadauer, dum omnia ſua eſſe credunt. Non fœtor, non tabes vlla dimouere homines potuit ab amatis corporibus. Demum vbi ſatis perfuncti officio ſuo oculi, ac lachrymis exaturatus dolor, inſtante Tanuſio, factis circum crebris velut tumulis, terra terræ reddita, ac gemitus omnis repreſſus. Non potuit vlli melius hæc cura quàm Topiæ iniungi, nam vbi ea ſuis obſequia quam gratiſſime poterat, exoluit, ne ea tantum cauſa veniſſe videretur, & deriſus perinde ab oppidanis abiret, quærens qua ratione rabiem ſuam expleret, & dolendi aliquam cauſam hoſtibus relinqueret: primum in ſubiectos hoſtium oculis agros, immiſſo milite ferroq́ ſimul, igniq́, non vitibus, non arboribus, non rei vlli parcens, luctuoſum incluſis ſpectaculum ædidit. Deinde progreſſus pertinaciter ad muros, quod ſine periculo potuit, nihil damni, nihil ignominiæ in hoſtes omiſit. Exin dicunt nonnulli, & multorum opinione affirmata res eſt, erupiſſe maximo impetu regios, & iniectum in ſuburbia ignem, tum tormentis, tum oppoſitione corporum ſuorum arcuiſſe, ac vtrinque acriter pugnatum fuiſſe, ſed noſtros facile victores, & illos compulſos in vrbem, atque ita nihil vltra tentatum, verentemq́ Albanum, ne aliquis in ſe impetus ex locis vicinis appararetur, ſi diutius ibi manſiſſet, ſcelerata loca & noſtrorum clade infamia, multis deteſtationibus ac imprecationibus reliquiſſe. In Dibris crebra conſilia, & conuocationes ſeniorum à Scanderbego factæ. Et illud primum omnium quæſitum, ac perſcrutatum ſumma ratione, an vllus alius ex coniuratis Moſis lateret in prouincia, & aliqua occulta perfidiæ ſuæ veſtigia reliquiſſet Dibrenſis. Neq́ tacite tantum hæc verſata res, ſed palam per præcones acta, ac præmia ingentia delatoribus propoſita. Nihil tamen non ſolum perfidiæ, ſed ne ſuſpicionis quidem inuentum. Tunc actæ Dibrenſibus gratiæ, & laudata honorifice fides, ac promiſſis, & munificentia etiam inſigni pellecta, Moſis bona publicata,

Fœminæ progreſſæ ad diſquirenda ſua funera.

Terra terræ reddita.

Topiæ rabies in hoſtem.

Conſilia habita in Dibris.

blicata, & in fiſcum relata. Cæteri qui cū eo defecerant, ſicut non ſatis notæ erant conditionis, ita tenuioris fortunæ, quam vt id publice curaretur. Stipendia, quæ Moſi iampridem ſtatuta à Caſtrioto fuerant, poſt eius rebellionem fiſco adiudicata, & inter priuatos diuiſa ſunt. Dignitas vero ipſa ad neminem tranſlata, neque vlli collata fuit, ſed vacua atq; extincta permanſit, maximo conſenſu omnium, ac militum voluntate. Firmatis Dibrenſium rebus, ac præſidio ibi validiſſimo aſſignato, reuerſum Croiam. Tanuſius ibi cum exercitu inuentus, qui tradito Scanderbego milite, domum mœſtiſſimus ac inuitus quaſi abijt. Nouæ ibi lachrymæ, nouus luctus ex aduentu eius renouatus, atque auctum magis hominibus Muſachij deſiderium. Mamiza conuocatis de more gentis multis matronis, exequias viri in longo ſqualore, ac lachrymis, non interpellatis diebus, noctibusq; celebrauit. Id Neniam appellaſſe antiquos non iniqua ratione putauerim, nam inter flendum non virtus defuncti ſolum, & fortia facta recenſeri, ſed patrum res geſtæ, & omnes auitæ imagines, ac vetuſta familiæ ornamenta interſeri conſueuerant. Quæ res in tanto vſu olim apud multos Orientis populos fuit, vt ad id munus conducerentur doctæ fœminæ, quæ cantu geſtuq; flebili lachrymas inuitarent, ſed nunc ſicut cætera

Moſis bona in fiſcum relata.

Neniæ carmē laudandi gratia apud veteres in defunctorū funeribus cātari ad tybiam ſolitum. Eſt autē Nenia facticium nomen, à ſimilitudine vocis eorum qui querūtur & dolent.



multa, paulatim lachrymæ quoque ipſæ in deſuetudinem abière. Dimiſſo exercitu, Scanderbegus Apulos, qui ex clade ſuperfuerant, mittere cum legatis ad regem decreuit, qui fortunam ſuam nunciarent, & excuſarent. Sicq; quamprimum per incommoda vulneratorum integrum fuit, culti officioſiſſime, ac impoſiti nauigijs ſunt. His expeditis, ipſe ſtatim in Muſacheniam ad ſororem conceſſit, ſedaturus priuatas & publicas lachrymas,

ac curam imperij in ea rerum mœſtitia, ac demiſſione animorum habiturus. Tanuſius tutor nepotibus, & curator bonorum datus, qui ea ſide ac diligentia per omne tempus res eorum adminiſtrauit, vt maiorem diligentiſſimus quiſq; paterfamilias adhibere non poſſet. Nomen & dignitas imperij apud matrem fuit. Hæc ea moderatione, ac ingenij dexteritate in tractandis populorum animis vſa eſt, vt vix concordia maior ſubditorum vnquam fuerit in prouincia, quod perraro contingit, obedientia inconditæ multitudinis, maxime tamen ex eo laudari præclarum quoddam huius fœminæ ingenium poteſt, quod in rebus agendis ſociam conſiliorum à Scanderbego adhibitam ſæpenumero audio. Vota alterius mariti, vel ſecundas nuptias nunquam appetijt, inſigni pudicitia atq; caſtitate defunctum virum vſq; ad extremos cineres in honore habuit. Idipſum præter inſitam ingenio continentiam & grauitatem, illa etiam fortaſſe ratione, quod irreparabilis excelſi animi fœminæ Muſachij iactura videbatur. Fuit enim ille (vt proprias virorum virtutes taceã, quas ſatis præclarus exitus eius declarauit) adeò grata quadam morum indole, & ingenij iucunditate, vt nemo facilius, meliusq́; ſingulorum animis illaberetur, pulchritudine præterea (quod proprium mulierum ſpectaculum eſt) ac vultus, membrorumq́; decore maxime ad ea animæ ornamenta compoſito & accommodato. Verumenimuero dum tam ſolicite noſtra curamus, & ſingulorum la-

Mulier ſocia conſiliorum Scanderbego.

Muſachij dotes.



chrymas proſequimur, diſtulimus nimio plus fortaſſe Sebaliæ triumphum. Præceſſerat iam fama euntem de rebus bene geſtis in Epiro, ac multiplices nuncij regis animum inclinauerant aliquantiſper ad credendum, nam inſue-

Triumphus Sebaliæ, quo venit Conſtantinopolim.

inſueta vſque ad eam diem, & inſperata res minuebat vera dicentibus fidem. Moſis aduectus primum triumphi ſpectaculum, ac delibatio lætitiæ tam publicæ, quã priuatæ fuit, maturius hic aliquot diebus Conſtantinopolim venit, quam Sebalias, quum & incommodior via à Belgrado venienti, & trahenti exercitum iter ſegnius agendum eſſet. Ab eo exactius expoſita omnia, ac credita à rege ſunt, neq; vix vlla gratior victoria Mahumeti, quam Moſis præſentia, & mutata à Scãderbego voluntas fuit. Non occurrit ſagaciſſimo Tyranno, quod eum res Epiroticæ aduerſæ ad ſe traxiſſent, eaſdemq; reſtitutas ſibi auferre denuo poſſe. Sebaliam ingens feſtiuitas populi, ac multitudinis clamores excepêre, maiorq; lætitia hominum apparebat, quam expugnata nuper Græcia fuerat. Captiui vinctis poſt terga manibus primi oblati cum hoſtilibus ſignis. Tum reliqua ſpolia, ac bellica ornamenta expoſita, necnon capita occiſorum, quæ diximus, vbi vendita auro palea eſt, paſſim ad pedes vulgi proiecta, & iactata ioculariter à pueris ſunt. Seruorum Italorum ſubhaſtatio facta, ac veniere plures, præter paucos grauioris ætatis, ac iam emeritæ militiæ viros, qui cum cæteris Epiroticis aut pallis (præacutæ ſudes ſunt) infixi, aut ferreis vncis in altum attracti, ſociorum glorioſam ſub Belgrado mortem laudabant, & ignauiam ſuam, ac fœdam vitæ cupiditatem ſero deteſtabantur. De noſtris deformiora quoque alia ſpectacula ædita, vixq; vllus à crudeli hoſte ſeruatus odio gentis & indignatione nimia fortaſſe, aut victoriæ inſolentia. Vel potius, quod non maximopere Epiroticos ſeruos liceri ſolent Turcæ, nulla enim gens, nullum captiuorum genus (vt audio) difficilius emptorem inuenit, quam Epirotæ, & Hungari, vtpote quos minime ſeruitio aptos, & imperioſos nimis dicant, neq; vnquam ex eis bonos Turcas fieri conſueſſe. Quæ de Scanderbego narrata ſunt, multum & admirationis, & doloris Tyranno extorſere, ita, vt victum exercitum eius, victorẽ eum diceret. Auctaq; magis ex eo prælio fama viri, ac nomen apud hoſtes ampliatum eſt, quam vllo alio imperij ſui tempore. Diuinum omnes credere, dicereq;, ac inuulnerabile corpus viri, & non ferro, non vlli humanæ iniuriæ obnoxium. Sebaliæ facta ingentibus præmijs non defraudata, & ſolus aliquandiu in ore vulgi fuit, quod primus Scanderbegum vinci poſſe docuiſſet. Moſes quoque multo decore verborum acceptus, ac decreta ei alimenta honorifica, ſtipendiaq;. Poſcenti tamen copias, & bellum aduerſus Epirum negauit Mahumetes, cauſatus hyemem in proximo eſſe, aut ea ipſa ratione, aut fortaſſe (vt cauti quandoque iudices faciunt) non multum baptizato recenter Iudæo credens. Ita nedum per Moſen quippiam aggrediendum, ſed neque per alios quoque curauit, immuniſq; à belli Epirotici cura traducere id tempus ſtatuit. Ab Alphonſo interim Caſtrioti legatio reuerſa plenis (vt conſueuerat) manibus, alijſq; regijs legatis, qui

Tyranni vox de Scanderbego.

Vt tractatus Moſes à Tyranno.

Caſtrioti legatio redit ab Alphonſo.

introducti

introducti ad Scanderbegum, longa & appoſita oratione eius dolorem lenire conati ſunt, excuſaruntq́; iacturam ſuorum communi (vt fit) Martis fortuna, & viciſsitudine rerum, vſu id ſæpenumero euenire in belli diſcrimine dicentes, & maiora omnia, ſi opus foret, regis nomine offerentes. Caſtriotus gratijs actis, & inſignibus donis regiam liberalitatem ſuperare conatus, honorifice à ſe dimiſit, opera eorum perinde atque ſua, ſi res ferat, ſe vſurum ſine reſpectu dictitans. Non defuêre ab alijs quoq; Italiæ principibus, & populis vicinis legationes cum præclaris muneribus, promiſsisq́;, ne animus caderet, & eam iacturam immoderatius doleret, non laboribus, non ſumptibus, non periculis vllis parſuros Chriſtianos pro eius ſalute, dignitateq́;. Miratus eſt Scanderbegus eius rei famam, & magis tunc cladem & ignominiam ſuam cognouit, quam fumantibus adhuc vulneribus ſuorum ſenſerat. Inuicto itaque animo, & præclara voce negans eum eſſe pudorem, & ignauiam Epiri, quam homines concepiſſent, & ſat ſuas vires fore ſibi ad recuperandam fortunam, ac ſuperandam etiam omnem priorem laudem inquiens, lætiſsimos omnes domum remittebat. Partem eius hyemis ipſe Croiæ, partem in Dibris, atque varijs prouinciæ locis conſumpſit. Præſidium Dibrenſe minuit, & ad ſolitum numerum duûm millium equitum, mille peditum redegit. Cuſtodias crebras ſtatuit, ac exploratores frequentes dimiſit. Sed neque excurſionibus vllis per id tempus laceſsitus hoſtis, nam & quæ in proximo ſtabãt, corrupta iampridem omnia erant, & inferre interius arma, neque immodica frigora, ac perennes quaſi niues, neque Scanderbegus conſulto permiſit, moliens altius quippiam animo, & ad præclarius vltionis genus ſuos ſeruans ſpiritus. Ita ſegnia ea hyberna tranſacta, ac in ſumma quiete fuerunt. Iam ver appetebat, & omnia cœlo terraq́; temporis gratia miteſcebant, quum Moſes aſsiduus ante Tyranni fores ſtimulator, arma bellumq́; cupidiſsime poſcebat. Exigente tempore quoque ipſo, Mahumetes ad eum totus verſus, quæ petijt, omnia propenſo iampridem animo conceſsit. Nam per id ſpacium temporis (quod pluſquam ſemeſtre fuit) acta ſingula, atque conſilia viri exactiſſime ſcrutatus, efficacia multa indicia conſtantiæ, & fidei pertinaciſsimæ, ac abalienatiſsimi à Scanderbego animi deprehenderat. Virtus quoque quanta in pace potuit, conciliandi ſibi regis cauſa, ſatis multis indicijs demonſtrata, & robuſtiſsimi pleraque, idemq́; audaciſsimi corporis documenta expreſſa, adeò quod interrogaſſe ferunt Mahumetem (id quod referente poſtea Moſe propalatum eſt) an plures tales viros haberet Scanderbegus. Reſpondiſſe illum innumeros huiuſmodi apud eum eſſe: laudaſſeq́; Regem modeſtiam eius ſermonis, tum (vt fit plerunque, quum laudare apertius nos detinet pudor, velut ex obliquo per alienum contemptum latenter quem alijs detrahimus locum, perſtruimus nobis) paulatim

Legationes principum ad Scanderbegũ.

De aduentu Moſeos cõtra Scanderbegũ, cum exercitu.

Mahumetes inquirit Moſen de Scanderbego.

latim prius per gradus cæterorum ad Scanderbegum ipſum dilapſum Dibrenſem, atque multis modis conatum minuere famam viri. Et promiſiſſe poſt multa Tyranno, ſe omnino eo prælio, ſi copia adſit (id quod ex parte tentauit) periculum ſui corporis cum illo facturum, fortunamq; tentaturum, militum ampliorem numerum noluit, quàm quindecim millium equitum, quos ipſe ſua quaſi manu delegiſſet, atque ordinaſſet. Ottomanus ſicut curam exercitus illi tradiderat, ita omnia ad arbitrium eius referebat. Miles & ſi ea paucitate aditum Epiri abhorreret, ingens tamen fiducia viri bene fœliciterq; interpretari ſingula cogebat. Magna præterea Moſis autoritas apud ſuos, & conſanguinitas in prouincia, nō iniqua ratione acuebat hominum animos, quod credebant ingentiora ſe auxilia ibi offenſuros. Id quod & regi Dibrenſis, & ipſe fortaſſe ſibi perſuaſerat, pollicitus colloquutum ſe cum ſenioribus Dibrarum, & principibus quibuſdam loci, latereq; ibi multos ſocios, & adiutores coniurationis, qui mox ſe viſo promptiſſima iuuentute conuolaturos, & arma verſuros in Scanderbegum. Sic omnibus paratis ad profectionem intercalario menſe, quinto kalendas Martias Conſtantinopoli abijt, non qua Sebalias prius ierat, ſed vſitatiori via per Thraciam, indeq; Macedoniam in Dibras dirigens iter, in patriæ conſpectu, viſceribusq;, ſceleratum ferrum ſtricturus expediuerat. Caſtrioto quoque iampridem arma tum tempus ipſum, tum frequentes nuncij, & nihilo incertior fama, deſignatoq; pluribus locis, ac velut ad manum habito milite, noui aduentum hoſtis mitiore, quam conſueuerat, animo, & remiſſiore aliquantiſper odio expectabat. Quod vix adhuc credebat Moſen hoſtilem in ſe animum induiſſe, & ſpectatam tot bellis annisq; fidem, tam leuiſſimæ rei momento tam cito mutatam. Illum forſitan veluti ſtratagemate hoc vſum, ad præclarum aliquod facinus graui hoſtium mina poſteris teſtandum, etiam & ſi verus hoſtis patriæ veniret, tamen ex aſpectu natalis ſoli, & præſentia ſociorum paulatim ſubeuntem pietatem, iram omnem nominis, & nefarium propoſitum demolituram. Sed vtcunq; eſſet, parato ipſe ad omnes caſus exercitu, ſtabat armatus, omnino aut voluntatem amici accepturus, aut acri indignatiōe contra illam pugnaturus, neq; cura eum vlla inceſſit per fraudem quippiam agere, aut inſidijs præuertere venientem, quod neq; immodicas copias eius audiebat, atque militem ſuum & virtute, & numero ſat idoneum ad apertam vim iniuriamq; videbat. Vel quod difficile forſan, & non ſatis tutum erat, artificem quondam earundem inſidiarum, & familiarem (vt aiunt) hoſtem ſuis captare laqueis. Ita liber vbiq; Moſes, nuſquam interpellato itinere, Dibram inferiorem intrauit, iuxtaq; planiciem multis prælijs, Muſtaphea præſertim clade notiſſimam in Epiro conſedit, nihil quicquam mouens vel ad ſolicitandam, vel deuaſtandam prouinciam, nam &

Moſes in patriam ſtringit ferrum.

Moſes venit Dibram inferiorem.

exercitus noſter in propinquo eſſe nunciabatur, & cupienti ſingulari certamine pugnæ auſpicia ſumere, apertiore virtute, & collatis potius ſignis, quam tumultuarie dimicandum cenſebat. Non diu deſideratus Scanderbegus, moxq; ordinata, vt operæprecium erat, acie, & ſtricto quaſi ferro aduolauit, fremebat maxime vulgus, & infrendere dentibus miles audiebatur, vix præ vehementi indignatione, & animi ardore continens ſe intra ſigna. Caſtriotus velut anxius pater, quum inſolentem ob oculos filiũ conſpicit, quem nefaria regnandi libido, & impatiens iugi adoleſcentia armauit, percunctatur ſingulos gradus, ſegnius promouet ſigna, & lenibus prius nequicquam verbis depugnare cum filio conatur, ac differt, quo impenſius poteſt, chari ſupplicium capitis, & luctuoſam proprij ſanguinis victoriam. Non ſecus ipſe armatum, & frementem iam Moſen aſpiciens, vrgente pietate, multifariam animum eius interpretabatur. Cupiebat cominus alloqui, & pertractare aliquantiſper aſſuetum amici ingenium, libenter legatis, libenter pijs conſilijs ageret, ſed neque dignitas imperij, & rigor ipſe militiæ, neq; militaris inſolentia, & vibrantes iam gladios turmæ iſthæc fieri patiebantur, dum confeſſionem potius ſceleris Deo, quam timoris hoſti dare malunt. Alia Moſis voluntas, & diuerſa maxime conſilia erant, apparans nanq; ſe ad promiſſum Tyranno ſpectaculum, militem iam ad Scanderbegum prouocandum ire iubebat: ſed interpellauit, diſtulitq; ducis factum priuata virtus, & inſignis Turcæ vnius animus, Ahemaze nomen erat, qui progreſſus ad Dibrenſem: Liceat, inquit, nobis egregie Imperator prius viam tibi eam, quam dij dederint ad hanc præclaram gloriam aperire, quandoquidem indecorum neſcio quid, & præter ius vſumq; militiæ videtur ad ſupremum aciei robur, & caput ipſum belli decurrere, priuſquam leuiore opera auſpicia pugnæ ſint tentata. Acceptus militis animus, & permiſſum vt arma caperet, nunciusq; ab aliã parte ad Scanderbegum miſſus, qui voluntatem eius ſciſcitaretur, an ſinerent, vt priuſquam ad iactandam totam aleam deueniretur, eo modo virtus vtrinq;, & fortuna depromeretur. Viſo nuncio Epirenſis, mutatum (vt optabat) amici propoſitum putauit, ſed audito demum, abire paulatim ex animo Moſes cœpit. Quæ petita tamen omnia conceſſa. Quin quoſdam ex noſtris militibus reſpondiſſe audio, paratos ſe libenter, ſi mallent, eo dimicationis genere exercitus totos periculo exſoluere. Ita ſimul & nuncius ad ſuos remeabat, & conſurgens hinc impigre miles noſter Zacharias Groppa, veritus fortaſſe, ne quis prior eam ſortem ferret, ad Ducem ingenti animo, ac turmalium clamore pergebat. Amplexatus maxime ab eo eſt, & laudata virtus viri. Socij inter armandũ non robur maius, non animũ illi, non ferociorem dexteram, ſed fortunã tantum Maneſij à ſuperis peroptabant. Solitum genus armorum acceptum, & alia ſupernæ ornamenta, quæ hoſti magis, quàm ipſi

Caſtriotus cũ Moſe, vti pater cum inſolenti filio agit.

Ahemazæ conſilium.

Zacharias Groppa.

ipſi animos acuerent. Nulla re inferior Barbarus prior in medium proſiliens, quum vixdum inuentum ſibi crederet hoſtem, & armatum, & infeſta iam cuſpide in ſe properantem conſpexit, tum altiore voce compellans virum, & ſatis temporis ad mortem properantibus fore inquiens, peramice ad colloquium inuitauit. Quumq; & nomen, & officium militis ſciſcitatus eſſet, demum certamini conditiones ſubnectere pergebat, non abſimiles ab his, quas Paulus olim irriſerat. Identidem Zacharias ea velut inania verba præcidens: Optare ſe ait plura capita, quo (ſi ita ſtatuerit fortuna) animum eius cumulatius exaturare queat. His dictis frementes adinuicem, & toruis ſe metiti oculis diuerſi abeunt, elongatiq; aliquantum, vt concitari equorum curſus ad ictus acriores poſſent, conuerſa vtrinq; cuſpi-

Certamē Barbari, & Zachariæ Groppæ Albani.



de effundunt habenas, equorumq; armos calcaribus fodiunt. Neutrū ictus fefellit, effectus tamen vtrinque inanis fuit: nam lanceæ amborum quum vmbilicos ipſos ſcutorum, quos ferreæ laminæ tegunt, perſtrinxiſſent, ſine vllo hauſtu cruoris ſunt perfractæ. Ipſi quoq; eo impetus tenore corporibus ad inuicem colliſis, equi, viriq; corruêre. Mox illæſi bellatores equis relictis, ſtrictis cominus gladijs acriorem ineunt pugnam. Ornare multifariam fortuna id ſpectaculum ſtatuerat, non alteri iniquior magis quam alteri. Multis nequicquam ſine cruore ingeminatis ictibus, ferrum ambobus è manibus collapſum eſt. Enſium id vitium fortaſſe, qui quum recurui, & graues, equitibus potius parati forent, incommodiores ad pedeſtrem pugnam erant, aut per laßitudinem forte, vel imprudentiam immodica feriendi cupiditate excuſſi ſunt. Tum abiectis leua ſcutis, velut Athletæ iner-

p 2 *mes*

mes, conſertis manibus, quod ſupererat virium, exhauriunt. Spectant acies pari lance timoris ſpeiq́. Vbi vero aliquandiu luctati, certamen interpellaſſent, neque alter alterum loco mouere aut ſternere poſſet, vltimo conatu ad inuicem ſe tollentes, ambo eadem ruina corruêre. Barbarus ſubter reſupinus, Albanus in os iacentis pronus incubuit, eductoq́ impigre pugione, iugulum rimatus confodit, reſolutæ tum paulatim manus morientis. Liberq́ victor cum ingenti ſuorum clamore ſurgens lætus, enſe apprehenſo, qui iuxta iacebat, caput ſpirantis adhuc hoſtis abſtulit, & ſimul eo, ſimul reliquis onuſtus ſpolijs, pedes ad progreſſos paſſim obuiam ſocios perrexit, nam equi iampridem initio ipſo certaminis aufugerant, ambo tamen in noſtras ſtationes venerant, quod lætis animis omen acceperat vulgus. Præmia eadem Zacharias quæ Maneſius, à Scanderbego tulit, laudes tamen ab exercitu longe maiores, quod difficultas pugnæ, & varietas ipſa rei augere virtutem viri, & ornare magis victoriæ gloriam videbantur. Jnterea Moſes, licet offendiſſet ſpectaculum feroces viri ſpiritus, & dehortarentur ab ea re Ducem, pauentes iam ex ſocij euentu turmæ, citato ocius equo, in fumantem adhuc ſanguine locum prouolans, compellato voce Scanderbego, prouocationis ſignum dedit. Obſtupuêre noſtri, ac horrore quodam inter homines orto, præ inſolentia tam ſcelerati facti nemo fermè vocem emiſit. Nondum omnis à Scanderbego abſceſſerat pietas, ac reluctatus pauliſper ſecum, domeſtico fœdare ſanguine dexteram nolebat, ſed vbi pertinacius inſtantem, & probra etiam immodice ingerentem vidit, exploſum tum omne ius, faſq́, & fruſtra retinentibus ſuis, atque transferre in ſe eam vltionem volentibus, plenus irarum in expectantem fertur. Aufugit extemplo Moſes, & receptus ad ſuos, nihil præ verecundia locutus, mouere totius exercitus ſigna, & apparare ad vltimam dimicationem exercitum cœpit. Scanderbegus cum magna laude, & militum gratulatione reuerſus eſt in caſtra, neque ingrata omnino ei Moſis fuga. Læta tamen valde regijs fuit, quod imparem eum maxime Caſtrioto palam dicerent, crederentq́. Ego ſi initium & inſolentiam prouocantis, contraq́ fugientis ignauiam, ac exitum rei ſpectem, credere licet Dibrenſem, vel promiſſionis illius pudore commotum, exoluere ſe eo velut alieno ære voluiſſe, & præſenti periculo deterritum terga dediſſe, vel temeraria & inani quadam æſtimatione id feciſſe, putantem non egreſſurum Scanderbegum, id quod ipſe poſtea patriæ reſtitutus palam confeſſus eſt, Noſtra quoque vexilla ſine mora vlla promota, & clamor vndiq́ qualis à victore exercitu ſolet, æditus. Caſtriotus licet & eximiũ militum robur (ſex enim equitum, quatuor peditum millia fuêre) & affuturam iam multiplici omine, ac certam quaſi victoriam conſpiceret, nihil tamen vel in diſtinguendis exactiſſima cura copijs, vel inflammandis ingenti ardore ad

Zacharias victor.

Moſes prouocat Scanderbegum ad ſingulare certamen.

Moſes fugit.

re ad pugnam militibus prætermiſit. Orationem eius inter redeundum in caſtra ab inani Moſis prouocatione, talem comperio fuiſſe:

Procedite vos quoque (quando exaturaturi adeouſque hoc ſpectaculo ſtatuit fortuna) ad aliud vtinam fortiſsimi milites. Traditum vobis ferrum, & vltrices poſcenti patriæ expedite dexteras, ac armatos ſequimini deos. Expellamus iam ocius quæſo, ſi nulla alia ratio, vel temporis, vel hoſtilis impatientiæ ſtudeat, ex oculis noſtris tam nefarium, quàm moleſtiſsimum ſpectaculum, ac paratiorem iam ad fugam, quàm ad pugnam hominem, ex inſontis, atque nihil huiuſmodi meritæ patriæ conſpectu, graui aliquo impoſterum documento tollamus. Ad audaciam, ad expectationem totius victoriæ, ſigna ſatis præclara oſtenſa, dataq́; ſunt, dum pari virtute atque iuſtitia progreſſus hoſtis, alter miſerabili cruore, ac capitis ſui precio, alter ſordidiore fuga expectatæ nobis hucuſque victoriæ auſpicia dederunt. Pugnauimus ſatis pietate dum integrum fuit, inhibuimus publice priuatimq; ardorem iſtum, ac iuſto imperauimus ferro. Nunc ſola hæc pietas relicta vobis, patriam, liberos, vxores, ac caput hoc (quid proloqui reformidat animus?) libertati noſtræ, ocio, quieti natum, dicatumq́; defendere, fidem, delubra, ſacra, deos ipſos, quæ omnia euertere, ac priſtinas ſordes inuehere in Epirum properat, inſignis patriæ ciuis. Vtinam audire potuiſſetis, quæ promiſſa, quàm ignauiæ & ignominiæ veſtræ plena omnia præſtiterit Tyranno. Nullum accommodatius hodie eſſet, nullum acrius adhortationis genus. An creditis quod alia ratione maiores copias neque petijt, neq; acceperit? niſi vel vires, & virtutem veſtram contemnens,

Oratio Scanderbegi ad ſuos, ante congreſſum cum Barbaris, & eius victoria.



temnens, quum omnem priſtinam fortunam Epirotici nominis in ſe tantum poſitam fuiſſe dixerit, vel perfidiæ veſtræ confidens, & ſperans noua ſe hic auxilia, nouos exercitus inuẽturum? Et ob id ipſum Dibram hanc fortaſſe, ac locum iſtum Dibrenſes egregio facinori elegit, vt domeſtica ſaltem arma duci ſuo præſto eſſent, & armatum ſequeremini, quem inermem ſequi noluiſtis. Sequendus ſcilicet nunc maxime fortibus viris, quũ ad perfidiæ, ad rebellionis notam, fugæ quoque ignominia addita, contemnunt fugientem Dibrenſes. Abominantur inuiſum dijs, hominibusq; proditoris caput. At ſequendus tamen, & perſequendus totis ſignis, animisq;. Et aut ſcelerata veſtigia penitus ab hoc ſolo abolenda, aut ingrata oſſa victrici patriæ, & oppugnato nequicquam natali ſolo mature reddenda.

In maximo tumultu, & clamore militum, & cœpta quaſi & expleta eſt oratio, moxq; à concione itum eſt in hoſtem nihilo ſegnius obuiam prodeuntem. Exercitus noſter in cornua diuiſus fuit, ex quibus alterum Muſachius Angelinæ nuncupatus, alterum Giuriza Vladeni obtinuit. Scanderbegus aſſuetum locum medium non mutauit. Munita ibi acies haſtatorum robore, & quorundam equitum Italorum, ſagittarij per cornua in fronte cum ſcorpionarijs, & reliquis id genus militibus diſtincti. Sicq; peditatus & equitatus tam circa ſigna ad primos impetus, quàm in poſtremis agminibus ad ſolita ſubſidia, & variationem fortunæ diſtributus. Moſes vnica tantum fronte in amplitudinem deducta, quatuor fermè millia ſuorum ſub ipſis vexillis locauit, ac appoſuit hoſti. Totidẽ ponè millia, iuxtaq; hos lectiſsimorum virorum corpora, ac nobiliſsimorum quorumcunque aſsignata, qui & timorem fugientium, oppoſitione corporum ſuorum arcerent, & ſubuenirent feſsis, ac furorem hoſtilem reprimerent, donec ſubſidiarijs, & Moſi ipſi, cuius ſtatio non longe aberat, aut ad inuadendum hoſtem, & reſtituendam, ſi opus eſſet, fortunam, aut ad cõſulendum, ſi quid durius incideret de fuga, ſpacij aliquid eſſet. Dibrenſem ex maiori parte equites Epirotici generis cingebant, ac latus ipſe ſuum eorum robore firmauerat. Quod lingua, & mores hominum notiores, conſilia aptiora, & dare, & accipere poſſe videbantur. Multiq; ex ijs ab eo ductores agminum conſtituti, atque varia munia eius prælij commiſſa viris, cæteris nihil recuſantibus, vel moleſte ferentibus, quum libera rerum omnium poteſtas Moſi data fuiſſet à Tyranno. Cæterum congreſsis vtrinq; maximo ardore ijs, qui in prima fuerant acie collocati, noſtriſq; validam impreſsionem facientibus, iam primum hoſtium agmen pellebatur, & retrocedentibus ſenſim ſignis, noſtri mediam aciem pari timore atque periculo onerabant, fruſtra minantibus ſocijs, ac reuocantibus fugientes, quum equi viriq; immiſsis maxime ſclopis, ingenti pauore perculſi repeterent caſtra, & paſsim ſternerentur. Nuſquam ocioſus Dibrenſis, nunc hac, nunc illac maximo periculi,

ac vitæ

ac vitæ contemptu obequitabat, verbis, factisq́; animans viros, & reſtituens præſtantia ſua multis locis certamen, ac inſtaurans ordines ſuorũ turbatos. Secundana acies nondum ſatis diſsipata, vel loco pulſa fuerat, propter robur virorum (quod diximus) ponè ad cuſtodiam aſsignatũ. Inſtante tamen ſine intermiſsione Scãderbego, deficiebant vires, animiq́; hominibus, & via ad poſtremũ agmen ac cardinem ipſum pugnæ aperiebatur noſtris. Quum non diutius moratus Moſes, impulſo, quem iuxta habebat ſignifero, cum promptiſsimorum quorumcunq; manu illuc accurrit, cruentioremq́; aliquantulum noſtris non incertiorem fecit victoriam, nam ſecutæ Scanderbegum reliquæ turmæ, ac cornua vtraq; ibi circunfuſa, obſederant quaſi vndiq; pugnantes. Fugientium nemo curam habuit, donec Moſes quoque verteretur in fugam, qui acri aliquãdiu pertinacia, & indefeſſa dextera, licet magna ſuorum pernicie ſuſtinuit hoſtem. Scanderbego viſo, atq; in ſe irruenti, nuſquam eſt congredi auſus, ſed vitabat quo magis poterat, aſpectum omnem, & viri congreſſum, vim tamen omnem, ac robur ſuorum in illũ vrgens, atq; impellens, ſi quo modo ſine periculo ſuo caderet, ſine quo res Albana cadere non poterat. Noſtri circa Turcarũ latera, & ceruices intenti, non prius ad ducem conuertêre animos, quam primam legionem omnem ſuſtuliſſent, & perfregiſſent ſecundam multis ſignis ablatis, occiſisq́; quibuſdam ductoribus exercitus. Tum eorum capita à vulgo (vt fit) lanceis fixa, ſatis latum timorem reliquis incuſſere. Nullus tamen memorem fugæ Dibrenſem conſpexit, antequam omni præſidio latus eius nudatum, & irreparabilis fortuna belli perito duci viſa fuit. Sed colligens ardentiſsime circa ſe palantes, ac ignauiam hominum increpitans, renouabat per omnes gradus ſudorem hoſti, victoriæq́; exitum anceps longumq́; faciebat. Miratus Scanderbegus tantam pertinaciam, ac rabiem potius quandam pugnantis: vix ſe inquit proruenti ante oculos patria, & tractis ob ora filijs pari odio fuiſſe decertaturum, ſequentemq́; Tanuſio, Ameſa, & ambobus Streſijs nepotibus integro animi ardore impetit virum, compellantibus noſtris quibuſdam illum nomine, vt Epiroticum diadema paratũ ſibi expectaret. Sed neque minæ, neq; aſpectus venientium perterruit ferocem hominis animum. Verum ſuccedente circa eum poſtremo, ac ſubſidiario agmine primum noſtrorum impetum egregie & ſuſtinuit & repreſsit. Hic Barbarus quidam vir pari animo atq; virtute procedentẽ Scanderbegum conſpicatus, effuſis habenis, & cuſpide directa ita venientem excepit, vt reſupinum ſterneret ſuper dorſum equi, clamoremq́; ſuorum excitaret occiſum credentium. Ea res tardioris aliquantiſper fugæ, & maioris ſanguinis cauſa fuit, nam & animi creuêre cæteris. Et firmatum ſuper equo Caſtriotum fœlix ſemel dextera viri tanquam ſibi debitum popoſcit. Non paſſus eſt egregius dux vltionem ignominiæ ſuæ ab alio ſibi, quam à ſe ipſo

Moſes non audet congredi Scanderbego.

Scanderbeg ſternitur à Barbaro.

ipſo exolui, ac velut inſuetum eum pudorem æquo animo ferre non poſſet, fremens, frementi ſtricto gladio occurrit, illæſusq; penitus ipſe, multis vul-



neribus confectum hoſtem deiecit ex equo. Tunc vero clamore ruentem humi proſecutus eſt Albanus, & furor omnis in Moſen verſus, qui profecto pro gloria ſaltem, ſi nõ pro victoria ſtetiſſet, niſi ſocij & dies ſimul deſeruiſſent pugnantem. Tunc ſicut belli, ita ducem etiam fugæ miles eſt conſecutus. Epirotica iuuentus per quinque amplius ſtadia veſtigia fugientis non reliquit, ſi quo modo viuum, aut ſaltem mortuum habere poſſent, vel quod optare ſummopere nouerant Scanderbegum. Cæſi multi ex poſtremis ſunt, ipſe integer omnino manus eorum effugit, ac peritus locorum cum infamibus reliquijs, vix quatuor hominum millibus, pariter labore atq; fame confectus, mox in tutum euaſit, refectis ibi corporibus diem expectaturus. Noſtrorum minus quam centum occiſi, vulnerati 80. qui non labore, non vulneribus, non tenebris tardati, per noctem & tentoria, & ſpolia iacentium auidiſsime diripuêre. Captorum nemo notioris conditionis fuit, præter vnum, qui multis deformatus vulneribus Zachariæ ſe tradiderat. Hic ſolus ſeruatus, & redemptus poſtea eſt pulcherrimis pro eo miſsis donis. Cæteri partim ignorante, partim etiam non prohibente Scanderbego, varijs ſupplicijs ab exacerbatis Belgradenſem cladem hominibus deſtinati, ſicq; publice & priuatim ira exatiata, ac compenſata (prout potuit) prior iactura. Ita expedita victoria, ac tam ſuis, quam hoſtilibus vaſis collectis, in antiqua caſtra reditum, ordinatoq; ſolito præſidio, paucos ibi moratum eſt dies, ac pridie nonas Apriles reuerſum cum inſigni triumpho Croiam. Tunc dolor ille, quem tempus iam ipſum (vt ſolet) paulatim mitigauerat,

Moſes vt belli ita & fugæ dux.

Victoria Scãderbegi & triumphus.

tigauerat,penitus fermè oblitteratus, & animi hominum noua hac lætitia reſtituti,atq; erecti.In Dibris longiore feſtiuitate, atque excellentioribus ludis eius victoriæ laus celebrata; quam vllo alio belli ſucceſſu;& habito ex hoſte triumpho aliâs factum fuerit. Quod ignominiam velut quandam ſuam aliena contractam culpa expurgaſſe,& certiora pignora ac documenta ſuſpectæ prius aliquantiſper fidei ſuæ Caſtrioto dediſſe viderentur. In Apuliam legatio miſſa cum inſignibus nouæ victoriæ ſpolijs,quibus & Belgradenſis ignominiæ, & domeſticæ perfidiæ vltio cupidiſſimo regi teſtata redderetur. Accepta eſt & remiſſa ab Alphonſo honoratior longe,& quam acceſſerat opulentior eadem legatio,licet & ipſe recenti Florentino bello,ac irrita Plumbini oppidi obſidione; & pecunijs,& viribus exhauſtus maxime foret. Sub idem tempus Moſes cum ſocijs non longe ab Epiro per aliquot vagatus dies,haud ſatis animi certus erat,quo verteret iter:nanque tanta ignominia, cladeq; accepta,Conſtantinopolis aditum,& Tyranni conſpectum abhorrebat, moliri aliud contra hoſtem, ad excuſandum ſaltem, ſi non expurgandum fortunæ prioris euentum; neq; paucitas copiarum,neq; demiſſi militum animi patiebantur. Tentare tamen apud ſuos eam rem, quum ingentes ſibi ſpiritus non deficerent,ſtatuit omnino. Exorſusq; furore, & caſu quodam multa interdum perfici ſolere,quæ nulla ratione aut virtute effici poſſe ſint credita,ac vnicam tantum illam ſalutem relictam victis, vt nullã deinceps niſi vicerint, ſperare poſſint,aut vita celebri,aut glorioſa morte quærendam fortibus viris tantæ abolitionem ignominiæ, ſat multis verbis in hanc ſententiam diſſeruit, pollicitus præterea ſe propter peritiam locorum, & regionis illius,vel die, vel nocte malint,vſq; ad ipſa hoſtium caſtra incruentos ducturum,quum exercitum noſtrum mox Croiam rediſſe affirmaret, & præſidium ad cuſtodiam prouinciæ relictum,minime ſibi vel virtute, vel numero militum parem. Nihil perſuaſum hominibus, ſed clamoribus & crepitu ipſo armorum exibilata ſententia Moſis,arripereq; iam in Græciam iter,damnato ſine variatione ducis conſilio cœpit miles.Neceſſe fuit omnium voluntati parere Dibrenſem,ſuppreſſaq; reliqua voce,pari ſilentio atque mœrore tanquam ad ſuppliciũ aliquod raperetur,quam ſemel voluntaria perfidia deſeruerat,denuo cogẽte fortuna,tacitis nequicquam ſuſpirijs, dulcem infœlix patriam reliquit. Inter diſceſſum eius ex Byzantio, & reditum, duo paulominus menſes interceſſere. Quare nihil certi affirmante fama, multa ſecus ac erant Tyrannum tam diutina abſentia eius credere cogebat. Nunc cum toto exercitu internecione cæſum, nunc ſaluum illum & proditos ſuos putauit: aut ipſo ſingulari certamine(vt præfixerat) Scanderbego congreſſo, & illius manibus occiſo, reliquas copias eandem fortunam ſubijſſe,vel præ timore dediſſe ſe hoſti (nunc id quod quum maxime

Moſes poſt cladem à Caſtrioto acceptã,in cõtemptu ab Ottomano habitus,pœnitentia ductus,ad Epirenſem redijt.

Sententiæ variæ Tyranni de Moſe.

optaretur, hominum more magis ad animum tranſibat) victorem ex eo bello Dibrenſem, in reliquæ prouinciæ deuaſtatione captiuitate ire procliuem, victoriam perſequi, & promiſſum ſibi ſceptrum apparare, libenter credidit. Sed abſimilis ab omni expectatione aduentus, & ſordidiſſimum venientium ſpectaculum, nedum ſubirati animum regis, ſed populi quoque oculos ſummopere offendit, laceratusq́ tacite Moſes eſt. Quod eum hominum florem vel perfidia ſua, vel imprudenti audacia amiſiſſet, & iacentes hoſtium animos ex Belgradenſi clade tam propere erexiſſet. Albanus tam fortunæ calamitate, quàm fugæ illius ſuæ pudore atq; memoria, non linguas, non oculos hominum ferre poterat. Conciliabant tamen illum multorum animis, infamiam ſimul propriam propulſantes non ingratæ militum voces. Quum in prælio & militis & Imperatoris officio functum exactiſſime dicerent, neminemq́ illo pertinacius inſtaurare iam concidentem belli fortunam contendiſſe, & prouocationis illius ignominiam, inuicta Scanderbegi virtute, ac humanæ fragilitatis obtentu excuſarent. Ita ſibi militaria ſtudia comitas, & populare ingenium viri, ſed magis inſignis dextera, ac præſtans bello virtus deuinxerat, quæ præcipuè ornamenta amare in hoſte quoq; conſueuêre Turcæ, adeò, vt quum (velut fit) captiuum ſibi fortem virum ſors belli tradit, plerunq; aliquid de ſolitis ſupplicijs remittant, ſeueriores longe ignauis, quos velut ali indignos, & conſumendis frugibus tantum obnoxios perire vtile quaſi ducunt. Tyrannus nulla ſatis ratione adduci potuit, vt eius iacturæ, & doloris ſui vltionem ab inſonte & afflicto aliquo modo non exigeret, non aures, non animum regium veniam poſcenti, & culpam omnem eius facti in ſe reijcienti præbere vſquam voluit. Quin fatiſcens inſolentiſſimi odium Tyranni (licet nihil ferè in eo præter fortunam reprehendi poſſet) in caput ipſum, & ſupplicium viri erupiſſet, niſi purpurati quidam, & magis intimi, pœnam eius alienationem cæterorum omnium impoſterum fore dicentes, ſanioribus conſilijs regis iram demoliti eſſent. Sic venia Moſi exorata, & quæſtio omnis de capite eius abolita, tamen in eo contemptu relictus adeò deſpectui habitus, vt vix alimentorum illius ratio à Tyranno haberetur. Eodem ad omnia vultu Dibrenſis diſſimulabat ſingula, lacerans intus varijs curis animum, & non cibi, non ſomni capax, quum hinc periculi, inde infamiæ ſuæ magnitudinem non iniquus priſtini erroris iudex ſedula accuſatione metiretur, inops quid ageret, quo verteret ſtudia, quam degendæ vitæ eligeret rationem: tandem in optimum longe in ea re conſilij genus non inanis cogitatio euaſit, Mahumete relicto, qui ex euentu, non ex conſilio iudicare noſſet, offenſæ adeouſq; patriæ denuo ſe tradere, & quam male promeruerat fidem ſuorum ſequi, dulce piumq́ deſiderium inſedit. Ita & ſcelus ſuum ſaltem, ſi non infamiam ſceleris ea ſe pœnitentia aboliturum, & alio-

Laceratus tacite Moſes.

Dotes Moſis.

Diſcrimẽ Turcarum in captiuos.

Moſes cõtemptiſsimus apud Tyrannum.

& alioquin de ingrato Tyranno vltionem ſumpturum ſe ſperâns, præſertim quod clementiam Scanderbegi longo interuallo delicti ſui magnitudinem vincere ſciebat. Sedato itaque ea deliberatione animo, indies modum aliquem & facultatem fugiendi captabat, nox maxime fuit ad eam rem (prout factum eſt) adhibenda. Sic egreſſus in exitu diei ignaris cuſtodijs, integram noctem cum die ſequente (nuſquam ferè interpellata progreſſus contentione) itineri adiecit, donec eam regionem Thraciæ, quæ Macedones contingit, intrauit. Tum tranquilliore animo reliquam viam eſt proſequutus, ſicq; paucis diebus ingreſſus Epirum, recta ad præſidium in clauſtris imperij noſtri poſitum perrexit, inde ad Scanderbegum tranſiturus. Cæterum viſo eo Dibrenſes, demolitis ſola quaſi aſpectus mœſtitia animis, deſiderium veteris ducis cum priſtinæ conſuetudinis cura inceſſit, oblitteratoq;, quod patriæ, quod ſociorum & ſanguinis ſui proditor, fas, iusq; omne generis humani præuertiſſet, non ſine lachrymis illum excepêre, & ſic inter longos militum amplexus, magnam partem eius diei conſumpſit. Admonitusq; ab his Scanderbegum non longe abeſſe, mutato propoſito Croiam eundi, ad illum ire perrexit. Secuti ſunt plures ex præſidio hominem, vt honoratior iret, & facilius veniam promereretur. Parum reſtabat diei, quum cingulo de more gentis circa collum conuoluto progreſſus, obambulantem ante tentoria Scanderbegum inuenit, atque mœſtiſſimus ante eius genua prouolutus, ſupplex, vt non aliquo eius merito, ſed ipſe ſua liberalitate, animiq; humanitate ignoſceret ſibi, incolumemq; vellet profuſis lachrymis popoſcit. Non abſtinuère eo officio cæteri qui cum illo erant. Caſtriotus manu prehenſum hominẽ ſurgere illico iuſſit, & non ſegnis ad ignoſcendum, perbenigne allocutus, multiplici amplexu, oſculoq;, reconciliatum illi animum ſuum ſatis aperte oſtendit. Non multum admiror in Scanderbego, quod Moſis pœnitentiam tam cito admiſerit, licet & id quoque non ſine ſumma eſſet admiratione penſitandum, quum tot publica & priuata odia, iniuriáſq; in eum euomuiſſet, in caput ipſius, in libertatem patriæ tam nefaria coniuraſſet. Sed quod tam cito, tam facile ignouerit, vt vix viſum, vix auditum adeo inſigni liberalitate, & diuina quadam verius quam humana clementia ſibi ipſe conciliaret, quum nondum nuper occiſorum dolor, nondũ ſparſus ſuorum cruor, & recentia vulnera coaluiſſent viris. Neq; multos poſt dies, quæ ablata Moſi, aut fiſco adiudicata, aut diuiſa inter priuatos fuerant, reddi omnia curauit. Priſtinamq; dignitatem viro, ſecundo vulgi fauore in integrum reſtituit, eaq; animi moderatione & ſibi gloriam ingentem peperit, & culpam illius, infamiamq; leuauit, atq; omnem flagitij memoriam de hominum mentibus aboleuit.

Moſes cogitat de patria adeunda.

Mos gẽtis cingulo circa collum cõuoluto.

Moſes redit in gratiam cũ Scanderbego.

Clemẽtia quędam diuina Scanderbegi in Moſen.

De vita & geſtis Scanderbegi,

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS,

Liber Nonus.



Quantũ Epirus in Moſeos reditu in patriam lætata eſt, tantum Mahumetes fuga illius excanduit.

SIMVL & *hinc immemor iniuriarum patria ducis ſui modeſtiam imitata, vario gratulationum genere reſtitutum ſibi Moſen gaudebat. Edicto etiam per Scanderbegũ lato, ne quis eius facti mentionem vel publice vel priuatim moueret. Et inde ereptum ſibi hominem Tyrannus acrius excandeſcens, non ſine moleſtia maxima ferebat, præſertim poſteaquam redijſſe denuo in Epirum audiuit, atq; tunc demum non fortunam hominis in illo prælio, & clade ſuorum, ſed perfidiam tantum accuſans, fugam eius & defectionem illam tam impudenter à ſe creditam, Scanderbegi ſtratagema fuiſſe dictitabat. Cæterum de ratione gerendi belli, ſeq; vlciſcendi, & rebus Epiroticis, ex multis ſententijs illa præualuit, quæ abſtinendum omnino ab armis per eum annum cenſebat. Et aut occaſionem aliquam expectandam, aut totis Turcarum viribus cum ea gente bellandum. Recepta eo libentius ea ſententia, quod non ſatis belli rumores ex Aſia & Perſide nunciabantur. Miſſum tamen præſidium ad finium cuſtodiam, licet non ſatis validum, quod à populationibus aſſuetis noſtrorum ſaltem inſolentiam compeſceret. Et ſi opus foret Sfetigradenſibus, &*

bus, &

bus, & locis vicinis vſui eſſe poſſet. Caſtriotus quoque cognitis tum ex Moſe, tum recentibus exploratoribus conſilijs Tyranni, belli curam, & ipſe pauliſper remiſit. Audito tamen aduentu noui præſidij, contracta haud ſatis ampla manu ſuorum, in inſidijs per aliquot latuit dies, ſed regijs iuxta Alchriam conſedentibus, inanis expectatio eius fuit. Quamobrem multis procuratis, ac relicto ibi Moſe, ipſe ad locum quendam maritimum qui Redoni dicebatur, ad reliquum æſtatis cum vxore tranſigendum conceſſit, ibiq; venationibus, atque alijs id genus ſtudijs magnam autumni partem conſumpſit. Non tacebo hoc loco de eo, quod maxime in claris ducibus exigere ſolitus eſt, Imperatorum omnium facile Imperator Scipio Africanus, continentiam certe admirabilem, nedum in alterius fœminæ, ſed propriæ quoque vxoris nimia frequentia vitanda, quum nullum maiorem hoſtem & animi, & corporis viribus, quam fœminam eſſe diceret. Sicq; proprio exemplo & milites ſuos crebro domos reuiſentes damnabat, aſſiduis vigilijs, ac duris laborum thoris caſtigandum corpus inquiens, ad omnes libidinum æſtus facile extinguendos. Non ſcorta militaria, non aliquod (vt fit) eius laſciuiæ veſtigium in caſtris vnquam Scanderbegi viſum, ſed vetus quædam diſciplina inter homines, ac religio verbis, factisq; mirum in modum conſeruata. His fortaſſe artibus ſeruatum eſt, & auctum per tot annos tanta gloria atque fœlicitate imperium. His conciliati ſuperi & animos & gladios hominum tantopere acuebant. Interea temporis Moſes intentus maxime, quatenus & ignominiæ ſuæ maculam recenti aliquo facinore abſtergeret, & Tyranni ſimul ingratitudinem plecteret, aucto præſidio, ac duplicato ferè numero militum, totos dies in deuaſtandis hoſtium agris, ad laceſſendas nouas Turcarum cuſtodias conſumebat, nunc interdiu cum paucis, nunc per noctem latenter ſequente multitudine progreſſus, occiſus aliquis vel exceptus inter pabulandum, vel in eiuſcemodi miniſterijs, tamen non audentibus progredi regijs nihil dignum memoratu geſtum. Hinc Dibrenſis ad infamiam ſuam abolendam manibus, pedibusq; (vt aiunt) acriter contendebat. Inde Ameſam velut tantæ perfidiæ hæredem, neſcio quis demon, & fata ſua depromebant. Multa ſcribentem, hoc loco deterrent, & ad ſilentium quaſi me inuitant, quod ea domeſtica ſcelera, ac ingratitudinem mortalium ſicut meminiſſe, ita referre horret animus. Illud vero magis, quod nihil certi affert fama de hominis fuga. Varij varia interſerunt mendacia, & plura fermè abſq; ſimilitudine aliqua veri. Quare ea tanquam neque vtilia ad hiſtoriam, neq; legentibus placitura, inſtar pictoris penicillo oblinito contegam. Priſtinam tantum rationem illam in Ameſæ defectione ſecutus, quam in Moſe quoque ſolicitando corrumpendoq; adhibitam retulimus, per nuncios ſcilicet, & magiſtratus vicinos locorum, præſertim quod non difficile colloqui ſæpius cum

Laus Scanderbegi à cõtinentia exemplo Scipionis Africani.

Caſtra Scanderbegi à ſcortis immunia.

Moſis ſtudiũ, ignominiam ſuam inſigni aliquo facto abſtergere.

De fuga Ameſæ ad Turcã.

Ameſa hoſti erat, & occultis agere nuncijs. nam regionem quandam Epiri non ignobilem ad Turcarum fines vergentem, patrui beneficio poſsidebat, ægreferentis, quod tamdiu apud ſe priuatus ageret. Tyrannum vero (vt diximus) Aſiaticis rebus occupatum, illa quoque non imprudens ratio de homine ſolicitando & accerſendo mouit. Quod quum & de principum ſanguine eſſet, & gratia ingenti polleret apud populorũ animos, admiſſuros longe facilius imperium eius Epirotas, ſi vel parua periculi vis vrgeat, quam in Moſe facturi fuiſſent, non ab re credidit. Et hæc eadem cum Ameſa per nuncios agitata, multumq́; ad fidẽ promerendam valuêre. Ita nedum perfidos, ſed credulos plus nimio homines regnandi veſana cupiditas facit. Sed callidi vir ingenij, vtpote quem alienæ fortunæ euentus ſatis de omnibus inſtruxerat, ne cum aliqua perfidiæ ſuſpicione, & capitis ſui periculo iret ad Ottomanum, vxorem quoque, & paruulos liberos ſecum eius ſceleris ſocios duxit, traditurus hoſti velut non inefficax fidei ſuæ pignus, & vinculum. Maximum in prouincia tumultum, & ſtuporem quendam hominum, fuga eius excitauit, mirantibus ſingulis, & ſciſcitantibus cauſam rebellionis, quum ad id quod nepos Scanderbegi, ſocius etiam, ac collega quaſi imperij eſſet. Patruus re audita maxime ægreferens, atque ingemiſcens: Hoc, inquit, deerat mihi ad tot labores moleſtiasq́;, vt domeſticis etiam, & inteſtinis armis oppugnarer. Ita ne inuiſum hoc caput? Ita male merita patria? An tam precioſum potius Epirotici diadematis decus? Inuidit Ameſa Moſi, inuidebit iterum, ſi me Dij, ſi ius, fasq́; generis humani, ſi virtus, & fides veſtra non fallit. Intrauerat iam hyems, & nuda pabulis tellus, ac temporum incommoda ſatis per ſe hoſtium apparatus, atque aduentum prohibitura videbantur. Quare Scanderbegus non inani ratione credens Ameſam ad noua conſilia vernam temperiem expectaturum, reducta Croiam familia, neq; ad delectum habendum, neq; ad vllum bellicum apparatum per id temporis animum intendit, ſolum crebro Dibrenſe præſidium reuiſens, & cuſtodijs, ac exploratoribus aſſuetis præparans ſe, ad fatiſcentia pericula hyemem tranſmiſit. Ottomanum nõ tam viſus Ameſa quam auditus poſtea mouit, quum verbis, atq; prudentia, & grauitate conſiliorum virtus, & peritia viri in rebus bellicis ſatis cognita & perſpecta fuit. nam breui ſtatura fuit, & nõ ea membrorum, ac oris veneratione, quod idoneum eſſet ad occulta animi bona, & latentes intus virtutes indicium. Ingentis vero ſupra modũ animi, & tam callidi, quàm excelſi ingenij, ocij vnus impatientiſsimus, & qui primi, ad gloriam, ac conciliandos mortalium animos cupidis imperij viris gradus eſſe ſolent, humanitate, atq; liberalitate pari. Quicquid vel dextera ipſe ſua, & ſorte belli, vel patrui beneficio habuiſſet, militibus, & amicis erogabat. Facilis ad alloquium & officioſus, neque ineptus ſimulator, diſsimulatorq́;, vbi

Statura Ameſæ & dotes.

res

res poſcebat. Ita ijs artibus multum ſibi auctoritatis, & beneuolentiæ pepererat apud omnium animos, vt primus à Scanderbego in amore & veneratione populi eſſet. Neque deſunt qui dicant, vt ſuſpectum id viri ingenium haberet, patruo quoſdam ex ſuis multotiens inſinuaſſe, ſed ſicut non credita, ita minime curata res: tamen quum rebellio demum, & fuga eius nunciata fuiſſet, facilius credidiſſe Scanderbegum audio, quàm de Moſe fecerat, non immemor ingenij prudentius ab alijs quàm à ſe cogniti. Cæterum non ille inanibus pollicitis, & inſolenti audacia Moſis exemplo regias aures impleuit, ſed vnica fermè ratione defectionem ſuam excuſans, vt neque leuis, neque conficta notaretur oratio, ſic loquutus fertur:

Si veterum in vos iniuriarum, & antiqui erroris noſtri memoriam repetere licet Mahumetes, ad ſupplicium potius nunc ad te, quàm ad vllam vel gloriæ, vel imperij ſpem veniſſe videremur. Quid enim grauius Oratio Ameſæ, qua defectionem ſuam excuſat apud Ottomanum.



in Ottomanum imperium committi potuit, quàm à nobis olim Hungarici belli tempore, fœdo magis & ſcelerato, quàm hoſtili animo commiſſum vidiſtis? quum eodem perfidiæ tenore, me conſiliorum omnium adiutore & ſocio (neque enim defenſio eſt vlla nobis, ſed pœnitentia quærenda) & proditus apud Morauam exercitus veſter, & Epirus tam nefaria fraude è manibus ablata, atque tot inde malorum, tanti cruoris cauſæ exortæ. Sed vanus hic profecto timor, inanis ſuſpicio apud prudentiſsimum & clementiſsimum Regem, præſertim quod & ætas me tunc forſan, ac prona in malum ſuum adoleſcentia, neque ſatis proprijs ſubſiſtens

conſilijs

conſilijs animus decepit. Credidimus patruo, multa etiam ignari credidimus, atque allecti (qui proprius eſt eius ætatis morbus) regnandi libidine, vobis relictis nimio plus creduli fidem illius ſumus ſecuti. Cognouimus paulatim creſcente cum annis conſilio, & patrui tacitam perfidiam, & defectionem illam meam à vobis iniquiorem ipſi mihi, quàm alij cuipiam fuiſſe. Recuperauit, auxit imperium Scanderbegus non ſine multo labore & opera noſtra. Expectauimus diu, ſi non auiti, & paterni iuris, portionem ſaltem vt mercedem aliquam ſudoris, & periculorum tantorum nobis daret. Ducta eſt non multo poſt vxor illi, quæſitus, & ſuſceptus nouus hæres, nouus imperij ſucceſſor. Nobis præ pudore quodam hominum, ne priuati omnino degeremus, aßignatus vilis quidam Epiri angulus, vbi (illo cætera obtinente) infamem traheremus vitam. Vix poteram animo imperare, neque vnquam ſatis eam concoquere ignominiam. Coëgit tamen temporis ratio, & inſolens ingenium viri cælare omnia, diſsimulareq́ue, ne ſuſpicionem aliquam cauſatus me circumueniret, vt nuper Georgio Streſio ſororis ſuæ filio fecit, quem confictis criminationibus inſimulatum omni fermè imperio nudauit. Confugiſſem libenter ad te, reliquiſſem ingratum patruum cum infamis ſordibus imperij, ſed priſtinæ illius rebellionis, & tot iniuriarum memoria deterrebat; donec nunc tandem agentibus Dijs, promiſſa, & fidem tuam ſecutus, lætiſsimus acceßi. Vix innuiſti, vix inuitaſti quod iamdiu ad idipſum intentus, effuſiſsimo curſu aduolaui. Non tardaui, non expectaui, vel aduerſas Scanderbegi res, vel tuas ſecundas, veluti nuper Moſes, vt præ timore aliquo, vel vicinitate periculi mihi ipſi potius conſulere, quam voluntatem tuam amplexari merito videri poßim. Cæterum neque vel ſuſpicioni apud te locum vllum, vel reuertendi cauſam reliquimus in Epiro. Adſunt ſatis valida animi noſtri vincula, & perpetuæ pignora fidei. En noſtrum habes Mahumetes, quicquid charum, iucundumq́ue hominibus natura in vniuerſa vita dare potuit. Hæc ad te attulimus, quæ auferri debuerunt ab hoſte, & quibus dubia aliquantiſper fides obſtringenda fuit. Reliquum nihil aduentum, neque enim in ea celeritate rei, & tam occulta fuga, ſarcinularum ratio vlla haberi potuit à nobis, & ſi colligere omnia per ſecurum ocium licuiſſet. Turpe tamen neſcio quid putaſſemus vllas veteris fortunæ ſordes ad te præſertim tam opulentiſsimum regem deferre. Fides tantum præſtanda tibi eſt, maius aliud quippiam certe non poſſumus. Et ſi certius aliquod cupis vinculum à nobis, nihil recuſo quod ſtatuas, quod decernas ipſe. non enim leges huc daturi venimus, ſed accepturi, non debellare cum patruo, & Epiroticam frangere inſolentiam quindecim hominum millibus pollicemur. Documento eſt tum Alybaſſæ, tum cæterorum fortuna, & Sebaliæ nuper rara, neque incruenta victoria. In nobis certe diligentem, & fidelem operam non deſide-

Georgius Streſius ſororis Scanderbegi filius.

deſiderabis. De cæteris quæ ad euentum huius rei, & vltionem tuarum iniuriarum attinent, neq; princeps à ſeruo, neq; ſolertiſsimus belli artifex ab imperito homine conſilium expectes.

Non potuit ſimulata Ameſæ oratio videri Ottomano, quū & vera multa dicerentur, & re ipſa dictorum fides diluceret, adducta in conſpectu Tyranni cum ignaris filijs vxore. Quidam deceptam eam dicunt à marito, & inuitam tractam ex Epiro, quidam voluntariam ſe comitem fugienti addixiſſe, quum promiſſum ſibi Epiroticum imperiū à Tyranno, clam aperuiſſet. Ita communis eſt vtriusq; ſexus regnandi libido. Quare accepta, & laudata hominis voluntate Barbarus, primum omnium honorifica illi alimenta decreuit. De belli ratione nihil tum reſponſum, donec adhibitis purpuratis ea res de more decerneretur: nam recens Belgradenſis ruina, multum fregerat & animos, & vires hominum. Mahumetis quoq; ex nulla vnquam clade par mœſtitia viſa, quum & vltionis cupiditate dies, noctesq; inſolens ſpiritus vexaretur, & ſemel male tentatam fortunam anxius timeret. Facile itaque omnium ſententijs ab Hungaricis rebus ſuperſeſſum, et eius ignominiæ vltionem ex Epiro quærendam decretum, nam neq; ſimul vtriusq; belli ratio haberi poterat, quū & hinc inſigni exercitu opus eſſe Ameſa diceret, & inde Hungaricæ vires, ac experta totiens populorum ferocia, ingentes exigeret apparatus, neq; differenda occaſio ab Ameſa data videbatur. Eo ipſo igitur omnium fermè conſiliorum ſocio, ac moderatore adhibito, latum & propalatum edictum de quinquaginta equitum millibus cogendis. Non negaſſet etiam plures Ottomanus ſi petiti fuiſſent, cupiens aliquando vel vlciſci tot ſuas, & ſuorum iniurias, vel Epiroticis rebus aliquem finem imponere. In eo apparatu ver abijt, & iam æſtiui calores militum corpora laxaturi properabant: quum paratis omnibus Tyrannus & Ameſa aſsidue inſtante, multis allectos promiſsis homines, & conſilijs inſtructos à ſe dimiſit. Baſſæ nouæ Romæ, cui Iſaac nomen erat, præcipua exercitus cura, ac ſumma rei demandata nihil moleſte ferente Ameſa. Huic tamen ne ſine aliqua dignitate & imperio iret, quinque hominum millia ex eo numero aſsignata. Non ſine moleſtia quadam, & trepidatione noſtrorum, præſertim præſidij Dibrenſis, fama eius apparatus fuit, multisq; militaribus (vt fit) conſilijs verſata res. Qua ratione vel expectandus, vel coërcendus tantus hoſtis eſſet? An inſidijs, an collatis ſignis? An per ludificationem aliquam eius belli euentus quærendus foret? Augebat & illud magis timorem, quod & rumorem inde magis quotidie increbreſcere, & hinc à ſuis non exercitum adhuc, non auxilij quippiam ad tam fatiſcens malum, ac proximum quaſi periculum apparari videbant. Scanderbegum nanque non ſatis primo ea fama mouit, illa potiſsimum ratione, quod nunquā conuerſo in Epirum odio, Hungaricam ignominiam

Communis regnandi libido vtriuſque ſexus.

Edictū de cogendis quinquaginta equitum millibus

Baſſa Iſaac ſupremus Capitaneus exercitus Turcici.

omiſſurum credidit Mahumetem, tamen ſolicitus exploratoribus immiſſis veritatẽ, quam in eo rerum tumultu poterat elicere ad noua conſilia mutanda diligentiſſime procurabat. Vbi vero multis modis, aduentu præſertim transfugarum affirmata, ac propalata res, & de numero, & qualitate venientium nunciatum, illudq; imprimis Ameſam cum eo exercitu eſſe, & commendatum honorifice à Tyranno Iſaac Baſſæ, vt eum Epirotici imperij faſcibus inſigniret, nihil moratus amplius egregium hincinde militẽ velut dato ſigno aduocauit. Accerſiti ſunt eo ipſo ex omnibus locis purpurati armatorum ſocij, optimates, Dibrenſes quidam & adiutores conſiliorum. Conuenêre omnes in Dibra inferiore in ſolitis caſtris. Ibi quoq; Moſes cum quibuſdam optimatibus & nobilioribus præſidij affuit, vt decretum eius rei audiret. Accurrebant & alij plerique voluntarij, atq; iuuentus armata ex omnibus locis ſolo prædæ (vt aſſolet) ſtudio, atq; ſic confectus extemplo eſt non ignobilis exercitus, par fortaſſe hoſtili, ſi virtutem, impar ſi numerum ſpectes. Jamq; audax vulgus, & inania militum deſideria deuicto hoſte inter ſe laudem ſimul, ac prædam diuidebant, atque palam quiſque virtutem & fidem ſuam extollere, polliceri, dolere nimis tardare hoſtem, dicereq; mouenda ſigna, & aduentum illorum acriter præueniendum. Non militum numerus, & fama venientium, non formidandum Baſſæ nomen deterrebat. Exciderat Sebalias; euanuerant vix adhuc coalitæ cicatrices viris. Jta aut recens nuper de Moſe victoria, aut (quod magis crediderim) illorum apud Belgradum Hungaricum nunquam reticenda clades, ac ignominia hominum animos erexerat, alterumq; Belgradum alterum oblitterauerat. Pendere tamen omnes ab ore, & conſilio Ducis, qui cohibendum omnino ratus ardorem illum ſuorum, defixis aliquãtulum humi oculis, & pleraque vultu ipſo ſimulans, velut altum quippiam moliretur animo, conſilium ſimul & vires ipſe ſuas, & periculi magnitudinem ante oculos hominum in hanc ſententiam propoſuit.

Comitia Scanderbegi, & purpuratorũ, in Dibra inferiore.

Jnter cætera omnia, quæ ad vexandos, & angendos mortalium animos in tanta rerum humanarum varietate reliquêre Dij, duo hæc maxima cernimus milites, ſpem, & timorem, lætius illud, ac excelſioris cuiuſdam, ne dicam leuioris ingenij. Prudentius hoc, & incruentius, quod & ſi protrahere aliquantiſper deſideria hominum, curare tamen demum, & condire pulcherrime ſolet. Hinc audire licet veteres imperatores magis vincere ſe conſuêſſe omnia timentes, quàm qui nihil timerent. Hinc Pænus ille Quintum Fabium ſegnem ſuis, & nimio plus timidum viſum grauem ſibi hoſtem, Terentium Varronem grauiorem patriæ, & populo Romano appellabat. Sed quorſum tam inſolenter, & tam ſordide timorem nuncupauimus, quod propriore conſilij nomine appellare debueramus? At quoquo modo vocitetis ipſi, haud in magno diſcrimine pono. Vnum illud ne-

Oratio Scanderbegi ad cõgregatum exercitum.

Ab exemplo veterũ Imp.

lud negare nemo poterit, inde veteres diſciplinas, inde antiquum militiæ rigorem emanaſſe. Hoc ſpem quoq; ipſam fouet, alitq;, nihil perperam agit,



à fronte, à tergo, à lateribus gerit oculos, & pari lance futura, ac præſentia metitur. Jam ſatis intelligere poteſtis, quo tendat tam caſtigata & tam appoſita oratio noſtra. Volui prius colloqui vobiſcum, & diſquirere voluntatem ſingulorum, quam aliquid de belli huius ratione innouarem: vt aut ipſe in veſtram, aut vos in meam (quæ ſemper omnium patientia fuit) ſententiam iretis. Auditis, auditis iam auribus veſtris, qui rerum, qui bellorum motus parentur in nos quotidie. Pulſat en fores Baſſa nouæ Romæ cum omni Europæ flore, & robore Ottomani imperij. Non deeſt animus mihi (vt neque vnquam defuit) fortunam omnem cum eo, neque inglorijs vobis experiri. Sed prudentia magis, conſilioq;, aduerſus tantum hoſtem vtendum, quam ſolito impetu, & ardore animorum ſatius duco. Suadet memorabilis illa Alybaſſæ clades, ſuadent tot inſignes ad hunc vſque diem victoriarum cumuli, tot rebus ſecundis parta, & confirmata audacia, pares ad vim apertam, & animos, & vires adeſſe nobis. Sed inſtabiles bellorum vices, & nuſquam ſatis cognitum ingenium fortunæ, omnia hæc prudentes viros cum obliuiſci, tum etiam timere facit. Nulli peculiare, nulli hæreditarium fuit ſemper vincere, ſemper ad noua conſilia, noua ratione eſt opus. Neque quod viceris heri, ideo captiua ſpolia hodie ſpondeas tibi. Hoſpes eſt victoria, huc & illuc vergit, nullum proprium domicilium habens. Licet virtute, conſilioq; maxime & paretur, & retineatur, plerunq; tamen vbi diligenter omnia, prudenterq; egeris, multum adhuc mo-

Fortunæ ingenium nunquam ſatis cognitum.

Hoſpes eſt victoria.

menti fortuna, multum caſus quidam ſibi vendicare ſolĕt. Exigebam (memini) virtutem ſolam in militibus, ſpreta omni extranea cauſa, & cunctæ fortunæ obſequia, ſi vos feroces animos promiſiſſetis, vobis conſtantiſſime omnia pollicebar. Sed clades illa noſtra Belgradenſis, cuius memoriam ſemper horret, & horrebit animus, multum cogitatus meos mutauit, & alium longe æſtimatorem rerum humanarum, ac varietatis fortunæ fecit. Quid ſi aut longior ille dies, aut magis animi Sebaliæ fuiſſet, an nō funditus euerti res Epirotica potuit? Saluati ſumus magis à ſuperis, quam nos ipſi noſmet tunc ſaluauimus. Diſſipati, vulnerati, feſſi, famæ etiam, & ſiti nouiſſima confecti eramus. Quid ſupererat aliud, niſi vt ſegnes victori vinciendas dexteras traderemus? Tutata eſt nox, tutatus in primis deus, qui & mentem illis, ac vires abſtulit, & nobis copiā ad effugiū, ac reſpirandū conceſſit. Opportuna iniuriarum erat multis locis prouincia, ac paſſim ſparſi agreſtes ignari fortunæ noſtræ. Expectabat fermè præda victorē, nihil abſtulit, nihil abduxit, nimio plus parti decoris ſtudioſus, & timens forſitan eos, à quibus maxime timebatur. Nō refero idcirco hæc, vt quempiam veſtrum deterream, ſed admoneam potius, & conſultem vobiſcum, quomodo ſint nobis tanti conatus vel eludendi, vel conterendi, quomodo quærenda inſignis aliqua ſine precio ſanguinis, & rerum veſtrarū victoria. Hoſtium ingens eſt numerus, atq; nunquam ad hunc vſq; diem, niſi vrbium oppugnatio ſit quæſita, maior viſus nobis in Epiro. Si fixis ſignis apertis in campis expectetur, dubius eſt euentus belli. Age age fœliciter nobis, & ex voto res cedat. Cadetis profecto, cadetis multi (vtinam falſus ſim vates) priuſquam vel terga, vel inermes dexteras, & ſupremā vobis confeſſionem tantus exercitus tradat. Mixta cum lachrymis victoria, & non multū diſpar victoris, ac victi mœſtitia erit. An pauci apud Belgradum cecidimus? Itane ea iactura reſarcienda? Quāta ibi militaris ætas vix multis recuperanda annis? quot fortiſſimorū virorū corpora cæſa? Euacuetur cito Epirus, ſi tam audaci propoſito, glorioſas ſolum victorias quæramus neceſſe eſt? Belligerandū igitur ita eſt nobis hodie, vt cras etiam belligerare poſſimus. Neq; par eſt hac in re noſtri & hoſtiū ratio, minor eſt iactura Tyrāno, minus æſtimātur cæſa quadraginta & quinquaginta millia, quā mihi centū ex vobis. Pauci ſumus, idcirco maximo ſtudio ſeruandi. Et ſi cauſa noſtra id nō facere curaremus, vxorū ſaltem & liberorum faciamus, quorum ſalus & libertas omnis à ſolo ſpiritu veſtro pendet. Noſco numerum, noſco vultus veſtros, & nomina ſingulorum. Hoc quoque magis ſtudioſum facit, magis anxium ſalutis veſtræ, non tamen negarem ipſe fortunam omnem huius certaminis apertiſſime ſubeundam, ſi depugnare cum Ottomanis hoc ſolo prælio poſſemus. Si finem aliquem laborum in poſterum, & erumnarum ſperaremus, exponerem libenter caput ipſe meum cum corporibus veſtris

Iactura apud Belgradum.

ad per-

ad perpetuam quietem, & pacem poſteris parandam. Sed nouus ſemper hoſtis exoritur, noua ſemper bella nos manent. Iſaac exitum, alter ſubito Iſaac excipiet, fatigabimur ſemper recentibus armis, circundabimur recentibus periculis. Ad hoc deſtinata eſt (vt videre videor mihi) Epirus, ad hoc natæ ceruices, & capita noſtra. Colligendi itaq; cogitatus, diſpenſandæ vires, partiendum ita patrimonium, vt quotidie emergentibus creditoribus ſoluendo eſſe poßimus. Dabit tamen Deus his quoq; finem, neque bona, neq; mala diuturna homini eſſe poſſunt. Reſpirabitis aliquando & ipſi, exaturabitur hoſtis tot vanis conatibus, atq; deponet tandem perpetua odia iſta, iuuabitq́; olim vos tot laborum, tot periculorum memoria. Nunc (quod ad rem attinet) reliquam ſententiam meam ſequor. Dixi victoriæ incommoda, damnaq́;. Quid ſi vincimur? Vbi reliqua præſidij ſpes? vbi auxilij erit modus? An cruentus hoſtis, & victoria tumens expectabit, donec vires inſtauremus, & noua illi occurramus acie? Inſtabit, vrgebit, donec quippiam ſupererit reliquiarum, & nobis expugnatis in oppida demum noſtra, & patentem iniuriæ prouinciam reliquum furoris ſui profundet. Inſidijs excipiendum aduentum illorum, non aperto Marte quiſpiam veſtrum forſan dicet, noſtra quoq; non diſpar omnino ſententia eſt. De tempore tamen diſſentio à vobis, fallendos tunc puto, quum falli ſe non crederit, quum in poſſeßione quadam victoriæ laſciuientibus præ licentia animis, fraudem nullam metuent. Nunc tot alienis documentis, tot ſuis exemplis inſtructi, hac aßidua ſuſpicione, & intentis iampridem oculis ex Cõſtantinopoli veniunt. Habent præterea ſecum ſceleratum nepotem, & domeſticam peſtem noſtram, qui quas nobiſcum olim ſtruxit inſidias, præuidere, & cauere peropportune docebit. Euadendum igitur eſt in arcem ingentis alicuius ac ſupremi conſilij. Qualiter & extra periculum prouinciam ſeruemus, & inſigni aliqua, ſimul ac incruenta (quod raro contingit) victoria, veterem gloriam, & tantam ad hunc vſq; diem famam tot rerũ geſtarum retineamus, ampliemusq́;. Dabit tamen tempus dieſq́;, ac viſus oculis hoſtis conſilium hoc. Nunc (vt perueniat tandem quo noſtra tendit oratio) primũ omnium tollenda eſt omnis materia ſæuitiæ ac victoriæ hoſti, reducenda omnis ætas ſexusq́; ex campis in loca tuta. Præſidijs etiam cõmeatuq́;, ad omnem variationẽ fortunæ munienda oppida. Quis ſcit præterea occulta Tyranni conſilia? An ipſe quoq; iampridẽ huiuſce vltionis, & Epirotici ſanguinis auidus Baſſæ iter ſequatur? Credo fortaſſe, & timeo plura, quam par eſt. Bonũ eſt timere omnia, vt nihil timeamus. Si hoc modo prouincia curabitur à nobis, ſi nihil erit in campis, in oppidis quod ditet, alat, quod formidet hoſtem, quod curam, & animos noſtros ab huiuſce contemplatione rei auocet, victores proculdubio erimus, & per ſecurum poſthac ocium, ſi ad voluntatem meam conſilia, & arma veſtra accõmodabitis, cædendum

Quando fallendus hoſtis.

Occulta tyrãni conſilia.

Bonum eſt timere omnia, vt nihil timeamus.

dendum vobis hoſtem in mœnibus tradam, & formidabilius, iuuantibus dijs, hodie Turcarum genti nomen, atq; ingeniũ Epiroticum efficiã, quam vlla forſan auorum noſtrorum memoria ſit auditum. Non fallo ipſe me, non fallo vos. Si polliceri quippiam poteſt in rebus humanis, iſthæc pollice-or, & in me recipio. Melius tamen fieri hæc, quam dici volo. Interim ne tem pus cupiditate iſta loquendi, & inanibus fabulis conteramus, qua nulla maior iactura militi, ſinguli ſingula, muniendæ prouinciæ, ac hoſtis expe-ctandi munia capiamus, nihil impero ipſe alijs, quod mihi ipſi nõ imperem. Nihil recuſo, vel ſordidum duco, quod è dignitate & vtilitate omnium cenſeatur futurum.

Procurata per vniuerſam prouinciam.

Hanc orationem maximo omnium ſilentio, atque attentione perora-tam, Tanuſius & Vranacontes iampridem intenti aſſurgentes, ſummis pu-blice laudibus excepêre, ita rerum ſingularum exactiſſimam rationem ha-bitam à Scanderbego dicentes, ita diuinum hominis ingenium, prudenti-amq; omnia exhauſiſſe, vt neque cogitãdi, neque tentandi quippiam, quod ad publicum vel priuatum commodum ſpectaret, locus alicui eſſet relictus. Vulgi quoque ardor omnis reſedit, & ab audacia animi ad cautum quen-dam timorem traducti. Poſcere nonnulli palam, & obſecrare ducem, vt conſilia ſua aperiret, qua ratione debellare cum eo hoſte ſtatuiſſet. Contra ſubridere ille, diceretq; ſat ſibi eſſe ſi ei crederent, ſe vna cum eis in eadem cau-ſa eſſe, neque valere ſponſionem ſuam vllam in tanto fortunæ iure, atq; po-teſtate. Interim partita prouincia, diuiſisq; miniſterijs purpurati, decer-nente Scanderbego, hac illac maximo ſtudio atque celeritate diſcurrunt. Nunc præſidia tradita ſibi diſponentes per oppida, nunc conuehentes com-meatum, & alimenta viris. Ea res cauſa moræ cuiuſdam fuit, quod non-dum totum frumentum demeſſum in campis erat. Igitur ingruente indies fama de hoſtium aduentu, quum res præcipiti quadam feſtinatione indi-gerent, agreſtes promiſcue, militesq; ad id negocium tranſmiſſi, partim de-meſſum & expurgatum, partim cum ariſtis & palea ipſa conduxêre omne intra murorum munimenta. Ita prouiſum vbique commodiſſime, & de propugnatoribus, & de multorum menſium annona. Scanderbegus Mo-ſe ad cuſtodiam reliqui exercitus relicto, triduum amplius Croiæ in rerum diuerſarum procuratione conſumpſit, præſertim in reducenda à Petralba vxore, familiaq;. Inde Dibram reuerſus, erectis (vt aiunt) auribus, curaq; peruigili hoſtium aduentum expectare dies, noctesq; cœpit. Cæterum ſupe-rata maxima parte Macedoniæ, iam Epirum hoſtilis intrabat exerci-tus, præeuntibus vndique exploratoribus, ac ſcrutantibus ſingula, ne inſi-dijs ſolitis apparatis ab hoſte, incautus miles circumueniretur, ac turba-retur exercitus. Quin audio hac conſilij ratione Ameſam ſemper ferè no-cturnum iter prohibuiſſe, dicentem patruum nunquam vel luce, vel vi aperta

De annona multorũ menſium.

Exercitus Turcicus.

aperta tantum hoſtem expectaturum, ſed noctis ſimul, fraudisq; auxilio aſſuetum belli genus tentaturum. Scanderbegus licet paraſſet iampridem omnia (ſi ex re ſibi videretur) ad fugã, tamen pedem non mouit inde, priuſquam ſatis propinquum hoſtem audiſſet, & ſtrepitum quaſi ac puluerẽ no-



taſſet venientium. Tunc conuerſis ſignis, omnibusq; collectis, ceßit hoſti, ita vt conſpici quaſi terga cedentium à ſequentibus poſſent. Abſtinuit ab inſequendo Barbarus propter difficultatem ac laborem viæ, & inſidiarũ metum, tamen mißi nonnulli equites, qui & illos infeſtarent, & quantum fieri poſſet, illorum iter obſeruarent. Ingreſſus itaq; Dibram ſuperiorem exercitus, per viam Alchriæ perluſtrare adhuc eodem tenore cuncta, ac longa indagine perſcrutari curauit. Vbi tuta omnia, & ſine aduerſario inuenta, ingẽti feſtiuitate circumlata ſunt hincinde ſigna, & inani inſultatione vacua defenſore loca poſſeſſa. Sed quantum incruentæ id victoriæ genus lætis animis tumidus miles accepit, tantum cupidus indoluit, nulla præda in campis, nulla re ad exaturandam libidinem, auariciamq; reperta. Quinta erat hora diei, quare tum vt equites ſuos Scanderbegum ſequutos expectarent, & ab illis iter eius noſcerent, tum vt ſuas reficerent vires, longis ſimul laboribus & caloribus defectas, leniter mouentes agmen non procul ab Oronicheo (loci id eſt nomen) in eadem Dibra conſedere prope locum, qui caſtrorum aliás noſtrorum eſſe conſueuit, ibiq; erectis tentorijs conſultabundi, quod per reditum exploratorum licuit, temporis tranſegére, cibi capiendi, & curandorum corporum haud multa viris cura inceßit: nam in ortu ipſo auroræ eius rei ratio egregie habita fuerat, & pranſi

Scãderbegus cedit hoſti.

Oronicheũ, locus in Dibra.

pranſi omnes commodiſsime fuerant, conſilio Imperatoris verentis, ne ſi decertandum cum hoſte eo mane eſſet, differens in longum (vt fieri interdum ſolet) contentionem fortuna belli cum fame etiam feſsis decertandum eſſet. Iuuat interim curioſos militum animos inuiſere loca caſtrorum, & aſſuetas hoſtium ſtationes, atque hincinde perequitare, ſed non ſine metu aliquo, & periculi reſpectu, nuſquam arma deponentibus viris, nuſquam cuſtodias omittentibus, ac maior fermè pars militum circa tentoria diſpoſita in equis ſtetit. Ita duæ paulo minus horæ in pari quiete & ſuſpicione abiêre, donec explorator reuerſus, quæ viderat, ducibus aperuit, Scanderbegum maritimam oram à regione, qua Lyſſum oppidum iacet, cum omnibus copijs petiuiſſe. De copiarum numero interrogati dixêre, æſtimare ſe vix vnam militum legionem adimplere. Tamen noſter exercitus vndecim (vt audio) hominum millia exceſsit, ſex equitum, reliqui pedites erant. Sed inde (vt arbitror) proceſsit error, quod noſtri quum eſſent in Dibris, peditatum omnem cum impedimentis leni inceſſu præmiſere, verentes, ne ſi expectaretur in propinquo hoſtis, & ad celeriorem premeret fugam, ad expeditum citumq; vſque ad tuta iter non ſufficerent. Poſtea eques paulatim (vt dictum eſt) in ipſo quaſi conſpectu hoſtium eſt ſecutus, ideo prima peditum agmina à ſpectatoribus (vt par eſt) non fuêre viſa.

Quæſtio de Scanderbegi ceſsione.

Quæret quiſpiam hic ſtudioſus rerum, quæ ratio, quæ vtilitas propoſiti huius Caſtrioti fuerit, vt tum demum hoſti ceſſerit, quum illum quaſi afflantem ſibi terga vidiſſet, & magis Lyſſum verſus, quàm alia loca: ſed quo genere rationis ſatis mihi facio ipſe, non verebor alienis quoque auribus pro virili ſatisfacere, præſertim quod nec diuerſa in hoc ſententia illorum eſt, quorum maxime diligentiam & fidem in totius contextu operis probauimus, & libenter ſumus ſecuti. Et ipſi quoque effectus rerum ſi diligenter ad inuicem conferantur, iſtuc ipſum haud dubie oſtendere poſſunt.

Stratagema Caſtrioti.

Caſtrioti primum ſtratagema in expectando tam propè hoſte fuiſſe, ſimulantis congrediendi animo ſe expectaſſe, ſed multitudine viſa, & præſenti magnitudine periculi perterritum, tum demum cogitaſſe de fuga, vt animi ſimul & licentiæ aliquid inijceret Barbaris, interpretatus eius eſt timor, quod ſine ſuſpicione ingenti fieri haud quaquam potuiſſet, ſi plus ſpacij inter fugam horum, & illorum aduentum interceſsiſſet. Lyſſum vero verſus potius, quàm alio inclinata fuga, tum quod pauorem ſimulantibus hominibus tanquam aptior ea via, quia tutior erat, electa videretur, ne ſi inter aſſuetos ſaltus, & confragoſa montium aufugiſſet, & metum ſuum minorem indicaret, & latentium ſuſpicionem inſidiarum inijceret hoſti. Tum illo fortaſſe eleganti propoſito (quod effectus poſtea non inefficax teſtis, expectato ſucceſſu propalauit) vt credulum, ac ignarum hoſtem eo pacto deciperet, adorireturq; ab ea parte, quam neque fu-

gæ ve-

ga veſtigia, neque ratio ipſa locorum ſpectatam vllatenus faciebat. Non enim vel ab inani, vel imprudenti ratione, tam prudentiſsimorum ducum conſilia illa inita fateri licet. Ameſa quoque non diſsimilis omnino interpres eius rei fuiſſe dicitur: nam quum Baſſa fluctuatus aliquantum animo ex inſueta, atq; tam pertinaci fuga viri, mentem illius ſciſcitaretur: Moſis, inquit, copias expectabat patruus, ideo ſolito & tumultuario agmine collecto, veterem vincendi ſpem eouſq; aluit, donec inani opinione fruſtratus, & viſis tam crebris ac ingentibus ſignis, coactus demum eſt veram ad fugam, neque tutam ſibi moram vllam ad reſiſtendum nobis in prouincia ſua cognoſcens, Lyſſum ad petenda à vicinis atque Venetis auxilia confugit. Probabilis maxime ratio accepta, neq; alia vllius ſententia fuit. Licet altius deſcendentibus ingenijs, atq; conſilijs (vt par erat) collectis, præceps ſaltem ſi non vana Ameſæ interpretatio videri potuerit, nam non eam paucitatē hominum, qualis cum Moſe venerat, à Scanderbego creditam, neque non cognitam, atq; formidatam, eam vim periculi illud ſummopere augebat, quod procurata omnia per Dibras, ſicut in regio aduentu conſueuêre apparebant. Non precioſi quippiam, non vllum animantis genus relictum in campis, ſatis apertum præcipui cuiuſdam timoris, atq; elaborati conſilij indicium. Niſi fortuna, fataq́; , vbi ſemel funeſtum aliquid miſeris mortalibus deſtinauêre, mentem quoq; ac ſenſum, quaſi ipſum corporis robur & columen adimerent. Suberat oculis ipſis tam promptum hoſtilium conſiliorum documentum, neque cernebatur, niſi fortaſſe in ipſo ſtatim apparatu fugæ. Procuratum de hoc quoque agreſtium, & prouincialium ſtatu in Dibris putauit Barbarus. Sed agedum, quando in Aemathiam ſuperato Tumeniſto monte deſcendentes, ac Croienſes fermè campos prætерlati, parem vbique rationem prouiſionis inuenêre, cur ab ea credulitate non diſceſſum eſt? In viri præterea fama, nonne multum momenti ponendum fuit? vt nunquam tam ſupinum crederent Scanderbegum, quod eum apparatum, & magnitudinem copiarum non ſenſerit. Nolo tamen diutius hanc hominum credulitatē accuſare, quæ tam inſignis victoriæ nobis, & perpetuæ materiam gloriæ tribuit. Regius itaq; vbi per fugam noſtrorum, negatam ſibi eo die bellicam laudem omnem cognouit, collectis optimatibus, ac principibus exercitus, poſt cibum lautè captum, ad conſilia non ſatis opportuno tempore delabitur. Illud vnum multis ſententijs verſatum, an eo die mouenda inde caſtra eſſent, & hoſtis quibus locis, quibus rationibus perſequendus, expectaturus, an ibi quod de illo certiora ſcirent, eſt morandum. Ameſa, & pauci nihil innouandum, ſed diem ſequentem ibi expectandum dixêre. Tamen maior pars meliorem vicit, & illorū præualuit ſententia, qui affirmantes ad eos apparatus quærendi ſubſidij, & reditum Scanderbegi quatriduum vix ſufficere. Tempore

Sententia Ameſę de Scanderbego vana

Conſilium de mouendis caſtris.

pore interim atque occaſione vtendum dicebant. Progrediendum in deuaſtanda, & depopulanda reliqua prouincia, neque expectandum, donec omnis colonus, & multitudo agreſtis ea fama territa fugiens in loca tuta, nudam tantum tellurem, inanesq; caſas, ac vacua ouilia tardè progreſſis militibus relinquat. Signum itaque datum à duce, vt exercitus omnis illico in procinctu eſſet ad ſe ſequendum, propalataq́; ea ſententia eſt in vulgus, atq; aperta ratio nouorum conſiliorum. Paruit impiger miles eo nuncio ſupra modum erectus, & clamore (quo cætera ſolet) eam rem maximè approbauit, extulitq́;. Proinde dicto citius tentorijs, ac vaſis collectis, ſtetit parata acies, atque omnia ad manum fuêre. Ameſa quoque ipſe vultu ad omnia hilari, libenter paſſus eſt in eam ſententiam ſe trahi, non negans & ille tutos ſe ea die, & ſequenti etiam fortaſſe à Scanderbegi incurſu fore, tamen ſibi in rebus bellicis timidiora, cautioraq́; conſilia ſemper placuiſſe, ita in minimo errore multum eſſe momenti. Ideoq; monere Baſſam, vt maximo ordine, prudentiaq́; in ea re ageret, ne propter immodicam libidinem militarem, ſordida præda ſibi & ſuis etiam luctuoſa efficiatur, horum nihil omiſſum. Partita igitur egregie agmina, ac graui edicto diſpoſita, ne quis ordinem & aßignatum locum inconſulto Imperatore mutaret, etiam ſi omnis Epirotica gaza ante pedes obijceretur, quum tempus fuerit permiſſurum ſe libenter quæ illis vſui forent, pollicitus & prædæ & cæterarum rerum hoſtilium ſat vberem copiam, nihil tunc negatum à milite, donec oculis ſubiecta, quæ prohibebantur, aſpectu ipſo auidas manus inuitaſſent. Priuſquam tamen mouerentur ſigna, atq; incedere cœpiſſent agmina, Baſſa Deos precatus, vt ſe Epiroticæ inſolentiæ domitorem facerent, atq; Scanderbegi tot annorum triumphos, & faſces victoriarum ſibi donarent accitum ad ſe Ameſam agentem curam ſuorum, laudatumq́; publicè multo decore verborũ ſalutari (vt fit) militari voce in Epiroticum regem fecit, Scanderbegi omnia longa, ſed inani deteſtatione inſectatus. Accepit omen nepos. Quare promptior ad omnia, lætiorq́; obire diligentius ſingula, & ambire verbis factisq; impenſius fauorem popularem cœpit. Inter hæc agenda mota ſunt ſigna, exploratoribus tamen longe lateq́; præmißis, & impedimentis partim præcedentibus, partim ſequentibus. Petita eſt primum (Ameſa ducente) ea regio Epiri, quæ ab Oriente Croiam reſpicit, & 80. millia paſſuum ab ea diſtat, quod quum magis deſerta eſſet viris, cultior, & aptior ad prædam videbatur. Præterea paulatim appropinquantibus copijs ad muros nõ deerat animus, ſi occaſio daretur, vrbe quoque potiundi. Deſinentibus tamen immodicis caloribus perexiguum itineris eo die emenſum, nullo etiam tam parui laboris præmio in campis inuento, ſic deſerta omnia, ac vaſta vbique apparebat ſolitudo. Augebat ea res magis timorem, ac ſuſpicionem Barbaro, & plus exinde Scanderbegi

In rebus bellicis timidiora & cautiora conſilia probantur.

Ameſa fit rex Epiroticus per Baſſam.

derbegi ingenium, atque inſidiæ timebantur. Moleſtum præterea id erat cupido laudis homini, quod ſi ille vel abſentia, vel aſsiduis ludificationibus



copiam ſui non feciſſet, reuertendum ſibi inglorio omnino Conſtantinopolim eſſet. Nam neque prædæ materia vlla, quæ in parte victoriæ computari conſueuit, neq; modus aderat ſine operibus per oppugnationem vrbium laudis vllius quærendæ. Deuaſtatio vero ſegetum, arborum inciſiones, & villarum incendia, atque cætera id genus in vltimo odio differri conſueuêre, quum furorem, ac rabiem verius quandam, quam vltionis commodum vllum oſtendant. Præſertim quod alebat ſpes neſcio quæ homines debellandi cum Scanderbego poſſe, ſi manus conſeruiſſet, & totius prouinciæ extorquendæ. Ideo forſan aliquantiſper ab ea ſæuitia deſitum eſt. Contractis iam paulatim radijs vergente ad occaſum ſole, ſuccedens tacite multis locis vmbra, feſſa itinere & calore, atque perennibus exhauſta ſudoribus, militum corpora cœperat inſtaurare. Quum propter eam copiam reſpirandi accelerantes iter homines, & inferentes promptius ſigna Baſſa ſiſtere iuſsit, veritus progredi vlterius propter vicinitatem noctis, atque Ameſa prius cum nonnullis equitibus ad contemplandam commoditatem loci præmiſſo, collem quendam proximum, qui à ſiniſtro latere imminebat cum parte copiarum conſcendit ipſe. Pars in valle ſuppoſita, & alijs, quibus tutius potuit locis, collocata eſt, cuſtodijs tam per patentes campos, quam vicinorum montium cacumina ſumma ratione diſpoſitis, ab ea præcipue parte, qua periculum à Lyſſo timebat. Ita nocte ibi tranſacta. Aemathia craſtino iti-

Deuaſtatio ſegetum, incendium &c. rabies verius, quàm vltionis commodum.

Capti quidam conſilia Scanderbegi aperuerunt.

no itineri omniũ ſententijs deſtinata. Interſerunt hic quidam captos nonnullos ex noſtris colonis, dum incauti ex ſaltibus vicinis deſcendentes, fuiſſent oppreſſi, metu mortis, atq; ſuppliciorum adactos multa hoſtibus Caſtrioti conſilia aperuiſſe. Sunt enim quidam montes Epirotici adeò ſaltuoſi, atq; difficilis acceſſus, vt tutiorem ſe penè ibi, quam in munitiſſimis oppidis eſſe confidat habitator, neq; vlla ſatis hoſtium & periculi magnitudine ea loca deſerat. Addunt illud quoq;, transfugas hac ipſa nocte iſſe ad Scanderbegum, interceptosq; à quibuſdam cuſtodijs noſtris exploratores creditos in ea incertitudine noctis occiſos. Vnum caſu ſeruatum, miſſumq; ad Caſtriotum accingentem ſe craſtinis laboribus, multaq; ab eodem conſilia illum didiciſſe, & eius victoriæ noſtrorum quæ mox ſequuta eſt, præcipuũ hunc auctorem, & adiutorẽ fuiſſe, non difficile creditu id eſt. Nobis tamen ſine probatione aliqua veri, vel impugnatione mẽdacij iſthuc ſit retuliſſe ſatis, præſertim quod res noſtræ iampridem in hoſtium aduentu ipſo relictæ, me ad ſe ſolicite accerſunt & reuocant. Cæterum Scanderbegi fuga illa Lyſſum verſus non eiuſmodi fuit, vt credidit hoſtis. Sed vbi multis millibus paſſuum ex oculis illorum euentus deuenit in loca quædam in limitibus ipſis ſui imperij, vnde multæ in prouinciam viæ ad hoſtem ex improuiſo inuadendum patebant, fixis ſignis caſtra per eum diem ibi metatus eſt. Et ipſe vſque ad occaſum fermè ſolis cum exercitu manſit, tunc demum copijs ibi relictis cum paucis admodum equitibus in montes quoſdam peruenit. Vnde non iniquus erat in Aemathiam proſpectus, atq; per iuga, & ſummitates (non aſpernatus ea, quæ à transfuga illo audiuerat) cuſtodias cum ſolitis faſciculis diſpoſuit, admonitos prius vt erectos illos tenerent, & qua parte conſedentem viderent hoſtem, ab eadem velut in præceps eoſdem faſciculos darent. Hoc tantum diurnum ſignum ordinatum, de ignibus, cæterisq; cuſtodijs nocturnis nihil procuratum inuenio. Relicti tamen ad eam cuſtodiam ſunt milites, ex toto fermè exercitu maxime inſignis & fidelis operæ, vnaq; cum eis Peicus Emanuel, pari vir conſilio atq; audacia, nam totius rei momentum in ea cuſtodia erat. His ſic procuratis intempeſta nocte rediјt in caſtra, & maiore eius parte ibi per quietẽ tranſacta, ſilenti admodum agmine ſuſtulit ſigna, atq; non diu oberrans in valle quadam non procul à cuſtodijs, quas diximus, latuit, pedem inde non moturus, donec per faſciculorum indicia agendorum conſilia accepiſſet. Lux vix exorta, Baſſam cum omni exercitu è caſtris eduxit cupientem ante meridianos calores interiora Aemathiæ penetrare, vbi reſiduorum aliquid ad prædam relictum, & minus timoris, ac negligentiæ magis audiebat. Itum igitur nuſquam interpellato itinere. & madentibus adhuc rore matutino herbis, celebres Romano quondam ſanguine campi, ac infamis tellus noui iam cruoris auida infœlici preſſa pede. Et ne ſine præſagio (vt aſſolet) aliquo tanta res

Peicus Emanuel.

ta res tranſiret, affirmant multi, ſigniferum maceria quadam diruta, offenſo equo (vt multa ſunt eius generis apud nos fines terminãtia prædiorũ) humi præcipitem cum vexillo corruiſſe, ac exanimatum ferè ſublatum manibus ſociorum impoſitum equo. Rem tamen minime curatam ab hominibus, ſignum tantummodo acceptum, vt cautius cæteri irent, & vitarent eum locum, id quod & nobis fortaſſe magis credere licet, quã vaniſſima eius caſus indicia in mera arbitrij libertate, ac tantis fidei Chriſtianæ documentis ſequi. Sed in alieno, neſcio qua ratione diſſentiam à cæteris, quod per eos dies vulturum, ac cæterarum id genus volucrum, quæ ſordes cadauerum appetunt, tantã multitudinẽ in ea loca velut præſagam futuri cruoris aduolaſſe narrant, vt operiri cœlum videretur. An & illud contemni debuit? quod hoc ipſo anno in exitu veris ſanguinẽ pluiſſe à multis qui viderunt, propalatum obliti omiſeramus, quorum neutrum hominis facto vllo proceſſit, neque aliquid in prudentia, aut conſilio noſtro fuit momenti, vt præuideri, vel præcaueri poſſet. Fluunt multa ignaris mortalibus occultis quibuſdam rerum cauſis, & mala bonaq́; agentibus aſtris nobis ſæpenumero patent, ſed dum obſeruare piget, omnia caſum facimus, neq; prudentiæ miniſterio, & induſtria conſiliorum, vel propenſa numina inuitamus, vel minantis rabiem poli excludimus. Cur namque vel eos auium volatus, vel cœleſtem ſanguinem, magis hoſtium, quàm noſtram cladem portendiſſe dicamus? niſi longis ducis conſilijs, ingenijq́; dexteritate, & expugnata aſtra, & exorata à ſuperis tanta victoria fuiſſet. Potuit (ni fallor) vulturum fames eludi: potuit ſolo ſanguine cœleſti exaturari tellus, ſi trahentia fata pertinax humanorum prudentia pectorum ad ſe traxiſſet. Si enim nihil momenti eſt in nobis, nihil iuris habemus in his, quæ agimus, & neceſſarius ea indicia effectus ſequitur. Quid fruſtra monere & iubere arma, ſi inanis omnis tutela noſtra eſt futura? Quid ſaltem adeouſque onerare genus humanum, & tam longas miſeris mortalibus velut condicere lachrymas? aſpectatores mali ſui tantum non affuturi facere oculos. Lætiores profecto abiremus alente ſpe animos vſque ad vltimum vitæ ſpiritum, quæ mortem quoq; ipſam minus formidatam condiret. Licet illud ſit in ore ferè omnium, præuiſa mala lenius offendere conſueſſe. Fatebimur fortaſſe in eo genere malorum, quæ præparare animos non demittere ſolent, ſed nulla quidem funeſtior cogitatio, quam quæ vitæ ac mortis tempus æqua vi lachrymarum, ac rabie doloris aſpergit. Veruntamen dum Philoſophum neſcio quem ago, nimio plus fortaſſe hiſtoricum exui, hoſtium ingreſſum in ea loca ſtatim crepitus tormentorum ex caſtellis vicinis excepit, reuocantium quoſdam ex ſuis, qui pabulatum cum armentis exiuerant. Nemo tardatus propius periculum expectauit, quin ſtudio fugæ qui longius progreſſi fuerant, incommoditate agendi gregis pauxil-

Signifer cum equo collapſus.

Sanguinem pluit.

Aſtra patent bona malaq́; agentibus.

Iacula præuiſa minus feriunt.

Autor philoſophatur.

lum prædæ hoſti reliquêre. Simul & faſciculi noſtri ex montibus excuſſi, Scanderbegi ocium excuſſere. Qui optima ratione facile coniectatus quó tenderet Barbarus, cuſtodijs reuocatis, & iunctis ordinibus latenter per ſecretas valles, & montium ſeceſſus mouens agmen, ignarum hoſtem à longe eſt ſecutus. Et quum ſatis itineris emenſum viſum eſt, ratione cuſtodiarum ibi quoque exactiſſime diſpoſita, iuxta collem quendam, quem Tumeniſtiolum accolæ dicunt, vſque ad occaſum ſolis cum omni ferè exercitu quieuit. Regius interim non primam ſolum partem diei, ſed integram ferè eam lucem in quærenda præda, & excurſionibus aſſiduis conſumpſit, contemptu quodam, ac licentia paulatim inter homines orta, quum nihil vſquam obſtaculi appareret. Non latuit quippiam Scanderbegum, ſed neq; cum ea paucitate ſuorũ per latam planiciẽ inſequi palãtes, aut cum aliquo diſcrimine pugnare decreuerat, & creſcere magis licentiam illorum volebat. Eodem igitur tenore per totam noctem illos ſequutus, à caſtris eorum abſtinuit, cum propter incommoda locorum, quod vix duci agmen in tenebris per eos inuios ſaltus poterat, tum quia animum intendiſſet ad conceptum iampridem ſtratagema illud de tubicinibus, cornicinibusq; (de quo ſuo loco dicemus) ad diuinum ſe certamen ſeruabat. Tranſegit itaq; id noctis Barbarus multa feſtiuitate, atq; militaribus iocis: Ameſa quoq; nihil recuſans, circumlatus per caſtra, manibus ſociorum, atq; inconditis vulgi carminibus velut iam totius dominium Epiri nactus eſſet, nimium præpoſtere celebratus eſt. Non quod liberi iam forent à ſuſpicione, timoreq; animi hominum, ſed quia deſiderium noſtrum ſæpenumero fidem quoq; ipſam ſecum trahit, vt quum ita velimus, ita credamus, & triduana ea ceſſatio velut victoria quædam, inanem profecto licentiam mentibus iniecerat. Inde omnia ad negligentiam proniora, & miniſteria cuſtodiarum ſegnius procurata, ab ea tantum parte vigiles diſpoſiti, qua hoſtium iter & reditus à Lyſſo timebatur. Ita nocte ſuperata, dies quoque aduenicns excurſionibus deſignatus. Sublata igitur cum luce ſigna, & quod ſupererat locorũ ingenti impetu atque inſultatione peragratum. Caſtra etiam mota cum omnibus impedimentis, & in planicie quadam inter Mathiam fluuium, & aquas, quas Albulas accolæ appellant, tranſlata, non diſſimili ſerie cuſtodiarum Lyſſum verſus ordinata, & ad radices Tumeniſti montis, qui patentes campos ab Occidente ſpectabat, armati quidam cuſtodiam habere iuſſi, cæteris rebus ſtationes egregie munitæ, ac dimidium ferè exercitus ibi retentum. Nam Baſſam cum multis purpuratis in eis manſiſſe inuenio: Ameſam tamen vt peritum regionis, copias ad deuaſtandam prouinciam ductitaſſe. Procurſum igitur eodem tenore vſque ad ſuffadas maritimas, & littorales partes. Colonus obnoxia iniuriæ quædam reliquit, præſertim quod non ſatis credidit Scanderbegum tam diutinam eorum licentiam

Ameſa celebratur rex Epiri.

Mathia fluuius & Albula aqua.

centiam paſſurum. Potuit omnino tunc quoque egregium aliquid naua-re Epirenſis, ſi impetum in caſtra diuiſis ſic viribus hoſtilibus feciſſet, ſed non adhuc ita in propinquo ſurrepſerat, vt in procinctu ea aggreſſura eſſet, & expediretur antequam reliquus populator reuocatus medios intercluderet homines. Reditum eſt in caſtra, reuocante fame, caloribusq́ue, ac infamis præda inter milites diuiſa, quæ famem inuitaret magis, quàm pelleret. Subduxerāt interim noſtri copias, ac inſidias omnes, & ardentia ora, gladijq́ue iam ſtringebantur in hoſtem. Caſtriotus velut ſolicitus hoſpes, quum præclarum aliquod conuiuium, & lautiores ſolito epulas parat, non familiarium, non ſeruorum, nō fidens manibus vxoris, & experto ingenio fidens, omnia ipſe ordinat, omnia diſponit, diſquirit ſingula anxius, & in omni parte menſæ in cunctis cibarijs pallidus hæret, præſertim ſi propter tenuiorem fortunam viri parcior apparatus eſt, quàm pro numero conuiuarum. Ampliat quæq́ue docta artificis manus ad oculos ſaltem accumbentium fallendos, ſi manus & dentes non poteſt. Sic pererrans ille per montes & colles vicinos, nuſquam quieſcit, hinc Moſen, hinc Tanuſium, hinc Streſios, cæterosq́ue ſingulos ſingulis miniſterijs addicit, monet, inſtituit, nullius tamen ſatis ingenio in tanto rerum molimine fretus, nunc præit, nunc ſequitur viros, vbique teſtes ſuos ipſe oculos, teſtes manus adhibet, verſat, reuoluit cuncta, ſimul & loca hominibus, & homines locis aſſignans. Partitur ita ordines, viresq́ue ſuorum, ne violet, ne exhauriat, formidandum vndique ignaro hoſti ſpectaculum parans, nam ſingulis agminibus tubicines, cornicinesq́ue, ac cætera id genus bellica inſtrumenta, quæ numeroſiora ſolito apparauerat, ſumma ratione locauit. Peditem verò, equitemq́ue, prout qualitas locorum patiebatur, & numerus copiarum diſpoſuit, nam maiorem exercitus partem, quatuor equitum, totidem peditum millia ſibi ſeruauit. Atque nihil moratus Tumeniſtum raptim conſcendens occupauit. Regij præſertim qui à populando feſſi redierant, ad quietem ſuam equorumq́ue dilapſi ſe toto paſſim ſparſerant campo, equis non ſtratis, non infrenatis habitis, paucis etiam ad arma, & ordines relictis. Pars ſub vmbra cruenta veſcentes præda, pars ſumpto cibo ſomno etiam ſtrati, quidam luſibus varijs, laſciuiaq́ue militari vix ægra corpora ſuſtinebant: nam & anni, & diei intemperatiſſimum tempus erat, propter flagrantiſſimos Iulij calores, ac ſtationem ipſam ſolis, vix medium cœlum relinquentis. Quapropter & cæterarum cuſtodiarum non abſimilis ferè negligentia fuit. Ibi quoque ad ocium & corpora curanda verſa multitudo, non armis, non equis ad manus habitis, cum timore ipſo rationem ordinum ex magna parte abiecerat. Baſſa tamen cum purpuratis & Ameſa conſultore, cuius præcipue res agebatur, ſub tentorijs peruigili cura angebatur, quo iam vertendum iter: vnde quærenda materia aliqua laudis

De cæde Barbarorū, & triumpho Caſtrioti Epirenſiumq́ue.

Pulcherrimū ſimile de inſtitutore belli & conuiuij.

Tubicines, cornicines, bellica inſtrumenta.

Scanderbeg Tumeniſtum occupat.

Ameſa angitur.

Conſultatio cōſtans duabus ſentētijs.

laudis foret. Duabus (vt debebat) ſententijs ea conſultatio conſtaſſe dicitur. Altera ferro, igniq́ per omnem prouinciam immiſſo, & abſumptis caſis, arboribus, ſegetibusq́, ac omnibus ſolo æquatis, ea ſaltem victorum veſtigia relinquenda cenſebat. Altera Ameſa auctore Croiam eundum, & tentandos oppidanorum animos, an nepotis imperium admitterent, & dedere ſe vellent. Subijciendumq́ id ad terrorem hominum, ni poſtulata ex æquo acciperent, ſordidiſſimum iugum omnino coactos ſubituros præter perpetuam obſidionē, & calamitatem, ac ruinam prouinciæ, neq́ ſerum Scanderbegi auxilium expectarent, inania conſilia hominum, qui vel ſibi, vel alijs diuturniorem abſentiam viri ſuadere poterant. Facile tamen hac ſententia recepta de altera ſuperſeſſum eſt. Id tantum ad mouenda caſtra, donec æſtus ille, & laſsitudo corporum reſediſſet, expectabatur. Sed non expectauit Caſtriotus iampridem ex Tumeniſto, eo ſpectaculo paſcens ſimul, & inſtruens oculos, atq́ animans, & componens militem, qua ratione ſe ſequeretur, qua perterrefaceret, & qua parte premeret hoſtem. Tamē primum omnium contemplatus cuſtodiam illam ad radices montis, ſenſim ab altero latere deſcendens, ipſe ante alios cum octo non amplius equitibus dormientes nonnullos, alios ex improuiſo oppreſſos trucidauit, præter vnum, quem



Caſtriotus improuiſos obruit.

fuga, equusq́ ſaluauit. Eoq́ modo reliqua agmina noſtra decurrere in planum ignaro hoſte, quum ſubita eius cuſtodiæ oppreſſio ſignum vllum dare prohibuiſſet. Cæterum ille effuſo curſu perlatus in caſtra horribili clamore cuncta repleuit, Scanderbegum adeſſe, trucidatos cuſtodes, vniuerſas hoſtium copias mox affuturas. Haud credita quaſi res foret, ni ſatis certa indicia, &

cia,& pauoris ipſe ſui, & ſanguinis ſociorum dediſſent. Nam neque periculum ab ea parte, neque tam improuiſus aduentus eorum timebatur. Ameſæ facile omnia credita, quare confeſtim prouolans ad ſuos, & arma omnibus, & magnos ad vincendum animos ſuadere conatur. Somnum multis partim ſocij, partim hoſtes aduenientes excuſſere. Nam Caſtriotus vbi proditas iam aperto campo inſidias ſuas vidit, peditibus quantum accelerare poſſent, ſequi iuſsis, effuſiſsimis habenis accingentes ſe ad prælium turmas inuadit, clamore ab omnibus ex compoſito ſublato, ac tubarum clangore ædito, vt & magni exercitus exiſtimatione perterrerent hoſtem, & ſignum montanis, ac circum diſpoſitis inſidijs darent. Primum impetum illorum Ameſa, cum milite ſuo, ac cuſtodijs quibuſdã fortiter excepit. Pedites quoque multi occurrere, quum in ea celeritate fulciẽdorum tam cito equorum facultas non adeſſet. Trepidatio, ac tumultus ingens omnibus locis exorta, cadentibus quaſi maxima conſternatione ad aſpectum hoſtium viris. Baſſa è ſtatione ſua neq; pedem, neque ſignum mouit, donec inſtructam egregie multitudinem vidiſſet, & latus vndecunq; triplicato robore armatorum cinxiſſet. Sed inter hæc apparanda iam cœlum vndiq;, & terra miſceri viſa, propter nouos inexpectatosq; tumultus, & horrendos latentium inſidiarum clangores & ſtrepitus. Reſonare paſsim colles, vallesq; vicinæ, nunc clamoribus humanis, nunc tubarum ſonitu, augentibus pauorem animis ſimul & auribus innumeris ſclopis. Quare exanimati regij credentes totius Epiri, & Dalmatiæ inſuper vicinæ vires adeſſe, priuſquam Moſes cum ſocijs deſcendiſſet in planiciem, arripere iam ex omni parte quam poterant fugam cœpere, quæ etiam haud quaquam tuta videbatur, obſeſſo vndique quaſi omni aditu ab hoſte. Equi etiam ipſi territi multis locis, excuſsis & abruptis vinculis, è manibus ſternentium fugiebant. Sed Ameſa non ignarus fraudis, & coniectatus facile patrui ingenium, vociferans paſsim nihil timendos eos inanes tumultus, talia eſſe ſolere paucitatis præſidia, atque artes, & congreſſus hoſtium cominus expectandos, nõ vanos clamores, & tinnitus æris, non appoſitas timidorum voces, & imbelles latratus vſqueadeo formidandos, multos per ſingulos gradus reuocabat pari incertitudine fugæ, atq; certaminis, nam neq; illa ſtante Imperatore, & integris quaſi omnibus honeſta apparebat. Neq; ad hoc ſufficiebant vires perculſis in re ſubita tanta cõſternatione animis, vt vix reſtitui in integrum per longum interuallum poſſent. Baſſa quoq; agmine ſuorum ſtipatus, eductis multo impetu ſignis, pugnam non detrectauit. Properantem ad ferendum Ameſæ auxilium, & opprimendum aduentu ſuo Scanderbegum Moſes, ac deinde cæteri ſubſequentes in planum facile reuocârunt. Sed effundere multum habenas equitem non eſt paſſus Dibrenſis, donec Tanuſius, & Emanuel, qui peditum, ac ſcloporum agmen trahebant, ad primos perueniſſent. His ſucceden-

Ameſa animat fugiẽtes.

Fuga inhoneſta ſtante Imperatore.

cedentibus furor cuiq; ſuus permiſſus, ac equeſtris procella ab omni latere non tardata ruebat. Quare compulſus eſt quaſi iterum in tentoria Baſſa, & peditatus noſter abiectis poſt terga arcubus ſclopiſq;, gladio commodius in propinquos ac inconditos paßim & inordinatos hoſtes agere cœpit. Multa clades per omnes ſtationes ædita, multus & fugientium, & reſiſtentium cruor effuſus. Sed alia mali ſpecies, alia funeſtiſſimæ fortunæ ſpectacula ab alia parte fiebant. Alijs ſanguinis profluuijs humectebatur tellus, qua Scanderbegus cum copijs ingruerat, nam & maior inde numerus noſtrorum ingentiora poterat ædere opera, & hoſtes magis incauti, ac inermes ferè, & ſtrati ſomno multi oppreßi, patetiora iniuriæ corpora, ac expeditiorem ferro viam præbebant. Hic quoq; peditatus non abſimili modo vſu ſagittarũ, ac cæterorum id genus mißilium abiecto, ſtrictis tantũ enſibus, & verutis, ac ſpiculis Epiroticis nunc timidorum ac fugientium terga feriebant, nunc confodientes equorũ ilia, ſeßores paßim humi præcipites deturbabant. Fuga hominum, & audacia omnis ab Ameſa manifeſto pendebat, qui obnixiore ſemper vultu ſuſtinebat hoſtem, & nunc voce, nunc gladio ſocios compellabat, vt adeſſent tantum, ſuſtinerentq́;, dum primi Epirotici impetus frangerentur, expeditam poſtea victoriam, ac incruentam ſibi futuram. Paucitatem nihil præter primum furorem habere, ſimul cum eo & vires cadere, & animos, & ſic non iniqua ratione protrahebat certamen, donec reliqua agmina, quæ ſparſa latè per campos erant, concurriſſent ad arma. Tamen inanior ſemper eius auxilij expectatio erat, nã multi ab immiſſo equite noſtro obruti, dum arma expediunt, multi inter veniendum intercepti, reliquis fugam ſuaſerat timor. Ita paucis Turcarum copijs legitimè concurſum, ac maior pars iumentorum more trucidata. Moſes ea occaſione cupidiſsime ad abolendam veterem ignominiam accepta, cum robore ſuorum Baſſam nuſquam reſpirare patiebatur, clamans (vt impatientis ingenij erat) ad omnes ictus & motus oculorum: Adeſte, inferte gradum ſocij, non inſignis caſtrorum forma, non vos ingentia Baſſæ nomina deterreant, infames reliquiæ ſunt Belgradenſis Hungaricæ cladis, timore præterea, ſomno, ac recentibus crapulis obruti, vrgete, impellite inanes cuſtodias, exaturate ſanguine dexteras, poſtea præclara præda, ac ingentibus ſpolijs exaturaturi. Mouebant facile cum hæc dicta viros, tum illud multo magis, quod tam precioſa victoriæ præmia oculis quaſi ipſis cernebantur. Tamen circumfuſa vndiq; Turcarum agmina, peditum etiam quorundam non contemnenda manus, penetrari ſe non patiebantur. Scanderbegus interim nepotem, quum occidere prohibuiſſet, conuerſum in fugam, ac equite poſt terga fugientis immiſſo viuum cœperat, & expedita ab ea parte victoria, ad ſtationem Baſſæ cum mille ferè peditibus, & paucis equitibus properabat. Nam cæteri cœptam ſemel victoriam neque in fuga hoſtium

Tellus ſanguinis profluuijs humida.

Moſes fortiſſimè exhortatur ſuos.

Ameſa, nepos Scanderbegi, capitur viuus

ſtium intermiſere. Sed & ibi perfractum robur omne caſtrorum fuerat, immiſſis à Moſe ſclopis, ac Imperator cum omnibus conuerſus in fugam. Pedites qui ibi fuerunt, niſi quis in eo tumultu raptim equum vel ſuum, vel alienum conſcendens, ſe ſubduxiſſet, omnes cæſi, & viui in poteſtatem venerunt. Scanderbegus Baſſæ iter ac veſtigia nuſquam reliquit, donec ille in tutum peruenit, ſeruauit nanq; dominum pernicitas equi. Capti tamen ex comitibus eius fugæ plures, & inter cæteros Sanzachus vnus, cui Meſſi nomen erat. Dibrenſis quoque ac cæteri, dum carpendi & lacerandi terga facultas fuit, nunquam prædæ memores fuêre. Sponte ſe dedentium vbique feſſa, ac ignaua agmina vinciebantur. Pugnatum eſt tamdiu hoc modo, donec dies quaſi ipſe cum hoſte deſeruiſſet victores. Non ingens laſſitudo, non properantes tenebræ ab aſſuetis laborum, & victoriæ præmijs militares manus detinuêre. Palpitantia adhuc cadauera expoliata, & multi etiam tunc occiſi, in quibus reliquum adhuc ſanguinis inuiſum ſpiritum ſeruabat. Signa militaria præcipuæ magnitudinis & formæ viginti capta, homines viui mille quingenti, equorum ac reliquarum rerum incredibilis præda fuit. De numero occiſorum varia afferuntur: qui enim plus, triginta millia cæſa referunt, qui veró minus, viginti commemorant. De noſtris ſexaginta ſolummodo, aut paulominus deſideratos fuiſſe narrant. Tam amplam victoriam ſic exiguo precio ſtetiſſe, ſed nec ipſe mirabilem nego, dummodo audientium aures (rara hæc res) omnino non offendat. At ſi vetera multa Romana, exteraq́; eius generis exempla inſpiciamus, facile hoc ipſum quoque credulitatem inueniet. Tentoria multa erecta inuenta ſunt, à ſuis locis per eam noctem non mota, ſed deſtinata paſſim victoribus, quibus feſſa, humentiaq́; mixto ſudore ac ſanguine corpora à cœlo nocturno defenderentur, vbi etiam accenſis circum ignibus eam lætitiam celebrarent. O lepidos fortunæ luſus, & ridiculum rerum humanarum ſtatum. Baſſæ prætorium Scanderbegus obtinet, atque alij demum alias non ea mente paratas poſſident ſtationes, ſtratas inueniunt multis locis menſas, atque ſparſis paſſim abutuntur cibis. Credere exin veteri prouerbio ſatis licet: Multis (vt ſic dicam) millibus paſſuum os ab offa diſtare. Equi plures ſtrati, ac infrenati reperti, qui dum aſcenſorem dominum velut expectarent, cæſum ſub oculis, ac pedibus ipſis ignari conſpiciebant. Ameſa tamen præcipuum eius rei ſpectaculum, ac documentum varietatis humanæ cernebatur, modo inſolens Aemathiam percurrebat, nunc momentaneus Rex, erectis (vt aiunt) criſtis militum manibus, clamoribusq́; circumferebatur per caſtra, vinctis poſt terga manibus, ſine voce, ſine vultu ad patruum trahitur, & accurrenti vndiq; multitudini, ac turbæ victrici offertur, pietatem ferè omnibus, lachrymas etiam quibuſdam eliciens. Adueniente die Scanderbegus veritus ne tot

Baſſa pernicitate equi aufugit.

O lepidos fortunæ luſus.

Prouerb. latinum à cibo apud Gellium, ex oratione quadã Catonis, Inter os & offam, ſicut illud Græcanicum à potu. πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. Multa cadunt inter calicem ſupremaq́; labra.

ſimul

ſimul cadauera eis præſertim caloribus corrupta fœtore ſuo aërem corrumperent, quæ vltima tribui poterat, pietatem hoſtibus, ſed non voluntariam impendit. Humati ſunt equi ſimul, dominiq́ pluribus locis, ac iumentorum, & hominum cadauera confuſa. Plura ad ripas vicinorum fluuiorum, & Albularum inuenta, prout fuga homines, timorq́ paſſim incertos tulerat. Licet potuerint ſatis eo die propter tantam ſparſi copiam, & inundationem ſanguinis Albulæ mutare nomen. Aemathijs campis ad veterem famam multum quoq́ nominis & celebritatis eſt additum. Conſumpta eſt in eo opere, atque agendis foueis magna pars diei. Ita vulturum, de quo ſuprà retulimus, inanis aduentus, & expectatio fuit. Expeditis omnibus (nam neque onuſtis præda viris depopulandi alia cura inceſsit, quum & ager hoſtilis procul eſſet) neque integri omnes eo prælio exceſſerant, Croiam verſus conuerſa ſigna. Cæterum in mouendis tentorijs rixa quædam inter duos turmales orta, diſtulit aliquantiſper diſceſſum Caſtrioti. Hij quum ſuperiori prælio contracta ſocietate totius fortunæ, atque prædæ, multa accumulaſſent hoſtium ſpolia, in diuidendis demum eis rebus, diſſenſio (vt ſolet) orta eſt, atque eò mutuis iurgijs & conuitijs protracta, vt gladijs etiam arreptis prouocantes ſe ad inuicem ferro decernere vellent, vter dominus eorum appareret, quæ diſsidij cauſam dederant. Caſtriotus re audita, vocatos ad ſe homines, quum interrogaſſet an pranſi eſſent, & pranſos ſe reſpondiſſent, ſubridens (vt faceti, & popularis erat ingenij) Bacchus, inquit, litem excitauit, Bacchus dirimat, non Mars, vel vllus alius Deorum, hominumq́. Deinde obiurgatos ſeuerius homines à ſe dimiſit, Vranaconte ſuppoſito, qui eos motus ſedaret, & rem ad æqualitatem redigeret. Euntibus Croiam noſtris, multitudo vbique agreſtium, & cæterorum, qui vſque ad exitum eius rei per ſaltus vicinos latitauerant, & oppidanorum etiam occurrit, atque tanta feſtiuitate, clamoribusq́ hominum ſimul & inſtrumentorum ventum ad vrbem, vt vix ſpecioſior triumphus, vel pompa maior omnium rerum eſſe potuerit, nam integris copijs ſtructum exercitum ſequi ſe ad ornandum magis id ſpectaculum vſque in ſuburbia Caſtriotus fecit. Nemo fermè erat, qui equum captiuum ingentibus ſpolijs atque præda onuſtum ante ſe non ageret. Captiui etiam longo ordine vinctis poſt terga manibus, Scanderbegum præeuntes augebant magis id ſpectaculum, præſertim quod ſigna capta quibuſdam ex illis ferenda fuerant tradita ad egregiam quandam victoriæ confeſsionem. Velamenta Baſſæ tentorij, quippe quæ color ipſe purpureus mirum in modum ornabat, à nonnullis militibus noſtris ex compoſito diffuſa, ac erecta quaſi ferebantur non nihil addentia cæteris rebus decoris. Ameſa patruum quum enixe rogaſſet, ne ſe tam ſordida, & miſerabili ſpecie ſeruitutis, Croiam duceret, cum

Inũdatio ſanguinis Albulæ nomẽ mutauit.

Rixa inter duos milites propter prædam.

Bacchus litẽ excitauit, Bacchus dirimat.

Triũphus Caſtrioti euntis Croiam.

Sanza-

Sanzacho illo captiuo liber, & habitu cultiori, quàm captiuum deceret, ſequebatur. Ibi itaque ante portas ipſas Croienſes ſoluti, ordines & miles domum lætiſsimus dimiſſus. Præter prædam, equos, & ſpolia omnis



generis, captiui etiam multi, prout petierant inter illos priuatim diuiſi. Signa militaria, & cætera publica ornamenta, quæ Scanderbego ceſſerant, ab accurrente multitudine, populoq́; lata pulchris clamoribus intra muros. Sanzachus, Ameſaq́; cuſtodiri iuſsi, donec iudicium de eis ferretur. Lætitiam Epiroticam, & eius victoriæ celebritatem per multos dies non intermiſſam, ad externa conuertens animum, aureſq́; haud grauate omittam. Tanta fama eius rei omnes vicinas regiones, & interiora etiam Italiæ, atque cæteros Chriſtianos principatus peruaſit, quanta vix de victo Amurathe, aut alia vlla fœliciter geſta re excitari potuiſſet, & ingenium viri iugi ab omnibus admiratione proſecutum. Id quod hodie quoque illa res non inani documento oſtendit, quod inter præclaras veterum res geſtas, & maiorum laudes, quæ cani à noſtris in conuiuijs ex more antiquo & non contemnendo fortaſſe conſueuère, hoc maxime facinus non ingrata poſteritas ſtudioſiſsimè inſeruit. Gratulationes, munera vndique, & conuiuia frequentes, ac perennes epulæ quaſi de conſuetudine gentis non defuerunt. Oblitterauerat iam Alybaſſam, & tot Muſtapheas clades, ac omnes vetuſtas, & recentes laudes præſens victoria. Belgradenſes clades tanta vltione compenſatæ exhilarauerant cunctorum animos, ac ſqualor omnis ex ea mœſtitia contractus, & ſordidæ veſtes depoſitæ. Iuuat notos ignotoſq́; procurſare paſsim in victrices campos, ac

 ſpuman-

ſpumantem adhuc ſanguine tellurem inuiſere. Iuuat perluſtrare, & ſciſcitari ſingula, quo quiſque latuiſſet loco, qua parte inuaſiſſet hoſtem. Cæterum neque Mahumetes ipſe eam rem minore admiratione excoluit, atque Epiroticam victoriam ſordidiſſima timoris ſui confeſſione paulopoſt approbauit: nam quum fractas eouſq; copias ſuas vidiſſet, & ſeriem omnem pugnandi, ac rationem cladis à Baſſa audiuiſſet, licet multa eſſent fortaſſe in quibus & Imperator, & exercitus reprehendi merito poſſent, tamen non vlteriori accuſatione fortunam hominum inſectatus, inſueto & mœſto admodum ſilentio dolorem ſuum ſuppreſſit. Procurandum erat de captiuis redimendis, Sanzacho præſertim, cuius ſeruitus dolorem maximum, & pudorem quendam omnibus iniecerat, propter & dignitatem ſummam, & virtutem viri. Decretum itaque de eius redemptione & nobiliorum quorundam, cæterorum iactura non curata, atque pecuniæ ad id à conſanguineis, & ex publico etiam (vt ſolet) paratæ. Illud tantum expectabatur, vt ſummæ ratio aliqua ſtatueretur à Scanderbego, & nuncius veniret ex Epiro, qui tutum ituris iter polliceretur. Aduenerunt duo ex magis intimis Sanzachi à Caſtrioto, eodem poſtulante dimiſſi, atq; quindecim aureorum millia pro eius libertate, & quadraginta ferè cæte-

De aduentu legatorũ ex Cõſtantinopoli ad Scanderbegum pro Sanzacho, cæteriſq; captiuis redimendis.



rorum petita, neque negata. Priuſquam tamen ea velut legatio iſſet in Epirum, Ottomanus fractus magis tot cladibus, quàm caſtigatus, multis nequicquam curis ægrum animum ſolicitabat, diſtrahentibus etiam hinc inde mentem auidam conſiliorum varijs purpuratorum ſententijs. Superſedendum quidam de omni ratione belli Epirotici cenſebant, donec Tyrannus

rannus

rannus ipſe cum ſolitis viribus & robore imperij ad euerſionem eius gentis ab omnibus alijs liber & expeditus ire potuiſſet, nam tunc propter recentes Hungaricas iniurias, & nouos ex Myſia tumultus vt id facere poſſet integrum illi non erat. Alij ab hac ſententia non diſcedentes, mittendum tamen ad fines imperij validum præſidium ſuadebant, quod nunquam vel ſponte ſua, vel laceßitum innouaret aliquid contra hoſtem, tantum finium tutandorũ curam ageret. Multis eadem ratione externorum bellorum inducias aliquot annorum petendas eſſe à Scanderbego non ab re viſum eſt. Interim & reſpiraturum aliquantiſper tot incommodis imperium, & meliorem forte occaſionem affore ad iugum homini imponendum, nam ſecundo loco dicta ſententia ea de cauſa non recipiebatur, quod minime tutum futurum præſidium apud eas præſertim inſidias & ingentia hoſtium dicebatur, ſi modicum mitteretur. Magnum autem in tot bellorum motibus, & tanta rerum nouitate, niſi incommodißime mitti non poſſe. Vtilis ratio licet inhoneſtior & ſordida aliquantum nimis multos ad ſe trahebat. Cæterum Tyranni aures quamuis id non mediocriter offenderet, fugientis diu tantam ignauiæ confeßionem, quia tamen omnia ſtantibus tot hoſtibus expediri commode non poterant, nihil pudendum, nihil ſordidum in ea præſertim ratione rerum inſolentißimo Regi viſum. Quare accito ad ſe vno ex his, qui pecunias pro redemptione ſociorum acceperant, animum ſuum omnem homini aperuit, & mandauit, vt Sanzacho captiuo id oneris nomine ſuo imponeret; qui poſtea referret ad Scanderbegum. Literis quoque regijs de hoc ipſo actum cum Sanzacho, quæ in manus noſtrorum poſtea venêre, vt in cõciliando ſibi hoſte, & eo fœdere quærendo, maximam rationem regij decoris, & honoris imperij haberet, ne ſi multum enixè, & ſordida quadam demißione id genus pacis poſceretur, poſtulata cum petentibus ipſis ab elato hoſte perinde contemnerentur. Lætior longe nuncius hoc mandato diſceßit, quam ſpe illa, quam propter acceptam pecuniam redimendi ſanguinis ſui & ſociorum habebat. Quod ſublatum iam ſibi per aliquod tempus Epiroticum hoſtem, & reſpiraturos aliquantiſper à tot cladibus Turcas credidit, tamen fefellit facile ſpes hominem, & Tyrannum etiam ipſum, vt & eundem olim, atq; Amurathem patrem fefellerat. Nam quum Meßit allatis ex Conſtantinopoli pecunijs, inter numerandum ferè multa interſeruiſſet Scanderbego de mandatis, & voluntate Tyranni, ille quidem pecunias libenter accepit, cætera verò poſtulata ita reſpuit, vt præcidens his verbis ſermonem hominis minime diutiorem eius orationem expectârit.

Non ea, inquit, ratione toties aduerſis etiam meis rebus fœdera à vobis petita contempſi, vt nunc ſecundis acciperem. Sed neq; ita oblitum me conditionis humanæ, ac inconſtantiæ ſuæ hæc qualiſcunque eſt, proſpera certè

Scanderbeg reſpuit pacẽ cum Turca.

certè fortuna mea eò prouexit, ac inanes tanta ſpe inflauit ſpiritus, vt vel perpetuam eius poſſeſsionem ſpondere audeam mihi, vel tam inſolentem amicitiæ veſtræ contemptorem futurum ſemper confidam. Mutare poterit hæc fallaces vultus, & petitores nos forſan ſordidioris apud vos pacis efficere. Tamen quicquid occulta rerum ſemina, & abſtruſius fatorum ordo homini paret, non ideo quicquam hodie ex priſtina pertinacia animorum mutamus. Fœdiſsimum omne amicitiæ genus vobiſcum reputamus ſtantibus tam vndique Chriſtianorum iniurijs, tot cladibus, ac ſanguine adhuc recenti, quo Græcia iam omnis ac Hungaricum ſolum madet. Sic ne Peloponneſiaci imperij iacturam hodierna pace compenſabimus? Sic & nouam Belgradenſem victoriam, ac Hungaricam gloriam, ignauis vobiſcum inducijs dehoneſtabimus? Habeat quæ poteſt ipſe Mahumetes fœdera, nos armis, ferroq́ captam ſemel pacem, & ocium quæremus, præſertim quod non ſolæ nos iniuriæ, ac perfidia veſtra, ſed natura potius quædam hoſtes vobis fecit, ſempiternisq́ contra ſe inuicem armauit odijs. Gentiles vobiſcum ipſe, ac hæreditarias quaſi inimicitias exerceo, & domeſtici potius ſanguinis, ac meæ ſimul & Epiroticæ ſeruitutis vltionem, quam nouam gloriam vllam de vobis quæro, nunquam ſatis finem laboribus hiſce, & periculis facturus, donec vel priſtinum ciuibus meis ſtatum, vel inuiſum vobis ſpiritũ tradam. Non deſtitit ideo Sanzachus, ſed multis callide conſilijs & precibus admixtis, familiaritate quadam trahere ad ſe animum hominis conabatur, commemorans vices bellorum, & ſubijciens multa eius generis per omnia ſecula exempla. Non defuturum poſtea tempus ad arma, ſi tantum momenti in bello ponat. Interim (decennales enim induciæ petebantur) reparari melius vires Epiroticas, animosqúe ad nouam gloriam & vindictam poſſe. Vincebatur paulatim Scanderbegus, & deſcendens aliquantum ab arce illius ſententiæ leuiores aures poſtulatis hoſtium præbere videbatur, tamen nunquam adduci potuit ab homine, vt vel menſtruas inducias faceret, niſi Sfetigradum, & Belgradum in præmium eius rei accepiſſet. Ita re infecta, Meſsit cum ſocijs abijt ex prouincia, impetrata tamen pace à Scanderbego, donec ipſe retuliſſet ad regem, quæ ab illo pro inducijs fiendis conditiones petebantur. Dimiſsi ſunt & alij plures cum Sanzacho, præter illos 40. quibus Scanderbegus gratis, & magni animi affectu quodam libertatem ſimul, & patriam conceſsit. Cæteri quoque ſoluti vinculis, quidam nouos, & Chriſtianos homines induentes, domicilium fixêre in Epiro. Cæteri ad varios, & omnes ferè paſsim Chriſtianorum reges deſtinati, tum Hiſpaniæ, tum regi Gallorum præter captiuorum ſat magnum numerum, equi & ſpolia omnis generis miſſa, atque ad alios identidem alia. Vrbs Roma ferè ſicut fama, ita ornamentis eius victoriæ repleta. Ita ſtatuerat pro virili Scanderbegus totum penè orbem

Conditiones induciarũ referendarũ ad regem.

Spolia omnis generis miſſa regibus Chriſtianis.

bem eleganti ea liberalitate ſibi deuincire. Adiunxit præterea his donis legatos, & frequentes adhortationes ad cōcordiam, ac preces ſedulas, vt iam ex diutino ſomno expergiſcerentur, & libertatem tandem Chriſtianam è tot ſordibus, ac imperio Turcarum emergere facerent, atq; creſcentem ſibi in viſceribus peſtem, paulatim ad cor ipſum ſubire non paterentur. Dona in Apuliam (vt neq; hoc omittamus) ad ſuum Alphonſum decreta, ſpecioſi triumphi cuiuſdam formam præ ſe tulère. Ameſa etiam Neapolim ductus in carceribus iuſſu patrui in magna cuſtodia habendus, nam neq; de eius redemptione curatum à Tyranno eſt, neq; ſi petitus fuiſſet, Scanderbegus vllo ſatis auri argentíue pondere hominem erat dimiſſurus, perpetuis vinculis illi ad perpetuam infamiam, & ſupplicium decretis & conſtitutis. Relatum eſt interea ad Ottomanum de voluntate Scanderbegi, & conditionibus induciarum, qui licet ingentibus vndiq; curis premeretur, tum propter recentes Hungaricas iniurias, cum illa re maxime, quod Chriſtianorum conciliabula contra ſe quotidie fieri agente Romanorum Pontifice audiebat, tamen (vt magni erat animi) rem minime reſponſo dignam ratus, præſidium inſigne decernit in Epirum ad cuſtodiam prouinciæ, id quod nuper varijs ſententijs actum retulimus. Hamur, & Sinam, duobus peritis militiæ viris ea res demandata, atque decem equitum, quatuor peditum millia cuique eorum ad id muneris aſſignata. Sat idoneus viſus eſt numerus, qui arma Epirotica fatigaret, & nonnihil terroris victori etiam, ac fortiſſimo hoſti adueheret. Tamen æquè prohibitus vterq; moliri quippiam contra hoſtem, etiam ſi egregia occaſio affulſiſſet, niſi pro finium, & aſſignati ſibi loci tutela. Aeſtate omni in eis vltro citroq; rebus conſumpta. Dimidium ferè autumni erat, quum ex Conſtantinopoli his copijs diſceſſum, & fama ſimul eius rei iter hominum præcedens ad Scanderbegum peruenit, ignarum omnium, quod Sanzachi fidem ſecutus, expectabat audire de ratione induciarum, quid ſcilicet de poſtulatis ſuis ſpretum fuiſſet, quid acceptum. Quamobrem Croia ſubito relicta, atq; ingenti feſtinatione peruolatum in Dibras. Collectus ibi exercitus, ac cópijs momento temporis renouatis, expectatus auidiſſime hoſtis. Qui non diu tardatus, paucis poſt diebus aduenit, ſed decem amplius millibus paſſuum procul à ſtationibus Caſtrioti, fixis ſignis, noſtrorum fines non eſt ingreſſus. Epirenſis nihil mouit, ſed quum appropinquare audiſſet, ordinatis, & habitis ſolum ad ſignum expectandum legionibus, in caſtris ſe continuit. Nam quum ea multitudo hoſtium aduentare diceretur, credidit in ea loca, & ad ſe opprimendum facile tranſgreſſuros. Sed vbi per cuſtodias montanas, & id ſpectatorum genus, fixiſſe ſub Alchria tentoria, & omnibus impedimentis ibi collocatis reſediſſe cognouit, ratus die ſequenti refocillatis corporibus caſtra moturos, & prodituros ad bellum. Per noctem

Ameſa iuſſu patrui ad Alphonſum in carcere ſub arcta cuſtodia habēdus mittitur.

Tentoria ſub Alchria.

v magno

magno ſilentio ſaltus quoſdam, & valles vicinas impleuit armatis, vt medios occluderet, & improuiſos eis exciperet inſidÿs, ſi ibi res geſta fuiſſet, & collata (vt putabat) ſigna. Manſum in ea inani expectatione duobus



penè diebus, noctibusq́ integris, ſed nuſquam miles viſus, aut tumultus aliquis auditus. Scanderbegus itaq; impatiens moræ, die ſequente mouere in eos ſigna, & petere vltro hoſtem ſtatuit. Qùum nunciatum eſt exercitum in duas partes diuiſum, & Hamur cum dimidio copiarum ibi remanſiſſe, Sinam cum reliquis campeſtria pologi Mocreas verſus petÿſſe, vnde aditus in Dibram ſuperiorem atq; Modriſſam erat: nam Alchria, quam Hamur obtinuerat, Dibram inferiorem, atq; Sfetigradũ oppidum ipſum quoque hoſtile ſpectat. Ita ſummo conſilio partiti ſunt Dibras, vt perenni cuſtodia hoſtẽ vtrinq; ſolicitum tenerent, 30. amplius millia paſſuum inter ea præſidia interiacebant, nam à Sfetigrado ad Modriſſam totidem computantur. Epirenſis itaque collectis extemplo, & reuocatis inſidÿs, quas hincinde ſparſerat, ac reductis omnibus in caſtra, nouum conſilium cœpit augendi exercitus, vt commode vbique partiri, & proſpici ad vtrunq; periculum poſſent. Procurata recte ſunt omnia, & mira celeritate ampliatæ copiæ, mille quingentis fermè peditibus additis, nam eques non ita facile comparari poterat. Mox & hic miles diuiſus, ſed non æquis partibus, Tanuſius, & vnus ex Streſÿs nepotibus, atque Peicus Emanuel in Dibram inferiorem cum tertia non amplius militum parte miſſi ad Synam, impetus, ſi opus foret, excipiendos: nam minus inde periculi, & difficilior ingreſſus in fines noſtrorum erat propter difficultatem locorum naturali muni-

Caſtriotus mouet ſigna in hoſtem.

Conſilium augendi exercitus Scanderbego.

munimento, & Mocreas valles crebris vndiq; montibus diſterminatas, quæ cum Dibra ipſa ſuperiore cenſentur, tamen Epiroticum imperium ab hoſtium agris diſtinguunt. Sed mandatum Tanuſio, ſocijsq;, ne pedem extra aſsignatos limites efferrent, vel quippiam niſi pro ſui ſuorumq; defenſione molirentur. Ipſe reliquas copias cum Moſe in Dibra ſuperiore retinuit. Idcirco maiore militum, præſertim equitū numero ſibi ſeruato, quod & liberior aditus hoſti in prouinciam, atq; patentiora omnia ab ea parte erant. Et laceſſere ipſe ad certamen viros, atq; fortunam belli experiri ſtatuerat, neq; diu ſegnes dies noctesúe in ea deliberatione conſumpſit, præſertim quod hyems iam bellis inimica in procinctu quaſi erat, ſed pulſis vix ea die tenebris, relictis caſtris, ipſe cum mille amplius equitibus Alchriam petijt, ducto cautiſsime per ſaltus quoſdam & incommoda locorum milite, ne ab hoſte medius inter Sfetigradum & ſtationes eorum occludi poſſet. Et quum aliquantum itineris intempeſta nocte emenſus eſſet, non multis millibus paſſuum procul ab oppido, diſpoſito hincinde atq; abſcondito in inſidijs milite, reuerſus eſt in caſtra. Ibi nullo interuallo ad quietem dato, quum in ortu diei eſſet, expediri ſigna, & copias omnes cum cibarijs tantum eius diei iubet. Nam impedimenta, & tentoria ipſa (vt erecta ſtabant) inde non mota, ſed egregia (vt conſueuerat) armatorum manus ad cuſtodiam eorum relicta. Totum fermè matutinum tempus in ea expeditione, & in ipſo itinere abijt, donec deuentum mille paulominus paſsibus propè loca inſidiarum, quum & corporibus conſulendum erat, & noua ratio aliqua ordiendi certaminis, atq; euocandi hoſtis capienda. Illud facile, & pari ab omnibus peritia expeditum. Ad hoc magis erat ingenij, conſilijq; adhibendum. Moſi id vltro petenti munus non negatum, & vix cuipiam ex noſtris ad laceſſendum, & fallendum hoſtem aptior inueniri eo homine poterat. Sexcentos equites accepit, ne ſi cum paucioribus iſſet, procliuior foret hoſtibus ſuſpicio fraudis. Tamen æquè fruſtra tentata res, & cōſumpta inani ludificatione magna parte eius diei, reditum ad Scanderbegum. Vix noui conſilij quippiam reſtabat, nam ire vniuerſis copijs vſq; ad ſtationes hoſtiles, & difficultates locorum, & ſupereminens vrbs, ſub qua caſtrametatus fuerat Hamur, ingentis certitudine periculi prohibebant. Tamen deductis in colle quodā vicino copijs, ibi expectata nox, & per noctem datum inſidijs ſignum, vt ad ſocios ſe reciperent. Mane cum omni exercitu, procurſationibus, quo magis fieri potuit, vaſtatum id agri, quod ab ea parte iacebat, vt id ſaltem ſpectaculum rei indignitate moueret hoſtem, ſed modicæ rei periculoſam tutelam eodem tenore aſpernatus regius, tenuit ſe intra ſtationes. Audio tamen, quum factus finis eius excurſionis eſſet, & vaſa iam colligerentur à noſtris, nuncium à Barbaro ad Caſtriotum miſſum, declarantem voluntatem Tyranni, & dicentem inſuper, ne hoſtem, ne ſe

Moſes aptiſsimus ad fallendos hoſtes.

Nuncius Barbari ad Caſtriotum.

v 2 ipſum

ipſum inutili eo vltionis genere fatigaret, ſua ſe potius quàm aliena deuaſtare, quippe quæ ipſe indefenſa relinquat. Reſpondiſſe Epirenſem, differri fortunam eorum poſſe, tolli non poſſe. Decreuiſſe ſe omnino ad bellum homines pedibus ſi oporteat trahere, atq; ita vtrinque diſceſſum. Nam inſtantibus iam frigoribus, differri in aliud tempus ea conſilia viſum eſt. Quare Moſe ad cuſtodiam prouinciæ cum ſolito robore militum dimiſſo, & reliquo exercitu ex maiore parte ſoluto, ipſe cum paucis Dibram inferiorem, quam Tanuſius obtinebat, inuiſit. Inde quoque renouatis inſidijs aucupatus hoſtis, & fruſtra tentata re, vno ex Streſijs cum modico præſidio ibi relicto, Croiam ipſe cum cæteris in hyberna reuerſus eſt. Moſes interea inquietam hoſtibus hyemem fecit, ſed magis oculos hominum mouit, quàm arma. Id quoque tum ipſe, tum Modriſſeum præſidium ſæpe fruſtra tentatum iuſſu Scanderbegi omiſit, præſertim quod nuncijs actum inuenio à regijs (vt antea fecerant) orantibus, ne ſe hoſtes tam pertinaciter quærere vellent, quos habere nequirent. Sic neque negando ſatis, neque concedendo quippiam, res in vernum tempus protracta. Collecto tum exercitu Caſtriotus, ad euocanda perenni ludificatione hoſtium arma perrexit. Illatisq; multa audacia ſignis, quum die quodam perrumpere interiora agri Alchrienſis vſque ad ipſa Barbarorum ſtatiua vellet, oppoſito illorum robore facile prohibitus eſt, quum in locis etiam ipſis multum ad defenſionem momenti eſſet. Epirenſis licet eo propoſito per eam diem fruſtratus, non tamen deſtitutus animo, augere vires, & numerum militum ad eam rem exactius tentandam ſtatuit, ſed ſegnius id procuratum, quum minimum commodi, laudisq; ſperaretur, & id ipſum non ſine periculo aliquo. Illa tantum ratione, ne aſſueti armis, velut proprio aliquo opere viri ocio marceſcerent, cura eius rei non omiſſa. Dum ea vtrinque frigidè ageret Hamur, non vtile ſolum prouincialibus, ſed laudi quoque ſibi apud regem fore ratus, ſi Scanderbegum aliquo modo allectum abſtraxiſſet ab armis, impetrata per nuncios ab eo colloquij facultate, in Dibram ad illum in tentorijs commorantem venit pulcherrimis donis aduectis, orſusq; à commodis pacis, & his, quæ antea egerat, longiore ſermone expugnare hominis ingenium conatus eſt, non ſolum priuatæ cum eo amicitiæ deſiderium ſuum aperiens, ſed & publici cum Mahumete fœderis mentionem inſinuans. Accepit dona Caſtriotus, & liberalitatem viri amplexus, mox alijs muneribus illa nihilo humiliore animo recompenſauit. Ad ea verò, quæ de fœderibus Tyranni narrata fuerant, velut ira accenſus:

Caſtriotus euocat hoſtiũ arma.

Caſtriotus reſpuit Tyranni fœdera.

Non ea inquit Mahumetis vel fides, vel officia in nos ſunt, vt audire quippiam de amicitia eius æquis auribus poſſimus. Accepta eſt à nobis nuper legatio, poſtulata eius audita, & quibus viſum eſt mihi conditionibus pro

bus pro

bus pro honore, & vtilitate Epirotici imperij appoſitis, ad eum remiſſa. Reſponſum expectauimus (neque enim quod ad alia attinet) cogi cuiuſquam voluntas poteſt. Arma interea depoſuimus, quouſq; ea quæſita hincinde fœdera in ſuſpenſo ſtarent, ſed contempti ita ab illo fuimus, vt neq; reſponſo ſaltem, quale hoſtem oporteret, dignos eſſe cenſuerit. Quare quo ad publicæ cõcordiæ iura, nihil diutius te referente ſumus audituri, tibi, ſi quid in tot communibus odijs polliceri hoſti poteſt, fides à nobis, qualem ipſe promerueris, non eſt defutura. Tamen quod pertinet ad compeſcendam laſciuiam militarem, & aſſuetas prouincialium noſtrorum incurſiones, nihil ipſe polliceor tibi, vel rei vllius periculum in me ſuſcipio. Neque enim genus vllum publici fœderis vobiſcum, quod ſemel contemptus contempſi, admittit animus. Ardor duntaxat ille vltionis tui comitate ingenij fermè reſtrinctus reſedit. Publico odio nihil adimitur, tibi priuata hæc neceſſitudo, ſi quid forte vel temporum, vel fortunæ varietas parauerit, multum eſt & decoris fortaſſe, & commodi allatura.

Hamur eo reſponſo neque lætus, neque mœſtus omnino, oſculata de more gentis ſimul hoſtis, ſimul amici manu, diſceſſit. Iiſdem ferè blanditijs & Synam pergenti ad eam partem Scanderbego occurrit, neque difficiliores aures viri poſtulatis ſuis inuenit: nam & vulgus ipſum, ac maior pars militum noſtrorum tamdiu quæſitam pacem, & tot hoſtium vota non aſpernati haud ægre aſcenſuri voluntati illorum videbantur. Quare paulatim traiectis ad ocium animis, & præſidia noſtra vtrinque aliquantum diminuta, & quieta ea æſtiua, vel ſegnia magis tranſiere. Scanderbegum ad ciuilia munera, & reliqua id genus ornamenta prouinciæ conuerſum, Alphonſi regis moleſtiſſima mors per eam æſtatem nunciata ita rebus ſingulis publicis, & priuatis auertit, ac dolore penè confecit, vt recentis victoriæ memoria penitus oblitterata, ac hoſtium cura omiſſa, eam iacturam publico mœrore ac ſqualore per multos dies proſequeretur. Et fuit profecto non indignus Alphonſus, qui nedum Epiri, & ſociorum, ſed totius orbis terrarum longas querelas, atq; apertas lachrymas ſecum ferret. Mœſtiſſimum æque omne cum eruditorum, tum militarium virorum genus reliquit optimus optimorum omnium Mœcenas. Extincta æque cum eo ſunt ſua literis, ſua armis præmia, ac ſtudiorum cunctorum ornamenta vix longo fortaſſe poſtliminio reuerſura. Ita nullus (pace omnium poſteritatis præſertim dictum ſit) illo melior vel virtutis, vel meriti humani æſtimator multis ſeculis effulſit. Regiam præterea comitatem, ac tantum in rebus facetis, quantum in grauibus ingenij, & omnium (vt ita dixerim) horarum iudicium viri quis non appoſitiſſimis ſemper præconijs excoluerit? Variante fortuna, & nunc ſecunda (vt fit) nunc aduerſa maxima vbiq; gloria parta. Adhæc in tanta clementia & liberalitate vix vl-

Colloquium Scanderbegi cum Hamur & Synam.

De morte Alphonſi regis Arragonum, optimorũ omnium Mœcenatis.

lus regum eius ætatis tantas opes, & adeò locupletes theſauros reliquiſſe narratur. Debuit itaque non iniuria flere Epirenſis tam fidum & potentem defunctum amicum, ex quo illi, ſi vel fortunam inſpexiſſes, vel voluntatem, licebat omnia ad honeſtatem æquè, ac vtilitatem, tanquam ex the-

Alphonſus ſenex moritur.



ſauro quopiam peculiari depromere. Jllud tantum aliquantiſper mœrentis moleſtiam minuebat, quod ſenex iam admodum Alphonſus, ereptus ſibi non iniquo iure naturæ videbatur. Quod ſupererat in ea re officij & pietatis, ſumma celeritate, atq; prudentia perſolutum. Legati ad Ferdinandum filium nouum Regem miſsi, & patris caſum deploraturi, & de noui auſpicijs regni de more congratulaturi, ac commemoratione paternorum officiorum, & Epiroticæ amicitiæ deuincturi, aucturiq́; animum adoleſcentis. Ornauêre munera quoq; ſolita eam legationem, & commiſsum legatis, vt Ameſam ducerent in Epirum, conantem tamdiu tum propriæ fortunæ miſericordia, auctoritate, & gratia amicorum, patruum ſibi reconciliare, qui adhuc in carceribus ſub cuſtodia erat: nam licet in ea mutatione rerum, & nouæ Ferdinandi faſtigio fortunæ mutata multa eſſent, & ſoluta fermè vincula cunctorum in tam publica lætitia fuiſſent, Ameſa tamen ne animus Scanderbegi in eo liberando offenderetur, ſemper eodem cuſtodiæ tenore tanquam certum patruo depoſitum ſeruari iuſſus eſt. Suſcepta eſt, prout potuit magis honorifice legatio noſtra, in eo præſertim tumultu rerum, quum confuſa vndique omnia, & nihil adhuc pacati in nouo regno eſſet, turbata maxime propter mortem Alphonſi pace Italiæ. Ameſa Croiam ductus, iterum à patruo ſub cuſtodia habēdus ſtatuitur, ſed minus duris car-

Ameſa in Epirum remittitur.

ris car-

ris carceribus. Hoc quoq; ipſum quod ſupererat ſeueritatis & odij, paulatim aſsiduæ nepotis querelæ, & mixtæ precibus lachrymæ expugnarunt, atque paterno animo Scanderbegus mox vitam homini cum libertate atque dignitate omni donauit. Sed Ameſa non immemor pignoris, quod apud Ottomanum reliquerat, & timens vxori, liberiſq;, ſi ea libertate & clementia patrui vteretur, actis illi maxima veneratione gratijs:

Salutis tu, inquit, noſtræ rationem, nullo meo merito, ſed ſola patientia tua habuiſti, æquum eſt me quoque vitæ parcere aliorum, ne dum nimio ſalutis & dignitatis meæ ſtudio liberalitatem amplector tuam, hodie hoc beneficio tuo illos perdam omnino, quos ſatis olim perfidia mea perdidi. Eſt infœlix atque innoxia vxor apud Mahumetem, ſunt paruuli, atque ignari liberi noſtri, viuunt tamdiu hi, viuentq;, donec ſuum me apud te vincere Tyrannus credet, quum abalienatum tibi præſenti beneficio, & vitæ liberalitatisq; munere ſentiet. Diſcindet protinus, diſtrahet ferus creditor inane fidei noſtræ pignus, & dabit innocens ſanguis paterni ſceleris pœnas. Fallendus eſt igitur arte aliqua Ottomanus nobis, vt ſeruem interim id pignus, donec redimere prorſus poſtea oblata occaſione poſsim. Arripiam fugam ego hac nocte ex Croia, velut fractis, te inuito atque ignaro, carceribus, confugiamq; ad Mahumetem omni ſimulatione, atque diſsimulatione veteris in eum animi, fideiq;, nihil omittens vel in audiendo, vel in dicendo de tuis rebus apud credulum Regem, quæ antea meliore noſtra apud eum fortuna conſueueram, vt adempta illi omni ſuſpicione, ſi quam propter captiuitatem meam, & diuturniorem apud te moram contraxiſſet, aufugere denique ab eo cum tota familia poſsim. Adiuuabis tu quoque multum hanc rem, ſi grauem moleſtiam quandam ex ea fuga noſtra publice oſtendes, atque culpam eius, cuſtodibus carcerum, (vt ſolet) appoſita criminatione obijcies. Interea tamen temporis donec apud Tyrannum ſtabimus in expectanda reditus noſtri occaſione, exploratoris, ſpectatoris loco erimus tibi, nihil molietur, nihil apparabit aduerſus te hoſtis ſcientibus nobis, quod aures, quod iudicium tuum lateat.

Sermo Ameſæ ad Scanderbegum, de vxore & liberis.

Conſilium de liberãda vxore & liberis.

Nihil negauit patruus, ſed quum vitam, inquit, & reliqua vitam ornantia conceſſerimus Ameſa tibi, nihil prohibemus, qua vtiliore poſsis eam ratione accipere, atque ſeruare ſimul eos, qui te ſalutis, ac libertatis ſuæ debitorem non iniuria poſſunt per omnia ſecula poſcere. Ito, perge, accipe tempus, rationemq;, quæ potior videtur tibi, & corrige te ipſum tandem, donec ſatis & ad emendandum & corrigendum ſupereſt temporis. Nos omnia credimus tibi, & probamus hoc conſilij genus, neminem falles Ameſa, decipies neminem præter teipſum, ſi Barbari fidem & conſuetudinem diutius ſequeris, quum par ibi diſcrimen corporis, & animæ tuæ, & tuorum

Scanderbeg annuit Ameſæ.

rum verſetur. Quandocunq; venies, gratius es nihil facturus, & idem erit apud nos tibi fortunæ & dignitatis locus.

De Ameſę profectione ad Ottomanum annuēte patruo.

Facta æque omnia ac dicta, pari quoque fermè celeritate eadem nocte Ameſa procurante tacite patruo, à carceribus ſimul & Croia abijt. Mane fuga eius propalata, & caſtigata multis verbis ignauia cuſtodum, ille ad Tyrannum ea ſimulatione, atque rumore fugæ perlatus facile quæ propoſuerat, & maiora alia perſuaſit homini. Dignitas tamen priſtina ei non fidei ſuſpicione, ſed fortunæ potius fortaſſe culpa non vſquequaque reſtituta. De reditu ſuo in Epirum aut non curauerit, aut fugiendi facultas illi non affulſerit, inanis pollicitatio omnis fuit, quin parum poſt temporis mortuum in Conſtantinopoli narrant, relicta ibi vxore, liberiſq;.

Ameſa Conſtantinopoli veneno ſublatus.

Et multi à Mahumete veneno ſublatum credunt indignitate, eum velut authorem quendam memorabilis illius Aemathiæ cladis diutius ob oculos verſari ſibi. Ita vnde minime timebat, vltorem perfidiæ ſuæ inuenit. Et is finis viri fuit non indigni ſanè memoratu, ſi temperatiores ſpiritus ad regnandi libidinem ingentibus animis inſereret natura. Scanderbegus per id tempus nuſquam turbata Hamur, & Sinam pace, niſi quid inconſulto eo priuatim militaris licentia innouaſſet, nunc Dibras, nunc reliqua prouinciæ loca inuiſens, multa & ad vtilitatem, & ornamenta prouincialium conſtruxit, ampliauitq;, in Aemathia præſertim, vbi multa veterum monumenta reſtauranda iacebant. Non deſtitit interea Ottomanus per Hamur & Synam tentatam toties fruſtra rem cum Scanderbego agere, ſpe concepta reconciliati ſibi animi, propter id ocium noſtrorum.

Pax inter Turcam & Scanderbegum.

Tamen nihil vnquam exoratum quoad publicum fœdus. Priuata amicitia cum regijs ſeruata.

Et ſic paulatim allectis eo ocio populorum animis, hoſtilia vtrinque odia reſederant, ac præter nomen ſolum effectus omnis publicæ pacis vigebat.

MARINI

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS,

Liber Decimus.



CVM is eſſet rerum Epiroticarum ſtatus, Scanderbegum interim fata ad nouam gloriam, & nouum hoſtem in Apuliam euocabant. Quæ regio Italiæ iamdiu maximum porrò exemplum rerum humanarum, ac inconſtantiæ fortunæ documentum, nullius ſatis imperio tuta, ab externis ſemper armis, atq; ducibus vexabatur. Venerat eo nanq; ſub id tempus ex Gallia Iohannes dux, Renati Regis filius, cum ingenti exercitu, quod id regnum hæreditario quodam ad ſe iure deuolui poſcebat. Recenti itaq; excitato bello, eoq́; fortunæ fauore vſus, breui cuncta fermè armis vendicauerat, quum ius omne penè vniuerſum, ac ſpem omnem imperij Ferdinando Regi turpiter obſeſſo, è manibus extorſiſſet. Sed ne in obſcuro ſit eius belli initium, & ratio tot ſimultatum, quæ & ſuſpenſam aliquandiu Italiam, & maximos Chriſtianorum Principes per multos annos ſolicitos habuerit, altius eſt hoc loco exordiendum mihi, & res ab ouo quodammodo repetenda.

Varij rerum motus & ſucceſſus, diuerſiq; bellorum euentus, atq; mutationes ſtatus regni Neapolitani.

Iohannes dux Renati filius.

Tempore quo Vrbanus ſextus Pontifex ſummus cathedram & ſedem

Schiſma Vrbani ſexti & Clementis Papæ. *beati Petri regebat, Johanna quædam huius nominis prima (vt fertur) natione Epirotica, patria Dyrrachina, Neapolitanum regnum poſſidebat. Quæ Clementis pſeudopapæ, qui neq; Catholice, neq; rite ad ſummum Sacerdotium electus fuerat, ex quo ſchiſma in Eccleſia Dei maximum ortum, partes ſecuta, plurimum ei præſtabat fauorem. Quamobrem Vrbanus contra eam Carolum Hungariæ Regem cum copijs in auxilium accerſiuit, qui valido exercitu in Jtaliam traijciens, Johannam regno, vitaq; priuauit. Quo facto, Carolum firmato Apoſtolica ſibi autoritate, pacatoq; eo regno, in Hungariam mox reuerſum, veneno periјſſe ferunt. Cui Vladislaus eius filius armis clarus atq; ſtrenuus in regnum ſucceßit. Qui poſtquam in Hungaria atque imperio paterno pedem fixit, in Apuliæ regnum cum exercitu tranſuolauit. Quo obtento, diu quiete pacificeq; vixit, atque regnauit. Sed vt eſt mens hominum vacua atque mutabilis, elatus fortunæ afflatu, non contentus eo tantum regno, & ſtatu (erat enim imperij valde cupidus) ad altiora mente prouolauit. Propoſuerat namque ſibi atq; decreuerat, Romæ, totiusq; Jtaliæ imperium occupare. Ex quo primo populum Romanum ad ſeditionem contra Bonifacium nonum vbis Præſulem excitauit. Qui ex vrbe fugatus, Viterbium ſe recepit, ſed tamen non propterea tunc vrbem ingredi, nec ea (vt iam animo conceperat) potiri valuit, quoniam maior populi pars ei aduerſata eſt. Verum poſtea tempore Gregorij XII. per Pontificis abſentiam maiori vſus populi fauore, facto in vrbem impetu, eam occupauit. Mox vlterius progreſſus, Florentiam ſubiugare contendens, Florentini, qui in libertate viuere ſoliti erant, nec ſeruitutis iugum vllatenus pati volebant, procuratione cuiuſdam virginis, & adoleſcentulæ, cum qua ipſe rex Vladislaus conſuetudinem habebat, veneno illum de medio ſuſtulerunt, ex quo ſeipſos, & Jtaliam omnem à metu & tyrannide liberârunt. Vladislao itaque rege, qui & Lancilagus vulgo dictus eſt, ſine liberis vita functo, qui per annos 29. in regno Apuliæ imperitarat, Johanna ſoror ſuccedens poſt mortem eius, regnum obtinuit. Quæ Principum quorundam conſilijs, & adhortationibus amicorum impulſa, Jacobo Picenno comiti nupſit. Js quum minime ex eius voluntate regni curam ageret, repudiatus ab ea, atque regno eſt deiectus. Suſceptum itaq; regni onus ipſa aliquandiu tenuit, donec Principes idem, & duces regni, vtpote quibus iniquum muliebre imperium, & indignum videbatur ſine rege eſſe, maximo ſtudio orantes petunt, eligeret virum aliquem, quem è Republica cenſeret, & cuius eos imperij pœnitere non poſſet, filiumq; ſibi adoptaret. Aliorum vota ad Alphonſum Arragoniæ regem id rei deferebant, ab alijs Ludouicus Andagauenſium dux, non minori fauore excipiebatur. Dum hæc iactantur, interea & in quaſcunq; ſententias trahuntur ea diuerſitate animorum, Alphonſus vir ſummus quidem ingenio,*

Carolus Hungariæ rex contra Iohãnam.

Seditio populi Romani cõtra Bonifaciũ nonum Pont.

Vladislaus rex, dictus Lãcilagus, veneno ſublatus.

Iacobo Picenno nubit Iohanna.

ingenio, & nominatiſſimus ea ætate Princeps, re præterea cognita ad id maxime edoctus inſtructusq́, prior in Apuliam aduolat, priori enim (vt aiunt) potior ſolet eſſe conditio, ſicq́ ſine vllo certamine à regina adoptatur. Veruntamen vergente tempore (vt eſt rerum humanarum ſtatus inquietus) ſimultates primum inter eos oriri cœptæ, eô deinceps creuerunt, vt maioribus indies odijs inter ſe certantes, maximos æſtus, atque motus excitarent. Alphonſus tamen, vtpote quem tum ira iuſtior, tum maior populi fauor armabant, quum tot indignitates ferre nequiſſet, obſedit tandem eam in Neapolitana vrbe. Regina cum in eo ſtatu res ſuas videret, vt appareret victi finem imperij, & ſummæ rerum adeſſe, legatos repente cum literis in Galliam mittit, ad accerſendum Renatum Regem, Ludouici fratrem, vt maximis itineribus cum copijs ad eam obſidionem ſoluendam properaret, cui etiam adoptionis iure Apuliæ imperium promittebat. Facto igitur ingenti exercitu & maximis Gallorum copijs, confeſtim Renatus in Siciliam & Apuliam irrupit, regina facile ab obſidione defenſa. Mox ab ea (Alphonſo tamen prius tanquam ingrato è familia deiecto) adoptatus eſt, & vniuerſi regni hæres inſtitutus. Non multo poſt temporis, quum Alphonſus & reginam mortuam, & Renatum regno ſe immiſcuiſſe aduerteret, ingens bellum, quod annorum quatuor ſpacio deductũ eſt, aduerſus eum excitauit, quem tandem eadem variante fortuna vicit, regnoq́ exuit. In quo quum ipſe poſtea per duos & viginti annos vixiſſet, moriens poſtremo, Ferdinandum vnicum filium, (licet non legitimum, neque populo acceptum, regulisq́ charum) & bellicis rebus maxime inſignem hæredem ex teſtamento cauit. Quem & Pius Pontifex maximus Apoſtolica authoritate in imperio confirmauit. Eo cognito, Johannes Renati filius, & Ludouici regis Francorum conſanguineus, tum Andagauenſium dux, ingenti mox coacto exercitu, & maximo copiarum numero, Apuliam infeſtis ſignis petit. Sequebatur eum pluribus copijs, ac mercenario milite, & Jacobus Picenínus comes, ſagaciſſimi ingenij, & bellicis artibus ea ætate factisq́ clarus, cui totius exercitus ſumma commiſſa erat, vbi cum omnia repente vario tumultu ac metu impleſſet, regnum fermè totum breui in fidem ſuam recepit. Defecerant nanque ad eum Tarentinus, Veſignanus, Ruſanus, Soranus, Atteus, Salernusq́ Princeps. Ad hos Dux Venuſinus, Marchio Crotonenſis, comes Campi Baſſi, cæteriq́ ferè omnes Siciliæ, atq́ Dauniæ optimates, verſis in Regem armis. Ferdinandum autem dux Dandi, cum duce Melſæ, comes Fundi cum Ariano comite, Matalunaq́. Item Caraphi, Diamedi nobiles Neapolitani, & alij pauci ferè ſunt ſecuti. Qui quum omnes hinc & inde ad bellum præparati, inſtructiq́ eſſent, agrum Sarnianum ſibi ad pugnam elegerunt. Quò itum, diſpoſitis ex vtraq́ parte aciebus, ordinatisq́, concurſum eſt,

Alphonſus princeps in Apuliam venit, & à regina adoptatur.

Renatus Gallus adoptatur poſt hunc.

Alphōſus superat Renatum.

Alphōſus moritur, Ferdinandus ſuccedit.

Bellum Ferdinandi cum Johanne Renati filio.

x 2 certa-

certamenq́ ingens atq; acerrimum commiſſum, in multam diem proceſſit. Multi vtrinq; deſiderati ſunt. Victoria tandem penes Gallos, ad comitem Jacobum ſtetit. Ferdinandus verò fugatus, amiſſis caſtris, ac impedimentis, cum paucis admodum Neapolim aufugit. Quod quum Pius ſecundus Romanæ tunc libertatis, & Chriſtianæ fidei cuſtos cognouiſſet, veritus, ne ſi Galli Apuliæ regnum occupaſſent, victoria elati (vt ſui moris eſt) libertatem Jtaliæ adimerent, vnà cum Franciſco Sforcia Mediolani duce, Federicum Vrbinatem, & Alexandrum Sforciam cum maximis copijs in Regis auxilium mittendos expediunt. Qui quum Abrutium intraſſent, comes Iacobus cum Gallico exercitu eis fortiter occurrit, quo in loco prope ciuitatem quæ dicitur ſancti Fabiani, bellum maximum, & certamen atrox initum eſt, in quo Galli profligatis hoſtibus, præclaram victoriam (licet non incruentam) conſecuti ſunt. Quo audito Ferdinandus rex, qui Neapoli commorabatur, timens ne Galli ibidem eum obſidione prememerent, Reginam in vrbis tutelam dimiſit. Jpſe verò cum Gallicis pariter, & domeſticis armis reſiſtere non poſſet, regno fermè vniuerſo amiſſo, in oppidum Baretis cum paucis ferè copijs aufugit. Sed Piceninus audita Regis fuga, relicto in Abrutio valido præſidio, ne inde nouus hoſtis erumperet, ipſe cum copijs eum ſecutus ad Baretim oppidum, quo Ferdinandus erat, aduolauit. Interim verò Pius Pontifex, vnà cum Sfortia Mediolani duce, coacto nouo exercitu, quem in Regis Ferdinandi auxilium miſerunt, ſed vijs ab hoſte præcluſis, & occupatis itineribus minime pertranſire potuerunt. Maior tum Pium cura inceſſit, quare externa aliqua virtute, & claro duce opus eſſe ratus (id quod maximum in ea re videbatur) Scanderbegũ Epirotarum, Macedonumq́ Principem, tunc multi nominis, & vnicum Romanæ ſedis cultorem, patris præterea olim conſuetudine, nec ipſi Ferdinando ignotũ, acciri in Apuliam cum exercitu ſuo omnes ſententiæ decernunt. Tantum momenti in vno viro erat. Nam à parte maritima veniens prohiberi non poterat ab hoſte, ſed quum opus foret copijs ex Jtalia venientibus iter reſeraret. Non poſſum proinde non mirari hoc in loco (verum ingenue fatebor) atq; iniquo animo ferre, eam ſcriptorum in claros viros ingratitudinem, qui quum bellum hoc paſſim tanto ſtudio exoluerint, de Scanderbego, ne verbum quidem additum inueniam, tanquam non maxima ipſe fuerit belli huius appendix, & vnicus (vt ita dixerim) regni eius aſſertor, & liberator, ac regiæ libertatis vindex. Quem Rex ipſe Ferdinandus quoad vixit, & patrem deinceps ſalutauit, & ei ob merita, ingentiaq́ præmia virtutis, vrbem Trani cum duobus haud ignobilibus Apulorum oppidis æque grato ac liberali animo dono dedit. Quippe poſtea ſemper ex quo infœlici fato, cum paterno eorum imperio res ceciderunt Albanæ Scanderbegi poſteri tenuêre, & hodie licet ex aliqua

Certamen inter Italos & Gallos.

Victoria Gallorum.

Fuga regis ex Neapoli.

Ingratitudo quorundam ſcriptorum in claros viros.

Ferdinandi gratitudo in Scanderbegũ.

qua parte intueri. Jnterim verò Oratores Pij Pontificis, Sforciæ, ac Ferdinandi Regis, cum literis ad Scanderbegum applicuerunt. Quem exhortabantur, rogabantq́, vt cum exercitu & copijs ad ipſum Regẽ Ferdinandum amicum ſuum liberandum, tutandumq́, traijcere properaret. Quod quum Scanderbegus accepiſſet, vt erat ſacroſanctæ Apoſtolicæ ſedis ſtudio-

Legati Pontificis ad Scanderbegum,



ſiſsimus, non immemor præterea amicitiæ Alphonſi regis, cui ſumma fuerat beneuolentia deuinctus, perbenigne hoc munus, negociumq́ conficiendum ſuſcepit. Jgitur florido milite, robuſtoq́ exercitu confeſtim in Dauniam traijciens ſe contulit. Verum priuſquam è regno diſcederet, quam cautè, quam callidè & celeriter potuit, cum Mahumete Turcarum Principe compoſuit, & annuas cum eo inducias fecit. Reliqua verò omnia imperij ſui (vt oportebat) diſpoſuit atq́ firmauit. Cuius regimen & tutelam vxori, ac quibuſdam proceribus amicisq́ commiſit. Quo facto, Goicum ex ſorore nepotem, virum armis factisq́ clarum, atq́ ſtrenuum cum quingentis electis equitibus in Siciliam, quæ eſt circa Pharum, præmiſit, vt prius inde hoſtem infeſtaret. Dehinc ipſe poſt crebras ſupplicationes, & orationes pro victoria, ſua, ſuorumq́ incolumitate ad Deum peractas, exercitum ſuum præmiſit, partim in portum Dyrrhachinum, partim in Achrolyſſum, ſeu Mediam, & in ſinum Rizicum ad naues & triremes, quas Pius Pontifex cum Sforcia duce ex Italia in Apuliam traijciendum miſerant. Reliquum verò copiarum in Aſcriuium, indeq́ Raguſium ſecum ad naues deduxit. Sed antequam vlterius procedam, parumper hinc à propoſito digredi conſtitui, & vrbem Raguſinam quoquo modo poſſim,

Deſcriptio vrbis Raguſinæ.

deſcribere enitar. Eſt enim Raguſiũ hac tempeſtate, quod alio nomine Epidaurum vocitant, vrbs (vt quibuſdã placet) in Liburnia ad mare poſita, quæ naualia ipſa, & portũ ſatis accommodatum habet, in cuius defenſione turris munita conſtructa eſt, eius ambitus vltra mille paſſuũ excurrit. Arcem inexpugnabilem habet montibus hincinde cinctam, opere, arte & manu egregie munitam, templis referta eſt vrbs, ædificijsq́ ornata magnificis, fontes ingentes ac perennes in ea per fiſtulas & aquarum ductus continue ſcaturiunt. Quæ quidem ciuitas optimatium moderatione, ac ciuili regimine vtitur. Fundatores eius Epidaurẽſes primos fuiſſe perhibent. Agrum verò non amplum, ſed montuoſum, ſaxoſumq́, cum duobus oppidulis poſsidet. Raguſinus populus, & ciues, cum omni gente pacem & commercium habent. Tributa Hungaris Turcisq́ ſoluunt. Principem ſexto quoq́ menſe ſibi deligunt, quem lingua peculiari Cheneſium vocant. Mercimonia tam terra, quàm mari vndique ſuis nauigijs conuehunt, cæterosq́ Dalmatiæ, & Liburniæ populos opibus, & reliquis bonis, atque virtutibus facile ſuperant. Qui etiam quum liberi ſint legibus, moribusq́ inſtructi, Venetorum more Senatum, & Magiſtratus, ac Patritiorum ordinem habent à plebe diſtinctum. Patritij ſoli Rempublicam ipſam adminiſtrant. Plebs autem ſuis rebus ſtudet, & de Rebuſpublicis minime curioſa eſt. Sed iam ad propoſitum redeo. Quum enim Scanderbegus Raguſium perueniſſet, populus frequens omni ad hoc effuſa ciuitate, ſummo cum plauſu & lætitia ei obuiam proceſsit. Qui in vrbem ab illis deductus honorifice, liberaliterq́ acceptus eſt. Poſtridie poſt ſolennia, & diuina de more peracta, vniuerſam vrbem circuiuit, alio vero die ad naualia armamentaria, arcem, omniaq́ vrbis munimenta viſenda perrexit. Quartus verò dies in varijs diuerſisq́ ludorum, ac ſpectaculorum generibus conſumptus eſt. Sequenti verò in Senatum deductus, donatusq́ pluribus, ac diuerſis muneribus, & in concione publice laudatus eſt. nam David quidam Raguſinorum ſcriba, ſic, vt ferunt, laudibus Scanderbegum *proſequutus eſt: Neſcio quod hodie, Scanderbege Princeps illuſtris, vrbi noſtræ, & populo Raguſino clarius, fulgentiusq́ sydus, irradiantiorq́ ſtella, præſentius numen, propiciusq́ tuo benigniſsimo aſpectu, tuaq́ præſentia exoriri, apparereq́ potuerit. Vere hodierna die, qua vrbem noſtram inuectus es, omnia nobis clara, omnia lucida, omnia læta atque proſpera euenêre. Cœlum iam obſcuratum, obnubilatumq́, ſerenum, lucidum, atque perſpicuum tuo conſpectu factum, redditumq́ eſt. Terra quoque ipſa te ingrediente, gaudere, lætari, atque iubilare viſa eſt. Ciues omnes, cunctusq́ populus te tanquam Deum, & numen quoddam cœleſte conſpicere, atque intueri viſi ſunt, læta nobis vndique iucunda atq́ feſtiua omnia perſtrepere, perſonareq́ audita ſunt. Verè nos, vrbemq́ noſtram, lares atq́ penetralia, veluti ſolis*

Mores & ciuilia Raguſinorum.

Patritij more Venetorum.

David, Raguſinorum ſcriba, laudator Scanderbegi.

ſplen-

ſplendidiſsimus radiis illuſtraſti, illuminaſtiq́. Nam vt primum littoribus noſtris te applicuiſſe nunciatum, omnes ciues, ſenes, iuuenes, virgines, mulieres, adoleſcentes, pueri, ſani, languidi, & infirmi, ad te videndum, tuoq́ conſpectu, & præſentia perfruendum, certatim conglobatimq́ accurrerunt, nomenq́ tuum, Princeps Sereniſsime, non tantum hic, & in Epiro, verum etiam per vniuerſam Italiam, concupitum, exoptatumq́ eſt:



Quid plura? Te Deus optimus maximusq́, rerum omnium creator & moderator in terris miſiſſe creditur, vt non ſolum in Epirum, & Macedoniam patriam illam tuam, magnorum Regum, atque Principum inuictiſsimorum ſedem & altricem, verum etiam Dauniam, Italiamq́, omnium virtutum, & bonarum artium Reginam atq́ inuentricem, decorares illuſtrareſq́, protegeres atq́ defenderes. Ecce iam nomen tuum, Princeps inuictiſsime, vbique euolat. Ecce te omnes in auxilium & defenſionem inuocant, te aſſertorem, protectorem, & liberatorem appellant. Ecce reges & principes orbis terræ in ſui tutelã & ſubſidium te implorant. Ecce nunc Pius ille Dei vicarius, ac totius orbis caput & princeps, cum Sfortia Mediolanenſium Duce, & Ferdinando Siciliæ Apuliæq́ Rege, oratores ſuos ad te mittunt, vt in eorum auxilium, & Italiæ liberationem, acceleres atque feſtines. O fœlix patria, quæ te talem & tantum virum produxit. O fœlices parentes, qui te genuêre. O fœlices proceres, & commilitones, qui te ducem, te rectorem, principem, & Imperatorem ſequuntur, qui tanto Rege gau-

ge gaudent, vtuntur, fruunturq́. Ibis ô Rex tremide & inuicte in Apuliam. Ibis ô lux & decus Albanæ in Italiam, liberabis eam, vinces hoſtem. Viciſti iam Amurathem illum Turcarum regem potentiſſimum, qui toties Hungaricam ferocitatem & potentiam profligauit: viciſti Mahumetem eius filium, qui tot reges, tot duces & principes, tam ſuæ ſectæ quam Chriſtianæ fidei ſuperauit. Qui tot regna & imperia ſubegit, qui toti orbi timor fuit, cæpiſti, obtruncaſti, profligaſti tot eorum duces, tot principes, & Imperatores. Tu enim ſolus Turcarum timor, tu ſolus Turcas vincere noſti. Ibis fœlix inuictiſſime princeps, fœlicior redibis. Non ſic Alexander tuus Epirotes, non Pyrrhus ille Epirotarum rex, fulmen, belliq́ artifex victores ex Italia rediêre, quemadmodum tu potens, & generoſe rex, victor fœlixq́ in patriam redibis. Ecce populus, & ciues tui Raguſini tibi aram conſtituunt, ecce te tanquam Deum, & numen colunt, venerant urq́. Ecce pro te, vt victor & incolumis redeas, preces iugiter ad Deum effundere parati. Ecce tibi vrbẽ, familiam, liberos, quicquid habent, poſſident, ſeq́ totum deniq́ in mancipium dedunt atq́ tradunt.

Poſtquam vero Scanderbegus à ciuibus & populo Raguſino, publice laudatus, tamdiu cum eis, & apud eos eſt commoratus, quamdiu vniuerſa claſſis & exercitus ibidem conueniret, quo cum veniſſet, varij ac diuerſi ludi & certamina peracta, atq́ celebrata ſunt. Poſtea vero Paulus Angelus Dyrrachinus Archiepiſcopus, qui omnium laborum, periculorum, atq́ conſiliorum ſocius, atq́ particeps (velut Eneæ alius Achates) Scanderbego fuit, ad ciues & populum Raguſinum gratias exoluens, in hunc modum eſt elocutus:

Paulus Angelus Dyrrachinus Archiepiſcopus.

Oratio Pauli Angeli Dyrrachini Archiepiſcopi ad ciues & populũ Raguſinum.

Credo equidem Patres conſcripti, ciues optimi atq́ præſtantiſſimi, nullo humano ingenio, ſed diuino potius, vrbem hanc, & mœnia fundata fuiſſe, vt vnicuiq́ mortalium in ſumma eſſent admiratione. Quis enim vnquam tam elegãti fretum ſe putârit ingenio? Quis ea doctrinæ copia? Quis tanta eloquentiæ, vel arte politus, vel natura preditus? vt eius laudes, non explicare, ſed concipere tantum, aut valeat, aut audeat? Raguſina enim vrbs, quæ alio quoq́ digniori nomine Epidaurum dicta eſt, quaſi ciuitas ſupra omne aurum, immo omni auro dignior excellentiorq́, vere, rectèq́ Epidaurum appellatum: nam quæ vrbs noſtra ætate, quæ ciuitas huic comparari poteſt? Ea enim cunctis opibus, ac diuitijs plena refertaq́: hæc optimis moribus, & virtutibus ac diſciplinis prædita. In ea Senatus ampliſſimus, Reſpublica florentiſſima, patres conſcripti, & ſenatores, maieſtate quadam auguſta, & venerabili, qui cum omnibus gentibus & populis amicitiam, pacem, atque concordiam perpetuo ſeruare nouerunt. Quid enim per Deum immortalem vrbibus pace melius, iucundiusúe? Præterea hic artes omnes liberales, Philoſophia, Theologia, Leges, cæteraq́ artes, & diſciplinæ

Raguſina vrbs Epidaurum dicta.

plinæ vigent. Sed quid potiſſimũ de naui factiua, de mercatura (pace enim cæterarum vrbium & ciuitatũ dixerim) cum quibus vrbs veſtra nõ contendere tantummodo, ſed illas etiam longe ſuperare poteſt. Nam quæ maria Raguſini mercatores nõ nauigant, quas terras ij nõ permeant, quæ loca tam abdita atq; remotiſſima, ad quæ nõ accedant atq; penetrent? Quid igitur vrbe Raguſina nobilius? Quid clarius atq; præſtantius? quæ nulli ſubdita, neq; obnoxia, legibus ſuis viuit, moderaturq;. Hinc mare, inde terram habet, agro ſatis feraci, & bene culto atque ameno fruitur, inſulas, ſcopulos, in quibus omnis amœnitas atque cultura reperitur. Oppida munita cum ſalinis, portu ſatis tuto accommodatoq; vtitur. Sed quid de pietate & miſericordia veſtra in naufragos, profugos, exules, pauperes, ac mercatores dicam? Quid plura de vrbe Raguſina, niſi id quod de Roma iam olim dici conſueuerat, Aſylum eſſe mortaliũ & patriam, pariq; modo nunc de vrbe Raguſina dicendum. Eam eſſe portum tutiſſimũ, confugium, & receptaculum omnium mercatorum, diuitum ac pauperum, ſcholam & magiſtram omnium virtutum, exemplar, & lumen bonorum morum, decus & ornamentum totius Dalmatiæ, Illyrici, Adriatici, Aegeiq; maris. Ideo dicendũ Raguſium, ſiue Epidaurum, ab Epidaurenſibus, diuino quidem nutu hoc in loco poſitum atque fundatum eſſe. Neq; forte quis vanus eſſet vates, ſi hanc vrbem veſtram inter cæteras maximas vrbes orbis terræ, altius caput aliquando elaturam prædiceret, & cum his de imperio, armis, viribus, potentia, virtuteq; certaturam. Sed quid de liberalitate veſtra Patres conſcripti, de magnificẽtia & humanitate dicam? Quis enim vnquam mortalium ciues egregij, & præſtantiſſimi, tot & tanta præclara opera, totq; beneficia veſtra in nos, dignis ſatis extollere laudibus poſſit? De quibus mihi tacendum ſatius puto, quam pauca dicere, vel ea frigidè laudare. Quia quanto plura de his proferrẽ, eo maiora mihi proferenda eſſent, crederem equidem mihi potius diem quam materiam defuturum. Veruntamẽ ne omnino ingratus videar, pro veſtra in nos munificentia, ac liberalitate, vtcunque & quaſcunque valeam, poſſimúe, pro inopia, ac ingenij mei imbecillitate gratias agam, referre enim minime poſſum. Itaq; in primis tuæ ſerenitati, Princeps illuſtriſſime, tuoq; ſublimi conſilio, benigniſſimoq; Senatui, atque Reipublicæ infinitas ac immortales ago gratias. Deinde vobis ciues egregij atque præſtantiſſimi huius almæ atque magnificæ vrbis: poſtremò vobis omnibus cuiuſcunque generis gradus, & conditionis, quibus polliceor, Deum teſtor, fidemq; meam obſtringo, quod ob veſtra in nos beneficia collata, vosq;, nomenq; veſtrum, vrbisq;, ſemper, & quoad vixerimus, & nomen Epiroticum durabit, animis, mentibus, & cordibus noſtris, oſſibusq; medullitus fixa inhærebunt, & in archiuo, viuoq; lapide ſculpta atque inciſa, ſemper apud nos permanebunt. Quæ nullus vnquã caſus tollet, aut aliqua

Raguſium altera Roma.

y ætas

ætas delebit, nosqúe filijs, ac nepotibus noſtris, ijq́ filijs ac nepotibus ſuis ea referent atque prædicabunt, Quamobrem in præſentiarum Deum ſummum optimumq́, qui omnium benefactorum ac bonorum operum retributor optimus eſt, exoramus, obſecramusq́, vt ipſe vobis pro tot ac tantis veſtris in nos beneficijs condigna merita, & æterna præmia retribuat atque condonet. Vos, regnum, imperium veſtrum, vrbem, Senatum, Rempublicam, liberos, opes, familiam, nomen veſtrum, perpetuo conſeruet, corroboret, conſolidet atque confirmet. His à Dyrrachino præſule dictis, milites Albani, quod diei ſuperfuit, in haſtiludijs, alijsq́ varijs ac diuerſis certaminibus & ſpectaculis ad finem perduxerunt, iuſſi mox, vt omnia, quæ ad nauigationem opus erant, expedirentur. Jamq́ ſatis omnibus inſtructis, præparatisq́, & re iam non vltra recipiente cunctationem, in animo ſibi eſſe Raguſium, claſſe vndiq́ traducta, eodemq́ omnibus peditum equitumq́ copijs contractis, quæ prima dies curſum nauibus daret, Deo bene iuuante in Apuliam traiecêre. Jgitur circum oram maritimam, Caſtriotus miſit, vt naues & triremes, quæ ex Italia ad comportandum exercitum eius venerant, Raguſium omnes contraherentur, quicquid præterea militum nauiumqúe ſuarum in Epiri Macedoniæq́ littore erant, ibidem conuenirent, vt nec vrbs multitudinem hominum, nec portus naues capere poſſet. Tantusq́ omnibus ardor inerat, in Apuliam trayciendi, vt non ad bellum duci viderentur, ſed ad certa victoriæ præmia. Ex Epiro autem & Macedonia milites vndiq́ acciuerat omnes. Quantum verò militum in Dauniam tranſportatum ſit, diuerſæ ſunt opiniones: aliqui quinq́ millia peditum, duo millia & ducenti equites: alij duo millia peditum, tria millia & quingenti equites in naues impoſita: quidam non adiecêre numerum, inter quos me ipſum in re dubia poni malui. Tantamq́ multitudinem conſcendiſſe naues aiunt, vt nemo mortalium in Epiro, Macedonia, & Jllyrico relinqui videretur. Milites vt in naues ordine ac ſine tumultu conſcenderent, Scanderbegus eam ſibi curam ſumpſit, commeatus imponẽdi, Guirizæ Vladeni curam dat. Quinq́ & decem dierum cibaria, è quibus quinque dierum cocta impoſita, vt omnes iam in nauibus erant ſcaphas circummiſit, vt ex omnibus nauibus gubernatores, & magiſtri nauium, & bini milites in forum conuenirent ad imperia capienda. Poſtquam conuenêre, primum ab ijs quæſiuit, ſi aquam hominibus, iumentisq́ neceſſariam, in totidem dies, quod frumentum impoſuiſſent. Vbi reſponſum eſt, aquam dierum quindecim in nauibus eſſe, edixit militibus, vt ſilentium quieti, nautis, ſine certamine ad miniſteria exequenda bene obedientes præſtarent. Cum quinque roſtratis ſe ac Ginum Muſachium à dextro cornu, ab leuo totidem roſtratas, & Andream Zachariam, cum Moſe (tum is Imperator erat) onerarijs futurum præſidium. Lumina in nauibus ſingula, roſtratæ bina

Ludus in Raguſio.

De militibus in Dauniam trãſportatis.

bina oneraria haberent. In prætoria naui inſigne nocturnum trium luminum fore. Iis æditis imperijs redire ad naues iuſſi, & poſtero die Deo bene iuuante ſigno dato, ſoluere naues. Multæ claſſes è Rizicho ſinu, Dyrrachi-



no portu Aulonæ ac toto Epiri, Illyriciq; tractu profectæ erant. Cæteræ pleræq; prædatum tantummodo ierant. Vbi verò illuxit, Scanderbegus è prætoria naue, ſilentio per præconem facto: Domine Ieſu Chriſte, inquit, fili Dei viui, qui ad dexteram ſummi Patris omnipotentis in gloria æterna ſedes, qui ex nihilo cuncta à principio creaſti, eaq; nutu, & imperio tuo, reguntur, & moderantur, qui ab æterno tuam ſanctiſſimam fidem Chriſtianam prælegiſti, tuoq; precioſiſſimo, ac ſanctorũ martyrum, Apoſtolorumq; tuorum ſanguine, eam miro ordine fundaſti, & per vniuerſum terrarum orbem, dilataſti, ampliaſtiq;, cui Petrum beatiſſimum & ſanctiſſimum vicarium tuum, principemq; Apoſtolorum, eiusq; ſucceſſores conſtituiſti, quibus omnium poteſtatem ligandi & ſoluendi, tam in cœlo, quàm in terra, tribuiſti, donaſtiq;: quorum monitis & mandatis mortalibus omnibus, Chriſtianis præcipue tuis, & prælectis mandaſti, iuſſiſtiq;, vt obedire, & fidem tuam catholicam, & Eccleſiam Romanam totis viribus, & ad ſanguinem vſque tutari atq; defendere deberent. Eorundemq; iuſſibus atq; præceptis, ego ſupplex & humilis tanquam indignus de eorum grege, hanc expeditionem & prouinciam humeris meis libenti animo ſuſcepi, vt Eccleſiam tuam ſanctiſſimam, vrbem Romanam, fidem catholicam, & Italiam ab impugnatoribus & hoſtibus, te duce, te rectore, protegerem, atque pro viribus defende-

Deprecatio Scanderbegi ad Deũ antequam ſolueret.

rem, liberaremq́. Itaq́ Pater omnipotens & miſericors, colende, tremende, inuoco, deprecorq́, vt cœptis meis annuas, & dexteram, brachiumq́ tuum mihi porrigas, & emittere digneris Michaelē Archangelum, ſanctiſsimum bonorum nuncium atq́ miniſtrum tuum, qui ſit mihi propicius, mecumqúe die noctuqúe cohabitet, (eſt enim mihi venerandus) vires, robur, fortitudinem ſuggerat, ſuppetet, atq́ miniſtret, quo fauſtum fœlixq́ mihi ſit iter atq́ nauigatio iſta, & ſoſpes incolumisque in Apuliam cum vniuerſo exercitu me traÿciam, fugatisqúe hoſtibus, atq́ profligatis perduellibus, compos voti mei ſaluus, incolumisq́ in patriam, & ad lares meos victor, ſpolÿs decoratus, præda onuſtus triumphans reuertar. Poſt hanc deprecationē factam, mox Archiepiſcopus rem diuinam fecit, & celebrata miſſa, tuba ſignū dedit proficiſcendi, vento ſecundo ſatis vehementi profecti, celeriter è conſpectu terræ ablati ſunt. Sed haud multo poſt orta nebula eos contexit, operuitqúe, ita vt vix concurſus nauium inter ſe vitarent, cum qua tamē hoc modo ad noctem vſq́ ſequentem nauigârunt. Iam inſulam auguſtā cernebant, gubernator Scanderbego ait, ſi iubeat eò dirigi: videbat enim vim ventorum oriri, continueqúe addi, & mare in maximā tempeſtatem concitari. Cui cum Scanderbegus annuiſſet (erat enim autūno tempore) claſſis omnis portum intrauit. Quo iactis firmatisqúe anchoris, interuallo octo dierum ibidem commorati ſunt, ob ingentē procellam, vim ventorū, & maris tempeſtatē: qua ſedata, vento ſecundo flante, poſt rem diuinā peractam (erat autē ſub matutino tempore) ſole iam orto, & leuatis anchoris, naues omnes è portu ſoluerunt, quæ per totam illam diem cum nocte ſequenti nauigârunt. Vbi verò illuxit, omnia littora Apuliæ apparuerunt. Scanderbegus, quæ eſſet proxima terra percunctatus, cum montē Sancti Angeli is vocari audiſſet: Placet, inquit, huc dirigite naues. Eſt enim mihi Archangelus Michael ſemper venerandus, qui, vt in conſpectu terra fuit, precatus Deum, vti bono ſuo, ſociorumqúe Apuliā viderit, dare vela iuſsit, claſsisq́ decurrit, breui tēporis ſpacio terræ applicuit, vbi poſtea ipſe cum Archiepiſcopo, & quibuſdā militibus è naui deſiliens, ſpeculatores præmiſit, vt ſicubi hoſtes viderent illi renunciarent, qui ad eum reuerſi, nō procul abeſſe nunciârunt. Scanderbegus interim ſumpto cibo, refocillatisq́ corporibus, cum ſuis ad naues redÿt, & Baretim oppidum verſus, nauibus curſum dirigere iuſsit, quæ dum ſecundo vento nauigant, Baretis oppidum intrârunt, copiæ omnes in terram expoſitæ ſunt. Verum quum dux Johannes vnà cum comite Iacobo, vidiſſent Scanderbegum tam ingenti inſtructoqúe exercitu, in regis Ferdinandi auxilium veniſſe, obſidionem deſeruerunt, & cum copÿs ſuis ad 30. ferè millia paſſuum procul inde ſecedentes, caſtrametati ſunt. Interea Ferdinandus videns ſe ab obſidione liberatum, & hoſtem iam diſceſſiſſe, præ gaudio vrbem egreſſus, Scanderbego obuiam proceſsit. Qui ambo in mu-

Baretis oppidum.

Ferdinandus Scanderbego obuiam procedit.

in mutua oſcula conuenientes, inuicem amplexi (manantibus vtrinq; lachrimis) ingenti omnium plauſu & lætitia Baretim ingreßi ſunt. Vidiſſes tunc commotam effuſamq; vniuerſam ferè vrbem, Caſtrioto obuiam ire, ciues omnes feſtiuos, & alacres permixtim, certatimqúe, cuiuſcunq; ſexus & ætatis in forum, & ad prætorium concurrere, nihil aliud per vrbem ſentiri, nihil per vicos, & plateas diu noctuq; audiri, niſi voces exclamantium, & de aduentu Albani Principis iubilantium. Hinc oppidanos vrbem egredi, & naues adire. Inde Albanos, vrbem, & mœnia petere, per agros & vicos diſcurrere, diuerſa peragere, nonnulli equos ſternebant, præparabantq; alij frena, quidam arma, aliqui tela, vnuſquiſq; officium ſuum exercebat. Nemo ocioſus aut iners, quilibet aliquid operabatur, & omnes ad bellum ſe accingebant, ac ſi eo tempore pugnaturi cum hoſte forent. Mane autē facto, Epirenſis prædatum cum quibuſdā copijs ſuis agrum eorum, qui ad hoſtes defecerant, proficiſcitur, & magna conuecta præda in Baretim reuertitur, quam omnem inter milites ſuos & oppidanos diuidendam conceßit. Sub ſerum vero diei, omnes milites ſuos in concionem vocat, quos ad pugnam ſic accendit, ſic pro victoria exhortatur.

Memini me aliquando, viri fortißimi, & commilitones mei ſtrenuiſſimi, audiuiſſe, Bellizarium illum ducem, & Imperatorem Bizantiorum, cum in Belgas ſiue Anglicos expeditionem ageret, & magna claſſe ad- Exhortatio Epirenſis ad ſuos pro victoria.



uerſus eos proficiſceretur (quos etiam obtinuit) vt primum copias ſuas in terram expoſuiſſet, naues omnes incendio combußiſſe, arſiſſeq;, ne fortè milites ſui ſpe & commoditate earum detenti, animum redeundi in patriam

 habe-

haberent, & pro victoria conſequenda totis viribus, & ad ſanguinem vſq; minime pugnaturi, victi non victores eſſent, quod quidem milites mei amantiſsimi haud abſimile valde nobis ab his hoc tempore contigiſſe clara luce intueor. Nos verò procul à domo, à patria, trans mare, in hoſtili terra, inter omnia inimica, infeſtaq; ſolo alieno, omni ſpe ac commoditate ad propria redeundi deſtitutos penitus eſſe, in eoq; loco res noſtras ſitas vt maneamus, an redeamus hinc, deliberare minime poſſumus, cùm præter equos, arma & animos, armorum memores, nihil nobis relictum ſit. Quinimo ſalus vitæ nobis adempta eſt, niſi de hoſte præclaram inſignemq; victoriam reportemus. Sed bono quidem ſimus animo milites, cum diuino nos nutu, ac voluntate huc omnes conueniſſe videam, quo Chriſti patrimonium, domumq; eius, Eccleſiam, ac ſedem ſuam tueamur, atque protegamus, qui de cœlo nobis victoriam facilem & expeditā mittet. In cuius nomine & virtute pugnaturi cum hoſte, illum profligabimus, victoresq; in patriam reduces, & incolumes triumphando redibimus. Cuius rei (haud dubium eſt mihi) cum veſtram primum ſolitam virtutem, fortitudinemq; in memoriam reuoco, cū tot victorias à vobis partas, tot de hoſtibus clades & ſtrages æditas ante oculos propono. Ideo fretus viribus, virtuteq; veſtra, humeris meis hanc expeditionem libēter ſuſcepi, vtpote qui alios longe maximos validiſsimosq; exercitus, & copias fundere atque proſternere veſtra virtute conſueui, quo magis milites mei fortiſsimi ſtrenuiſsimiq; has paruas copias, hunc debilem exercitum & hoſtem in fugam conuertetis, atque profligabitis, qui (vt vidiſtis) ad nomen ſolum noſtrum priuſquam nos viderit (vt ita dixerim) manuſq; nobiſcū conſeruerit, fugam arripuit, & obſidionem deſeruit. Reliquum eſt igitur milites, vt ipſum timidum, & iam fugientem inſequamur. Sed aduertite quæſo, quod ſi forte hoſtis iſte, timidus atq; imbecillis, nos expectare velit, manuſq; nobiſcum conſerere, (quod non credo) velim ei in primis illudamus, & leuibus excurſionibus, aſsiduiſqúe hincinde prælijs, atque crebris infeſtationibus ludificemus, illumq; feſſum omnino reddamus. Quo facto, tunc aut internecioni (ſi placuerit) dabimus, aut viuum facile capiemus. Eſt enim is graui armatura, grauiqúe onere, & ſarcina præpeditus, atq; armatus, equos habet cataphractos, qui nec nos ad perſequendum ſunt habiles, nec ipſi ad fugiendum ſunt apti. At verò nos omnes (vt cernitis) tum armis expeditiſsimi ſumus, tum equos citiſsimos velociſsimosqúe, & ad omnia promptiſsimos habemus. Proinde commilitones mei amantiſsimi, ſtrenuiſsimiqúe, quilibet veſtrum ſe accingat, arma, tela, equos, cæteraq; ad pugnam neceſſaria præparet, quia Deo duce, craſtina die in hoſtem egrediemur. His dictis, Albani milites, qui iam votis omnibus pugnam expetebant, magis atq; magis accenſi, mane prima luce, audita prius re diuina, dato ſigno tubæ omnes inſtructi, paratiq; cum

Pugna Scanderbegi cum Picinino & Gallis, eiuſq; victoria.

Aquilis

Aquilis & ſignis ſuis in campum aduerſus hoſtem prodiêre. Cum quo non totis copijs, non acie inſtructa, non ſeruato bellandi ordine concurſum eſt, ſed per leue admodum certamen tentatum. Placuit enim Albano Principi eo die prælibare tantummodo pugnam, vt qualis pugnator hoſtis foret, quantumque armis valeret, ſe oſtenderet. Qua certe pugna & certamine ex Gallico exercitu 30. cæſi, 20. capti ſunt: ex Albanis verò & Epiroticis militibus nullus captus, vulnerati 4. qui omnes læti admodum & alacres è prælio redeuntes victores, feſtiuiq; Baretim ingreſſi ſunt. Altera autem die Scanderbegus cum rege Ferdinando conuocatis ducibus, & caſtrorum præfectis, tam Italis, quàm Albanis, conſilium inierunt, quid agendum, an tota acie cum Gallis pugnandum, aut in Abrutium eundum eſſe ad vias, clauſtra, & itinera copijs Pij, & Sfortiæ reſeranda aperiendaq;, quæ in ſubſidium Regis (vt iam ſuperius diximus) miſſæ fuerant. Tandem hæc vicit ſententia, in Abrutium proficiſcendum, vt contractis omnibus in vnum copijs, tota acie cum Gallis dimicaretur. Poſtquam verò omnibus ſuffragijs decretum eſt, vt in Abrutium ad ſociorum ſubſidium recipiendum iretur, edictum omnibus militibus, tam regijs, quàm Albanis, vt ſe accingerent, præpararentq;, commeatumq; quinq; dierum coctum ſecum deferrent. Quo facto, relicto in vrbe præſidio, omnis exercitus cum Rege & Scanderbego egreſſus eſt. Qui quum in conſpectu Gallorum præterijſſent, in Abrutium recta progreditur, nec ab hoſte motus aliquis factus. Sunt qui dicant, regios nocturno tempore tacitos clam abijſſe. Quò poſtquam itum eſt, aggreſſis vndiq; hoſtibus, qui aditum cuſtodiebant, ex improuiſo, & præter ſpem, à tergo, à fronte, & ex omni latere profligatis, cæſiſq; pro maiori parte, atque captis, aditus, & itinera ſocijs præſidioq;, cui Federicus Vrbinas dux, & Alexander Sfortia præerant, reſerata, apertaq; ſunt, ex quibus omnibus poſtquam vnus exercitus conflatus, atque in vnum redactus eſt, prope Vrſaram Apuliæ oppidum, quod in regis poteſtate erat, caſtrametati ſunt. Quo ex loco Albanus Princeps relicto rege cum Italico exercitu ſuis tantummodo copijs Baretim petijt, veritus forte, ne comes Iacobus (vt erat callidus & ſagax) quoquo modo eam vrbem ad deditionem ſolicitaret, vel eò accedens, armis expugnaret. Vbi cum omnia ex arbitrio ſuo ſe habere comperijſſet, compoſitis rebus inde abſceſſit, & cum comite Iacobo, duceq; Iohanne ſuis copijs tota acie confligere, atque pugnare decreuit. Quos cum ad pugnam prouocaſſet, illi certamen non detrectarent, hincinde inſtructis copijs in campum progrediuntur. Scanderbegus exercitum ſuum in tres diuiſerat partes, quarum vni Moſen à Dibris præfecerat, alteri Giurizam ex ſorore nepotem, virum ſtrenuum probumq;, tertiam verò, qua cum comite Iacobo concurrere volebat, ſibi retinuerat. His itaque ſic ordinatis, præmiſſis de more aquilis, & ſignis ſuis,

Vrſara Apuliæ oppidum.

Scanderbegi exercitus in tres partes diuiſus.

ſuis, dato ſonitu tubæ, pugnam cum hoſtibus acerrimam iniјt, quos ex tribus partibus aggreſſus, per totam ferè diem cum his pugnauit. Cæterum vti iam conſtituerat, cum aſsiduis prælijs, & crebris certaminibus hincinde hoſtem ſæpe ſæpiusq́ infeſtans, iamiam feſſum, debilemq́ reddidiſſet, id quod ſperauerat facile ſubſequutum eſt, nam in eo prælio ex hoſtibus multi



interfecti, captiq́ viui fuerunt. Ex Albanis autem & Epiroticis pauci admodum cæſi, plures vulnerati, nullus ferè captus. Verum cum Picenius, qui rem bellicam callebat, aduertiſſet, Scanderbegum cum Albano milite bello armisq́ ſuperiorem eſſe (vt erat callidi ingenij) excogitauit, ſi Scanderbegum conuenire & alloqui poſſet, forte cum eo acturum facturumq́, vt ab armis deſiſteret, pugnamq́ dirimeret. Igitur ipſe aciem egreſſus ante alios, Caſtriotum clara voce proprio nomine appellauit, inuitans, rogansq́ eum, vt ſecum colloqueretur. Cuius ſermonem colloquiumqúe Scanderbegus (vt erat mitiſsimi ingenij, animiq́ intrepidi) vt hominem agnouit, haud abnuit, & alios prætergreſſus, virum adijt. Ambo itaque duces extra caſtra prodiêre, ibi in medio locus conſpicuus vndique, ne quid inſidiarum eſſet, delectus, vbi ſummotis pari ſpacio armatis, congreſsi ſunt. Comes Iacobus conſpectu Scanderbegi admiratione propè attonitus conticuit, & coniectis luminibus, defixisq́ oculis ſemper in eum inſpiciebat. Scanderbegus prior depoſito enſe, armisq́, inermis accedens ad illum, & ex tranſuerſo medium ſumptum manibus (erat enim modicæ ſtaturæ) è terra in altum ſuſtulit, quem more ſuo oſculatus, mox leniter depoſuit. Tum comes Iacobus, vt dictis factisq́ omnibus ad fallendum inſtructus,

ſtructus, vana accreſceret fides, grandem rem, multaq́; cum eo acturum, curaturumq́; ſimulabat. Promittebat enim facturum, quod Galli aut regni Apuliæ prouinciam omnino deſererent, & in Galliam reuerterentur, aut omnes trucidarentur, Ferdinandusq́; rex, imperium ſuum quiete

Colloquium Scanderbegi & Picenini.



tranquilleq́; poßideret. Dicebat ſe ſatis noſſe, quod ſi ijdem Galli, qui & natura inſolentes, ſuperbiq́; erant, & odio natiuo in Italos ferebantur, Apulia potirentur, nō tantum ea contenti eſſent, verumetiam totius Italiæ imperium ſibi vendicare vellent, cuius homines vt ſeruos & iumenta haberent. Hæc & plura alia comes Iacobus cum Scanderbego ſe acturum, curaturumq́; promittebat. Quæ tum in regis Ferdinandi commodum & honorem, tum ipſius Scanderbegi principis ingentē gloriam & vtilitatem verterentur. A quo in primis petijt, vt receptui cani, & milites ſuos à pugna ceſſare iuberet. Quod & ipſe facere paratus erat, quo exercitus vtrinq́; à labore, & continua pugna reſpirarent, quieſcerentq́;. Cum hi per integrum ferè diem iam dimicaſſent, aſſerens hoc maxime ex lege, & Italica conſuetudine artis militaris, ſacraq́; militiæ fieri, ſeruariq́;, ſed quia iam tenebræ terram occupabant, & nox inſtabat, militesq́; omnes hincinde feßi erant, ſatius fore, vt vterq́; exercitus in caſtra rediret, & locus quieti daretur. Scanderbegum verò hortabatur, rogabatq́;, vt is mane cum paucis equitibus (ne res duci Iohanni, Gallisq́; patefieret) aßignato ei loco quo conueniret ad ſecum colloquendū, omnino reuerti deberet. Quæ quidem omnia comes Iacobus non minus fictè & ſimulatè, quā doloſe cum Scanderbego agebat. Molitus enim Piceninus fuerat, Scanderbegū aut inſidijs viuum ca-

Comes Iacobus fictè multa cum Scanderbego agit.

pere, aut omnino obtruncare (rem profecto ſuapte natura deformem atq; impiam) vel ſaltem longo deducto ſermone diem contererere, qua deſtinata iam pugna ſolueretur, certamen dirimeretur, ne Albani, qui iamiam palmam & victoriam in promptu, & præ manibus habebant, ſecum reportarent, ſeq; cũ exercitu ſuo ab huiuſmodi iniuria & ignominia liberaret ſaluaretq;, cum aliter effugere minime poſſe videret. Cui cum Scanderbegus ob viri nomen autoritatemqúe, fidem quam maximam præſtitiſſet, eiusq; dictis atque poſtulatis puro ſynceroq; corde credidiſſet, liberè ingenueq; obſecutus eſt, qui & receptui cani, & milites ſuos à pugna ceſſare iuſsit. Interim verò Moſes & Giuriza, præfecti caſtrorum Scanderbegi, iamdudum fugatis cæſisq; hoſtibus, quatuor armatorum militum acies captas ad Epirenſem perduxerunt. Quas cum Piceninus vidiſſet, erubuit, & mẽte turbatus atq; confuſus obmutuit. Qui tandem in ſe collectus, callide atq; verſute his verbis Albanum Principem ſic eſt adorſus:

Oratio Piceni-
ni ad Caſtrio-
tum.

Scanderbege, Princeps illuſtriſsime & generoſe, video (quod & pariter admiror) præfectos & milites tuos contumaces tibi eſſe, & rebelles, valdeqúe irreligioſos. Hi enim (vt noſti) poſt edictum noſtrum, quod pariter vno eodemq; ore atq; conſenſu fieri iuſsimus, vt per omnia hincinde caſtra



milites à pugna deſiſterent, acies has meas, & milites edicto noſtro illico libenti animo parentes aggreſſi perturbarunt, oppreſſeruntq;, & ſumma cum ignominia dedecoreq;, eos ad te pertraxerunt, quod valde iniquum atque iniuſtum, & contra fidem atq; decorẽ tuum mihi eſſe videtur. Nihilominus ego tum fidei tuæ, tum virtuti plurimum confiſus, te enim ſemper magni-

fice,

ſice, inuictiſsime Princeps, quod fidem tuam & promiſſa ſemel mihi præſtita (vt quenq; Principem & magnanimum virum decet) te nunc quoque ſeruaturũ non deſpero. Quamobrem Scanderbege, Princeps generoſiſsime, peto abs te, vt has meas acies, & milites, quos tui duces & præfecti hucad te contra ſacram militiæ diſciplinã tanquã captiuos trahunt, impunè & incolumes dimittas, mihiq́; armatos reſtituas. Quo in hoc quoque ego fidem tuam, animi magnitudinem atque liberalitatem, quam de te ſemper Princeps generoſiſsime prædicare audiui, nunc oculis videã, clareq́; perſpiciam. Adhæc Albanus Princeps in hanc ferè ſententiam reſpondit: Non poſſum equidem Comes Iacobe non admirari, te virum clarum & illuſtrem, iſta non minus leuia, quam ab omni prorſus veritate aliena, vel credidiſſe, vel dixiſſe, quod milites mei & duces poſt edictum noſtrum tuas acies inermes, & nihil tale timentes, violata fide, præter ſacræ militiæ conſtitutiones aggreſsi oppreſſerint, maximoq́; dedecore atq; ignominia ad me pertraxerint. Nam vidiſti (nec inficiari poteſt) vt primum conuenimus milites mei & præfecti, priuſquam edictum noſtrum deponendi arma, & ceſſandi à pugna, ad vniuerſum exercitum perueniſſet, tuas acies, quas fortiſsime pugnando deuicerant, ad me (vt iam vidiſti) perduxerunt, quod an adeò iniuſtum tibi videri poſsit, non ſatis ſcio. Nam ſi per totam ferè diem (vt dixiſti) pugnatum eſt à nobis, quo nam pacto fieri potuit, vt tam breui ſpacio edictum noſtrum ad omnes caſtrorum partes vbique peruolauerit? Et adhuc amplius quod magis me mouet, quod milites, & præfecti tui videntes acies meas, & armatas, & pugnantes, ipſi arma depoſuerint, & à pugna ceſſauerint. Quo dum (vt dicis) religioſiſsimi ſcilicet homines, & mandatorum tuorum obſeruantiſsimi eſſe malunt, turpius oppreſsi in captiuitatem traherentur, an inuiti potius belli ſorte ſuperati victoriæ ceſſerunt, & ſeruitutem merito ſubierunt. Præterea quod milites noſtros contumaces & irreligioſos appellas, ſanè eſt mirandum. Siccine igitur ego cum ijs ipſis, & pauciſsimis quidem quandoque (abſit temeritas verbo) tot Barbarorum & Turcarum validos exercitus fudiſſem, & tot duces eorum fortiſsimos, & Principes conuerſos in fugam cæpiſſem, ſi iſtiuſmodi eſſent, quod diuino certe auxilio, nulla virtute, nullo ingenio humano effici potuiſſet. Nam quod ad obedientiam & ordinem militarem attinet, illud auſim dicere me ductorẽ, & commilitonem ſuum magis etiam ab eis timeri, quàm ipſi à vobis. Propterea ſi de legionibus iſtis & militibus ita inſignem facilemq́; victoriam conſecuti ſunt, nihil eſt quod eos accuſes, nihil quod de me conqueraris, ſed tum belli fortunæ, tum imbecillitati, atque tuorum ignauiæ imputes, liberalitatem tamen meam, & animi magnitudinem, quam (quæ eſt ingenij tui bonitas) mihi tribuis, hodie non deſiderabis. Quod enim acies iſtas tuas, quæ merito nobis iure belli, & captiuitatis ceſſerunt,

Reſpõſum Caſtrioti ad Picinum.

cupis, vt gratis, & incolumes tibi reſtituam, atque donem, nihil fruſtra petieris. His enim quibus ſuperſtitibus in bello eſſe contigit, ego nec vitam, nec libertatem eripere conſueui. Memor præterea illius egregij & præclari

Pyrrhus, Epirotarum rex.

facinoris, quo Pyrrhus ille meus Epirotarum Rex in Romanos vſus, qui cum eorum exercitum in his campis acriter pugnando profligaſſet, captiuos omnes, quos cœperat (vt magni & generoſi animi erat) dono, gratisq́ miſit, atq́ conceſſit. Eius ſanè præclarum dictum illud ad Romanorum legatos extat, qui ad ipſum pro redimendis captiuis venerant. Nec mi aurum depoſco, nec mi precium dederitis, nec cauponantes, ſed belligerantes, ferro, non auro, vita certamus vtrique, vos ne velit, an me regnare hera. Quidúe fert ſors, virtute experiamur, & hoc ſimul accipe dictum, quorum virtuti belli fortuna pepercit, eorundem me libertati parcere certum eſt. Dono ducite, doq́, volentibus cum magnis Dijs. Duc proinde tu quoq́ captiuos tuos gratis potius, quam aliquo iure cauſæ Princeps nobiliſſime, te petente cum Deo optimo maximoque. Sat enim mihi eſt illos ferro viciſſe, quibus iterum Deo iuuante, virtute, fortitudineqúe militum meorum me

Cẽtũ milites armati à Scanderbego dimiſsi.

potiturum haud animus deeſt. Fuerunt autem hi ad centum milites, quos Scanderbegus armatos omnes dimiſit, Piceninoq́ donauit. His peractis Piceninus cum copijs ſuis in caſtra ſe contulit, Caſtriotus verò in Barim oppidum reuerſus eſt, qui ſummo mane conſurgens, ſumptis ſecum ſeptem tantum equitibus (vt iam promiſerat) vrbem egreſſus ad comitem Iacobum alloquendum, conueniendumqúe ad locum, quo conſtitutum fuerat, ire pergebat. Cui quidam de hoſtili exercitu, qui occulta conſilia, & inſidias aduerſus Scanderbegum præparatas nouerat, in itinere occurrit, & aperiens ei omnia, quæ Piceninus ipſe in illum molitus fuerat, admonebat eum, ne vlterius progrederetur, ne in inſidias à comite Jacobo ei inſtructas incideret, præcipitareturq́. Nam locus, ad quem accedere volebat, vt comitem Jacobum conueniret, inſidiarum atque armatorum plenus erat, vt eum caperent, aut trucidarent. Quo miſſi à Scanderbego equites exploratoresqúe ad ſpeculandum, omnia prout relata fuerant vera inuenta ſunt. Detectis itaque omnino inſidijs, ac patefactis fraudibus comi-

Caſtriotus Piceninum fœdifragum vocat.

tis Jacobi, Caſtriotus clara voce Piceninum de dolis & inſidijs ſuis increpans atque redarguens, fœdifragum appellans, in craſtinum ad ineundam pugnam & certamen illum prouocauit, qui nec verbum reſpondit, ſed circa primam noctis vigiliam collectis ſarcinulis & vaſis (vt aiunt) cum duce Iohanne, & Gallis arrepta fuga in remotiora loca, dehinc Nuceriam conceſſit, veritus ne eadem nocte ipſe à Caſtrioto adoriretur. Audiuerat enim illum ſæpiſſime nocturno tempore hoſtem aggredi ſolitum eſſe. Verum Epirenſis exorta iam luce, inſtructo ad pugnam exercitu ſuo, in campum propalam deſcendit, quo cum comite Jacobo vniuerſo exercitu concurreret.

curreret. Eo autem non inuento (fugam enim arripuerat, caſtraq́ vacua atque deſerta reliquerat) tum hominis perfidia, tum rei ipſius indignitate impenſius eſt commotus. Ratus itaque id magno aliquo & audaci facinore vindicandum, Baretim reuerſus eſt, qui vbi omnia diſpoſuit atque firmauit, confeſtim ad regem Ferdinandum, qui Vrſaræ cum Italico exercitu & copijs erat, contendit. Eſt enim Vrſara oppidum Apuliæ, quod in dorſo montis poſitum, octo millibus paſſuum à Nuceria diſtat, à Troia verò quatuor, à monte autem Segiano ſex: diſtabat autem vterque exercitus ab inuicem octo millibus paſſuum: erat enim medius mons Segianus, qui ab vrbe Troia per duo milliaria, à Nuceria verò ſex diſtabat. Nam (vt fama ferebat) qui montem illum & tumulum cœpiſſet prior, ille erat futurus ſuperior in acie, cum propter loci opportunitatem ad bellum peragendum, proſequendumq́, tum rerum omnium maximã commoditatem. Ad quem occupandum antequam comes Iacobus proficiſceretur, milites ſuos in hunc modum eſt allocutus:

Deſcriptio Vrſarę, Nucerię, Troiæ, Segiani montis.

Non me fugit milites, quãta ſit virtus & fortitudo veſtra. Nec per ſingula rerum veſtrarũ geſta immorari atq́ diſcurrere nunc opus eſſe videtur, quum omnia mihi manifeſta & in aperto ſint poſita. Verum ne ab alto

Oratio Piceni ni ad exercitũ ſuum.



exordiar, pauca in præſentiarũ tantummodo in medium afferre de vobis contentus ero. Nonne vos eſtis milites, qui Ferdinandum regem cum copijs ſuis æquo campo collatis ſignis, toties fudiſtis atq́ profligaſtis? quem & in vrbe regia Neapolitana, & poſtea in Bareti oppido obſediſtis, & vniuerſo regno Apuliæ, Siciliæq́ ſpoliaſtis, & expuliſtis. Nonne præterea

z 3 milites

milites vos ij eſtis, qui exercitus, & præſidia Pij Pontificis, & Franciſci Sforciæ, ducis Mediolani, quæ in auxilium regis Ferdinandi veniebant, nō ſemel tantum, ſed bis in fugam conuertiſtis, obtruncaſtiſq́? Quid ſupereſt igitur, milites, vt & Apuliæ, & totius Italiæ imperium vobis vendicetis? Quis reſiſtet? Quis obuiabit vobis? Ferdinandus rex iam fatigatus à vobis, fugatuſq́, arma, & furorē veſtrum fugiens, de imperio iam deſperans, neſcio quo in angulo hucuſq; latitauit. Nunc verò quia hoc præſidij quod videtis ei allatum, nobiſcum bellum non gerere (quia impoſſibile ei) ſed tentare tantummodo contra nos velle videtur. Sed heu miſerrimum, & infœliciſſimū hominem, aptum ad fugam potius, quàm ad pugnam, victus ſemper à vobis, nunquam vincet, profligabimus eum abſque dubio cum omni præſidio, ſuppetijs, & auxiliaribus ſuis, delebimus, & ad internecionem dabimus, aut illum (ſi volueritis) captiuum cum omnibus faciemus, vel è regno fugatum omnino, & expulſum deijciemus. Eſtote itaque milites bono fortiq́ animo atq; intrepido, & de victoria certi, quam (vt videtis) in manibus habemus. Vincere enim nos ſoliti, ſemper vincemus. Fata enim vobis Apuliæ regnum iam promiſerunt. Decretum, conſtitutumq́ iam eſt milites, hæc omnia vobis à ſuperis euenire. Sed quid Apuliæ tantum? Verumetiam totius Italiæ imperium vobis promitto, vrbes omnes, municipia, caſtella, diuitias habetote, veſtraq́ ſint. Vos ô Galli viri fortiſſimi, & fortunatiſſimi, terror & pauor Italiæ, totiuſq́ orbis. Vbi Romani triumphatores mundi, quos toties æquo campo tota acie ſemper fudiſtis & profligaſtis? Vbi Roma totius mundi caput? Nonne à vobis capta incendio conflagrauit? Omnes Patritios & Senatores in ea trucidaſtis. Vos Chriſtiani, vos Mahumetani, vos omnes ſectæ, gentes, & Barbaræ nationes ſummopere verentur, timent, & ad nomen tantum veſtrum & famam fugiunt. Vos bellatores veri eſtis, vos fatales, vos diuini, vobis non ſolum Apuliæ, Italiæ, ſed vniuerſi orbis imperium à Deo promiſſum eſt. Itaq; milites bono, forti, & conſtanti eſtote animo. Hoſtes quos videtis (pudet enim hoc vobis referre) nihil penitus timeatis, quos hinc ad modicum temporis interuallum omnes captiuos veſtros fore promitto, aut (ſi vobis placuerit) obtruncare licebit. Eorum diuitias, ſpolia, equos, impedimēta veſtra erunt. Hoſtes noſtri & aduerſarij fugituri potius, quam pugnaturi ſunt. Res cum fugitiuis nobis erit, non cum pugnacibus. Nec hunc Scanderbegum, ô milites, Epirotarum Principem, qui nuper ex Epiro & Macedonia cum Epiroticis ſuis nudis & inermibus militibus contra nos in regis auxilium huc traiecit quicquam timeatis, aut exiſtimetis, quia ipſe cum agmine ſuo & militibus primo impetu à vobis fuſus, profligatuſq́ erit. Sunt enim inermes Epirotæ omnes, & nudi, quos noſtri ſcloponarij, & ſcorpionarij prima fronte & ictu de medio tollent atq; proſternent. Sed puto illos potius latituros

Laus Gallorum.

tituros

tituros eſſe, quam pugnaturos, quia conſueti & apti potius hac illac circum curſare, & diſcurrere, quàm pugnare. Res non cum Turcis eis agenda erit, aut cum Aſiaticis mollibus, & effœminatis hominibus, ſed cum fortiſſimis viris, & ſtrenuiſſimis militibus, & indomitis Gallis, qui omnes graui armatura armati ſunt. Equi noſtri cataphracti omnes. Itaq; milites minime perdurare in pugna poterunt, ſed à nobis fugati trucidabuntur, ex quibus victoriam cum triumpho proculdubio reportabimus. Nunc verò Ferdinãdus victus expugnatus, ac omni regno deiectus atq; priuatus erit, qui tentat tantummodo nunc nobiſcum bellum. Hic eſt eius vltimus conatus. Nihil ò milites ei aſtutiæ ſuæ proderunt. Omnia eius conſilia & auxilia in irritum cadent, huic bello finem imponemus, vrbes, agri, cætera omnia veſtra erunt milites. Vos cum liberis, coniugibus, poſteriſq; veſtris, hæc omnia perpetuo poſſidebitis.

Poſtquam comes Jacobus his finem fecit, properans ad occupandum montem Segianum, illum à Scanderbego iam præoccupatum inuenit. Ex quo mœſtus Princeps admodum in caſtra reuerſus, de victoria (vt aiunt) diffiſus, Caſtrioto illam adiudicauit. Qui tamen (vt erat callidi ingenij, rerumq; militarium peritus) ad confirmandum militum animos, conuerſus ad ſuos:

Properat Piceninus ad occupandum mõtem Segianũ, quem prius à Scanderbego præoccupatũ inuenit.

O ſocij, inquit, & commilitones mei amantiſſimi, ſtrenuiſſimiq;, nunquã certe de victoria diffidendum, neq; deſperandum eſt, nuſquam euentus incertior, quàm in bello. Quum totum iſtud, quicquid eſt victoriæ, in incerto ſit, & in manu (vt aiunt) fortunæ. Proinde fortiter & intrepidè incumbamus, in hoſtem irruamus, & cum eo acerrimè dimicemus, vt vel vitæ prodiga virtus, vel belli ſors aliqua nos tandem ſuperiores oſtendat.

Exhortatio Picenini ad ſuos.

His æditis, Piceninus decreuerat, vt contractis iam vndecunq; copijs in vnum, & Gallico præſidio, tota acie, totiſq; viribus cum Albano Principe decerneretur. Hoc facto pronunciant ambo, arma expedirent milites, animoſq; ad ſupremum certamen, non in vnum diem, ſed in perpetuum, ſi fœlicitas adeſſet, victores Iohannes dux. An Ferdinandus rex iura Apuliæ daret, ànte craſtinam forte noctem ſcituros, vniuerſæ Dauniæ, Calabriæquè regnum victoriæ præmium fore. Par periculum præmio quibus aduerſæ pugnæ fortuna fuiſſet. Nam neque Albanis effugium vllum patebat in aliena terra, ignotaq;. Ad hoc diſcrimen procedunt poſtero die duo longe ſtrenui Principes, duo clariſſimi duces, duo fortiſſimi exercitus, multa ante parata decora, aut cumulaturi eo die, aut euerſuri. Anceps igitur ſpes, & metus miſcebant animos, contemplantibus modo ſuas, modo hoſtium acies, cum oculis magis, quàm ratione penſarent vires, ſimul læta, ſimul triſtia obſeruabantur, quæ ipſis ſua ſponte non ſuccurrebant, ea duces admonendo atque hortando ſubijciunt. Scanderbegus

Summa bellorum, quæ geſſit Scãderbeg intra annos decem & octo

gus primo decem & octo annorum ſpacio in terra Aſiatica, Macedonica, Thracia, & Epiro res geſtas, tot duces Turcarum, & Mahumetanæ ſectæ, tot exercitus occidione occiſos, & ſua cuique decora, vbi ad inſignem alicuius pugnæ memoriam venerat, referebat comes Jacobus in Piceno, Apulia, & Jtalia recentia prælia. Ad hoc colloquium Caſtriotus in ſecreto habitum, ac liberum fingenti qua velit flecti, ominatur, quibus quondam auſpicijs patres eorum pugnauerint. Ad Mocreum, Tumeniſtum, & Modriſſum, ea illis exeuntibus in aciem portendiſſe Deum, adeſſe finem belli, ac laboris, in manibus eſſe prædam Gallici, Piceninique exercitus victoriam, reditum domum in patriam, ad parentes, liberos, coniuges, penateſque Deos, adeò celſus hæc corpore, vultuque ita læto, vt viciſſe iam crederes, dicebat. Inſtruit deinde primos pedites, ſcloponarios, poſt eos ſcorpionarios, ac ſagittarios, cum funditoribus, haſtatis Illyricis, cum Epiroticis permixtis poſtremam aciem clauſit. Non confertas autem cohortes ante ſua quenque ſigna inſtruebat, ſed manipulos aliquantum inter ſe diſtantes, vt eſſet ſpacium, quo cataphracti hoſtium equites, & grauis armaturæ accepti, nihil ordines turbarent. Regem cum Apulo & Italico equitatu à ſiniſtro cornu, Moſen, Giurizamque à dextero oppoſuit, vias patentes inter manipulos anteſignariorum Dibranis ſuis, & Macedonicis (ea leuis armatura erat) compleuit. Dato præcepto, vt ad impetũ Gallorum equitum & cataphractorum, aut poſt rectos refugerent ordines, aut in dexteram, leuamque diſcurſu applicantes ſe anteſignanis, viam, qua irruerent in ancipitia pila, & tela, Gallico equitatui, & hoſtili equiti grauis armaturæ darent. Comes

Bellum Scanderbegi cum Gallis.

Iacobus ad terrorem primũ tormenta ſuper currus, & quadrigas impoſita inſtruxit, dehinc ſclopos, ſcorpionarioſque, ac pedites longis haſtæ permixtos: in ſecunda verò acie Apulos, modico interuallo relicto, ſubſidiariam aciem, auxilium Ligurum, Brutiorumque militum inſtruit. Equitatum etiam ipſum circundedit cornibus, dextrum Galli, ſiniſtrum Itali tenuerunt. Varia hinc & inde exhortatio in vtroque exercitu erat, inter tot homines, quibus non lingua vna, non mores, non lex, non arma, non veſtitus, habituſque, non cauſa militandi eadem eſſet, auxiliaribus & præſens, & multiplicata merces ex præda oſtentatur. Galli proprio atque inſito in Italos odio accenduntur. Liguribus campi vberes Italiæ deductis ex aſperibus montibus in ſpem victoriæ oſtentantur. Alijs aliæ ſpes ac metus iactantur. Apulis mœnia patriæ, Dij penates, ſepulchra maiorum, liberi cum parentibus, coniuges pauidæ, aut excidium, ſeruitiumque, aut victoriam, & Apuliæ imperium, nihil aut in metum, aut in ſpem, medium oſtentatur. Cum maxime hæc Imperatores & duces exercitus hincinde ſuarum quiſque gentium ad ſuos milites agerent, tubæ, cornuaque ab Albanis cecinerunt, tantuſque clamor ſimul ortus eſt, & pariter vno eodemque impetu atque velocitate in hoſtes

concur-

concurſum, vt citius primam aciem oppreſſerint, quam hi tormenta ſua poſuerint (celeritas enim quamplurimum in re bellica valet, ſæpenumero conſilium præuertit, ordinemq́ diſturbat atq́ cōfundit) Nam equi tormentorum tanto ſunt terrore perculſi, vt in ſuos ſiniſtro maxime cornu conuerterentur. Jtalis addidit facile Moſes & Giuriza perculſis terrorem, nudaueruntq́ ab ea parte aciem equeſtri auxilio. Pauci tamen equorum cum



tormentis in hoſtem acti, inter ſcloponariorum, ſcorpionariorum, & peditum ordines, multis acceptis vulneribus, ingentem ſuorum ſtragē ædebant, nanq́ dextero cornu ipſorum Gallorum equites in fugam verterunt. Rex Ferdinandus, vt turbatos vidit hoſtes, addit pulſis terrorem, vtrinq́ equite nudata erat Apula acies, cum pedes concurrit, nec ſpe, nec viribus par. Jgitur primo impetu extemplo mouêre loco hoſtium aciem Albani. Ala deinde, & vmbonibus pulſantes in ſummotos, gradu illato aliquantum ſpacij, velut nullo reſiſtente inceſſere, vrgentibus & nouiſſimis primos. Vt ſemel motam aciem ſenſere, quod ipſum vim magnam ad pellendum hoſtem addebat, apud hoſtes auxiliares cedentes ſecunda acies Apuli, & Ligures, adeò non ſuſtinebant, vt contra etiam ne reſiſtentes pertinaciter primos, cedendo ad ſe perueniret hoſtis, pedem referret. Jgitur auxiliares terga dant repente, & in ſuos verſi, partim refugere in ſecundam aciem, partim non recipientes cedere, vti pauloante non adiuti & tunc excluſi, & propè duo iam permixta prælia erant, cum Apuli ſimul cum hoſtibus, ſimul cum ſuis cogerentur conſerere manus: nō tamen ita perculſos, iratosq́ in aciem accepêre, ſed denſatis ordinibus in cornua, vacuumq́ circa campum, ex- Apuli cū ſuis, & cum hoſtibus manus cōſerunt.

aa tra præ-

tra prælium eiecêre pauidos fuga, vulneribusq́ milites, ne certam & integram aciem miſceret. Cæterum tanta ſtrage hominum, armorumq́, locum in quo ſteterant ante auxiliares compleuerant, vt propè difficilior tranſitus eſſet, quam per confertiſſimos hoſtes fuerat. Itaq́ qui primi fuerunt haſtati per tumulos corporum, armorumq́, & tabem ſanguinis, qua quiſque poterat ſequentes hoſtem, & ſigna, & ordines confuderunt. Scorpionariorum ſagittariorumq́ ſigna fluctuare cœperant, vagam ante ſe cernentes aciem, quod Scanderbegus vbi vidit, receptui propere canere haſtatis iuſſit, & ſaucijs in poſtremam aciem ſubductis, ſcorpionarios, ſagittariosq́ in cornua inducit, quo tutior firmiorq́ media haſtatorum acies eſſet. Ita nouum de integro prælium ortum eſt, pugna atrox, & prælium vtrinq́ maximum fit. Cadunt non rari ex vtraq́ parte, certamen in integrum diem protrahitur; Mars fluctuat, victoria modo hinc, modo inde flectitur. Quippe ad veros hoſtes peruentum erat & armorum genere, & vſu militiæ, & fama rerum geſtarum, & magnitudine vel ſpei, vel periculi pares, ſed numero Scanderbeganus ſuperior erat, & animo, quod iam equites leuis armaturæ, iam cataphractos fuderat, iam prima acie pulſa, in ſecunda pugnabat. In tempore Moſes & Giuriza pulſos per aliquantum ſpacij ſecuti equites, reuertentes in aduerſam hoſtium aciem, incurrêre. Is demum equitum impetus perculit hoſtem, multi circumuenti, vnáve cæſi, per patentem circa campum fuga ſparſi, obſidente omnia equitatu, paſſim interierunt. Apulum, ſociorumq́ cæſa eo die ſupra quatuor millia, mille fermê viri capti ſunt, cum ſignis XXV. *militaribus, victores ad mille cecidêre. Comes Iacobus cum duce Iohanne paucis equitibus inter tumultum elapſus perfugit, omnia & in prælio, & ante prælium priuſquam excederet pugna expertus, & confeſſione etiam Scanderbegi, omniumq́ peritorum militiæ, illam laudem adeptus, ſingulari arte, aciem eo die inſtruxiſſe viſus eſt. tormenta enim in prima fronte poſita, quorum fortuitus impetus, atque intollerabilis vis, ſigna ſequi iuſſa, & ſeruare ordines, in quo plurimum ſpei ponerent, Albanos & Epirotas prohiberet. Deinde auxiliares ante Gallorum aciem collocati, ne homines mixti ex colluuione omnium gentium, quos non fides teneret, ſed merces, liberum receptum fugæ haberent, ſimul primum hoſtium excipientes impetum, illos fatigarent, ac ſi nihil aliud, alij miſſilibus, alij vulneribus ſuis ferrum hoſtium hebetarent. Tum vbi omnis ſpes eſſet milites Gallos, Brutiosq́ fuiſſe collocatos, vt omnibus rebus alijs pares, eò quod integri cum feſſis ac ſaucijs pugnarent, ſuperiores eſſent. Apulos interuallo quoque diremptos, incertos, ſocij an hoſtes eſſent, in poſtremam aciem ſummotos. Hoc ædito velut vltimo virtutis opere, comes Iacobus cum perfugiſſet, incognitus, erransq́ hincinde per Italiam, viliſſimo indutus habitu latitauit, donec à Franciſco Sfortia*

Victoria incerta.

Apulũ & ſociorum quot millia cæſa.

Comes Iacobus fugit.

Comes Iacobus à fuga latitat in Italia viliſsimo habitu.

Sfortia Mediolanenſiũ duce dolis atq; blanditijs pellectus, falſisq́; deceptus nuptijs, eius gener factus, moxq́; ad Ferdinandum regem tanquam amicus miſſus, ab eo necatus, diem ſuum obijt. Dux verò Iohannes à regijs & Scanderbeganis militibus perſecutus, Troiam vix aufugit, qui per funem tractus, in vrbẽ exceptus eſt, indeq́; latenter noctu ad mare Liguſticũ ſeſe proripiens, nauimq́; conſcẽdens, iterum in Galliam reuerſus eſt. Scanderbegus confeſtim expugnatis hoſtium caſtris, direptisq́;, cum ingenti præda Neapolim vnà cum rege Ferdinando clariſſimo triumpho inuectus eſt, dedu-

Dux Iohãnes fuga ſibi conſulit.

Triumphus Scanderbegi & regis Ferdinandi.



ctis in triumpho captiuis. Tum patuêre facta gratulatione omnia in vrbe templa, ſupplicationes decretæ, ludi cuiuslibet generis, & conuiuia publice per vrbem vndiq; triduo celebrata ſunt. His itaq; æditis, profligato hoſte, de illoq́; victoria fœliciſſime potita, decreuit Ferdinandus ſimul cum Albano Principe, inſtructis copijs omnibus vniuerſum regnum Apuliæ, Calabriæ, ac Siciliæ obequitare, ac perluſtrare. Quo vrbes, ciuitates, oppida, & loca omnia, quæ ad hoſtem iam defecerant, vendicaret, recuperaretq́;. Hoc facto, omnia breui in fidem Caſtrioti recepta ſunt, & in poteſtatem regis redacta. Nam ij omnes Scanderbegi fidem, magis quam regiam ſunt ſequuti, verebantur enim in ditionem regis venire, & fidei ſuæ ſeſe committere. Timebant nanq; eum, ne propter rebellionem, quam fecerant, & violatam regi fidem, ſe omnino perditum ire. Verum Scanderbego fidebant, quod ſi ipſe fidem ſuam, publicamq́;, tum de eorum ſalute, tum liberorũ ac bonorum ſuorum promitteret, nequicquam mali ſibi euenturum eſſe, ſed à rege ſalutem, incolumitatem ſuam, ſuorumq́; omnium, necnon impunitatem, ac in-

 demni-

demnitatem penitus conſecuturos ſperare. Quapropter ſic omnia à Scanderbego rege recepta, ac breui vniuerſum regnum eſt recuperatum. Verum vnum tantummodo expediendũ in prouincia ſupererat, quod à Scanderbego perfacile admodum expeditum fuit. In vrbe enim Trani, Siculus quidam, Fuſianus nomine erat, vir ſtrenuus atq; bellicoſus, quem rex Ferdinandus iampridem antequam Galli in Apuliam irruiſſent, cum præſidio ibidem miſerat, copijsq; præfecerat. Qui dum vniuerſa prouincia incendio, Gallicoq; tumultu æſtuaret, arderetq;, libertatem in vrbe occupauit, & tanquam Tyrannus in ea factus eſt, putans regem, qui iam à Gallis è regno ferè deiectus fuerat, amplius imperium in ea, neq; poteſtatem vendicaturum. Ad quem maxima ex omni colluuione manus confluxerat, quotidieq; confluebat ob prædæ cupiditatem & dulcedinem, quam continuè per prouinciam agebat. Quæ omnia quum Scanderbegi aures pulſaſſent, communicata re cum Ferdinando rege, ipſe relicto eo cum Italico exercitu in campo, modica tantum ſuorum manu delecta, ad Fuſianum proficiſcitur, qui quum Scanderbegũ ad ſe euntem vidiſſet, ei occurrit, & vterq; aciem egreſſi, ex equis deſilientes, remotis hincinde pari ſpacio & interuallo militibus, ad inuicem colloquendum congreſſi ſunt. Scanderbegus verò prior ſic illum breuibus alloquitur: Fuſiane, vir egregie & præſtans, non dubito, quin ad aures tuas iam peruenerit, profligato, cæſoq; Gallorum exercitu, omnia in regis poteſtatem perueniſſe. Tu tantum ſolus (neſcio enim quo ſpiritu, qua mente ductus) ab eo tam alienatus es, vt regiæ poteſtati ac voluntati reſiſtere videaris, qui iam & amicus eius, & præfectus eras, quod non poſſum non ſummopere admirari. Sed mi Fuſiane, ſi audieris me, profecto multa tibi bona & commoda conſequi poteris. Nam ſi tu iterum in regis amicitiam & beneuolentiam redire volueris, quod omnino (ſi tibi mens ſana) faciendum eſt, honores, dignitates, præfecturas (me duce & authore) tibi à rege non defuturas promitto, dummodo vrbem Trani cum eius arce in regiam poteſtatem tradas. Sin autem alia mens, aliusq; animus eſt, tibi tanquam hoſti & inimico regis bellum indico, atque propono, cuius profecto iram atq; indignationem, quo pacto tu effugere poſſis, non video. At Fuſianus qui aura populari, & fortunæ afflatu elatus, inſolens atq; audax factus fuerat, Scanderbego reſpondiſſe, dixiſſeq; fertur: Non prius ſe dimiſſurum regi vrbis Trani poſſeſſionem, quam ab ipſo omnia & integra ſtipendia conſequeretur, quæ à tempore, die & hora aduentus ad illum ſui hucuſque cum eo meruerat. Præterea primam poſt regem præfecturam, præter hæc alias quoq; conditiones regi potius imponere, quam ab eo petere volebat, Quæ omnia tum contra honorem, regiſq; decorem, tum Scanderbegi dignitatem erant. Et tandem ipſe multis conuitijs, opprobrijs, atque contumelijs, tam in regem, quàm in reginam, prorupit. Quæ quanquam

Scanderbeg Fuſiano loquitur.

Superbum Fuſiani reſponſum.

omnia

omnia Scanderbegus ægreferret, cōcoquere illa nō valens, ira atq; indignatione valde cōmotus, manus in eum inijciens apprehendit. Ad quem Scanderbegani milites confeſtim conuolantes, ſine motu & reſiſtentia Fuſianorum in vincula coniecerunt, ſecumq́; abſtulerunt. Qui quum ſe captiuum Scanderbegi eſſe perſpexiſſet, veritus ne in manus regis traderetur, ſtatim à Scanderbego conditiones petit, dixitq́;, ſi ab eo libertatem & incolumitatem conſecutus fuiſſet, vrbem Trani cum eius arce liberè & expeditè in poteſtatem ei daturum. Quo facto, & fide data, ingreſſus Scanderbegus cum copijs ſuis quiete, paciſiceq́; in vrbem, capta eius poſſeſſione, impoſitoq́; ibidem præſidio firmiſſimo, Fuſianum à vinculis ſolutum libertati tradidit atq; conceſſit. Qui cum omni ſuppellectili & familia ſua nauim aſcendens, magno cum honore atq; beneuolentia à Scanderbego diſcedens, è portu Trani in Siciliam adnauigauit. Caſtriotus verò victor, regis exercitui coniunctus eſt. Poſtquam igitur omnia in regis ditionem & poteſtatem venêre, & vniuerſum regnū ac imperium pacatum tranquillumq́; effectum, & omnis timor & tumultus in prouincia ſedatus eſt, rex cum Scanderbego impoſito vbiq; locorum firmiſſimo præſidio, ouantes poſthac ad regiam vrbem ambo reuerſi ſunt. Interea Oratores Pij Pontificis, ducis Mediolani, ac omnium ferè Italiæ Principum, cum ingenti gratulatione, maximiſq́ue donis ac muneribus ad regem Ferdinandum, & Scanderbegum peruenerunt. Verumenimuero, Pius Pontifex ſummus longe maiora atque excellentiora Albano Principi donauit. Non enim auro tantum & argento, ac temporalibus rebus, boniſq́;, ſed etiam ampliſſimis priuilegijs, & alijs ſpiritualibus beneficijs, ornauit, decorauit, accumulauitq́;, promittens ei, vt cum primum ipſe in Epirum & Macedoniam, cum expeditione, & exercitu Chriſtiano aduerſus Turcas traieciſſet, quod breui ſe facturum propoſuerat, non ſolum diademate impoſito regem illum Epiri, Macedoniæ, Thraciæ, totiuſq́; nouæ Romæ declaraturum, verum etiam vniuerſo Chriſtianorum exercitui, & cruceſignatorum copijs omnibus præfecturum, prępoſiturumq́;. His exactis iam annus agebatur, ex quo Scanderbegus cum copijs & exercitu ſuo in Apuliam traiecerat. Videns igitur iam bello Apulo finem impoſuiſſe, regem Ferdinandum in ſedem & imperium collocaſſe, reliqua omnia in prouincia ex voto abſoluiſſe, volens in Epirum cum exercitu ſuo redire, transfretareq́;, ſuper multis prius cum Rege collocutus eſt multa. Exhinc Ferdinandus verò antequam Scanderbegum à ſe dimitteret, conuocatis omnibus caſtrorum Principibus, & præfectis in concionem, ſic eum eſt allocutus: Etſi vnquam, Scanderbege, Princeps illuſtriſſime, nomini tuo deditus fui, nunc verò in præſentiarum permaximè tibi deditiſſimus ſum: plura etenim profecto, ac ſupra quam de te dici & prædicari ſolet, ego coram re ipſa & vidi, & iam expertus ſum. Nec

Scanderbeg vrbem Trani accipit.

Fuſianus abit in Siciliam.

Oratores Pij Pont. & aliorum Principū ad Scanderbegum.

Colloquium Regis Ferdinādi & Scanderbegi.

Oratio Ferdinandi, plena laudum Scanderbegi.

mirum, cum tu huiuſmodi progenitoribus, & loco originem traxeris, inuictiſſima ſiquidem Epiro, ſiue Albania, quæ quondam Macedonia dicebatur, in qua tot generoſiſſimi & inuictiſſimi Principes, tot fortiſſimi & ſtrenuiſſimi duces, & Imperatores orti, in ea ſemper floruerunt, qui vel totum terrarum orbem armis acerrimè pugnando ſubegerunt, quibus poſtea ſucceſſiuè progenitores tui, tuq́; inuictiſſime Princeps, diuinitus, & tanquam cœlitus demiſſus, ſucceſſiſti, quo tot tantaq́; præclara, & propemodum immortalia pro re Chriſtiana gereres, & fidem catholicam, orthodoxamqúe defenderes, illuſtrareſq́;. Quid in primis de te, tuiſq́; rebus præclariſſimis, Princeps ſereniſſime, commemorem? quomodo tu admodum puer apud Amurathem Turcarum Principem à parente tuo in obſidem cum fratribus



tuis datus, ab eoq́; poſtmodum præfectus copiarum creatus, validiſſimos hoſtium exercitus tam in Aſia, quàm in Europa fudiſti, profligaſtiq́;. Quomodo tu coram eodem Ottomano Principe, à fortiſſimis viris, & ſtrenuiſſimis ducibus ſingulari certamine prouocatus, præclaram egregiamq́; victoriam ſemper reportaſti. Quomodo ingenio tuo ſingulari & prudentia omnes eius inſidias fictas, ac ſimulatas fraudes, quas ſæpe ſæpiusq́; in mortem tuam molitus fuerat (extinctis tamen ille prius veneno fratribus tuis) fortiſſime, egregieq́; ſemper euaſiſti, ac eximia arte illa tua, animiq́; inuicti celſitudine vniuerſum regnum tuum auitum, & paternum, breui temporis interuallo è manibus eius extorſiſti, tibiq́; præclarè vendicaſti. Quomodo tu tot fortiſſimos, maximoſq́; exercitus, & innumeras eius copias, parua (vt ita di-

ita dicam) manu in fugam conuertiſti, duces & Imperatores cæpiſti, & obtruncaſti ipſum quoq; Amurathem Principẽ, qui in te, copijs ſuis omnibus & maximis irruerat, tandẽ ad durã, turpiſſimamq; mortẽ compuliſti. Omitto præterea, quomodo tu ingẽtes munitiſſimosq; exercitus Mahumetis Principis, qui tot & tanta mala ac damna, tot iniurias ac cõtumelias Chriſtianis, & Catholicæ fidei intulit, fortiſſimè debellaſti. Tu ille Scanderbege Princeps es, qui tum tua, tum tuorum ferè omnium confeſſione, qui tecum omnibus expeditionibus & pugnis ſemper interfuêre, ſupra tria millia Turcarum propria manu pugnando ſolus obtruncaſti. Tu es, inquam, Principum inuictiſſime, quo in re tumultuaria & ſubita promptiorem neminem, celerioremq; neminem vllus vnquam vidit. Ideo te ſæpius dixiſſe memini, multitudinẽ imperantium nullo pacto laudandã, quod propter ſententias varias, & diſſenſiones, ſæpius Reſpublicæ magnas calamitates paſſæ eſſent, præſertim cum in bello, req; ſubita mature facto opus ſit. Nam bellorum neceſſitates humana conſilia, & cunctationes non expectant. Comparare enim ſoles multitudinem imperãtium, & vnius principatũ duobus animalibus, quorum alteri plura eſſent capita, alteri verò vnicũ tantum, quæ cum venatorũ iacula fugerent, pariterq; truncũ arboris vetuſtæ ingreſſæ, à venatoribus circumdatæ, nõ inde aliter extrahi poſſent, niſi adhibito igne, accenſoq; trunco. Beſtia cui vnũ caput erat, ſubito & feſtinato conſilio in fugam ſe conuertit, & in locum tutum ſe recepit. At cui plura erant capita, diu cogitans, quo pacto ſibi ſalutem vẽdicet, igne correpta, ſtatim abſumpta fuit. Idem Reipublicæ, ſiue populari frequenter accidere dicis, quæ longo ambitu ſententiarum atq; conſiliorum diſtractæ cadunt, labunturq;. Ex quo optimum tibi ſemper eſt, ſi ab vno Principe ſapientiſſimo cuncta regerentur. Tu ille, inquam es, cui toties æquo campo, collatisq; ſignis cum hoſte congredi contigit. Verumenimuero alias quoq; virtutes tuas, inuictiſſime Princeps, taceo, aliaq; complura egregia, ac diuina propè facinora, quæ commemorare longum eſſet, quibus cum omni vetuſtate, vnus ætate noſtra facile potes contendere. Venio tandem ad ea, quæ nuper ipſe oculis meis perſpexi. Nam quum tu, Principum inuictiſſime, omni ſublata mora iſtuc ad nos nauigaſti, conuolaſtiq;, & hoſtis, qui nos vallo, & obſidione iam cinxerat, nomen tuum tantũ audiuiſſet, priuſquã te vidiſſet, derelicta vrbis obſidione, fugã arripuit, quo timorẽ de te ſuum cunctis indicauit. Quem tu poſteà perſecutus, eximia virtute tua, & ſingulari ſcientia, tuorumq; ducum, & militum incredibili fortitudine, collatis æquo campo ſignis, iuſto prælio ſuperaſti, profligaſti, inſignemq; de eo victoriam & triumphum reportaſti. Me ingenti honore, laude, & gloria in regiam ſedem repoſuiſti, vniuerſum regnum, & imperium breui mihi pacatum, atque tranquillum reddidiſti. Proinde quo fructu, qua mercede, quo præmio, quo honore, quibuſuè meritis

Scanderbeg ſua manu tria millia Turcarum occidit.

Multitudo imperantiũ non laudanda.

Optimũ ſi ab vno ſapiẽtiſſimo Principe cuncta regantur.

meritis, tot, tantisq́ tuis in nos officijs ſufficiam, non video, vel quonam pacto argumentum aliquod non ingrati animi aperiam tibi, non reperio. Regnum itaque meum, & imperium, quicquid mihi eſt, quicquid habeo, poſſideoúe, quicquid ero, quum à Deo diſceſſerim, ad te refero, conditoris, parentis loco mihi ſemper eris. Omnia igitur noſtra, vitam quoque, animam ipſam, & ſi quid altius & potentius in anima latet, in tua manu & poteſtate eſſe exiſtimato. Jus omne, imperiumq́ noſtrũ, tibi tuisq́ ſemper commune, nihil à te diuiſum, nihil ſeparatum, æqua nobis vtriuſq́, pariq́ lance atque proportione ſit regnandi poteſtas. Poſtquàm rex his finem fecit, ſupplicationes decretæ, lectiſternia, puluinaria, turribulis cum incenſo ante ianuas poſitis, omni effuſa ciuitate erecta atq́ parata. Alia quoq́ diuina Deo optimo, immortaliq́ pro victoria peracta atq́ perſoluta ſunt. Poſt hæc haſtiludia, certamina cuiuſcunque generis, venationes, alia quoq́ ſpectacula

Ferdinandus rex, parẽtis loco habet Scanderbegum.



ædita. Quibus omnibus peractis, Rex omnes ferè Scanderbeganos milites, vnumquenque varijs ac diuerſis donis & muneribus ornauit, decorauitq́. Sed præcipuè & in primis ipſum Scanderbegum Principem, quem & patrem ſemper in poſterum appellauit. Cui præcipuo amore, ac ſingulari beneuolentia, præter ingentem auri atq́ argenti copiam, equosq́ Italicos loricatos, ſeu cataphractos, cæteraq́ arma, dona militaria egregia ac precioſa, vrbem Trani, & duo nobiliſſima, ac munitiſſima oppida in regno Apuliæ dono dedit. Quorum alterum mons Garganus dictus, vbi præclara vrbs Simpontum, ac venerabile templum in diui Michaelis honore conditum eſt. Alterum verò quod diui Iohannis Rotundi appellatur. Quam quidem

Mons Garganus.
Simpontum.
Diui Iohannis Rotundi.

quidem vrbem & oppida Rex Scanderbego, & eius filijs ac poſteris, cum omni agro liberè dedit, atq; perpetuo poßidenda, fruendaq́; conceßit. Pace igitur per vniuerſam Daunia Apuliaq́; regionē, terra, mariq́; parta, Scanderbegus magna parte exercitus ſui & militum, ad naues, & triremes, quæ in portu Trani erant præmiſſa, ipſe deinceps in mutua crebraq́; cum rege oſcula profuſus (emanantibus vtrisque lachrymis) ab eo diſceßit. Qui à compluribus principibus & ſatrapis regis comitatus, per lætam pace non minus quàm victoria Dauniam, effuſis non vrbibus modo, ad habendos honores, ſed incolarum, & aggreſtium turba, obſidente vias, ad mare, in portum peruenit, & veluti triumphans naues aſcendit, & expectata proſpera nauigatione vento ſecundo, mox è littoribus Apuliæ ſoluens, nauibus Dyrrachij portum partim, partim portum quendam, qui ab incolis caput Lachi dicitur, applicantibus, ſaluus & incolumis cum vniuerſo peruenit exercitu. Inde expoſitis copijs omnibus, lætus & feſtiuus per Epirum, effuſis vndique vrbibus, & agreſtibus, ingenti plauſu, & lætitia procurrentibus, omnium regiam vrbem Croiæ inuectus eſt. Vbi omnia læta & proſpera inuenit, ad quem quotidie nouæ gratulationes, noui Oratores, cum donis & muneribus ex ſocijs, regulis, & principibus confluebant. Caput Lachi.

Et hic finis belli Apuli, 17. anno regni Scanderbegi, qui inſignis, & lætus fuit.

bb MARINI

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS, Liber Vndecimus.



DVM Scanderbegus in Apulia moraretur, antequam transfretaſſet, & induciæ pacis factæ inter ipſum & Turcarum Principem finirentur, Mahumetes per id tempus ſecunda vſus eſt fortuna. Is enim non parua additamenta regno & imperio ſuo fecerat. Nam multa tam à Græcis quàm à Mahumetanis in Aſia atq; Europa abſtulerat. Inflatus itaq; Barbarus tanto rerum incremento, ad Scanderbegum opprimendum (ad quod animũ ſuum ſemper intendit) conuerſus eſt, contra quem Synam præfectum ſuum cum viginti millibus miſit v,t improuiſus eum adoriretur. Sed Scanderbegus ſubito ab amicis præmonitus, cum octo millibus equitum peditumq; illi occurrit, & montẽ quendam, qui Mocres dicitur, quo ipſe Synam cum exercitu ſuo tranſiturus erat, nocturno tempore præoccupauit, quem ex improuiſo aggreſſus, cum omni exercitu ſuo fudit atq; diſsipauit, quorum maior pars, amiſsis ſignis & impedimentis, cæſa eſt, ipſe verò Synam vix cum paucis aufugit, multi ex Barbaris, qui viui capti fuêre, pecunijs redempti ſunt, quas Scãderbegus ſimul cum

Syna, præfectus Turcę, cũ viginti millibus vult Scanderbegum inuadere.

cum reliquis ſpolijs, & impedimentis militibus ſuis donauit. Per idem quoque ferè tempus Aſſambegus citra Ocridam 30. millibus ſuperatus, vno tantummodo eodemq́ memorabili prælio, vel proſtratus potius, Scanderbegi non clementiam minus, quàm bellicam virtutem ſenſit. Pugnans enim ipſe acerrime, & omnibus circa ſe corporis ſui cuſtodibus occiſis, equo quoque, ſed non lætaliter confoſſo, & ipſe vulneratus eſt ſagitta dextro brachio. Et quum in ea rerum omnium difficultate, tum tantæ cladis ſuæ recenti memoria, atque ſpectaculo, tum vulneris dolore, & quod maximè cætera augebat mala, nocte ſuperueniente obrutus, paucis circa ſe ex reliquijs ſuorum apparentibus, prout enim ſors quenq́ fugaq́ hoſte inſequente tulerat, ſe receperant atq́ latitabant lucem expectantes. Multi tamen hoſtem magis, quàm nocturni incommoda itineris timentes, cum tenebris ipſis in tutiora loca euaſere. Ille in monticulo quodam vel ſylua potius, non longe à noſtrorum finibus, à caſtris verò quatuor paſſuum millibus ſe recepit, rerum omnium, ac viæ lociq́ ignarus, ſed non diu ſagacitatem Epirenſis militis latuit. Antelucanus enim explorator cum omnia perluſtraſſet, atq́ obſeruaſſet, ad ducem illico conuolans, rem omnem aperit. In hoc tantummodo deceptus, quod propter opacitatem loci, & arborum denſitatem, maiorem hoſtium numerum fore credidit, affirmauitq́, ita vt Scanderbegus ipſe equum conſcendens, ad eas victoriæ reliquias expediendas conuolaret, equitatu ferè omni ſequente. A longe venientem Barbari conſpicati, & mœſti omnia mœſtiori duci exponentes, in conſilio eius non militare fortaſſe, imperatoriumq́, neceſſarium tamen, atq́ ſalubre conſilium ineunt, vt inermes omnes peditesq́ victori obuiam progrederentur. Et ita dux autorq́ conſilij multo deformatus cruore, ac ſqualore obſitus, nō Marco Antonio abſimilis, ad Lepidum ex Mutinenſi clade illa fugienti, primus ante ſuos vadens, & ducis noſtri habenas apprehendens, ſola ac præclara voce illa, ſe ſuosq́ omnes ſaluauit. Immò & cultorem vix credibilem calamitatis ſuæ inuenit, ô Scanderbege, clamitans, quò tendis? in quem ſtrinxiſti ferrum? in quem ſpicula direxiſti? Non ſemper vincere decorum, non glorioſum eſt, vinci patiare interdum, vinci patiare. Ita victus melius, quam victor vinces, & laudabilius clementiæ tuæ, quam hoſtilium triumphos exercituum atq́ victoriarum numerabis. Subridens (vt moris ſui erat) Epirota, & ad ſuos conuerſus: Nihil, inquit, mala fortuna acutius: nihil neceßitate prudentius, quàm ſcitè, quàm eleganter victi loquimur, quæ nunquam ſciremus victores, & hoſtilem quoq́ manum apprehēdens, bono animo eſſe iubet, neq́ enim quicquam vel crudele, vel ſeruile paſſurum. Deinde à ſe dimiſſum coli curariq́ accuratißimè iubet, & neceſſarijs omnibus adiutum, à quibuſdam ſuorū in tutißima loca deduci. Quid enim per Deum immortalem pulchrius, quidúe laudabilius, quàm profligato hoſte, atque

Aſſambegus cum triginta millibus ſuperatur.

Conſilium, vt inermes o[illegible] nes ac ped[illegible] victori obui[illegible] procederent.

Vincere non ſemper decorum.

proſtrato, in calamitate, atq; miſeria poſito, conſtitutoq́; illius ſcire, atq; miſereri velle. Ipſe cum exercitu hincinde obequitans, vbi omnia inſidijs tuta cognouit, in caſtra ſe, & demum non longe à Croia recipiens, reliquam victoriæ lætitiam atque voluptatem eſt ſecutus. Juſſumbeg quoque eiuſdem & iter, & fortunam paucis poſt diebus imitatus eſt, eo præſertim cladi iniuriæq́; obnoxior, quo militum numero pauciore, hoſtem & victorem, & cruentum adhuc tentauit. Nam cum 18. millibus Scopiam ingreſſus, Epiri quoque interiora penetrare conceperat animo, non tot ſuorum cladibus, non recenti Aſſambegi ſtrage ſatis edoctus atq; perterritus. Scanderbegus eius aduentu audito, miratus tantam hominum velut certam obliuionem, vel ſanguinis ſui ſitim, ad milites conuerſus inquit: Agite dum commilitones mei, gens laboribus, vel victorijs potius nata, prodeamus obuiam nouo hoſti, nouo imperatori, honoremus hominem nos, mihi credite, primo congreſſu honoraturum. Acclamationes vndique auditæ, & caſtris motis miles ſecutus. Vbi iuxta Scopiam deuentum, exploratoribus præmiſſis Epirenſis, ſigno belli dato, in hoſtem effuſis vndique habenis irrumpit. Irrumpentem Barbarus non animis, non conſilijs ſatis ad pugnam paratis, tumultuandi potius quàm confligenti ſimilis excepit. Nunquam tantum ſui contemptum, nunquam tantam hoſtilem audaciam



ratus, vt ſic longe fines ſuos egreſſus cum hoſte, & in hoſtilibus locis fortunam belli experiretur. Vbi neque victus euadere, vel copias reparare, neque victor ſatis tutus foret. Itaque primo fermè impetu Juſſumbeg & animo & viribus fractus, fugam arripuit. Idem reliquus exercitus non

multis

multis vix trecentis amiſsis, reliquos inordinatos & palantes, eques noſter inſecutus, clade inſperata afflixit, quum tutam fugam in ſuis locis credidiſſent, & cæſorum corporibus duorum amplius millium numerum repleuit. Pauci viui capti propter ducendi incommoda, ne impetus ab agreſtibus fieret, & viæ longinquitatem. Juſſumbego copias inſtaurare paranti, & inſidias quaſdam molienti hoſti, milites non aſſenſere, ſed fugam ſecuti ingrati magis redire Principi, quam non redire maluerunt, recenti à Scanderbegi clade exemploq; ſatis excuſati. Sed nunquam ſucceſſor tantorum periculorum, nunquam hoſtis Scanderbego defuit.

Carazabeg multis copijs aduerſus Scanderbegũ properans, ignominioſe, turpiterq; terga vertens abijt, fugamq; arripuit.

Carazabeg quendam Aſiaticum multis expeditionibus celebrem virum, & ſenem, iam ingentis apud Mahumetem autoritatis, prout apud patrem Amurathem fuerat, gloriæ huiuſce dulcedo exagitabat, qualis iuuenes ſolet, vel mala fortuna potius, quæ ſemper magnis atque claris viris in inſidijs moratur, vt omnem veterem gloriam, & promeritos eouſq; triumphos Epirotica clade deformaret, vtpote quem neque Aſſambegij recens infamia, ſpectaculumq; nimis opprobrioſum, neque reliquorum idem fortunæ tenor, idem ad eam diem fortunæ curſus moueret. Is ad Mahumetem accedens: Accumulaui, inquit, hucuſq; ſub te, patreq; tuo, Princeps mi ſplendidiſsime, totidem ferè triumphos quot annos, nunc & horum, & illorum obliuio quædam, ac nauſea velut me præ tot Scanderbegi victorijs, tot cladibus noſtris, tanta Epirotica inſolentia cœpit. Stat hodie mihi emerito iam militi, ſeniq;, omnia in alea ponere, & aut ſceleratiſsimum illum & ingratiſsimum Ottomani olim captiuum domus, nunc Epiroticarum ſordidum regem, tot cæſorum exercituum tuorum, tot cæſorum imperatorũ debitorẽ viuum, vel mortui cadauer ad hoſce protrahere pedes, aut gloriam eius hac ceruice, hoc iugulo magis magiſq; illuſtrare. Militem itaq; ex ſententia mea conſcribi permitte imperator, & delectum fieri. Ego omnia nõ velut dux, ſed miles atq; paſtor hiſce tractabo manibus, & in eligendo, & in inſtruendo exercitu ſolus omnium officia obibo. Bellum enim cum prædonibus eſt, cum maximo inſidiarũ artifice, & multis elato victorijs, multis ſaginato ſpolijs, prædaq;. A Mahumete conceſſa omnia, & ad ſupercilium (vt aiunt) eius relata, immo & decem hominũ millia addita. Ipſe enim 30. tantummodo ſcriptis collectisq; ad tantam rem conficiendam iam exploratores quoſdam præmiſerat. Neq; à Scanderbego deerat id procurationis genus per prouinciam vniuerſam, non Epiri ſolum, ſed Macedoniæ & interiora quoq; atq; penetrabilibus ipſius hoſtilis terræ. Quare Carazabegi iter tempeſtiuè prænunciatum, ita vt apparari omnia à noſtris aduerſus eam periculi molem commodè poſſent. Sed Scanderbegus eis auditis, (vt ferunt) dixit: Ducem magis quàm totum exercitum timerem, ni ſenex eſſet. Melius ſibi conſuluiſſet Carazabeg noſter (notiſsimus enim illi, &

Sentẽtia Scanderbegi de Carazabeg.

bb 3 contu-

contubernalis fuerat in quadam Aſiatica expeditione ſub Amurathe) ſi ætati ſuæ, ſi fortunæ identidem pepercißet defatigatæ iam propter tot conceſſos ſibi triumphos, tot diſpenſatas victorias. Agedum tamen neque quinquagenarius effectum iam ſenem formidabo, quem infans penè olim iuuenem contempſi. Paratæ igitur illico copiæ, immo & plures quam aduerſus Aſſambegum conſcriptæ propter famam ducis, & peritiam inſignem in rebus militaribus. Et mox per Dibras in Triballorum vſque fines (inde enim aduentus eius nunciabatur) duobus equitum millibus procurſum. Qui in circumfuſis montibus de more latitantes, & hoſtem medium claudentes, magis opportunum iniuriæ cædiqúe haberent. A Barbaro quoque præcurſorum quatuor amplius millia miſſa, reliquum exercitum in Macedoniæ loco quodam, cui Chieri nomen eſt, expectare iuſsit. Sed à noſtris quibuſdam detecti, & oppreßi multi, occiſiq́, reliqui in fugam conuerſi, nuncium Carazebego deguſtatæ iam cladis attulerunt, antequam in Epiro appropinquaſſet. Ille itaque vt ſenio & morbo quodam æger erat, partim eo nuncio aliquantiſper confuſus, magis animo corporeq́ defecit, dolens non tantum iacturam amißi militis, quantum detectum ſe hoſtibus. Multa itaque nequicquam cogitans ſecum, vtrum iter ſequeretur, an iterum Conſtantinopolim rediret, in vernum tempus reuerſurus, erat enim in fine autumni, pudore demum vincente, bellum differri non placuit. Et eo biduo iter ferè omne emenſus, prima noctis vigilia in planicie quadam, noſtri Liuad appellant, caſtra fixit, & omnibus per noctem peractis, inſtructisq́ ad pugnam, mane Scanderbego nuncium mittit, rogans vt collatis ſignis, non prædonis more decertare vellet. Epirenſis anum vetulamq́ appellans, mox ſe reſponſurum dixit. Et ita dato ſigno irrumpit in hoſtem nondum paratum, ſed conſultantem quaſi adhuc, vt mos ſenum eſt: tamen pluuia ingenti in ipſis quaſi pugnæ auſpicijs ſuperueniente, facile diremptum, & nihil memorabile geſtum. Nam toto eo triduo tanta aquarum copia inundauit, quod niſi Carazebeg in montana loca mouiſſet caſtra, non ſine naufragio ſuorum res pertranſiſſet. Iumenta tam multa periêre. Barbarus prodigium quoddam ratus, & opus & operam (vt aiunt) vnà dimittit, & vbi primum per eam tempeſtatem licuit, paulatim ſe noſtris ſubtrahens, Epirum deſeruit, cum vere ipſo repetiturus, ſi fata credulo permittant ſeni. Qui cum reliquo exercitu ad Mahumetem perueniſſet, reprehenſum primo ab eo acriter fuiſſe ferunt, dehinc collaudatum, quod exercitum ſaluaſſet. Videns autem Mahumetes Scanderbegum armis expugnari nullatenus poſſe, excogitauit eum dolis inſidijsq́ (ſi poſſet) circumuenire, & Ottomana fraude ſeducere. Itaque nuncium ſuum cum muneribus, & huiuſmodi literis ad Scanderbegum direxit:

Chiere.

Liuad.

Scanderbeg Carazebeg vocat anũ & vetulam.

Mahu-

Mahumetes Begus, Amiræ Soltanus, omnium mundi partium, Orientis atque Occidentis Dominus & Imperator, Scanderbego Albanorum, Epirotarum Principi S. P. D. Nullam puto Scanderbege mi, arctiorem neceſsitudinem eſſe, nullam firmiorem amicitiam, quam quæ à longa conſuetudine inuicem, & aſsiduo victu emanauit, præſertim ſi ea ſit à puerili, & tenella ætate inita, vt nobis vtriſq́; contigiſſe non ignoras. Qui ambo à teneris (vt aiunt) vnguiculis in regia patris mei cum obſes apud Mahumetis nuncius cum muneribus ad Scanderbegum.



eum eſſes, diu vnà vitam traduximus, incredibiliq́; amore atq́; beneuolentia, vel omni temporis momento tenebamur. Cum igitur Scanderbege mi, hæc omnia, & alia, quibus illa ætas noſtra delectabatur, in memoriam reuocem, præter hæc memor ego omnium, quæ tu pro imperij noſtri, ac Ottomanæ familiæ, & regni gloria, amplitudineq́; ſemper geſſeris, quibus equidem non ſummopere te, & amore, & affectu quodam ardentiſsimo proſequi debeo. Teſtor enim Deos, nihil mihi gratius, nihil in vita iucundius contingere poſſe, quam te apud me habere, tuoq́; aliquantulum frui conſpectu. Nec de aduentu ad me tuo quicquam pertimeſcas. Quod pauloante milites mei in regnum tuum irruperint, illudq́; deprædati ſint, ij iniuſſu id, & extra imperium noſtrum fecêre. Itaque ſicut debui, maxime moleſte tuli. Neque diſplicuit vllatenus illos ab exercitu tuo cæſos & profligatos, ſcelerum ſuorum pœnas ſoluiſſe, remq́; tibi (qui iuſtam fouebas cauſam) ex animi ſententia ceſsiſſe. Verum his omiſsis, reuocata in medium priſtina amicitia, & beneuolentia noſtra, facile in hanc ſententiam ſum adductus, vt inuicem componamus, & perpetuo inter nos confœderemus, quo per-

uetius

uetus amicitia, & neceſsitudo illa noſtra, quæ propter diutinam vtriuſque abſentiam penè abolita reuiuiſcat, augeatur, confirmetur (ſi non iniquæ videntur omnino) hæ ſint pacis noſtræ conditiones, ſcio enim eius qui non petit eſſe, leges dicere pacis. Primum enim eſt, quod à te petimus, vt exercitum noſtrum per agrum & regnum tuum ad Venetorum vrbes infeſtandas, & agrorum depopulationes liberè & impunè tranſire permittas. Vt Iohannem filium tuum nobis in obſidem tradas, quem vt vnum ſemper ex filijs habebimus. Vt mercatores & negociatores noſtri regnum tuum cum mercimonijs ſuis vbique permeent atq; percurrant, & ſecuri atq; immunes negociari valeant. Præterea vt tu ipſe ad nos ſecurus & intrepidus accedas. Quibus rebus ſi ad nutum noſtrum obſecutus fueris, regia tibi fide, regnoq; tuo veram pacem, perpetuamq; tranquillitatem obſeruare pollicemur. Neminemq; apud nos vel fideiuſſorem, vel chariorem te vnquã futurum. Regnumq; tuum ab vllis vel meorum, vel alijs hoſtilibus armis, pro viribus noſtris vexari nunquam permittemus. Quæ verò ex ore nuncij huius noſtri, & Oratoris Muſtaphæ recognoueris, plenam his adhibito fidem. Vale. Ex Cõſtantinopoli regia noſtra, VI. *Non. Maij,* M. CCCCLXI. *à generatione Ieſu.*

Conditiones pacis inter Turcam & Scanderbegum.

Mahumetis literis perlectis, Scanderbegus duces ſuos, & caſtrorum præfectos omnes in concionem conuocauit, vbi propoſuit, quid agendum, an Barbaro obtemperandum, & cum eo pacem ineundam: quibus omnibus placuit, vt icto fœdere cum Ottomano componeretur. Quare id nõ mediocri commodo honori, & gloriæ Scanderbego fore videbatur. Cum Mahumetes Princeps, qui tot regna & imperia poſsidebat, tot gentibus & vrbibus imperitabat, tantoq; fortunæ afflatu ad id rerum faſtigij prouectus erat, pacem à Scanderbego peteret, ex quo ab omnibus vnanimiter decretum eſt, quod reiectis cæteris conditionibus à Mahumete petitis, vnica duntaxat, pacem ei concedendam, vt mercatores vtriuſq; hincinde immunes & liberi negociarentur. Quo facto, literæ ad Mahumetem in hunc modum datæ ſunt.

Literæ Caſtrioti ad Turcã de pace.

Athleta Chriſti Georgius Caſtriotus, aliâs Scanderbeg, Albanorum Epirotarumq; Princeps, Mahumethi Turcarum Principi S. P. D. Redditæ ſunt nobis literæ tuæ, Princeps illuſtriſsime, quibus ſcribis, te maximo in me amore, miraq; animi beneuolentia affectum, quod teſtimonio antiquæ illius conſuetudinis noſtræ comprobari dicis, quæ longo inter nos vſu coalita, & radicitus nixa, & in naturam conuerſa, vim ſemper & robur obtinebit. Verum quia propter longam, diutinamq; inter nos veluti conſopitam à ſomno excitare viſum, vt quoddam pacis vinculum, & nouam fœderis compoſitionem iniremus, cuius has conditiones propoſuiſti, vt exercitus tuus liberè per regnum meum iter ad Venetorum agrum depopula-

pulabundum habeat. Cui quidem petitioni tuæ Mahumetes Princeps conſentire me neq; ex æquitate foret, neq; ex dignitate mea, cum Veneti & confœderati mihi, & neceſſitudinis vinculo valde ſint aſtricti. Illud verò, quod Iohannem filium meum apud te pro obſide habere deſideras, quo pax inter nos firmior permaneret: facerem id fortaſſe, neque inuitus, Princeps Mahumetes, ſi paternus pateretur affectus. Sed cum vnicus ſit nobis, & ætate tenellus, nunc à parentum abduci complexibus, cum muniri, noſtriſq; moribus imbui debeat, neq; illi, neque nobis conducibile videri poteſt. De mercatoribus tuis quod exigis à me, vt quacunque voluerint, liberè poſſint, & immunes per regnũ meum negociari. Iſtud ipſum & duces ac præfecti mei omnes comprobant, & admittunt. Egoq; vnum maxime deſidero, vt merces & negocia vtriuſq; noſtrum liberè poſſint hincinde prouehi, atq; expediri. Ad hæc hortaris me ſummopere, vt adeam te, idq; & intrepidus, & ſecurus, quo mutuo aſpectu, conſuetudineq; tam diutinæ abſentiæ noſtræ deſiderium repleatur. Laudo in hoc, Princeps optime, ingenij tui bonitatem, laudo naturæ liberalitatem. Amplecterer itaq; audacter conſilium tuum, ſi id per negocia mea & regni gubernationem, integrum nunc mihi eſſet. Sed quid faciam? Eſt (vt iam dixi) Iohannes filius paruulus admodum, & ad imperij gubernacula minime idoneus. Eſt gens mea (vt ſcis) ocij impatiens, & populi feroces, & indomiti, quos regere vel ipſi mihi perdifficile eſt omnino. Adibo tamen te prout iubes, commodiori duntaxat veniendi tempore captato. Vale, meq; ama. Ex caſtris noſtris, III. Kalend. Iunias, M. CCCCLXI.

Ioannes filius Scanderbegi.

Miſſis ad Mahumetem Scanderbegi literis, hiſq; continuo perlectis, mox Barbarus ipſe alias huiuſmodi ad eum dedit.

Mahumetes Begus Amiræ Soltanus, omnium mundi partium Imperator, Scanderbego Principi Albanorum, Epirotarumq;, S. P. D. Dediſti Muſtaphæ nuncio, & Oratori noſtro literas tuas ad nos, quibus ſcribis, nullam ex pacis noſtræ conditionibus, quas propoſueramus tibi, præter vnicam tantum de mercatoribus & negociatoribus noſtris placuiſſe, vt liberè ſcilicet hincinde, & ex arbitrio merces ac negotia ſua deuehere & expedire poſſent. Hacq; tantum lege pacem polliceris mihi, idq; ex voluntate dicis, & mente tuorum eſſe. Amplector ipſe voluntatem iſtam tuam. Excuſationes cæteras æquo animo admiſi. Polliceor itaque tibi Scanderbege mi, in meq; recipio omnia quæ petis, & menti tuæ, tuorumq; inhæreo. Pacem ſanctam, inuiolabilem, perpetuo tibi (quoad nobis vita ſupererit) ſeruaturum polliceor, ni prior tu rumpendæ, violandæq; cauſam præſtiteris. Idcirco has noſtras, quas Muſtaphæ nuncio & Oratori noſtro ad te dedimus, ſigno meo imperiali & cõſueto obſignauimus, quo pacem iſtam perpetuo duraturam confirmemus. Ea propter tu quoq; (ſi placet) his noſtris

De pace inter Mahumetem, & Scanderbegum. De publicatione & eius violatione.

te ſubſcribas; & ſigillo tuo ſolito illas munias, quo mentem & voluntatem tuam ſimiliter habeamus. Iubeas præterea, vt vbiq; per regnum tuum iuſſiones & edicta fiant; quod & ipſe per vniuerſa imperij mei loca fieri præcipiam. Scias præterea me, quo amor iſte in te meus clarè omnibus innoteſcat, propria motum liberalitate, omnia quæ in Albania & Epiro vi à parente meo abſtuliſti, legitima tibi facere, vt ita illa poßideas, ac ſi tua, tuorumq; ſemper fuiſſent. In te igitur, tuosq;, omne ius, omnemq; poteſtatem, quæ mihi prius erat, transfero, vobisq; trado, concedo, atq; confirmo. Teq; deinceps in Principem Albanorum, Epirotarumq;, ſemper habebo, atq; idipſum appellabo. Nunquam in poſterum (vt fide regia promiſi tibi) armis te tuaq; vexabo, ni tu cauſa extiteris. Itaq; his ſigillo tuo appoſito, eas Muſtaphæ noſtro haud dubiæ fidei nuncio, ad nos perferendas dato. Cui quicquid ipſe retulerit, dixeritue, plenam, inuiolabilemq; fidem adhibeto. Vale, & in amore reſponde. Ex Conſtantinopoli regia vrbe noſtra, x. Kalend. Iulias, à generatione Ieſu, M. CCCCLXI.

Iam 40. præterierant dies, ex quo caduceator Mahumetis Principis, qui prius pro pace petenda ad Scanderbegum venerat, cum literis eiuſdem ad eam confirmandam, corroborandamq;, iuxta Scanderbegi mentem & arbitrium, ad eum iterum conuerſus eſt. Quas quum Scanderbegus accepiſſet, conuocatis ducibus & præfectis ſuis, coram eis legi iuſsit. Qui omnes pariter conſenſerunt, pacem firmandam cum Ottomano, aſſerentes id eſſe & honori Scanderbego, & regno eius maximo commodo ac vtilitati. Pax publicatur inter Turcam & Scanderbegum. *Quare percuſſo fœdere inter Scanderbegum & Mahumetem, pax vbique locorum per regna vtriuſque, ingenti omnium gaudio publicata eſt. Quæ quodamtenus ab vtriſq; fideliter ſeruata eſt. Verum poſtea Barbari, quibus nunquã fides, fœdifragi, violandæ pacis autores extitêre. Hi enim primum Scanderbegi fines inuaſerunt; indeq; maximam prædam abegerunt. Qua de re Scanderbeg cum Mahumete literis nuncijsq; conqueſtus eſt, qui ſe neſcire reſpondit, idq; ſe excuſando ægreferre ſimulauit, quod milites videlicet ſui nulla eius voluntate aut iuſſu id feciſſent. Itaque nonnulla ei reſtitui curauit. Sub eodem tempore, Barbari Venetorum agrum in Peloponneſo deprædati ſunt. Ex quo Veneti, qui cum Scanderbego confœderati, plurimumq; amicitia obſtricti erant, Gabrielem Triuiſanum Oratorem ad eum miſerunt, quem exhortabantur, & rogabant, vt Mahumeti Principi, qui prior fœdus ruperat, & fidem violauerat, iuſtum bellum inferret. Qui poſtquam ad Scanderbegum venit, coram eo, eiusq;* Oratio Veneti Oratoris, Paulíq; Angeli ad Caſtriotum. *præfectis ſic pro concione locutus eſt: Venimus ad te, Princeps inuictiſsime, non vt omnes ferè, qui eiuſmodi legationis obeunt munus, facturi accedunt, vt te laudibus extollamus, patriæq; tuæ dignitatem, & generis antiquitatem, necnõ rerum geſtarum, excellentiam mentis, præconijs celebremus.*

mus. Neque enim id cuiquam vel diſertiſsimo ex facili concedi poſſe contenderem, & alioquin præſentis ratio temporis, vt id decenter fiat, haud quaquam expoſcere videtur. Sed hortaturi potius, & admonituri, rogaturiq́; inſuper, vt mentis tuæ aciem, quæ procul ſemper intueri, & futura adhuc in occulto poſita perſpicere, & penetrare ſolet, ad impendens Reipublicæ Chriſtianæ periculum, ad pullulans iam & exoriens malū, moxq́; niſi cito occurratur, vniuerſam Europam inuaſurum, dirigere, & intendere velis. Certum enim tibi ſit, atq; exploratum, Princeps ſereniſsime, quod



perfidus & ſubdolus Tyrannus iſte, non alia ratione, quam ſumma perfidia atque ſimulatione pacem tecum inierit, cùm nullum Turcis, Epiroticoq́; generi naturale amoris commercium intendere poſsit, vt quo primum ſcilicet reliquos Reges, & Principes Chriſtianos tibi vicinos ſibi ſubieciſſet, (videbat enim à te, armisq́; tuis valde infeſtari, nec ea ſufferre poſſe) propagatis dehinc viribus, & imperio ſuo, in nos arma conuerteret. Jam vidimus poſtquam Barbarus iſte tecum pacem compoſuit, & ab armis viribusq́; tuis tutum ſe eſſe & quietum perſpexit, confeſtim arma ſua in Raſianos populos, & Triballos conuertit, eosq́; peſſumdedit. Deinde Jllyricos debellatus eſt, Thraces euertit. Græcis è regno deiectis, Trapezuntium imperium expugnauit, vires ſuas auxit, remq́; in maius prouexit. Nunc vero rupto pacis fœdere, omniq́; violato iure, in nos arma conuertit. Agrum tuum pariter & noſtrum longe lateq́; depopulatus eſt. Ecce Scanderbege Princeps, fides tibi à Barbaro quàm belle ſeruata bellum excitauit, arma intulit, iam ad pugnam prouocat te, & haud perplexè ſuam indicat voluntas-

luntatem atque furorem. Ferenda ne hæc æquo animo? Tacendum adhuc? Confidendum Barbaro? Standum promiſsis eius? Dum Chriſtianum nomen euertat, & nos funditus perdat, quum infœlix bellum tam ignominioſæ paci præferendum eſſet. Itáne igitur oblitum putas Barbarum turpiſsimæ illius paternæ mortis, quam ignominioſe ſubire à te compulſus eſt? Adde cædes, & calamitates exercituum, ducum, & imperatorum ſuorum abs te æditas. Cogitat hæc omnia rabidus & truculentus Mahumetes, animo continuè voluit, die noctuq́ præ oculis habet, vlciſci appetit, atque exoptat. Sed heu Princeps ſplendidiſsime, ſimulat, ſimulat (crede mihi) arte ſua Ottomana vtitur, machinatur aſsiduè, quemadmodum dolis, & inſidijs ſuis te capere, te circumuenire poſsit. Blanditus eſt hucuſque tibi, vt à bello deſiſteres, arma deponeres, quoad bellum conficeret, cæterosq́ Reges & Principes Chriſtianos tibi circumuicinos opprimeret, atque proſterneret, quorum nullum alium præter te videbat, qui armis ſuis poſſet occurrere. Nunc verò poſtquam omnes alios ſubiecit ſibi, & omnia ei ex ſententia ſucceſſerunt, ad te conuertitur. In te arma intendit, quo te cum omnibus Epiroticis, & regno tuo de medio tollat, & nos abſorbeat, & rabiem ſuam Barbaram expleat. Quid igitur amplius Princeps optime immorandum? Quid vlterius expectandum? Iam in eo res eſt, vt Mahumetes iſte aut hoſtis, aut dominus habendus ſit. Sumamus nos quoque aduerſus eum arma, vires viribus conferamus, exercitus adinuicem coniungamus. Bellum quo nos prouocat ei vltro inferamus. Agrum eius, vt par eſt, incendamus, diripiamus, nec patiamur tandem nos arte atque inſidijs eius circumueniri. Quippe quum nihil aliud molitur perfidus, nihil parat, quam ſeorſum nos opprimere, donec orba conſilio auxilioq́ res Chriſtiana, in manum eius ſine vlla dimicatione tradatur (Dij meliora) & deploretur in perpetuum communis omnium libertas. Quos ſi vnà coniunctos eſſe viderit, arma noſtra formidabit, vires perhorreſcet, vel ſi inſtare maluerit, omnino fortaſſe victus abibit. Sed ſi ſeiunctos animaduerterit, facili negocio obruet. Ita vnus eſt hodie potentiſsimus. Proinde non permittamus hanc peſtem, hanc contagionem, hunc morbum in Europa eſſe, cui niſi celerius occurramus, totam inficiet profecto atque contaminabit. Noſti enim iam Ottomanorum fraudes, noſti dolos, & inſidias, quibus omnia ſua expediunt, & quæque maxima perficiunt. Quis vnquam, Princeps inuictiſsime, valeat huius truculentiſsimi Tyranni ſcelera & flagitia commemorare? quibus vel omnes maiores ſuos longe ſuperat, qui vel domeſtico ac familiarium ſuorum ſanguine quotidie non ſatiatur, qui etiam rem noſtram Venetam aggredi totis viribus cupit, quæ (vt noſti) fidei Chriſtianæ ſemper columen, & propugnaculum fuit, vt ea demum concuſſa, fracta, atque euerſa, non Epirotas modo, ſed alias etiam Chriſtiano-

Veneti ę columen & propugnaculum fidei Chriſtianæ.

ſtiano-

ſtianorum nationes ſuppeditet atq; proculcet. Sed neque hoc ſolum ferus & immanis Tyrannus intendit, quamuis magnum ſit, & viris non tollerandum, verum vt fidem ipſam deſtruat, & quæ ſola via eſt ſalutis, hominibus interdicat. Errat enim, ſi quis Mahumetem regiones magis Chriſtianorum deuaſtare, depopulariq; velle exiſtimat, quam fidem ipſam conterere, & ab hominum cordibus euellere credit. Quid igitur? quid tandem bone Deus nos Chriſtiani ſperemus à belua iſta? qui & fide alieni, & omni viuendi genere ac ratione ab eo diuerſi, alieniq; ſumus. Itaque Scanderbege Principum inuictiſſime, Chriſti athleta & miles accelera, feſtina, tolle moras, tolle abs te & ceruice tua mala & pericula. Caue tibi, caue rei & imperio tuo, quum poſſis (potes enim ſi vis) priuſquam mala & pericula te obruant & euertant. Nam poſtquam tibi (quod abſit) euenerint, voles profecto & non poteris. Ideo (vt mihi videtur) longe tibi melius atq; facilius erit, ſi antea proſpexeris, quam poſt illatum (vt aiunt) ſuſceptumq; vulnus & ictum, remedium & medelã quærere velis. Conſule igitur, conſule mi Princeps optime quantotius, ne Mahumetis Principis rabies, peſtis, & contagio te inficiat, polluat, atque corrumpat, qui nihil certe aliud quærit, parat, atque molitur, niſi vt te pellectum ad fidem & crudelitatem ſuam, ad interitum & internecionem perducat, qui ſemper Chriſtiani nominis & ſanguinis inſidiator & effuſor, cui Chriſtiana orthodoxaq; fides ſummopere exoſa atq; inuiſa fuit, quã totis viribus die noctuq; prophanare, ſcindere atq; perdere ſtudet atq; conatur. Ad quam tutandã, protegendamq;, à furore immanitateq; rabidi truculẽtiſſimiq; Tyranni, te Princeps inuictiſſime, qui athleta & Chriſti miles vocaris, immo ſis, Princeps noſter, cum vniuerſo Senatu ſuo Veneto inuitat, inuocat. Aurum tibi, argentum, milites, & quicquid in huiuſcemodi expeditionibus opus eſt, abunde pollicetur & offert. Te igitur Princeps glorioſiſſime ſine mora præcinge, militem expedi, exercitum tuum & acies inſtrue, ferrum acue, corripe telum, irrue in Turcas orthodoxæ fidei acerrimos hoſtes, quos facile viciſti ſemper, & ad vincendum fatalis quædam, & diuinitus tibi data eſt poteſtas. Cui niſi celerius occurramus, totã inficiet profecto, atq; contaminabit. Noſti enim iam Ottomanorum fraudes, noſti dolos & inſidias, quibus omnia ſua expediunt, & quæque maxima perficiunt. Quis vnquam, Princeps inuictiſſime, valeat huius truculentiſſimi Tyranni ſcelera & flagitia commemorare? quibus vel omnes maiores ſuos longe ſuperat, qui vel domeſtico, ac familiarium ſuorum ſanguine quotidie non ſatiatur. Quid igitur, quid tandem bone Deus, nos Chriſtiani ſperemus à belua iſta, qui & fide alieni, & omni viuendi genere ab eo diuerſi ſumus?

Facto dicendi fine, Scanderbegus non quod incertus ſententiæ eſſet, ſed quia nihil inconſulto milite facere conſueuerat, conuocatis ducibus ſuis,

 & præ-

& præfectis, diu multumq́ cum eis rem diſcuſsit, quid agendum, an obſequendum Venetis, & Ottomano Principi bellum inferendum: quibus omnibus placuit, nullatenus eſſe aduerſus Ottomanum arma excitanda, quoniam ipſe bellum Scanderbego palàm mouere detrectabat, cum & alioquin maiorē etiam partē ex præda, quam (vt aſſerebat) milites ſui iocoſe, & quadam potius militari licētia ex Scanderbegano agro abſtulerant, reſtituiſſet. Quamobrem Venetus Orator huiuſcemodi reſponſo habito, ſententiaq́ illorum intellecta, re infecta mœſtus admodum à Scanderbego diſcedens, ad Paulum Angelum Dyrrachienſem Archiepiſcopum diuertit. Quem nouerat apud Scanderbegū, & Scanderbeganos plurimum fide, gratia, & autoritate valere, nec quicquā eſſe tam magnū, tamq́ difficile, quod eis cum vellet, non perſuaderet, vt experiretur, ſi ipſe Archiepiſcopus vellet hanc prouinciam ſumere, & cum Scanderbego & præfectis ſuis ageret, vt Ottomano bellum inferret, contraq́ eum arma ſumeret. procul dubio nanq́ fore ſperabat, Scanderbegum cum ſuis militibus in Venetorum ſententiam facile iturum. Qui Archiepiſcopus (vt Venetorum obſeruantiſ-

Paulus Angelus Dyrrachienſis Archiepiſcopus.



ſimus erat) reuerentia tanti Senatus mox ad Scanderbegum acceſsit. Erat hic Archiepiſcopus Epirota, ex Driuaſto vrbe oriundus, Andreæ Angeli filius, de quo ſupra mentionem fecimus, vir ſummo ingenio, & ſingulari facundia præditus, excellenti doctrina, ſacris humanisq́ literis, tam Græcis, quàm Latinis apprime eruditus, vita, ac morū grauitate conſpicuus, Chriſtianæ religionis ardentiſsimus. Quem Scanderbegus ob illius modeſtiam vitæ cultum, & integritatem ſumma in veneratione habebat. Epirotæ, &

Albani

Albani omnes tanquam oraculum quoddam audiebant & venerabantur. Qui quum primum ad Scanderbegum acceſſiſſet, omnes duces & milites Scanderbeganos in concionem vocatos, quo bellum aduerſus Mahumetem ſumerent, tali eis oratione perſuadere aggreſſus eſt.

Fœlices, & perbeatas fore Reſpublicas, regna, & imperia, Princeps inuictiſſime, diuinus exclamat Plato, ſi eas ab optimis & ſapientiſſimis gubernari contigerit. Quod quidem hac tempeſtate Albanis noſtris eueniſſe clara luce intuemur, qui à te vno Principe ſapientiſſimo, optimo, duce inuictiſſimo reguntur. Propterea non immerito omnes Reges & Principes proximi, ac circumuicini, te vnum ducem ſtrenuum, & imperatorem ſingularem, tanquam cœlitus miſſum ſibi delegerunt, vt eorum imperia & regna ab Ottomana rabie, Barbaraq́ feritate protegeres, Qui hucuſq́ præclarè egregieq́ armis, prudentiaq́ tua, virtuteq́ ducum & militum tuorum ſemper tutati ſunt. Nunc verò quum id Mahumetes omnium ſagaciſſimus, callidiſſimusq́ inſidiator, & Chriſtianæ religionis perſecutor acerrimus animaduerteret, appetens immanitate ſua infandũ odium in Chriſtianum nomen conceptum explere, verſutijs, & calliditate ſua Ottomana egit, vt icto tecum fœdere cum eo componeres, bellumq́ ſedares, ne armis tuis, quæ ſummopere timebat, infeſtaretur. Qui quaſcunque pacis conditiones, quæ tibi placuerunt, perfacile conceſſit. Sed heu, Princeps inuictiſſime, quis non videt Barbarum hæc omnia tecum Barbarica fide geſſiſſe, fraudulenterq́ pacem iniſſe, vt primum alios Reges tibi vicinos, & Chriſtianos Principes de medio tolleret, dehinc arma ſua in te converteret, vt effecit? Vbi vbi ſunt enim Raſciani Principes? Vbi Illyrici Reges? Quò Trapezuntium, Conſtantinopolitanum migrauit imperium? Nunc nunc demum ad te conuerſus rupto fœdere, violata fide, agrum tuum longe lateq́ depopulatus eſt. Confœderatos tibi aſſiduis excurſionibus perturbat, atque exagitat. Quis enim Princeps nobiliſſime queat explicare immaniſſimi huius Tyranni immenſum aduerſus te odium? An ita mortem Amurathis patris, luctuoſas exercituum ſuorum ſtrages, cædem ducum, & imperatorum ſuorum inultã omiſſurum putas? Confidis verbis, ac promiſſis beluæ iſtius? Accipis excuſationes eius? Seruabit ne tibi fidem? ſeruabit, quam nunquam habuit, neq́ cuipiam ad hanc vſque diem ſeruauit? Quis vnquam, bone Deus, flagitia huius truculentiſſimi Tyranni verbis poſſet recenſere? quæ tamen ſilentio inuolui nefas eſſe duxi. Quandoquidem voluptas quædam eſt in crimino ſum, & improbum inuehi, & auctores vitiorum ac ſcelerum in lucem proferre, illosq́ue nominatim appellare, quo cæteri à vitijs & flagitijs deterriti ſeſe abſtineant. Igitur ſicut nec virtus merito relinquenda eſt quin laudetur, ſic nec vitium quin vituperetur. Ex vtroq́ enim idem percipitur fructus, & ex

Oratio Archiepiſcopi pro bello aduerſus Mahumetem inchoando.

& ex bonis laudandis, & ex improbis vituperandis. Juſtum eſt itaque, vt improbi omnes, & flagitioſi malè audiant. Verum Mahumetes hic tyrannus eo magis, quo cæteros ſua improbitate excellit, ſuperatq;. Cuius quidem Vita, mores, ac facinora Mahumetis. *vitam, mores, & facinora, quo notiora ſint tibi, illaq; effugias, perſtringendo quam breuiſsime percurram. Mahumetes infimo infœliciq; loco, humilimisq; parentibus natus eſt, ea gente, quam Barbarorum peſsima locis loca mutare ſemper conſueuit. Nam quum Scythæ Meotici Barbarorum peſsimi ſint, ipſe adhuc turpiore infamioreq; loco natus perhibetur. Scythia etenim illius regio eſt, ſed villa Otmanach, ex qua Ottomanorum genus, ſiue familia originem traxit. Cuius homines ſe ſeruos eſſe gaudent, nihil eius progenitoribus turpius, nil vilius. Amurathes igitur eius pater, cui ex genere imperium tenere minime permiſſum erat, quum ex Ottomana familia eſſet, quæ ſeruitio nata, atq; ſemper addicta fuiſſet, imperia Aſiæ, aliaq; regna fraude ſceleribusq; occupauit, omnia auxit, atq; propagauit, remq; à ſordidis & ſceleratis profectam initijs eò prouexit, vt iam magnitudine laboret ſua. Cæterum vt ad mores etiam eius deſcendam: Mahumetes magna vi animi & corporis, ſed ingenio malo prauoq;, humani generis hoſtis, & communis inimicus, ſanguinis effuſor, caput ſcelerum, Princeps omnium vitiorum, inuitator mortis, & pater omnium malorum, inſatiabilis*



homicida. Qui cum talibus natus eſſet auctoribus, Barbarā intemperantiam immanitatemq; ſeruans, idem ſemper æquabili peruerſitate per omnem ætatem fuit. Huic ab adoleſcentia bella, cædes, rapinæ, diſcordiæ grata fuêre. Ibiq; iuuentutem exercuit ſuam, animus audax, ſubdolus, varius,

cuiuſ-

cuiuſlibet rei ſimulator, alieni appetens, ardens in cupiditatibus, immoderata, incredibilia, ſemper immenſa cupiens. Primò igitur pecuniæ, dehinc imperij cupido ſupra quam dici poſſit, in eo creuit. Mens prauis artibus imbuta, libidinibus non caruit, impudicus adulter, vitiorum inuentor, quæ vel ipſa abhorret natura. Hic eſt Mahumetes ille, qui regnandi cupiditate fratrem iugulauit. Raſcianos Principes, Regem Boſnæ perfide obtruncauit, cognatos partim in ſeruitutem & captiuitatem traxit, partim luminibus priuauit, aut aliqua corporis parte mutilauit. Quid de alijs dicam? in quos omnia ſuppliciorum genera eſt expertus, in ſeipſum profecto videtur ſæuiturus, ſi alia adſint, ita trux ingenium illud, ac præferuida ira nunquam exaturari poteſt. Namq; animus erga Deos impurus, hominibus infeſtus, perniciem ſemper machinatur, amicitias, inimicitias non ex re, ſed ex commodo vendicat, nuſquam modum, nuſquam modeſtiam ſeruat, fœda, crudelia in amicos, ſubditosq; committit, delubra publice, & priuate ſpoliat, ſacra prophanat, omnia polluit, omnia rapit, omnia trahit, pudorem, pudicitiam, diuina humana promiſcuè confundit. Nonne omnes ferè contra fœdera ſubiugauit, interfecit, in ſeruitutem traxit? Propterea quidnam noui eſt Princeps ſplendidiſſime, ſi fœdifragus Mahumetes fidem tibi non ſeruat? Quum omni vitiorum genere contaminatus, ſcelera illa gentilicia, ac perfidiam hæreditariam retineat. Proinde ne confidas Tyranno, ne verbis aut promiſſis eius ſtato, ſed ab omni eius amicitia abſtinens, pacem quam prior ipſe tibi ſcidit atq; diſſoluit, ſolutam putato, neque illius gratia bello eum perſequi ſuperſedeto. Conſule, cōſule iam tibi, regnoq;, ne Barbarus inſidijs atq; dolis te tuosq; opprimat. Nihil cogitat ſubdolus, nihil molitur perditus veterator, niſi quomodo fidem Chriſti expugnet atque obruat, pro qua (vt ſcis) ſemper inſudare atq; laborare propoſuiſti tibi, & iuramento affirmaſti, teq; ſæpius dixiſſe memini, ad hanc tutandā, defendendamq;, te natum, procreatumq; fuiſſe. Cur igitur (pace tua dixerim) arma depoſuiſti? Cur militum tuorum animis ocio luxuriantibus, fidem Catholicam iam à Tyranno oppreſſam deſeruiſti? Bonum commune ſepoſuiſti, militiæ renunciaſti? Tibi tantum ſoli viuere deligiſti? An mediocre diſcrimen conditionis ſecuturum tibi ex hoc reputas? Veteranus dux fortiſſimus bello, compreſſis manibus ſedens? Videbit nunc quiſpiam (proh pudor) videbit ocio luxuriare, atq; euaneſcere viuidum illud quondā tanti Principis ingenium. At Mahumetes amicus tuus nō torpeſcit, non ocio tabeſcit, inuigilat, laborat, accelerat, vt Chriſti Euangelium prophanet, Petri nauiculam ſubruat, veſtem Chriſti diſcindat, atq; dilaceret, ſecutus maiorum ſuorum veſtigia, & Pſeudoprophetæ ſui traditiones. Qui ſtatuit, vt Chriſti nomen tanquam inuiſum, & prophanum acerrimè à ſuis perſequeretur, ſanguisq; innoxius Chriſtianorū effunderetur abſq; vlla pietate.

Mahumetes fratris occiſor.

Argumenta, quibus ſuadetur Scāderbego, ne fidat Tyranno.

Studium Mahumetis.

dd *Ex quo*

Ex quo Tyrannus iſte fidem Chriſti ſemper præ cæteris acerrimè inſectatus eſt, in quem Principū inuictiſsime, ſi tu nunc arma tua non exponas, vires non excites, illi bellum nō inferas, omnes profectò te timidū, formidoloſum, & ocio deditum cenſebunt. An neſcis quomodo omnes Chriſtiani Reges & Principes vnà cum ſanctiſsimo Pontifice noſtro Pio, ſummo orbis antiſtite, aduerſus hunc Tyrannum conſpirauêre? Quem Deo adiuuante omnino perſequi, & extra Europam expellere ſtatuerunt. Iam à ſummo Pontifice exijt edictum, & per omnia Chriſtianorū ora propalatum eſt, quo omnes Reges & Principes Chriſtiani veniam peccatorum ſuorū conſecuti, aduerſus Turcarum Regem cum ipſo ſummo Pontifice quamprimum exeant, & proficiſcantur. Ex quo Veneti tui cum Principe ſuo, & omni Senatu, tam terreſtri, quam maritimo apparatu, vnà cum Pontifice maximo noſtro ad hanc expeditionē contra Mahumetē te inuitant, & implorant, teq; Principem, ducē, & totius Chriſtiani exercitus generalē Imperatorē præficiunt. Et quamprimū Pontifex traiecerit, & Dyrrachium intrauerit, in Regem Albanorum & Epirotarū declaraturū te conſtituit, dignum apprime, cui ſumma huius belli demandetur. Igitur Scanderbege Princeps fœliciſsime, quid facis? quid immoraris? Aut imperpetuū bellū armaq; obliuioni danda ſunt, iugumq; accipiendum, aut huic, cum quo de imperio & totius rei ſumma certetur, nec virtute nec patientia cedendum? Excita animum & vires tuas, conuoca duces tuos, & imperatores, contrahe vndiq; gentes, & populos, inuita Reges, & Principes vicinos tibi confœderatos, inſtrue acies & legiones, ſequere omnium fideliū cœtum, & Chriſtianorū collegium, obtempera ſummo Pōtifici, conſequere veniam peccatorū tuorum cum omni exercitu tuo. Ecce Veneti me tui miſerunt, vt hæc tibi annunciem, te inuitem, te exhorter, quo vires viribus, ſigna ſignis, copias copijs conferas. Sunt enim Veneti (vt noſti) Principes Chriſtianiſsimi, benigniſsimi, terra, mariq; præpotentes, qui aurum & argentū abundè pollicentur, offeruntq; tibi. Itaq; Scanderbege, vere vnquam Scanderbege, tu tu prior, Principum decus, copijs tuis Barbaro bellum infer, agrum eius inuade, terrorē & formidinem hoſti incute, qui prior te prouocauit, rupto fœdere, fide, & pace violata. Nam leges & iura omnia clamant, permittunt, fidem nō ſeruanti non ſeruandam. Audacter, audacter igitur Chriſtianū præi exercitum, hoſtem prior aggredere, Barbaro bellum vniuerſale annuncia, & ſummo Pontifici iter præpara. Nam ecce iam Pius, ecce Veneti tui, ecce Francigenæ, Hiſpani, Belgæ, Hungari, Boëmi, Poloni, Itali, & omne Chriſtianum nomē te ſequitur, tibi adeſt. Ex quo fieri non poteſt, Barbarus tot Regibus & Principibus, tot copijs & exercitibus vt reſiſtere valeat. Ideo fugam ſtatim arripiet, Europam deſeret. Non proderit ſuperbia Ottomano, non doli, non inſidiæ, non fraudes ſolitæ eum leuabunt. Aduertendum eſt tamen, & prudenti

Pius ſecūdus contra Turcā.

Edictum ſummi Pontificis contra Turcā.

Vbi Germani? Hic vides ingenium Itali ſcriptoris.

denti animo præcauendum, quod callidus Mahumetes hæc omnia præſentiens, ſtatim nuncios & Oratores ſuos ad te deſtinabit, quo alliciat te, vt arma deponas, vt violatam ab illo pacem ſerues. Auerte tamen animum à malefica eius natura, occlude, obſtrue aures illecebris. Iam illius noſcis ingenium, ſat odoratus es hominem, & Ottomanæ gentis fraudes, vel (ſi quiſquam) optime perſpectas habes.

His à Dyrrachienſi Archiepiſcopo magno ſpiritu peractis, Scanderbegus inito conſilio, rem ſub longa ac diligenti examinatione pertractauit. Duæ tandem præcipue, eædemqúe contrariæ ſententiæ fuerunt elicitæ. Altera, vt bellum nullatenus cum Ottomano fieret, ſed pax omnino cum eo inita ſeruaretur, eoq́ maxima inde commoda eis proficiſcebantur. Nam omnes populi, Scanderbegi vrbes & ciuitates locupletatæ fuerant, quotidieq́ in maius excreſcebat id commodum: adhæc ferè omnem prædam, quam Barbarus ex agro Scanderbegano abſtulerat, ei cumulate reſtituerat. Altera huic mens longe diuerſa effluxit. Bellum omnino Ottomano Principi mouēdum, nec eius fidei vllatenus ſtandum, quam nunquā alicui, & præſertim Chriſtiano ſeruauerat, præſertim quando ipſe prior Scanderbego pacem rupiſſet, & iura fœderis violaſſet: neque Tyranno credendum, aut promiſsis eius fidem habendam, quum doloſe Scanderbegum alliceret, audiens omnes Reges & Principes Chriſtianæ religionis aduerſus eum conſpiraſſe, & arma iamiam ex omni Chriſtiano orbe in eum ruitura. Eo proinde timore pacem ſe Scanderbego ſeruaturum polliceri, aliâs neque pacem ſeruaſſet, neq́ prædam reſtituiſſet. Propterea nihil immorandum, ſed bellum intrepide, & alacri animo aduerſus communis fidei hoſtem excitandum. Cuius ſalus eſſet, proprio etiam bono, & ſaluti præferenda, præſertim quod ipſe Pius Pontifex maximus, cum omnibus Chriſtianorum viribus in eum conſpiraſſet. Hæc igitur ſententia tanquam magis religioſa, & efficax, quum ipſi Scanderbego, maioriq́ parti procerum, & ducum, & præfectorum placuiſſet, hanc veluti vniuerſale bonum, publicumq́ commodum elegerunt, ſtatueruntq́, vt bellum aduerſus Mahumetem excitaretur, & arma pro tutela Chriſtianæ Reipublicæ inferenda eſſent. Præterea honeſtum ac ſanctum videbatur, ſummo Pontifici Dei vicario, ac vniuerſo Chriſtianorum collegio adhærere. Adhæc obtemperandum etiam ipſi Dyrrachienſi Archiepiſcopo, ipſiusq́ monita & conſilia tanquam mandata ſeruanda. Cui propter vitæ grauitatem & ſanctitatem, ſummam fidem præſtabat, cunctaq́ eius conſilio faciebat, qui ex more regio Scanderbego ſemper aderat, à quo omnes res geſtas, & hiſtorias tam Græcas quàm Latinas didicerat, Scanderbeganisq́ ducibus ac militibus maxime dilectus, gratusq́ erat. Decreto igitur aduerſus Ottomanum bello, mandatum eſt vbique locorum delectum fieri, exercitum cogi, præfectis & caſtrorum duci-

Diuerſæ ſententiæ de mouēdo bello in Turcam.

bus, vt præparato, inſtructoq́; exercitu adeſſe feſtinarent. Quo facto, Scanderbegani milites, præcipuè illi, qui in limitibus cuſtodiæ cauſa degebant, ſumma vi & impetu in Turcicum & hoſtilem agrum irruperunt, quem longe lateq́; depopulati, maximam inde prædam ſecum abſtulerunt. Nam 60. millia boum, 80. millia pecorum, tria millia equarum cum pullis ſuis, quæ de turma (vt aiunt) & ipſius Mahumetis Principis grege erant, inde abegerunt. Qui quum ad intima Barbarorum loca penetraſſent, & omnia igni, ferroq́; euertiſſent, nullam fœlicem arborem, nihil frugiferum in agro relinquentes, ingenti terrore atq; formidine cuncta repleuerunt. Quæ omnia quum Mahumetes percepiſſet, vehementer in Scanderbegum commotus atq; ſuccenſus eſt. Sed poſtmodum fronte reducta dolorem ſuum ſupprimens, vultu admodum hilari, hæc dixiſſe fertur: Quid mihi Scanderbege iſta, qui Orientis & Occidentis principatum teneo? Tamen contra eum vltionem animo concipiens, in eius perniciem & ruinam iurauit. Sed quia Chriſtianorum arma iam in ſe concitari, & copias moueri præſenſerat, valde perterritus, arte ſua Ottomana, illecebris Scãderbegum capere, & ſibi reconciliare excogitauit. Circumferebatur iam vbiq; Pium Pontificẽ maximum, cõtractis vndiq; viribus, & copÿs omnium Chriſtianorum in vnum coactis, propediem aduerſus Ottomanum egreſſurum, qui vt primum in Epirum & Albaniam traieciſſet, in vrbe Dyrrachina poſt rem diuinam factam, Paulum Angelum eiuſdẽ vrbis Archiepiſcopum, de quo ſuperius mentionẽ fecimus, in culmine præſulatus, & ſecundam à ſummo Præſule, & Pontifice maximo dignitatem, quam nunc Cardinalatum appellant, inſignire, atq; ſublimare, Scanderbegum verò in Regem Albanorum & Epirotarum declarare. Quem etiam omnibus copÿs Chriſtiani exercitus aduerſus Mahumetem generalem (vt aiunt) Imperatorẽ præficeret. Quamobrem à Barbaris vndiq; circumferebatur, ſi in tali expeditione Chriſtiana, aduerſus Ottomanum Scanderbegus egreſſurus eſſet, proculdubio Chriſtiano victoriam adiudicandam iri, & de re, Ottomaniq́; imperio victum, deſperatumq́; fore autumabant omnes, & aſſerebant. Tantus terror, tanta formido Scanderbegani nominis eos inceſſerat, adeò formidoloſum, adeò horrendum apud Turcas illius erat nomen. Ideo Mahumetes omni arte, ingenio, & calliditate ſua laborabat, vt Scanderbegum ad ſe alliceret, & cum eo ex integro componeret, hincindeq́; iuramento præſtito pacem vallaret. Cui etiam huiuſmodi literas ſcripſit:

Turca cogitat in perniciem Scanderbegi.

Paulus Angelus Archiepiſcopus Dyrrachinus fit Cardinalis.

Literæ Mahumetis ad Scanderbegum.

Mahumetes Amiræ Soltanus, Orientis atque Occidentis Imperator, Scanderbego Principi Albanorum, Epirotarumq́;, S.P.D. Fidem tuam & probitatem, Scanderbege Princeps nobiliſſime, ſemper admiratus ſum. Propterea non planè credibile mihi fuit, te magnanimum & generoſum Principem, fidem & pacem, quam mecum iampridem inieras, tam facile & te-

& temerè ſoluiſſe. Nam (vt audio) maxima manu fines meos tranſgreſſus, omnia igni, ferroq́; deuaſtans, maximam inde tecum prædam quidem abegiſti. Cuius quidem rei cauſam Venetos fuiſſe, mihi certum exploratumq́; eſt, quorum conſilio & ſuaſu ad hoc faciendum impulſus es. Nam



eorum illecebris, calliditate & aſtu ſeductus, mihi bellum intuliſti, ruptor fœderis, violatorq́; gentium iuris factus. Idcirco exiguo, aut nullo potius tibi vitio eſſe dandum cenſeo, cauſam magis ignominiæ intuens, quam ignominiam ipſam, ſed omnem in eos culpam reijcio, qui mihi ſemper hoſtes & infenſi fuerunt. Sed quid hæc mihi Scanderbege? qui tot & tanta poſſideo, adeóne graui quadam iactura imperium noſtrum afficere putaſti? dum prædonis magis cuiuſdam, quam hoſtis more in agris noſtris depopulandis, & abigendis pecoribus tam inſolens es factus, quod ego tamen neque iniuriæ loco duco. Sed perge, age, ſi ita æquum videtur tibi. Pluris nanque ipſe facio amicitiam, & beneuolentiam tuam, quàm omnia, quæ mihi ſunt chara, quod te (vt ſcis) ſemper vnice dilexi, & eximio quodam amore ſum proſecutus. Nam quoties tenellam ætatem illam noſtram, & conſuetudinem, dum vnà in regia patris mei Adrianopoli commorabamus, in memoriam reuoco, non poſſum equidem non omne officij genus debere tibi. Propterea Scanderbege mi, te etiam atque etiam rogo, & hortor, vt priores pacis noſtræ conditiones renouantes, eam iureiurando ex integro confirmemus. Nam ſi illa prius iuramento hincinde vallata fuiſſet, nequaquam à Venetis te ſeduci, aut circumueniri permiſiſſes. Quamobrem opus eſt, vt nunc denuo fœdus inter nos & pacem iureiurando ſacris hincinde adactis perpetuo muniamus atque confirmemus.

 Quód

Quod ſi feceris (vt ſpero) & me audieris, proculdubio tu cum poſteris tuis ſemper regnabis, & tua omnia tibi ſalua erunt. Sin ſecus, pœnitebit te (mihi crede) quam ociſsime. Noſti iam vires meas, quibus an poßis reſiſtere, tute conſule. Non reguli tui vicini, nõ Veneti ſeductores te poterunt à vi, & furore meo eripere. Nonne Græcos ferè omnes exterminatos vides? Trapeſuntium Imperatorem à nobis imperio deiectum? Raſcianos Principes, & Triballos euerſos? Illyricos proſtratos, totiusq́; Aſiæ regna, aliosq́; Reges & Principes perdomitos, ac ſubiectos mihi? Sequere igitur Scanderbege conſilium meum, promißis ſtato, non enim falleris mehercule. Muſtaphæ ſeruo & nuncio noſtro, qui ad te venit, de ijs mandauimus, cui indubitatam fidem adhibeto. Vale. Ex Conſtantinopoli vrbe noſtra regia, Nonis Maij, à generatione Ieſu, M. CCCCLXIII.

His literis acceptis, perlectisq́;, Scanderbegus Mahumeti in hunc modum reſpondit:

Athleta Chriſti Georgius Caſtriotus, aliâs Scanderbegus, Albanorum, Epirotarumq́; Princeps, Mahumeti, Illuſtrißimo Turcarum Principi, S. P. D. Admiraris Mahumetes Princeps, quod milites mei (vt inquis) contra fœdera, ruptis pacis noſtræ conditionibus, ingreßi fines tuos, maximam inde prædam ſecum abſtulerunt. Cuius rei auctores Venetos aſſeris, quos hoſtes tibi acerrimos dicis, ſubdisq́;, quod iſta parum offendunt te, tum Principem potentißimum, tum quia propter maximam in me beneuolentiam omnia æquo fers animo, & maxime quod aliorum conſilio ſeductus id ædiderim, facili negocio omnia remittis mihi, dummodo fœdus, quod prius inter nos ictum fuerat, eiſdem tecum conditionibus iuramento confirmem, impellisq́; ad id maxime, admones & hortaris, vt conſilium iſtud tuum amplectar, mihi, & poſteris meis mirum in modum profuturum, niſi forte dum Venetis obſequi ſtudeo, malim tuam indignationem ſubire. Adhæc, vt magis deterreas me, enumeras longo ordine gentes, populos, Reges, Principes à te deuictos, & tibi ſubiectos. Sed quidnam noui (rogo te per Deum immortalem) quid tantum admiraris Mahumetes Princeps? & illud primum, quod milites mei id in agrum tuum fecerint, quod à tuis identidem militibus prius in rebus eorum commiſſum magnopere (vt debuerant) dolebant, ac de me conquerebantur. Proinde ſi ipſi quoque militari quadam laſciuia (vt tuus eſt dicendi mos) vlciſcentes illatam, non nouam inferentes iniuriam proſpexerint ſibi, & damnum damno compenſarint, nihil eſt quod admireris & me accuſes. Cohibuiſſem ipſe (verum ingenue fateor) homines licet acerrime læſos, ſedaſſem animum eorum tantopere ad omne vltionis genus prouocatum, ſi vel cuncta tu eis, quæ amiſerant, reddenda curaſſes, Princeps vnus omnium opulentißime, & liberalißime, vel hanc tuorum licentiam,

centiam, quam laſciuiæ velamento tegis (vix pueris dignas ambages) vt par erat, caſtigaſſes. Quamuis enim delicta vbique grauia exiſtunt, in rebus tamen militaribus grauiſſima cenſeri debent. Quid quæſo? vis ne me iſtam tuorum laſciuiam interpretari? tanta præſertim accepta iactura, quos & cohibere prius, & punire poſt factum potuiſti. Accipe igitur tu quoque Mahumetes ſapientiſſime, verba iſthæc noſtra, quæ nobis hucuſque pulcherrimè & dare, & vendere conſueuiſti, dum ſemper fraudi excuſationem & ſpeciem aliquam iuris imponis. Jllud tamen, quod dum me obtentu priſtinæ conſuetudinis, & beneuolentiæ noſtræ excuſas, in Venetos inueheris, iniuria mehercule facis. Non enim erant Principes optimi, iuſtiſſimi, ſanctiſſimi à te tanquam ſeductores calumniandi. Quid præterea opus Venetæ Reipublicæ conſilijs mecum agere, illecebris me allicere? vt tibi ſim iratus, te vt hoſtem perſequar, qui ſoli, ſoli inquam, quando ita res ferat, & apertè poſſunt tecum contendere, & facili negocio te ſuperare. Nam quod ſuades mihi, vt eorum conſuetudine abſtineam, fruſtra agis mi Princeps. Quis enim mortalium ita perditus eſt, ita ſuis ipſis inuiſus, qui non malit vel maxime errare cum Senatu illo, quam tecum optime ſentire: ego præſertim, qui & confœderatus eis iampridem ſum, & vnus omnium amicus, quod tu tamen (quæ tua eſt perfidia) nihil curaſti, agrum eorum in Peloponneſo, ruptis pacis fœderibus quotidie infeſtando, diripiendo. Sed nec minæ tuæ hoc loco deterrebunt me, Ottomane Princeps, quas Barbaro more effundis, in me ingeris, euomis, ni conſilium tuum fuerim ſecutus, nam & pati, quando ita res ferat, & facere fortia Albanum eſt. Non timorem incuties mihi puſillo regulo cum Venetis meis. Quis tantus (vt ipſe te appellas) Orientis, Occidentis, & omnium mundi partium Imperator? Riſum profecto hoc loco excitaſti mihi. Rident te alij quoq; Chriſtiani Principes. Quomodo ita imprudenter, ne dicam impudenter totius orbis imperium falſo vocabulo vſurpaſti tibi? Quid in maiore Aſia poſſides? nihil certè, an omnia, quæ in minori continentur, tua ſunt? minime. In Europa quid habes præter Thraciam, Myſsiam, partem Græciæ, atq; Peloponneſi, Mytilenem, & Tauricā regionem? Aphricam nunquā pes tuus calcauit, Hic ne eſt vniuerſi orbis principatus? Sed finge, finge Mahumet Princeps omnia ab ipſo vſque Oceano ſubiecta ſeruire tibi, non tamen iccirco inſurgendum eſt adeò tibi, vt alios contemnas omnes. Deſine, deſine gloriari, & diſce iam (ſi potes) humanæ inconſtantiæ ſingulare documentum. Nam vbi ſunt Aſſirij, qui orbis terrarum quandoque imperium tenuerunt? Vbi Medi? Vbi Perſæ? Vbi Græci? Vbi denique Romani rerum domini? Maior certè fuit Tanberlanus ille Scytharū rex, terror (vt ſcribitur) gentium, quam tu. Qui auum tuum Paiazetem illum, qui armis tot, & tanta geſſerat, cum 200. millibus infini-

Argumēta humanæ inconſtantiæ.

in finibus Armeniæ profligatum, & in fugam conuerſum captum, vinctumq́ cathenis triumphantis more ante currum ſuum traxit, In cuius



exercitu duodecies centena millia hominum fuiſſe traduntur, Xerxe, atq́ Dario maior, quorum exercitu maria conſtrata, ſiccata flumina prodiderunt antiqui, Exterminati tamen ſunt omnes ab exterminatore gentium, Mahumet Princeps, digitus Dei omnes extinxit. Diſce proinde te quoq́ hominem eſſe cognoſcere: noli tantopere copiarum, & exercituum multitudini confidere, ſæpe nanque maiores exercitus minoribus ceßiſſe hiſtoriæ teſtantur. Quare non immerito receptum eſt illud: Nec laudaueris ducis virtutem, niſi quum ductus fuerit ad triumphum. Deum quoq́ ipſum meliorem cauſam fouere, an dubitandum videtur Mahumet? Scis tamen tu bene, ſcis ad totius imperij ius te quicquam præter Deum habere, omnia violenta eſſe, omnia perperam à te, & iniuſtè poßideri. Propterea non deeſt animus mihi Ottomane imperator, tibi tanto rerum domino venienti modo reſiſtere, ſed vel prior te intrepidè, & audacter in campum prouocare, inſignemq́ de te (Deo propitio) & ſperare, & referre victoriam. Sunt & nobis milites, qui & ipſi tela tractare, procedere ante ſigna, verſari media in mole pugnæ ſciant. Quæ igitur de pace iterum firmanda agis mecum? Fruſtra iam huiuſmodi delinimentis me circumuenire quæris, ita eſt mihi & fides tua ſuſpecta, & beneuolentia vſquequaq́ inuiſa. Quippe quum fictè ſemper, & doloſe maiorum tuorum mores ſecutus, quicquid agis, quicquid polliceris mihi, facis omnia, quo facilius euertas me, regnoq́ exuas. Euaſi tamen ipſe hucuſque, Deo autore, inſidias tuas omnes, dolos & fraudes omnes.

Digitus Dei.

omnes. Sed breui, breui (vt ſpero) his omnibus finem dabis, quum non artes iſtæ tuæ, nõ inſidiæ vllæ leuabunt te, non Ottomanum ingenium, non tumor iſte Barbarus proderit tibi, neque tamen vnus ego in te hos animos gero. Longus poſt me ordo eſt Chriſtianorum Principum. Ecce namque armatur in te, totiſq; viribus contendit, quicquid eſt vſquam Chriſtiani nominis & ſplendoris. Coniurârunt in te vnà cum noſtro ſummo Pontifice Pio, Reges & Duces omnes, & ad euertendum te, regnoq; ſpoliandum iamiam aderunt. Quamobrẽ ego obtentu priſtinæ conſuetudinis noſtræ, quamuis tu eam grauiter læſeris, penituſq; violaueris, admonendum tamen de his te duxi mi Princeps, quo diligentiori aliqua conſultatione cogitatus omnes colligeres, tibiq;, atque regno tuo conſuleres. Vides impetus, atque vires tantorum Principum, quas an ſic facile poßis euadere, non ſatis ſcio. Poteris tamen, ſi me audies, poteris & imperium nomenq; tuum, ex magno maximum, ex fœlici fœlicißimum, ex celebri reddere efficereq; celeberrimum, ſi perfidia iſta, & Mahumetanæ ſectæ erroribus depoſitis, ad Chriſti fidem & veritatem te conuertere volueris, animæq; tuæ tandem habere rationem. Neque tu quoq; qui altiori ſpiritu, & ingenij magnitudine maiores tuos omnes longe excellis, ceu hæreditario quodam iure, in errore, & pertinacia iſta te tuoſq; verſari amplius patiaris, faciaſq; iam ſponte tua (vt ſapientißimum Principem decet) quod es propediem neceßitate facturus. Turpißimum habitum ſemper eſt ex ore Imperatoris audire: Non putâram. Reſipiſce aliquando, tecum habita. En offert materiam tibi Deus optimus maximus, quomodo & rerum tuarum ſtatum omnem tranquillũ reddas, & omnes te Reges & Imperatores noſtri ament, venerentur, obſeruent, neq; hac in re te regnandi cupido, ac bonorum iſtorum, quæ poßides, ſolicitudo excruciet. Quicquid enim iniuſte, quicquid illicitè vſurpaſti, omnia profecto Chriſtiani Principes velut propria & hæreditaria, licite & iuſte te habere concedent, confirmabunt, ſancient. Eris verus Princeps, legitimeq; dominaberis, dummodo fidem hanc, & verum Dei cultum amplectaris. Quam vt primum ſenties, dolebis per Deum immortalem non maturius cognouiſſe: dolebis amißi temporis diſpendiũ, exterminabis, eliminabis, quicquid mendacij, quicquid fœtoris apud vos reliquit ſpurcißimus Pſeudopropheta ille Mahumetes. Ex caſtris noſtris 7. Kalend. Iunias, M. CCCCLXIII.

Coniuratio Principum Chriſtianorum in Turcam.

Stultiſsimum eſt ex ore Imperatoris audire, Non putâram.

Hortatur Turcam pro ſuſcipienda fide Chriſtiana.

Poſtquam Scanderbegus huiuſcemodi literas ad Mahumetem dedit, interim literis ſummi Pontificis ei nunciatur, quod ipſe cum innumeris copijs cruceſignatis, contra Ottomanum Principem propediem vrbem egreſſurus erat, & Anconæ portum, maritimaq; petiturus, quo inde in Epirum cum vniuerſo exercitu traijceret. Vbi primum Paulum Angelum Dyrrachinum Archiepiſcopum in Cardinalatus dignitatem & purpuram aſ-

ſumeret, Scanderbegumq́ Albanorum atq́ Epirotarũ Regem declararet, ipſumq́ Chriſtianis copijs præficeret, vt expeditionẽ, quam cum omni fidelium cœtu in Barbarum ſuſceperat, totis viribus perſequeretur. Quamobrem eum admonebat, exhortabatur, vt copijs præiret, & Barbaro vniuerſale bellum indiceret. Quibus literis coram omnibus Principibus & præfectis caſtrorum perlectis maximo plauſu atq́ lætitia, Scanderbegus mox copijs inſtructis, in agrum Turcicum & hoſtilem maximo impetu irrupit. Quem longe lateq́ diſcurrens, omnia igni, ferroq́ deuaſtauit, atq́ diripuit, & maximum Barbaris terrorem inferens, Mahumeti generale bellum indixit. Verum quum Ottomanus iamiam Scanderbegi literas perlegiſſet, per idem ferè tempus ad eum nuncius venit, Scanderbegũ in agrum ſuum irrupiſſe, omnia diripuiſſe, atq́ incendiſſe. Quo triſti nuncio Mahumetes admodum territus, totusq́ ira atq́ furore in Scanderbegum percitus, Seremetium præfectum ſuum cum 14. millibus equitum ad cohibendum potius impetum & furorẽ eius, quam aliud quippiam præclarè agendum contra eum miſit. Statimq́ ipſe Princeps conuocatis ducibus omnibus, & præfectis ſuis, coram eis ſic elocutus eſt:

Oratio Tyranni ad duces & præfectos ſuos.

Nunquam dubium mihi fuit, Principes optimi & commilitones mei, vobis omnibus illud vnum eſſe certiſſimũ, exploratiſſimumq́, regnum, ius, imperium meum omne vobiſcũ ſemper fuiſſe commune. Eius proinde ſalus,



& incolumitas, non minus curæ vobis, quam mihi ipſi eſſe debet. Noſtis enim bene, noſtis, quanti vos fecerim ſemper, vt me ipſo apud me non eſſetis inferiores, quam humanè, quã benignè egerim vobiſcum, vt non tanquam

Regem

Regem veſtrum & Principē,ſed velut commilitonē aliquē ex vobis vſquequaq; me geſſerim. Qui non mihi tantum,ſed vobis,vobis inquam,liberiſq; veſtris vixi,laboraui,inſudaui,& ad ſanguinē vſq; ſtudium,operamq; meam omnē præſtiti,quo regnum vobis pacatum,tranquillum, & vndecunq; maximū redderem, efficeremq;, quo inimicorum impetū omnem propulſarem,propellerem, & ciuitates,populos, vxores, liberos, fortunaſq; veſtras augerem,illuſtrarē, extra periculum ponerem. Effectum,effectumq; eſt ita diuinis auſpicijs,vt omnia duce tamen virtute,fortitudineq; veſtra,ex animi ſentētia ceſſerint nobis. Nihilq; ferè hodie vel peragendum,vel optandum ſuperſit vobis duces inuictiſſimi, quod vel ad nominis ſplendorē attineat,vel ad imperij amplitudinem. Quid enim enumerem domitā iam Aſiam omnem,peruictā Thraciam, expugnatos Triballos, ſubiectas vtraſq; Myſias, debellatam Tauricā regionem, Alycarnaſeum Regem è ſede deiectum, Principes Illyriæ expulſos, Pannones profligatos? Quæ regio eſt (rogo vos per Deos immortales) quæ tellus fortiſſima, ferociſſima, quam non arma veſtra penetrârint? Qui populi,quæ gentes indomitæ & inuictiſſimæ, quæ nomen, virtutemq; veſtram vel non timuerint prius quàm ſenſerint? Nunc verò (proh pudor) quid iſtud dedecoris eſt viri Principes? Quis tantus rerum tumultus? Vnde nouus & inſuetus timor hic? Tantos nimirum rerum euentus pertimeſcitis? quos ignauus, ſubdoluſq; Chriſtianus iamiam minatus vobis. Perſuaſit, itáne perſuaſit omnia vobis (quæ veſtra eſt leuitas) Scanderbegiolus ille doli totius artifex,inexhauſtæ malitiæ caput? Vultis, vultíſne ita facili negocio homines fugæ magis quàm virtutis memores, abſq; pugna, abſque contentione imbelli, inutiliq; Chriſtiano concedere ea, quæ cum maiores veſtri, tum ipſi vos tot ſudoribus, tot vulneribus comparaſtis? Cur enim liberius mihi apud vos loqui non liceat pro rebus,pro liberis,pro fortunis veſtris? Non diſputare apud vos de rei totius ſtatu? Non accuſare vos vnquam licebit mihi, quos & ſeruaui hucuſque,& nunc maxime ſtudeo conſeruare? Vultis ne ſic abſque cæde, abſq; cruore deſtituta Europa, quam tanto & deſiderio & labore poſſediſtis, in Aſiam turpiter confugere,& rem, ſtatumq; veſtrum cuiuis mortalium optabilem, hoc ignauo animi torpore vltro relinquere? Qua re nihil hoſti in vniuerſa vita optabilius, nihil iucundius eſſe poſſet. Sed age tuti ne in Aſia eritis? vbique gentium perſequi vos non abſtinebunt. Quò vertemus? Quæ ſpes reliqua nobis futura? Quis Rex aut Princeps nos excipiet, gentem omnibus inimicam æque ac inuiſam? Idcirco fortaſſe quia quicquid habemus, quicquid poſſidemus, alienum eſſe, violentumq; dicunt,ſed iniuria mehercule. Dictum eſt enim,& vere mehercule dictum: Quodcunque pes equi tui calcauerit, id totum tuum ſit. Nihil mortales in hac vita tulerunt ſecum. Nihil horum quæ hic ſunt, cuipiam proprium

Narrat ſuas victorias per cōpendium.

Scanderbegiolum vocat in contemptum

eſſe poteſt, omnia fortium virorum ſunt. Deus omnium eſt dominus, & aperto campo cuncta in medium poſuit. Quibus igitur eius nutu & permiſſu potiti ſumus, quæ omni merito iure ſumus adepti, & diuina voluntate per tanta temporum interualla poßidebimus nunc, nunc ſunt nobis pertinaciſsime tutanda, ſeruandaq́. Quamobrem, commilitones fortißimi, audite, animis adeſte, nolite terreri, ne hoſtibus magis atq; magis audacia increſcat, ſed vnà omnes, vt par eſt, conſilijs non tumultuoſis, & turbidis, ſed ſedatis, & quietis rem tantam capeßite, cogitatus veſtros confirmate. Si pulchrum ducitis vos, vitamq́; ipſam, tot regna, tot imperia diuinitus permiſſa vobis, vxores deniq;, liberos, fortunasq́; veſtras contra Chriſtianam rabiem & furorem protegere, atq; conſeruare, arma veſtra intrepidè, audacter in Chriſtianos ſumite, acriter aduerſus eos (vt conſueuiſtis) pugnate. Neq; magni negocij atque operoſa res videatur, quod auditis Chriſtianorum Principes communi quadam concordia & conſenſu in nos arma excitaſſe. Nihil eſt adhuc vobis de ſumma victoriæ ambigendũ. Quid tandem eſt, cur cœlum ac terras miſceant? Edocti eſtis ſæpenumero gentem iſtam, quàm ignaua ſit, quàm imbellis, nullorumq́; neruorum. Ignaui ſunt omnes, timidi, languidi, ſomnolenti, ocio aſſueti, delicijs & voluptatibus dediti. Omnes in plumis, omnes in Venere educati, in curia, in Senatu, pugnaces verbis, non rebus animoſi, ocio ſemper affixi hærent, in foro viuunt. Nullum neque bellandi ſtudium, neq; belli artem tenent, neque laborem corpus, neq; animus perferre periculum poteſt. Molles habent artus, & delicatos, non dura aſſueti diſciplina. Aeſtus, frigoris, inediæ, laboris, penitus impatientes, non curæ militaris gnari, vt vos Cõmilitones amantiſsimi, qui quot milites eſtis, quot bellatores fortißimi, tot videre videor mihi optimos imperatores. Qui vitam omnem in expeditionibus, & totas ferè noctes in armis & inſomnes ducitis. Nihil ita durum, ita difficile, aſperum, quod non vobis & lene, & facillimum videatur. Qui ex tanta periclitandi aßiduitate, hi eſtis periculorum contemptores effecti, vt non modo non nolitis timere, ſed etiam non poßitis, qui ſpreta plumarum mollitiæ, duros artus duriori iugo diſciplinæ premitis in bello & pugna, paucis minimisq́; contenti humi procumbitis, dura & extrema omnia pati aſſueti. Ita ad victoriam contenditis, ita properatis, vt nihil quod ſitis paſſuri, ſed quo peruenturi tantum cogitetis, vulnerum prorſus, mortisq́; immemores. Hæc ſunt, duces optimi, fortißimorum, hæc optimorum militum ſtudia, hæc officia, hæ artes, hæc vera militaris diſciplina, hi ſtrenuè pugnant, hi facile ſuperant, hos certa manet, hos indubitata victoria. Contendant igitur ad nos Chriſtiani loquaces Principes iſti, veniant magnifici adhortatores, verbis tantum feroces, operum militarium expertes, neſcio quo fato, diu forſan longumq́; huiuſmodi expeditionis re-

nis recordaturi, quum non ingenium, non artes vllæ eos leuabunt, non facundia proderit, non erit eis concionibus vtendum, non enſes (vt ſolent) muliebribus cõcinnandi ſpeculis, ſed hoſtili cruore aſpergendi, quum ſtrenuus ab ignauo, ab imbelli bellator exterminabitur. Hi ne timendi vobis milites præſtantiſſimi? His cedendum? quibus nihil humilius, nihil contemptius reperiri poteſt. Quid miraculi conſpicor, in ancipiti ſententia nutat animus. Ponite quæſo ante oculos vniuerſi, ponite ſinguli, facti huius dedecus, atque indignitatem. Reuocate animos, priſtinam excitate virtutem. Itáne abijt omnis maiorum memoria? Nihil iam illius ſanguinis ſupereſt? Nil mouet præterea fortuna fœlicior, quæ in omni vos expeditione, & maximis bellorum motibus eſt ſemper ex animi ſententia, & comitata, & ſecuta? Nihil efferunt tanti rerum ſucceſſus? Vtimini proinde (ſi Dijs placet) tanta rerum occaſione. Viderunt tumultuoſi Chriſtiani iſti, habent in oculis adhuc luctuoſæ fortunæ ſuæ non vetuſtum, ſed recens exemplum, confractas, contritasque reliquias Varnenſis & Baſilienſis prælij. Quid de Græco imperio? Quæ vices rerum? Qui motus? Quantæ mutationes? Omnes tandem ſub haſta venierunt, ſed clamant rapaciſſimi temerarij, & fugaciſſimi defendunt ignauiam ſuam, excuſant imbecillitatem caſus fortunæ, ac ſuorum perfidiam deteſtantur, non veſtram admirantur virtutem. O ridiculum remedij genus, hos Imperatorum inſcitia amiſit, hos militum ſocordia, hos belli fortuna abſumpſit, illos inteſtinæ ſeditiones, alios credulitas nimia, & perfida domeſticorum exitia tradidit, atque alijs deinceps nocuit diſſolutior hoſtium contemptus. Siccine igitur hos venientes timetis, nedum venturos exiſtimatis, Viri fortiſſimi? id quod maxime optandum vobis fuerat, & votis omnibus expetendum. At ego (vt efferam planè quod ſentio) nec venturos puto, domi ſe continebunt (mihi credite) nec inuiti, deponent minas iſtas. Demittent animos ridiculi bellatores. Satis pugnatum videbitur eis, ſi hoſtem prouocarint. Laborant præterea ſeditionibus aſſiduis, factionibus agitantur. Omnes praeeſſe, omnes imperare volunt, parere nemo, tanta inter eos animorum diuerſitas, multi ſunt inter illos Reges, multi Imperatores, quilibet in conſilia ſua pro libito voluntatis fertur. Nullus commune bonum & commodum procurat, ſimulant Chriſtiani inter ſe, ambitioſi ſunt omnes, cupidi omnes, odia inter eos maxima, conſenſus nullus, obedientia nuſquam, in quibus tota vis imperij verſatur, in bello præſertim, nanque his deficientibus, res militaris omnis ruit, nedum claudicat. Præter hæc, mutua cæde gaudet gens iſta tam ſancta, tam religioſa, vltionem inter ſe quotidie, & inſidias parant. Quas ob res, quæ perfidus transfuga ille Scanderbegiolus ad nos literis ſuis tot minis & terroribus ſcripſit, contemnite æquè, ac irridete. Coniurauit ſci-

Chriſtianorũ diſcordia inter ſe.

licet in nos omnis Chriſtianorum cœtus, & turba, vnà cum Principe ſuo, quem illi Papam appellant, quem illi vt nos Calliphum noſtrum venerarum. Conſpirauerunt omnes fidei illius Principes & Reges, iam arma commouent, vt nos omnino perſequantur, Europam patrimonium eorum iniuria à nobis occupatam vendicent. Secum nimirum moliuntur hæc, ſecum videlicet loqui didicerunt, non ſtulti homines, ita eſt vnuſquiſq; ſibi bonus interpres. Sic & Agamemnon apud Homerum die quadam antequam ſol occumberet, ſacros Troiæ muros diruere volebat, ſed auerſos oculos tenebat Iupiter, ridebat hominis vota. Properant Chriſtiani ad comparandam ſibi ſingularem gloriam, ſed perinde difficilem, augebunt, ampliabunt (fidem meam obſtringo vobis) rem, imperiumq; veſtrum, dum abſorbere cupiunt. Quid enim (vt cætera omittam) de rerum, ac locorum incommodis dicendum? quid de commeatibus, cæteriſq; impedimentis? in quibus vel maximè ſtat robur, & ſubſidium belli. Nonne omnia, quæ deerunt eis, vobis in expedito ſunt futura? Locus ipſe prætereà vos tutabitur, & rebus omnibus affatim armabit, ad inferendam magis, quam ad recipiendam iniuriam idoneus, & tam ad inferendum, quam referendum pedem fidelis & habilis. Domi pugnabitis, vbi cuncta vobis affatim reſpondebunt. Incitabunt ad pugnam omnia, ſuggerent omnia vobis animum, & modum vincendi. Hinc ſeniorum parentum lachrymæ, hinc paruulorum liberorum oſcula, hinc dulcium vxorum amplexus. Gentes ipſæ demum, quæ auſpicia veſtra ſequuntur, fidem pertinaciſſime ſeruabunt, nullis conſilijs opus erit, non ſtimulis, non hortaminibus, accenſi erunt omnes, Inuitat, hortatur, cogit vnumquenque commune periculum, commune ſuorum exitium, vocat æquè cunctos æqua belli ſors, monent rerum maximarum vices, ac euentus. Hic vna libertas, hic ſeruitus perpetua, hic totius rei ſumma verſatur, hic patriam, imperium, liberos, fortunaſq; veſtras, omnia in alea poſita videtis. Agite ergo viri ipſa virtute maiores. Huc omnes gradum ſiſtite, animos firmate, dum tempus agit rem conſulite, ne enerues Chriſtiani iſti (niſi inſtituti huius eos fortaſſe pœnituerit, & ſatius domi ſe continere tandem exiſtimarint) ignaros nos & imprudentes operiantur, adorianturq;. Quippe quum in omni actionum genere euentus maxime in periculo eſſe ſolent, quos non diligens aliqua, & expedita conſultatio anteceſſerit. Quin etſi contemptibilis gens iſta æque ac ſuperſtitioſa, vel ſua ſponte (vt moris ſui eſt) ab incœpto deſiſtere maluerit, vel demum quiſpiam eorum conſilia, & rem ſuo ipſam molimine grauem præuerterit, ipſi vltro in eos progrediamur, vltro irruamus. Sic & impoſterum quicquid periculi è medio tollemus, & ſuperabimus forſan omnes, (vt vno verbo cuncta abſoluam) ita ſuperabimus, vt hodie orbis totius imperia ſint in vos facili negocio peruentura, quod diuini-

Cõmeatus robur belli eſt.

uinitus eſt genti noſtræ promiſſum, vt ex aſtrorum ſcientia didici. In qua diuina arte (vt noſtis) vel ab ineunte ætate operæ plurimum impendi, & ex ea fructus maximos cæpi, quam qui rectè tenent, neque falli, neque errare queunt. Vniuerſam nanque mundi huius machinã à ſuperioribus motibus atque ſtellis gubernari nemo ambigit. Non deerunt præterea vobis (ne domo diſcedam) milites fortiſſimi, non validiſſimi exercitus, non multitudo, ac penè innumerabilis copiarũ immenſitas, non equi, non arma optima cuiuſcunque generis, non tormenta, non qui eis perite vtantur, quæ ad victoriam comparandam ſunt potiſſima, cum aſtrorum benignitate, & Deorum auxilio diſceſſerimus. Quod verò ad Scanderbegum attinet, qui tantis rerum ſucceſſibus ferocior factus, fines noſtros quotidie infeſtat, Macedoniæ veſtibula obſidet, & ad nos literas omni tempore, ac nuncios mittit, nouum doctrinæ genus ſuadet, quod ſeipſum malè docuit, extirpabimus (quando res ita feret) delebimus. Extinguemus vno ictu totum hominem cum omni gente & poſteritate ſua, & ſi viuus ſorte aliqua in manus meas venerit, ædam in nephario corpore illo omnia crudelitatis exempla. Ita vnus omnium maximè tanquã lerna quædam malorum (vt de patris morte taceam) animum meum offendit, remque & imperium noſtrum afflixit, tot ducibus, tot Principibus, tot fortiſſimis viris abſumptis. Sed indulgeat nunc aliquantulum ſtultitiæ ſuæ ſtultiſſimus hominum, deſipiat, glorietur regno iſto ſuo atque ambitioſa paupertate, quouſque ſibi fata permittunt, quandoquidem hodie maiora nos rerum pondera vocant.

Turca ex aſtris colligit orbis imperia ſibi promiſſa.

Minatur atrocia Scanderbego.

His à Mahumete peractis, omnes eius duces, & caſtrorum præfecti, vno eodemque conſenſu ſummam & inuiolabilem fidem Ottomano, ſummamque obſeruantiam iureiurando ſanxerunt, non tempore vllo laboribus aut periculis parcere, ſed omnia ſua, vitamque etiam ipſam, ſi ita exiget res, pro Ottomanæ familiæ dignitate, pro ſui imperij amplitudine ſemper intrepidè exponere polliciti ſunt. Adeo nullum periculi genus animo cuiuſquam obſeruabatur, ſed publicũ imperium, ſeruitiumque. Cæterum Mahumete in præſentia paulum omiſſo, Scanderbegũ repetamus, qui ingenti onuſtus præda cum militibus ſuis lætabundus ex hoſtili agro in caſtris reuerſus eſt. Cui illico nunciatur, Seremetium Mahumetis præfectũ cum maximis copijs in finibus Thraciæ & Macedoniæ aduentaſſe. Cui occurrere Scanderbegus omnino ſtatuit, vt cum eo (ſi poſſet) congrederetur. Venerat ibi Seremetius cum 14. millibus militum, ad agrum, & fines tutandos, ne facilis Scanderbego pateret incurſio, qui copias ſuas partim in Ocridam vrbem, quæ nunc ab incolis Alchria nuncupatur, partim verò extra vrbẽ, & in ſuburbijs collocauerat, vbi circumquaque caſtrametati erant. Erat enim prope vrbem lacus, ex quo Drino flumen exordium ſuum habet, ingens, & piſcium copia ac diuerſitate admodum celebris. Quò cum Scanderbegus perue-

De aductu Seremetij præfecti cum exercitu, ad fines Thraciæ, Macedoniæque.

Ocrida vrbs, dicta Alchria.

perueniſſet, ad tria millia paſſuum inde procul ſe occultans cum decem millibus equitum, peditumq́, in inſidijs ſtetit. Ad hoſtemq́ quingentos equites expeditos præmiſit. Quibus Peicum Emanuelis, & Petrum Angelum Driuaſtenſem Andreæ filium præfecerat, viros tam genere, quam factis claros, quo illum (ſi poſſent) ad pugnam & certamen prouocarent. Nouerat enim Scanderbegus ibi eſſe quæſtorem quendam omnium vectigalium & tributorum Mahumetis, virum prædiuitem, & bellicoſum, ac pugnæ percupidum, qui facile ad pugnā prouocaretur. Iniunxerat autem Scanderbegus militibus ſuis, qui ad prouocandum hoſtem profecti erant, vt ſi hoſtis erumperet, & ad pugnandum egrederetur, ei frigidè reſiſterent, retroq́ pedem ferēdo fugam ſimularent, vt is fugientes inſequutus, ad locum inſidiarum perueniret, in quo ipſe eos expectabat, ſicque eſt effectum. Quo vbi Scanderbegus hoſtem appropinquaſſe vidit, repente ex inſidijs proſiliens, ſummo impetu eum ex omni latere adortus fudit atq́ diſſipauit. Cæſi ſunt ex hoſtibus ſupra 10. millia, plures capti: inter quos ipſe quæſtor cum filio

Victoria Scanderbegi cōtra Seremetium.



præfecti caſtrorum, & alijs 12. magnæ autoritatis viris, vincti ad Scanderbegum deducti ſunt, qui 40. millibus aureorum ſe redimerunt. Quibus donata à Scanderbego libertate, vniuerſa eius caſtra donis & muneribus impleuerunt. Reuerſus itaque Scanderbegus in caſtra, & ad proprios agros victor, cum copijs ingenti gaudio expectabat, vt Chriſtianus exercitus, & cruceſignati transfretarent: ſed fortuna inuida, & maligna, quæ nemini mortalium longo ocio, longaq́ voluptate frui permittit, omnia in ſubitum mœrorem conuertit. Nam ecce paulopoſt Scanderbego nunciatur,

tur, Pium Pontificem maximum, qui cum Chriſtianis copijs, & cruceſignatis aduerſus Mahumetem egreſſus fuerat, cui etiam Princeps Venetus cum Senatoribus ſuis, & inſigni maritimo apparatu occurrerat, vt primum pedem in Anchonæ vrbem intuliſſet, vitam cum morte commutaſſe. Ex quo Chriſtianus exercitus, & omnes cruceſignati hincinde diffuſi, paßim diſperſi, ad propria rediêre. De cuius viri laudibus pauca in medium afferre decreui, ne vnus omnium viri illius virtutes reticuiſſe videar, cum autores ferè omnes de eo accumulatißime, elegantißimeq́ ſcripſerint. Fuit autem Pius, qui prius Aeneas Syluius poëta vocatus eſt, patre Syluio, matre Victoria, Senis ex nobili genere, & peruetuſta Picolhominea familia oriundus, virtute præſtans, vitæ ſanctitate conſpicuus, ſtudijs humanitatis præcipuè excellens vir, in quo ambiguum erat, doctrina maior, an eloquentia fuerit. Grata hominis præſentia, blandi mores, vita in omni ætate nitida. Religionis zelum, ſalutem, ampliationemq́ fidei Chriſtianæ quærens, eiusq́ cultor, ac maximus propugnator, quem per Eccleſiaſticos dignitatis gradus profectum, ſacer Senatus Cardinalium in Pontificem maximum elegit, & omnes Chriſtiani Principes tanquã cæleſtẽ quoddam numen, & altißimo domicilio demiſſum in terram, omni pietatis cultu veneratus eſt. Fuit etiam Pius omnium noſtri ſeculi fortunatißimus, Princeps pacificus, & omnium fermè pater, ac magiſter, qui ea ætate noſtras, aut Græcas profeßi ſunt literas. Admirabilis profecto vir, & omni veneratione dignus, qui omnem ætatem ſuam legendo, docendo, ſcribendo percurrit. Scripſit enim complura volumina, tam diuinas quam humanas complexus res. Contexuit hiſtorias multas, ac varias, cum locorum, & totius ferè orbis ſitu, quæ nunc ſingula referre non eſt opus, cum ea ædita per manus omnium quotidie perlegantur. Magnus profecto, & clarus Pontifex, contempſit pecunias, virtutem apprime dilexit, neque ſecundis rebus intumuit, neq; ſuccubuit aduerſis, neq; ſpes ei gaudium, neq; metus triſtitiam auxit. Potus, cibiq́ parcißimum fuiſſe tradunt, Diuina officia interdiu noctuq́ nunquam neglexiſſe. Pompas ſeculi fugerat, calcauerat auaritiam, libidinem ſubegerat, ſedatus animus eundem ſemper eius vultum oſtendit. Durus & aſper in hoſtes Chriſti, promptior in fide receptis. Euangelij non ſurdus auditor. Omnia inter Chriſti pauperes erogauit. In quo ea à principio modeſtia, ea grauitas, id acumen ingenij, id ſtudium literarum, is amor virtutis emicuit. Cum primum vero Pontificatus apicem adeptus eſſet, magis effulſit. Multa in Turcas parauit, Reges & Principes omnes concitauit. Sed dum hæc molitus, à fatis de medio ſublatus eſt. Cuius quidem occaſu tantum Reſpublica Chriſtiana detrimenti ſuſcepit, vt adhuc eius obitum maxime lugeat, cuius conſilio, auxilioq́ ſemper vſa eſt. Cum emergere, reſpirare, & iamiam in portu, & in tuto propediem ſe fore

Pius II Papa, Anchonæ moritur.

Vita Aeneæ Syluij.

ff ſpera-

ſperaret, ſubito, & inopinato illius caſu afflicta eſt, & nunc conſternata admodum, & à Barbaris vndiq; exagitata plurimum mœret atq; triſtatur. Quo certè triſti nuncio Scanderbegani milites, qui prius de victoria gloriabundi cum triumpho venerant, tanquam fulmine icti, dolore quã maximo penè confecti ſunt, quod huiuſcemodi expeditio à Chriſtianis contra Mahumetem ſuſcepta, in irritum cecidiſſet. Sed magnanimus & inuictiſſimus Princeps Scanderbegus nihil admodum ex hac ruina, & Chriſtiana calamitate territus eſt, neq; dolore perculſus, ſed hilarem in milites ſuos vultum præſeferens, conuocatis militibus, & eleuatis oculis ad cœlum, ſic religioſiſſime clara voce locutus eſt:

Vt Scanderbegus tulerit mortem Pij 2.

Dominus meus & Deus meus, cunctorum cognitor, qui noſti omnia antequam fiant, cui præterita & futura tanquam præſentia patent, & in conſpectu tuo ſunt, à quo omnia in vero & recto iudicio fiunt, qui cuncta optimè regis atque moderaris, cuius diuina & immenſa ſapientia a fine ad finem vſque pertingit, & omnia ſuauiter diſponit, vota mortalium, & deſideria noſtra quandoq; fruſtraris, nec nos permittis ſemper his ex animi ſententia potiri. Quæ & ſi quidem bona nobis & vtilia apparent, in conſpectu tuo tamen longe aliter ſe habent. Multa etenim profecto, quæ nobis videntur profutura, maxime aduerſa à te fore dignoſcuntur. Nanq; (vt quod intendit meus iam exprimat animus) nulla eſt ita magna ciuitas, aut populus, qui ſi foris hoſtem non habeat, domi nõ inueniat, cum quo certet & contendat, quo etiam prævalida corpora ab externis cauſis tuta, ſuis ſe viribus premunt, & onerant. Vtinam Romani Carthaginem ſibi æmulam, & aduerſariam non euertiſſent, hoſtem foris non ſuſtuliſſent, quo haberent quem ſemper timerent. Nam ciuilibus inter ſe bellis non conflagraſſent, arma in ſeipſos non conuertiſſent, res eorum & imperium nunc forte ſtaret. Nam timor externus, qui optimus tutor, & maximum domeſticæ concordiæ vinculum eſſe dicitur, eos tutatus eſſet, atque conſeruaſſet. Ita nunc dicendum forſan nobis nec iniuria, de Chriſtianis & fidelium populo. Qui ſi hoſtem foris non haberemus, aduerſario careremus, qui nos ſolicitatos & timidos teneret, procul dubio arma propria in noſmetipſos conuerteremus, & domeſticis, ciuilibusq; bellis vnà omnes rueremus. Igitur nequaquam inutile Chriſtiano populo fuiſſe exiſtimo, quod hæc Turcica & hoſtilis expeditio modo non proceſſerit, ne dum hoſtem fugaremus, magis dolendum, & truculentiorem domi pararemus nobis incendium. Quamuis fatendum eſt indubitanter illud, atque pro certo habendum, Ottomanum imperium, quod vi, inſidijs, & peſſimis artibus exortum atque auctum eſt, & diuinis humaniſq; obrutum ſceleribus, cito caſurum eſſe, periturumq;, quia malè parta (vt ſapienter dictum eſt) malè dilabuntur, & nemo diu tenet violenta imperia. Rem verò Chriſtianã, & Petri

Ottomanum imperiũ malè partum.

naui-

nauiculam diuino ore fundatam atque erectam perpetuo duraturam certum eſt. Ex quo Deus omnium domine, & rex omnipotens, qui longe nobis vtiliora atque meliora quam ipſi poſtulare nouimus, tua benignitate dare atq; cōcedere dignaris, te ſupplices humiliter deprecamur, vt mala & peccata noſtra diluas, fidemq; tuam, & populum Chriſtianum à rabie & Ottomano furore defendas, quem hic truculentiſſimus Tyrannus Mahumetes continue perſequitur, ſuaq; immanitate perdere atq; euertere conatur. Cæterum dimiſſo nunc pauliſper Scanderbego, ad Mahumetem Principem me conuertam. Qui audita fuga & cæde ſuorum militum, qui cum Seremetio eius præfecto profligati fuerant, maiori ira atq; furore accenſus, alium præfectum contra Scanderbegum, Ballabanū Baderam nomine, cum Ballabanus Badera præfectus.



quindecim millibus equitum, & tribus peditum miſit. Hic vir non minus ſtrenuus & bellicoſus, quam rei militaris peritus, & callidus erat, qui præclara facinora multa ſub Mahumete ædiderat. Nam hic ea tempeſtate, qua vrbs Conſtantinopolitana à Mahumete expugnata fuit, primus muros vrbis aſcendit, vrbemq; ipſam ingreſſus eſt. Propterea Mahumetes ipſum ad præfecturæ dignitatem ex infimo gradu promouerat. Erat enim Ballabanus Epiro oriundus, genere & parentibus obſcuris, Iohanni Caſtrioto patri ipſius Scanderbegi ſubiectis. Qui cum admodum puer eſſet, à Turcis captus, in ſeruitutem deductus eſt. Breui, & modica corporis ſtatura erat, ſed peracris ac ſolertis ingenij, magniq; animi, atque intrepidi, vt de Tideo illo apud Homerum ſcriptum eſt, quem corpore exiguum, ſed maximum bellatorem fuiſſe tradunt, viribus & robore corporis pollens, manu promptus, belli percupidus atque ardens. Qui vt primum ad vrbem Tideus Homericus.

ff 2 *Alchriæ,*

Alchriæ, & fines Macedoniæ peruenit, exercitumq́ ſuum perluſtrauit; maxima dona & munera ad Scanderbegum ſibi conciliandum (vt quidam voluêre) occultè miſit, ne ſi forte à Scanderbego profligato ſuo exercitu caperetur, ab eo obtruncaretur. Quamuis propius ſit fidei, quod id non fecerit, niſi fictè, ſimulateq́, vt poſtmodum liquido re ipſa patuit. Nam ipſe totis viribus, arte, & ingenio Scanderbegum euertere contendit. Verum Scanderbegus, quem inſidiæ, aſtus, & Barbara fraus non latitabat, eius amicitiam, dona & munera reſpuens, eidem ligonem, vomerem, falcem, aliaq́ inſtrumenta ruſticana dono remiſit, mandauitq́ ei, vt omiſsis rebus bellicis (cum ea curatio altior eſſet faſtigio ſuo) ruralia & agreſtia officia, paterno ac maiorum ſuorum more exerceret, qui vilem ac paganam vitam ſemper excoluerant. Quod Ballabanus permoleſtè atque indignè ferens, Scanderbego valde iratus atq́ ſuccenſus eſt, iurauitq́ ſe de hac ignominia (ſi tempus ac opportunitas ſibi daretur) omnino vltum iri. Itaq́ ſtatuit nocturno tempore furtim, & ex improuiſo Scanderbegum adoriri. Itaque contra eum noctu caſtra ſua mouit, ſed Scanderbeg ab exploratoribus ſuis admonitus, ſtatim ei occurrit. Quo cognito Ballabanus exercitum ſuum gradum ſiſtere iuſsit, ne vlterius progrederetur, qui ad duo ferè milliaria à Scanderbeganis caſtris ſibi locum cæpit. Erant autem in exercitu Scanderbegano quatuor tantum millia equitum, peditũ verò mille & quingenti. Non quod maiores ei ad delectum copiæ (ſi voluiſſet) & militum numerus deeſſet, ſed quia veteranos omnes, & florem iuuentutis deligebat, quorum virtuti multum confideret: & melius videbatur (vt Fabius ille dicere eſt ſolitus) omnes locupletes reducere, quàm multis rem gerere militibus. Quem præterea dicere ſolitum audio: Ducem illum, ſiue Imperatorem, qui cum octo millibus, vel 12. ad plus, hoſtem vincere neſciebat, haud quaquam cum maioribus longe copijs victoriam reportaturum eſſe. Multitudinem enim copiarum, & militum numeroſitatem confuſionis cauſa, ac victoriæ impedimento pluries extitiſſe aſſerebat. Barbarus autem (vt prædiximus) 15. millia equitum, peditum verò tria millia habebat. Erant autem Scanderbegana caſtra in valle quadam amœna, & ſpacioſa, quæ in longum protendebatur, cui Valchalia nomen erat. Barbari verò ex altera vallis parte caſtra poſuerant iuxta montem, qui Valchalem ipſam terminabat. In cuius ingreſſu fauces, & anguſtiæ erant, nam Barbari ipſas fauces & montem in ſua poteſtate tenebant. Ibiq́ inſidias diſpoſuerant, vt cum pugnam commiſiſſent, ſi forte Scanderbegani victoriam conſequuti, fauces ipſas ingrederentur, vt inde ad caſtra diripienda pertranſire poſſent, ab his, qui ibi in inſidijs aderant, perturbarentur, occiderenturúe. Scanderbegus verò, qui in altera vallis parte caſtra ſua collocauerat, volens inde ſe mouere, & collem, ſiue tumulum quendam, qui ſibi

Ruſtica dona, quæ Scanderbeg miſit Ballabano.

Fabij dictum celebre.

Valchalia locus caſtrorũ Scanderbegi.

ſibi à tergo imminebat, præoccupare, quo tutius atq; commodius ſtare poſſet, his verbis milites ſuos præmonuit:

Commilitones mei, compertum eſt mihi hodierna die hoſtes nos ad pugnam prouocaturos eſſe, ſed prius quàm veniant, hinc caſtra amoueamus, & collem, qui contra nos eſt, præoccupemus, quo tutius commodiusq; eſſe poßimus. Verum aduertite, quod hoſtis, cum nos hinc diſcedentes viderit, Adhortatio Caſtrioti ad ſuos.



nos fugam arripere exiſtimabit, quia numero pauciores ſumus. Ideo repente impetum in nos faciet, ſed vos viri fortißimi impetũ eorum fortiter ſuſtinete, in eosq; conuerſi acerrime, intrepide (vt ſemper facere conſueuiſtis) irruite, perterrefacite, & in fugam conuertite, quos (haud mihi dubium eſt) ſtatim profligabimus. Sed cauete, cauete (quæſo) milites mei optimi, & ſtrenuißimi, cum hi in fugam conuerſi fuerint, & vos cædendo, obtruncandoq; eos perſequuti fueritis, fauces illas, & Valchales furcas nequaquã ingrediamini, nec vlterius procedite, quia in his Barbarorũ inſidiæ latitant. Noui enim milites mei amantißimi, noui, inquam, Barbarorũ ingenium, noui eorũ ſtratagemata, & calliditates, in quibus huiuſcemodi hominũ genus plurimum verſatur. Hæ enim anguſtiæ & fauces, quas videtis, milites mei egregij, plenæ ſunt armatis, qui nos in inſidijs poſiti expectant. Vbi ſi ingreßi fueritis, omnes profecto ad vnum trucidabimini. Satis ſit igitur vobis victoriam ad fauces vſque ſequi.

His dictis Scanderbegus, cũ vniuerſus exercitus incredibili alacritate adhortationẽ eius proſequutus eſſet, nõnullas præmiſit expeditorum cohortes, quæ montem & collem, quem caſtris ſuis deſignauerat, præoccuparent.

ff 3 Dehinc

Dehinc ipſe collem verſus caſtra mouit. Quod cum Barbarus aduertiſſet Scanderbeganos aufugere ratus, inordinato milite, & effuſo curſu, vallem ipſam cũ impetu ingreſſus in eos irruit. Sed Scãderbegani milites & animo, & audacia pleni, neq; clamore, neque impetu Barbarorum perterriti, ſed conuerſis aciebus, & vexillis, ſumma vi, totisq; viribus Barbari impetum ſuſtinendo, cum eo acerrimè pugnam inierunt. Certamen ingens oritur, cædes vtraq; ex parte valida fit, victoria diu nutans in ancipiti ſtetit.



Sed tanta fuit conſtantia, & pertinacia Scanderbeganorum militum, & quia Barbari turbato & confuſo, vt iam prædiximus ordine, ad pugnam irruerant, venerantq;, vt victoria proculdubio de hoſtibus potirentur, qui fuſi atq; profligati à Scanderbeganis militibus vſque ad anguſtias & Valchales furcas compulſi ſunt. Cæterum octo tantum viri ex Scanderbeganis bellicoſiſſimi, & fortiſſimi, quorum quiſq; certè inter optimos duces & imperatores connumerari poterat, Martis furore, impetuq; belli longius delati ſtudio inſtandi, ſequendiq;, præceptorum ducis immemores trahuntur ad locum inſidiarum, & fauces ipſas ingreſſi ſunt. Quas non multominus forte Epirotico ſanguine, quam Caudinas clade Romana inſignes dixerim, vbi Barbarorum inſidiæ aderant, quas Scanderbegus, prius eis non falſus vates prædixerat, quo in loco diu pugnârunt, fauces tandem illas & anguſtias euaſi, egreſſiq;, ad caſtra Barbarorum peruenerunt, vbi etiam manus cum hoſte conſerentes, ad extremum in montem, qui in Barbarorum pontem erat, confugerunt, ibiq; rurſus in inſidias inciderunt. Itaque

Caudinæ fauces. Vide Liuium lib. 5. de bell. Maced. & Aſia.

poſt

poſt multa vulnera defeſſi, ac defatigati, laſſiq́, viui à Barbaris capti ſunt; qui ob eorum animi præſtantiam, & corporis fortitudinem minime reticendi ſunt. Quorũ profecto ſi præclariſſimas & egregias virtutes, & quic-

Captiui Epirenſes Conſtãtinopolim ducti.



quid ipſi ſumma cum laude pro Chriſtiana fide ſemper geſſerint, complecti vellem, in longiſſimam exirem hiſtoriam, nunc nuda tantum eorum nomina ponam.

In primis itaque occurrit Moſes ille à Dibris, de quo ſuprà multa diximus, Scanderbego vnus maxime charus, ac fidus, cui ſumma res exercitus ab eo demandata fuerat. Poſt hunc Giuriza Vladenius, qui Scanderbego ſanguine coniunctus erat. Muſachius Angelinæ, nepos Scanderbegi ex ſorore, Ginius Muſachius, Iohannes Perlatus, Nicolaus Berriſius, Georgius Chucca, & Ginius Maneſſius, qui lachrymoſiorem caſu ſuo rei Albanæ ſtatum fecerunt, quam vnquã antea. Nam cum omnes & corporis robore, & animi fortitudine, & militari ſcientia plurimum excellerent, tanto præterea terrori atq́ formidini Barbaris fuerant, vt cum Ottomano Principi illos captos ad ſe deductos nunciatũ fuiſſet, Mahumetem hæc dixiſſe ferunt: Nunc vere ſcio, nunc certum eſt mihi Scanderbegum corruiſſe, vires eius cõſternatas atq́ proſtratas eſſe, fortitudinem & audaciam ſuam amiſiſſe. Poſtquam eum ſolus Ballabanus puer meus, & filius meus ex omnibus ducibus & præfectis meis, qui ante eum fuerunt, ſtrenuus vnus, & bellicoſus, vincere, ſuperareq́ nouit, à quo tot Duces noſtri, & Imperatores fortiſſimi bello, & pugna ſuperati, partim ſub iugo in captiuitatem deducti, partim cæſi & obtruncati ſunt. Qui poſtquam Ballabanum

multum

multum ſatisq; laudauit, aurum & argentum cum alijs plærisque donis & muneribus ei miſit, mandauit, vt inſtaurato ſuppletoque exercitu contra Scanderbegum bellum continuaret. Verum Scanderbegus, cui maxima cura & ſolicitudo de militibus ſuis inerat, qui à Ballabanio capti, ad Mahumetem vincti miſſi fuerant, confeſtim nuncium ſuum cum literis ad ipſum Ottomanum miſit. A quo petijt, vt milites ſuos, qui à Ballabanio pugnando capti fuerant, aut auro vendere, aut captiuis permutare vellet. Quos Mahumetes nec auro tradere, nec captiuis permutare voluit. Sed quum nullum calamitatis, contumeliæq; genus non æditum in eos eſſet, omnes excoriari more ſuo iuſſit. Qua fœditate ſupplicij aliquanto ignominia Chriſtianorum inſignior fuit, eorum interitum vniuerſus exercitus maxime luxit, nec victoria de Ballabanio conſecuta eſt. Multum gauiſus propter huiuſmodi virorum amiſſionem. Maior itaq; è ciuibus deſideratis dolor, quam lætitia fuſis hoſtibus fuit, & deplorati ſunt omnes, non priuato magis, quam publico luctu. Magnam quoq; partem audio veſtem mutaſſe, multos mortales capillum ac barbam promiſiſſe. Scanderbegus ipſe etiam abſentia & deſiderio eorum, magno eſt dolore affectus, qui tamen (vt erat intrepidi atq; inuicti animi) irritatus magis ea re, quam fractus, ſtatim Turcicum, & hoſtilem agrum vlciſcendi magis, quam prædæ ſtudio inuaſit, omniaq; depopulatus eſt. Nulla incolumi relicta re, cui ferro, aut igni nocere poſſet. Cæterum Ballabanius, cui prouincia à ſummo Principe aduerſus Scanderbegum belli continuandi demandata fuerat, inſtaurato, atq; ſuppleto exercitu ſuo in Alchriam vrbem ad Macedoniæ fines cum 15. millibus equitum, & tribus peditum reuerſus eſt. Qui aſtu, & fide Barbara ſimulans amicitiam cum Scanderbego velle, varia ac diuerſa dona ei miſit. Quibus Scanderbegus ſpretis atq; reiectis, reſpondit ei, vt ruralem & paganam vitam, omiſſa militari, excolere deberet. Qua de re Barbarus admodum ſuccenſus, inſidijs, atque omni ſua calliditate occaſionem quærebat, qua Scanderbegus improuiſus aggrederetur, opprimereturq;. Itaque die quadam ſumpta opportunitate, ignorantibus cuſtodibus, & vigilibus ipſius Scanderbegi, caſtra ſua in loco Oronicheo dicto ſuperioris Dibræ, & iam eum ex improuiſo oppreſſerat, ni ipſe Scanderbegus, qui ſemper peruigil, ſolers ac diligens in caſtris erat, equorum fremitum & ſtrepitum noctis tempore caſtra obequitans (vt ſui moris erat) à longe præſenſiſſet, atque hoſti in ſe ruenti mox tumultuario ordine (neque enim aciem digerendi ſpacium fuit) obuiam proceſſiſſet, cum quo inito prælio acriter, totisq; viribus pugnans, in fugam conuertit, vniuerſumq; eius exercitum penè deleuit, caſtrisq; eius potitus eſt, haud quaquam tamen incruento milite ſuo. Poſtquam Mahumeti hæc nunciata fuerunt, diu multumq; ſecum cogitans quid agere deberet, an alium quam Ballabanium copijs ſuis aduerſus

Epirenſes excoriati viri ſtrenui.

Prælium Ballabani & Scanderbegi.

Scanderbegum præficeret, qui omnino inuictus atq; inſuperabilis habebatur, qui tot duces & præfectos, tam ſuos, quàm Amurathis patris bello ſuperauerat, Ballabanumq; ipſum re bellica cæteris ducibus & imperatoribus longe præſtantiorem, parua manu fuderat, atq; profligauerat. Ad extremum Ottomanus multis de cauſis decreuit adhuc ipſum Ballabanum cum exercitu contra Scanderbegum mittere, tum quia ei inimiciſsimus erat, tum quia Albania oriundus, loca omnia Epiroticæ terræ optimè nouerat. Præterea, vtpote qui norat animum humanum inſatiabilem, ipſius Scanderbegi regnum ei promiſit, ſi illum è medio tollere poſſet. Itaq; maximo & validiſsimo exercitu ipſum expediuit. Qui quum ad vrbem Ochridam decem & ſeptem millibus equitum, & tribus peditum veniſſet, imprimis optimos ac velociſsimos equos, necnon veſtes ex auro & argento contextas, Scanderbego dono miſit, poſtulans ab eo, vt eius amicitiam atque

Quę Turca ꝑmiſerit Ballabano, ſi vincat Scanderbegum.



ſocietatem non dedignaretur, cui fidem ſuam mutuamq; beneuolentiã ſemper præſtaturum ſe, ſeruaturumq; pollicebatur. Quæ omnia Barbarus ficte callideq; agebat, vt ſi Scanderbegum in ſuam ſententiam adducere poſſet, incautum improuiſumq; opprimeret. Sed Scanderbegus ſatis edoctus, nullam Barbaro fidem præſtabat, ſed munera, & amicitiam ipſius explodens, pro vili ruſtico, & pagano illum ſemper habebat. Quum iam Ballabanus interuallo trium ferè menſium in Ochridam vrbẽ moram traxiſſet, nec occaſionem aggrediendi Scanderbegum ex improuiſo vnquam nactus eſſet, ſtatuit omnino fortunam tentare, & cum Scanderbego palàm

bellum committere, cui cum de aduentu ipſius relatum eſſet, his breuibus paucisq́;, milites ſuos ſic ad pugnam, ſic pro victoria cohortatus eſt:

Cohortatio Scanderbegi ad milites.

Noſtis ſocij & commilitones mei, nos aduerſus fures, prædones, atque Reipublicæ Chriſtianæ perſecutores, pro eiuſdem ſalute atque tutela pugnare. Quamobrem forti, paratoq́; animo ſitis, vt cum ad rem ventum erit, memineritis vobiſcum gloriam, decus omne, præterea libertatem ferre, patriam, liberos, fortunasq́; veſtras. Si ſuperiores erimus, omnia tuta erunt nobis: ſi imbelles, timidiq́;, nihil infœlicius, nihil contemptius. Deus ipſe præterea, qui hoſtes veſtros perſequitur, fouet nos, viresq́; ſuggerit, qui ad iniuriam propulſandam occurrimus, quo audacius aggrediamini priſtinæ virtutis memores. Egreſſurus itaque Scanderbegus aduerſus Turcas, Barbarosq́;, imprimis Deo optimo maximo pro victoria vouebat. Erat enim in eo Principe Numæ quoddam & Romuli ingenium, nihil nec diuinæ, nec humanæ opis prætermittens, quæ dehinc in bello opus erant, parabat. Aliquibus ex ſuis militibus equos donabat, alijs arma, alijs veſtes, nonnullis pecunias, alijs verò alia, vt eorum animos ardentius, vehementiusq́; ad bellum excitaret: hortabaturq́; illos, vt forti, præſentiq́; animo eſſent, & magnitudine præmiorum ac ſpoliorum mouerentur, nec labore itinerum deterrerentur, nec grauarentur geſtare faſcem, & ſolis ardores, ac glaciale frigus conſtanti animo tollerarent, & vt vallo, foſſaq́;, caſtra communirent, pro portis excubarent, acriter ancipites inferrent pugnas, vel vera laude penſarent, mortem ignominia potiorem exiſtimarent. His peractis, copias ſuas in ampliſſima planicie, in agro Sfetigradenſi deduxit, vbi Ballabanus cum ſuo exercitu aderat. Diuiſerat enim Scanderbegus exercitum ſuum in quatuor acies, quarũ primam Goico Streſio nepoti ex ſorore dederat, aliam Tanuſio Ducagino, tertiam duci Muſachio, viris bellicoſiſſimis, quartam verò ſibi in cohortem retinuerat. Pedites verò inter equitum alas collocauerat, quibus quatuor viros bellatores acerrimos præfecerat, Paulum Maneſſum, Peicum Manueli, Demetrium Beriſſam, & Raianum Chuccam, quo ſic in ordine & cornu deducto, intrepidus, hilari animo hoſtem ſuum expectans, nec pugnam detrectans. Prouocatus hincinde, elatis vocibus pugnam acerrimè inijt, crebri ex vtraque parte cadebant, ſed ex Barbaris plures, ingens ſtrages, & cædes vndiq; edebatur. Si quis profecto Scanderbeganos milites pugnare vidiſſet, exiſtimaſſet eos non vt homines, ſed vt fortiſſimos & robuſtiſſimos leones. Qui in hoſtes ſæuiendo vndique eos perterrebant, nulla ipſi vi, nullo periculo perterrebantur, vel pedem referebant, quippe quibus ſemper non minus animi ad mortem ipſam, quam ad cædem erat. Scanderbegus verò Princeps, qui hoſtium naturam moresq́; tenebat, maxima cum prudentia, atque dexteritate bellum committebat, multo labore, multaq́;

Scanderbeg præditus ingenio Numę aut Romuli.

Scanderbegani milites leones.

cura

cura obuiam periculis eundo. Ipſe cum equitibus in prima acie verſabat, laborantibus ſuccurrebat, integros pro ſaucijs ſuggerebat, omnia prouidebat, multum ipſe pugnabat, ſtrenui militis, & optimi imperatoris ſimul officia exequebatur. Nam ſicubi acies flectebatur, illic præſto erat, pugnam reſtituebat, ſicubi pluribus labor erat, periculumquе imminebat, illic Scanderbegus aderat, rem iam inclinatam ſuſtinebat, in confertiſsimos hoſtes ſeſe conijciebat, præſentiaqúe ipſius omnis vis ceſſabat,



omnis pugna dirimebatur. Ita Turcarum animis nihil terribilius erat, quàm ipſius forte oblata ſpecies, qui quocunque ſe intendiſſet, victoriam ſecum haud dubiam trahebat. Omnia præſente Scanderbego, Marte ſecundo expediebantur, omnis periculi vis & procella ceſſabat, adeò vt Albani, Barbari, & Christiani omnes vno ore clamarent, affirmarent, Scanderbegum maximum in orbe terrarum bellatorem, Deum produxiſſe. Quum ita igitur inter denſiſsimos hoſtes pugnaret, equus ei à Barbaris lætali vulnere confoſſus, ſuper vetuſtæ arboris truncum prolapſus decidit. Isq́; in brachio graui ictu læſus eſt, ſuperqúe truncum illiſus propter ſubitam equi ruinam. Arbitrati ſunt Barbari Scanderbegum exanimatum eſſe, omnesq́; conglobati ibi vt eum obtruncarent, accurrerunt. Sed à militibus ſuis ſubito protectus, à furore, & impetu eorum tutatus eſt. Adiutusq́; ſtatim equum inſilijt, & lenito, mitigatoq́; dolore, refocillatisqúe viribus, pugnam acerrimam cum Barbaris redintegrauit. Qui tanto impetu cum cohorte ſua in hoſtes delatus eſt, vt quotquot ex illis accurrebant, ab eis proſternerentur, haud aliter cædes & ſtrages ex Barbaris fiebat,

Scanderbeg pro Deo habetur.

gg 2 *quam*

quam ſi videres in campo calamos à vi & tẽpeſtate euulſos radicitus corruere, & ad terram proſterni. Sic Scanderbegus per omnes hoſtium acies hac illac diſcurrens prouolabat, atque penetrabat, vt fulminis & fulguris inſtar videretur. Cui cum Sulimanus quidam ex Ballabani præfectis, vir maximi nominis, atque virtutis occurriſſet, illumq́ Scanderbegus fortiter obtruncaſſet, tantus terror hoſtes inuaſit, vt Turcæ de victoria deſperantes, neque vim, & impetum Chriſtianorum ſuſtinere valentes, ſtatim qui ſemper à Scanderbegano milite vinci ſueti erant, in fugam conuerſi, ab eoq́ inſecuti, cæſi ferè omnes, profligatiq́ ſunt: Ballabanus ipſe amiſsis caſtris & impedimentis, vix euadere potuit. Qui poſtquam à Scanderbego fugatus, eiusq́ exercitus penè deletus, cum pauciſsimis ferè militibus ad Ottomanum profectus, ab eo de graui, multiplicíq́ clade, ſtrageqúe à Caſtrioto ſuſcepta, valde reprehenſus eſt. Apud quem Ballabanus ipſe appoſitis verbis, & longa oratione ſe excuſare nixus, totis viribus intendebat, & Tyrannum in ſuam trahere ſententiam, eiqúe perſuadere viam quandam, & modum ad expugnandum, ſubuertendumq́ Scanderbegum; quem ſi ipſi Ottomano tentare, expeririqúe placeret, ſucceſſurum omnino ſperabat. Oratio Ballabani ad Ottomanum. *Igitur coram eo ſic exorſus eſt. Nihil ſanè turpius (vt opinor) Princeps ſereniſsime, nihil fœdius, nihil ingratitudine deteſtabilius, quo vitio, qui aſperſi atque contaminati ſunt, ij non ſolum ex cœtu & cœleſtium col-*



legio, verumetiam ex numero hominum, & ex finibus humanæ naturæ prorſus exterminandi. Quum enim ſæpe ſæpiusq́, Princeps inuictiſsime, mecum conſidero, atque mente reuoluo beneficia, quæ à tua maieſtate ſemper in

per in me (quæ tua eſt liberalitas) collata ſunt, nulli profectò me magis (cum à Deo diſceſſerim) quam tuæ maieſtati debere, atq; obſtrictum eſſe confiteor. Tu enim mihi ſemper parens, tu benefactor fuiſti, per te ſpiritum, per te vitam, & quicquid ſum, habeo. Longum etenim profectò mihi eſſet, nunc omnes præfecturas, honores, & dignitates, quibus ſub imperio & auſpicijs tuis functus ſum, enumerare, pro quibus omnibus, quemadmodum me tibi poſſe gratum facere, vicesque referre non video, niſi ſi toto tempore vitæ meæ, diù noctuq; inſudarem, inuigilarem, elaborarem, & tandem ſanguinem effunderem, & animam deſponderem, quod (Deos teſtor) me ſemper feciſſe, ac in poſterum omni fide, ſinceritate, atque obſeruantia facturum ſpondeo. De Scanderbego illo, Epirotarum Principe, hoſte noſtro acerrimo, nunc tota res agi, verſariq; videtur, à quo nuper (ſic forte Dijs volentibus) profligatus, atque in fugam conuerſus ſum, ex quo tuæ maieſtati (forte non immeritò) me dignum reprehenſione fore viſum eſt. Sed nunquid à Scanderbego tantum, an Deorum voluntate potius profligatus ſim, nunc tempus differendi mihi eſſe non videtur, verum potius deliberandum, quid ſit cum hoc hoſte agendum, hoc tantum me dixiſſe tuæ maieſtati nunc ero contentus. Teſtor enim Deos, omnesq; commilitones meos, qui ex hoc prælio & certamine ſuperfuerunt, quod antequam ad rem deuenirem, & cum hoſte congreſſus eſſem, omnia paraui, omnia diſpoſui, omnia locaui, atque firmaui, non conſilium defuit mihi, non tempus aptum, accommodatumq; ad pugnam, non locus, non miles, non ordo, nihil quod pro victoria, & ad victoriam conſequendam faceret, aut omiſi, aut prætermiſi. Verùm quia hæc non in manu noſtra, ſed in manu fortunæ eſt, quæ pro animi ſui libidine humanas res & negocia verſat, alternat, variat, eademq; extollit, atque iterum deprimit, ideo non armis tantum Scanderbegi, ſed voluntate Deorum potius me victum, ſuperatumque fuiſſe attribuo, quorum conſilia & decreta nobis occulta, atq; omnino ignota ſunt. Sed ad propoſitum redeo. Multa hercle de Scanderbego ſupra hominem prædicare audio, ſereniſsime Princeps, illum eſſe fatalem, & diuinum, bello inſuperabilem, armis inuincibilem, ferro inuulnerabilem, quem mater eius in vtero geſtans, per noctem in quiete vidiſſe dicitur, ſerpentem immenſæ vaſtitatis & magnitudinis ſe parituram, qui aperto ore caput protendens in terram & gentem noſtram, omnes nos dilaniabat, atque deuorabat. Pedes verò & reliquas corporis partes in mari extendens, inter Chriſticolas pacificè, quieteq; tenebat. Quæ cum ſomnij horrore vehementer exterrita expergiſceretur, tota tremebunda, viro ſuo Iohanni Caſtrioto quod viderat per quietem, retulit: ipſe lætus atq; hilaris ſic eius ſomnium interpretatum fuiſſe ferunt, ipſam bono eſſe animo, nihilq; timere, quia non ſerpentem, ſed filium pareret, qui vir magnus, ar-

 mis cla-

mis clarus, & ſtrenuus euaſurus, Turcis, & Ottomanæ legi hoſtis acerrimus atq; perpetuus foret: Chriſtianorum verò, eorumq́; fidei propugnator maximus atq; mirificus. Verum quid ego de homine planè ſentiam, nunc proferam, & in medium adducam. Scanderbegū virum ſtrenuum, & bellicoſum eſſe, belli & militiæ peritū, ſcientiam, & artem militarē peroptimè callere, non eo inficias. Nam ſemper vel quaſi à teneris arma exercuit, pertractauitq́; & militē eſſe, militiamq́; inchoaſſe clarum eſt. Præterea in bello fortunatū, & velut fulmen, & fulgur in pugnā deſcendere, & cum hoſte manum conſerere: tamen illum hominē eſſe, & mortalem, quemadmodū cæteri homines, inſuper vincibilē bello, armisq́; ſuperabilem, nec ſemper victorem fuiſſe aſſeuero, nam & ipſe aliàs victus eſt. Quis enim mortalium tam demens & fatuus, gloriari ſe audeat victorē ſemper, & non victum quandoq; fuiſſe? vel perpetua in hac vita, fœlicitate, ſynceraq; voluptate vſum fuiſſe? quin ex altero dolio (vt aiunt) deguſtauerit. Nonne Scanderbegus (vt tua nouit maieſtas) in Belgradi obſidione à Sebalia præfecto tuo, viro clariſſimo & ſtrenuiſſimo profligatus, eiusq; exercitus totus penè cæſus, ipſe nocturnis tenebris cum parua admodum manu fœdiſſimam fugam arripiens, vix euaſit? Ad anguſtias & Valchales furcas nonne à militibus meis peſſime habitus cum exercitu ſuo, omnes fortiſſimos eius duces, & caſtrorū præfectos pugna & prælio ſuperatos captos, cū maxima iactura & pernicie, tam eorum quàm totius Epiri, ad vrbē regiam tuæ Serenitati vinctos miſi. Qui poſtea iuſſu tuo excoriati, turpiſſima morte necati ſunt. Igitur extenuatæ ſunt iam vires eius & exinanitæ, ob hæc & alia complura ingentia, & aſſidua bella à nobis ei continuè illata. Nec mihi dubium eſt, Sereniſſime Princeps, quin (ſi nobiſcum pugnare voluerit) aut eum viuum capiamus, aut prælio & pugna victum, ſuperatumq́; profligemus, & cædamus, vel (quod facilius crediderim) non valens armis noſtris, copijs reſiſtere, cedens victoriæ conſilium fugiendi capiet, & vacuam nobis Epiri poſſeſſionem abſque cæde, abſq; prælio & ſanguine deſeret, atq; deſtituet. Nouit nanq; tua Serenitas, quod nulla in re plus ambiguitatis, maior incertitudo atq; inſtabilitas verſetur, quàm in bello. Nam qui hodie vincit, cras vincetur, & qui victus eſt hodie, poſtero die victor erit. Ea propter dici ſolitum eſt, incertos eſſe bellorum exitus. Quod quidem rei noſtræ haud diſſonum videtur, nam & ſi pridie victi fuimus, hodie vel cras victores erimus, quia nec ſemper victi, nec ſemper victores perpetuo ſunt mortales. Et ſi vna nobis non ſucceſſerit via, aliam quæ ſuccedat omnino aggrediamur, nec vnquam de victoria deſperandum, ſed ſæpe, ſæpiusq́; fortuna tentanda eſt, quæ maxime in bello plurimum dominatur. Itaque & nos bellum ex integro cum Scanderbego experiamur, arma aduerſus eum ſumamus, exercitus validiſſimos conficiamus, quia (vt ſpero) ſi dictis, & opinioni meæ

Fuga Scanderbegi in obſidione Belgradi.

In bello ſumma incertitudo.

aures

aures, & aſſenſum præſtiteris, Princeps ſereniſſime, victores omnino nos futuros eſſe, nec Deos ſemper iratos auerſosq́ habituros. De quo ego nunc facilem certamq́ victoriam nos Dijs propitijs conſequi poſſe, animo concepi excogitauiq́. Placeat Maieſtati tuæ, Sereniſſime Princeps, decernere, ſtatuereq́, vt duo optimi Imperatores, duo præclariſſimi duces & præfecti, cum valida manu, & florido exercitu aduerſus Scanderbegum deligantur, qui non vna & eadem via, ſed alter ab altero ſeorſum, ſeparatimq́ ab inuicem per diuerſa loca & itinera, ſimulantes aliò potius, quã in Epirum tendere, deflexo poſtea itinere omni cum celeritate atque ſilentio regionem intrent, ipſumq́ Scanderbegum medium intercipiant. Nec vnus ſine altero hoſtem adoriatur, aut cum eo bellum committat, ſed expectato alterò collega, de communi poſtea conſenſu, vno eodemq́ tempore ſimul illum inuadant atq́ opprimant. Ex quo perfacile victoriam conſequentur, & illum cum omni exercitu ſuo obtruncabunt, quia fieri non poteſt, vt hoſtis vndiq́, & à tot lateribus interceptus, occluſusq́, poſſit euadere, nec tot copijs & multitudini reſiſtere. Sed ipſe profecto victus à nobis, ſuperatusq́, finis Epiroticæ inſolentiæ atq́ belli erit.

Ottomanus ſatis multumq́ verbis & oratione Ballabani perſuaſus, illico decreuit, vt ipſe Ballabanus pro arbitrio & voluntate ſua aduerſus Scanderbegum omnia ageret, & bellum conficeret. Et adhibito ſibi quencunq́ vellet ex præfectis ſuis in collegam, quocunq́ exercitu & multitudine expeditionem Epiroticam omni cura & diligentia quam caute & accurate aggrediendam procuraret. Cum nihil charius diceret, nihil in vita exoptabilius ſibi fieri poſſe, quam Scanderbegum profligatum cum exercitu ſuo, cæſumq́ audire, aut extra imperium expulſum, deiectumq́ eſſe, clamitans nequaquam ſe fœlicem videri Regem, niſi Scanderbegum de medio ſublatum videret; à quo tot mala, tot damna, tot cõmilitonum & ducum ſuorum cædes (præſertim patris mortem) ſuſtinuerat. Ballabanus itaque habito ab Ottomano decreto, vt ipſe libere in hac expeditione & re ageret, delectu quam maximo facto, ex robuſtiſſimis viris & militibus exercitum confecit, & aſſumens ſibi Iagup Arnauth in collegam, partitis cum eo copijs, illum admonuit, vt à parte maritima per Græciam & Theſſaliam iter conficeret, & exercitum in Epirum duceret. Cui mandauit, ne ſolus auderet cum Scanderbego bellum committere, nec omnino illum aggredi, donec & ipſe cum exercitu adeſſet. Qui etiam mox omnibus copijs ſuis breuius iter per Thraciam & Macedoniam emenſus, citius Jagup Epirum ingreſſus eſt. Sed omiſſo hic parumper Ballabano, ad Scanderbegum me conuertam. Cui quum hæc omnia, à nuncijs, & exploratoribus, amicorumq́ literis de aduentu duorum exercituũ aduerſus eum nunciata eſſent, ipſe quam maximo potuit ſilentio, coacto exercitu inſtructus, accinctusq́

Tyrannus à Ballabano perſuaſus, omnia pro arbitrio ei annuit, atq́ concedit.

ad bel-

ad bellum, hoſtem continuè expectabat. Auditoq; aduentu & ingreſſu Ballabani in prouinciam, ei occurrere decreuit, & antequam alter Barbarorum præfectus cum exercitu Ballabano adiungeretur, ipſe rem cum Ballabano expedire volebat, ne à duobus exercitibus vno eodemq; tempore adortus opprimeretur. Et profecto (vt arbitror) ſi Ballabani opinio ſucceſſiſſet, nulli dubium, quin de Scanderbego actum fuiſſet, quum tanto Barbarorum furori, & multitudini, vno eodemq; tempore in eum irruẽtium, reſiſtere non potuiſſet. Sed Deus omnipotens & ſummus, à quo cuncta pro libito voluntatis moderantur, cui res Chriſtiana cum ipſo Scanderbego maximè curæ erat, minime paſſus eſt, vt Scanderbegus, qui tanto ſtudio atque ſolicitudine fidem orthodoxam tutabatur, pro qua die noctuq; inuigilabat, inſudabatq;, turpiter & doloſe à Barbaris circumuentus & victus opprimeretur. Nanq; Ballabanus alter ex duobus Ottomani præfectis, qui aduerſus Scanderbegum prouinciam ſumpſerant, quamprimum à Tyranno diſceſſit, recta per Thraciam & Macedoniam (vt iam diximus) Epirum ingreſſus cum 20. millibus equitum, & 4. peditum, in vallem quandam, quæ Valchal dicitur, de qua ſuperius mentionem fecimus, tentoria fixit ſua. Quo cognito Scanderbegus, qui cum exercitu ſuo inſtructus paratusq; aderat, tres ſpeculatores ex ſuis, qui ad idipſum experti videbantur, ad formam caſtrorum Ballabani contemplandam ſtatim præmiſit. Qui vbi omnia exploraſſent, & ad eum protinus reuerti deberent, certioremq; de omnibus illum reddere, perfidia impulſi, ad Ballabanum profecti ſunt, eiq; omnia Scanderbegi conſilia patefecerunt. Nam vnus eorum Ballabano (vt aiunt) ſanguine coniunctus erat, quod Scanderbego ignotum fuerat, qui cæteros ſeducens, multa præmia eis à Ballabano futura obtulerat. Quare eius fidem ſocij ſunt ſecuti, quos cum Scanderbegus expectans, reuerſos non comperiſſet, veritus ne ab hoſtibus intercepti fuiſſent, ipſe (vt erat ad huiuſmodi omnia impiger & intrepidus) confeſtim equum conſcendens cum quinq; tantum militibus ad ſpeculandum progreditur. At Ballabanus peritus & callidus, quum cognoſceret Scanderbegum in re militari inſtructum, obſedit clam locum quẽdam, ſuſpiciens Scanderbegum venturum illuc ſpeculatum, nec opinio eum fefellit. Nam quum Scanderbegus (vt ſui moris erat) ad ſpeculandum egreſſus, antequam ad locum inſidiarum perueniſſet, equites Ballabani, qui in inſidijs ad idipſum poſiti erant, detecti prius à Scanderbeganis, illico erumpentes illum adorti ſunt, eumq; aliquandiu repugnantem in fugam conuerterunt. Qui fugatus, ſyluam quandam, quæ ſibi primum occurrit extra ceruicem Valchalem ingreſſus eſt, vbi in arborem vetuſtiſſimam, quæ lapſa totam ſemitam occupauerat, incidit, quam, adhibitis equo (quam maxime potuit) calcaribus, præterlapſus eſt, cum vno tantum ex militibus ſuis, cæteri ab hoſtibus cæſi ſunt. Ex Barbaris verò

Cura Deo eſt pro Scanderbego.

Scanderbeg elapſus cum vno miniſtro.

verò vnus ſolummodo Scanderbegum inſecutus, truncumq́ arboris ſaltu equi præteruectus, in illum ferebatur. Quem quum ſolum Scanderbegus à tergo venientem reſpexiſſet, conuerſus eum obtruncauit: reliqui autem Barbari reuerſi ſunt. Scanderbegus verò quum in caſtra perueniſſet, quæ in locum qui Petralba dicitur procul ab hoſte ad 15. millia paſſuum erant collocata, in quibus 8. millia equitum, 4. peditum valentiſſimorũ inerant, ſe accingit atq; præparat, vt ad hoſtem proficiſceretur. Sed prius ſic paucis milites ſuos alloquitur:

Turpe & ſuperfluum, Commilitones mei amantiſſimi, eſſe duxi, hodierna die nouo apud vos dicendi genere, longa orationis ſerie contexere. Cum res gerenda ſit nobis non cum nouo hoſte, nouoq; Imperatore, ſed cum eo hoſte, qui à vobis vinci, facileq́ ſuperari conſueuit. Nonne milites hic eſt ille Ballabanus Ottomani præfectus, aptior magis (vt ſcitis) ad ligonem, vomeremq́, & agriculturam, quàm ad arma, remq́ bellicam, quem vos non

Adhortatio Scanderbegi ad milites, ante profectionem ſuã contra Ballabanũ



ſemel, ſed pluries profligaſtis, de eoq́ triumphum cum ingentibus ſpolijs reportaſtis. Nonne hic hoſtilis exercitus, quem præ oculis habetis, reliquiæ ſunt cladis ſuperioris diei? quas Ballabanus ductor ſecum affert vobis tanquam debitas, & dicatas victimas, vt de ſpolijs eorum vos, domusq́ veſtras & impleatis, & ditetis. Verum enimuero de hoc quid dubij? quid difficultatis eſt perſpicere? Nam ij omnes Barbari, quos nunc videtis, hinc ferè ad horam (Deo propitio) aut captiui veſtri erunt, aut à vobis (ſi volueritis) internecione occiſi. Nam illos hoc in loco (vt ſpero) intra vallum, & tanquam pecora in ouile claudemus, noſtrosq́ milites per montes,

hh colles,

colles,& itinera,ne inde exire poßint,circumquaq; diſponemus,atq; locabimus. Igitur omnes hodierna die cum Ballabano eorũ duce vobis tanquam victimæ offeruntur. Itaq; milites oſtendite vos viros, excitent maiorẽ vos præconia,excitent laudes,& fortia facta. Capite animos,capite vires & robur,imitemini veſtigia,imitemini illorum acta. Acuite ferrũ in Barbaros, æternos hoſtes veſtros,ſternite equos,præcingite enſes,corripite tela,aſſumite clypeos,procurate omnia quæ ad pugnam,& pro victoria faciunt,perſequimini hoſtes. Coërcete,conterite infideles,concultate, & peſſundate,eosq; penitus delete,quia ecce in fugam conuertuntur. His peroratis, Scanderbegus inuitare inde pro ſe ſingulos, & cuiq; offerre,& fatigare precibus,vt quæ ipſis iumentis vſui eſſent, ab ſe potißimum ſumerent. Benigne omnia cumulata dare,modeſtia certare milites,ne quid vltra vſum neceſſarium ſumerent,nihil morari,nec ab ſignis ſubſiſtere. Cibum rapientes, diem ac noctem ire,vix quod ſatis ad naturale deſiderium corporum eſſet,quieti dare 15. ferè millia paſſuum Ballabanus inde aberat. Itaq; quum Scanderbegus iam appropinquaret,& ad vallem,in qua Ballabanus caſtrametatus erat, perueniſſet,ceruicem,& collem vallis occupauit. Ibiq́; fixis tentorijs,hoſtem in valle ipſa,milite vndiq; velut vallo in coronam per iuga montium collocato ſepſit,atq; circundedit,per loca alta ducendo exercitum,cum modo inſideret anguſtos ſaltus,vt tranſitum clauderet,modo á latere,aut tergo caperet agmen, ludificatus hoſtem omnibus artibus belli fuerat. Poſtero die conſilium habitum, cui & Tanuſius Tophia, & Zacharias Groppa, & Peicus Manueli,præfecti caſtrorum affuerunt. Multorum eò inclinabant ſententiæ,vt dum feſſum via ac vigilijs reficerent militem, Tanuſius ſimul & ad noſcendum hoſtem paucos ſibi ſumeret dies,tempus pugnæ differreretur. Scanderbeg non ſuadere modo, ſed ſumma etiam ope niti, inſtareq́;, ne conſilium ſuum, quod tutum celeritas feciſſet, periculoſum immorando facerent. Dum enim Jagub rerum omnium ignarus immoratur, & torpet, Ballabani exercitum facile deleri poſſe, quod ſi procraſtinatione differetur noſtra,ſpacium certe illis conueniendi dabimus, ſecuramq́; rem noſtram ad ancipitem deducemus euentum. Extemplo ſignum dandum, & exeundum in aciem, abutendumq́; errore hoſtium abſentium, præſentiumq́;. Conſilio dimiſſo, Scanderbegus exercitu ſuo quadripartito, vnam partem dat Tanuſio Tophiæ, ſecundam Zachariæ Groppæ, tertiam Peico Manueli. Pedites inter equites interſerit,collocatq́;, ſcloponarios cum ſagittarijs, haſtatis, & aliquibus equitibus ad prouocandum hoſtem ad pugnam præmittit, reliquum verò exercitum cum cohorte ſua ſibi reſeruat atq; retinet. Mox ſignum pugnæ proponitur, confeſtimq́; Chriſtiani in aciem procedunt. Jam hoſtes ante caſtra inſtructi ſtabant, moram pugnæ attulit Ballabanus,quod collegam ſuum expectabat. Quare receptui propere

pere cecinit. Iubet ſpeculari, ſicubi collegæ caſtra apparerent. Animaduertens autem Scanderbeg Ballabanum moram trahere, nec ad pugnã exire, ſuas acies ad prouocandum hoſtem paratas, inſtructasq́; ad certamen præmittit (erat enim ferè tertia hora diei) Ipſe verò cum reliquo exercitu vallem ingreſſus, ad caſtra Ballabani ire pergit, vt rem perficeret; antequam collega Ballabani veniret; ne ſimul vno eodemque tempore cum duobus exercitibus ſibi confligẽdum eſſet. Accedens igitur ad vallum & caſtra hoſtium, pugnam expoſcebat, quam ipſe Ballabanus tergiuerſando, moramq́; trahendo recuſabat, militemq́; intra vallũ & caſtra continebat. At Scanderbegus cum militibus ſuis auidus, & pugnæ percupidus, vt rem citius



conficeret, expediretque, ad vallum & ſtatiua hoſtium magis magisq́; propius accedens, continuè ea infeſtans oppugnabat, & hoſtes ad certamen prouocabat. Ballabanus verò miles ira atq́; furore plenus, dentibus frendens, quod ad pugnam ei exire non permitteretur. Hinc inde furor, iraque animos militum acuebat, incitabatque. Ballabanus quoad potuit, pugnam remoratus eſt. Videns autem collegam ſuum nondum veniſſe, nec auxilium ſibi adeſſe, nec locus fugæ, nec tempus differendi pugnam, quia vndique à Scanderbeganis & Epiroticis militibus circunſeptus atque circumdatus erat, continueq́; eius caſtra infeſtabantur, poſteaquam ſibi eſſe pugnandum vidit, in prima acie ante ſigna Axappos collocat, circa eos leuo in cornu aduerſus Tanuſium Tophiam Olophanzios, viros, & milites exercitatiſſimos, & rei militaris peritos collocat. Contra Zachariam Groppã Acbanzios, contra verò Peicum Manueli Janizaros opponit, durum genus in armis. Ipſe ſiniſtrum cornu aduerſus Scanderbegum cum cohorte, & vete-

Inſtructio acierum à Ballabano ad pugnam.

Axappi.

Acbanzij.

Ianizari.

 re mi-

re milite, in quo maxime ſpem habebat, ſibi retinuit, átque ſumpſit. Inter Scanderbegum, Ballabanumq́; ingens certamẽ contractum erat. Virorum cædes, vtrinq; cædebatur inſignis. Ibi duces ambo, ibi maior pars peditum, equitumq́; Epirenſiũ, ibi Croienſis vetus miles, & pugnæ peritus, & Dibranus durũ in armis genus, qui primo impetu turbarunt primam aciem, & ſigna mouerunt loco: Deinde creſcente certamine, & clamore, impotentes iam Barbari, inter duas acies verſari, velut incerti, quorum eſſent, haud diſsimiliter equis ſine freno vagis. Scanderbegus, quid ergo præcipiti curſu tam longum iter emenſi ſumus clamitans militibus, cum in aduerſam partem fruſtra ſigna erigere conatus eſſet? Poſtquam ea regione penetrari ad hoſtem non videbat poſſe, cohortes aliquot ſubductas è dextro cornu, vbi ſtationem magis ſegnem, quàm pugnam futuram cernebat, poſt aciem circumdixit, & non hoſtibus modo, ſed etiam ſuis inopinantibus in ſiniſtrum hoſtium latus incurrit, tantaq́; celeritas fuit, vt quum oſtendiſſent ſe à latere, mox in terga iam pugnarent. Ita ex omnibus partibus, à fronte, à latere, à tergo trucidantur Achanzij, Olofancijq́;, & ad Axappos iam cædes peruenerat, ibi minimum certaminis fuit. Nam & pars magna à ſignis aberat, procedente nocte lapſi, ſtratiq́; ſomno paſsim per agros, & qui aderant itinere ac vigilijs feſsi intollerantiſsima laboris corpora, vix arma humeris geſtabant, & iam diei medium erat, ſitisq́;, & calor ſemiconfectos hiantes, cædendos capiendosq́; affatim præbebat. Ballabanus dux cum ſæpe alias memorabilis, tum illa præcipue pugna fuit. Nanque pugnantes hortando, pariterq́; adeundo pericula ſuſtinuit diu, ille feſſos abnuentesq́; tædio & labore, nunc precando, nunc caſtigando accendit. Ille fugientes reuocauit, omiſſamqúe pugnam aliquot in locis reſtituit. Poſtremo cum haud dubia fortuna Epirotarum eſſet, nec pugnam amplius ſuſtinere poſſe videret, concitato equo quàm celeri potuit curſu fugam arripuit, omnisqúe exercitus, omnesq́; ordines permixtim confuſi, & palantes hincinde per vallem, & agros, & montes, prout cuique ſors dederat, conuerſi ſunt in fugam. Pauci enim ducem ſequuti ſunt, qui inter cædem & tumultum vix cum eo euaſerunt. Reliqui omnes Barbari aut cæſi ſunt, aut viui capti. Si qui verò ex his inter tumultum & furorem militum elapſi, ex valle exire tentârunt, ab his qui iuga montium & colles inſederant, trucidabantur. Sicqúe exercitus Ballabani eo die profligatus, & ferè deletus eſt. Hanc tam magnam & præclaram victoriam à Scanderbego partam, ſubitus tumultus & nouus aduentus hoſtilis exercitus excepit. Nondum enim Scanderbegus cum exercitu ex valle ipſa exierat, nondum ſpolia Ballabani exercitus inter ſeſe milites diuiſerant, adhuc hoſtium corpora palpitantia humi proſtrata iacebant, cum nuncius Mamizæ ſororis à Petrella ciuitate, vbi ipſa cum cohorte & familia ſua conſederat, cum literis ad Scanderbegum euolauit.

Ballabanus fortiter agit.

lauit. Quibus illa fratrem admonebat, Jagup Arnauth præfectum, & ductorem exercitus Mahumetis Principis cum ſedecim millibus equitum per viam Belgradi in Epirum irruiſſe, & omnia depopulatum igni ferroq́ dediſſe. Tuncq́ in Tyranna minori, iuxta flumen, quod Argilata ab incolis dicitur, caſtrametatum fuiſſe. Hic Chriſtianis parentibus Epiro oriundus, in captiuitatem à Barbaris ductus, circumciſus, fidem Mahumetanam induerat, vir ſtrenuus, ac bellicoſus, qui aliâs multa & præclara apud Mahumetem, & pro eo, tam in Aſia, quàm Europa geſſerat. Venerat enim Jagup Arnauth cauſa intercipiendi Scanderbegum, vnà cum collega ſuo Ballabano, vt ſuprà commemorauimus. Quæ omnia vera eſſe, quidam Barbarus ex caſtris Jagup, qui à militibus Mamizæ captus fuerat, aſſerebat. Quibus auditis Scanderbegus ſtatim cum exercitu ſuo, qui in procinctu adhuc inſtructus, paratusque erat, in Tyranna minori, quo Jagup Arnauth caſtra poſuerat, ire pergit. Sed prius ſic milites ſuos alloquendos putat:

Adhortatio Scanderbegi ad milites.

Etſi vnquam aliâs exhortatio ducis vel imperatoris ad milites minimè neceſſaria fuiſſe viſa eſt, hodierna certe die, id mihi muneris apud vos commilitones mei minus neceſſarium eſſe duxi, quũ ſuperuacaneum atq́ ſuperfluum ſit, equo (vt aiunt) currenti, maximeq́ concitato calcaria adhibere.



Video enim vnumquenq́ veſtrum, milites mei amantiſſimi, ſine imperatoris edicto, ſine ducis imperio libenti animo præſto eſſe, ordinem ſeruare, vexilla, & ſigna propria ſequi, vigilias, excubiasq́ ducere, agereq́, officia, & munia militaria certatim ſubire, interdiu noctuq́, ſolicitos, peruigiles, in-

hh 3

les, indefeſſosq́, nunquam deſides, nunquam pigros & ocioſos, ſed abſque ſtimulis & calcaribus concitatos, promptiſsimosque, & ad omnia, quæ ad victoriam faciunt, & pro victoria conſequenda expediunt, intrepidos, inuictiſsimosq́. Hoſtem quinetiam extra ordinem viriliter, animoſeq́ inuadere, atq́ opprimere, de victoria nunquam diffidere, neq́ deſperare. Propterea ſi vnquam duci, aut imperatori de militibus ſuis gloriari licuit, hoc mihi quoq́ tempore de vobis conceſſum eſt. Cum quibus & ſi ſemper pauciores hoſtibus fuerimus, vſquequaque tamen ſuperiores, hodie victoriam de Ballabano hoſte noſtro acerrimo (quod tantopere optaſtis) præclaram, & egregiam adepti ſumus. Qui quum tanta eſſet apud Ottomanum autoritate, & fide, quicquid ab eo petijt, contra nos obtinuit, eique pro libito voluntatis ſuæ omnia conceſſa ſunt. Nam ipſe quum ingentem, floridumque exercitum coëgiſſet, totis in nos viribus intendens (vt compos voti ſui eſſet) & fidem, quam de certa contra nos victoria potiunda promiſerat, adimplere poſſet, duobus quammaximis nos exercitibus medios, inſciosq́ intercipere, dolo atque inſidijs opprimere, atque delere credidit. Sed (Deo propitio, & virtute veſtra) factum eſt, vt nos priores in eum irruentes, illum cum omni exercitu ſuo profligatum, cæſumque deleuerimus. Nunc verò nobis nondum lotis (vt aiunt) manibus, nondum finito conuiuio, nondum remotis menſis, Jagub Arnauth, vt bonus & optimus conuiuator, totum vult prandium apponere, & ſuos conuiuas non fraudare, ſed bene & optime illos accipere, ne fameſcant, exercitumq́ ſuum tanquam reliquias afferre. Ecce milites mei amantiſsimi, antequam vallem egreſsi ſimus, antequam à ſanguine hoſtili manus noſtras coinquinatas lauauerimus, antequam tela terſerimus, & arma purgauerimus, & ea in vaginis & tecis recondiderimus, ipſe Jagub ad nos venit, vobis ſua munera, dona, & xenia, id eſt, exercitum, & reliquias ab Ottomano contra vos miſſas dicatas offerre, vt pro libito voluntatis veſtræ ex eis quicquid viſum fuerit, aut deguſtetis, aut deuoretis. Jtaque ſocij & viri fortiſsimi & fœliciſsimi, accedamus ad nuptias, ad quas Iagub nos inuitat, conuocat, vt eis ad ſaturitatem abutamur, & quum affatim deuoremus, tum nobiſcum etiam auferamus. Expediamus igitur nos hinc, egrediamur vallem, occurramus Jagub, & exercitui eius, qui quidem tenuis eſt, & tantummodo profligatus. Nam ſi Ballabanum ipſum cum 24. millibus concidimus, cur non Jagub cum 16. millibus mactabimus? Jn hoc maxime veſtro belli ardore, qui nondum bellicum furorem, nondum Martiales animos veſtros & ſpiritus depoſuiſtis. Videor enim mihi videre milites, & præ oculis verſari Jagub à vobis cæſum cum omni exercitu ſuo atque profligatum. Quare acceleremus ad eum, feſtinemus ad replendos, ſaturandosq́ appetitus noſtros, & vt ſpolijs diuitijsq́ hoſtilibus pleni, onuſtiq́ do-

ſtiq́; domum ad lares proprios, liberos & vxores reuertatis, nunc totis viribus contendite.

Quum hæc vix Scanderbegus dixiſſet, milites tanto ſunt ardore pugnandi accenſi, vt omnes vnanimes ſublata voce exclamarent, in hoſtem & ad prandij ſui reliquias, quas Iagup Arnauth apponendas attuliſſet, iamiam deuorandas properandum eſſe, Qui tanquam certi de victoria, præmiſſis ſigniferis cum aquilis & vexillis, exercitum mouerunt, & ad Iagup, qui in Tyranna minori caſtrametatus erat, profecti ſunt. Qui quum Scanderbegum cum exercitu ad ſe euntẽ audiuiſſet, motis inde caſtris (ignorabat enim adhuc de cæde exercitus Ballabani, & fuga eius) in extremam Tyrannæ partem & angulum copias cõtraxit, prope collem, ſeu monticulum quendam, in quo pagus ſeu villa eſt, quæ Caſſar ab incolis appellatur, vbi tutior commodiorq́; caſtris ſuis locus eſſe videbatur. Scanderbegus verò eundem locum, quem ipſe Iagub prius habuerat, occupauit. Vbi hincinde vterque exercitus per illum diem abſque pugna acquieuerunt. Verum Scanderbegus eam noctem quæ ſecuta eſt, ſolicitus, anxiusq́; tranſegit, ne Iagup cum exercitu ſuo fugam arriperet, ſi forte de cæde & fuga collegæ intellexiſſet. Omnes igitur vias, aditusq́; & itinera obſedit atque præcluſit, præſidia vndiq́; diſpoſuit atq́; locauit. Exorto autem die, cum ſol regionem illam colluſtraſſet, è regione hoſtium oculos reuerberabat, quo deprehenſo Scanderbegus, fretus ſe facilius victoria potiturum, ſpei, animiq́; plenus, inſtructo præparatoq́; exercitu, ad Iagup caſtra peruenit, vbi nonnulla cæſorum capita exercitus Ballabani, quæ ſeruata cum cura attulerat proijci ante hoſtium ſtationes, captiuosq́; vinctos, vt erant, oſtendi iuſsit. Iagup autem tanto ſimul publico familiariq́; ictus luctu, agnoſcere ſe fortunam Ottomani fertur dixiſſe. Caſſar.

Dehinc Scanderbegus quingentos electiſsimos equites ad Jagup ad pugnam inceſſendum prouocandumq́; miſit. Quibus mandatum eſt, ne certamen inirent, irruenti terga verterent, quod & factum eſt. Nanque Jagub ex omni exercitu ſuo factis tribus aciebus, repente è ſtationibus proſiliuit, & Epirenſes fugientes inſecutus eſt: tunc pugna atrox hincinde committitur, ſed Chriſtianis facilis ea victoria fuit. Nam Scanderbeg aduertens ad Jagup, penetrans omnes hoſtium cuneos, eum haſta primum transfixit, deinde capite obtruncauit. Barbari viſo Jagup mortuo, omnes in fugam conuerſi, & palantes cæduntur, viuiq́; capiuntur. Qui verò ex hoſtibus manus & militum furorẽ euaſerunt, à colonis, habitatoribusq́; locorum hincinde fuſi per agros, ſyluas & campos, aut viui capiebantur, aut trucidabantur. Nunquam ex duobus exercitibus vno eodemq́; ferè tempore & bello, tantum hoſtium à Scanderbego interfectum eſt. Redditaq́; æqua Belgradenſi clades, & alterius ducum fuga, & eius exercitus interitu, & Ottomani ſermo de fortuna Scanderbegi.

tu, & alterius præfecti cæde cum omnibus copijs videbatur. Viginti quatuor millia hoſtium cæſa, capta ſex millia. Præda magna, alia cum omnis generis, tam auri, argentiq́. Colonorum qui capti apud hoſtes erant ſupra quatuor millia capitum recepta. Id ſolatij fuit pro amiſſis ad anguſtias, ad



Valchales furcas. Eoq́ prælio (nam haud quaquam incruenta victoria fuit) mille fermè Epirenſium deſiderati, adeoq́ etiam victores ſanguinis cædisq́ cœperat ſatietas, atq́ laſſitudo. Ut quum poſtero die Scanderbego nunciatum eſſet, Ballabanum cum vno tantum agmine inter cædem effugiſſe, & abire ſine ſignis, ſine ordine vllo, poſſeq́ ſi vna equitum ala ad perſequendum mittatur, omnes facilè deleri: Superſint, inquit, aliqui nuncij, & hoſtium cladis, & noſtræ virtutis, parta de hoſte victoria. Ac expeditis omnibus, præfectus caſtrorum Scanderbegi ad vrbem Croiæ iter ſuum direxit, quod frequentia minore, quia nemo præceſſerat nuncius, lætitia verò tanta, vix vt compotes mentium præ gaudio eſſent, celebratum eſt. Nanque Croiæ neuter animi habitus ſatis pro re dici enarrariq́ poteſt. Nec quo incerta expectatione euentus pauida perſtiterat ciuitas, nec quo victoriæ famam accipiens, vniuerſis profuſa eſt gaudijs. Nunquam per omnes dies, ex quo Scanderbegum Principem in hoſtem profectum fama attulit, ab orto ſole ad occidentem, aut procerum vrbis quiſquam à curia, atq́ à magiſtratibus abſceſſit, aut populus è foro. Matronæ quia nihil in ipſis operis erat, in preces obteſtationesq́ verſæ per omnia delubra vagæ ſupplicijs, votisq́ Deum, ſuperosq́ fatigauêre. Tam ſolicitæ ac ſuſpenſæ ciuitati fama incerta primo acceſſit, duos Dibrenſes equites in caſtra, quæ adſi-

ad fines, & in faucibus Epiri oppoſita erant, veniſſe ex prælio, nunciantes cæſos hoſtes, quod primo magis auribus, quàm animis acceptum fuit, vt maius, lætiusq́, quàm quod mente capere, aut ſatis credere poſſent, & ipſa etiam celeritas fidem impediebant, quod biduo ante pugnam dicebatur. Literæ deinde à Tanuſio miſſæ ex caſtris afferuntur, de Dibrenſium equitum aduentu. Eæ literæ per forum perlatæ in curiam omnes exciuerant, tantoq́ certamine, ac tumultu populi, ad fores curiæ concurſum eſt, vt adire nuncius non poſſet, traheretur q́ à percunctantibus vociferantibusq́, vt in forum prius, quam in curiam literæ recitarentur. Poſtquam verò literæ etiam in curia recitatæ ſunt, & pro cuiuſque ingenio alijs iam certum gaudium, alijs nulla ante futura fides eſſet, priuſquam nuncios caſtrorum præfecti, vel literas audiſſent, ipſum deinde appropinquare præfectum caſtrorum allatum eſt. Tunc enim verò omnis ætas currere obuij primus quiſque oculis, auribusq́ haurire tantum gaudium cupientes, ad milliare vſque extra portas ciuitatis continens agmen peruenit. Præfectus caſtrorum erat Tanuſius, circunfuſus omnis generis frequentia in forum peruenit. Quum alij ipſum, alij comites eius quæ acta eſſent percunctarentur, & vt quiſque audierat, exercitus hoſtium cæſos, imperatoremq́ alterum occiſum, legiones Epiroticas incolumes, ſaluum Principem Scanderbegum cum ſuis caſtrorum præfectis. Extemplò alijs porro impertiebant gaudium ſuum, cum ægrè in curia peruentum eſſet, multo ægrius ſummota turba ne Principibus miſcerentur. Literæ in curia lectæ ſunt. Inde Tanuſius literis perlectis, ipſe plenius omnia quæ acta erant, expoſuit cum ingenti aſſenſu. Poſtremo etiam clamore vniuerſæ curiæ, quum vix gaudium animis caperent, diſcurſum inde ab alijs circa templa diuina, vt grates agerent, ab alijs domos, vt coniugibus liberisq́ tam lætum nuncium impartirent. Curia & primates quod Scanderbegus incolumi exercitu ducem hoſtium cum Ballabano fugato, legionesq́ occidiſſet, ſupplicationem in triduum decreuerunt. Eam etiam ſupplicationem vxor Scanderbegi cum conſiliarijs edixerunt. Celebrata à viris fœminisq́. Omnia templa per totum triduum æqualem turbam habuêre, cum matronæ ampliſſima veſte excultæ cum liberis, perinde ac ſi debellatum foret omni ſolutæ metu Deo immortali grates agerent. Statum quoque ciuitatis ea victoria compoſuit, ac ſi perpetuam pacem comparaſſent omnes. Profligato itaque Iagub Arnauth cum eius collega Ballabano, vno eodemq́ ferè tempore & prælio, eorumq́ exercitibus cæſis, Scanderbegus ſubitò (vt maiorem hoſtibus terrorem incuterent) Turcicum agrum ingreſſus, ad intima vſque loca penetrans, cuncta igni ferroq́ depopulatus eſt. Indeq́ prædam quam maximam ſecum auferens victor agro hoſtili egreſſus, nullo penitus hoſte reſiſtente, aut repugnante lætus in agrum ſuum, & feſtiuus reuerſus eſt. Qui more ſuo relicto

Literæ à Tanuſio miſſæ.

Gaudiũ Croiæ à victoria Scanderbegi.

Reſponſio, & ingreſſus Scãderbegi in vrbẽ regiã, cum ingenti triumpho & præda poſt adeptam victoriam ex hoſtibus profligatis.

ad fines imperij ſui conſueto præſidio, ſummo cum plauſu & iubilo triumphantis more in vrbem regiam Croiæ inuectus eſt. Vbi per aliquot dies inter ciues ſuos, & cum his celebrata tam ingentis victoriæ læticia, laureatas literas ad omnes ferè Reges & Chriſtianos Principes ſcripſit, & victoriam hanc, quam aduerſus Barbaros (Deo autore atq; propitio) adeptus fuerat, his impartiuit, diſpenſauitq́. Quibus etiam varia donorum genera,

Equi alipedes *& munera ex hoſtium ſpolijs, vtpote equos alipedes (vt aiunt) & velociſ-*



ſimos ſeruos captiuos, arma & tela, præclaras quoque equorum phaleras, & id genus ornamenta miſit. Dehinc ſoluto exercitu, ad propria vnumquenq; ire permiſit. Ex quo poſtea annus ille Scanderbeganis non minus inſignis, quàm hilaris & lætus fuit.

MARINI

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS, Liber Duodecimus.



POſtquam fama tanti facti, & cædis vniuerſi ferè exercitus Ballabani, & collegæ ſui Iagub, ad Mahumetem Principem peruenit, is ingenti dolore ſimul atq; terrore perculſus, non parua cura atq; ſollicitudine angi, torqueriq́; cœpit, veritus, ne fortunam, quæ tantum propitia ei, & ſecunda fuerat, duram experiretur impoſterum atque aduerſam. Anxius itaq; animi, atq; conſilij inſcius quid agendum eſſet, & nec ſecum quidem ipſe concors, omnes duces & præfectos ſuos ad concilium conuocauit. Vbi poſt multas tandem ſententias atq; contentiones ſtatutum eſt, vt ipſe Mahumetes Princeps cum cohorte, & omnibus copijs ſuis aduerſus Scanderbegum progrederetur. Quarè edicto per omnes regiones propalato, vt milites nomina ſua darent, coacto ingenti, validiſſimoq́; exercitu, præterea commeatu abundè, omnibusq́; bellicis inſtrumentis præparatis, caſtra ſua contra Scanderbegum mouit. Quo audito Scanderbegus, omnium ducum & præfectorum ſuorum conſilio adhibito, maximè Pauli Angeli Dyrrachienſis Archiepiſcopi, cui ſumma conſi-

Scãderbegus cõſultat de re ſiſtendo Turcæ.

liorum commiſſa erat, necnon Veneti Oratoris, qui illic aderat, omnium cõſenſu ſtatuit, & decreuit, vt vrbes, & loca omnia fortiſsimo milite, alijsq; neceſſarijs rebus communirentur, firmarenturq;. Et in primis, vt in Croia vrbe, quæ cardo totius regni, atq; caput erat, & à qua cætera omnia dependebant, ſtrenuus & fidus miles, prudens & ſapientiſsimus præfectus poneretur. Verum hoc in loco parumper digredi non erit malum, vt oſtendamus quanto terrori, quantæq; formidini Scanderbegus Mahumeti Principi fuerit. Qui quum videret eum in tantum excelluiſſe culmẽ, vt nomen eius iam ſuis omnibus terrificum formidabileq; eſſet: Verebatur ne ob eius celebre nomen & famam, quæ iam vbiq; peruaſerat, gens eius, & populi in ſeditionem verſi eum trucidarent, aut è regno deijcerent. Itaq; in mortem eius inſidijs & dolis machinari, moliriq; cœpit. Nactus eſt autem duos, qui omni linguarum & ſermonum genere eruditi erant, quos edocuit, inſtruxitq;, cum maximis prius præmijs donaſſet, maioribusq; indies cumulare promiſiſſet, vt ſe transfugas eſſe ſimularent, mentirenturq;, & zelo orthodoxæ fidei ad eum defeciſſe aſſererent, Chriſtianoq; ritu baptizari continuo peterent. Et poſtquam ei quæ vellent perſuaſiſſent, veneno, aut ferro illum interimerent. Qui vbi ad Scanderbegum deuenerunt, vterq; ſacro fonte Baptiſmatis purificatus eſt, & ab eo in cohortem & familiam ſuam (vt vulgo aiunt) ſuſcepti ſunt. Inde verò ad paucos dies, erat enim curæ Deo Scanderbegus, qui nefanda eorum conſilia patefecit, ne optimus Princeps optime de Chriſtiana fide meritus, tam iniquum & ignominioſum fatum ſubiret, transfugæ iſti inſidias, fraudesq;, quas in Scanderbegum moliti fuerant, occultare minime potuerunt. Nam ambo in tantum inter ſe diſsidium, atq; diſcordiam venerunt, vt ira & furore pleni, in maximas inuicem contumelias prorumperent, & alter alterum proderet, palamq; ſe patefacerent, quod à Mahumete Turcarum Principe ad ipſum Scanderbegum obtruncandum ſummiſsi fuerint. Qui ſtatim comprehenſi, & tortoribus adacti, rem omnem explicârunt, ſicq; ambo laqueo ſuſpenſi, vitam finierunt. Nunc reuertor vnde digreſſus ſum. Poſtquam enim Scanderbegus omnia loca ſua præmunijt, præſertim vrbem Croiæ, in qua firmiſsimum præſidium tum Albanorum, & Epirotarum, tum Italorum poſuerat, quibus Baldeſarem Perducem Italum, virum æquè ſtrenuum atq; fidum præfecerat. Interim literæ tumultuoſo vndiq; nuncio conuolare cœperunt, Mahumetem Principem cum 200. millibus militum ad Croiam oppugnandam breui venturũ, præcurſores ſuos, & equites leuis armaturæ iamiam adeſſe. Qui etiam paulopoſt in Epirum irruperunt, & biduo hincinde per vniuerſum agrum diſcurrentes, omnia igni, ferroq; depopulati ſunt. Nocte verò quæ ſecuta eſt, ſecunda ferè vigilia vrbem ipſam Croiæ obſidione in modum coronæ vndiq; cinxerunt. Venerat enim ad eius obſidionem Balla-

Scãderbegus formidoloſus Turcæ.

Subornati occiſores Scanderbegi.

Croiæ obſidio.

labanus Badera Mahumetis præfectus cum octuaginta millibus electiſsimorum equitum, qui vbi caſtra firmauit atque muniјt, quotidie cum Cro-



ienſibus, qui ex vrbe erumpebant, vario ac frequenti præliorum, certaminumq; euentu pugnam committebat. Interea Mahumetes ipſe Princeps cum reliquis copiјs, & apparatu ſuo inſigni ad vrbem venit, qui primum ab oppidanis (vt moris eſt) vrbem ſub conditionibus petiјt, cui cum pro reſponſo miſsilia, tormenta, aliaq; telorum genera dediſſent, erumpentes mox ex vrbe manus etiam cum hoſte conſeruerunt, ac non paruam illorum ſtragem ædiderunt, victoriamq; pro parte conſequuti, læti & alacres in vrbem reuerſi ſunt, afferentes ſecum plurima ex hoſtibus cæſis capita. Ex quo Mahumetes Princeps indignatus, præparatis atque erectis quamplurimis tormentorum machinis, in oppidanos contorqueri iuſsit. Adduxerat enim ſecum metalla ad tormenta cuiuſuis generis cōflanda, ad vrbē ipſam, eiusq; mœnia penitus ſubruenda atq; euertenda. Artifices præterea in omni re bellica peritiſsimos. Sed interim egregius & præclarus Princeps Scanderbegus, qui in campo cum valido exercitu & copiјs erat, Mahumetis caſtra quotidie infeſtabat, nec illum ſinebat aliquo momento quieſcere, ſed ita aſsidue adoriebatur, inuadebat, infeſtabat & inſtar torrentis, qui ex magnis & inundantibus pluuiјs è montibus deſcendens, omnia ſecum rapit, proſternit, atque euertit: Sic Scanderbeg quoque in Turcica et hoſtilia caſtra alio ſemper & alio irrumpens latere, ea vndiq; vexabat, hoſti cædem, cladem, damna, & iacturas maximas inferebat. Ex quo Mahumetes cum aduertiſſet tantam indies ex ſuis ſtragē & calamitatem

 ſequi,

Mahumetes diſcedẽs à Croia & Epiro re infecta, Ballabanum cum innumeris copijs in Croiæ obſidione reliquit.

ſequi, nec ipſi ſpem vllam vrbis potiundæ eſſe (Croia etenim nõ tantum non expugnari, ſed nec oppugnari commodè poterat) decreuit inde omnino diſcedere, & Bizantium vnde iam venerat, ſe recipere. Verum quia id non paruo ſibi dedecori & ignominiæ fore arbitrabatur, ſi nullo à ſe præclaro facinore aduerſus Scanderbegum ædito, re infecta tam turpiter abiret, ſtatuit Ballabanum, quem ſupra commemorauimus, exercitui præficere. Quem cum viginti tribus millibus electorum militum in Croiæ obſidione manere iuſsit. Cui etiam octo alios militum præfectos, viros præ cæteris & robore corporis præſtantes, & ingenio ac militari peritia ſolertes adiunxit. Quorum cuilibet ſeptem millia militum fortiſsimorum dedit, qui omnes ad nutum ſemper & imperium Ballabani ſtarent, nec ab eius conſilio diſcederent, veritus quod ſolus Ballabanus cum tanto etiam militum numero, tantaqúe copiarum multitudine Scanderbego reſiſtere non poſſet. Quo facto, Mahumetes ipſe poſtea à Croiæ obſidione collectis (vt aiunt) vaſis, nocturno tempore intenſis caſtris Conſtantinopolim verſus iter arripuit. Qui dum proficiſceretur, quoſdam Chaoniæ populos, & loca quædam Scanderbegi, quæ Chidna appellabantur, multis promiſsionibus allectos (armis enim expugnare non poterat) in deditionem & fidem ſuam accepit, quam (vt ſui moris erat) eis minime ſeruauit. Ex quibus octo millia hominum præter mulieres & infantes trucidare fecit, eoq́ truculenti modo Tyrannus innoxium ſanguinem effudit, poſtquam in Scanderbegum ſæuire non potuit. Grauis profecto eſt Regum indignatio, grauis Principum ira, quæ non plumea, ſed plumbea (vt dicitur) vere eſt. Profectus itaque Mahumetes Princeps ex Albania mœſtus & triſtis, relicto ibi Ballabano præfecto cum innumeris copijs, cui mandatum eſt, vt tamdiu Croiam vrbem obſidione premeret, donec Croienſes longa feſſi obſidione, & dura funeſtaqúe fame attriti atque enecti, conſumptis rebus omnibus neceſſarijs pro victu ſeſe in eius ditionem traderent. Sed impiger & ſtrenuus Princeps Scanderbeg excandeſcens, valdeqúe indignatus, nec id vllo modo concoquere valens, quod Ballabanus homo obſcurus, & infimo loco natus, cui parentes ad ſeruitium & famulatum Scanderbegi patris ſemper fuerant, ſibi oppoſitus eſſet, armis cum eo contendere, bellumq́ gerere decreuit, & eum omnino aggredi, inqúe eius caſtra irrumpere. Itaque conuocatis vndiq́ Principibus, ſocijs, & confœderatis ſuis, quo illis animi ſui ſententiam aperiret, coram eis in hunc modum loquutus eſt:

Tyranni perfidia atq; immanitas.

Principũ ira plumbea.

Oratio Scanderbegi ad ſocios, Principes, & confœderatos, pro auxilio ab eis impetrando.

Credo equidem vobis haud ignotum eſſe, Principes & commilitones amantiſsimi, quamobrem huc vos conuocauerim, quidúe in præſentia ſim diſſerturus. Noſtis enim omnes quanta rabie, quantaq́ immanitate Mahumetes ille Turcarum Princeps in Chriſtianum nomen, & ortho-

thodo-

thodoxam fidem conſpirauerit, illamq; magis atq; magis omni tempore inſequatur ac premat. Pro qua nobis illi fortiter reſiſtendum, atque etiam ſi mori contigerit, alacriter pugnandum eſſe duco. Maiores eius Aſiam præuerterunt, dehinc in Europam traijcientes, tot Reges & Principes Chriſtianos prauis artibus de medio ſuſtulerunt. Hic verò illorum ſequens veſtigia, in nos ceu maiorum ſuorum reliquias verſis (vt aiunt) proris furo-



rem ſuum euomere, nomenq; noſtrum penitus delere conatur. Mahumetes inquam iſte truculentiſſimus, qui velut ſorte quadam prope in æternū hoſtis mihi datus, ſumma vi opeq;, me rerumq; mearum ſtatū omnem penitus euertere contendit. Qui cum pauloante cum toto exercitu ſuo in me impetum feciſſet, nec ex ſententia ei res ſucceſſiſſet, tanquam furibundus & ſpe omni deſtitutus, præ mœrore & triſtitia hinc diſcedens, octo millia virorum ex meis, exceptis mulieribus & infantibus, quos fide ſua, vel perfidia potius in deditionem acceperat, ferro ſuſtulit, atq; trucidauit. Qui ſi profectò nunc mihi eſſent, viuerentq;, nequaquam opus eſſet alienum implorare auxilium. Proficiſcens hinc igitur Mahumetes, Principes inuictiſſimi, hunc Ballabanum, quem præ oculis habemus, ſui exercitus præfectū cum huiuſcemodi copijs in Croiæ obſidionem reliquit, quo illam tamdiu duriſſima obſidione cinctam teneret, premeretq;, quamdiu in eius ditionem veniret. Quod ſi quo caſu accideret (quod abſit) nec de vobis (vt reor) nec de veſtris coniugibus & liberis, rebusq; omnibus bene profectò eſſet. Nam ſæpius me dixiſſe memini, quod rabidus & truculentiſſimus hoſtis iſte nihil aliud molitur, nihil aliud mente agitat, & expetit, quam nos ſeiunctos, &

abin-

abinuicem diſtinctos opprimere, atque de medio tollere, regna, imperiaq́ noſtra arripere, ſibiq́ vendicare. Quare Principes amantiſsimi, nolite pati, vt perfidus Tyrannus iſte, atque communis omnium hoſtis, ſub iugo nos infidelitatis ac perfidiæ ſuæ ſubijciat, fidem & religionem noſtram opprimat, regna & imperia peſſundet, vxores, liberosq́ noſtros in ſeruitutem trahat. Proinde omnes admoneo, rogo, obteſtorq́, vt hoſti ſine mora occurrere properetis, qui præ foribus & in limine adeſt, qui feſtinat, & ad nos opprimendos totis viribus accelerat. Itaque in auxilium & tutelam fidei veſtræ, cui quicquid corporis, vitæ, ac ſanguinis ſupereſt, deuouere debemus. Vos Chriſtiani Principes inuito, inuoco atque imploro, vt Ballabanum hunc communem hoſtem noſtrum, quem videtis ex vrbe noſtra, è regno, è patria expellamus, reijciamus, qui profecto ſi me oppreſſerit, nec vos impunitos relinquet (Epirotica enim gens inimica Turcico nomini eſt) & ex mea iamiam futura eſt veſtra publicaq́ omnium fortuna. In beluas ſtrinximus ferrum, hauriendus illarum, aut dandus noſter eſt ſanguis, Cæterum fidem meam vobis promitto, quod veſtra ope & auxilio mihi præſto exiſtentibus, hunc Ballabanum homuncionem viliſſimum & abiectiſsimum hominum, cuius maiores vitam ſemper ruralem & paganam ſub parente meo traduxerunt, qui & ipſe ſæpenumero (vt ſcitis) eſt à me antea multiplici clade fœdatus, fuſus, profligatus, nunc cum vniuerſo eius exercitu in fugam verſum, viuum, aut mortuum (vt ſors dederit) vobis tradam, victoriamq́ de eo inſignem, atque præclariſsimam referam. Iam ſcitis Patres optimi, me hucuſque nullum à vobis vnquam auxilium, opemúe imploraſſe, ſed ſolus ſemper cum copijs & militibus meis, proprijs viribus contra communes hoſtes, vos, regna, imperiaq́ veſtra protexiſſe, atque conſeruaſſe. Nunc verò iam tot bellis attritus, tot expeditionibus exinanitus, tam longo tempore cum militibus meis continuè armis inſiſtendo, viribus ferè exhauſtus ſum. Quorum maior pars & fortiſsimi bello ceciderunt. Alij acerrime dimicantes capti ſunt, aut vulnerum multitudine corporibus mutilatis inutiles bello facti ſunt. Propterea opus eſt Socij, vt nunc ad vos confugiam, veſtrumq́ implorem auxilium, quo ab hoc communi hoſte, quem in ianuis & oculis habemus, vrbem meam, vosq́ pariter liberem atque defendam. Quare mature ſuccurratis mihi, me me ſequamini, & quod ductu meo facere ſemper ſoletis, vincite. In hunc Turcicum & hoſtilem exercitũ irruamus, impetum faciamus, quem ſtatim (vt ſpero) in fugam conuertemus, facileq́ de eo victoriam conſequemur, arma, inſignia, aurum, argẽtum, ſpolia opima nobiſcũ referemus, milites noſtros exuuijs ditabimus. Rem igitur tantã mecũ capeſcite, victores enim (Deo propitio) omnino nos fore ſpero: Vosq́ pleni fortunarum, ac gloriæ ſimul publice, ſimul priuatẽ triumphãtes domum ad penates veſtros redituros.

Scãderbegus Ballabanũ viuum aut mortuum ſperat ſe habiturum

redituros. Nunquam profecto vos decepi, nunquam feſelli, nunc tempus eſt ò ſocij, quo nos, regnaq́ noſtra, vxores, liberos, aras, focos, & demum fidem Catholicam à tyrannide & iugo barbaræ ſeruitutis atq́ captiuitatis vindicemus, liberemusq́. Victoriam cum ingenti gloria & triumpho de hoſte reportemus.

His dictis à Scanderbego, duces illi & Principes omnes ea oratione erecti, & gaudio exultantes, frementesq́, vnanimes libera voce exclamârunt, hoſtem etiam ad ſanguinem vſq́ pro fide Catholica, pro patriæ ſalute, pro Scanderbegi incolumitate, omni ingenio, totisq́ viribus perſequendum, in Turcica caſtra fortiter & intrepidè irruendum, Scanderbegũ Principem, ducem, auctorem, parentem, & patriæ omniumq́ protectorem vnanimiter ſequendum, eiq́ in omnibus parendum. Itaq́ cuncti ſeſe cum omnibus copijs & exercitu ſuo, in Scanderbegi fidem & arbitrium commiſerunt, tradideruntq́. Statuto igitur præfixoq́ ordine, vt quammaximus atq́ validiſſimus exercitus vndiq́ cogeretur, Scanderbeg interim dum hæc geruntur, communicata re cum paucis, ſine mora ſagulo gregali & viliſſimo admodum habitu indutus, ad vrbem Romanam pro ope & auxilio à ſummo Principe patrumq́ collegio implorando profectus eſt. Erat enim eo tempore Paulus II. *Pontifex maximus. Qui quum Scanderbegum vidiſſet, ob eius celebre nomen, viriq́ præſentiam & autoritatẽ, hilari, perbenignoq́*



vultu illum ſuſcepit, donisq́ & honore maximo proſequutus eſt. Quem quum in Conſiſtorio (ſic enim patrum collegium vocant) adduxiſſet, Scanderbeg coram eis ita concionatus eſt:

Quis vnquam mortalium Romane Præſul maxime atq; ſanctiſsime, Reuerendiſsimi ampliſsimiq́ Patres, non lingua dicam exprimere, ſed ne animo quidem concipere poſſet, loci huius & ſedis ſacratiſsimæ, in qua ſtatis, celſitudinem & ſublimitatem? Cuius nulla pars eſt, nullus angulus, quin totus ſanctitate, diuinitate plenus vndiq; reſplendeat atq; refulgeat. Vbi primum Petrus ille beatiſsimus, ſanctiſsimusq́ Chriſti vicarius, vbi Paulus Doctor egregius, vas electionis, atque totius orbis Chriſtianæ religionis buccinator: vbi tot viri ſanctiſsimi, præſules & patres integerrimi diuinitus miſsi, cœlibem & diuinam vitam traduxerunt: vbi tot Reges & Principes inuictiſsimi, glorioſiſsimiq́ commorati ſunt, qui omni ſanctitate, omni virtute præditi, omni ſcientia referti, mundum totum, fidemqúe catholicam erexerunt, decorarunt, illuſtrarunt. Quibus tu poſtmodum, Romane Antiſtes ſanctiſsime, ad hoc dignitatis faſtigium natus magis, quàm vllo mortalium iudicio vel conſenſu electus diuino quidem nutu, hac ætate tam aurea, tam fœlici ſucceſsiſti, qui totius fidei & religionis noſtræ ſummum lumen eſſes, ſummum decus, ſummus ſplendor, qui Chriſtianum nomẽ vel ad vltimas terras transferres, & ab omni Barbarica rabie vendicares. Magna profecto fuit expectatio iampridem, Pater beatiſſime, vel animi, vel ingenij tui, quàm non vt æques modo, ſed longe quoq; ſuperes omnia. Habes ex voto innocentiam vitæ, ſapientiæ, atque conſilij magnitudinem, naturæ liberalitatem, experientiam rerum, qui in vniuerſa natura, in qua quicquid eſt neruorum, quicquid admirandi, ita es vndecunq; complexus, habesq́ in manu, vt liceat ſemper ex te, tanquam ex theſauro aliquo depromere. Fœlicem me igitur, qui te hodie intueor, alloquor, admiror, quo nihil poterat iucundius mihi, nil optabilius contingere in vniuerſa vita. Sed fœliciorem planè Romanam Rempublicam, quæ Principem te, paſtoremq́ ſuum ſentit, experitur, fruitur, quo meliorem, dignioremq́ alium optare non potuiſſet, nedum inuenire. Cuius an grauitatem magis admireris, an pietatem in omnes amplectaris, an maieſtatem atque eloquentiam obſtupeſcas, neſcias penè. Qui (vt vno verbo omnia perſtringam) nulla re alia magis eminet, quam virtutum omnium excellentia, qui omnium maiorum ſuorum, & ſuperiorum Principum gloriam non æquaturus ſolum, verum vno omnium iudicio ſit ſuperaturus, longeq́ à tergo relicturus. Gaudeat proinde & exultet, quicquid eſt vſquam Chriſtiani nominis, vel ſplendoris. Lætentur gentes, iubilet Dei Eccleſia penè afflicta, quæ per te ſit ſpiritum & ſanguinem receptura. Nihil iam timeat, tuta quoſq; pelagi æſtus, hilaris cuncta æquoris diſcrimina contemnat, Petri nauicula, te rectorem, te gubernatorem nacta, qui Chriſti fidem & Euangelium ſemper augere, amplificareq́ ſtudes: qui vnus & paſtor optimus, & Antiſtes ſapientiſsimus non ſolum ſuper oues & gregem tibi

Cœlebs & diuina vita Romæ.

gem tibi à Deo commiſſum, exactiſsime omnem curam & ſolicitudinem impartiris, ſed alienas quoque ouiculas errantes, vagas, diſperſas, in tuum ouile, & Eccleſiæ gremium reducere, ac congregare die noctuq; inuigilas atque inſudas. Bone Deus, cur mihi non eſt tantum eloquentiæ, ea dicendi vis, qua poſſem virtutes tuas omni laude maiores, non pro merito dixerim recenſere, ſed ſaltem non minores efficere: etſi non debitum perſoluere, huic tamen meæ tantæ, tamq; ſuauiſsimæ ſiti potum aliquem afferre. Sed & ſi poſſem, Pater beatiſsime, non eſt integrum hodie mihi per hos rerum tumultus, per tot maxima diſcrimina. In quo, neſcio quo fato cum gentibus, & populis meis ſum vnus omnium maxime coniectus atque immerſus. Non permittit, non patitur Mahumetes, Turcarum Princeps ille truculentiſsimus, me vobiſcum diutius commorari, Patres ſanctiſsimi, vos contemplari, vos admirari Principes meos, Deos terrarum, ac mundi totius luminaria, qui maiorum ſuorum veſtigia ſequutus, ac ſpurciſsimæ illius Mahumetanæ ſectæ nephandus profeſſor & propagator, veſtrum ouile quotidie inuadit, perſequitur, diſsipat. Et non contentus malis, cædibus & rapinis, quibus in Aſia vſus eſt, non ſatiatus Chriſtiano ſanguine, quem nuper tantum in Europa fudit, vt totam infecerit, polluerit, contaminauerit, & Chriſti nomē prophanauerit, ſed nunc me, gentemq; meam tanquam hoc vltimum certamen relictum ſibi euertere, atq; de medio tollere conatur. Cui niſi repente (quæ tua ſanctitas eſt atque clementia) occurras, obſiſtas, tu Principum Chriſtianorum pater, iubar, atque ſydus radiantiſsimum, actum eſt de re omni, actum de imperio meo, quippe populus Epiroticus tot bellis, tot cladibus exhauſtus iam corruit, iam defecit. Huc igitur ego conceſsi Patres ſanctiſsimi, ad vos ipſe confugi, domi incendium maximum reliqui, hoſtem in ipſis veſtibulis, qui non tantum gentem meam, & regionem omnem aſsidue diſsipat, euertit, depopulatur, in ſeruitutem trahit, ſed & ciuitatem ipſam meam Croiam, prouinciæ robur atque caput iamdiu innumero milite obſidet. Neque hanc obſidionem deſerendam propoſuit ſibi, antequam vrbe ipſa aliquo modo potiatur. Et potietur (vereor) ni ſublimitas tua ſuccurrat atque ſubueniat. Ita oppidanos in rerum omnium neceſsitatem, & vltimum diſcrimen adduxit. Conſulti igitur Patres optimi atque ſanctiſsimi (quæſo) dum tempus patitur, proſpicite, atq; opportune prouidete mihi. Cohibendus eſt enim impetus, & ius nephandiſsimi Tyranni, reprimendus eius furor, atq; violentia, qui in tantum excreuit, atq; inualuit, vt iamiam extrema omnia Chriſtianæ Reipublicæ, ac Dei Eccleſiæ, quam orthodoxæ fidei audeat minitari. Sed quid amplius? (proh dolor) quid peius? quid durius expectemus? Ædidit iam in Chriſtianum populum, ædidit in gregem tuum omnia crudelitatis exempla, prophanauit, ita iam fœdauit, omniq; ludibrio habuit (pudeat

Deorum, hominumq́ȝ) fidem, religionemq́ȝ veſtram, vt non minus moleſtum mihi ſit dicere, quàm vobis turpe audire. Videtis, ecce ingentis cuiuſdam mali, non ſuſpicionem modo, ſed apertam ſpeciem obſeruari ante oculos omnium. Videtis Patres ampliſsimi Aſiam ferè omnem huic nephando, ſpurciſsimoq́ȝ hoſti ſubiectã, Græcos quaſi cunctos ab eo exterminatos, Raſcianos Principes, Triballos, & Thraces euerſos, Jllyricos perdomitos, Peloponneſum ſubactum, magnam Macedoniæ atque Epiri partem direptam, incenſam, deuaſtatam. Vnus ego ſuperſum, Pater beatiſsime, cum puſillo & tenui imperio, cum militibus meis, adeò tot prælijs attritus, tot certaminibus exhauſtus, vt nihil iam integri ſit in corpore ad noua vulnera accipienda, neque quicquam ſuperſit ſanguinis, quod dari amplius pro Chriſtiana Republica poſsit. Hoc eſt reliquiarum ex tot Principibus, tot ducibus, inferaci Macedonia illa regum altrice, quod nunc perfidus Barbarus iſte totis viribus, arte, ingenio perdere, atque delere contendit. Jam nemini ignotum, nemini dubium eſt. Audiſti Antiſtes ſanctiſsime, audiſtis Patres religioſiſsimi, quot bella, quot expeditiones cum perfida gente iſta maiores mei tot armis geſſerint. Quibus ego poſtmodum ordine naturæ, diuino tamen præſeruatus auxilio in regnò ſuccedens, nullum vnquam tempus, nullum diem quieti aut ocio mihi concedere potui, ſed cum prophana gente, bella maxima ſemper pertractaui, præſertim cum rabidiſſimo & truculentiſsimo Mahumete iſto, qui iam tot malis rem meam, tot cladibus affecit, vt nihil reliquum ſuperſit mihi, niſi (proh pudor) herbam victori (vt aiunt) dare. Reſtiti hucuſque, reluctatus ſum, & diuina ope adiutus ſemper ferè incolumis atque victor euaſi. Sed nunc tot malis tam præteritis quàm inſtantibus feſſus, tot certaminibus exhauſtus, tot ducibus amiſsis, tot populis, viribus adeò exinanitus ſum, vt nihil ferè præter animos feroces ex antiqua fortuna ſuperſit. Et Barbarus iſte (ſic fortè peccatis noſtris expoſcentibus) ſupra quam dici poſsit, ſuas vires auxit, imperiumq́ȝ ſuum ampliauit. Propterea mundi totius iubar, ac Chriſtianæ religionis decus ſplendidiſsimum, ad tuæ Maieſtatis pedes ſupplex, & qua decet veneratione confugio, tuum nomen inuoco, opem & auxilium imploro. Deſcendas iam Pater ſanctiſsime, prouideas, quo his tot procellis, & bellorum turbinibus obſiſtere, easq́ȝ non ita certo periculo vitæ, ac rerum mearum diſpendio perferre queam. Fidemq́ȝ veſtram ſanctiſsimam, ſanctiſsimi inquam Patres, contra vim & impetum huius immaniſsimi Tyranni protegam atq́ȝ defendam, pro qua & vſque in præſentem diem omnia extrema ſum perpeſſus. Et impoſterum me deuoui, neq́ȝ vllum mortis vel periculi eſt genus, quod pro quocunq́ȝ veſtrum commodo & dignitate, in aliquo vitæ meæ tempore ſubterfugiam.

Populi ſubiecti Turcæ.

Herbam dare ſermo prouerbialis eſt, victorem agnoſcere. Plin. lib. 22. cap. 4. & Feſt. Pomp.

Poſtquam Scanderbeg orandi finem fecit, tanto fauore ab omnibus eſt exce-

exceptus, tam liberaliter & honorifice habitus, vt quàm celeriter expeditus, quicquid à ſummo Pontifice, patribusq́; petierat, perfacile impetrauerit, & ei quàm liberaliter ſit conceſſum. Qui maximis etiam muneribus & præmijs donatus, maximo auri, argentiq́; pondere, grandiq́; pecunia cumulatus, lætus, alacerq́; inde diſcedens in Epirum, ad ſuos reuerſus eſt.

Croiæ deſcriptio.

Cæterum antequã vlterius progrediamur, deſcribendus mihi videtur eſſe locus, quo Ballabani caſtra poſita erant, quo res, negociumq́; noſtrum melius percipi poſsit, & oculis legentium ſubijciatur. Diximus enim iam Croiam Epiri vrbem eſſe, in campis Aemathiæ poſitam, in alta ſaxi crepidine, & vndiq; præcipiti, niſi tantum ab vna parte, qua vix acceſsibilis, & peruia eſt, à monte Cruino abſciſa, qui ei adiacens, eum quaſi ſupereminere videtur. Qui quidem in longum protenditur, & ab ea parte, qua vrbis arx eſt, in cliuum ſeſe extendens, paulatim deſcendit, & plures tumulos ſiue colles facit. Vbi Ballabanus caſtris ſuis loca occupauerat, ibiq; totam ſui exercitus molem redegerat, & vrbem dura obſidione premebat, montemq́; Cruinum occupauerat, ſuper quem præſidium ſuum collocauerat. Verum omiſſo hic parumper Ballabano, ad Principem Scanderbegum redeamus. Qui poſtquam ex vrbe reuerſus eſt, maximum vndiq; exercitum, ingentesq́; copias atq; validas in vnum contraxerat. Venerant nanq; ad eum Reguli omnes confœderati, & circumuicini confluxerant, quotidieq́; confluebant omnes populi, tam ex Epiro & Macedonia, quàm ex Illyrico & Dalmatia, ita vt nunquam antea maior exercitus, neque ex validioribus, pugnatioribusq́; ab eo coactus eſt.

Fortiſsimus exercitus confluit ad Scanderbegum.

Quem Scãderbegus in duo diuiſerat, quorum alteri Lecham Duchainum regulum præfecerat, virum non minus rerum bellicarum peritiſsimum, quàm fortunatiſsimum. Alteri verò Nicolaum Monetam Nobilem Scodrenſem, virum acerrimum, qui ex Lyſſo per campos Aemathios, & ſyluam Ionimorũ copias ductitantes hoſtem ab eo latere aggrederentur. Ipſe verò cum reliquo armatorum robore tàm equitum, quàm peditum montem Cruinum verſus ex alio latere adoriretur, quo Ballabanus fortiſsimum, munitiſsimumq́; præſidium (vt diximus) locauerat. Hoc conſtituto, ſicq́; copijs diſpoſitis, in hoſtem primus progreſſus eſt. Qui quum ad montem Cruinum cum exercitu perueniſſet, illico nunciatum eſt ei, Ionimam fratrem Ballabani cum præclara Turcarum manu ad fratrem contendere, vt ſe illi coniungeret. Qui (vt fama erat) iam montem Bulgari ſuperauerat. Quo audito Scanderbeg, ſine mora electo flore & robore militum, relictoq́; ibi reliquo exercitu, per totam noctem ad Ionimam ſumma celeritate perrexit, eumq́; de improuiſo aggreſſus fudit atque diſsipauit, viuumqúe cum Heder filio ſuo capit. Indeq́; per noctem eadem celeritate in caſtra ſua victor reuerſus eſt. Mane verò Ionimam cum eius filio vinctum in conſpectu fratris addu-

ctum oſtendit. Dehinc monte Cruino deturbato, hoſtium præſidio potitus in eius ſummitate victor euaſit. Quo cognito Ballabanus deſperata iam victoria de Scanderbego, á quo toties fugatus fuſusq́ fuerat, ira atque furore plenus, ſtimulis Martis agitatus, ſimilis furibundo & inſanienti, citato equo, cum aliquibus militibus ad mœnia vſq; & portam vrbis Croiæ euectus eſt. Qui cum à Croienſibus & oppidanis multis promiſsis & pollicitationibus vrbem in deditionem petere contenderet, erumpentes oppidani & Croienſes, maxima vi & impetu eum adorti, in fugam conuerte-



runt. Quem quidam etiam ex Croienſibus Georgius Alexius nomine, vir Epiroticus, ictu ſclopi lætaliter in gutture percuſſum transfixit. Qui in caſtra equo reuectus, exanimis mortuusq́ ante tabernaculum ſuum pronus in terram corruit, quo mortuo per omnia caſtra tumultuatum eſt. Barbari verò priuati ſuo duce & præfecto, nocte illa, quæ diem inſequuta eſt deſtituta vrbis Croiæ obſidione, mœſto admodum ſilentio diſceſſerunt. Qui ad locum, qui Tyranna dicitur, octo ferè millibus paſſuum ab vrbe diſtantem caſtrametati ſunt. Verum Scanderbegus cum ad Barbarorum caſtra exorto iam die veniret, ea vacua atq; deſerta reperit, vbi multa impedimenta, ſarcinulas, & commeatũ abunde relictum inuenit. Poſtquam vero obſidio diſſoluta, & vrbs Croiæ liberata eſt, Scanderbeg victor de hoſte triumphans, cum ingenti gaudio & gloria vrbem ingreſſus eſt. Qui oppidanos omnes & Croienſes publice de fortitudine, fide, & conſtantia plurimum commendans, maximis muneribus & præmijs donauit. Interim verò duo equites ex caſtris Barbarorum, qui in Tyranna caſtrametati erant,

erant, ad Scanderbegum venerunt. Qui à ducibus & caſtrorum præfectis miſſi erant, vt his relictis caſtris, equis, & impedimentis, vita tantummodo ſuperſtite abire cõcederetur. Timebant enim, ne Scanderbegus eis tranſitus, & itinera, qua tranſituri erant, occludi faceret, quo omnes trucidarentur. Ex quo ſtatim Scanderbeg omnes Principes & milites ſuos in concionem aduocauit, vt quid ſuper hoc faciendum eſſet, decernerent, & ſua capita proferrent. Qui omnes pariter hoſtem aggrediendum, & cum eo acerrimè dimicandum exclamauerunt. Verum Scanderbeg eos ſic breuibus allocutus eſt:

Noui iampridem, viri fortiſſimi, & commilitones mei, virtutem: noui ſatis fortitudinem, & conſtantiam veſtram, qua ſemper Barbarum acriter perterruiſtis, debellaſtis, in fugam conuertiſtis. Neque vereor hodie vobis animum deeſſe, hunc quoq; hoſtem, quem in conſpectu habemus, expugnatum à vobis, profligatumque iri. Sed animaduertendum eſt, Mi- Oratio Epirenſis ad Principes, præfectos, & vniuerſum exercitum.



lites optimi, animo ſæpius reuoluendum ſapientis illud: In tranquillo tempeſtatem aduerſam optare, dementis eſſe: ſanioris verò, quauis ratione ei occurrere, cum tempus aut neceſſitas vrget. Deus cœlitus nobis victoriam ſine ferro, ſine pugna, ſine cæde demiſit. Vrbs ab obſidione liberata eſt. Ballabanus hoſtis noſter, qui tot mala ædidit, & indies minabatur nobis, extinctus eſt. Exercitus eius fugam arripuit, ſumus in pace, ſumus in quiete, omnia arrident. Cur bellum quæramus? Cur aduerſam exoptemus tempeſtatem? Cur fortunam cæcam, & incertam tentemus? Noſtis

enim

enim milites, quam inemendabilis, quam incorrigibilis ſit Martis error. Nam alijs in rebus ſiquidem erratum eſt quidpiam, corripi tamen, emendariq́ poteſt. At verò poſt præliorum delicta, locus emendationi minime conceditur. Ex quo veteres illi duces glorioſiſsimi non tam numeroſos exercitus, quam armis eruditos eſſe voluerunt. Dubius enim eſt pugnæ euentus, incerti bellorum exitus, qui non in manu noſtra, ſed fortunæ magis repoſitus eſt. Hoſtis ſemper timendus eſt, nunquam paruipendendus aduerſarius, nunquam contemnendus, Quin & poſt conſummatũ bellum, poſt conſequutam victoriam, non minori, quàm in principio diligentia vtendum eſt. Neq́ vnquam cum hoſte temere confligendum, aut pugnandum. Quare ſi nos bellum cum hoſte hoc, quem in oculis habemus, experiri voluerimus, ſi fortunam tentabimus, ſalutẽ & rem noſtram, quæ iam in tuto, & in portu eſt, in ſummo (quod abſit) diſcrimine & periculo adducemus. Cohibete itaq́ impetum iſtum, inhibete animi feruorem, ſatis victoriæ eſt adeptum. Multum iam de hoſte triumphauimus, contenti eſſe debetis tot cædibus, tot cladibus de hoſte ſumptis, tantisq́ afflatibus fortunæ, qua ſemper tam obſequenti vſi eſtis. Videtis præterea has Barbarorum copias innumeras, ac penè infinitas, neque eſt hominum certe colluuies, ſed eximius flos atque robur vniuerſi Mahumetis exercitus, viri electiſsimi, fortiſsimiq́, bello accincti atque inſtructi, neceſsitate præterea armati, quæ vltimum telum, ac maximum eſt, nihil præter pugnam cupientes, quo vindictam de morte Ballabani ductoris ſui, & aliquid præclari facinoris ad Ottomanum Principem perferant, atque reportent. Simulant enim Barbari (mihi credite) ſe nobis dedere velle, fingunt timorem, & pauorem. Noui commenta & fallacias eorum, noui inſidias, dolos, & fraudes, in quibus maximè huiuſcemodi hominum genus ſemper verſatur. Nihil profecto magis quam pugnandi copiam expetunt, quàm ex nobis vltionẽ ſumere. Itaq́ milites cauendum (ſi fieri poteſt) cum his bellum committere, fortunam tentare. Sed age nihil ſit doli, nihil fraudis, rabidi ferè ſunt omnes, ſpe omni deſtituti, ignominiæ cladisq́ pleni. Omnia timentes nihil timent. Nihil periculoſius, quam cum eis manus conſerere, quibus vnà tantum ſalus eſt, nullam ſibi ſalutem ſperare. Audacter dimicat, qui nihil ſibi reliquit, nihil in ſpem ponit. Quid & ſi omnes illos vel deleamus, vel in fugam conuertamus, & non iſtud ipſum ſine malo veſtro, ſine naufragio, ſine cruore, ſine vitæ diſpendio. Omnis ea victoria eſt mihi luctuoſiſsima futura. Quas ob res, milites amantiſsimi, ſi me audieritis, ſi conſilia mea capeſſeritis, profecto ſine pugna, ſine ferro eos ſuperabimus. Laborant enim Barbari rerum omnium penuria, & maximè re frumentaria, ſine qua exercitus abſque ferro vincitur. Occludamus vias, & itinera, ne quicquam ſubſidij, commeatusúe quoquo modo ad eos perueniat. Nos interim vrbem noſtram

Croiæ

Croiæ fortiſſimo milite, omniq́ præſidio communiemus. Hi verò ſic occluſi & obſeſſi fame teterrima omnino peribunt, & funditus ſine ferro, ſine pugna euertentur.

His à Scanderbego dictis, militum animi oratione eius ſedari minime potuerunt, quin audaciores, ferocioresq́ in hoſtem effecti, magisq́ in furorem verſi, atque magis elati, excitatiq́ ſunt. A quibus ingens poſtea tumultus, ſtrepitus, & clamor vndique exoritur, & per omnia caſtra exclamatum eſt: In hoſtem omnino fugientem, & iamiam profligatum intrepidè eundum, & in eum acerrimè irruendum. Nec Scanderbego Principi, qui iam hoſtem timere oſtendit, in hoc parendum eſſe, quandoquidem ex acerrimo bellatore cunctator factus, arma viris ad arma natis, & arma frementibus velit auferre, & imperator exercitui, non exercitus ipſi Imperatori deſit. Quorum vis & impetus vix à ducibus & caſtrorum præfectis inhiberi comprimiq́ potuit. Quibus permiſſum eſt, vt cumprimũ vrbs Croiæ frumento, commeatuq́ communita fuiſſet, hoſtem ex animi ſententia inſequeretur, eiusq́ caſtra aggrederetur. Mandauerat autem Scanderbegus, vt tranſitus, viæ, & itinera Barbaris occluderẽtur, ne per tranſire poſſent, neq́ ad eos commeatus, aut ſubſidium aliquod comportaretur. Interea dum Scanderbegani milites triduo circa vrbem communiendam ſedulo inſtarent, Scanderbego nunciatur Barbaros, qui in Tyranna caſtrametati fuerant extrema fame compulſos, inde caſtra nocte illa ſigno ſecundæ vigiliæ, per quod tempus mortales ſomno altiſſimo premuntur, clam amouiſſe, neque tamen cuſtodias fallere potuiſſe, ſed maximam cum eis atque incolis pugnam commiſſam, tandem ſibi ferro iter aperũiſſe, ingenti tamen ſuorum clade, & cæde, & maxima impedimentorum amiſſione diſceſſiſſe. Quo audito Scanderbegani milites, locis omnibus frementes ægrè tulerunt, & maxime de Scanderbego conqueſti omnem in eum culpam reiecerunt, quod Barbarus impunè euaſiſſet. Quibus tandem multis illecebris & donis placatis, Scanderbeg vniuerſam obequitans prouinciam, Turcica & Barbara præſidia, quæ illic aderant omnia, aut cæpit, aut trucidauit. Poſtquam verò vniuerſa prouincia pacata, tranquillaq́ reddita eſt, Scanderbeg ſocijs multum collaudatis, muneribusq́ illis quampluribus exhibitis, omnes à ſe ſereno, hilariq́ vultu dimiſit. Qui Barbarorum prædâ onuſti, læti alacresq́ domum reuerſi ſunt. Ex quo inſignis ille annus, & lætus Scanderbeganis fuit.

Il MARINI

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS,

Liber Tertiusdecimus.



Dolor & conflictatio Ottomani Principis, ex morte Ballabani, & diſſolutione obſidionis Croiæ.

OMiſſa impræſentiarum Scanderbegana re, quæ ſatis florida, ſatis iucunda & trãquilla erat, ad Mahumetem Principem me conuertam, qui recenti Ballabani præfecti ſui interitu, & fœda ſuorum fuga, & ſtrage vehementer indoluit, afflictans ſe, & macerans ſupra modum, quod obſidio vrbis Croiæ diſſoluta eſſet: & quomodo ipſe de tanta ignominia aduerſus Scanderbegum ſe vlciſci poſſet aſsiduè cogitabat, animoq́ dies, ac noctes voluebat. Statuit tandem, vt coacto vndique ingenti validoq́ exercitu, ipſe iterum in Epirum contra Scanderbegum rediret. Quo audito Scanderbegus, delectum accuratiorem quàm ad alia bella vnquam haberi ſolitus eſſet, fieri iuſsit, & omnia loca & vrbes præmunijt atq; firmauit. Peracto igitur anno, expectato veris tempore, quod expeditionibus eſt magis aptum, quo cuncta in campis germinantia rident, ipſe innumeris copijs, vario tormentorum genere, artificibusq́ in omni arte peritiſsimis in Epirum proficiſcitur. Qui vt primum venit, in quadã lata & ampla planicie, quam incolæ Sauram appellant, prope Scombinum

binum flumen caſtrametatus eſt, vbi Princeps Hyaranites Cominatus Scanderbegi ſocer præerat. Eaq́ tempeſtate Ottomanus quodam in angulo iuxta populos, qui Iates, Brateſcoſagni, Cherabi, Buſerſechi, & Sopotani dicti ſunt, vrbem Valmorum iamdudum á Gallogræcis, & Barbaris funditus euerſam, quam nunc noſtri ciuitatem nominant, inſtaurauit, atque reædificauit, qua fortiſſimo milite, omniq́ præſidio munita, firmataq́, caſtra ſua inde amouens ad vrbem Dyrrhachinam expugnandam profectus eſt, putans illam ex improuiſo immunitam, imparatamq́ adoriri, ſed eum ſua fefellit opinio. Nam tum Veneti ipſi, tum Scanderbegus Princeps tam terreſtri, quàm maritimo milite omniq́ præſidio eam munierant, à qua Ottomanus Princeps cum multa cæde ſuorum turpiter repulſus atq́ reiectus eſt. Cæterum eo impræſentiarum omiſſo, pauca de laudibus huius vrbis in medium afferre decreui. Dyrrhachium, quod prius Epidamnum dicebatur, vrbs eſt Epiri, ab Epidamno quodam (vt nonnulli voluêre) iam primum condita, à quo & nomen aſſumpſit. Huius ex filia nepos Dyrrhachus nomine portum adiecit, quod Dyrrhachium appellatum eſt. Verum vt alijs placet, Dyrrachium vrbs Epiri maritima, eſt caput Taulantium, Pireorum, & Pratinorum, inter Lyſſum & Apolloniam poſita. Quæ cum prius Epidamnum vocaretur, propter inauſpicatum nomen (quia velut in damnum ituris omen eſſe videbatur) à Romanis poſtmodum Dyrrhachium eſt appellata, à Cheroneſo, in quo ſita eſt ſumpto vocabulo, á Corcyreis (vt quibuſdam placet) condita, quam potius ab ijs inſtauratam dixerim. Nam hæc, ſi antiquiſſimis autoribus, & famæ credimus, inter cæteras vrbes vetuſtiſſimas connumeratur. Cuius laudes & præconia magna multaq́ extant. Nam (vt inquit Lucanus) Dyrrhachium opus eſt non manufactum, ſed natura munitum, in rupibus adeò altiſſimis poſitum, vt qui nauigant, ſuſpicientes mœnium altitudinem, non ſolum admiratione quadam, ſed periculi timore attoniti fiant. Ea enim mari circumdata præruptis rupibus ab vna parte, qua collis eſt continenti terræ coniungitur. Hinc portum habet tutiſſimum, commodiſſimumq́. Illinc campos latiſſimos, amœniſſimosq́, agrum fertilem, & omnibus rebus copioſum. In ea ſunt ædes ſacræ, templa auguſta atque magnifica. Ibiq́ conſpiciuntur imagines Regum, & Imperatorum. Ibi viſuntur antiquiſſima Principum monumenta. Ibi ſtatua Adriani Cæſaris, ſeu potius Coloſſus ingens ex metallo conflatus, in æditum locum erectus eſt ad portam Caballinam ſeptentrionem verſus. Arena præterea, ſiue Amphiteatrum mira arte ingenioq́ conſtructum. Muri vrbis munitiſſimi, turribus, alijsq́ inſignibus operibus ornati, decoratiq́. Spectanda quoque ea ciuitas eſt maxime in maritimarum ſpecie, ſalinarum, ac mercium commoditate. Hæc eſt Dyrrhachina vrbs illa, quæ Romanum vidit Senatum, ac perbenigne ſuſcepit, ciuili ſan-

Epidamnum Colonia propter inauſpicatũ nomen à Romanis Dyrrachiũ appellata, nam Epidamnus vrbs Macedoniæ à damno deduci videbatur. Vide Pli. lib. 3. cap. 23.

Antiqua monumenta in Dyrrhachio.

ll 2 guine,

guine, atq; inteſtinis bellis non inſignis minus, quàm infœlix. Quæ demum qualis quantaq́; fuerit, ipſa ruina docet.

Abſceſſus Mahumetis ab vrbe Dyrrachina.

Poſtquam igitur Mahumetes à Dyrrhachinis tam male habitus eſt, & omnis eius conatus in irritum ceciderunt, credidit Scanderbegum vrbis præſidio adeſſe, propterea quod milites eius plæroſque ibi eſſe nouerant. Quare retrocedens ad vrbem Croiæ ire contendit, eamqúe in modum coronæ vndique cinxit, & primum petijt ab oppidanis, vt vrbem, ſeq; in eius poteſtatem traderent. Quibus etiam multa dona & munera promiſit. Cui cum Croienſes varijs tormentorum, ac telorum generibus reſponſum dediſſent, poſtea erumpentes ex vrbe, acerrime cum eo decertârunt, victoresq́; cum gaudio & multis hoſtium cæſorum capitibus in vrbem redierunt. Verum Scanderbeg, qui & ipſe in campo cum ſuis aderat, qui nec latere, nec quieſcere nouerat, Barbarum impunè ire non permiſit. Nam eius caſtra aggreſſus, die noctuq; eum infeſtabat, varias cædes & damna ei inferens, adeò quod Mahumetes animaduertens, nihil ſe aduerſus Scanderbegum proficere poſſe, inde diſceſſit, & locum quendam ad littus Adriatici maris non longe à Dyrrhachio poſitum petijt, qui nunc ab incolis Caput redoni dicitur, vbi Princeps Scanderbegus nuperrimè vrbem, quam Chiurilum appellauit, ponere cœperat. Quam quum Ottomanus nondum habitatam, nec perfectam reperiſſet, funditus euertit. Dehinc ad expugnationem quorundam populorum Scanderbego ſubditorum acceſſit. Scanderbeg autem aſsidue illum infeſtando ſequebatur, qui montana etiam & aſpera loca incolebant, eum die noctuq́; aſsiduè laceſſebant, à quibus cæde, & ignominia maxima affectus, inde diſceſſit. Ad extremum verò deſperata de Scanderbego victoria (qui prius omnia munierat atq; firmauerat) relicta Albania & Epiro, mœſtus ac triſtis turpiter diſcedens, Bizantium vnde venerat petijt. Poſt cuius diſceſſum illico duo ex ſuis præfectis, Ali, & Aias venêre, miſsi ab ipſo ad tutandos duntaxat, ſaluandosq́; fines ſuos, ne à Scanderbeganis infeſtarentur, quos nullatenus ad bellum prouocarent.

Barbari & Scanderbegi munera mutua.

Qui cum primum venêre, Barbara arte vſi, quo Scanderbegum in ſuam attraherent amicitiam, ſibiq; conciliarent, multa xenia, dona & munera ad illum, clam admodum ab Ottomano facere fingendo, miſerunt. Quibus Scanderbeg, quo animi ſui magnificentiam cognoſcerent, & ne à Barbaris gratitudine atque beneficijs ſuperaretur, pulcherrima viciſsim munera dedit. Jnterea verò Scanderbeg iuſsit vndique delectum fieri, vt maximo coacto exercitu, ad vrbem Valmorum expugnandam, quam nuper Mahumetes fundauerat, proficiſceretur. Morbo tamen graui implicitum (prò dura fati potentia) ab ea expeditione eum fortuna ſubtraxit. Nam quum vniuerſam prouinciam ad recenſenda capita obequitaſſet, &

Lyſſa Venetorum vrbs.

Lyſſum tandem perueniſſet (ea enim vrbs Veneto imperio parens, Scanderbego

derbego peculiaris,& perchara erat) vt ibi ſocios & confœderatos ad conſilium congregaret, in grauem incidit febrem. Vnde morbo indies inualeſcente, magis timens ſibi, & iam extremum vitæ tempus aduentaſſe ratus, omnes ſocios & Principes, qui ad eum venerant, conuocari iuſſit. Præterea Venetorum etiam legatos, quibus cum maxima erat neceſſitudine atq; beneuolentia deuinctus, ad hæc duces ſuos, & caſtrorum præfectos, omneſq; ſic benignè alloquutus eſt:

Summam veramq; virtutem atq; religionem, Principes optimi, voſq; Commilitones amantiſſimi, eſſe arbitror, Deum ſummum optimumque imprimis iuſtè, ſanctè, pieq; venerari, colere, obſeruare: Dehinc patriam, remq; publicam, in qua natus quiſque educatuſq; eſt, non amare ſolum, tutari, ſemperq; præ oculis habere, ſed etiam ad ſanguinem vſque protegere,

Teſtamētum & verba, quibus Scanderbeg ad ſuos duces & præfectos caſtrorum vſus eſt.



atq; conſeruare. His enim omnibus, qui hoc faciunt, proprium in cœlo locum diffiniuêre ſapientes. Quæ quidem omnia, quæ ſemper mihi cordi fuerint, ad eaq; omni ingenio, totiſquè viribus contenderim, Deum imprimis, voſq; optimos mihi teſtes adduco. Jam trigeſimus peractus eſt annus, commilitones mei, quod impias atque nepharias Amurathis Turcarum Principis manus euaſi, & in regnum meum auitum ac paternum confugi. Ex quo bella aſſidua, cum pro rei totius noſtræ tutela, tum Chriſtianæ Reipublicæ dignitate aduerſus perfidam gentem, & Ottomanam rabiem geſſi ſemper, atq; ſuſtinui, omniaq; propitio Deo fauſte, fœliciter, & ex animi ſententia ceſſerunt nobis, nec victum vnquam iuſta acie, aut profligatum me Principem & commilitonem veſtrum, ſed victorem ſemper

ll 3 *de ho-*

de hoſte (liceat hoc & mihi dicere) excepiſtis: neque memini vnquam me præterquam ſemel ſagitta in pede dextro à Barbaro quodam ictum fuiſſe, quem illico in totius exercitus cõſpectu obtruncaui, caputq; eius cruentum ante pedes veſtros proieci. Aliàs quidem nunquam (vt noſtis) membra hæc, corpusq; meum tot bellis, tot periculis expoſitum vel ferrum hoſtile ſenſit, vel vulnere aliquo indoluit. Nunc verò (ſic rerum humanarum ordine procedente) reuoluto tertio & ſexageſimo ætatis meæ anno, iam in ſenium vergens, Ecce ô ſocij, ecce commilitones chariſſimi, morbo graui correptus, & totus naturali virtute, & robore deſtitutus, iamiam deficio. Sentio iam commilitones mei, ſentio inquam, diuina ſic iubente prouidentia, qua cuncta conſtare, regiq; non immerito fatemur, depoſita fragili hac mortaliq; ſarcina, ad alia loca concedendum, vitæq; huius breuitatem, atq; ærumnas, cum ijs, quæ vera ſunt commutandum eſſe mihi, neq; cogitatio me hæc, aut neceſſitas potius (Deum teſtor) aliquo modo perturbat. Non inuitus iugum hoc ſubeo, quod naſcentibus nobis fata dedêre. Nihil dolendum eſt, nihil ingemiſcendum, quod præter legem non patimur. At ea ſumus lege nati, vt omnes in hac mortalitatis neceſſitate poſiti ſimus. Scio autem, quod omnibus neceſſe eſt, id ne miſerum eſſe vni poteſt. Reddenda eſt tandem terra terræ, obtemperandum naturæ, reſtituenda æterna hæc, immortalisq; anima, cœleſtisq; ſpiritus illi, qui tradidit, commodauitq; nobis. Neque tamen hanc moriendi ſortem idcirco ita æquo nunc animo ſubeo, amplector, ô ſocij & commilitones dulciſſimi, quo pericula illa fugiam, labores euitem, ærumnis me abſtraham, in quibus hucuſque pro Chriſtianæ Reipublicæ dignitate & fide, annos omnes expoſui, & vitam peregi, quippe quum & plura, & maiora ſemper pro ea ſubire paratus ſim. Sed video, video iam hanc eſſe diuini numinis voluntatem, ſentio Deum, clareq; perſpicio, cui omnino eſt parendum, vt ex hac terrena fece, ac infœlici ergaſtulo tandem recedam. Satis præterea naturæ indulſi, vixi iam ſatis, & quem dederat curſum fortuna, peregi. Verum antequam & ſpiritus me, & vos ipſe deſeram, atq; relinquam, illud occurrit imprimis, de quo vos alloquendos, ac commonendos putaui, vt ſolitus ſum ſemper, dum per melioris ætatis annos integrum fuit mihi, vt Chriſtianæ Reipublicæ, ac Catholicæ fidei ſalutem atq; dignitatem, ſicut pro ea hucuſq; viuẽte me tanto omnium Chriſtianorum Principum fauore & admiratione ad extremum vſq; ſpiritum elaboraſtis, inſudetis, ita impoſterum mortuo quoque vnam ſemper in animis, vnam præ oculis habeatis. Habebitis autem (mihi credite) facillima ſemper omnia vobis, fœliciſſimaq;, ſi primum mutuam inter vos pacem & concordiam, qua vel minima quæq; maxima fiunt, fidemq; atque beneuolentiam inuicem ſeruetis, omniaq; ſemper infra commune bonum, & vtilitatem publicam ducetis. Nullum eſt enim tam potens, validumq; imperium,

Scanderbeg vixit annos 63.

rium, quod non corruat quandoq;, atque dilabatur, vbi mutuis odijs atq; diſsidijs præbeas locum, vbi priuatam vtilitatem, propriumq; commodum publico bono anteponas. At verò ſi concordes inuicem & coniuncti eritis, neque hoſtis vllus, neque aduerſarij impetus obeſſe poterit vobis: regna, imperiaq; veſtra durabunt, ſemper permanebunt: populos, gentes, vxores, liberos, fortunasq; veſtras, in quiete, & fœlicitate perpetua collocabitis. Non Ottomani rabiem, non Barbarum furorem timere poteritis, non doli eius artes, vel inſidiæ aduerſus vos quicquam proficient, qui vt vos, vireſq; veſtras ſeparet atque ſeiungat, dies nocteſq; molitur atque laborat, quo veſtrum vnumquenque ita ſeorſum, ſigillatimq; oppreſſum, ex animi ſui voto deleat atque euertat. Præter hæc, ſocij & milites fortiſsimi, Iohannem filium meum, quo maiore poſſum ſtudio, diligentia, cura, commendo vobis, fideiq; atque virtuti veſtræ dedo atque trado. Qui propter ætatem infirmus, & balbutiens ferè adhuc, neque ad præuidendam, neque ad propulſandam calamitatem eſt ſatis idoneus, ne feræ & rabidi tigrides eum deuorent atq; dilanient, ne Mahumetes perfidus, & communis hoſtis illum, regnumq; eius opprimat (ad quod ſemper anxius eſt) & ei rabido atque cruento ore omni tempore inſidiatur. Et obtinebit (prò dolor) obtinebit, opprimet miſellum, ni virtus veſtra, armaq; eum protexerint, atque conſeruauerint. Quum primum enim ſentiet truculentiſsimus Tyrannus me ab humanis ademptum, non ſtabit vel temporis momento, aduolabit quàm ociſsime, tanquam rabida belua, vt tot mala, tot clades, tot iniurias à patre acceptas, in paruulo infœliciq; filio vlciſcatur, atque reſarciat, edatq; in eo (heu me miſerum) omnia efferaciſsimi animi, atque crudelitatis exempla. Amplectimini igitur ſocij & commilitones amantiſsimi, rem & imperium eius ea fide, ea diligentia, qua ipſe cuncta commoda & ornamẽta veſtra (ſi vera fateri velitis) omni vitæ meæ tempore ſum amplexus. Qui non mihi vixi ſolum, ſed vobis omnibus, liberisq; veſtris, itaq; laboraui, inſudaui, vt neq; dies, neq; noctes à laboribus, & vigilijs ceſſarem. Non ocio, non quieti ſuperfuit mihi tempus aliquod in vniuerſa vita, non locus certus, non tempus cibi, ſomniúe ſumendi fuit vnquam, noctes pares diebus inſomnes ducebam. Cura & incolumitas regni, & imperij veſtri non minus cordi mihi, quàm propria erat. In quos (Deum teſtor) vt nunc ſaltem, poſtquam in hunc incidi ſermonem, animum meum aperiam vobis, nihil vnquam fraudis, nihil doli aut feci, aut machinatus ſum. Voſq; non vt milites, ſatellites, aut miniſtros, ſed vt ſocios, & fratres ſemper habui, & dilexi. Nemo veſtrum à me vnquam (quod meminerim) non modo manu violatus, ſed ne verbo quidem inclementiori appellatus. In caſtrenſi cura, & labore, in militari officio, in excubijs, in vigilijs nunquam vobis inferior eram, ſed tanquam vnus ex commi-

Scanderbeg moriturus, filium ſuum Iohannem commendat.

commilitonibus me habebam, & facta mea, non dicta ſequi volebam, nec diſciplinam modo, ſed exemplum à me peti. Nullum vnquam laborem, nullum diſcrimen aut periculum recuſabam, ſiue aliqua ſimulatione, aut tergiuerſatione fugiebam. In hoſte aggrediendo (abſit inuidia verbo) inter primos verſabar: è prælio & pugna cum vltimis redibam. Exuuias & hoſtium ſpolia, prædasq́ Barbarorum vobis imprimis impartiebar, diuidebamq́, nihil mihi de his retinebam. Regnum, imperium, fortunas, mea deniq; omnia communia faciebam vobis. Nihil proprium erat mihi, aut certum, nihil diuiſum à vobis, nihil ſeparatum. Nunc commilitones chariſsimi, ecce morior, ecce vos deſero. Quare rogo omnes, obſecroq́, vt hanc fidem, beneuolentiam, charitatem, quam in me vos vel nullo temporis momento deſiderare potuiſtis, eam in Iohannem filium, regnum & imperium eius vltro exhibeatis, atq; impendatis, quem ego effigiem, atque imaginem meam, vicarium pro me vobis do, dicoq́.

Scanderbeg alloquitur filium moriturus. *His dictis, continuo ad ſe filium ſuum aduocans, ſic blandis verbis commonendo eum alloquitur: Fili mi Iohannes, fili mi, ecce iam morior, & te infantulum atq; tenellum relinquo. Equidem tibi ego regnũ, & imperium trado firmum & ſtabile, ſi bonus eris: ſi verò malus, debile & imbecille. Stude igitur, fili mi, innitere, vt bonitatem & virtutem ſolam rebus cæteris omnibus anteponas. His enim & teipſum conſeruabis, & regnum, atq; imperium tuum, non tranquillum ſolum, & quietum efficies, ſed augebis quotidie, in maius prouehes, atq; illuſtrabis. Verum quia nunc per ætatem impotens es fili, neque idoneus ſatis ad habenas imperij tui ſuſcipiendas: præterea ſunt hoſtes vndique tibi, ſunt feræ peſſimæ, quæ te continuè deuorare, atque dilaniare ſtudent. Eſt enim Mahumetes ille Tyrannus, communis omnium Chriſtianorum hoſtis, qui, ſi modo fili mi ita paruulus & infirmus paterni regni tui curam ſuſcipias, te omnino opprimet, atq; euertet. Ideò animæ mi, quamprimum oculos paternos contexeris atq; compreſſeris, & corpus meum tumulo tradideris, confeſtim cum matre tua in Dauniam traijcito, & ad vrbes, ciuitatesq́ tuas quàm mature properato, ibiq́ vſque ad puberes annos moram trahito, quoad imperij tui regendi gubernandiq́ idoneus efficieris. Poſtquam verò adoleueris, Venetum adeas imperium, vt tibi regni tui auiti & paterni ſceptrum reddat, atque reſtituat. Sub cuius nunc tutela atque regimine illud relinquo, fideiq́ committo, vt curam illius gerat, ab hoſte protegat, tibiq́ ſeruet. Manent enim ſic inter me &* **Venetorum laus.** *Venetos fœdera, ſic leges, pacta, & conditiones initæ ſunt, vt regnum tuum ab hoſtibus & inimicis tueantur, tibiq́ ſeruent, atque in eo te, cum aptus ad id muneris fueris, reponant. De quorum fide & diligentia in rebus tuis nihil dubito, cum ſoli ſint Veneti inter cæteros Chriſtianos Principes (pace omnium dixerim) qui cum grauitate, prudentia, & rerum geſtarum magnitu-*

gnitu-

gnitudine nemini cedant, tum fidei maxime & bonitatis præſtantia imprimis amandi, obſeruandiq́ſunt. Quod ego toto imperij mei, & vitæ tempore, in omni actionũ genere, tantis rerum experimentis vnus melius, quàm alius quiſpiam cognoui, comprobaui, & expertus ſum. Qui & ſocij mihi, ac confœderati, locoq́ charorum parentum ſemper fuêre. Eoſdem tibi igitur fili parentes, eoſdem Principes, eoſdem tutores relinquo. Ab eorum monitis, conſilijs, præceptis, nunquam diſcedas. Soli ſunt Veneti patres iuſtiſſimi, ſanctiſſimi, Catholicæ fidei & religionis tutores aſſidui, pupillorum, viduarum, & omnium imbecillium, ac miſerarum perſonarum protectores. Adeò præterea chariſſimi mihi, vt res eorum & imperium, curæ mihi, cordiq́ perinde atq́ meum ſemper extiterit. Tanta noſtra in eos fides, & beneuolentia, vt vrbium, ciuitatumq́ ſuarum ius atque arbitrium, in manu mea omni tempore reliquerint, commiſerintq́, easq́ ita (propitio Deo) dum licuit mihi maxima ſemper fœlicitate tutatus ſum, & ex animi eorum ſententia conſeruaui. Itaque fili mi tutus eſto, & ſub eorum vmbra atque tutela ſecurus viuito, ad eosq́, quum ætas tua patietur, hilaris, & intrepidus accede, quia in ſedem te vel cupide reponent. Vrbes ciuitatesq́, regnum, & imperium perbenignè reddent tibi, atque reſtituent. In quo, ſi bonus & fidus eris, ab omni hoſtium vi & impetu, ab armis & telis aduerſariorum protegent te ſemper, illudq́ tibi incolume ſeruabunt: vtpote qui Principes potentiſſimi, ſapientiſſimi, terra mariq́ inuictiſſimi, nullum ſocium ſibi fidum, nullum amicum deſerunt aut deſtituunt, neminem fraudant aut circumueniunt vnquam. Quum verò fili mi in regnum tuum pacatum & tranquillum reuerſus ſederis, illiusq́ curam & regimen ſuſceperis, iuſtitiam imprimis cole, quæ omnium virtutum apprime eſt clariſſima: æquitatem ſerua, faciei pauperis, diuitis, & potentis nullo habito diſcrimine, in omnibus modeſtia & temperantia vtere. Regnum tuum amicitia vallato, ſtabilitoq́. Nam neque theſauri, neque exercitus ſunt præſidia regni, verum amici, quos neq́ armis, neq́ auro habere queas, officio & fide parantur. Quare extat diuina illa Philippi patris in Alexandrũ Regem obiurgatio. Quæ te fili ratio in hanc tam vanam ſpem induxit, vt eos fideles tibi futuros exiſtimares, quos pecunia ad amorem tui pellexiſti, à charitate iſtud præſtatur. Veluti enim terra iſta hunc ſolem, quem videmus, maxime deſiderat, ita vita humana amicitia plurimũ indiget. Comparabis igitur fili cuncta hæc, comparabis (mihi crede) deuinces, tibi obligabis omne hominum genus, ſi præcepta mea ſeruaueris. Quum ſola quippe humanitas, ſola beneficentia ſit, quæ Deo grata, hominibus accepta, tuta vbique, & extra periculum poſita, mirabiles in omnium animis ſui amores generant, & cæteras facile ſuperant virtutes, ac longo poſt ſe interuallo relinquunt. Sola vel ſingulari ſapientum teſtimonio atq́ conſenſu,

Præcepta pro Principe formando.

Amici præſidia regni ſunt

Philippi vox in Alexandrũ Regem.

Laus humanitatis & beneficentiæ.

mm *cum*

cum omni hominum genere, tum Principibus maximè neceſſaria. habent enim omnium ingenia in ſua manu, poßident omnium animos in ſua poteſtate. In arduis demum & aduerſis fortis eſto, fili. In ſecundis verò & proſperis fœlicem fortunam virtute moderaberis, atq; domabis. Mollis, quietis, atq; effœminati ocij impatiens eſto, inde enim mala omnia proueniunt.

Ocium fomes omnium malorum eſt.

Fomes omnium malorum ocium eſt. Milites tuos ignauia, vel deſidia tabeſcere non permittas, ſed laboribus, vigilijs, ſudoribus aßiduis exerce, eos tamen non vt miniſtros, ſed vt ſocios & commilitones tractes. In Caſtrenſi labore, & cura militari, non Imperatorem te tantum, verumetiam militem exhibeas. Delicias maximè abhorre, luxuriam fuge, quibus fortißimi etiam & robuſtißimi viri molles, effœminatiq; fiunt. Seueritatem quoque nimiam, & crudelitatem, quæ propriè ferarum eſt, euitato. In laboribus patiens, & periculis intrepidus eſto. Rerum viciſsitudinem, & varietatem, fortitudine, atque prudentia moderare. Moleſtiorem fortunam ita feras, vt cælato, dißimulatoq́ue vulnere, nihil habeat hoſtis, quod de te glorietur, nihil quod calamitati tuæ inſultet. Quid enim minus eſt conſtantis, & recti Imperatoris, quàm cuius animi motum vultus detegit. Barbarorum inſidias præter cætera, in quibus maximè huiuſcemodi hominum genus verſatur, vt fugias ſemper præ oculis habe. Fuge perfidiam, fuge dolos perfidæ gentis, contemne amicitiam, abominare ſocietatem, & beneuolentiam nefandißimi Tyranni, ſperne munera, blanditias, & promiſſa eius, ne, dum allicere cupit, & incautum te opprimat, & in æterna mala detrudat.


Quales conſiliarij.

Ideo conſiliarios tibi notos, fidos, charos, omni tempore adhibeas. Hæc ſunt, lux mea fili mi, præcepta & inſtituta, quæ ipſe à parente meo haud pœnitendo magiſtro accepi, & didici, quibus delectatus ſum ſemper: his me inſtruxi, his edocui, his ætatem, & vitam omnem formaui, ex his denique fructus maximos cæpi. Igitur vt ea nunc tu quoque teipſum doceas, amplectaris, imbibas, obſerues, te maximè hortor, admoneo, & (ſi pateris) parens, parens inquam rogo, oro, obſecroq́.

Irruptio Ahamathi Turcarum præfecti, cum 15. millibus equitum in agrum Scodrenſem.

Dum hæc Scanderbegus dixiſſet, interea rumor ingens per vniuerſam vrbem excitatur, tumultusq́; recens ex agris allatus pro nuncio fuit, Turcas iam adeſſe, agros vicinos percurriſſe, incendiſſeq́. Quo audito Scanderbegus, & ſi in lecto graui laboraret morbo, tamen animum illum priſtinum, & inuictum, ſpiritus illos viuaces, & Martiales comprimere, aut cohibere nequiuit. Quum è lecto aſſurgens, membris iam vacillantibus, & tremebundis arma, clypeumq́; ſuum peteret, & equum ſibi ſterni iuberet, ita vegetum ingenium in viuido pectore vigebat. Sed quum mēbra eius iam viribus & vigore ſuo deſtituta, debilitataq́; fluitarent (heu bone Deus, quis eſt tam excelſus & ſublimis, quis tam ſtrenuus etiam & fortis,

fortis, non dicam humilis, & debilis, ac imbecillis, qui mortem effugere poſſit?) procidens in lectum, ad milites conuerſus, hæc verba inquit: Egredimini, egredimini milites in hoſtes & Barbaros, præite, præite me, quia vos ſtatim ſequar. Quorum nonnulli equites vrbem egreßi, ad caſtra Barbarorum peruenerunt, qui Scodrenſem agrum deprædati, iuxta torrentem, qui Clirus dicitur, prope vrbem Scodræ caſtrametati fuerant. Venerat enim Ahamathius præfectus cum 15. millibus ad agrum Scodrenſem depopulandum. Quos vt Barbari viderunt, Scanderbegum adeſſe arbitrati, continuo vndiq; caſtris tumultuantibus, trepidantibusq;, relicta maxima parte prædæ, per aſpera & ferè inuia nocturno tempore aufugerunt: erat enim menſis Ianuarij, niuesq; totam tellurem cooperuerant. Qui quum per ardua, & montium cacumina tranſirent, à regulis & incolis, qui ea loca inhabitabant, oppreßi ſunt, qui funeſtam eius populationem, & cruentam prædam fecerunt. Nam plures fuêre capti, multi cæſi, prædam ferè omnem amiſerunt. Scanderbegus verò eadem nocte, qua Turcicus & Barbarus exercitus aufugit, poſt ſacram confeßionis pœnitentiam, cæteraq; Eccleſiaſtica Sacramenta qua decet veneratione percepta, continuè ſe animumq; De morte Scãderbegi.



ſuum Deo maximo tradens 16. Kalend. Februarias, Anno Domini, M. CCCCLXVI. *extremum diem ſuum obijt. Fertur igitur Scanderbegus 63. annos natus, 24. ſui imperij anno è vita migraſſe. Auguratus eſt autem Scanderbegus prima auſpicia imperij ſui quarto Kalend. Decembris, anno eiuſdem Domini,* M. CCCCXLIII. *Quem Lechas Duchaginus regulus Epirota, de quo ſuperius mentio facta eſt, cum mortuum conclamari audiſſet, in publicum ſe proripuit, mœſtoq; vultu, & voce confuſa, barbam ſibi euellens & capillos. Concurrite, concurrite, inquit, reguli omnes &*

mm 2 Princi-

Principes Albani. Hodie clauſtra Epiri & Macedoniæ perfracta ſunt. Hodie præſidia & mœnia noſtra corruerunt. Hodie robur omne & vires noſtræ defecerunt. Hodie ſedes & imperia noſtra collapſa ſunt. Hodie omnis ſpes noſtra cum hoc homine penitus extincta eſt. In eius quoque obitu equus quem ipſe equitabat cum pugnaturus eſſet, ferus, rabidus, & indomitus factus eſt, ita vt nullum amplius dorſo ſuo perpeti vellet, qui paulopoſt Locus ſepulturæ. *extinctus eſt. Sepultus autem eſt Scanderbegus in vrbe Lyſsi in Eccleſia maiori diui Nicolai, cuius exequiæ & feriæ, more maiorum ingenti pompa, luctuq́; militum ſuorum, & omnium Principum & Ducum dolore maximo, patrio ritu, deductæ ſunt. Eoq́; loco oſſa eius repoſita in pace quieuerunt, quoad Mahumetes Turcarum Princeps in Albaniam & Epirum* Alius liber de oppugnatione Scodræ. *ad oppugnandam vrbem Scodræ venit: de qua oppugnatione ſiue expeditione iam in alio libello, quem ædidimus, diffuſius ſcripſimus. Quo tempore Turcæ & Barbari potiti vrbe Lyſsi, corpus Scanderbegi ſummo deſiderio repertum de tumulo extraxerunt, & quem tantopere viuum reformidabant, & ad eius tantum auditum nomen fugiebant, mortuum, & iam diſſolutum (neſcio an id diuina diſpenſatione factum ſit) videre ſummopere cupierunt, ne dicam venerari, & adorare oſtenderunt. Nam omnes quidem ita ad eius cineres oſſaq́; certatim confluebant, vt fœlix, & perbeatus is fore exiſtimaretur, qui ea videre & tangere, fœliciorq́; tamen, qui minimam ex illis particulam vendicare ſibi poſſet, quam alij argento, auro alij recondere atq́; exornare faciebant, & ad collum appẽdebant ſibi, tanquam rem diuinam, ſanctam, & fatalem, & ſumma veneratione ac religione obſeruabant, exiſtimantes illos omnes, qui eas ſecum reliquias ferrent, conſimili quoq́; fortuna & fœlicitate in vita vſuros eſſe, qua ipſe Scanderbegus à Dijs immortalibus impetrata, ſolus ex omni hominum memoria dum viueret, ſemper vſus eſt.*

FINIS.

MARINI

MARINI BARLETII, SCODRENSIS SACERDOTIS, DE SCODRENSI OBSIDIONE, ET EXPVGNATIONE,

Liber Primus.



DE prima Turcarum origine, inter eos qui de ea re De Turcarum origine variãt Scriptores.
ſcripſerunt, varia (vt video) eſt ſententia. Non-
nulli ſtirpis Troianæ eos affirmare nõ dubitant: hac I.
vſi ratione, quòd à multis Teucri vocati ſint. hi fri-
uola argumentatione freti, facilè conuincuntur.
Nulla enim habent monumenta fide digna, vnde
hanc opinionem mutuati videri poſſint. Alijs eos II.
gentem eſſe Scythicam placuit, fœdam & truculen-
tam, quæ vitam ageret parum à belluis promiſcuo concubitu & victu dif-
ferentem, omnis expers religionis, Auguſto duntaxat menſe veluti quæ-
dam Saturnalia celebraret. Hæc Imperium Romanorum magis audiuit,
quàm ſenſit: nulli tributum vnquam, præterquàm Octauio Auguſto dedit,
& id quidem ſponte: quum proximas regiones annua illi tributa pendere
audiſſet. Nonnulli, quorum mihi ſententia verior videtur, eos eſſe aſſerunt, III.

qui iuxta Tanaim incoluerunt, quorum Pomponius ijs verbis meminit: Geloni vrbem ligneam habitant: iuxta Thiſſagetæ, Turcæq́ vaſtas ſyluas occupant, aluntuŕq venando. hinc quidam certa quadam locorum ratione adducti, Turcas, & non Turcos, aut Teucros dicere maluerunt. Hæc gens, quo tempore Pipinus apud Francos regnabat, Caucaſeas egreſſa portas, multos Aſiæ populos inuadens, Halanos primum, deinde Colchos & Armenios, poſtremò Perſas & Saracenos qui tum Perſidem tenebant, & agrorum direptionibus, & multa mortalium præda, innumeriſq́ cædibus vexârunt. Cum Auaribus quoq́ certamine acerrimo Turcæ conflixerunt, in quo vtrinq́ plurimi deſiderati ſunt. Minorē Aſiam non intactam reliquerunt: Pontum & Cappadociam omnem depopulati ſunt. Præterea montes & clauſtra quædam opportuna ocuparunt: quorum occaſione & commoditate, latronum more, clandeſtinis quibuſdā excurſionibus maximas ſibi vires quæſiuêre. Quare aſſiduis irruptionibus gens ipſa vſqueadeò aucta eſt & in tantum viribus creuit, vt æquo marte cum finitimis populis contendere de Imperij poſſeſſione cœperit. Itaq́ per interualla temporum non ſolùm Pontum, Cappadociam, Gallatiam, Bythiniam, Lycaoniam, Piſidiam, Phrygiam, Pamphiliam, Cariam, & omnem minorē Aſiam à Tauro ad oram vſq́ Ioniæ, & littora Græci maris, occupauit: non vnum ſortita Principem, ſed alij aliorum ducum auſpicia & factiones ſecuti ſunt. Iam triceſimus ferè ac centeſimus annus agitur, ex quo Saladinus, qui & Turca, & Ottomanus, vir magni animi, ſed non multarum opum, & parui inter priuatos nominis, collectitio milite, & modica manu, quam per ſeditionem comparauerat, non ſolùm Chriſtianos vexare, ſed & ſuos infeſtis armis inuadere cœpit, & eos ſub iuga ſua mittere. In hoc ſecunda vſus eſt fortuna. Nam dum alij Principes diſcordias inter ſe (quod eſt regnantibus & ciuitatibus venenum peſſimum) conſerunt, & ſeſe inuicem mutuis cædibus laniant: Ottomanus interim vndique collectis & accitis, qui rapinarum & prædæ cupidi erant, auctoritatem & nomen magnum breui adeptus eſt. Oppida complura partim vi, partim deditione in poteſtatem ſuam redegit. hac tanta & tam fœlici victoria elatus, tantum ſibi nomen & dignitatem peperit, vt & vnus omnium primus ex Ottomana familia, incredibili Turcarum omnium conſenſu Rex, quem illi Amyram vocant, creatus fuerit: & ita in animos barbarorum influxerit, vt alium ſui generis Amyram, quàm Ottomanum quempiam, in hanc diem patiantur eſſe neminem. Huic Orchanes filius ſucceſſit, qui regnandi cupiditate, atque animi magnitudine haud patri diſſimilis, alios omnes qui ante eum fuerunt, & diſciplina militari, & copijs, apparatuq́ longè ſuperauit. Erat enim natura liberalis, ingenio leni, moribus facillimis, & ad imperandum prudentiſſimus, adeo vt ijs artibus animos omnium ad ſe amandum alliceret. Ex

Ottomanus, Turca, Saladinus, vnus idemq́ creatus Amiram ſeu Rex.

Orchanes, Ottomani filius.

ret. Ex quo ingentes copias, maximumq́ exercitum vndique comparauit, & imperium à patre incoatũ mirum in modum auxit. Poſt quem Amurates filius regnauit, vir quidem animi corporisq́ virtute, reiq́ bellicæ peritia plurimùm pollens: qui & ipſe occaſione oblata, dominationem à patre relictã in maius prouexit. Nam quum Theodorus Cantacuzenus aduerſus generum ſuum Ioannem Palæologum, quem Conſtantinopolitano imperio defraudauerat, quum illius regni tutelam gereret, bellum ſuſcepiſſet, Amuratem nec renitentem in auxilium ſuum vocauit: hac tamen lege & conditione, vt bello inter eos confecto, is ad loca propria vnde venerat, rediret. qui quum ex Aſia in Græciam per Helleſpontum tranſiſſet, conſultò bellum protrahere cœpit, vt & ſocerum & generum longinquo bello exhauſtos, & eneruatos viribus, & penitus fractos inuaderet: quod Barbarus ex ſententia adeptus, illis oppreſsis Callipolim & Cherſoneſum primò, deinde maximam Græciæ partem ſubiugauit: hinc effectum, vt poſtea palàm & audacter cætera omnia inuaderet, & ad ipſum Græcorum imperium ſibi vindicandum totis viribus intenderet. Sed dum hæc moliretur, à Miloſſo Cobilichio, viro fortiſsimo, Myſorum Principe, ſtrenuè obtruncatus eſt. Hic duos reliquit filios, Solimanum & Paiazetem: qui ad reliquam patris expeditionem, & regni adminiſtrationem capeſſendam, non minus ætate idonei, & rerum militarium diſciplina, quàm ingenio, prudentia, cæterisq́ virtutibus fuerunt. At Solimano extincto, res vniuerſa ad Paiazetem deducta eſt: qui magna vi animi & corporis fuit, corpore quidem ſtrenuus, laboris patiens, & ſupra quàm cuiquam credibile ſit, ingenio acerrimus, magna ſemper atque difficillima appetens, eaq́ ad exequendum perficiendumq́ audax, promptus, & belli percupidus, atque ardens, ocij & quietis impatiens. in ſtratagematis & hoſtibus fallendis calidus, atque verſutus: denique in omni re nauanda, & negocio peragendo, vſu, arte, conſilio, atque exercitatione peritus atq́ impiger: ad cauendum cautus, atque prouidus. Præterea fortunæ afflatibus adeò vſus eſt, vt breui tempore poſt ſuſceptum imperium, fines ſuos longè lateq́ propagauerit. nam & totam penè Thraciam perdomuit: Myſos Theſſalos oppreſsit, in Macedoniam irrupit: Phocidem, Bœotiam, Atticam occupauit: Illyricos, Tribalosq́ aſsiduis excurſionibus, repentinisquе depopulationibus, atque oppugnationibus partim euertit, partim ſub iuga ſua miſit. Bizantium verò caput & culmen Imperij, vniuerſo agro vaſtato atque direpto ita afflixit, vt de ſalute ſua ciues ſolliciti, partim de deditione cogitarent, partim ad peregrina & externa auxilia imploranda per vniuerſos Italiæ populos, & in ſuperiorem vſque Galliam confugerent. Quumq́ interea Paiazetes res magnas in Aſia atque Græcia gereret, omnibusq́ formidini eſſet, Meſſageta ille Tomyris, cogno-

Amurates Rex.

Græciæ occupatæ occaſio.

Paiazetes Rex.

cognomento Tamberlanus, ex Perſide profectus, ad occupandam Aſiam magna manu contendebat. Cui Paiazetes ingenti validoq́ exercitu occurrit, vt fines ſuos tutaretur. Sed fortuna inuida atq; doloſa, cui vel maximæ minimè credendum eſt, quæ applaudens ei hucuſq; affulſerat, quanto

Paiazetes à Tamberlano captus.

altius illum extulerat, eo fœdius deiecit atq; proſtrauit. Nam in Armeniæ finibus certamine victus, ducentis millibus amiſsis captus eſt: & cathenis



aureis currui vinctus, à Tamberlano quaſi triumphante circumuehebatur: qui tandem dimiſſus, nihil memoria dignum egit, mortemq́ in Aſia inglorius obijt. cuius filij, qui complures erant, in poteſtatem Græcorum venêre. Nam quum capto patre periculum euaſuri, ex Aſia in Thraciam nauigare contenderent, in naues Græcorum inciderunt, à quibus & capti

Calapinus Rex.

ſunt. Calapinus natu maior emiſſus à Græcis, regnum quaſſatum & penè fractum, & viribus exhauſtum obtinuit. Quo tempore Sigiſmundus Pannonum Rex non vniuerſis copijs collectis, non acie inſtructa, Danubium traijciens, ad Calapinum opprimendũ accurrit: quo cùm, temerario quo-

Vincit Sigiſmundũ, Regem Vngariæ.

rundam ſuorum auſu inito prælio infœliciter pugnans, amiſsis caſtris & impedimentis, turpiter ac fœdè fuſus, profligatusq́ eſt: & ipſe vix paruo nauigio Danubium tranſiens, hoſtiles manus euaſit. Quæ victoria erecti ſunt hoſtium animi ad maiora, & efferaciores facti, ad fines Chriſtiano-

Moyſes opprimit Orchirã Calap. F.

rum inuadendos, opprimendosq́, iam inde intenti fuêre. Calapino verò extincto, Orchiræ filio tenella ætate adoleſcentulo, quorundam Principum ductu & auſpicio regnũ occupare conanti, Moyſes patruus, & ipſe à Græcis dimiſſus, infeſtis armis occurrit: & magis proditione, quàm pugna oppreſſum

preſſum extinxit adoleſcentem. Haud multo poſt & ipſe, nullo ſuperſtite filio deceſſit: quem Meumethes admodum adoleſcens frater, tertius ex Paiazetæ filijs ſubſecutus, regnum citra omne domeſticum certamen obtinuit: qui magnis rebus in Europa geſtis, in Aſia quoque complures Turcarum vi atque armis oppreſſos, regnis exuit. Huic vita functo ſucceſſit Amurates filius: qui per id temporis in Aſia manens, audita patris morte, per Helleſpontum in Thraciam conatus traijcere, Imperatori Græcorum maritimo apparatu prohibitus eſt. Et Muſtaphas natorum Paiazetis reliquus, vt rerum potiretur, à Græcis liberatus, & ſumma ope adiutus eſt. Sed Muſtapha pugna ſuperato & interempto, Amurates victor vniuerſum regnum obtinuit. Quod non ſolùm pacatum, tranquillumq́ effecit, ac validè tutatus eſt: verùm magnopere auxit, amplificauitq́. nam & in Græcia Theſſalonicam, ciuitatem illuſtrem, celeberrimamqúe breui expugnauit. Helidem cæpit: in Jllyrico, vniuerſo agro incenſo, atque depopulato, multa oppida partim vi ſuperauit, partim euertit. Jſthmum Corynthiacum ſumma vi penetrauit: Peloponneſum, regionem tam rebus omnibus fœcundam, quàm munitam, magna Græcorum clade expugnauit: oppida multa in ea cæpit: prædam maximam inde abegit, quam militi omnem conceſſit: clauſtra, muros omnes, qui ei munimento erant, perfregit atque diſſipauit, vt vbicunque libêret, copijs peruagari poſſet, facilisq́ in ea vndecunque patêret inceſſus: quo etiam tempore Græcis maximam pecuniam imperauit. Hic cum Vladislao Pannonum Rege tota acie conflixit: quo fuſo, profligato, obtruncatoq́, omnes eius copias penè deleuit. Jn Epirum tandem irrupit, quum Croiam in obſidione poſuit: quam Scanderbegus, Epirotarum Princeps, magna virtute atque calliditate perpulchrè ab ipſo Amurate extorſerat. quum ibi duram, longamq́ traxiſſet obſidionem, nec rem ex animi ſententia ad optatum finem perduxiſſet, ſummo dolore confectus, diem ſuum obijt. Poſt quem Meumethes filius ſucceſſit: qui tot & tanta mala atque damna, tantam peſtem, tantam perniciem, tantum denique exitium Chriſtianæ reipublicæ intulit: qui tot prouincias, tot vrbes, tot ciuitates, tot regna & imperia ſibi ſubegit, & denique vniuerſo orbi timori fuit. Qui quidem poſtquam gubernacula & totius Imperij ſceptrum ſuſcepit, veteres leges abrogauit, nouas excogitauit, vectigalia impoſuit, copias auxit, duces & proceres de medio ſuſtulit. mox ad Conſtantinopolitanam vrbem opprimendam toto animo ſe conuertit: ex quo caſtellum iuxta littus ad Boſphori oſtium non longè ab vrbe, tam caute quàm celeriter extruxit, munijtq́, bellumqúe ſtatim vrbi intulit: quam ingenti, validoq́ exercitu, duraqúe obſidione in coronæ ſpeciem circumcinxit: cui omnibus bellicis machinamentis adhibitis, omnifariamqúe apparatu, tum terra,

Meumethes Rex.

Amurates, victo Muſtapha, Rex.

Vngariæ Rex profligatus.

Amurates obit.

Meumethes Rex.

Conſtantinopolis capta.

tum mari vndique eam omni vi atque impetu aggreſſus, quarto & quinquageſimo pòſt die expugnauit: vbi quanta cædes & ſtrages promiſcui ſexus & ætatis edita ſit, quot virgines & mulieres violatæ, templa propha-



nata, cætera flagitia & ſcelera in contemptum & ludibrium orthodoxæ fidei perpetrata, vel verbis exprimere, vel lachrymis proſequi, vel oratione complecti qui abundè quærit eſt nemo. Poſt verò tantæ vrbis & imperij excidium, Pera Genuenſium colonia tam opulenta, quàm clara, quæ è regione Conſtantinopolis ſita, ſubito vehementiq́ terrore perculſa, ſtatim Meumethi Principi ſe in poteſtatem dedidit, qui & muros vrbis excindi, & templa dirui atque ſpoliari, & homines ac mulieres vt iumenta vexari, atque in ſeruitutem trahi iuſſit. Hic eſt Meumethes ille Paiazetis Principis huius, qui nunc rerum potitur, pater: vir quidem magnanimus, fortiſſimusq́, gloria inflammatus, nouarum rerum percupidus, & prælijs aſſuetus, quùm maximam auctoritatem, nomen atque dignitatem apud ſuos adeptus eſſet, ibiq́ innumeras ſibi copias conquiſiuiſſet, ſuis auſpicijs dum viueret, atrocem hanc ferocitatem in populos gentesq́ ſuas propagans, in eam tandem fortunam deſcendit, vt breui tempore Myſiam, Thraciam, Peloponneſum, atque vniuerſam ferè Græciam ſubiugauerit. Elatus itaque inſolentiſſimus Barbarus his ſucceſſibus, tantoq́ rerum fortunæ afflatu, neſciensq́ ſibi moderari, magna aduerſus cæteros Chriſtianos moliri cæpit, magna animo ſuo voluere, formidanda minari, nephanda appetere, permagna denique ſibi & genti ſuæ promittere. Progreſſus eſt mox in Macedoniam, quæ nunc vernaculo

Pera occupata.

ſermone

ſermone Albania dicitur: quia incolentes eam, omnes ferè Epirotica lingua vtuntur: cuius quum apud pleroſque dubius ſit ſitus, à propoſito parum digrediens, eius fines deſcribere conabor. Macedonia enim, teſte Plinio, centum & quinquaginta populorum, ac duobus inclyta regibus, quondamq; terrarum imperio, quæ antea dicebatur Aemathia, in Lyſſum oppidum terminans, ad Epiroticas gentes in ſolis occaſum extenditur. Ab Oriente Magneſia atque Theſſalia per Strimonem fluuium ſeptem lacubus memorabilem, à Septentrione Pæonia atque Pelagonia protecta: ab Occidente Dalmatia. In cuius ora oppida ſunt ciuium Romanorum, Rhizimum, Aſcriuium, Butuauium, Olchinium, quod Priſci Colchinium dixère, à Colchis conditum, & amnis Drino: ſuperq; eum oppidum Romanorum Scodra, à mari decem & nouem millibus paſſuum diſtans. Ciuitates illuſtres Lyſſum & Acrolyſſum, & Epidamnum, quod Corcyræi condidère, hoc tempore Dyrrhachiũ appellatum, propter inauſpicatum nomen, & Apollonia ciuitas optimis inſtituta legibus: in cuius finibus locus eſt celeber, quem Nympheum vocitant, teſte Strabone: vbi petra eſt ignem vomens, & metallum ſemper excreſcens: cui fontes ſubſunt, qui aquas tepidas ſcatent, atq; vt Poſidonius refert, terra eſt bitumine referta, quæ vineis pediculoſis remedium præbet. Sunt præterea eiuſdem populi multi, quorum Cauchones in pluribus locis habitantes, virorum ſuorum excellentiâ ſemper per ſe tenuerunt imperia: à ciuitate verò Apollonia non longè excurrit Egnatia via Orientem verſus, per ſingula millia paſſuum lapideis columnis diſtincta, atq; per ſtadia mille ſexcenta & octoginta protenſa. Hæc eſt illa Macedonia (vt Plinij verbis vtar) quæ quondam terrarum imperio potita eſt. Hæc Aſiam, Armeniam, Illyrium, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucaſum tranſgreſſa. hæc in Bactris, Medis, Perſis dominata, toto Oriente poſſeſſo. hæc etiam Indiæ victrix, per veſtigia Liberi patris atq; Herculis vagata. Ad hanc tam inclytam & magnificam, tamq; mirabilem regionem, & Principum ſemper magnanimorum parentem & altricem, animum aduertens tyrannus, eius fines inuadens, aſſiduè infeſtare cœpit, ratus ſe eam quàm facillimè poſſe opprimere, & ſub iuga ſua celerrimè ſubmittere. ſed eum profectò multum opinio fefellit, resq; longè aliter euenit. nam diu cum Epirotica gente laborauit. Annum fermè triceſimum cum ea in oppugnationibus & aſſiduis bellis conſumpſit: quam neque vi, neque ferro perdomare aut ſuperare potuit. Occurrerunt enim ei Reguli omnes, & Principes prouinciæ, qui ſolida inter ſe firmaq; amicitia, atq; perpetua fide obſtricti atque deuincti ſimul erant. Curſitârunt in eum viri fortiſſimi & conſtantiſſimi, acerrimè ei reſiſtentes: ex quo Barbarus rem difficiliorem, & ſupra quàm arbitratus fuerat, nactus, minus tutè, & non ſine maxima ſuorum cæde prouinciam intrare,

Macedoniæ, nunc Albaniæ, deſcriptio.

Scodra Romanorum oppidum.

& Macedoniæ oram vexare poterat. Poſt plurimum vero temporis, ſiue rerum humanarum curſu & varietate, ſiue cœleſtium permiſſu, aliter de rebus humanis, & de hoc imperio præſcribentium, Reguli omnes, quorum quiſq; terminos ſuos facillime tutari poterat, ex humanis ſublati ſunt: ita forte ſceleribus noſtris expoſcentibus, pro quibus iure affligimur, meritasq; perſoluimus pœnas. tunc nepharius hoſtis acrius regnum vndiq; inuadere atq; opprimere cœpit: & ipſum deinde audacius ingreſſus, frequentius diripere atq; incendio dare auſus eſt. Poſtremò igitur ſuccedens in Imperium is Meumethes Princeps, qui poſt Byzantij nobiliſſimæ ac præclariſſimæ vrbis expugnationem, aliud Imperium, quatuor regna, prouincias viginti, ducentas vrbes, Chriſtianis tantum (vt ſcribitur) ademit. Inflatus Barbarus incremẽto tantæ fœlicitatis, ad ſummum facinus aſpirauit, concepitq; mente, facile ſe omnia expugnaturum, & ad totius orbis principatum breui peruenturum. Callebat quidem aſtrorum ſcientiam. Dicebat hoc & diuino nutu, & fatorum diſpoſitione, ac ſiderum poſitione futurum eſſe. Didicerat Græce, Latine, Arabice, Chaldæe, atq; Perſice loqui. Nouerat enim, magnorum virorum geſta, præcipue Cæſarum, Magniq; Alexandri: quorum factis is valde accenſus, hos omnino ſibi ſequendos propoſuerat. Erat quidem magni atq; inuicti animi, ingenio plurimum pollebat, calliditate atque aſtutia cæteris præſtabat. Decreuerat q; prius perdomita Italia Romam proficiſci, eamq; ſibi ſubijcere: ſed in primis Epirum ſibi expugnandam dictitabat. Qua, ad id peragendum, vt voti ſui compos fieret, nihil aptius, nihil commodius aut opportunius videri, nec aliunde, alióve modo ſe ad quod inſtituerat poſſe peruenire, cum propter loci vicinitatem, tum etiam rerum omnium maximam commoditatem. nam Epirus ad Ionium, quod Italiam quadantenus alluit, mare protenditur. Illic enim ſunt ſyluæ & arbores excelſæ, maxima frequentia, ad naues & triremes extruendas conficiendasq;: illic egregij, optimiq; portus ad quancunq; etiam ingentem tenendam, ornandamq; claſſem. Habet quidem agrum vndecunq; feraciſſimum, campos amœniſſimos, latiſſimosq;: paſcua vberrima, flumina, fonteſq; ſaluberrimos ad ſaturitatem. His itaq; omnibus callidus atque verſutus Ottomanus impulſus, Epirotas continue omni conatu vexare, atq; aſſidue premere aggreſſus eſt, vt eos aut in ditionem & poteſtatem ſuam redigeret, aut penitus ſubuerteret. ſed quum diu apud illos elaboraſſet, & varijs grauibusq; cladibus affectus eſſet, nec alterum quidem conſequi valuiſſet, palàm cognouit, indomitam eſſe Epiroticam gentem: ſtatuitq; aliam ſibi viam eos domandi eſſe tentandam, vnum negocium ſubeundum, quo pacto à ſe proculdubio Epiroticæ genti imperaturum iri ſperaret.

Meumethis res geſtæ, & quinq; linguarum peritia.

Epirus.

Eſt autem noſtra tempeſtate vrbs Scodra Macedoniæ oræ caput, nec

non

non illius partis Dalmatiæ, quæ ei proxima eſt. De cuius origine nulla nunc certa extant monumenta, nullaq́ certa memoria. nam quum ea bis à Barbaris incenſa fuerit, ab Antio quoque Romanorum prætore deleta, tota per ſe exarſit. Quo quidem tempore conſtat, vetera vrbis monumenta, omnesq́ hiſtorias de ea conſcriptas incendio perijſſe: tamen quicquid de ipſius origine inueſtigare aut reperire potui, & de ſtatu eorum, qui in ea viciſsim regnauerunt, quantum memoria hominum comprehendi potuit, diligenter collegi, eaq́ omnia breuiter conſcribam. Ferunt enim Barbari quidam, eam ab Alexandro Magno conditam fuiſſe: quibus non eſt aſſentiendum. nam ante Alexandrum Scodra iam condita erat. ſed ipſi Meumethani hac ratione vtuntur: quia lingua ſua Scodram Scanderiam vocant, quod nomen ex eorum interpretatione idem eſt quod Alexandria. Sed hæc eſt Ægypti vrbs ab Alexandro condita. Alij verò dicunt, à quodam Joanne regulo Epirota conditam fuiſſe: qui quum in ea aliquot annos imperium tenuiſſet, à ciuibus, & ab vniuerſo populo, qui eius tyrannidem pati non poterat, eiectus eſt. qui poſtea populari moderatione vſi ſunt. At Joannes ipſe regno exactus, dum vrbem deſerere cogeretur, diſcedens, quæcunque mala, quaſcunque calamitates & diras potuit, in eam impecratus eſt. Crederem, ſi vir ille integerrimus fuiſſet, ab eo Deum immortalem exoratum fuiſſe: quoniam & vrbs illa, & tota regio ſemper à ſæuiſsimis hoſtibus vexata fuit, & nullum genus calamitatis reperiri poteſt quod non ſuſtinuerit. Verum ſi mihi cogitanti, quæ de huius vrbis antiquitate exiſtimare velim, audacter in medium proferre liceat: vrbem hanc tum vetuſtate, tum rerum geſtarum gloria percelebrem non immeritò exiſtimauerim, tam natura & ipſius ſitu, quàm fertilitate. Ex quo credibile eſt, Romanos rerum potitos huc, vt alijs pleriſque in locis, ad Barbarorum arcendas incurſiones, colonos ſuos miſiſſe. Hinc apud Plinium legimus, Scodram Romanorum oppidum vocitatum. Quod declinante poſtmodum Imperio, & re Romana peſſum ruente, à Barbaris deſtructum, deſolatum credi poteſt: ita vt quæcunq́ extabant monumentis ſcripta, maximè interierint. Et ideo de eius conditoribus nihil certi & explorati in medium afferre poſſumus. Verum nuper ad manus noſtras fragmenta quædam verius, quàm annales, peruenerunt, quæ inſtaurationem potius vrbis huius, quam ædificationem ad Attauorum noſtrorum memoriam referant. Jn his enim vernacula lingua ſcriptum eſt: Roſam quendam, cum Pha ſorore ſua, primos fundatores vrbis Scodræ fuiſſe. Vnde eius arx Roſapha appellabatur. qui diu fœliciter, quieteq́ regnauerunt: quibus deinde ſucceſsiſſe ferunt (ex hac quæ inter homines memoria extat) Nemagnanum quendam Imperatorem, qui Epiri, Macedoniæ, Dalmatiæ, vtriuſque Myſiæ, totiusq́ nouæ

Scodra Macedoniæ caput; Turcicè Scanderia dicta.

Inſtauratores Scodræ.

Romæ imperium habebat. Qui moriens, filium cæcum Vroſium nomine reliquit, cui ob virtutem probitatemq́ cuncti parebant. Ei Stephanus filius in Imperio ſucceßit, & vnicum filium Vroſium nomen aui referentem reliquit. Hic vitam ſilentio & abſque liberis pertransijt, cuius Imperium proceres eius inter ſe partiti ſunt. Nam inferior Myſia comiti Lazaro obtigit, ſuperior autem Nicolao Xuppano, noua verò Roma tribus fratribus obuenit, Vuchaßioni, qui etiam regium nomen adeptus eſt. Andreæ, & Exico Moncinus quidam Deno, tantum maritimæ vrbi præfuit. Ex ſtirpe verò & prole Nemagnami Imperatoris, natus eſt Balſa, qui oram Bolianæ proximam ab vrbe ferè vſque ad mare tenens, tres ſuſcepit alios: Georgium, Strazimirium & Balſam: qui viri præclarißimi fuerunt. Hi enim Scodram, quam ipſe Vroſius (de quo ſuprà diximus) tenebat, aggreßi cæperunt. Nondum enim muris cincta erat, ſed partim in plano, partim in colle poſita, in quo nunc tota eſt. Hi quoque Duchainos Regulos, & Sophios, ex Aemathia ſeu Macedonia expulerunt: & Croiam vrbem, quæ ſub imperio Sophiorum erat, cæperunt: qui victoriam ſequentes, bellum Stephano ſuperioris Myſiæ Regi intulerunt: quem tandem cum vniuerſo exercitu fuſum profligatumq́, ad vrbem Raguſium perſecuti ſunt, & ibi eum obſederunt. Denique intercedentibus Raguſeis, pax inter eos facta eſt, poſitis confinibus vſque ad Neretam fluuium, qui fines Phariæ Dalmaticæ ciuitatis diuidit. Hic enim erant termini Imperij, quod tres fratres tenebant. Dehinc verò vlterius progreßi, Albam Græcam, quæ in Epiro eſt, Caſtorium ſeu Caſtorilium, & totam Aulonem breui expugnârunt: qui quoad vixerunt (quoniam per id tempus fauſtè fœliciterq́ vitam duxerunt) Barbari nunquam Epirum, ſiue Macedoniam ingredi aut vexare auſi ſunt. Multo pòſt tempore duo ex his fratribus (minimo natu ſuperſtite, qui Balſa appellabatur) ex humanis ſublati ſunt. tunc quidam Hieureneſius Barbarorum præfectus, cum quadraginta millibus Turcarum in Macedoniam irrupit: cui quum Balſa tumultuario repentinoq́ milite occurriſſet, nec vniuerſo exercitu ſuo expectato, nec ducibus caſtrorum ſuadentibus, in eum intrepidè irruiſſet (erat enim impiger, magniq́ animi) ab eo in quadam planicie, quæ ab incolis Saura dicitur, prope flumen Aoum, iuxta Albam Græcam Epiroticæ terræ, profligatus eſt, & ipſe cum omnibus copijs ſuis cæſus. Mortuo verò Balſa, Barbari tunc primum Epirum inuadere atque vexare cæperunt. Hinc & Caſtorio, Alba Græca & Croia potiti ſunt. Cæterùm Balſæ poſtea ſucceßit in regno Strazimirius Balſichius, familia Balſichiorum oriundus. Hic Scodram, Driuaſtum, Lyſſum, Antibarium, & totum illum tractum tenuit: ac filium vnicum Georgium reliquit, qui Scodram Amurathi Turcarum Regi vltro donauit (nondum enim rudi illi ſæculo vrbes & ciuitates adeò in honore

Caſtoriũ, Albaq; Græca, & Croia, occupata à Barbaris. Scodra donata Amurathi Turcæ: & recepta, atque oppignorata Venetis.

honore & precio erant. nondum enim cæca veſanaq́ regnandi cupiditate mortalium animi adeò exagitabantur) quam etiam poſtea ſucceſſu temporis iterum ab ipſo Amurathe dono recepit, eo quòd ipſi Amurathi virginem quandam formoſiſſimam ſibi ſanguine coniunctam tradiderat. Demum Georgius eam vrbem (vt fertur) Principi Venetorum pignori dedit, quam amplius non exegit. Quæ quidem vrbs hac tempeſtate magnitudine rerum geſtarum celeberrima eſt, eo quòd in monte ſaxeo poſita ſit, qui ferè vndiq; latiſſimis campis & feraciſſimis cingitur. Eſt enim ciuitas ipſa egregiè natura & manu munita, in immenſum edita, circuitu non mediocri. nam ab vrbe condita, murorum ambitus amplius duo millia paſſuum quadrati forma in planum vſq; excedebat. Huius partem quæ in plano erat, Drino fluuius per medium ſecabat. ſuper quo ingens pulcherrimusq́; pons lapideus extructus erat: qui tantæ longitudinis erat, vt extrema parte Bolianam pertingeret. Cuius veſtigia his quoque temporibus extant: & locus, vbi arx tantummodo poſita erat, nunc totam vrbem complectitur. Quæ quanta fuerit, illud certiſſimo argumento eſſe poteſt. nam quum ingens Barbarorum multitudo eius fines inuaderet, ex vniuerſa ferè iuuentute ad ſonum (vt aiunt) campanæ, quinque millia equitum ex vrbe in aciem obuiam prodibant: quæ quum prope flumen Drinum, quod ab vrbe octo millibus nunc diſtat, cum hoſte congreſſa eſſent, ſtragem quàm maximam plærunq; ediderunt. Verum quia Scodrenſis miles numero longe inferior erat, tandem magno, continuoq́; bello feſſus, cladem inſignem ſuſcepit. Qui ex ea ſuperfuerunt, vnà cum familia in arcem confugerunt: hoſtis verò facto impetu in vrbem irruit. Et quum eam deſtitutam reperiſſet, ſæuiſſimo incendio totam exuſſit, atq; euertit. Deinde oppugnare arcem conatus eſt: quam quum expugnare non valuiſſet, inde diſceſſit. Scodrenſis poſtea vrbis reficiendæ & inſtaurandæ curam omiſit. Et quoniam arx ipſa tutior locus viſus eſt, ibi totam vrbem ponere cœpit. Quæ quidem vndique natura præceps eſt, niſi ea parte, qua ſeptentrionem ſpectat, aditum admodum decliuem habet: à quo collis quidam intra iactum ſagittæ diſtat, totus vineis oleisq́; conſitus: ſuper quo Præfectus nouæ Romæ, quem Baſſam Turcæ appellant, priori obſidione tabernaculum ſuum collocauerat. Ex quo poſtea Baſſæ nomen ſemper obtinuit. Hæc præclara & nobiliſſima ciuitas aëris ſalubritate præpollet, agro facili, negocio benè culto, & omnium feraciſſimo, aquis ſatis abundans. Deſpicit per vniuerſum ferè agrum, nihilq́; eſt quod ex vrbe proſpicienti impedimento ſit: quin omnes tractus, ſpacioſos & latos campos intueatur, ſingulaqúe oculis percurrat. Inde enim cultores aſpicias, qui agros colunt: meſſores, qui fruges maturas metunt: inde molas frumentarias: piſcatores, qui hinc fluminibus, inde lacu amœniſſimo magnam piſcium capturam faciunt.

Baſſa, præfectus nouæ Romæ.

Præterea

Præterea vineas, hortos vndiq; mare, flumina, fontes, lacum, ac omnia, quæ ad oblectandos ſenſus à natura procreata ſunt. Cuius quidem vrbis radices montis ab Oriente nunc tantum riuulus quidam Drini alluit, ab Occidente autem Boliana flumen, quæ piſcium cuiuslibet generis eſt abundans: ac iugi celeriq; curſu vrbem præterfluens, ad duodeuiginti millia paſſuum in mare egreditur. Oritur autem ex illo celeberrimo lacu, quem omnes recentem eſſe putant: quoniam antiqui ſcriptores nullam huius fecêre mentionem. ab vrbe fere ſtadijs ſexdecim diſtat. Ex hoc conijcitur, hunc, vt multa alia vel flumina vel lacus ex terra poſt antiquitatem illa erupiſſe: de quo (quia non eſt ſilentio prætereundus) qui de ſitu orbis accurate ſcripſerunt, non tacuiſſent. hanc opinionem, id quod à vetuſtioribus loci huius incolis accepi, comprobare videtur. nam vbi nunc lacus eſt (vt illi prædicant) continens olim erat: erantq; iuges ac perennes fontes, ex quibus diuinitùs lacus ille ingens atque largiſſimus editus eſt: qui quidem altiſſimus, pulcherrimusq; extat; cuius circuitus centum & viginti millia paſſuum & amplius complectitur, aërem quoquo verſus ſaluberrimum diffundens, varietate, magnitudineq; piſcium omni tempore abundans. prædia feraciſſima, oppida egregia, vicos complures proximos habet. In eo verò ſcopuli extant, in quibus cœnobia pulcherrime extructa ſunt, quæ ſacerdotes Græcorum frequentes incolunt. Sed nemini hoc mirum eſſe videatur, ſi lacum hunc recentem eſſe dixerim. nam apud præſtantiſſimos celeberrimosq; geographos atq; ſcriptores inuenimus, perſæpe & in mari inſulas ac ſcopulos, & in terra fontes ac flumina enaſci, atq; quotidie emergere. Non abs re fuit in hanc deſcriptionem diuertiſſe, quo cunctis exploratum eſſet, quanti facienda hæc vrbs eſſet, & cur Turcarum Tyrannus tantopere eiuſmodi vrbe potiri conaretur. Igitur deinceps quod propoſui, pro viribus exequar: quòd ſi fortaſſe ſtilo deficiam, legentes boni conſulent: quia omnia quibus interfui (vt iam præfatus) & quæ vidi, & paſſus ſum, fideliter exponam.

Noui lacus, nouaq; flumina.

MARINI BARLETII, SCODRENSIS SACERDOTIS, DE SCODRENSI OBSIDIONE, ET EXPVGNATIONE,

Liber Secundus.



CVM igitur Ottomanus Scodram vrbem nobiliſſimam, prouinciæ principem, & caput Epiroticæ gentis, præſidium, oculum, robur & munimentum totius regni, ianuam Ionij Adriaticiq; maris, propugnaculum Italiæ, omniumq; Chriſtianorum eſſe animaduerteret: ſpem quàm maximã animo concepit, ſi ea potitus foret, ſe facilem expeditumq; aditum ad totam Dalmatiam, Illyricumq; ac Dauniam habiturum, planeq; voti ſui compotem fore. Et quanquam optimè compertum haberet, vrbem illam mirum in modum & natura & manu munitam eſſe, omniq; præſidio fultam: tamen fretus vi atq; potentia ſua, ſibi perſuaſit, eam minime vires ſuas & impetum tolleraturam, ſed breui expugnatum iri: itaq; ingentes copias ad illam oppugnandam mittere decreuit. Expectatoq; tempore veris, quod expeditionibus commodum &

aptum eſt, præparatis rebus omnibus bellicis, delectuq́ quàm maximo habito, Sulimanum nouæ Romæ præfectum toti exercitui præpoſuit: qui Idibus Maijs præmiſſis ſpeculatoribus, & leuis armaturæ equitibus (vt eorum moris eſt) ipſe deinceps cum reliquo exercitu maxima pompa incedens ſub-

Scodra obſeſſa à Turcis.

ſecutus eſt, ipſamq́ vrbem & mœnia vndiq́ circumuallauit: & eueſtigiò ingenti terrore formidineq́ obſeſſos, vndiq́ copijs atque omni genere tormentorum vrgere ac opprimere conatus eſt: & exciſis euerſiſq́ muris, omni



vi, apparatuq́, tum machinarum bellicarũ, tum fortiſſimorum militum, vrbis expugnationẽ tentauit. Longum eſſet cõmemorare, quot millia Turcarum turpiter amiſerit: vtq́ ciues Scodrenſes ſe, patriam, vxores, liberos, acerrime pugnando protexerint. Quare quum incaſſum elaboraſſet, retrocedens quàm maxima ignominia atq́ clade, ab oppidanis expulſus eſt. Demum quum omnia, vt vrbe potiretur, fruſtra expertus eſſet, tribus poſt

Scodra defenſa, duce Antonio Lauretano.

menſibus eam obſidionem reliquit. Ex quo Scodrenſes ob tam egregiam & præclariſſimam victoriam, duce rectoreq́ Antonio Lauretano, æternum ſibi nomen & gloriam adepti ſunt. Quæ quidem res poſtquam ad Principem Ottomanũ delata fuit, ſummo dolore atq́ mœrore affectus, quòd tantam ſuorum ſtragem à Scodrenſibus reportaſſet. Et quum antea res Scodrenſium non tam arduas, vt expertus eſt, eſſe cogitaſſet: poſt hanc calamitatẽ diu anxius & ſollicitus diligenter voluere cœpit, an amplius Scodrenſibus bellum inferret, ab incœptoq́ penitus deſiſteret, an maiori apparatu impetuq́ rurſus Scodram inuaderet. Tandem recenti clade ac ignominia concitatus, memorq́ calamitatum, quas ſæpius ab Epiroticis populis paſſus eſſet,

ſus eſſet, prœterea paternœ mortis (vt erat inuicti animi, & cedere neſcij) fretus potentia maxima virtuteq́; militum, clades acceptas vlciſci ſtatuit: ſperauitq́;, ſi omnes copias & vires ſuas in vnum contraheret, ſe fore tandem ſui voti compotem. Et vt ad eam expeditionem vehementius excitaretur, conſtituerat vni quoddam ſtipendium, vt quotidie ſibi Scodrœ oppugnationem ſuggereret. Ad quam ſanè maturius caſtra admouiſſet, ni alia negocia haud leuia animum eius ab hoc auertiſſent. Exactis itaq; quatuor fermè annis à prima obſidione, totum animum totamq́; mentem ad bellum Scodrenſe, quod in animo propoſuerat, coniecit. Itaque primò milites vndique accerſere: atq; omne Ottomanum nomen, omnem militarem œtatem ſcribere iubet: arma, tela, equos parare, camelos innumerabiles ad ſubuehenda œra, pro tormentis cuiuſuis generis conflandis, cœteraq́; omnia inſtrumenta militaria: ad hœc artifices cuiuslibet artis peritiſſimos: prœterea commeatum affatim vndique: demum omnia cuiuſcunque rei, quœ in bello vſui eſſe ſolent. Igitur poſteaquam ex arbitrio ſuo omnia parata inſtructaq́; eſſe videt, ac delectus quàm maximos ex omnibus gentibus habitos: ita, vt nunquam antea neque maior exercitus, neque ex validioribus, pugnatioribusq́;, neque omni paratu celebratior coactus fuerit. Ex compoſito igitur clam ex more ſuo equites leuis armaturœ, eo tempore, quo cuncta in agris pubeſcunt, aliò prœmittere ſimulauit. Dehinc poſtea deflexo itinere cum omni exercitu grauis armaturœ ſubſecutus, Scodram magno cum terrore inuadere conſtituit. Hœc vbi & fama, & quorundam literis & nuncijs ad Scodram delata ſunt, magnus terror totam ciuitatem inuaſit, magnusq́; tumultus exortus eſt. Et ſubitò maxima manus robuſtiſſimorum iuuenum agreſtium, ac nautarum ex triremibus, quœ Bolianam ingreſſœ erant, in vrbem excepta eſt: omnes continuo munimenta & propugnacula vrbis defendendœ moliri, parare, ſtationes diſponere, omnia loca munire, nec dies nec noctes ceſſare, ſed aſſiduè rebus omnibus, quœ ad molem tanti belli perferendam opus erant, toto animo inuigilare atque intendere, perinde ac ſi hoſtis adeſſet. Dum hœc in vrbe geruntur, interea à Septentrione montes omnes ac planicies crebris ignibus, quibus pagi comburebantur, micant, & fumi in ſublime tendunt: quœ quidem ſigna futuri belli erant. Et ecce omnia repente miſceri ac turbari cœperunt. Omnes properare, trepidare: agreſtes relictis agris, pars cum pecoribus & tota ſuppellectile ad maritima & loca tutiora confugere. Pars verò ad vrbes feſtinare, denunciantes iamiam Turcas adeſſe, agrum totum vaſtaſſe, tecta inflammaſſe, & multa armenta & greges cum hominibus cœpiſſe. Sic enim intra biduum, incendio atq; ruinœ cuncta dedêre. Erat enim in vrbe prœfectus, qui iuſſu Senatus Veneti, tanquam in puppi ſedens, clauum & regimen in ea tenebat. Qui quum omnia ad bel-

 lum

lum neceſſaria diligentiſsime præparaſſet, conuocata concione fortiſsimorum ciuium, Italorum, aliorumq́ omnium, qui in vrbe erant, decreuit, vt imbelles & minores natu ex vrbe ad ciuitates maritimas & proximas educerentur. Hinc acer atque infeſtus hoſtis pridie Idus Maias, maximo impetu, nocturno tempore in ſuburbia irruens, ſecunda noctis vigilia vrbem ipſam vndique in coronæ ſpeciem circundedit, & obſidione duriſsima cinxit. Ad quam obſidionem venerat Alibegius ille præcurſor Danubij, præfectus cum octo millibus expeditorum equitum, qui lingua ſua Achanzij dicti ſunt. Hi enim omnes hoc nomine appellati, proprijs ſtipendijs militare coguntur. nam opes atque loca poſsident, quibus à Principe ob præclara facinora ſua donati ſunt. Præfecti autem huius munus atque officium eſt, ſummi Principis præire exercitum, deprædando, deuaſtando, vrbesq́ in obſidione premendo. Cui etiam priuilegium ab ipſo Principe datum eſt, vt poſtquam vniuerſus exercitus quò conſtitutum eſt conuenerit, ex ſententia quò velit, ſe recipere poſsit. Sequebatur eum Scanderbegius frater, Myſiæ ſuperioris præfectus, cum quatuor equitum millibus. Hunc ſecutus eſt Malacotius, inferioris Myſiæ præfectus, cum tribus millibus, omnibus expeditis equitibus. Hic eſt enim ille Malacotius, vir prudens, corpore egregius: ex cuius luminibus (vt de Auguſto ferunt) ſplendor quidam egrediebatur inſtar ſolis radiorum: cuius oculos nemo attente fixeq́ intueri poterat. Vbi verò Scodrenſis vallo atq́ copijs vndiq́ circundatum ſe eſſe videt, accinctus ipſe, atq́ inſtructus ad bellum, pro mœnibus egregiè pugnat, & maxima vi atque impetu in hoſtes ex omni parte ex ſcorpionibus ſagittas atq́ miſsilia iacit. Et omne tormentorum genus in eo contorquet: nonnunquam eruptione facta Turcas perturbat, propellit, trucidat atq́ interficit, ingentiq́ gaudio atq́ lætitia in vrbem victor reuertitur. Et ſtatim omnium concione aduocata, vnicuique ſtatia ac ſtudia murorum aſsignata. Alijs verò munus hoc iniunctum, vt vbi opus eſſet, vrbem communirent: diuerſa loca, quæ debiliora viderentur, reficerent, atque inſtaurarent. Reliquam ciuium multitudinem ſimul cum ſacerdotibus, alijsq́ militibus, in foro cum vexillo aureo diui Marci, beatiq́ Stephani protomartyris vrbis patroni, collocârunt: vt ſubſidio eſſent, quo maior neceſsitas, maiusq́ periculũ eos vocaret. Dimiſſa concione, omnes vnanimes promptè ad loca ſingulis aſcripta accedunt, & fortiſsimo animo cuncta exequuntur. His autem ſic peractis, interim maxima multitudo tentoriorum apparuit in vlteriore ripa Drinonis fluuij: qui ab vrbe octo millibus abeſt.

Taut Gaiola, nouæ Romæ Baſſa generalis.

Venerat autem illuc Taut Gaiola nouæ Romæ Baſſa generalis, cum omnibus copijs ſuis maximis: quæ propter inundationes aquarum traijcere flumen non potuerant. cui permulti ex Turcis, qui proximi vrbi erant, viri maximæ auctoritatis occurrerunt. Hic enim vir omnibus artibus, &

animi

animi & corporis præditus erat, ex Chriſtianis parentibus, licet obſcuris, & patria Epiroticus, infimo loco natus. Qui cum puberes attigiſſet annos, à Barbaris in captiuitatem tractus eſt: apud quos & virium robore, & ingenij acumine ac perſpicuitate, ita perclaruit, vt ipſe ſolus atque vnicus Meumethe primo, Paiazitoq; deinde filio regnantibus, eniteſcere videretur: & in tantum creuit, vt ad ſummum ſplendorem & dignitatum faſtigia peruectus, imperium, ſummaq; res Europæ ei ſemper demandaretur. Qui adeò charus, adeò acceptus omnibus erat, vt quandoq; de eo ſuſpicio oriretur, ne tyrannidem occuparet, remq; Ottomanorum ſibi arriperet, vindicaretq;. Is ad nonum Calend. Iunias, traiecto flumine cum vniuerſo exercitu, ante lucis ortum ad vrbem venit: cuius tentorium, quod maximum purpureumq; erat, in vertice montis cognomento Baſſæ extenderunt. Exercitus verò eius totus ad radices collis, ac in plano caſtrametatus eſt. Erant enim vigintiquinq; millia equitum, camelorum circiter duodecim millia, qui metallis onuſti erant, pro machinis tormentisq; conflandis, alijsq; munitionibus, bellicisq; inſtrumentis: qui quidem omnes poſt montem Baſſæ onera ac ſarcinas depoſuerunt. Contrà, Chriſtiani omnem curam intendebant ad vrbis munimenta, præmunientes ſe ex omni parte propugnaculis & aggeribus, quæ trabibus connexis, interiectaq; terra & fimo conſtabant, molem quàm maximam præ mœnibus congerentes: non inſcij, neque ignari futuræ ruinæ murorum, & tam maximæ atrociſſimæq; hoſtilis oppugnationis. At verò Barbari aſpicientes tot & tanta præſidia, quot ab oppidanis continuè fiebant, fictionem quandam & fallaciam compoſuerunt. nacti enim ſunt duos ex ſuis, qui Latinam linguam nouerant, quos nauticis veſtibus indutos, ad mœnia miſerunt: qui edocti Chriſtianis dicerent ſe nautas eſſe, & iam iam ex triremibus, quæ nuperrimè ad littus appulerant, deſcendiſſe, qua caduceator Venetus, qui pro pace ad magnum Turcã mittebatur, vectus fuerat: oppidanos exhortabantur, nequicquam timerent, aſſerentes propediem fore fœdus cum Turcis: nec tantopere in vrbis munimentis inſudarent, quum pax iam certa eſſet, & Turcæ breui eſſent diſceſſuri. Sed non tam callidè hoc fingere potuerunt, quin eorum commenta ac inſidiæ & doli deprehenderentur. Demum detecta fraude ac dolo cognito, non ſine magno vitæ periculo detecti aufugerunt. nam ideò ea ſimulatione vſi ſunt, vt hac ſpe Chriſtianus inductus, ab omni opere & munimento vrbis ceſſaret: & ipſi hoſtes præparatis tormentis & machinis inſtructi ad expugnationem, vrbem ipſam improuiſam ac immunitã adorti, facilius expugnarent, ac ea potirentur. Verſabatur autem hoſtis quotidie in his dolis atq; commentis: ſed Chriſtianus iam iam eius perfidiam, fraudem ac verſutiam edoctus ac præmonitus, minimè ab incœpto deſiſtebat: ſed eo ardentius celeriusq; operi intendens, idq; omni ope, ſtudio

ac diligentia exequens, & ſibi & vrbi conſulebat: nec tantum Barbarus comminiſci atque fingere poterat, quin Chriſtianus eius verſutas fraudes deprehenderet. Poſtridie verò poſtquam ipſe Baſſa venerat, pontem ligneum quàm maximum atque munitiſſimum ſuper Bolianam mille paſſus ab vrbe ſtruere cœpit, vt vtriuſque ripæ ius & poteſtatem haberet. nam amnis ille ob aquarum altitudinem tranſiri nuſquam poterat. Audierant enim Barbari, agrum illum trans amnem opulentum eſſe, maximamq́ agreſtium multitudinem ſimul cum gregibus & armentis ad ciuitates, & ad oram maritimam ſe recepiſſe. Inde enim maximas prædas & hominum & pecorum, quum pabulatum exiſſent, ſperabant. Peracto igitur ponte Calend. Iunijs, Baſſa ipſe poſtridie cum aliquot equitibus pontem tranſiens, ad quaſdam excipulas, quibus magna piſcium copia capitur, vt earum ſtructuram contemplaretur, prius ſe contulit: deinde montem ſancti Marci, qui in miram altitudinem tendit, eueſtigiò conſcendit: inde vrbem ipſam, ac omnia loca proxima diligentiſſimè oculis perluſtrauit. Perendie verò ſub ſerum diei, circiter decem millia equitum pontem tranſierunt, vt oram maritimam, & ciuitatum finitimarum agros vaſtarent, ac depopularentur. Sed quia nocte ſequenti magni imbres atque pluuiæ fuêre, manè circiter horam tertiam abſque præda in caſtra reuerſi ſunt, & aliquot dies quieti in caſtris commorati ſunt. Non omittendum eſſe cenſui, ſatis præclarum facinus iuuentutis Scodrenſis. Erant ferè trecenti iuuenes, robore corporis & animi vigore præſtantes, qui quotidie vrbem totam, & muros, & propugnacula ſclopis obeuntes, quum multos ex hoſtibus interficerent, magnum illis terrorem incuſſerunt, & ciuitatem vniuerſam ad ſpem maximam futuræ victoriæ erexerunt. Interea ſexto Idus Iunij Muſtapha Begius, cui ſumma res Aſiæ demandata erat, vulgo Natoliæ Baſſa dictus, ad flumen Drini peruenerat: cui quum nouæ Romæ præfectus obuiam properè acceſſiſſet, nudiustertius quàm caſtra mouiſſet, circiter decem & ſex millia equitum præmiſit, qui in conſpectu vrbis prætereuntes, in quendam locum, quem ſupra Scodram accolæ vocant, conſedêre, tentoriaq́ locauêre. Pridie verò, quàm ipſe Baſſa veniret, alias quoq́ copias, multaq́ impedimenta præmiſit: ipſe deinde tubis alijsq́ bellicis organis, & maximo comitatu ſubſecutus eſt. Exercitum enim ſuum in quinque partes diſtinxerat, quarum prima ſex magna ſigna ferebat: quorum primum viridis coloris erat, alterum quidem roſei, reliqua verò quatuor candida erant. Secunda legio, duo ſigna purpurea geſtabat: tertia, duo viridia: quarta, duo crocei coloris: quinta verò cohors, numero & multitudine reliquas ſuperabat, ac melius inſtructa erat, vbi Præfectus ipſe eſſe exiſtimabatur, ſeptem ſigna portabat, quorum primum candidum, auratumq́ erat: deinceps duo viridis coloris, & quatuor roſea ſubſeque-

ſequebantur. Singulæ dehinc acies plura alia, ſed parua vexilla diuerſorum colorum ſecum afferebant. Erant autem triginta millia Aſiaticorum equitum, quos ipſe Aſiæ præfectus ſecum duxerat. Sunt enim Aſiatici homines corpore non deformi, ſagittarij acerrimi, ac perniciſsimi: non tamē ita robuſti ac bellicoſi, & ad obeunda militiæ munia tam ſtrenui ac viriles, ſicuti Europam incolentes, & homines nouæ Romæ. Habent enim equos velociſſimos ac robuſtiſsimos: vnde apud nos iam tritum eſt prouerbium, Viri quidem Romaniæ, equi verò Natoliæ. Non ſtatim Aſiæ præfectus tentorium ſuum apertè ingredi auſus eſt: admonitus forte, veritusq́, ne ab oppidanorum tormētis, quæ eò directa erant, percuteretur. Sed interea obequitando, vrbis ſitum, & omnia loca vrbi proxima oculis perluſtrauit. Poſtea verò circa dimidium diei cum paucis equitibus tabernaculum ſuum clam admodum eſt ingreſſus: quod magnum quidem ac viride totum erat, in vineto vrbis poſitū, quod ab vrbe ferè mille paſſus diſtabat: cui duo alia tentoria candidiſsima adhærebant, ſepibus valloq́ communita: ne facile tormentis oppidanorum patêrent. Confeſtim præfectus, vt ſuos milites ad fortia facta præpararet, præmium quoddā propoſuit his, qui equo muros vrbis petere auderent. Ex quo poſtridie duo equites expeditiſsimi, citatis equis montem ſubierunt, qua porta principalis vrbis eſt, & muros ciuitatis tangere manibus conati ſunt. Sed Chriſtiani eos aduenientes præſenſerunt: & alterum quidem lapidibus atq; ſagittis obrutū coopertumq́, vnà cum equo oppreſſerunt: alterum verò miſsilibus quoq; confoſſum, monteq́ præcipitatum vix ſemianimem ſui eripuerunt, qui paulo poſt animam efflauit. Statimq́ nonnulli ex iuuenibus noſtris robuſtiores erumpentes, caput obruti obtruncârunt, & eo lanceæ affixo vrbem cum gaudio ingreſsi ſunt. Sed quia nondum Aſiaticæ legiones omnes aduentârant, totos illos dies viam, quæ proxima amni, qui ad vrbem ducit, ingens Barbarorum multitudo maxima frequentia impleuit: nec vnquam ceſſatum eſt, quin equites ac iumenta in caſtra cum impedimentis venirent. Decimoſeptimo verò Calend. Iulias, maximus quidem numerus ſatellitum ex coborte Principis Turcarum in caſtra peruenit, qui lingua vernacula Ianizari vocantur. Sunt autem huiuſcemodi viri Chriſtiani omnes, ex parentum complexu rapti: nam quum tot ciuitates atq; loca Chriſtianorum imperio Ottomani ſubiecta atque obnoxia ſint, ſingulis quibuſque annis, præter cæteras rapinas, atque intolleranda tributa, ei etiam tot pueros tradere coguntur: quos Ottomanus in minorem Aſiam tranſmittens, diuerſis præceptoribus armorum & belli peritis coalendos, erudiendosq́, vſq; ad pubertatem cōmittit: vbi ad varios vſus vitæ, ſed præcipue militiæ, aſsidue exercentur: nec fere vllam temporis horam vacationem & quietem habent. Sed aſpera quæq; & ardua, ac fere intollerabilia perpeti conantur: vt ſomnum etiam ſub dio

Prouerbium: Viri Romaniæ, Equi Natoliæ.

Ianizari, Satellites Turcarum Principis, ex Chriſtianis orti.

ſub dio capere cogantur, ad tollerandos quoſcunque labores. Qui poſtquam ita aſſuefacti ad pubertatem venerunt, Princeps eos ad ſe aduocat: quos per triennium alia longè grauiora, aſperioraq́ ſubire compellit. nec his quidem feſsis, ocium aliquod remittit. Somnum etiam parciſsimum, nec niſi ſub dio permittit: nonnunquam etiam noctes inſomnes eos ducere iubet. Peracto triennio, illos in cohortem ſuam (vt vulgò aiunt, familiam) legit: certum ac quotidianum ſtipendium ſingulis quibuſq́ eorum decernit, & indies pro meritis vnicuique ſtipendia & præmia auget. Appellantur enim filij magni Principis: cuius lateri ſemper adhærent, ac ei pro muro & munimento ſunt, ipſumq́ quocunque ſequuntur: in his omnis ſpes, omnis ſalus eſt: in quorum virtute, ſumma res Ottomani ſita eſt. nam quum ad bellum proficiſcitur, ei adſunt, ab eo nunquam diſcedunt, illum continua cuſtodia munitioneq́ coronant, vallantq́: Et quum res ad eos deuenerit, iam ad triarios (vt in prouerbijs eſt) & ad ſummũ diſcrimen peruentum eſſe fertur. Qui quidem bellicoſiſsimi ſunt, atque ſtrenuiſsimi, & in omnibus periculis fidiſsimi, vitam intrepidè exponunt. nam in armis ſemper creſcunt, exercentur, & verſantur: & difficillima ſemper (hoc enim longa aſſiduaq́ exercitatio facit) atq́ aſperrima quæque perferunt. Sin verò ciuitas expugnanda fuerit, hi ſunt primi, qui eam aggrediuntur, muros aſcendunt, expugnantq́. Et demum quicquid ſtrenui, præclarive fit ab his, & per eos geſtum eſſe exiſtimatur. Venerant autem inter eos circiter quinque millia, afferentia ſecum vexilla quatuor niuei coloris: ad quorum aduentum Barbari paſsim in caſtris plauſum, ac lætitiam ingentem ſuſtulerunt. Ex quo in Principis aduentu continue intenti erant. Interim tamen Barbari obſeſſos, vt pacem maturarent ſuadebant, atq́ exhortabantur. Decimo autem quarto Calend. Iulias, magna vis Barbarorum è via Drinonis in caſtra affluxit: qui omnes traiecto ponte, vltra Bolianam vicos quoſdam, & campos, quos incolæ Oblicham cognominant, occupauêre. Porrò ex Barbaris, qui nuperrime appulerant, duo, magno comitatu prope vrbem venerunt ad forum venale, quod extra vrbem ad radices montis adiacet: qui præ cæteris maximam auctoritatem atq́ grauitatem præ ſe ferebant, & ab omnibus venerabantur: hi ab oppidanis facultatem ſecum colloquendi petierunt. Dehinc verbis ſui Principis quædam ad præfectum vrbis, reliquosq́ oppidanos ſe relaturos eſſe dixerunt. Quibus vbi, permiſſu præſulis, fandi copia facta eſt, maior ex his natu ita breuibus eſt allocutus:

Filij magni Principis.

O viri & oppidani, cuiuſcunque generis & gradus eſtis, hæc Princeps noſter ad vos referre mandat: Videtis enim, in quantis anguſtijs quantisq́ periculis poſiti ſitis: quos longè maiora atque grauiora expectant, ſi rebus ſtatuiq́ veſtro maturè non conſulueritis. Audiſtis enim aliquando, quanta ſit vis ipſius Principis, quantæq́ opes. Sed nunc re ipſa ſentietis, quàm terri-

Oratio legati Turcici ad obſeſſos Scodrẽſes.

terribilis, quamq; tremendus ſit eius aduentus. Noſtis præterea, quocunque expeditionem fecerit, nullum locum, adeò munitum & inexpugnabilem, viribus illius minimè obſiſtere potuiſſe. Teſtantur nanq; id, & omnibus palàm exemplo ſunt, nobiliſſima atq; regia vrbs Conſtantinopolitana: Ad hæc Eubœa inſula, tam opulentiſſima, quàm egregia: Præterea Taurica regio, aliæq; innumeræ. Quamobrem vobis omnibus conſulit Princeps noſter, & exhortatur, vt confeſtim in eius deditionem veniatis, vt Croienſes,



qui veſtro Principi parebant, deditionem pridie fecêre: nec eius iram atq; indignationem expectetis: non tormentorum ictus, neq; machinarum, non militum ſuorum robur atque impetum, quorum manus nullo pacto euadere poteſtis: quod ſi feceritis, omnes vos cuiuſcunque gradus & conditionis, ſummis muneribus & honoribus afficiet. Ciuibus enim, vt in patria liberè & ex voto degant, permittet. Reliquos verò exteros & peregrinos maximis præmijs proſequetur: neminem equidem indonatum prætermittet. Sin verò alia mens, aliusq; animus vobis extiterit, varia mortis genera, diuerſa ſupplicia & cruciatus vos expectare iubet. Hi quum dicendi finem feciſſent, Petrus Pagnanus, ciuis egregius, vir eruditus, hoc ex ſententia omnium Barbaris reſponſum dedit: O viri, & magni Ottomani nuncij, ſcire vos velim, in vrbe noſtra tria eſſe hominum genera, Italorum, naualium militum, & Scodrenſium, ſiue Epirotarum: inter quos ſummus rerum omnium eſt conſenſus, nec minima alicuius diſſidij ſuſpicio: quia omnes Chriſtiani ſumus. Vnus Deus, vna fides omnibus: non Meumethem, non Lunam, neq; Solem adoramus: non Martem, neq; Mercurium: non Scodrenſium reſponſio.

pp *Idola,*

Idola, nec quenquam alium fictitium, ſed Chriſtum Dei filium colimus, atque veneramur: qui vnus & idem cum Deo patre & Spiritu ſancto fuit ab æterno, eſt, ſemper erit. Qui quidem ſummus Deus eſt, optimusq́; creator atque moderator omnium: à quo cuncta manarunt: in cuius verbo & nomine cuncta ſunt poſita, cuncta fiunt: cui cuncta parent, flectuntur, & tremunt: nec alius eſt Deus præter hunc: nec eſt qui ei reſiſtere poſſit. In hoc ſpem ponimus, huic confidimus: ipſe pro nobis pugnabit, ipſe nos ab impetu Principis veſtri defendet, atq; liberabit. Quare, quum Chriſtum Deum noſtrum, qui pro vniuerſa humana redemptione in cruce mori voluit, nobiſcum certum indubitatumq́; habeamus: quid Principis veſtri vires? quid artes? quid demum copias timeamus, quum omnia ipſe ſolus poſſit? Proinde ſciat Princeps veſter, nihil eſſe tam horrendũ quod timeamus, quin omnia pro nihilo habeamus. Adducat ſecum quaſcunq; copias velit, tormenta bellica, & cuiuſuis generis machinas præparet, & tandem omnes vires ſuas & conatus in nos intendat: iam nos ipſos ſemel pro Principe noſtro, & Veneto imperio, deuouimus: ſemel pro hac vrbe defendenda & ſanguinem & animam effundere parati ſumus: qua ſi Princeps veſter tantopere potiri exoptat, ferro, & quacunq; vi poteſt, irruat, & ad expugnandam prodeat. nam ciuibus nihil eſt patria charius. Italo & nauali militi fides firmiſſima. præmia verò & munera à Principe veſtro nobis oblata penitus reijcimus, & aſpernamur: quia à Principe noſtro longe maiora atq; digniora expectamus: qui nunquam de ſe bene merentes deſerere ſolet. Quare Principi veſtro mentem noſtram, & quicquid vno omnium conſenſu decreuimus, nunciate. Nam nulla eſt inter nos ſimultas, nullaq́; diſſidia: ſed idem velle omnibus, atq; idem nolle. Hæc ſemel vobis dicta ſint, vt in poſterum omnem ſpem alicuius fœderis & compoſitionis abſcindatis. Aut Deo bene iuuante victores erimus, aut ſi res aduerſæ cadent, internecione omnes occidemus. quod ſi aliàs tale quiddam tentare audebitis, pro reſponſo gladium acutum, pro verbis tormenta, miſſilia, atque iacula ſemper reportabitis. Barbari verò hoc accepto reſponſo à Scodrenſibus, nullo amplius verbo facto celerrime abierunt. Poſt hoc quidam ſub Meumethe militantes, qui ſe verè Chriſtianos eſſe profitebantur, ad muros vrbis clam venerunt, qui de Croiæ deditione Scodrenſes admonuerunt. Paulo pòſt res ipſa quemadmodum acciderat, intellecta eſt, quòd Croienſes non vltrò, neq; metu aliquo impulſi, ſed ſumma extremaq́; neceſſitate coacti, ſeſe Ottomano dediderant. Nam quũ vrbs illa diu ab hoſtibus obſeſſa fuiſſet, & omnia ad victum neceſſaria penitus defuiſſent, nec vnde ali poſſent prorſus haberent (ſæpius enim penuria quàm pugna conſumit exercitum, & ferro ſæuior fames) omnes in hanc ſententiam conuenerant, vt potius in deditionẽ hoſtis (etſi turpiter) pacto aliquo deuenirent, quàm tam

Croienſium deditio.

tetra,

tetra, tamq́; funeſta fame, quæ etiam fortiſſimos viros debiliores reddit, perirent. Quæ deditio inſperata, Scodrenſes profectò non mediocri mœrore atque dolore affecit, cum propter Chriſtianorum velut patrimonij attractionem, quod indies res Chriſtiana imminueretur, & ad extraneos alienosq́; deuolueretur: tum propter nimiam hoſtis vicinitatem, quod tam commodum, tam opportunum locum ad bellum continuandum ſibi Barbarus adiunxerat. De cuius vrbis ſitu, eiusq́; conditore, quantum hominum memoria colligi poteſt, perſtringendo breuiſſime attingam. Croia ciuitas eſt Epiri, regni illius validiſſimum munimentum, & tanquam clauis firmiſſima. Hæc non magno ambitu continetur, in altiſſima ſaxi crepidine, Croiæ vrbis ſitus & conditio.



& vndique præcipiti, poſita: campos latiſſimos hinc & inde habet, vbi Cæſar tota acie cum Pompeio conflixit. Quæ quidem oppugnari, nec expugnari vllo modo poteſt: quia & natura, & arte, & hominum opere ex omni parte munita eſt. in ea enim ſunt fontes iuges, ac perennes: ex quibus ei nomen inditum fuit. nam Croia, quod Epiroticum nomen eſt, Latine fons interpretatur. habet quidem agrum feraciſſimum atque amœniſſimum, ſyluas verò & arbores cæteris (vt opinor) vberiores, ſpecioſioresq́;, & ad claſſes ædificandas (vt quidam putant) nuſquam proceriores aptioresq́; reperiri poſſunt. Diſtat autem Dyrrhachio ad quatuordecim millia paſſuum, Scodra verò ad quinquaginta ſeptem: & quia finibus Barbarorum contermina erat, ab his poſt obitum inuictiſſimi Principis Scanderbegij, cuius imperio fideliſſime parebat, continuo vexari cœperat. Duo tamen ex Barbarorum Principibus, adhuc ipſo Scanderbegio viuente, cum Cęſaris & Pōpeij ad Croiā conflictus.

omnibus viribus ſuis eam obſidere tentârunt: ſed eorum conatus, fortiſsimè aduerſante Scanderbegio, ad irritum ceciderunt: quin eo viuente nullus Barbarorum exercitus Epirum ingredi (vt ita dicam) & inuadere auſus eſt. Prius enim Amurathes pater Meumethis, cum omnibus cōpijs ad eius oppugnationem acceſsit: quam quum expugnare non potuiſſet, ex nimia indignatione & dolore conſumptus interijt. Poſtea verò Meumethes, in cuius deditionem nuperrimè venit, vallo eam vndique circundare conatus, minimè expugnare potuit. Hanc vrbem tam munitam Carolus quidam Sophia regulus Epiroticus condidit: priusq́ vallo cratibusq́ eam ſepſit, deinde fortiſsimis muris cinxit. Non longo poſt temporis interuallo, à Balſichis, de quibus ſuprà memorauimus, interfectus eſt. Qui tunc Scodram, & totam ferè Epirum tenebant, & tunc Croia potiti ſunt. Verùm quum Balſa ætate minimus adhuc (vt iam diximus) ſuperſtes eſſet, alijs duobus fratribus extinctis, à Turcis, qui tunc primùm in Macedoniam & Epirum irruperunt, quibus ipſe inuicti animi nondum vniuerſis copijs collectis, nec ſatis ad bellum inſtructus, non ſubſidijs firmata acie, non equite aptè locato, incautè inconſulteq́ agmine trepido ac tumultuante, licet infeſto, occurrerat, in inſidias præcipitatus, in fugam conuerſus, ac obtruncatus eſt. Poſt cuius cædem Barbari Croia potiti ſunt, & Alba Græca, quæ Epiri eſt, ac etiam Caſtorio. Sed Croia non diu ſub Turcarum imperio manſit. Nam magnanimus vir, & egregius Princeps Epirotarum Scanderbegius, eam à Tyrannide Barbarorum, Principe Amurathe, ſtrenuè liberauit. quam quum quinq́ & viginti annos poſſediſſet, vergens in ſenium, veritus ne denuò aliquo modo à Barbaris opprimeretur, Principi Venetorum eam liberè tradidit. Sed ad propoſitū redeamus. Deſcendebant quotidie ex lacu, qui eſt Scodræ proximus, de quo ſupra memorauimus, multi lintres & monoxyli Epiroticorum, qui lacum ipſum incolebant, per oſtium & fauces Bolianæ, in caſtra Barbarorū tumultu quodam repentino ruentes, multasq́ cædes atq́ dāna hoſtibus inferebant. Alios enim trucidabant, alios in captiuitatē redigebant, & equos aliasq́ res auferebant. Itaq́ aſsiduè, ſed maxime nocturno tēpore, hoſtes ipſos plurimum vexabant. Quod quum animaduerterent Barbari, vt huiuſmodi incurſionibus occurrerent, ſtatuerunt biremes extruere: quibus abſolutis, ac celeriter peractis, in loco prope vrbem, qui Cathilina dicitur, lacum ipſum conſcendebant, & quotidie cum Chriſtianis prælium nauale conſerebant: hac ratione Barbari caſtra ſua, ne à Chriſtianis agitarentur, tutabantur. XII. *verò Calend. Iulias in vertice montis Baſſæ caſtellum ligneum inſtar theatri erexerunt, quò artifices & architecti machinarumq́ periti ſæpenumero ſe recipiebant, vt vrbem ipſam vndiq́ cōtemplarentur, & locum aptiorem tormentis ac machinis, quibus muri excinderentur, eligerent. Poſtridiè*

Croia à Scanderbegio liberata, & Venetis donata.

verò,

verò,non longè à caſtello,turres quatuor,veluti quaſdam arcas,ſubſtruxe-runt,quæ ex trabibus deſectis,ſimulq; cõpactis conſtabant: easq; ſaxis grandioribus impleuerunt,vt tormenta & machinæ,quæ in harum medio collocata erant,ſimul & ipſi artifices tuti eſſent, ne ab oppidanorum tormentis opprimerentur. Erant autem ſic diſpoſitæ,vt inter binas ſingula tormenta collocata eſſent: nec ſuis valuis carebant,vt quum opus eſſet,aperiri & occludi poſſent. Sub idem tempus circiter decem millia camelorum in caſtra bellicis inſtrumentis, alijsq; rebus onerati appulerunt: qui poſt mõtẽ Baſſæ,prope torrentem qui Clirus dicitur,ſarcinis ſuis exonerati ſunt.Decimo autem Calend.Iulias duo maxima tormenta ad muros euertendos Barbari inter arcas illas collocârunt: quorum alterum ſphærica ſaxa pondo quadringentorum,alterum verò trecentorum torquebat: quo die ſeptem tantum ſaxa intorſerunt: quorum primũ radices turris, quæ ad portam magnam ad murorum munimenta poſita erat,percuſſit. Secundum verò ſtationem quandã, quæ portæ ſupradictæ eminebat, vbi vigiliæ nocturnæ ducebantur,decuſſit. Poſtridie matutino tempore magnus numerus Aſapporum ad ſex millia in caſtra venit,plures diuerſosq; manipulos ſecũ afferentium. Sunt autem Aſappi milites bello militiæq; ſatis apti atq; inſtructi. Qui poſt Ianizaros ſecundum locum tenent. Differunt tamen inter ſe habitu. nam illi pileum rubeum ferunt, iſti verò candidum: vterq; tamen pedeſtri milite conſtat. Quo die nouies tormentorum ictibus Barbari vrbis muros concuſſerunt: poſtridie verò octies, perendie ſepties. Et hactenus duobus tantum tormentis vrbis mœnia deformârunt. Sexto verò Calendas Iulias Barbari tertium tormentum ad muros vrbis diruendos in plano ad radices montis Baſſæ poſuerunt, ſupra viam qua Driuaſtum itur: quod torquebat ſaxa pondo quadringentorum, quo die nouem & viginti ictibus muros percuſſerunt. Eodemq; tempore circiter duo millia Aſapporum, è via Drinonis in caſtra peruenerunt, plures ac diuerſos manipulos ſecum afferentium. Poſtridie verò ſaxa octo & viginti torſerunt, ſequenti verò viginti ſex. Et complures Aſappi eadem via in caſtra confluxerunt: ſimul & quartum tormentum ab his in vmbilico ferè eiuſdem montis Baſſæ è regione vrbis ſupra templum diuæ Venerandæ collocatum eſt, quod ſaxa pondo ſexcentorum & quinquaginta emittebat. Sed eo die nullus ictus vrbi ab his incuſſus eſt. At Calendis Iulij, triginta quatuor ſphærica ſaxa in muros detorſerunt: & ſub ſerum diei octingenta ferme impedimenta à fluuio Drinonis in caſtra præmiſſa ſunt: quò iam magnus Turcarum Princeps Meumethes cum reliquis copijs atq; apparatu ſuo inſigni peruenerat. Cui præfecti nouæ Romæ, & Aſiæ,cum ſumma pompa & lætitia obuiam ierunt. Is ſexto Nonas Iulias ante ſolis ortum, cum omni delectu ſuo atq; ornatu, equo inuectus, ad locum, quo tabernaculum

Turres ad expugnandam Scodram extructæ.

Tormẽtis ingentibus Scodrenſes oppugnati.

Aſappi ſecũdi Ianizaris.

Meumethis aduentus.

ei conſtitutum fuerat, profectus eſt. Quem, vt vrbis ſitum circumſpexit, agrumq́; oculis perluſtrauit, eum laudaſſe magnopere ferunt. Sed de vrbe hac ipſum dixiſſe: O quam præclarum & ſublimem locum aquila ſibi delegit, vbi ad excludendos pullos nidum conſtrueret. Locus autem in quo tabernaculum Meumethis collocatum erat, ita ſe habebat. In plano tentoria nouem ipſius Principis poſita erant: quorum maximum conſilij appellabatur, cætera deinde intra iactum ſagittæ, continua ſerie cohortis eius altiſsimo fortiſsimoq́; vallo munita, atque circumuallata erant. nam Ianizari ex omni parte inter ſe connexi, in modum coronæ aſtabant. Dicebatur autem locus iſte circulus, & clauſtrum Principis: cuius ambitus duo millia paſſuum & amplius continebat. Vno tantum exitu ſiue porta, quæ à peruigili ſtrenuiſsimoq́; milite aſsiduè cuſtodiebatur. nam antequam ad ipſum Principem aditus pateret, per tres ordines fortiſsimorum ſtipatorum tranſitus fiebat. Deinceps verò reliqua multitudo exercitus Barbarorum diſpoſita, circumquaq́; extra clauſtrum, & circulum ipſius Principis totam tellurē occupauerat. Adeò, vt circiter quadraginta millia paſſuum cāpi omnes & montes vndiq́; tentorijs albeſcerent: haud aliter, quàm quum brumali tempore tota terra niue cooperta, candida ſit: nec in medio aliquod interuallum deprehendiſſes, ita omnia loca tentoriorum referta erant: nec ceſſatum eſt per aliquot dies, quin cōtinuè recentes in caſtra Barbari aduentarent. Ex quo rerum periti, & qui aliàs cum ipſo Meumethe militauerant, cenſuerunt trecenta & quinquaginta millia Barbarorum in caſtris fuiſſe. Quæ tam innumera penè multitudo fideliſsimos Chriſtianos ad contemplationem & admirationem ſui traxit. Muros autem & vallum aſcendentes, primo aſpectu non parum territi & conturbati fuêre: quum tantam ſæuiſsimorum Barbarorum multitudinem in exitium ſuum & perniciem collectam & accenſam aſpicerent. Sed quum animaduerterent agi de omnium ſalute, & citam mortem aut victoriam lætam inſtare: quo animos fortiſsimos & conſtantiſsima pectora ad pugnam præpararent, concionem omnium ciuium, Italorum, Epirotarum, & naualium militum, in ædem intemeratæ virginis conuocârunt. Tunc Bartholomæus Epiroticus, ſacræ Theologiæ magnus aſſertor, ordinis prædicatorū, vir quidem prudens, magnæq́; auctoritatis, diſertus, corpore decorus, haud obſcuro loco natus, qui olim dum nondum ſacris initiatus eſſet, ſtrenue præclareq́; rem militarē ſub diuo Scanderbegio aduerſus Turcas geſſerat, eorumq́; vitam, mores, actaq́; quàm optime nouerat: & in Italia quoq́; ſub clariſsimis ducibus ſtipendia multa meruerat, ac tandem ſpiritus ſancti numine afflatus, diuinoq́; lumine accenſus, derelicta ſæculari vita, ad religionem & contemplationem ſeſe receperat, in qua diu vitam cœlibem traduxerat. Is ita publicè concionatus eſt:

Meumethis tabernaculū. Exercitus Meumethis 350000.

Oportet, viri optimi, & commilitones ſtrenui, eos multa grauia, aſpera ac dura ſubire ac perpeti, qui ad veram gloriam nituntur. hoc enim pacto virtutes magis magisq́ eluceſcant, præclarioresq́ reddantur, hisq́ homines in altum ſublimeq́ prouehantur, neceſſe eſt. Traditum eſt enim à ſummis viris, præclariſsima quæq́ laboribus aſsiduis, & vigilijs confici: præmia verò ſudoribus ac duriſsimis rebus rependi. Vnicuique noſtrûm perſuaſum ſit, nos omnes huc ſolo Dei nutu voluntateq́ conueniſſe, vt hæc vrbs



noſtra, præclare glorioſeq́ diuino eius numine fauente, à Tyrannide, tantæq́ Barbarorum multitudinis excidio, virtute veſtra hac tempeſtate defendatur, conſeruetur q́: & vt fides orthodoxa minimè peſſum eat, ſed ad ſummum ſplendorem prouehatur: & vt Tyrannus hic inſolentiſsimus & ſæuiſsimus, tandem certiſsimis ſignis exploratum habeat, ſolam fidem Chriſtianam veram eſſe, & indubitatam: & Chriſtum Dominum noſtrum, cuius nomen profitemur, colimus, veneramur, verum eſſe & vnicum Deum, omnium patrem, creatorem, rectorem, cuius nutu cuncta regantur, & Tyrannorũ omniũ violenta imperia ſtatim concidant, & vires, quantæcunq́ ſint, corruant, & momẽto collabantur. Nec impijſsimus atq́ inſolentiſsimus iſte Tyrannus ſibi perſuadeat, ſperetq́ ex eo quòd tot regna, tot imperia, tantas vrbes atq́ ciuitates expugnauerit & eripuerit, vrbem hanc quoq́ è manibus noſtris vi, dolo, aut metu aliquo ſubtrahere poſſe, potirí ve. nam neminem veſtrûm ignorare arbitror, quemadmodum, ò milites, ſubdolus hic, nefandusq́ Tyrannus locum nullum munitum Chriſtianorum vi aut armis expugnauerit: ſed dolo ſemper, ſiue proditione, aut deditione facta, multis

multis pollicitationibus oppreſſerit: quas quidem & fidem datam cuipiam nunquam ſeruaſſe palàm eſt. Parcétne igitur vobis, ô Scodrenſes, ſi in deditionem recipiet? Seruabítne vos impunitos truculentus Ottomanus, à quibus tot cædes, tot contumelias paſſus eſt? Nónne memoria tenetis, nunc quartum agi annum, ex quo ſuperiori bello, quod vobiſcum geſsit, tot millia ex ſuis à vobis cæſa amiſerit? Ignoſcet igitur vobis? Dimittétne vos impunè? minime profectò. Diſcerpet membra veſtra, & vt lanij pecora in macello, ita viſcera veſtra dilaniabit. Nónne Croienſes finitimos noſtros, quos heſterna die in deditionem hac lege acceperat, vt eos incolumes abire ſineret, omnes acerbiſsima morte affecit? In Myſia nónne etiam Regem, qui ſeſe certo fœdere cum patruo ſuo dediderat, Meumethes ipſe, qui ſanguine humano exſaturari non poteſt, ſua manu (vt fertur) iugulauit? Raſianis Principibus nónne oculos eruit? In deditione Theodoſiæ vrbis, quæ nunc Capha dicitur, in Taurica ripa poſita, quot Chriſtianos, quibus fidem dederat, trucidauit? In Lesbo quot puberes palo transfixit? De alijs quid dicam quamplurimis, quos omnes vix infantibus parcens, violata fide, & contra iura fœderis dirè necauit? De quibus ſi ſigillatim recenſere vellem, ſane nimis prolixus eſſem. Sed quid hoc mirum, ô commilitones mei? nam quo pacto quis alteri, quo prorſus ipſe careat, præſtare poſsit? Quum enim hic perfidus ſemper fuerit, quomodo fidem nulli ſeruare poſsit? Ad hoc accedit, quòd omni vitio intemperantiæ, perfidiæ atque ſuperbiæ contaminatus ſit, & à teneris (vt aiunt) vnguiculis animum ſuum crudelitati, inſolentiæ, libidini, auaritiæ, flagitijs denique omnibus aſſuefecerit. An igitur credibile, vt impius impurusque animus his omnibus innutritus, in ſenectute iſta deponat, quæ iamdudum ab incunabulis, & à natura inſita habet? Nemo enim in animum inducere poteſt, vt tot & tanta iuſtè poſsideat, cum illum tam breui tantam imperij molem propagaſſe videat. Omnia profectò contra ius fasque ſibi vindicauit. in rebus enim haud quicquam habuit: diuina atque humana eodem modo polluit: cuncta doloſe, perfide atque libidinoſe ſemper egit. Nullus eſt inceſtus, nullum ſtuprum, nullum adulterium, quod non nefarie commiſerit. Hic templa violauit, hic ſacerdotia omnium ſuſtulit, hic ordines confudit: regna fœdè contaminauit: quicquid religionis, quicquid dignitatis, quicquid honeſti fuit, leges, inſtituta vitæ, mores, fidem omnem, honeſti partes, rectam diſciplinam perdere atque confundere ſemper ſtuduit. Hæc ſunt quæ nos ad inſidias tanti Tyranni vitandas admoneant. Aures noſtras eius illecebris occludamus: non verba, non minæ nos moueant. Pollicitationes eius penitus reijciendæ ſunt. omnia enim ſcelera, omnia flagitia, omnem tyrannidem exuperat. Plura quidem catholicis polliceri conſueuit, quo in poteſtatem ſuam redigat, quorum nemini vnquam pepercit, ſed eorum cruorem veluti tigris truculenta ſemper appetijt. Sed

quid

quid hæc tam multa ad perſuaſos? Bono ſum equidem animo, cum nos omnes inflammatos accenſosq́ ad tuendam fidem catholicam videam, & fortiſſimos intrepidosq́ ſpem quàm optimam victoriæ in hoſtem concepiſſe: præterea conſtantiam veſtram, ac millies (ſi daretur) pro fide orthodoxa, Venetoq́ imperio deſiderium expirandi: hoc eſt, quod me lætum, me alacrem, me intrepidum reddit. nam omnes vnanimes eſſe intueor, nihil inuicem diſcrepare: ſed omnibus eundem animum, eandemq́ ineſſe voluntatem, promptiſſimos labores ad opera die noctuq́ peruigiles, indefeſſosq́. Et quod ſummum eſſe exiſtimo, omnes diuinis maxime intentos, Deum ſummum optimumq́ omni cultu, fide ac pietate colere, obſeruareq́: qui quidem cum fidelibus ſuis ſemper faueat, ac propitius ſit, quid eſt quod timeamus? quod nos dubios trahat? Quis erit contra nos? Quis nobiſcum ſub tutela diuini numinis pugnare audebit? Veniat igitur Meumethes ille, quem tot & tanta geſſiſſe ferunt cum Spaolanis ſuis, Charaſſarijs, Angurijs, Polluis, Cutagijs, Mentelijs, Sarchanis, Aidinis, Carailis, Pigijs, Prusijs, Macrinis, Alagijs, Amasijs, Concellis, Meneſenijs, Giagidis. Veniant Caramani, auxiliares & ſocij ſui: veniant Vrcatinogli, Candelorij, & omnes Aſiatici: veniant item Turcambei, Auranes, Caſtoriæ, Serræ, Conſtantini, Sophiæ, Nicopolæi, Zachariæ, Zermai, Zurulli, Calliopolei, Sfircæ, Scopiæ, Coiaziæ, Garippides, Saluatarij, Magullides. Veniat præterea Ottomanus ipſe longe ſtipatus Saleſtarijs ſuis, Olofanzijs, Muſelinis, Aſapis, Mihijs, Caripijtlerijs, Dochanzijs, Achanzijs, Janizaris vniuerſaq́ cohorte ſua. Veniant præterea ambo Baſſæ, & nouæ Romæ, & Aſiæ, cum omnibus legionibus & copijs ſuis. Veniant poſtremo vniuerſi Barbari, qui ſub potente Meumethe, ferociſſimo ſuperbiſſimoq́ Tyranno, militant: oblatrent circum vrbis muros, exclament, irruant in nos tormentis omnibus atque machinis, vt facere conſueuerunt: contorqueant in nos miſſilia cuiuſuis generis: ſpargant ſagittas vndique in modum roris: exerceant demum omne tormentorum, machinarũ, inſtrumentorumq́ militarium genus, quod omnis ætas adhuc excogitare potuit, vel poteſt. Quid ad nos? omnia enim ſuſtinebimus, omnia perferemus, omnia denique ſuperabimus ac peruincemus: quia virtus Dei nobiſcum eſt: dextera Domini pro nobis pugnabit. Quis enim potentiſſimum, duriſſimumq́ Pharaonem perculit, peſſundeditq́, niſi manus Dei? Quis Iſraeliticum populum de manu eius ab Aegyptiaca ſeruitute liberauit? Quis primogenitos omnium Pharaonis populorum occidit? Quis mare rubrum diuiſit? Quis Olofernem maximum ducem Nabuchodonoſor proſtrauit? Quis populum ſuum liberauit, qui in captiuitatem breui redigendus erat, niſi Deus: eo occiſo, capiteq́ à Iudith obtruncato? Hic profecto benignitate ſua populum ſuum electum, ſub Aſſuero Rege captiuum, cum Aman crudeliſſimus,

mus, vt is populus trucidaretur, omni vi & conſilio intenderet, exitiali iam ſententia damnatum eripuit. Hic inquam, Abraam illum ſummum Patriarcham de manibus Chaldæorum, & filium Iſaach de gladio & immolatione patris liberauit, Iacob de perſecutione Eſau fratris, & Ioſeph de inſidijs fratrum ſuorum, Noe à diluuio, Loth ab euerſione Sodomorum, Saulem in monte Gelboe, Dauidem Regem à vi & oppreßione Saulis & Goliæ gigantis: tres pueros, Sidrach, Miſach & Abdenago de camino ignis ardentis, Jonam de ventre ceti, & Adam de profundo inferni, Petrum de naufragio, & Paulum de vinculis & carcere extraxit. Quid alios quoque complures ac innumeros commemorem? Quos omnes Deus ſua ſumma potentia protexit atque defendit. Itaque, ô milites, hunc inuocate, hunc pia puraq́ mente colite: huic vos humiles ſupplicesq́ commendate: cor animumq́ veſtrum dedite. nam ipſe pro nobis pugnabit: nos vrbemq́ noſtram à feritate immanitateq́ ſpurcißimi nefandiq́ Tyranni vindicabit, euelletq́. Scriptum eſt enim: Niſi Dominus ciuitatem cuſtodierit, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam. Ad hymnos, ad preces vos conuertite, quibus peccata delentur: pœna pro his debita imminuitur. hæ enim nubes penetrant, oranti præſidium afferunt, aduerſario verò incendium. Quodcunque, ô milites, à Deo immortali ſupplici mente petieritis, abſque dubio reportabitis. Rectæ enim preces inefficaces eſſe non poſſunt, impetrant, exorant. Quis enim Albam Græcam, quam noſtri Belgradum vocant, à manibus furoreq́ huius ſæuißimi inſolentißimiq́ Tyranni protexit, niſi preces? Danielem de lacu leonum, Suſannam de falſo crimine quis liberauit, niſi hæ? Plus enim Moſes precando perfecit, quàm Joſue pugnando. nam de Moſe legitur, in bello Malechitarum, quòd eo precante, Iſrael vincebat: eo à precibus ceſſante, populus fugabatur. Nónne Theodoſius Imperator, ille ſenior, ſuis precibus non ſine miraculo de Eugenio & Arbogaſte victoriam reportauit? cum tela & iacula hoſtium violentißimus ventus in ipſos retorqueret, illa verò Theodoſij ſupra vires humanas in eoſdem inferebantur? Jgitur, ô Chriſtiani fidelißimi, preces omnes pura & integra mente ad redemptorem noſtrum effundite, in illis ſpem ponite, confitemini peccata veſtra: Euchariſtiam, quo ardore, qua reuerentia decet, ſumite. Vos quoque ſacerdotes religioſißimi, omni pietate, cultu, & quibus poteſtis precibus, Deum immortalem flectite: nec dies noctesq́ à ſacris hymnis ceſſate, vt populus Chriſtianus de hoſte ſæuißimo victoriam clarißimam conſequatur. Credite omnes, ô fideles, in Deum protectorem noſtrum: in quo ſpes quidem nullum fruſtratur. confidite ei: quia nos perire non permittet, nos ab omnibus periculis liberabit. Hoc inter cætera vos impellere & concitare debet, vt non vitæ, non ſaluti parcatis, cum nobis munus defendendi totam catholicam fidem,

& omnes

& omnes Chriſtianos iniunctũ ſit. An ne vobis parum hoc videtur, quod in hac expugnatione hoſtili, & ſalus & iactura vniuerſæ Reipub. Chriſtianæ poſita ſit? Quare ab aſtutijs ac verſutijs & dolis Barbarorum cauete: in quibus plurimum huiuſmodi genus hominum verſatur. Laborate, inſudate, vos vrbemq; veſtram vallis cæteriſq; præſidijs ac munimentis firmate: die, noctu inuigilate. Scriptum eſt enim: Vigilantibus data eſt palma, datus eſt honor, his quoque præmium. Sed quid hæc? cum currentes (vt aiunt) excitem. nam perſpicio vos omnia, quæ ad vrbem tuendam, veſtramq; incolumitatem conſeruandam neceſſaria ſunt, vltro & certatim ſubire. Bono equidem ſimus animo: nam ad victoriam nobis nihil profectò deeſt. In portu ſumus, & in tuto. Arma, tela, bellica inſtrumenta, munitiones, præſidia omnia nobis abundè adſunt. Non hic enim eſt multitudo imbellis & inutilis, non lixæ, nec coci, non mulieres, nõ infantes, non molles, neq; effœminati: viri quidem omnes ſumus, ad arma prompti, belloq; experti. Nec eſt quòd multitudinem Barbarorum admiremini, aut formidetis. nam eorum maior pars ignaua & deſes, potius prædæ & latrocinio aſſueta, quàm prælijs & oppugnationibus. Nos præterea munitiſsimus & natura & arte locus tuetur. Eſt enim mons arduus, via anguſta & aſpera. Decẽ ex noſtris mille facilè detrudere poterunt. nam hoſtes in aſcenſu magnopere laborabunt. Etiam nullis repugnantibus, feſsi admodum ad vrbis muros venirent. Idcirco nos integris viribus, & recentes: hoſtes, quanto frequentiores erunt, tanto maiori ſtrage, cæde & ruina ad ima montis præcipitabimus. primi cadent, & medij: vltimorum vix aliqua pars ad ſuos tutum receptum habebit. Turpiter terga dabunt: & eos, qui altera oppugnatione erant ſucceſſuri, penitus terrebunt. Quamobrem fortiſsimo & lætiſsimo animo, vanos & irritos Barbarorum impetus expectate: hoſtem temerarium, & in manifeſtam mortem ruentẽ irridete. Hæc erit æterna laurea, hoc conſpicuum immortalitatis diadema, hæc palma, hæc vera victoria veſtra, nunc nomen veſtrum, nunc vrbis toto orbe celebrabitur. Deinceps omnes gentes & nationes Scodram, ſcutum & clypeum vniuerſæ fidei orthodoxæ, ex virtute veſtra meritò appellabunt. Proinde, ô Itali, viri religioſiſsimi & ingenioſiſsimi, vt magnanimitatem ingenuitatemq; veſtram decet, fortiter alacriterq; aduerſus hoſtem pugnate, vrbemq; & mœnia, diui Marci memores, audacter defendite. Vos quoque maritimi, viri Chriſto deditiſsimi, robuſtiſsimiq; & intrepidi, qui ſemper Barbaros oppugnare conſueuiſtis, veſtra ſolita acrimonia, fortitudineq; eos perterrefaciendo, in fugam conuertite. Voſq; cæteri ciues & conterranei mei, viri Catholici, fideliſsimi & conſtantiſsimi, vrbem patriamq; veſtram ferro, vel ſi moriendum ſit, acriter defendite: cui quantum vos debeatis, quis ignorat? In hac primùm nati eſtis, communemq; auram hau-

ſiſtis. Quid beneficia commemorem, quæ ab hac recepiſtis? Hæc vos tutè aluit, honeſte ad hanc ætatem perduxit, bonis legibus, optimis moribus, honeſtis diſciplinis inſtituit. Præterea parentes, vxores, filios chariſſimos, fortunas denique veſtras reſpicite: pro quibus nullum diſcrimen à vobis fugiendum eſt, omnia pericula ſubeunda ſunt. Itaque vt compotes voti eſſe poſſimus, vos magnopere hortor, vt prius crucis ſacræ ſignum aſſumatis: pectora veſtra illo muniatis, cuius admirabili vi Heraclius ille Romanorum Imperator de Coſroe hoſte maximo, Perſarum Rege, triumphum reportauit. hoc etenim inuictiſſimo ſigno glorioſoq́ fracta ſunt Tartara, humanum genus liberatum eſt. Vexilla eius in muris, propugnaculis, ſtationibus, & vbiq́ erigite: cuius quidem numine benignitateq́ omnes ciues tuti & incolumes erunt: ſi anteſignani ante vos ferent, quoties vobis decertandum erit cum Barbaris, tutò in pugnam deſcendere, pericula ſtudioſe ſubire, hoſtem fortiter animoſeq́ pro fide orthodoxa, pro libertate, pro veſtra vrbisq́ ſalute ac incolumitate proterere ac profligare poteritis: cum præſertim Barbarorum primus impetus repentinus ſit, poſt quem ſtatim molleſcunt, & eneruati in fugam conuertuntur. Sed quæ gloria, quæ gaudia, quæ præmia æterna noſtris præparata erunt, qui egregie ſtrenueq́ pro fide dimicando ceciderint? ad perpetuam enim fœlicitatem & ineffabilem tranquillitatem cuncti tranſmigrabunt: vbi æterni Regis aſpectu, laurea martyrij decorati, perpetuò ſempiternoq́ æuo perfruentur: hiq́ cœleſte melos, quàm ſuauiſſimos concentus & hymnos inter choros angelorum, immortalitatis decore veſtiti glorioſe referent, hoſtesqúe ſuos impijſſimos in æternæ calamitatis abyſſo dilaniatos & extortos contemplabuntur. Qui verò diuino numine ſuperſtites fuerint, talem ſuorum laborum mercedem à Veneto Senatu reportabunt, vt eis ad honeſtandam & alendam vitam nulla res defutura ſit. Orationis exitus. *Hæc quum locutus fuiſſet, tantus fuit omnium conſenſus, vt ſtatim omnes pro fide catholica, pro imperij Veneti ſalute ſe deuouerint: coniurarintq́, quicquid ingenij, quicquid virium ſibi eſſet, id omne abſque mortis terrore expoſituros. Subitò ſe omnes inuicem complexi ſunt, & in mutua oſcula abierunt: Euchariſtiam deinde pia mente & religioſo pectore ſuſceperunt: ædes ſacratas ingreſſi, Deum immortalem & & ſanctos omnes, præcipuè diuum Marcum, precibus exorare, & inuocare conati ſunt.*

Interea hoſtis opus ſuum & negocium ab eo iam cœptum exequebatur, & ad excidium murorum ac ruinam continue magis intentus erat. nam die qua ipſe venit, ſex & triginta ſphærica ſaxa Ottomani in vrbem contorſerunt. Et quoniam in præparandis reliquis tormentis & machinis, quibus muros diruerent, & ciues vexarent, occupati erant, poſtridie quinque tantum & triginta ictus vrbi inflixerunt. altera verò luce, hoc eſt tertio No-

tio Nonas Iulias, duo alia tormenta ad mœnia ſubuertenda Barbari poſuère: quorum alterum à latere vrbis Orientē verſus collocàrunt, iuxta Drinonuli ripam, qui radices montis vrbis alluit, quod lapidem pondo ſexcentorum torquebat: alterum autem in medio montis Baſſæ, infra beati Lazari templum: quod quidem ingens erat. torquebat enim pila ſaxea mille & ducentorum pondo. Dicebatur autem tormentum Principis: ſub cuius nomine, maximo artificio ac diligentia conflatum fuerat. Ex quo Barbari, quum primùm vrbem vexare cœperunt, obſeſſis, vt Principis tormentum expectarent, minati ſunt. Circunferebatur enim, Principis ipſius vxorem æs ad id conflandum, quod in ſalutem animæ ſuæ cederet, miſiſſe. Barbaris namque hoc ex moribus ſuis & legibus perſuaſum eſt, quantum ſæuitiæ in Christianos exercuerint, tantam veniam & remiſsionem peccatorum ſe reportaturos. Dehinc Barbari ſex tormentis maximis vrbem expugnare cœperunt. primùm tribus & quadraginta ictibus muros quaſſarunt: lu- Principis tormentum ingens, torquēs ſaxa pondo 1200.



ce ſequenti ſeptem & quadraginta: & magnus numerus Barbarorū vltra Bolianam caſtrametatus eſt. Proxima verò nocte Barbari aliud tormentum in montem Baſſæ collocârunt, quod circiter quingentorum pondo, & quinquaginta, ſaxa voluebat. Pariter & prima noctis vigilia tormento, quod mortariū vocant, quod pridie clam defixum fuerat, globos igneos in vrbem contorquere cœperunt in domos & tecta, vt vrbem ipſam accenderent: ſiue hac ſpe ducti, vt dum oppidani, & alij milites, nocturno maximè tempore ad ignem extinguendum concurrerent, ipſi vrbē intrarent, eaq́ potirentur: qua nocte quatuor tantum globos igneos iaculati ſunt. Mortariū ignis.

qq 3 *Erant*

Globi ignei vnde confecti.

Erant enim huiuſcemodi maſſæ ſeu globi ignei, qui vix extingui poterant, ex reſina confecti, pice, ſulphure, cera, oleo, alijſque ſimilibus rebus ad fouendum ignem idoneis. Qui quidem vt primùm tectis adhærebant, ea accendebant. Ferebantur enim huiuſcemodi globi celeri impetu, ſummaque vi per auras nimio quodam ſtridore, & veluti ſibilo perſtrepentes, vt ſpiritum vociferantium crederes. hi caudam igneam, flammamque vehementiſſimam ſecum trahebant, ſimilem cometæ, quæ nocturno tempore aëre accenſo inflammatoque, longiori lucidiorique coma, in modum ignis, cœlo progreditur. Hiſce dolis atque aſtutijs Barbarorum perpulchre oppidani occurrerunt. nam deprehenſa cognitaque eorum machinatione atq; fraude (nihil enim in vrbe niſi conſultò fiebat, & omnibus periculis conſulebatur) nonnullos viros ſtrenuos & celeres elegerunt: quibus tale munus iniunctum eſt, vt detectis domibus, quæ ligneis ſcandulis tectæ fuerant, ſublatisq; eorum tectis, ſummo ſtudio atque promptitudine his temporibus inuigilarent, quibus ignis ille doloſus in vrbem immitteretur: vt quum primùm ſuper tecta caderet, ab his ocius extingueretur. Quod cum ab oppidanis accuratiſſimè, exactiſſimeque obſeruaretur, Barbari ſemper incaſſum conati ſunt, & eorum in hoc labor ad irritum cecidit. Pariter eo die vrbis muros quadraginta duobus ictibus tormentorum valde concuſſerunt. Altera verò luce, quæ erant Nonæ Iulij, quinquaginta ſex, qua

Mortariū, ſaxum 1200. pōdo in altū rotans.

Barbari aliud tormentū deuexerunt miræ magnitudinis, ad radices montis vrbis è ſeptentrione ſuper delubrum beati Blaſij: quod noſtra ætas mortarium appellat, quo ſaxum ſphæricum mille & ducentorum pondo in altiſſimum cœli ſpacium rotabatur: cuius quidem deſcenſus tanta vi impetuque deferebatur, vt omnes qui vrbem tutarentur, nihil magis formidarent. nam quicquid decidens tangere poterat, id totum, tanquam flamma quadam, & quodam veluti caſmate, deperibat: conterrebaturq; non aliter, quàm quæ iactu fulminis aut diſcutiuntur, aut aduruntur: domos, & tecta penetrando penitus diruebat. ſi in terram tantummodo cecidiſſet, in eam palmos duodecim defigebatur: ſi in ſaxum aliquod illiſum fuiſſet, in illum tanquam in rem mollem infigebatur. Hoc tormento inuento ſecula

Nouum inuētum ſeculi ſuperioris.

noſtra gloriari poſſunt. nam quamuis antiqua ſecula à plurimis inuentis ſe iactent: in multis tamen, quemadmodum & in hoc, noſtris cedunt. Appoſuerant enim Turcæ huiuſmodi tormentum exitiale, non tantum ad tecta diruenda, homineſq; opprimendos, interficiendoſq;: ſed maximè ad puteos fonteſq; vrbis perdendos, euertendoſq;, vt aqua obſeſſi priuarentur. Sed immortalis Dei beneficentia Barbari in hoc minime compotes fuère. nam etſi ciues multitudine horum tormentorum vndiq; vexarentur, duos tantum amiſerunt. Omnes verò putei incolumes manſerunt, nec vllo ictu vel minimo tacti ſunt. Appellatur huiuſcemodi tormentum à ſpecie mortarij,

quo

quo contundimus. eſt enim breue & craſſum, aluei profundi, ore ſurſum verſo ad iactum, caudam verò in ſolo fixam: cuius quidem ſonus ſiue crepitus, mugitum maris & ſtrepitum referebat, quum æſtuat; & in altum procellis erigitur: illius iactu & crepitu totus mons vrbis funditùs contremiſcere videbatur, omniaq́ in ædibus per aliquod temporis interſtitium & tremere, & reſonare, & ruinam minari. contorſit enim hoſtis eò die ex illo pilas ſaxeas ſex: ex mortario ignis duos tantum globos, ex alijs autem tormentis quadraginta duo. Eodem quoq́ die aliud tormentum Barbari vltra Boianæ flumen importarunt, quod ſeptingentorum pondo ſaxa contorquebat: quod non per pontem, quia illum euertiſſet, deuexerunt, ſed mira arte miroq́ artificio ſubter aquas, more fluuiatilis vltra amnem vi extraxerunt. Poſtridie duo alia immenſa tormenta ex loco vbi conflata erant, qui à tergo montis Baſſæ erat, detraxerunt. Quorum alterum, quod alia tormenta magnitudine longe ſuperabat, in vmbilico montis Baſſæ ſuper ædes ſanctæ Crucis detulerunt, quod ſaxum ſphæricum pondo mille & trecentorum contorquebat: cuius quidem ſaxi ſuperficies in ambitu nouem palmorum erat. Alterum verò ad Drinonuli riuulum iuxta alia collocarunt, & ab hoc die decem craßiſſimis tormentis vrbem vexare cœperunt. verùm eo die quo hæc tormenta poſita ſunt, vno & ſeptuaginta ictibus vrbis mœnia ac muros valde agitarunt. At Scodrenſes quum varia machinarum & tormentorum genera in dies magis atq́ magis augeri animaduerterent, ſeq́ omnibus periculis vitæ obnoxios eſſe, & per vrbem minime tutò incedere poſſe, ſtatuerunt in omni parte vrbis, qua Turcarum tormenta poſita erant, continuos aßiduosq́ cuſtodes ac peruigiles, qui attentè diligenterq́ inuigilarent, vt quum Barbarorum tormenta in vrbem contorquerentur, campanas pulſarent: quo oppidani, qui per vrbem incederent, ad earum ſonitum ſibi conſulerent, ſeq́ in tutum reciperent. Rebus itaque ſic compoſitis ad ſignum ordine præſcripto, Chriſtiani audacter per vrbem proficiſcebantur: ſed tanta machinarum tormentorumq́ vis vndique ingruebat, adeò Barbari ad exercendum ea diligentes erant, vt Chriſtiani vix munimenta & propugnacula, quibus ſe tuerentur, inuenire poſſent: tanta pariter ſaxorum multitudo ex diuerſis varijsq́ tormentis emittebantur, vt ſæpenumero in aëre inuicem concurrerent, & colliderentur iacula, ſagittæ. varia enim telorum genera in vrbem inſtar grandinis deſcendebant, domus omnes, & diuerſa vrbis loca mortariorum ictibus crebris adeò agitabantur, vt dies noctesq́ nullus quieſcere, aut tutus eſſe poſſet. Vallum omnem, aggeres, partim flammis & ardore, partim ictibus tormentorum aßiduè ruebant. Campanis nunquam ocium dabatur: non locus, nõ aditus vſquam in vrbe Chriſtianis, in quo tutò conſiſterent, reperiri poterat. Poſtremò enim neceſſe fuit, vt ſubterraneos

ſpecus

Mortariũ vnde dictum.

Tormentũ ſaxum pondo 1300. contorquens.

Iaculorũ ſagittarumq́ in aëre concurſus.

Scodrenſium perturbatio.

ſpecus ſibi effoderent, ibiq́ cuniculorum more procumbentes, vitam agerent: vndiq́ anguſtiæ & calamitates inſtabant, vndique pericula ingruebant: tanta erat vis & impetus Ottomani, vt timor tremorq́ omnia confunderet. Non vigor, non ſenſus humanus pene ſuperfuerat: non modus, non ordo, non regula aliqua ad pericula, mortemq́ euitandam ſeruari poterat. Tanta erat multitudo atq́ atrocitas Barbarorum, copia tormentorum cuiuſuis generis atq́ machinarum, & infinitas telorum, ſagittarum vndiq́ miſſarum, quibus Chriſtianorum viſcera aſsidue transfigebantur. omnes humani ſenſus, quibus vita hominum ſuſtentatur, penitus proſtrati erant, adeò cuncta ſub cœlo tremiſcere ac ruere videbantur. hinc aliquos ictus mortariorum ſub tectis opprimebat: illinc verò aliorum membra à machinis & tormentis carptim diſcerpta atq́ dilaniata, in diuerſas vrbis partes ſpargebantur: alij ex vallo ſclopis percuſsi, & iaculis transfixi, exanimes decidebant: humanus iam fauor vrbem deſtituere videbatur. Oppidani iam humanis deficientes, nihil dignum præſtare poterant: res ad deſperationem propemodum erat, tanto terrori Ottomanus erat. Sed pijs mortalium precibus Deus immortalis exoratus, qui ſolus tantam molem diſcutere, nodum illum difficillimum diſſoluere poterat, fortiſsimorum ciuium, & ciuitatis tam religioſæ exitium non ſuſtinuit: ideo Scodrenſium pectora & animos iam demiſſos erexit, excitauit fide, ſpe, conſtantia, magnanimitate muniuit, virtute diuina ac cœleſti corroborauit ſubito: vnũquemq́ Scodrenſium & peregrinorum alium vidiſſes adeò, vt tot & tanta pericula cædem interitumq́ minitantia, intrepide libentiſsimeq́ adire cœperit, & ex inſperato ſpem quàm maximam victoriæ potiundæ contrahere: ad labores, ad opera, & omnia, quæ pro vrbis munimento videbantur, diu noctuq́ alter alterum exhortari, & alacriter inuitare, nullo imminentium periculorum metu ceſſare, aut retroagi: non machinas, non tormenta Barbarorum continue volitantia vndiq́, non ſpicula, non ſcorpiones timere, ſed horrenda quæq́ acri animo ſubire. Demum omni vi, arte atque ingenio vrbis ſaluti ſuccurrere: hoſtẽ etiam extra mœnia hilari fronte ad pugnam prouocare: eiq́ fortiter obſiſtere, omnibus conſulere, omnibus prouidere, nunquam ceſſare: denique ſeſe morti pro fide catholica, pro obſeruantia & pietate in diuum Marcum, pro patriaq́, intrepide exponere. ex quo tanta vis, tanta ferocitas, animiq́ audacia ad eos redierat, vt non homines, ſed ex gigantum genere viderentur, & ipſe hoſtis ſæpenumero eorum virtutem admiraretur. Sequenti verò die ictibus centum & quatuor ex tormentis, diuerſis in locis poſitis, magna murorum pars euerſa: ſimul & duos igneos globos mortario coniecerunt: & vallum ad Bolianam vergens, cui Carlinus peditum Italorum præfectus ſtrenuus præerat, facibus admotis accenderunt. Sed ſtatim ſine cuiuſquam Chriſtianorum cæde ignis reſtinctus eſt.

Vbi definit auxilium humanum, ibi incipit diuinum.

Vallum

Vallum autem omne, & propugnacula omnia Barbari incendere, & flammis conſumere conabantur: vt his abſumptis, omnis ratio tuendi ſe ab oppidanis tolleretur. nam quum muri penitus exciſi eſſent, Scodrenſes tantummodo vallis ac propugnaculis ſe defendebant. Multi tamen dum ad extinguendum ignẽ accurrerent, machinis & tormentis interfecti ſunt: id quod Barbari intendebant. Altera verò luce, hoc eſt, quinto Idus Iulij, alia grandis machina ſupra montem Baſſæ in hortum cuiuſdam ciuis à Barbaris deuecta eſt, quæ ſaxum noningentorum & quinquaginta pondo contorquebat. Ex eo tempore Barbari vndecim maximis tormentis vrbem ſemper oppugnârunt. Eo die centum ſeptuagintaocto ictibus, quod nunquam antea, vrbem admodum vexârunt. Videns autem Ottomanus mœnia vrbis iam omnia exciſa euerſaq́ue, obſeſſos, detectos & denudatos eſſe, præſidioq́ue murorum penitus priuatos: concepit animo, vrbem expugnari poſſe. itaque cœpit Scodrenſes maximo impetu atque conatu, machinis, atque tormentis vndique vrgere, deterrereq́ue, præmiſſis omni ex parte Ianizaris, Aſappis, alijsq́ue militibus, qui cratibus vimineis, pluteisq́ue, cominus die noctuq́ue vallis inhærerent, atque inſtarent: iuſſitq́ue oppidanos quàm acerrimè vexari, vr- Oppugnatio Scodræ.



geriq́ue: & vt eos etiam accenſis vallis, crebris continuisq́ue oppugnationibus laceſſerent, ac quoquo modo vrbem ingredi tentarent. ſed illius vota omnia ad irritum ceciderunt. Deprehendit enim ciues, qui illi acerrime obſiſterent. nam timor in vrbe amplius non erat, omnis formido Scodrenſes reliquerat, audacia pro muro habebatur: pro vallo, pro munitione acriter inſtabant: quilibet alacri animo periculis ſeſe exponebat: quiſque per Audacia pro muro.

 virtu-

virtutem emori potius delegerat (neceßitas enim vel timidum, fortem facit) quàm à Barbaris fœdè trucidaretur. Ex quo Ottomanus id difficillimum reperit, quod facillimum fore ſperabat. Interim verò Barbari valla accenderunt, ſed ignis ab oppidanis facillime & ſine cæde ſuppreſſus eſt. Sequenti autem die quã maximè poterant, ictus tormentorum feſtinare cœperunt. Centum enim & octoginta ſeptem lapidibus vrbem concuſſerunt. Rurſus Barbari turrim, quæ ſupra portam magnam poſita erat, & Carlini vallum accenderunt: hac calliditate vtentes, vt quum Chriſtiani ad ignem extinguendum feſtinarent, tormentis, quæ ad eam partem vergebant, eliderentur. vnde nonnulli ex illis de medio ſublati ſunt. Animaduertentes autem Scodrenſes hanc Barbarorum verſutiam præualere, & ex ea diſcrimen maximum ſibi imminere, damnum interitumq́ue ſuorum indies conſequi, duxerunt non minus ingenio virtuteq́ animi cum Barbaro decertandum eſſe, quàm fortitudine viribusq́ corporis: ſtatueruntq́ hiſce Barbarorum calliditatibus alia vi occurrere. Itaque diſpoſuerunt nonnullos ſclopos (vt homines noſtri temporis appellant) atq́ ſagittarios, qua Turcæ ad incendendas munitiones accedere ſolebant: vt hi, quum faces ferrent, interficerentur. qui poſtero die reuerſi ad negocium facinusq́ perpetrandum, priuſquam ignem coniecißent, aliquot ex ſuis amiſerunt, qui ab oppidanis confoßi ſunt: cæteri re infecta aufugerunt. Sed ne fortaſſis poſteros lateat quid ſint ſclopi, & vnde hoc nomen ſibi traxerint, pro viribus eos quoquo modo deſcribere conabor. Eſt autem ſclopus, quem vulgò nunc ſclopetum appellamus, tormenti genus perſimile bombardæ, ex ferro vt plurimùm confectus: cui à crepitu & ſono quem edit, nomen impoſitum fuit: qui breui admodum ambitu & ſuperficie contentus, ad tormentum bombardæ in longum productus atque extenſus, glandulam plumbeam ſeu pilulam paruulam admodum, puluere quodam ex rebus ad fouendum ignem idoneis confecto, vnius hominis opere iniectam atque calcatam, igni adhibito proijcit atque contorquet, & ictum lethalem infligit. Interea verò Barbari deduxerunt biremes in Bolianam, quas iam perfecerant, quæ numero octo erant: de quibus ſuperius memorauimus. qui quum è portu ſoluiſſent, nocturno tempore per flumen Bolianæ in lacum ſurſum remigârunt, vbi magnum prælium cum incolis commiſerunt. Tandem quia res impar erat, Turcæ vna tantùm fluuiatili nauicula noſtra, cum octo hominibus, capta, ex his, qui caſtra inuadere conſueuerant, eos manè vltra Bolianam, prope ſacrum diuæ Magdalenæ palo transfixerunt. Contorſerant eo die centum & octoginta tria ſphærica ſaxa, ſequenti autem die centũ & ſexaginta octo. Interim dum Barbari ad incendia munimentorũ reuerterentur, is qui ignem afferebat, ante alios incedens, antequam ad locum perueniſſet, ab oppidanis confoſſus eſt, cæteri perterriti aufu-

Sclopi deſcriptio.

Prælium Turcarũ cum incolis.

Oppugnationis Scodræ cõtinuatio.

aufugerunt: quod quum vanum & irritum eſſe cernerent, nec ſine periculo vitæ ad munitiones & valla incendenda accedere poſſe, aliam viam excogitârunt, aliumq́ modum tentarunt, ad exequendum id, quod propoſuerant, & ad quod tantopere inhiabant. Uſi enim hoc ſunt ſtratagemate. Ut enim ſecurius munimenta incenderent, & Chriſtianos à reſtinguendis auerterent, tormenta ad iactum præparauerunt, & aliquantum pulueris ſeorſum incenderunt, vt oppidani perterriti propugnacula deſererent: & ipſi Barbari ſtatim ignem in valla coniecerunt. Quod ſi Chriſtiani conſtantiſſimo animo munimenta ipſa tueri vellent, eueſtigiò à Turcarum tormentis collidebantur. Itaque ignis ille hoſtilis amplius ſine multa Chriſtianorum cæde reſtingui non poterat. Et quanquam multi ciuium interficerentur, non tamen ob hoc à reſtinguendis ignibus auertebantur. Nam ſemel potius mori deſtinauerant, quàm vrbis defenſionem deſerere. Ottomanus ardens, & dentibus frendens excandeſcebat, nec tantam animorum præſtantiam ferre poterat, quum animaduerteret nullis viribus Scodrenſes expugnari poſſe, nec tot tormentis & machinis quicquam proficere. Quamobrem multas baliſtas & catapultas Idibus Iulij ad mœnia admouit, vt ingenti ſaxorum multitudine oppidanos obrueret. Præterea vim maximam pluteorum & cratium pariter conuexit, vt his tecti Barbari vrbem oppugnarent. At ciues primo aſpectu eas machinas eſſe putauerunt, ad globos igneos emittendos paratas. Idcirco tecta omnia è ſcandulis facta ſuſtulerunt, ne vim igneam conciperent. Statimq́ contra huiuſmodi machinas munimenta valida præparauerunt, vt Barbarorum conatus omnes ad irritum caderent. Itaq́ Ottomani Principis & in hac verſutia ſpes eluſa eſt. nam Donatus architectorum, qui tormentis præerant, longe princeps, ab vtraq́ parte vrbis machinas erexit, quibus Barbarorum baliſtæ diſiectæ & diſsipatæ ſunt, adeò vt ea inſtaurare & reficere amplius non curarint. Sed eodem quoq́ die centum & ſeptuaginta octo ſphæricis ſaxis vrbis mœnia multum concuſſerunt. Decimo verò ſeptimo Calendas Sextiles coniecerunt Barbari ignem in prima valla & propugnacula portæ Magnæ, vbi erant egregij & ſtrenui viri, Italorumq́ militum præfecti, Antonius Cortonenſis, & Antonius Bouinus, qui in certamine perpulchrè ſe gerentes, Bouinus vulnere lethali ictus obijt. Alter verò telorum multitudine confoſſus totus, vix ſuperſtes extitit. Item in ſecunda valla eiuſdem portæ, eodemq́ tempore hoſtes ignem immiſerunt, & (vt conſueuerant) tormẽtis ſtationes & valla vexarunt, vt ciues his perterriti ad reſtinguendum ignem non accurrerent. Verùm Scodrenſes non deſides, neq́ timidi, ſtatim ignem obruerunt. Ex quibus tantùm duo deſiderati fuêre. Quo quidem die centum & octoginta duas pilas ſaxeas Meumethani contorſerunt: altera die centum & nonaginta quatuor. Et hic fuit

dies, in quo crebrius frequentiusq́ nullo alio præcedente, aut ſubſequente iaculati ſunt. Sequenti verò luce centum & triginta vnum ictum vrbi inflixerunt. Verùm iam Barbari quotidie inualeſcebant, magiſq́ ſe ad oppugnationem vrbis accingebant. Iam turmatim ad vrbem irruebant, eamq́ corona innumerabili cingebant: pluteis & cratibus aggeres foſſasq́ tranſcendebant, easq́ ſaxis & varijs rebus implebant, vt aditus & iter ad vrbem oppugnandam facilior patêret. nam à Principe edictum acceperant, vt ſequenti die ſigno dato ad prælium egrederentur. Ex quo tota nocte illa Meumethani ad bellum ſeſe expediuerant. At verò Chriſtiani vbi hoſtem ſe accingere ad pugnam vident, abſque mora alacriter ſemper diuino numine confiſi, victoriaq́ freti, ſeſe inſtruunt: nonnullas copias in vallis & ſtationibus collocant, quæ hoſtem continuè animaduerterent: vt quum ipſe è munitionibus ſuis irrumperet, ei fortiter occurrerent, quoad inſtructi milites, & reliqua oppidanorum multitudo armata valla conſcendiſſet. Ex quo continue in munitionibus vrbis quadringenti viri armati aſtabant. Altera verò luce, id eſt, decimo quarto Calendas Sextiles, ad veſperas, hoſtes more ſuo ignem iniecerunt ad munitiones, quæ eregione portæ Magnæ erant: ad quem extinguendum quum multi accurriſſent, aliqui tum ex Italis, tum ex Scodrenſibus deſiderati ſunt: ex quibus minimè ob præſtantiam animi & corporis reticendi ſunt, Franciſcus Patauinus, militum Italorum præfectus, & Alexius Beganius ciuis Scodrenſis, vir egregius atq́ ſtrenuus: qui inter cæteros acriter pugnando à tormentis ſublati ſunt, & carptim membra eorum per vrbem ſparſa. Plures enim Barbarorum tormentis, dum in vallis cum hoſte pugnarent, interfecti ſunt: inter quos Franciſcus à ſancto Scorbaro, Italorum militum præfectus, Nicolaus Gradiſclauus, Nicolaus Beganius, ciues Scodrenſes: qui acriter ſtrenueq́ aduerſus Barbaros dimicantes, cum alijs cecidêre. Ad quorum interitum à Barbaris ſublato clamore, & dato ſigno vt ad tormentorũ ictus milites ſtatim ad certamẽ egrederentur, hinc inde pugna acrior quàm vnquam antea à propugnaculis portæ Magnæ vſq́ ad munitiones Bolianæ, vbi Carlinus præerat, commiſſa eſt, & ad horam acriter pugnatum eſt: in qua Barbari nunquam foſſam & aggeres pertranſire, nec propius ad munimenta accedere valuerunt. Ex quibus multi cæſi ſunt, plures vulnerati, turpiterq́ reiecti atq́ fugati: victoria penes Scodrenſem (licet nõ incruenta) ſtetit. Quam ob rem dies ille oppidano lætus & honorificus affulſit, hoſti verò fœdus atq́ pernicioſus: nec illi quicquam centum & nonaginta tres tormentorum ictus, quibus eo die Chriſtianos vexauerant, profuerunt. Sed non tamen defeſſus, altera luce centum & quadraginta octo ictibus oppidanos multum agitauit. Matutino ſequenti complures ex Barbaris, qui in caſtris erant, ad vrbem conſcenderunt. Interimq́ in caſtris magna multitudo

Oppugnationis Scodrę vehementia.

titudo telorum & ſagittarum ad pugnam futuram præparabatur. Dumq́ qui his vterentur, ſedulò deligerentur, ſtatim innumeri ſpiculatores ad præſidia vrbis omni ex parte aſcenderunt. Ex quo Scodrenſes arbitrati ſunt, Barbarum propediem vrbi bellum illaturum. Quam ob rem quiſque eorum confeſtim armatus, in propugnaculis intentus erat, hoſtem ad pugnam hilari animo expectans, & ſemper eum obſeruabat quidnam facturus eſſet: qui quidem poſt meridiem ecce maximo impetu irrupit, & mu-



nitiones & aggeres pertranſiens, ad vallum peruenit. Tunc verò manus cum oppidano conſeruntur: pugna atrox hinc inde ex omni parte vrbis committitur. Cadunt vtrinq; plures ex hoſtibus: ex Chriſtianis quoq; non pauci vulnerati mortuiq́ ſunt, præſertim à tormentorũ ictibus. Miſerandum ſpectaculum erat, ſi quis ad portam Magnam munimenta penitus diruta vidiſſet, & omnia referta cadauerũ diſcerptorum, non tam ciuium, quàm aliorum Chriſtianorum. Jam hoſtis adeò inualuerat, vt primas ſtationes & propugnacula ſupradictæ portæ occupaſſet. Ibi ingens oritur certamẽ: quia hoc in loco de diſcrimine magno totius vrbis agebatur. nam tanta vis, tantusq́ impetus Barbari in oppidanum, pariterq́ repentini frequentesq́ omnium tormentorum atq; machinarum ictus, tantusq́ numerus ſagittarum fuit, vt omnes ferè Chriſtiani, qui munitiones eas tuerentur, aut ſauciati, aut ex humanis ſublati fuerint: ſed non propterea hoſtis diu lætatus eſt. nam ecce robuſtiſſima Scodrenſium manus, optimè armis inſtructa, fortiſſimo animo munimenta aſcendens, cum hoſte acriter pugnans, eum in fugam conuertit, trucidat, fugat, atq; expellit: præclariſ-

 ſimam

ſimam egregiamq́ de eo victoriam conſequitur. Itaque complures ex Barbaris cæſi ſunt. Pugnatum eſt enim illo die ſatis bellè, ad duas horas: nec amplius Turca, poſtquam primùm ex propugnaculis deiectus deturbatusq́ eſt, potuit ad ea appropinquare, ſed inde turpiter diſceſsit. Occiderant enim ea pugna inter cæteros nonnulli ciues, qui viri fortiter pro patria dimicando, pro ea emori minimè dubitârunt: quorum membra diſſipata, ac nonnullorum peregrinorum paſsim collecta, qui cum illis ſtrenuè certantes ceciderant, tumulo, eo honore, quo fieri potuit, pro rerum anguſtijs, neceſsitateq́ tradita ſunt. & hæc quidem geſta ſunt pridie, quàm vniuerſalis oppugnatio ab hoſtibus commiſſa ſit. Eo die centum & ſeptuaginta tribus ictibus ex multis partibus tota ciuitas plurimùm vexata eſt.

2539. tormentorũ ictibus mœnia hactenus quaſſata.

Si quis diligenter omnes tormentorum ictus, qui hactenus vrbis mœnia concuſſerunt, ſupputare velit, duo millia quingentos, & triginta nouem eſſe deprehendet: præter centum & nouem tormenti, quod vulgo mortarium vocant: igneos globos decem. Poſtquam certamen hoc diremptum fuit, ſtatim permulti ex Barbaris, qui circa vrbis munimenta in aſsidua cuſtodia fuerant poſiti, quorum maxima manus ad munitiones vrbis die noctuq́ ſub pluteis & cratibus commorabantur, in caſtra deſcenderunt. Interimq́ præfectus Aſiæ vnà cum duce nouæ Romæ, iuſſu Principis ad eum profectus eſt: ex quo ſtatim nonnulli præcones ad ſingula tentoria præfectorum, militum, & eorum, qui aliqua dignitate præditi erant, acceſſerunt: eosq́ edicto Principis ad tabernaculum ipſius conuocarunt: qui poſtquam conuenerunt, propoſita conſultatio eſt, quidnam de vrbis oppugnatione decernendum eſſet? & quum ſinguli ſententiam ſuam pronunciaſſent, Princeps ipſe breuibus eſt eos allocutus:

Oratio Imperatoris Turcici ad milites

Credo quidem milites, neminem veſtrûm ignorare, iam nunc tertium agi menſem, ex quo vrbs iſta à nobis duriſsima obſidione cincta ſit, ac omni genere tormentorum, machinarumq́ oppugnata, afflicta, atq́ vndiq́ exagitata, mœniaq́ penitus euerſa: munimenta varijs tormentorum ictibus diſcuſſa, & (vt cernitis) euulſa. Præterea quoties ignem in propugnacula iniecimus, toties Scodrenſes ad certamen prouocauimus: etiam duplici pugna eos multum vexauimus. Poſtremò verò (vt ſcitis) nihil inexpertum, nihil intentatum omiſimus, quod excogitari potuit, vt eos feſſos defatigatosq́, & viribus exhauſtos, facilius expugnaremus. Quam ob rem (vt mihi videtur) res vlterius non proferenda, nec amplius differendum eſt: ſed antequam hoſtis vires aſſumat, ſeſeq́ præmuniat, craſtina luce vrbs à nobis corona circundetur, præliumq́ vniuerſale cum Scodrenſibus fiat, & id grauiſsimum. Itaq́ vnuſquiſq́ veſtrûm ſe accingat: cæterosq́ milites in caſtris hortentur, vt quilibet manè circiter horam primã lucis armatus, inſtructusq́, ad vrbem expugnandam prodeat: iam eos experiar, & agnoſcam, qui ſtipendio digni ſunt.

ſunt. Tu Romæ nouæ præfecte, cum tuis legionibus, & cohorte prætoria, vrbis partem oppugnandam inuade: reliquam Aſiæ præfectus cum ſuis cohortibus occupare enitatur. Quiſque enim quæ ad huiuſmodi certamen vniuerſale neceſſaria ſunt, præparet, ſecumq́; afferat. non animus nobis deeſt, quin craſtina luce vrbem iſtam expugnemus. Quis enim nobis reſiſtere poterit? Oppidanus enim (vt videtis) & muro & omni præſidio nudatus eſt. Munitiones & foſſæ vndique ſtratæ ſunt. facilis nobis ad illum acceſſus patet. Scodrenſes feſſi tot bellis, viribusq́; deſtituti ſunt, nos verò recentes robuſtiſſimiq́;: hi pauci rariq́;, nos autem penè innumerabiles. Adde vim magnam tormentorum, quibus præualemus. Eorum plures dum munitiones tueri volent, machinarum ictibus interficientur. Igitur quis neget, Scodrenſes captiuos noſtros eſſe? In eos qui ſupererunt, iure belli & captiuitatis vtar. Agite, ô viri, omnes moras tollite. Nonne Scodrenſe nomen vobis, & genus inuiſum eſt? Quis enim veſtrûm non cum ſumma indignatione in memoriam reuocet cædes parentum, aut fratrum, aut propinquorum, aut ſodalium, qui ſæuiſſimè ſub his mœnibus trucidati ſunt? An redire vultis abſque extrema vltione? Poteſtíſne odia veſtra in Scodrenſes, & tantas ſtrages eorum ab his editas concoquere? Verùm vt priſca tempora, & quas calamitates iam pridem ab his reportauerimus, omittam: proximas clades, & veluti recentes reſpiciamus. Iam nondum peractus eſt quartus annus, quod bellum cum Scodrenſibus geſſimus. In quo tot millia noſtrorum ceciderunt, vt adhuc eorum cædes penè ante oculos verſentur, & vltionem expoſcere videantur. Adhuc mons iſte, ſaxaq́; omnia eorum ſanguine reſperſa & polluta apparent. Idcirco properate, ô viri: arma in Scodrenſem ſumite, montem valido gradu conſcendite, vrbem acerrime expugnate, priſtinas inimicitias vlciſcimini. Sanguinem Chriſtianorum ad ſatietatẽ effundite, ad quod leges noſtræ magnopere adhortantur: ferro & omnibus viribus agendum, vt Scodrenſium nullus ſuperſit: quod quidem perfacile conſequi poteritis, cum omnia pro vobis adſint. nam nihil eſt quod obſtet, nihil vobis ad pugnæ victoriã deeſt: omnia parata, omnia in promptu ſunt. facile enim eſt forti debilẽ, imbecillem, viribusq́; defectum, vincere. Hæc quum dixiſſet, Barbari omnes ſummo conſenſu clamorem extulerunt, eundum eſſe omni impetu in Scodrenſes, & huiuſcemodi oppugnationem ſuſcipiendam eſſe, vt non prius eam dimittant, quàm capta ſit vrbs, & ciues omnes ad internecionem cæſi ſint. Poſtquam concio dimiſſa eſt, decretumq́; quid agendum eſſet, edictum in omnibus caſtris proclamatum eſt, vt omnes ad certamen vniuerſale, quod ſequenti luce futurum erat, ſe accingerent. Interea enim videres Barbaros omnes hac illac per caſtra curſare ac permiſceri, non aliter quàm denſiſſimum formicarum agmen, victum quæritans, curſitat, quum aliæ grana important, aliæ

Orationis Turcicæ exitus.

aliæ redeunt, & oneri ſuccedentes feſsis ſuccurrunt. Conſiliarij verò omnes, & præfecti militum, tabernaculũ ducis egreſsi, verticem montis Baſſæ conſcenderunt: inde ſitum omnem vrbis contemplantes, capita inter ſe contu-



lerunt, vnuſquiſque quid ſibi de modo expugnandæ vrbis videretur, in medium proferebat. At verò in vrbe, vbi Scodrenſis hoſtem ad bellum feſtinare proſpicit, & ipſe ſublata omni mora, quæcunque ad defendendam vrbem pertinebant, præparare cœpit, ne eum hoſtis præuenire poſſet, & vt vigilantior vigilantem opprimeret. Ottomanus enim furtim & improuiſus, ciuitatem incautam inuadere exiſtimabat. nam circiter ſolis occaſum, Barbari cum multa ſagittarum telorumq́ multitudine, ad forum venale vrbis, quod ad iactum lapidis extra mœnia eſt, clam maxima copia Cratum montem conſcendere, vrbemq́ circumcingere cœperunt, pugnam diſsimulantes: nec vnquam totam noctem ceſſarunt, quin properè montẽ turmatim ſubirent, pluteis & cratibus tecti: & vt oppidanos fallerent, tres aut quatuor ſub ſingulis ſe occultabant. Centum quinquaginta millia ad munimenta aſcenderunt: vt qui numerum exactè comprehendere potuerunt, aſſerere non dubitârunt. Et hæc quidem erant lecta robora virorum, hic eximius flos iuuentutis: hic erat vniuerſa ferè manus robuſtiſsimorum bellatorum, qui in caſtris delecti, omnibus alijs pugnaciores habebantur. Erectum erat Principis tabernaculum in vertice montis Baſſæ purpureo velamine vndiq́ exornatum, vnde certamen & oppugnationem futuram deſpiceret. Quum iam dies illuceſceret, & Princeps tabernaculum ingreſſus eſſet: Barbari callide agentes, temporis occaſionem ad inuadendam vrbem ca-

Oppugnatio vniuerſalis Scodrẽſium, 11. Calend. Sextil. prima luce.

bem captarunt, quum Chriſtiani in ædibus ſacris, rebus diuinis operam darent. Circiter primam diei horam, qui erat diuæ Magdalenæ feſtus, & vndecimus Calendas Sextilis, ad ſignum bellicum, quod ex tentorio Principis editum, & ad quatuor eiuſdem momenti tormentorum ictus, additis alijs duodecim, quibus munitiones aſſiduè ferirentur, confeſtim ex cratibus irrumpentes, & foſſas vrbis tranſilientes, omnia propugnacula corona cinxerunt, non aliter denſi ac ſtipati, ac apum examen, cum longe vnà conſederit: interim campanarum ſonitus per totam vrbem exaudiri, Barbari clamorem, & tanquam barritum efferre. his excitati oppidani, ex templis armati celeri curſu ad ſtationes, vt cum hoſte acriter decertarent, accurrerunt. Jamq; Chriſtianos manum cum Turcis conſerentes inuenerunt: quam pugnam Barbari inierant, magis ſpecie latrocinij, quàm veri certaminis & prælij. Sed acrior pugna ad portam magnam committebatur: ibi hoſtis cum oppidano immixtus manum conſerebat, & iam vallum conſcenderat, ſignumq; militare erexerat. Princeps nimio gaudio exultare cœpit, quia iam vrbem expugnatam credidit: ſed Scodrenſis, qui nec latêre, nec fugere nouerat, vbi Barbarum tanto impetu irruiſſe videt, munitionesq; occupaſſe, ægerrimè ferens, exiſtimauit iam viribus opus eſſe. Et fremens, infrendensq;, in hoſtem impetum acrem fecit. Alij verò ex Chriſtianis, gladijs telisq; Turcam cominus confodiunt. Alij ſaxis grandibus & præacutis trabibus cõiectis, eum ex munimentis detrudunt. Aliqui vaſa, quæ ſaxis oppleta erant, deuoluunt. Alij vimineas crates, pluteosq; pice oblitos & accenſos iaculantur: nonnulli ollas calce plenas in eos cõtorquent. Jta hoſtem perterritum, eius vexillo proſtrato & diſſipato, ex omni parte deturbant, trucidant, atque in fugam conuertunt: illumq; è munitionibus turpiter deiectum, omni tormentorum machinarumq; genere confodiunt. Hoc pacto vrbs & munimenta, ſumma cum gloria & victoria, defenſa ſunt. Quod quum Ottomanus, qui iam vrbis expugnationem fore ſperabat, de montis vertice proſpiceret, ægerrime tulit, adeò vt vix ſuorum turpiſſimam cædem & fugam tollerare poſſet. Eueſtigio crebrioribus tormentorum ictibus agere cœpit, ducibusq; ſuis, qui aſſidebant, minabundus iuſſit, vt milites, qui terrore in fugam verſi erant, ad oppugnandam vrbem rurſus redire cogerent. Erat autem vrbs ex parte montis Baſſæ ad portam Magnam molli admodum cliuo poſita, ſed manu tamen & opere egregie munita. nam ad primam portam, & principalem vrbis, extra primum ambitum murorum condita fuerat turris eminens & munitiſſima, forma admodum rotunda, in qua oppidani ſtantes à dextra ſiniſtraúe ſpacium illud vrbis proximum tueri poterant. Jnter hanc portam, & illius quæ extrà erat, alia quoq; turris erat, contigua admodum ſuperiori: ſed oppidani timentes, id quod euenit, ne turres ictibus tormentorum excinderentur,

munimenta validiſsima ex cœno & varijs rebus contexta prope turres ipſas ſubſtruxerunt. nam hoſtes ad eam vrbis partem, quæ natura non valde munita erat, omnẽ oppugnationis molem redegerunt. Et ideo ſex tormenta maxima, & ſex millia ſcloporum, & ſagittariorũ innumeros ad eandem partem admouerant. Subitò vtraq; turris, & vtriuſq; ambitus muri ſolo æquati ſunt: nil aliud reliquum erat quod vrbem tueretur, præter munimenta ex terra confecta. Barbari ſpe capiendæ vrbis eò cum maximo impetu confluxerunt: oppidani fortiter & intrepide occurrerunt: prælium acerrimum cominus exoritur, quoniam eo in loco cardo totius rei verſari videbatur. hoſtis vallum conſcendebat, ciuis ſtatim eum detrudebat, & præcipitem dabat. Alij ſuccedebant, pariter præcipites deturbabantur: paſsim cædes fiebant, foſſæ vi magna cruoris inundabant. Varia interim tormentorum genera, quibus plures cadebant, nec momentum ceſſabant. Tum verò præfectus nouæ Romæ, cui prouincia delegata erat expugnandi eam partem vrbis, quæ à Rota vſq; ad Carlini munimenta, Bolianam verſus, pertendebant: cum principem excandeſcere & indignari, & dolore ingenti affici videret, quòd oppugnatio ad irritum caderet, vnà cum præfecto Aſiaticarum legionum ex monte vbi Princeps erat, deſcendit: & ſtricto gladio milites fugientes in pugnam redire coegit. Tunc acrior oppugnatio exorta eſt, hinc Barbaris magno globo ad portam Magnam irruentibus, hinc oppidanis fortiter occurrentibus: non deerant vndique tormenta, machinæ bellicæ, iacula, tantaq; ſagittarum multitudo, vt aër ipſe obſcuraretur: nec tantummodo munimenta vrbis diſcutere & pertranſire conati ſunt, ſed & Rotam expugnare. Eſt enim extra mœnia locus vrbi adhærens Orientẽ verſus, rupibus aſperis vndiq; inuius, in cuius vertice, qui planus eſt, conditum erat templum diuo Petro dicatum, vbi Græci rei diuinæ operam dabant. Tunc omni genere tormentorũ & machinarũ munitus erat: quoniam & arci, & parti vrbis propugnaculum munitiſsimũ erat, vnde Barbari cum maxima eorum ſtrage deturbati ſunt. Verùm horrendũ certamen ad munimenta portæ Magnæ cõmittebatur. Clamor ſtrepitusq; ingens exoritur. Inde tanta Barbarorum vociferatio vlulatusq;, tormentorum machinarumq; crepitus, tympanorum ſonitus, æra crepitantia adeò inualeſcebant, vt auditus ſimul & viſus hominibus tolleretur: terra caligabat, & cœlum ipſum miſceri & corruere viſum eſt, ita omnia confuſa, perturbata, obſcurataq; erant. interim verò Meumethani vndiq; irruunt, propius accedunt, cominus pugna committitur, nihil interſtitij inter Chriſtianũ & Turcam erat, quàm propugnacula ac tabulæ quædam munimentorum, quæ ad oppidanorum pugnantium tutamen contra ſagittas hoſtium poſitæ erant. Contorquentur tela, ferrum perſtringitur vtrinque, cominus res gladijs geritur: hincinde alij cadunt, alij in pugnam ſuccedunt.

Rota etiam oppugnata.

Scodren-

Scodrenſes quo ordine & gradu munimenta ſemel tueri cœperant, ab eo dimoueri non poterant: hoſtes ex munimentis ipſis deturbabant, eosq́; cratibus, pluteis pice oblitis, ſtupa adhærente, præterea dolijs ligneis oleo perunctis, vnà cum puluere & igni admoto inuadebant. Quibus ex rebus plures eorum aduſti & eliſi, ad ima montis deuoluebantur. non ſaxa magni ponderis deerant, non ſcorpiones & varia machinarum genera, quibus obtererentur: qui quum ſe tectos ex altera parte eſſe crederent, ex altera qua minus ſuſpicabantur, crebri transfigebantur. Erat enim portæ Magnæ proximus cuniculus ſubterraneus in ſaxo viuo exciſus, vbi multa tormenta poſita erant, quæ foſſas & partem illam vrbis, quæ ad Bolianam vergit, tuebantur. Inde crebris ictibus magna hoſtium multitudo cecidit. nam per diuerſos exitus cuniculi ipſius tela in Barbaros contorquebantur: quorum plurimi vndiq; vexati, aut cæſi, aut in fugam verſi ſunt. Verùm præfecti caſtrorum, partim minis, partim adhortationibus cateruas & globos ſuorum militũ in pugnam impellebant: nemini præterquam vulneratis parcebant: quin aut cum ſtrictis gladijs trucidarent, aut in oppidanos obuerterent. Ideo denſiſsimi & collecti in globum Barbari, ad portam Magnam, & ad eius munimenta irruebant: tabulas & trabes & ſtipites munitionum manibus apprehendebant: nec inde auelli, priuſquam animam cæſi effunderent, poterant, cominus gladijs cum Chriſtianis dimicabant: qui etſi pauciores, nunquam tamen ordinem ſuum & ſtationem quam tuerentur, deſeruerunt. ſuperiores etiam loco diu pugnam accerrimam ſuſtinuerunt. Sed quia totius certaminis articulus ad portam ſupradictam verſabatur, tanta Barbarorum multitudo eò confluxerat, tantaq́ue tormentorum & machinarum vis Chriſtianos vexabat, vt plures eorum tum gladijs, tum omni telorum genere caderent. hoc pacto multi iam interfecti, plures ſaucij, alij longo certamine defeſsi, vix iam tueri ex paucitate munimenta poterant. Ecce Barbari ſtationes inuadunt, aſcendunt, ſigna in munimentis figunt. Princeps Meumethanus, qui de ſpecula hæc omnia contemplabatur: in ingentẽ lætitiam effuſus, iam ſibi rem factam putans, vrbem captam eſſe credidit, ignarus quid virtute & prudentia Scodrenſium ad vrbis tutelam prouiſum eſſet. Aſtabat in medio Scodræ foro delecta cohors iuuenum & virorum robuſtiorum, vt his qui magis ab hoſtili oppugnatione vexarentur, ſuccurrerent. Adhuc abundè vires ad defendenda mœnia ſupererant, nullus ex alijs ſtationibus ſe ad auxilium aliorum mouerat. quam ob rem alia vrbis loca ſatis munita tutaq́; erant. Ex quo apparuit, Principis vanam & irritam fuiſſe lætitiam: qui nondum omnia Scodrenſium conſilia, nondum eorum præclariſsima facinora perceperat. Interim clamor ciuium exoritur: Rumor ad delectam iuuentutem in forum perfertur, quo iam hoſtes victores munitiones aſcendiſſe, &

Chriſtianos defeſſos iam cedere ſignificatum eſt. Tunc iuuenes fortiſsimi, qui iam diu votis expetierant pugnæ locum contra Barbarum offerri, ad portam Magnam properato gradu accurrunt, vallum confeſtim aſcendunt, & certaminis audito claſsico, diui Marci vexillum, diſciſſo hoſtili, in medio firmiter ſtatuerunt & erexerunt: ſecuriq; omnium tormentorum & telorum hoſtilium, quæ innumera erant, in confertam multitudinem irruunt, Principis potentiam aſpernati, & in eius ſæuitiam & fidem Meumethanam obſcœniſsimam, acerrime inuecti, gladijs, telis, ſaxis, ignium globis, pluteis, cratibus, & varijs tormentis hoſtem proterunt, deturbant paſsim, obtruncant, ſigna eorum auellunt, vltra foſſas propellunt, fortiſsimum quemq; trucidant. Qua ex re perterriti Barbari terga vertunt, ſine mora in caſtra ſe recipiunt. Scodrenſes, eos eò perſecuti ſunt, vnde liber reditus ad vrbem daretur. Princeps verò Ottomanus, qui ex ſpe vana potiundæ vrbis ingentem lætitiam conceperat, tanto dolore affectus fuit, tantaq; indignatione correptus, vt furibundo ſimilis, ſe ad tabernaculum tacitus demiſſo animo contulerit. At Chriſtiani victoriam ingentem adepti, ſumma cum lætitia & crebris plauſibus in vrbem

Scodrenſes victores.



reuertuntur, plurima hoſtium ſpolia ſecum deferentes, nec non capita cæſa, quæ in munimentis, vt Barbaro terrorem incuterent, ſuſpenderunt. Confeſtim templa & aras ſacratas petunt, immortali & omnipotenti Deo gratias innumeras agentes, quod benignitate ſua immenſa animos fortiſsimos, & vires immenſas ſibi dediſſet: hoſtes verò ingenti terrore, & eorum maxima ſtrage, ab vrbis mœnibus auertiſſet. Intemeratæ Virgini poſt

Deum

Deum immortales gratias agunt, hymnos pia mente concinunt, quòd muros & munimenta vrbis quibuſdam religioſiſſimis Chriſtianis tutari viſa ſit: & ſpeciem Barbaris ipſis magnorũ numinum, quæ Chriſtianos tuerentur, obtulerit, vt hoſtes poſt oppugnationem teſtati ſunt. Præterea plures ciues circumferebant, ſibi genitricem redemptoris noſtri in ſomnijs occurriſſe, quæ eos ad fortiter pugnandum hortaretur, futuramq́; victoriam polliceretur. Poſtremò, debitæ gratiæ Magdalenæ perſolutæ ſunt: quòd tutelæ vrbis cum Regina cœli die ſuo feſto non defuerit. Poſtquam verò tam præclarè, tam ſtrenuè pro victoria eo die pugnatum eſt, & omnis tumultus quieuit, quiſque pro virtute & meritis palàm laudatur. In concione militum animi, quorum præſtantia & robore mœnia defenſa erant, laudibus meritis tolluntur: ad ſimilia facta & æmulationes incitantur, ſaucij & confoſſi curantur. Corpora illorum, qui glorioſe in bello ceciderant, eorumque membra paſſim per tecta & vrbis vicos à tormentis diſiecta fuerant, colliguntur: quorum ſepeliendorum munus ſacerdotibus iniunctum eſt. Deſiderati illo die quadringenti ferè fideles, vulnerati verò omnes fuerunt. nemo enim intactus remanſerat. Ex Barbaris autem, vt ipſi aſſeruerunt, ſuprà duodecim millia trucidati ſunt, ſauciati innumeri. verùm inter pugnandum quot ictibus tormentorum ciues vexati fuerint, nemo ad liquidum animaduertere potuit ex ingenti ſtrepitu & tumultu, & ex varijs & promiſcuis hinc inde cædibus. Fuerunt tamen qui collegerint, in die pugnæ fuiſſe ſupra centum & ſexaginta, ſequenti die nonaginta quatuor. altera verò luce, hoc eſt, nono Calendas Sextiles, centum & triginta quatuor: poſtridie centum & quadraginta quinque, perendie centum & ſexaginta quinque. In primis id quod mortarium appellant, ingenti & formidine, & detrimento ciuitatem totam replebat: hi qui integri erant, aut interficiebantur, aut celeri curſu huc & illuc vagabantur. Qui verò ſaucij erant, aut ægrotantes in lectulis iacebant, audito ſtrepitu illius machinæ, ſtatim vacillanti gradu è ſtratis ſurgebant, & miſerando habitu domos egrediebantur. Et alicubi perfugium dubiæ ſalutis quærebant: & nonnulli (quod mirum pluribus forſitan fuerit) febricitantes ex ea fuga & terrore priſtinæ ſaluti redditi ſunt. Interim Ottomanus Princeps, cuius dolorem & excandeſcentiã ſuprà dixi, dum biduum ſe in tabernaculo maceraſſet, tum ob cladem ingentem ſuorum militum, tum quia ſibi vt plurimũ res ſecundæ ſemper euenerant, nunc verò aduerſam fortunam experiri cœperat: præterea deceptus ſpe potiundæ vrbis: in Scodrenſes magis quàm antea inflammatus, duos præfectos, alterum nouæ Romæ, alterum Aſiæ, & duos conſiliarios conuocauit: cum quibus conſilium inijt, vt de integro oppugnationem nouam adorirentur. quòd diceret, non iam credibile eſſe, Scodrenſes tot cædibus, tot vulneribus ac certaminibus exhauſtos, amplius reſiſtere ſibi

Omnes Scodréſes in oppugnatione vulnerati: 400. cæſi. Turcarũ verò trucidati 12000.

Febricitantes terrore curati.

ss 3 *& re-*

& repugnare poſſe. Nunc, inquit, facilem victoriam habebimus: quoniam ciues, qui fortiſsimi erant, iam abſumpti ſunt. Et ſi quid virium aut roboris in eis erat, id omne in ſuperioribus prælijs impenderunt: noſtri verò milites nullo negocio vrbem ingredientur. Quam ſententiam cuncti comprobauêre: & ſtatim conuocatis Imperatoribus, cæteriſq; caſtrorum ducibus atque præfectis, demum omni militari ordine, ad eos verba fecit. Ad quem cum vniuerſa Barbarorum multitudo certatim conflueret, aſtarentq́; ex primoribus, qui confertam turbam auerterent, Princeps vnumquenq; admitti, quòd res omnium ageretur, iuſsit. Tunc alto ſolio ſubnixus, ſic orſus eſt.

Turcici Imperatoris oratio ad milites.

Non me fugit, viri & commilitones mei, vos, qui mecum ſemper in laboribus, certaminibus, periculis, alijſq; caſibus grauioribus atque durioribus interfuiſtis, continuè animo magno, forti, præſentiq; affuiſſe, vitamq;,



etiam ſi millies opus fuiſſet, intrepide ingenueq; expoſuiſſe, & ſemper Dijs fauentibus victoriam reportaſſe. Ideo hanc expeditionem libenter ſuſcepi veſtris viribus fretus, ſperans vos eoſdem futuros, qui ſemper in alijs oppugnationibus fuiſtis. At in præſentia miror vos animum illum remiſiſſe in re tam facili, & prope peracta: vobiſq; fortitudinem ſolitam deeſſe in expugnandis his, qui penè expugnati, ſtrati, viribus defecti & deſtituti ſunt. nam quid facilius leuiuſq;, quàm feſſum exanimatumque, non repugnantem, & ſe dedentem vincere? Nec miremini, ô milites, ſi ſuperiori proximaq; pugna vrbem ingredi non potuiſtis. Nam non verum (vt noſtis) neq; legitimum certamen à nobis vrbi illatum fuit, ſed leuiſsima admodum

pugna,

pugna, nullo ſeruato ordine, tumultuaria, & latrocinij potius ſimilis, quàm veri prælij. nam non vniuerſus exercitus, non omnis ordo affuit, non acies inſtructæ: pauci enim montem conſcenderant: nunc autem aperto marte omnes cuiuſq; gradus conditionisúe certamẽ ſubeunt, ordine incedant: nullus recuſet, nullus remaneat: nemo pugnam renuat, nemo cauſetur, non noſtræ cohortis milites robuſtiſsimi, non alij, qui noſtris præfectis & ducibus parent, non milites gregarij, non ſerui, non liberi, non ſummi, non infimi, ſed cuncti ſe accingant, cuncti ſe præparent, cuncti ad pugnam prodeant. nunc agnoſcam viros, nunc pugnaces & bellatores, nunc qui ſtipendio meo digni ſunt. Partes vrbis oppugnandæ turmatim aſsignentur. Exercitus inſtruatur, & in ſuos ordines diuidatur. Leges, conditiones oppugnandi præſcribantur, legiones aciesq; in cornua diducantur. Alij alijs ſuccedant, feſsis quieti atque recentes, vulneratis integri atque intacti. Cuncta palàm, cuncta compoſita atq; ordinata fiant. Nouæ Romæ Baſſa cum cohorte mea vrbis partes obtineat, quas ſuperiori bello tenuit. Aſiæ verò præfectus alias vrbis partes cum reliquo exercitu inuadat. Edicto tamen prius omnibus iubeatur, quo die armati ad certamen prodeant, & cuncti extra omnem ſpem veniæ præſtò adſint. Deinde ipſe Princeps militibus præmia proponere cœpit. Alia fortioribus & dignioribus, qui primi muros aſcendiſſent; alia militibus cuiuſcunque conditionis, ſi vel muros aſcendiſſent, vel aliquod præclarum facinus edidiſſent. Seruis libertatem & honorem pollicitus eſt: his qui maiores honores geſſerant, & multis titulis ornati erant, maiora munera promiſit: & vnumquenq; ſe cumulaturum pluribus donis quam enumeraſſet, atteſtatus eſt. Itaque eos longe maiora pollicitis ſperare iuſsit. Præterea ad fortia facta adhortatus eſt, vt ſinguli vires & animos reſumerent, nec in maximis periculis ſibi parcerent, victoriam iam in manibus eſſe crederent, quod vrbs iam valido præſidio orbata eſſet, in eam vndiq; aditus patêrent, ſtationibus relictis, & muris varijs tormentorum generibus exciſis. Si qui oppidani ſupereſſent, eos iam feſſos & ſemineces, confoſſos & vulneratos eſſe aſſeuerabat. Poſt hæc his verbis vſus eſt: Dijs noſtris propitijs, qui & gloriam & æternam beatitudinem pollicentur, in pugnam prorumpite, oppidanos fortiter inuadite, veſtras iniurias, cædem commilitonum acriter vindicate: hinc honor, hinc laus, hinc præmia accumulatiſsima vobis euenient. Totius vrbis diuitiæ, omnis præda veſtra eſt. Cum orationi Princeps finem impoſuiſſet, cuncti Barbari clara voce dicta ipſius comprobârunt, & omnes in Scodrenſium cædem vnà coniurârunt.

Interim edicto Princeps iuſsit, vt omnes ſe ad recens certamen accingerent. Quo lætati Barbari, expediti & prompti arma continuò cæperunt, & ardentius quam antea pugnam affectârunt. Econtrariò oppidani cum Apparatus nouæ oppugnationis.

edictum

edictum illud percepiſſent (nam nonnulli ex his linguam Turcarum callebant) non ſegnius quàm antea, ſed promptius & alacrius futurum certamen expectabant : & omnia quæ ad defenſionem pertinebant, diligentiſſimè præparabant: id plurimi facientes, quòd ab hoſtibus non contemnerentur, ſed ſua virtus illis formidabilis eſſet. Prius ex more ſolito, Deo optimo ac maximo ſupplicationes agunt: vota pro victoria faciunt. Intemeratæ Virginis auxilium ſummis precibus implorant: ſæpius hoſtem experti, animo certam victoriam concipiunt: eum non timent, ſed cum eo congredi, manum conſerere cupiunt, diuino freti auxilio, viribus ſuis & fortitudine animorum confiſi. Iam illis perſuaſum erat, Barbarum maiorem cladem, quàm antea, ſuſcepturum: maioremq́ ſuorum ſtragem cum magno dedecore & ignominia reportaturum. Iam Meumethani ex edicto Principis ad oppugnationem inſtructi erant. Verum lunam nouam pro ritu gentis expectabant. Solet enim Ottomanus prima luna, & ea religioſe ſalutata, pugnam, quam vniuerſalem appellant, committere. Ad ſextum igitur Calend. Sextiles, qui diui Pantaleonis dies feſtus erat, & à prima pugna vniuerſali dies quintus, conglobati Barbari montem ex omni parte conſcendere cœperunt: vrbem vndiq; circumuallare: vallos, pluteos & crates vimineas, quibus tecti ſe tuerentur, ſigillatim ferentes. Tanta eorum confluxit multitudo, vt mons totus, & quicquid campi circà erat, ad mille paſſus penitus adopertus eſſet. Tam denſi & conferti, vt, quod trito prouerbio cir-

Prima Luna Turci vniuerſalē pugnam auſpicantur.



cumfertur, Nec milij granum proiectum ſolum contigiſſet, nullus fermè ad caſtrorum cuſtodiam remanſerat. Iam collecti ad foſſas venerant, in aggere gradum fixerunt. Si quis Chriſtianus aut oppidanus in munimentis aut propu-

propugnaculis apparuiſſet, vel interficiebatur, vel multis vulneribus confodiebatur. Ad noctem vſq; & tormentis & ſagittis Chriſtianos agitare non deſierunt, ſemper eos ad pugnam varijs inſultationibus prouocando. Prima verò noctis vigilia vndiq; voces, & ſolitas vociferationes extulerunt: humi procumbentes, lunam ſalutârunt. Eorum ſacerdotes quoſdam hymnos cecinerunt, ad quos cætera turba tantum clamorem emiſit, vt terra & cœlum ipſum reſonare videretur. Interim Bartholemæus ordinis diui Franciſci religioſiſſimus, de quo iam mentionẽ fecimus, per vniuerſam vrbem equo vectus, munimenta omnia diligentiſſime perluſtrauit, cum Nicolao Moneta equitum præfecto, qui bellator ſummus erat, & rei militaris peritiſſimus. vterq; populũ & milites multis verbis adhortabatur, vt ſtrenuè fortiterq; agerent, & pro fide & patriæ ſalute pugnare non deſiſterent. Profectò ſi quis Bartholemæum ex aliqua comparatione commendare vellet, talem ſe, qualem Ioannes Capiſtranus in oppugnatione Albæ Græcæ, quæ in Danubij ripis poſita eſt, contra Turcas geſſit. nam eius vitæ ſanctitate, & ſacratis ad Deum immortalem precibus Pannonij fortiſſimè decertantes, Barbaros in fugam cum maxima eorum cæde & ſtrage verterunt. Pariter Bartholemæus integrã illam noctem ab adhortatione oppidanorum, & à ſacris hymnis & precationibus non ceſſauit: cui meritò magna pars liberatæ Scodræ aſſcribi poteſt. Ideo prius quàm Barbari pugnam illam horrendam inirent, huiuſcemodi precibus Deum immortalem placare conatus eſt, vt expoſceret veniam & ſalutem fidelibus Chriſtianis. Adhortatus eſt populum Scodrenſem ad veri Dei hymnos & laudem, eludens Barbarorum vanas & irritas ſupplicationes.

Omnipotens & miſericors Deus, qui es Dominus exercituum, pater & creator omnium rerum, rector & moderator optimus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura regnorum: cuius voluntate ac nutu nos miſeri peccatores in his anguſtijs poſiti ſumus: qui non vis quempiam turpiter iniuria affici: Reſpice in nos quæſumus, & miſerere Chriſtianorum tuorũ, quibus in nullo alio ſpes eſt, nec fiducia, quàm in ſumma potentia, clementia & bonitate tua: vt gentes Barbarorum, quæ in ſua immanitate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. O Ieſu, fili Dauid, propitius eſto nobis peccatoribus, defende ſeruulos tuos, & miſerere noſtri, & populi tui Chriſtiani, pro quo mori, & tot cruciatus pati nõ dubitaſti. O Redemptor noſter adueni, & ſuccurre nobis: quia torrentes & aquæ inundauerunt in nos. Ecce obruimur, ecce immergimur, niſi adueneris, & eripueris nos. Tu ſolus es Redemptor, tu ſolus qui liberare potes. Ecce Orcus, ecce Pluto nos deglutire paratus eſt. Terram iam dehiſcere videmus, terram aperiri, vt nos abſorbeat. Ecce furor, ecce rabies Barbaricæ gentis adeſt, quæ ad fidem tuam ſanctiſſimam ſcindendam euertendamq; accelerat: pro

Precatio Scodrenſium.

tt qua tu,

qua tu, ô Redemptor, Petro dixiſti: Pro te, ô Petre, rogaui, ne fides tua comminuatur, ſiue deficiat. Ergo potentiſſime & clementiſſime adueni, ne morêris: circumcinge nos muro tuo inexpugnabili, & armis tuæ potentiæ protege. Libera nos ſemper Deus Iſrael, clamantes ad te: da gloriam nomini tuo, & erue nos in mirabilibus tuis: qui pro ſanctiſſima fide tua & religione tutanda, tam diras tamq́ acerbas procellas, tot damna, tantas cædes patimur. Et emittere digneris angelum tuum percutientem, qui iuſſu tuo hoſtes, Meumethanamq́ gentem proſternat, fuget atq́ peſſundet: nec aliter quàm pro liberatione populi tui Iſraelitici contra crudelitatem Senacherib: ex cuius exercitu, imperio tuo & voluntate, vna tantùm nocte, centum & octoginta millia hominũ interfecit: fac illis Domine, ſicut Madian & Syſare, ſicut Iabin in torrente Cyſon: diſperierunt in Endor, facti ſunt vt ſtercus terræ. Pone Principes eorum ſicut Oreb, & Zeb, & Zebeæ, & Salmana. Deinde ad intemeratam Virginem conuerſus, ſuppliciter has preces effudit: O glorioſiſſima & beatiſſima Virgo, mater ſummi Regis, cœli, terræ, maris Regina, hoſpitatrix, tutela & aduocata noſtra, ſuppliciter ac ſubmiſſe miſericordiam tuam exoramus, vt fidelibus & Chriſtianis tuis adſis: qui pro honore & ſanctiſſima fide vnigeniti filij tui pugnare totis viribus non deſiſtunt. Quibus etenim nulla eſt alia ſpes, nullaq́ fiducia, niſi in ſuprema potentia miſericordiaq́ ſummi Regis regum filij tui, & precibus, ope atq́ auxilio tui numinis, tuæq́ deitatis. Tu enim ſola es, quæ nos ab immanitate feritateq́ impijſſimæ ſæuiſſimæq́ gentis Meumethanæ tueri, eripereq́ potes: quia nihil eſt, quod apud filium tuum impetrare non valeas. Omnia enim tibi ex arbitrio tuo conceduntur. Quare age, ô Regina & imperatrix, protege & ſuccurre (res enim feſtinatione indiget) contere brachium peccatoris & hoſtis maligni: debilita & eneruа eius virtutem, tolle potentiam, obcæca lumen oculorum, colliga pedes eius, & manus, ne fera peſſimaq́ gens nobis dominetur. Dum hæc geruntur in vrbe, interea vero ingens vis & flatus ventorum vndique exortus eſt, qualis nec hyberno tempore oriri ſolet, adeò violentus erat: vt, quod aiunt, ſecum & vrbem rapere videretur. Tunc verò Barbari, qui facile his ſuperſtitionibus ducuntur, & libenter auguria obſeruant, arbitrati ſunt ſe bello ſuperiores fore, victoriaq́ potituros, propterea quòd flatus ille ventorum ſumma magis perflabat, in vrbemq́ verſus erat. nam propugnacula ſtationesq́ oppidanorum per auras tollebat, eosq́ mirum in modum vexabat: vnde ex continuo maximoq́ eius flatus ſtridore, ex nimio clamore Barbarorum, qui vndique efferebatur, præterea ex motu armorum, crepitu tormentorum, veluti mugitu montium (eo enim tempore, vtpote quieto facilius cuncta audiuntur) imago quædam ingentis terræmotus reddebatur, quo funditus terra concuti & hiſcere videretur. Barbari enim per totam

Ventorũ violentia paulò ante oppugnatioṅe exorta.

fere

ferè noctem vociferare nunquam deſtiterunt. Iam ferè noctis extrema pars erat. Ecce vis illa ventorum ad ima & inferiora cōuerſa, diuino numine (vt creditur) Turcas ipſos plurimùm agitare cœpit, & vſq; ad ſolis ortum adeò, vt turpiter & cum ſtrage maxima à Chriſtianis retro detruſi ſint: quo ventorum in eos verſo impetu & animos abiecerunt, & Scodrenſibus victoriam adiudicârunt. Præterea miraculo fides manifeſta acceſſit. per totam noctem illam viſi ſunt cærei paſſim per ſtationes & munitiones in cuſpide lancearū & haſtilium & trabium ardere: quos in ſignum victoriæ non niſi diuinitùs præmiſſos fuiſſe, credendum eſt. Nec quiſpiam humanas mentes illuſas eſſe putet, quoniam nautis hoc ſæpenumero in mari contigiſſe ferunt: qui quum à tempeſtate & fortuna aduerſa iactarentur, diuum Nicolaum alioſúe ſanctos inuocando, deprecandóq;, luminaria accenſa & candelas in naui ardentes atteſtati ſunt ſe vidiſſe: licet Caſtori & Polluci id vana antiquitas ſuperſtitioſe aſſignet. Plinius verò id in maieſtate naturæ reconditum eſſe aſſerit. qua ex re Scodrenſes erecti, & ſpei & victoriæ pleni, non aſſiduis Barbarorum clamoribus ac vlulatibus, quod ad terrorem continue edebant, amplius mouebantur: ſed ad preces conuerſi, redemptorem ſuum, & intemeratam matrem, diuum Marcum & Stephanum ſupplici voce inuocabant, ardentius & accuratius cuſtodiæ ſuæ vacantes: nihil quod ad defendendam vrbem pertinebat, nullis temporum interſtitijs omittebant, tum votis ac precibus, tum bene agendo victoriam in manibus habebant. In animum introduxerant, quod certiſſimis patet experimentis, Deum immortalem his ſuccurrere, qui non ſegnes & deſides ſint, ſed ad laborandum & vigilandum accincti. Ideo alij vallum & munimenta reficiebant, nonnulli tormenta locis ſuis diſponebant: quidam pluteos præparabant, & ollas calce replebant: vaſa oleo, pice, reſina oblinebant: cados, & diuerſorum vaſorum genera puluere & ſaxis opplebant: nemo alicuius muneris expers erat. Intenti omnes, feſtinare, parare, quæ ad imminentem pugnam pertinebant: nihil intentatum relinquere: omnes, quod agendum inſtabat, ſedulò perficere, mutuis adhortationibus ſe inuicem ad victoriam intrepidi & alacres excitare. Par animus in matronis erat: quæ nulla ex parte, nec ſedulitate, nec promptitudine, nec labore aſſiduo ad præparandum ea, quæ ad ſalutem ciuitatis pertinebant, viris cedebant. Eo maior profectò harum laus, quanto ſexus debilior. mixtæ viris munimenta aſcendebant: ſtrenuè cum hoſtibus dimicabant: plures earum tormentorum ictibus interfectæ fuerunt. Ottomanus pugnæ ſignum dederat, vt in lucem ad crepitus tormentorum ex munitionibus erumperent, & oppidanum aggreſſi, propugnacula viriliter conſcenderent, & ad vrbis expugnationem totis viribus intenderent. Chriſtiani verò haud ignari, Barbarū aperto marte ante lucem de more vrbem eſſe aggreſſurum,

Miracula apud Scodrenſes.

Fœminarum labor in defendenda vrbe.

vbi cuncta ad bellum compoſuerant, ordinarantq́; hoſtem ad pugnã inſtru-cti omnes atq; accincti expectabant, præcipuè ad munimenta & turres por-tæ Magnæ (cætera nanq; loca vrbis, vt prædiximus, ſatis tuta munitaq́; e-rant) vbi ſumma pugnæ, totaq́; vis belli futura erat: vbi cardo totius cer-taminis erat, omnis labor inſtabat, omne periculum ingruebat: quo fortiſſi-mus quiſq; Barbarorum conuenerat: quo Princeps ipſe cum omni appara-tu ſuo venturus erat. Quo enim loco, quanquam & Itali, maritimiq́; mili-tes adeſſent, tamen maxima pars copiarum ciuibus conſtabat, fortiſſimaq́; manus iuuentutis agreſtium conuenerat. Aderat quoq; & ipſe prætor vr-bis: apud quem ſorte conſtitutum eſt, quiſnam primus cum copijs vallum aſcenderet, & cum hoſte confligeret, & primo congreſſui Barbarorum ſeſe opponeret. nam terribilior magisq; ferox eſt prima vis, primusq́; Barbari impetus. Fortiſſimi enim primi, & robuſtiſſimi omnium pugnam ſubeunt, triplici autem congreſſu rem maximè expedire conantur. In his nihil profi-cientes, ſegniores remiſſioresq; viribus efficiuntur, belloq; admodum peni-tus deficiunt. Stabant vtriq; ad pugnam accincti. Inter Chriſtianos verò, quamuis nullus aduerſus hoſtem primam pugnæ prærogatiuam recuſaret, nihilominus prodijt in medium ante omnes Iacobus Moneta ciuis egre-gius, & ſummus bellator: qui ætate ingenioq; grauis armis, rerumq́; milita-rium peritia cæteros antecellebat, procero corpore, facundia præditus, pa-rentum ſplendore & diuitijs ornatus. Hic dum inſtaret acerrima pugna, eius partes primas ſibi dari popoſcit. nam præſto erant ei centum viri & amplius robuſtiſſimorum corporum, ex ciuium agreſtiumq́; iuuentute. Ad-erat quoq; Moncinus eius frater, vir quidem ſatis bellicoſus, ſolers & in-duſtrius in munimentis conficiendis, in ciues & in milites munificus. Ve-rùm Iacobo propter auctoritatem grauitatemq́;, & quia antea ſemper præ-clarè res militares geſſerat, libentiſſimè omnes aſſenſi ſunt. Itaque collecta manu militum, animos eorum ſic in pugnam tali oratione accendit, ſic pro victoria exhortatur. Exploratum atque compertum iam nimirum vo-bis milites eſſe arbitror, quanti Ottomanus vos, virtutemq́; veſtram fa-ciat: cum is diebus ſuperioribus tot edicta, tot minas in ſuos ediderit, vt vnumquemque abſque vlla exceptione in pugnam contra vos prodire co-gat. nam quum eorum ignauiam accuſet, timorē ſuum indicat, & quan-ti vos faciat oſtendit. Iam non fretus virtute & robore militum, collecta viliſſima ex omnibus nationibus colluuie, quos omnes gregarios milites & ſeruilis conditionis cenſeas, rerum bellicarum prorſus ignaros, expertes, ſo-la multitudine vos perterrefacere putat. Sed quorſum hæc Ottomanus? nam ſi cum veteranis ſuis & expertis militibus nos expugnare minime va-luerit, quomodo nunc cum abiectiſſima turba & mechanicorum manu de-bellare credat? Scitis iam, ô milites, quòd quoties nobiſcum manus conſe-ruerit,

Ad portã magnam tota vis belli.

Primus impetus vehementior.

Oratio Iacobi Monetæ ad Scodrenſes.

ruerit, certamenq́ commiſerit, toties à nobis repulſus eſt, & vſque ad ſtatiua maxima clade atque ignominia profligatus. Fortiſsimus quiſque ſuorum iam interijt: veterani & bellatores eius iam ferè omnes cecidêre. putátne Ottomanus cum aquarijs, lignarijs & cocis vrbem noſtram ingredi? Credibile eſt iam diſceſſurum fuiſſe, niſi dedecore & ignominia moueretur. Tentat nunc Ottomanus, tentat aſtutia & ſagacitate ſua. Hic eſt eius vltimus conatus: non amplius oppugnationem tentabit. Vidiſtis iam ipſum cum ſua verſutia & calliditate nihil profeciſſe, ita nec in poſterum (ſumus enim curæ Deo) quicquam profuturum confidite. Reliquum eſt nimirum, vt ij qui à clade ei ſuperfuerint, hodierna luce à vobis humi proſternantur. Exanimati ſunt omnes Barbari, & perterriti. nouerunt enim virtutem veſtram, experti ſunt iam vires: timent quidem vos, ſed vi coactiq́ ad bellum trahuntur. Ecce tanquam belluæ ad occiſionẽ & interitum ruunt. Ottomanus tanquam pecora ad necem impellit: Sed dicat mihi ſanæ mentis aliquis, quid præclari animus timidus atq́ inuitus gerere poſsit? Quare, ô ciues fortiſsimi, lares proprios, patriam, quæ hodie ferro defendenda eſt, reſpicite. Miſeremini coniugum, liberorum veſtrorum, quos tanto labore, ſtudio atque cura educaſtis. Nolite ſinere eos iugulari, atq́ in ſeruitutem rapi. nulla eſt enim pietas in Barbaro, nulla profectò miſericordia, hic dies & periculis veſtris vltimam manum imponet, nolite hoſti ignauo ac imbelli cedere. Omnes enim ſi ceſſeritis, ad vnum tanquam belluæ trucidabimini: nuſquam eſt vobis fuga, nulla ſpes alicunde, nec ex alieno præſidio. Incolumitas veſtra, patriæ, liberorum, hodie in manu veſtra ſita eſt: qui ſi fortiter animoſeq́ hoſti repugnaueritis, victus hoſtis à vobis abibit. nec putetis Turcas inuictos eſſe: vinci enim poſſunt, & ſæpe à vobis victi fuerunt. Quantum autem Turcæ valerent, eorumq́ arma, virtus veſtra prima obſidione oſtendit. Minor ſanè eſt Turcarum potentia, quàm fama feratur. hæ copiæ Barbarorum, hæc multitudo, quæ ad hoc bellum venit, inermis eſt atq́ imbellis, quam tanquã pecudum gregem nobis diſsipare licebit. Tumultus, vlulatus, multitudinem eorum nolite timere. Virtus ſpectanda eſt magis quàm numerus. In multitudine exercitus non eſt victoria belli, ſed diuinitus. Tam facilè eſt Deo in paucis, quàm in multis vincere. Cauſa noſtra Dei eſt: nos iure pugnamus pro lege Dei, pro fide, pro patria, pro aris & focis, pro liberis. At ij contrà, quod nunquam habuêre, vi atq́ iniuria petunt. pro libidine enim vnius, pro auiditate imperandi, nos vita, patria, boniſq́ priuare contendunt. Sed bono quidem, ô viri, eſtote animo: quia Deus, cuius prouidentia cuncta reguntur: qui nemini vim inferri, nec iniuſtè quenquam vexari patitur, ipſe hoſtes in conſpectu noſtro hodie conteret: hodie nobis de cœlo victoriam mittet: cuius quidem vt nõ ſimus compotes, quid timeamus? quid dubitemus?

Sumus enim egregia bellatorum manus, multitudoq; militum delecta, armis exercitata: non deſunt nobis militaria arma, non bellica inſtrumenta, non qui his perite vtantur. Præterea nos locus eminens & accliuis tuetur. illi in aſcenſu trepidi, & ſemianimes, more puerorum timido & titubanti gradu, iniquitate loci plurimum laborabunt. Itaque hodie Barbarus vires noſtras ſentiet: hodie Chriſtiani virtutem fidemq; Chriſti experientur, quod vera ſit, cæteriſq; potentior. hodie Turca vincetur: hodie efferata Ottomani rabies proteretur, conculcabiturq;: hodie eius ſuperbia ruet, atque cadet. Sumamus igitur arma læto hilariq; animo, munimenta viriliter intrepideq; conſcendamus, in hoſtem fortiter audacterq; irruamus. Hodie hanc peſtem, hunc morbum, hanc contagionem à nobis ex vrbe, è regione noſtra reijciamus. Debilis eſt hoſtis, nec ab eo vinci poterimus niſi volentes. primo enim congreſſu profligabitur, in fugam conuertetur. Quid dubij? quid difficultatis? Nam Barbari, qui è tot cladibus ſuperfuerunt, partim perterriti & feſſi, partim confoſſi vulneratiq; ſunt. Hi timidi atque inermes, nos verò armati omnes, optimiſq; loricis, thoracibus, galeis induti atq; inſtructi. Corpora noſtra tota ferrò teguntur. Quiſq; noſtrûm aut haſtam ferratam, aut manu habilem catapultam fert. Vnus cum mille ſtrenuè pugnabit. Quamobrem minimè durare poterunt. Iis enim omnia incommoda aduerſantur: nobis verò cuncta adiumento ſunt, & nos defendunt. Sed in primis beatiſſima Virgo, diuuſq; Nicolaus: cuius, ô milites, ecce templum, ecce ædem, quemadmodum tormentis ſæuiſſimi perduelliones, diuiniq; cultus corruptores violârunt, deturbâruntq;. Mementote, ô ciues, illud diuinum, non reticendumq; miraculum, quod is ſanctus in prima obſidione in Barbaros (vt ipſi atteſtati ſunt) oſtendit. nam primum ſaxum ſphæricum, quod ipſi Barbari in hoc templum & hanc ædem contorſerunt, beatus Nicolaus non ſine magno periculo in eoſdem reflexit, ex quo plures interfecti ſunt. proinde, ô commilitones mei, ipſum inuocate: eſt enim mihi quoq; venerandus. Ipſi confidite, quia erit nobis adiumento: hic retorquebit tela à Barbaris emiſſa, in eos: hic tormenta, hic eorum vires comminuet: hic eos in fugam conuertet: hic nos ab impijſſima ſceleſtiſſimaq; gente defendet atq; liberabit, quæ hodie pœnas ſuorum ſcelerũ luet. Quamobrem, ô Chriſtiani & commilitones mei, in hoc die, in quo Deum propitium habemus, exultate, lætamini, & illi ſoli pro tanto in nos beneficio gloriam date: hodie fama veſtra per vniuerſum orbem euolabit, hodie nomen vrbis noſtræ vbique propagabitur: hodie palmam & triumphum ſumma cum laude & gloria ex hoſtibus diuino fauente numine reportabitis: hodie arma & ſpolia ab eis arripietis: hodie fidem catholicam, cuius incolumitas in manibus noſtris eſt, conſeruabitis: hodie nomen diui Marci penitus illuſtrabitur, labores veſtri non erunt irriti, merces veſtra copioſa erit.

nam à

nam à Veneto imperio quiſq; veſtrûm ſummis honoribus & præmijs decorabitur. Chriſtiani omnes vos in cœlum efferent, & æterna gloria celebrabunt. Quare agite, perſtringite gladios in Barbarum, ſæuite in fures, & orthodoxæ fidei hoſtes, perfidosq; latrones. Obtruncate, tela & igneos globos & cætera machinamenta bellica contorquete. O mulieres, ô matronæ, ſaxa ſedulò ſuggerite. O iuuenes, irruite in Turcas: ecce vincuntur, ecce terga dant, aufugiunt. His dictis militum animi tanto bellandi ardore accenſi ſunt, vt nõ ad certamen, ſed tanquam ad ludum intrepidi feſtinanteſq; deſcendere viderentur. Erant autem armis neceſſarijs pulchrè inſtructi, læti & alacres, minime de victoria dubij. Dixiſſet quiſpiam, qui eos tam animatos vidiſſet, tot veluti leones acerrimos. igitur re diuina peracta, vexilloq; crucis præmiſſo, ad pugnam cuncti maturabant.

Interea nondum orta luce Princeps Ottomanus iugum montis Baſſæ conſcendit, vnde pugnam deſpicere ſolitus erat. In eo vt primum conſtitit, vndecim tormentis craſſiſſimis, & duodecim alijs minoribus, munimenta & propugnacula vrbis diſſipari & proſterni cœperunt. Barbari quibus illud ſignum datum fuerat, irruptione facta vndiq; euolare, & ingenti tumultu clamoreq; (vt moris eſt.) vrbem circumuallantes, propugnacula & munitiones ſcandere: qui quidem tanta promptitudine & celeritate vſi ſunt, vt priuſquam noſtri vallum portæ Magnæ conſcendiſſent, iam illud occupauerant, & vexilla ſua ibi erexerant. At verò vbi Iacobus Moneta, quum eò cum ſua cohorte ſine mora accurriſſet, hoſtemq; in munimentis vrbis conſpexiſſet, ad ſuos conuerſus, ita inquit: O viri, ô Chriſtiani, quid immoramini? quid expectatis? Et vibrato ferro (res enim moram prohibebat) pugnam cominus cum hoſtibus acerrime inijt: qui quidem erant ex hoſtili exercitu prima & delecta manus (ſolent enim Turcæ primos in certamine mittere, qui fortiſſimi & validiſſimi ſunt) hi vt terrorem noſtris incuterent, elata voce, vultu horrendo, atq; habitu & aſpectu terribili ſe tremendos præbebant. Tamen tanta fuit vis ducis, Chriſtianorumq; conſtantia atq; virtus, vt ipſi hoſtes non veriti, eorum inſignibus diſturbatis, illos acriter protererent, & in ipſis munimentis paſſim obtruncarent. Sed tanta Barbarorum multitudo vndiq; ad inuadendam vrbem confluebat, vt confertim cum his cominus gladijs dimicandum eſſet. Ideo tanquam pecora fœdè trucidabantur: nec tantum gladijs proſternebantur, ſed & omni genere tormẽtorum & machinarum: præterea ſaxis, calce, igni, multo maior eorum ſtrages ſequebatur: quoniam tam denſi, tam ſtipati erant, vt tela in irritum non caderent: nec præterea propter frequentẽ multitudinem retrocedere poterant. Qua ex re Chriſtianis creuit animus, qui acrius in certamen ruebant. Hoc pacto in lucem vtrinq; acriter pugnatum eſt. Barbari ter vſq; ad foſſas & aggeres turpiſſimè profligati ſunt. Iam exorto ſole

Turcæ munimenta portæ magnæ celeriter conſcendunt.

Iacobus

Iacobi Monetæ virtus.

Iacobus Moneta, qui nocturno illo certamine præclare cum ſua cohorte ſe geſſerat, vt aliquot ex ſuis partim cæſos partim vulneratos cōſpexit, acrius incenſus in hoſtes fuit: Quamuis ipſe totus vulneribus cōfoſſus eſſet, quamuis facies eius à robuſtiſſimo Barbaro, quem in ipſo vallo ſtrenuè proſtrauerat, grauiter percuſſa eſſet. nam quamuis totus validiſſimis armis munitus eſſet, tamen ex omnibus membris ſanguinis veluti riui defluebant: bis telis hoſtium, & crebris ſagittis toto corpore collapſus, bis erectus & ſuſtentatus: ſed diuino numine conſtantiſſimus in pugna perſeuerauit, qui milites ſuos ita alacri voce hortatus eſt: Chriſtiani virorum fortiſſimi & conſtantiſſimi, hodierna luce fœliciſſimi. Ecce iam bellum peregimus, Barbarum vicimus: timorem omnem deponite: hilari, intrepidoq; eſtote animo.



ter enim hoſtem fregimus, propulſauimusq;: tergeminam de eo victoriam, triplicemq; triumphum geſſimus. Ecce retro turpiter ceſſit: vires, animum, impetum amiſit. Vix hæc dicta finierat, eueſtigiò Barbarorum tormenta in confertiſſimā turbam ſuorum militum immiſſa, partem eorum validis ictibus diſſipârunt: partem ingenti ſtrepitu attonitos ita reddiderunt, vt proni in terram ceciderint: quod quum Barbari conſpexiſſent, receptis animis ſubito clamore iterum in certamen inualeſcentes ruere cœperunt. Sed præclariſſimus Princeps nihil admodum perterritus eſt, ſed impigre, animoſeq; vim conatusq; Barbarorum cum paucis ſuſtinuit, quoad reliquum Chriſtianorum ſubſidium vallum conſcendit: ſuos ſemper ad pugnam & victoriam excitauit: nec inde vnquam diſceſſit, quoad bellum diremptum atq; peractum fuit. vnumquemque Chriſtianorum ſtricto enſe in pugnam impel-

impellebat: neminem etiam, quamuis grauiter confoſſum, à bello & loco ſuo diſcedere permittebat. Interim verò conſcenderunt vallum egregij ciues, & ſtrenui viri, Blaſius Humoi, & Petrus ei affinitate iunctus, cũ egregia manu armatorum, quæ & ciuibus, & incolis, aliarumq́ue nationum turba conſtabant: qui omnes cum hoſtium furori ſe animoſe intrepideq́ue oppoſuiſſent, maximum aſperrimumq́ue certamen commiſſum eſt. Quod quum in longum protraheretur, vtrinq́ue & proſternebantur, & paßim fœdè trucidabantur. Satis proſpera pugna à Chriſtianis ſtetiſſet, niſi Barbarorum tormenta in monte Baſſæ poſita, ordinem ciuium turbaſſent, & Chriſtianorum vires protriuiſſent. nam tam crebri ictus hinc & inde immittebantur, vt nonnunquam munimenta protectoribus carerent. Turca verò, qui quum longè numero ſuperior eſſet, continuè ſuccedebat, validiorq́ue factus ad vlteriora gradum promouebat. Sed ecce eò conuolauit impiger egregiusq́ue iuuenis Lucas Moneta, ex fratre Iacobi natus, de quo ſuprà dixi: quem magna virorum multitudo armata ſequebatur: quæ tanto impetu in hoſtem delata eſt, vt is grauiter perculſus aliquantulum retroceſſerit. Verùm quia maxima Barbarorum multitudo, ingenti numero pluteorũ cratiumqúe aggeres & foſſam tranſierat, inde pelli minimè poterat. Sed hi præ munitionibus aſtãtes, acriter cum oppidano decertabant. ter enim foſſam prætergreßi, ad munimẽta aſcenderunt, & ſemper à Scodrenſibus turpiter reiecti ſunt. Quamobrem quum Ottomanus virtutem, conſtantiamq́ue Chriſtianorum aſpexiſſet, valde perturbatus, iuſſit caſtrorum præfectis, vt omnes copiæ omnisq́ue multitudo, quæ vrbem circumuenerat, eueſtigiò ad portam Magnam concurrerent, ibiq́ue renouato certamine acrius grauiusq́ue, quàm antea, pugnam intenderent: nec inde deſcenderent, ſed vnumquemque in prælium impellerent, terga dantes grauius cæderent: nec à bello deſiſterent, etiamſi omnes à Chriſtianis interficerentur, quoad vrbs expugnaretur. Ecce omnis multitudo Barbarorum, ſeu maior pars validißimorum militum, conuerſis ſignis ad portam Magnam, & ad eius vallum feſtinauit, cuius eregionè Princeps morabatur, vbi dato ſigno tubarum tympanorumq́ue ſonitu, ſublato ingenti clamore, præmißis ſignis, ſumma vi impetuq́ue irruperunt: & prætergreßi aggeres & foſſam, ad vallũ peruenerunt: vbi ſignis fixis cominus cum oppidano, gladijs dimicabant: & tanta fuit profecto vis furorq́ue Barbarorum, tanta multitudo tormentorum, telorum atque ſagittarum, vt Scodrenſes, qui pro munimentis res gerebant, penè omnes aut interempti ſint, aut grauiter ſauciati, ita vt hoſtis nullum ferè aduerſarium, nullum oppugnatorem haberet. Princeps verò, vt Scodrenſem ſic oppreſſum, & ſigna ſua in vallo fixa animaduertit, vt auditũ ex his, qui tunc ei proximi aſtabant, magnopere lætatus, in hæc verba prorupit: Iam nunc perſpicio Chriſtianum defeciſſe, iam Scodrenſem debellatum eſſe,

vrbem expugnatam. En quis eſt qui militibus meis repugnet? Quis locus tam arduus inexpugnabilisq́, qui ab his non expugnetur: neminē ex Chriſtianis iam video, neminem qui pugnet. Aedepol vrbs iam mea eſt. Tunc verò aiunt præfectum caſtrorum, qui prima obſidione vrbem oppugnauerat, his verbis Principem allocutum eſſe: Inuictiſsime Princeps, vereor equidem ne decipiantur. Opinor rem aliter ſe habere, nondum vrbem expugnatam eſſe, nondum oppidanū debellatum. Simulat equidem, crede mihi, fallax ſubdolusq́ Chriſtianus. nam abhinc annos quatuor, dum obſidioni ſuperiori præeſſem, probè expertus ſum. Solet enim vafer calliduſq́ Scodrenſis copias in bello recentes ad nouiſsimum ſubſidium conſeruare, vt hoſtem exhauſtis viribus feſſum, ipſe integer & refectus penitus opprimat, ac proſternat: nondum copias inſtructas, nondum munitum præſidium eorum vidimus. Vix hæc dixerant, en eueſtigiò Chriſtianorum copiæ, quæ in foro paratæ erant, ad portam Magnam cum vexillo aureo conuolauêre, & ſtatim edito ſonitu tubæ, nomineq́ Ieſu inuocato, hoſtem armis, ferro, telis acerrimè aggreſsi ſunt: illumq́ gladiatorio animo vndique cædentes, ferientesq́, è vallis deturbârunt, eorumq́ inſignia proſtrauerunt & diſsipauerunt. Vbi verò Ottomanus, qui prius victoria iam parta lætus gloriabatur, ſuos tam fœdè deiectos, profligatosq́ videt, ſigna diſturbata, proſtrataq́: contriſtatus valde ingemuit, & excandeſcens, tormentorum peritis ſtatim iuſsit, vt crebris tormentorum ictibus, vel cum ſuorum ſtrage, Chriſtianos paſsim & crebrò cæderent. Tunc verò vidiſſes omnia Barbarorum tormentis, quæ in monte Baſſæ poſita erant, miſceri, & vexari: vrbem & munimenta velut à grandine diſcuti: duces, & caſtrorū præfectos, qui in inferiori parte erant, properè ſtrictis gladijs ad ſuperiora conſcendere: vnumquemq́ in pugnam impellere, increpare, in certamine acrius inſtare: Barbaros iuſſa Principum pertimeſcentes, eorumq́ præſentiam nō ſine pudore formidantes, ſummo furore in pugnam ſeſe conuertere, Scodrenſem acerrime opprimere, propugnacula vndiq́ oppugnare: oppidanum verò contrà fortiter inſtare, pugnare, vrbem tueri, hoſtem armis & ferro repellere, tum ſaxis, igni, cæteriſq́ tormentis deturbare: Barbarum vndiq́ cædi ac trucidari, humiq́ paſsim procumbere, non ſecus quàm cum calami, vi tempeſtatum ac grandinum fracti, penitus ad radices corruunt. Cæterùm tanta erat vis frequentiaq́ hoſtium, qui aſsidue ſubibant, præterea tantus erat numerus impetuſq́ tormentorū atq́ ſpiculorum, quæ ſemper vndiq́ cōuolabant, vt vix Chriſtiani iam amplius vim furoremq́ eorum ſuſtinere poſſent. omnes enim aut à tormentis abſumpti erant, aut à ſclopis interempti, aut à ſagittis confoſsi: nullus fermè erat, qui gradum ſiſtere poſſet: & quum omnis moles oppugnationis & cardo totius negotij ad portam Magnā verteretur, per totam vrbem clamor ingens exaudiebatur,

Scodrenſium fortitudo.

batur, vt omnis manus protectorum ad eam in auxilium conuolaret, quod hoſtes in eo eſſent, vt iamiam ingredi viderentur. Ecce præclara manus Chriſtianorũ, armis egregiè inſtructa, vallum conſcendit: cum hoſte viriliter dimicat. Præclarum erat videre Chriſtianos non vt homines, ſed more leonum aſpectu ſanguinis animatos, feruore fidei accitos, in prælium contra Barbaros ruere: nihil aliud penſi habentes, quàm contra tyrannicam ferocitatem Chriſti iniuriam ſuorumq́ cædem vlciſci. Omnes enim certatim tanquam ferociſſimi leones pro vallo pugnantes in Barbaros ſæuiebant, illoſq́ ſemper omni tormentorum genere proſternebant: & præcipuè igni, à quo infinitus numerus præfocabatur. Contorquebantur autem Barbarorum tormenta in Scodrenſes aſſiduè. nihil enim magis Chriſtiani vires proterebat: ex quibus ſtrages calamitasq́ maxima ac miſeranda edebatur: nihilominus Chriſtiani nihil admodum territi, ſed vitam nihili pendentes, prompti in pugnam ruebant. Et quanquam in tot periculis & in tanto diſcrimine eſſent conſtituti, tantoq́ impetu Barbarorum oppreſſi, atque continuè vexati, nunquam ab inuocatione nominis Chriſti beatæq́ Virginis deſiſtebant: & mutuis adhortationibus, obliti propriorum nominum, fratres ſe inuicem appellabant. Omnes vnanimes tanquam ab vna origine manantes (vt de gente Fabia traditum) Barbaricæ ſæuitiæ fortiter occurrebant: vt meritò in illorum commendationem illud præclarum decantari poſſit: Pulchrumq́ mori ſuccurrit in armis. Certatim robuſtiſſimi milites inuicem ſe exhortantes, vallum conſcẽdebant: ſuper ſtrage corporum ſuorum intrepidè hoſtem propulſabant. Videres enim maritum in conſpectu vxoris occumbere, filium ſub oculis paternis proſterni, patrem non morte filij conſternari, neq́ miſereri, filiam patrem mortuum ſeu laborantem non aſpicere, tormenta Barbarorum amplius non formidare, iacula, ſagittas, ſcloposq́ pro nihilo habere, feritatem & immanitatem hoſtilem, numerum penè infinitum paruipendere. Sola cura, vnicus amor omnibus inerat, vrbem ſeruare atq́ defendere, patriam ſupra vires & ad ſanguinem vſque tutari, vnumquemq́ pro fide Chriſti alacriter pugnare, emoriq́, & vitam ſemel Deo deuotam exponere. Ottomanus Princeps quum ex montis ſpecula proſpexiſſet Scodrenſem pugnacem in bello, fortem atque conſtantem eſſe, nec vllo pacto loco ſuo pelli aut ſuperari poſſe, ſtomachatus, ira atque indignatione valde commotus, iterum atque iterum omnibus tormentorum peritis iuſſit, vt crebrò & indiſcretè, ſine ſuorum & hoſtium diſcrimine, tela & ſaxa contorquerent: pariterq́ imperatoribus ducibusq́ caſtrorum, vt collecta ex omni parte vniuerſa multitudine, cunctis viribus atq́ conatibus, omniq́ ope, arte, atque ſcientia ad vrbis expugnationem intenderent, illiq́ iam extremam manum imponerent. Inſuper minas horrendas adijciebat, grauiſſimaq́ ſupplicia, niſi

In armis mori pulchrum.

uu 2 rem ad

rem ad effectum perduxiſſent, proponebat. Confeſtim ad nutum Principis Meumethani, omnes vel ignaui & imbelles ad portam Magnam ſummo impetu, ac vltimo conatu erumpebant. Præterea tormenta omnia tam in ipſos Turcas, quàm in oppidanos obſtrepebant, ex quibus pariter permulti tollebantur. Quare ter maxima cædes ſtrageſq́ ipſorum Barbarorum à tormentis ſuis edita eſt, ita vt id non parum ad victoriam oppidanorum contulerit. Sed quanquam his auxilijs ſuccincti eſſent Chriſtiani, tamen tanta vis tormentorum, furorq́ Barbarorum inualeſcebat, vt niſi Dei omnipotentis diuinum auxilium, & beatiſſimæ Virginis, diuiq́ Nicolai affuiſſet (vt verè affuiſſe creditur) tunc fortè de vrbe actum eſſet. nam viſi ſunt per vrbem heroes & Dij pro mœnibus contra Barbaros pugnare (vt ipſi poſtea Barbari fœdere icto aſſeruerunt) non imaginem humanam habentes, ſed hominis formam excedentes, qui Barbarum è vallo & munitionibus deturbabant, propulſabantq́, ne vrbem vllo pacto ingrederentur. Interea præclara & egregia manus Chriſtianæ iuuentutis, quæ ex alijs ſtationibus & locis euocata fuerat, maxima vi & impetu atq́ audacia illuc conuolauit, vallum turris portæ Magnæ conſcendit, acriter cum Barbaris decertare cœpit, vbi ex vtraq́ parte frequentiſſimi cadebant. Sed quia Barbarus numero & ingenti multitudine abundabat, recens ſemper certamen inſtaurabat: Chriſtianus paucitate vix reſiſtere, vix ſe tueri poterat. nã ex Barbaris alij alijs ſuccedebant, & ſtrata cadauera calcabant, ex quibus veluti gradus ad vrbis ingreſſum faciebant. Machinæ & tormenta eorum ſine interuallo in Chriſtianos immittebantur: nunquam eorum ictus irriti erant, plures de medio tollebantur. Semel (quod reliquam ſtragem ſignificare poteſt) vnius tantum ictu lapidis duodeuiginti Chriſtiani deſiderati fuêre. Clades multiplex ſemper oppidanorum ſequebatur: tormenta ſine numero obſtrepebant, iacula & ſagittæ vndiq́ confluebant, nec tantummodo eam vrbis partem, ad quam mittebantur, infeſtabant, ſed ex illa ad plura alia loca non ſine magna cæde exiliebant: & tam denſa ſpicula atq́ ſagittæ in omnem vrbis partem ferebantur, vt vndiq́ terra his contecta ad palmum eſſet: non campanarum funes præ ſagittis infixis cernebantur: adeò, vt Scodrenſes per integrũ menſem nullis alijs lignis ad conficiendos ignes vſi ſint. Fœdum aſpectu erat, membra Chriſtianorum tormentis diſſipata per aërem ferri: nulla munimenta, nulli parietes erant, qui non his referti eſſent. Vici omnes vrbis, viæ, ſemitæ Chriſtianorum cruore contaminatæ atque pollutæ erant. Domus ſternebantur, templa ruebant. Aër ipſe perniciem & calamitatem Chriſtianorum deplorare videbatur: nunquam tormenta innumera, & machinæ bellicæ ceſſabant. Tanta telorum multitudo erat, tam denſi eorum ictus & crepitus, vt grandini meritò comparari poſſent. Quid dicam de horrendo tubarum clangore & tympano-

Vno ictu tormenti 18. Scodrenſium deſiderati.

panorum ſonitu? Quid de ingenti vlulatu, efferatisq; vocibus Barbarorum? quibus omnium aures ita obtundebantur, vt nihil aliud audiri poſſet: ſed cœlum ipſum terris miſceri videretur. Turpe vbique ſpectaculum oculis omnium occurrebat. vbiq; cruor, vbiq; cadauera, paſsim cæſa membra, diſiecta, & à reliquo corpore vi tormentorum auulſa: profectò ſi quis ſtragem, quæ ad portam Magnam edebatur, animo quieto contemplari potuiſſet, non minus tetram & variam eſſe dixiſſet, quàm ea, quæ de varijs ſuppliciorum generibus apud inferos traduntur: adeò res fœdæ, tetræ, horrendæ vrbem ipſam conſternabant. Clamor iam per vniuerſam vrbem, & voces vndiq; perſonantes cuncta impleuerant, exclamantium: O Chriſtiani & fideles, ô viri, ô mulieres, ô pueri, ô puellæ, ô ſauciati & confoſsi, ô languidi & ægrotantes accurrite ad portam Magnam, feſtinate, properate, laborantibus Chriſtianis & iamiam defectis ſuccurrite: quia hoſtis irrupit, inualuit. Barbarus iam vrbem expugnauit, ingreſſus eſt. Interim tantus erat tormentorum omnium ſtrepitus, tam denſa tela, tantus ſagittarum numerus, tantus puluis ex certamine concitus, vt cœlum ipſum ex omnium aſpectu ſublatum eſſet, nuſquam terra conſpiceretur, nihil aliud quàm cædes, clades, ſtrages, & cadauera proſtrata videbantur, nihil quàm velut tonitrua, fulgura & corruſcationes ſentiebantur; nihil quàm ſtrepitus, tumultus, vlulatus Barbarorum, & horrendæ voces audiebantur, gemitus, clamorq; oppidanorum inuicem ſe adhortantium, vt ad portam Magnã vbi cardo totius rei vertebatur, omnes ſubitò concurrerent. nec ſolùm hi qui integris corporibus erant, ſed & vulnerati, & qui in lectis diu ægrotantes iacuerant, reſumptis viribus facto globo in Barbaros impetum fecerunt, non ſaluti ſuæ parcentes, nec tormenta vlla, aut telorum denſam veluti grandinem formidantes: ſubitò magna hoſtium edita ſtrages, paſsim à Chriſtianis cædebantur. non tamẽ à pugna deterrebantur, ſed alij cæſis & ſaucijs ſuccedebant, pugna acrior inſurgebat: quia hinc Barbari totas vires exponebant, vt expugnationem toties infeliciter tentatam tandem expedirent. Inde Chriſtiani, cum ageretur de vltimo ſuæ ſalutis diſcrimine, nil aliud moliebantur, quàm vt hoſtem à ceruicibus ſuis auerterent. Vtrinq; plures cadebant. Modò Barbarus victor erat, modò pellebatur, & fœdè cædebatur. Interdum oppidanus denſæ & conglobatæ multitudini cedebat. Certamen in multam diem protractum erat, Mars incertus, victoria anceps diu ſtetit. Tandem quum ex vtraq; parte ferè omnes præter cæſos percuſsi & multis vulneribus confoſsi fuiſſent, pugna remittere cœpit. Impetus ille priſtinus langueſcere, nihil prædarum edi. Omnes & longo certamine feſsi, & viribus propter vulnera defecti, vix vlterius gradum promouebant. Chriſtiani tamẽ conſtantiſsimè munimenta & vrbem defendebant. Quumq; Barbaros penitus defeſſos deprehendiſſent,

inſtauratis viribus & reuocatis animis in eos impetum fecerunt: qui confeſtim in fugam conuerſi, cum maxima clade vſque ad tentoria fuſi fugatiq́ſunt. præterea Ottomanus quum de victoria iam deſperaſſet, & immenſam ſuorum ſtragem vidiſſet, receptui canere iuſsit. Subitò tanquam fulmine perterriti hoſtes terga dedêre, & omnem deſeruêre expugnationem. Scodrenſes victores. *Hoc quum Scodrenſes, qui ſemper inuicti atque intrepidi extiterant, animaduertiſſent, obliti vulnerum & cædis ſuorum, Barbarum fugatum vſque ad caſtra inſectati ſunt, & poſt multam hoſtium cædem, in vrbẽ veluti triumphantes cum ampliſsimis ſpolijs, quæ hoſtibus detraxerant, ſimul & multis militaribus ſignis, magno numero capitum hoſtilium reuerſi*



ſunt. Ex quo ingens lætitia mœrori permixta, totam vrbem inuaſit. partim enim patria ſeruata lætabantur, partim mœrore ſummo conficiebantur, cum alij parentes inter cæſa cadauera, alij filios trucidatos, alij fratres, nonnulli amicos & ſodales conquirerent. Eo maiori dolore afficiebantur, quod membra paſsim diſiecta, & in multas partes diſperſa, colligenda, & in vnum congerenda erant. Qua tamen pietate & religione potuerunt, ea tumulis mandârunt. Et ne Chriſtiani diuini auxilij, quo plurimum adiuti fuerant, immemores viderentur, vt gratias debitas Deo immortali pro tanta victoria perſoluerent, triduo integro rebus diuinis & pijs ſupplicationibus intenti, hymnos ſacratos redemptori humanæ ſalutis cecinerunt: & in omnibus templis ſe gratiſsimos eſſe oſtenderunt. Non tamen interim vrbis cuſtodiam deſeruerunt, nec à munimentis inſtaurandis &

reſar-

reſarciendis receſſerunt. non enim aliter cuncta muniebant, & in ſtationibus excubabant, quàm ſi de integro hoſtis vrbis oppugnationem inuaſurus eſſet. At Ottomanus Barbarorum Princeps poſt tam turpem & fœdam ſuorum fugam, tantamq́ calamitatem, dentibus frendens & ingemiſcens, ſuſcepti negocij pœnitentiam nephandis querelis oſtendit, & in hæc verba voce iracunda prorupit: Vtinam Scodræ nomen ad aures meas nunquam perueniſſet. Fruſtra veni, & omnes mei conatus ad irritum cecidere. Deinde temerario impuroq́ ore de Deo immortali queſtus eſt, qui non ſua vota ſecundârit: quod non & ſibi, vt olim Alexandro Macedonum Regi, & Cæſari, imperium orbis terræ concederet, potiri rerum permitteret. Satis ei cœleſtium curam eſſe debere, ſi ſibi aduerſari vellet. His dictis, vehementi furore correptus, ab vrbis conſpectu in tabernaculum ſuum ſe proripuit: vbi biduum ſe affligtans & macerans, neminem admiſit, ſe inexorabilem præbuit.

Turci querela.

MARINI

MARINI BARLETII, SCODRENSIS SACERDOTIS, DE SCODRENSI OBSIDIONE, ET EXPVGNATIONE,

Liber Tertius.



QVum verò dies tertius illuxiſſet, Princeps Ottomanus confeſtim generale concilium conuocauit, vt de integro nouam vrbis oppugnationem aggrederetur. hoc enim coniectura quadã aſſequebatur, Chriſtianos tot cladibus, tantis prælijs obtritos, amplius reſiſtere nõ poſſe: & ob hanc cauſam facilem ſibi victoriam fore ſperabat. Cum hæc & alia plura in medium protuliſſet, ab omnibus magna voce properè ſucclamatum eſt, id minimè eſſe faciendum: quod quicunq; ex ſuis certamini ſuperfuiſſent, aut magnis vulneribus confoſſi eſſent, aut ita viribus exinaniti & debiles facti, vt nullo pacto quicquam ſtrenui amplius edere poſſent. non enim ſibi cum hominibus inſtare certamen vociferabantur, ſed cum Dijs pugnandum eſſe. Quis enim contra Deos arma ferat? Satius eſſe aſſeuerabant, vt ipſi inter ſe mortem inferrent, aut ipſe Princeps

proprio gladio ſigillatim vnumquenq; iugularet, quàm tam fœde, tam turpiter à Chriſtianis trucidarentur. Tunc vnus ex conſiliarijs, Ahamates Begius nomine, ſurrexit, qui alios & ætate & rerum geſtarum præſtantia, autoritate, facundiaq; excellebat, oriundus ex Ieureneſorum familia; quæ vetuſtiſsima eſt, atq; omnium aliarum (vt aiunt) præclariſsima, quæ nunc legem Ottomani in Europa ſequuntur. Triginta enim viri ex hac familia, ſummæ auctoritatis atque dignitatis ſub Meumethe floruère, ſecutiq; ſunt primùm Ottomanum, quum ex Aſia in Europam traiecißet. Item duæ aliæ familiæ memoratu dignæ, Principem nouam Romam petentem comitatæ ſunt, domus ſcilicet Mialbegij, qui olim Danubij præfectus extiterat, & domus Alutbaſſæ. Verùm Ahamathes in concione Principem allocutus, huiuſmodi orationem habuit.

Summa quidem virtus tua eſt, inuictiſsime Imperator, laudes tuas quis vnquam enarrare poterit? Mens hominum eas non capit, animus his ſtupet, lingua hæret, nec ad enumerandum eas tempus omnino ſuppeteret. Ahamatis oratio ad Turcarum Principem.



Verùm illud ab omnibus pulcherrimum exiſtimari ſolet: Si quis, ſereniſsime Princeps, à maioribus ſuis imperio accepto tutari conſeruareq; integre potuerit: hoc autem maius, ſi illud cum gloria auxerit, & ampliauerit: maximum vero, ſi ex nihilo, vel ex minimo ad ſummum præclaris geſtis perduxerit: hoc extremum virtuti tuæ ac fœlicitati aſſcribēdum eſſe omnes cenſent. Sed inter omnes ego certiſsimum huius rei teſtimonium afferre poſſum: à maioribus enim meis ſæpius accepi, qui Aſiæ fines relinquentes, Ottomanum ſecuti, has ſedes incoluerunt. Maiores tuos, vt primùm in Europam appulerunt, angulum (vt ſic dicam) circa Helleſpōtum tantummodo

tenuiſſe: quibus tu poſtea diuinitus ſuccedens, tot regna, tot prouincias, tot imperia, tua ſingulari & eximia virtute adiunxiſti, vt ea commemorare longum eſſet. Quis enim dignè enarrare poſſet, vt in Europa Thraciam domueris? vt Conſtantinopolim caput Imperij orietalis? Tu Adrianopolim, tu Calipolim, Helleſponti vrbem clariſsimam, tu Achaiam, Græciam, Bœotiam, vbi Thebæ tanti nominis, cæpiſti. Attica prouincia, vbi quondam Athenæ ciuitas præclariſsima & mater bonarum omnium atq; præſtantiſsimarum diſciplinarum floruit, tibi ceſsit. Tu verò Trapezuntium imperium, expulſo Imperatore, expugnaſti: tu vtriuſq; Myſiæ regna ſuperioris inferiorisq;, tu Peloponneſum eiectis dominis, tibi glorioſe ſubegiſti. Aſiæ verò minoris regna circiter 12. tibi vindicaſti: Pontũ, Bithyniam, Cappadociã, Paphlagoniam, Ciliciã, Pamphiliã, Lyciam, Cariã, Lydiam, Phrygiam, Nicomediam, Niceam, Pruſam, opulentiſsimam vrbem: præter hæc Ioniam, Dorim, Smyrnam, Colophona, Epheſum, Miletum, item Alicarnaſum, Pergamum, Jlion, inſuper Tanaym, & Tauricam regionem domuiſti: Armeniam quoque maiorem valido exercitu ingreſſus es. Tu Raguſeos ſtipendiarios tibi effeciſti: tu Chium & Cohos tibi ſuppoſuiſti: tu complures vrbes & ciuitates Parthorum expulſo eorum Principe ad pactiones accipiendas compuliſti: tu Lesbon inſulam præclariſsimam, Foliam veterem & nouam, Merlinum, regno tuo adiunxiſti. Tu Jacyges, & Vindelicos expugnaſti: Tu Domani prouinciam, quæ Sultano paret, euertiſti: tu Eubœam inſulam, tu Lariſſam, Cephaleniam, tu Scandelorium expulſo Caramano cæpiſti: tibi munitiſsima Croiæ vrbs tandem in deditionem venit: tu demum Macedoniam intraſti, Thraces euertiſti, Tribalos deleſti, Pœnos expugnaſti, Acarnanes atq; Aetholos proprijs ſedibus expuliſti. Quid infinitos penè populos, quos fortiſsime deuiciſti, commemorem? Jllud tantum dixiſſe nunc ſat erit, te viginti prouincias, ducentasq; vrbes ex manibus Chriſtianorum (vt ſic dicam) extorſiſſe. Præterea quia longum eſſet, quot Principes, quot duces, quotq; Reges Machomethanæ ſectæ domueris, profligaueris, enumerare, in hoc tempus non conteram. Omnia tuæ potentiæ, tuis expeditionibus adhuc ceſſerunt. Jam non amplius monumeta priſca Cæſarem, Scipionem, Pyrrhum, Hannibalem, & reliquos vrbis Romæ & exterarum gentium duces, tot laudibus in cœlum efferant. Omnes tibi & numero præliorum, & multitudine vrbium & prouinciarum captarum abſque dubio cedere videntur. Ottomanum profectò nomen ad imperandum fatale eſt. Breui vniuerſus terrarum orbis ſub iuga tua veniet: gentes omnes tibi parebunt. Id quod ad Scodræ expugnationem pertinet, non te tantopere cruciet. Omnia mortalia & humana (vt ſcis) nonnunquã noſtrã opinionem fallunt: in his plerunq; fortuna dominatur. Sed huius rei ſecurus eſto: fidem meam maieſtati tuæ ob-

20. Prouinciæ, & 200. vrbes Chriſtianorũ ſubiugatæ.

tuæ obſtringo, modico temporis interuallo me elaboraturum, vt in tuam ditionem veniat. Nonne Croiam vrbem tam munitam, diuq́; exoptatam, nuperrimè in tuam redegi poteſtatem? Quod autem de integro Scodrenſem expugnationem aggredi velis, non is ſum, qui in hanc ſententiam deſcendam: ſed longè mihi alia mens eſt, aliusq́; animus. nam tentare bellum & ſuccumbere, facile eſt cuilibet: vincere autem, & triumphum de hoſte referre, id pauci aut rari facere nouerunt. Oportet enim eum, qui de tam magnis arduisq́; rebus conſultat, ira atque cupiditate carere. Scodrenſis verò amplius ad pugnam prouocandus non eſt. Fruſtra enim aduerſus eum laboraremus. nam ſi cum florentiſſima recentiſſimaq́; multitudine illum expugnare nequiuimus, quomodo nunc cum pauciſſimis, & cum his, qui viribus exhauſti & debiles facti ſunt, vincere poterimus? Perluſtraui caſtra, tentoria ſingula exquiſiui: nullum reperi locum, nullum tabernaculum, quod gemitibus, ſuſpirijs, vlulatibus & fletu vacet: vbique dolor, vbique mors, omnia mœſta, omnia luctuoſa. Triginta enim millia & amplius ex noſtris proximo certamine cecidêre. Sauciati & corrupti innumeri: nullus eſt qui intactus ſit, nullus qui ad rem gerendam montem conſcendere audeat. Omnes perterriti & exanimati ſunt. A quibus enim, quum percontarer, inuictiſſime Princeps, quisnam tantus terror eos inuaſerit, & quænam cauſa tam ferociſſimos atq́; pertinaces in primum congreſſum, in fugam conuerterit, aſpectus, aſpectus Scodrenſium, reſponderunt: quorum oculi ardere, flagrareqúe viſi ſunt. Torui atrocesq́; vultus, & ora furibunda hunc terrorem noſtris incuſſerunt. Quare ab oppugnatione deſiſtendum eſſe arbitror. Arte tamen & conſilio omnia in oppidanum experiunda ſunt: nam Scodra oculus eſt, & totius prouinciæ caput, ac cæterarum vrbium ſedem & principatum continet. Ea namq́; imperio Veneti Senatus paret: cuius quidem quantæ ſint vires terra mariq́;, quantæq́; facultates, tuam maieſtatem non fugit. Soli enim Veneti tuæ poteſtati continue reſiſtere, ſoli Meumethanæ legi aduerſari audent. Ideo vrbem hanc robuſtiſſimo milite, machinis omnibus ac tormentis, cæterisq́; militaribus armis rebusq́; neceſſarijs egregiè munierunt. Sed ſuper omnia quid de militibus Epiroticis referam? Quorum plures præcipue ex multis delecti, hanc vrbem acerrime tuentur. Sunt enim Epirotæ ſtirps generoſa, genus regale, ſanguis Aeacidarum. In humanis rebus ſic inſtitutum eſt, vt vnuſquiſq́; ſemina naturæ ſuæ ſequatur. Animum & vigorem Pyrrhi, à quo originem trahunt, adhuc retinent. Fuit enim Pyrrhus (vt non ignoras) Rex non immeritò inter primores potioresq́; Imperatores celebratus: à quo quidem munera, inſignia & ornamenta militaria fluêxre. Docuit enim primò caſtrametari, & in Italia Romanis primus bello elephantos oſtendit. Hic eſt inquam ille Pyrrhus Epirotarum Imperator, qui milites

Scodrenſes non vlterius oppugnandos.

 inſtru-

inſtruxit, vt locum caſtris caperent, commeatus expedirent, ab inſidijs cauerent, tempus pugnæ eligerent, aciem inſtruerent, ſubſidijs firmarent, qualis vir & omnibus belli artibus, & pacis fuerit, plurima antiquorum monumenta declarant: nulli in certaminibus & prælijs ſecundus, adeò vt belli fulmen meritò dici potuerit. Res igitur eſt nobis non cum mollibus Aſiaticis, aut effœminatis gentibus, ſed cum duriſſimis indomitisq́ Epiroticis. Scodrenſis verò fortis eſt, & audax in bello. Sereniſſime Princeps, noſti robur & animum Epiroticum, noſti cor intrepidum & inuictum. fera atque indomita gens armis vinci neſcit, parêre nemini vult, niſi quem dominum ſibi elegit. Imperium externæ gentis recuſat, fidem domino ſuo ſeruat, fidelitatis nomen ei peculiare hæreditariumq́ eſt. Vnum habet Regem & Imperatorem: vnum ſemper Principem Venetum habere vult, alios reijcit. Iam triceſimus ferè agitur annus, ex quo cum Epirota aſſiduũ bellum gerimus: quem nec domare, nec in ditionẽ tuam redigere poſſumus. Quanta autem fuerit ſæuitia, quantaq́ crudelitas belli huius, quis ignorat? Iam iam peragitur annus, poſtquam illum vndiq́ circumuallauimus, dies noctesq́ excogitando aſperrime oppugnauimus: muros vrbis vndecim craſſiſſimis tormentis, interuallo triginta ſex dierũ omnes funditus excidimus. Omitto multa alia tormenta, machinas bellicas, omnium telorum genera, globos igneos, & quicquid in expugnationibus aliarum vrbium vllus vnquam excogitauit: hæc omnia in irritum cecidêre. Præterea quicquid potuit ſuperioribus certaminibus aut vi, aut robore, aut multitudine fortiſſimorum militum adiungi, nihil intentatum omiſimus: non calliditas Ducum, nõ legionum impetus & ardor in certamen acerrimum defuit. Quid enumerem innumerabiles ictus tormentorum? Quid alia tela more denſæ grandinis in hoſtem immiſſa? nihil tamen horum Scodrenſes ab vrbis cuſtodia deterruit: quin fortiores & magis animati ſemper nobis aduerſis pectoribus occurrerint. Credo equidem, illos non humanis viribus, ſed diuina quadam ope inniti. Credo equidem (ſi fas eſt dicere) Martis prolem eſſe: nec alios mortales ſub ſole robuſtiores validioresq́ reperiri poſſe. Hi enim noſtras copias infinitas, noſtram virtutem, tormenta omnia irrident, & loco ludibrij cuiuſdam habent, nihil timent: vitam pro patriæ defenſione exponere, luſum putant: eam veram & ſolidam gloriam eſſe exiſtimant. Loco ſuo dum pugnant, non mouentur: vel tuentur illum, vel ibidem trucidantur. Verè ſunt viri, verè bellicoſi, ſummis præmijs, ſummis honoribus exornãdi, toto orbe ſemper celebrandi, & in cœlum ſummis laudibus efferendi. Igitur, quos virtus armorum ſuperare nequiuerit, ingenij viribus expugnare tentemus. nam ſemel à parente meo, inuictiſſime Princeps, dum me moribus & diſciplina inſtrueret, hoc præclarum dictum & accepi & memini: quod ſi quis pomum aut adamanta in medio ſtraguli

ſtrati

ſtrati humi capere velit, ita vt partes extremas ſtraguli ipſius minime tangat, neceſſe eſt, vt paulatim ab vltimis fimbrijs vſque ad pomum, vel adamanta paulatim inuoluat, donec illud facili manu tangere poßit. Non aliter tibi faciendum eſſe cenſeo, vt ſi Scodram munitißimam vrbem in poteſtatem tuam redigere velis, vt in primis eam caſtellis pluribus circumualles, & ad obſidionem ipſius frequentem & diligentem cuſtodiam adhibeas: pontem ſuper Bolianam validißimum conſtrui iubeas, ita vt vtraq; in ripa turres ſint munitißimæ. Quo peracto, vrbes proximæ capiendæ ſunt, loca finitima ſub iuga tua mittenda: deinde facili negocio Scodra vndiq; cincta & circumuallata in tuam ditionem veniet. Eſt enim totius prouinciæ caput, quod iam quaſſatum & debilitatum eſt. Cætera loca, veluti membra exhauſta, attrita, & veluti manca, omnes vires ſuas amiſerunt. Nonne ciues Croiæ domiti fame, ſtatim in ditionem tuam venerunt? Quare ſine vlla tuorum cæde compos voti eris.

Poſtquam Amathis ſententia Principi vniuerſoq; concilio placuit, decretum eſt, vt Scodrenſis amplius pugna nõ vexaretur: tormentis & machinis finis imponeretur. Statim diuiſæ ſunt vrbes: mandatumq; fuit præfecto Aſiæ, vt cum legionibus ſuis ad expeditionem Driuaſti contenderet. Præfecto verò nouæ Romæ, vt Xabiacchum peteret: qui quidem prima luce pridie Kalen. Sextiles cum omnibus copijs ſuis profectus eſt: quem biduo multi alij equites cum impedimentis & ſarcinulis ſuis, & duæ cohortes Ianizarorum, aliæq; duæ Aſapporum ſequutæ ſunt. Poſtea verò quarto nonas Sextiles, biremes omnes Barbarorũ, quæ in Boliana erant, lacum conſcendentes Xabiacchum verſus nauigare cœperunt. Eſt autem Xabiacchus oppidum in ripis lacus ſitum, in confinio Dalmatiæ, non longe ab Aſcriuio poſitum: quod quidẽ ſub impio cuiuſdam reguli Dalmatæ nationis erat, in alta rupe poſitum, ſuapte natura munitißimum, diſtans ferè 40000. paſſuum ab vrbe Scodra. Tunc ipſe regulus aberat, ſed generum ſuum cum alijs ſuæ ditionis viris præfecerat: qui aut metu, aut Barbarorum pollicitationibus inducti, ſeſe dediderunt. Poſt deditionem quum præfectus ipſe omnes ex oppido eieciſſet, relicto ibi valido præſidio, 16. Kalend. Septembres cum cohortibus ſuis in caſtra reuerſus eſt. Xabacchi deditio turpis fuit: ſed Driuaſtenſes fortiores, & conſtantiores fuerunt. hi enim dum Scodra oppugnaretur, ſoliti erant vrbem diurno, nocturnoq; tempore exire, & Barbarorum impedimenta, turmasq; equitum, camelorum, ac iumentorum ſimul cum gregarijs militibus vndiq; adoriri, eripere, atq; eos captiuos ducere, caſtra ſæpenumero inuadere, aliaq; detrimenta, ac damna hoſti inferre: quæ cum omnia Ottomano Principi relata eſſent, is ægreferens, minabundus expectato tempore, quo ipſa iuuentus Driuaſtenſis vrbem egrederetur, vt facilius eam expugnaret, præfectum Aſiæ cum omnibus copijs

Turcæ de expugnatione Scodræ deſperant.

xx 3 ſuis

ſuis tertio Idus ſextiles ad expugnandum Driuaſtũ præmiſit: qui intercepta excluſaq; virili robuſtiſſimaq; manu Chriſtianorũ extra vrbẽ, fixis collocatisq; tormentis, Idibus ſextil. muros vrbis (qua parte debiliores atq; expugnatu faciliores erant) diruere cœpit. quum intra 16. dies exciſi eſſent, Princeps ipſe pridie Kal. Septemb. ad eius oppugnationem, quæ poſtridie futura erat, ſeſe contulit. Manè verò ante lucem, quæ Kalen. Septemb. erant, Barbari ſigno dato, vndiq; cõuolantes, vrbem ferè ſine oppugnatore, & ſine obice murorum, munimentorumq;, facillimè ingreſſi ſunt. Nam circuitus eius magnus quidẽ eſt: & iuuentus omnis, qui circiter octingenti viri fuêre, extra vrbem (vt iam dictũ eſt) excluſi fuerant. Præterea hi, qui in vrbe erant, acerbiſſima peſtis cõtagione indies abſumebantur. Pauci verò qui hoſtem à muris arcere conati ſunt, ad vnum cæſi ſunt. Reliqui capti, ad trecentorum numerũ, 4. nonas Septemb. in caſtra adducti, iuſſuq; Principis in conſpectu Scodrenſium omnes pariter trucidati fuêre. Poſtridie inito conſilio Barbari, decreuerunt proficiſci ad Lyſſum expugnandũ, quod nunc recentiores Aleſſium nominant. abeſt enim à Scodra 30000. paſſuum, & à fluuio Drino alluitur, qui (vt nonnulli locorũ periti tradunt) Epirũ à Dalmatia diuidit. Eò nonis Septemb. præfectus nouæ Romæ, cũ copijs profectus, vacuã vrbem atq; deſtitutam incendio dedit, inde reuerſus ad expugnandam arcem Driuaſti, quæ ſupererat. In ea circiter 100. homines erant, qui fame compulſi, ſeſe dediderũt: hi quoq; ſicuti cæteri ad internecionem obtruncati ſunt. His enim à Barbaris ita peractis, Ottomanus præcepit, vt reliqua ad obſidionem Scodræ accurate, diligentiſſimeq; appararent & exequerentur. Ipſe verò perſuaſu Ahamathis, relictis ingentibus copijs ad obſidionem vrbis, cum reliquo exercitu Bizantium redire conſtituit. Itaq; 7. Idus Septemb. incenſis nocturno tempore caſtris, manè ante ſolis ortũ, cum magno tubarum & diuerſi generis organorum ſonitu, quum duo ſigna maxima præmiſiſſet (quorum alterum candidum erat, alterum verò rubeum) compoſito ornatoq; exercitu, in quo ad 40000. hominum fuiſſe traduntur, ab vrbe diſceſſit: execratus omnem regionem Epiroticã, omnes incolas, & omnia loca: ſigillatim, fruges, ſata, & quicquid vbiq; frugiferum extaret: ante omnia Scodram vrbem, & omnes eius & ciues, & habitatores: quod quum tot Reges, tot Principes, tot populos, facili, expeditaq; manu ſubegiſſet, nuſquam tamen tantas clades, tantam ſuorum militum cædem, tantum dedecus, & ignominiam accepiſſet. Ideo fortunam ipſam vehementer incuſabat: quam quum ſemper propitiam & fauentem habuiſſet, in hoc tamen bello tam aduerſam & ſæuam expertus fuiſſet: vt ſibi perſuaſum fuiſſet, hoc fuiſſe veluti quoddam prodigium vel ſui imperij, vel ſui interitus. Nec hæc prædictio eum fefellit. nam haud multum temporis interceſſit, quum in expeditionem Aſiaticam proficiſceretur, vitam cum morte commutauit. Poſt

Turcicus Princeps redit Byzantium.

Lyſſum,

Lyſſum, oppidum conflagratū, & Principis diſceſſum, ambo præfecti de integro ad vrbem cum omnibus copijs ſuis reuerſi ſunt: qui circiter quinquaginta Chriſtianos ſecum captiuos traxerunt, quos in quadam triremi noſtra cæperant, quum inſulam ſuper Drinone poſitam expugnaſſent: cuius ambitus ad ſeptem millia paſſuum extat. In qua multi mortales capti, qui prope vrbem tracti, omnes obtruncati ſunt. Deinceps pontem ingentem, quem iam ſuper Bolianam inchoauerant, ad locum qui Cathilina dicitur, pertraxerunt. Turres ad vtrunque littus iuxta pontem exedificârunt, ne forte Chriſtianorum claßis ad vrbis ſubſidium illàc pertranſire poſſet: quarum alterā vltra amnem 14. Kalen. Octobres, quum præfectus Aſiæ prior perfeciſſet, ad hybernacula cum legionibus ſuis in Aſiam reuerſus eſt. Præfectus verò nouæ Romæ tardius turrim ſuam extruxit: nam breuiori itinere ad hybernacula ſua illi eundum erat. Ad quæ, quum vtranq; turrim machinis & tormentis bellicis muniſſet, ſexto Idus Decembris profectus eſt, Ahamathe ad obſidionem vrbis cum 40000. ferme equitum relicto. At Scodrenſes, qui ex tam præclara victoria lætitiam ingentem conceperant, poſtquam ſe vndiq; circumuallatos eſſe viderunt, quanquā primo aſpectu non parum triſtati ſunt: quod poſt victoriam ſolidam, & integram libertatem adepti non eſſent, tamen animos non deſponderunt, freti tum diuino numine, & Chriſti vero patrocinio: pro cuius ſincera fide, tot calamitates perpeßi fuiſſent: tum diui Marci tutela, & Veneti Senatus auxilijs, cui tam inuiolatā fidem obſeruaſſent. Verùm indies penuria rerum omnium in vrbe creſcebat: panis & aquæ tantummodo copia ſuppeditabat. Sed his ſolis homines vitam commode minime traducere poſſunt: hi præſertim, quibus vires exercendæ ſint, & quos dies, noctesq; in ſtationibus armatos excubare oportet. nam in principio ciues ſua omnia ad communē vſum obtulerant, quibus oppidani largiùs, affluentiusq; vſi fuerant. Crediderunt enim Ottomanum, ſi oppugnando vrbem capere non poſſet, abiturum cum omni exercitu. quod ſi durißimam obſidionē præuidiſſent, parcius res omnes diſpenſaſſent. Ita enim in vrbe carè obſonia vendebantur, vt vix ad vſum ægrotantium maximo precio, & multis precibus extorqueri poſſent. Longum & miſerabile eſſet enumerare, quanta penuria, quantaq; fames oppidanos oppreſſerat, vtq; neceßitate coacti veſci omnibus rebus immundis, & obſcœnis cœperint: non carnibus equorum, non canum, non ſoricum, non eorum inteſtinis abſtinuerunt: tergora eorum quoq; vel aquis tantummodo mollibant vel decoquebant, & exiguo aceti liquore condiebant. Fide carerem ſi exponere vellem quanti venierit mus exiguus, quanti farcimina ex inteſtinis canum confecta. Quid de ſumma penuria vini, olei, & aceti diluti referam? quorum tenuißimus hauſtus immenſo precio, & ſupra fidem vendebatur. Hac rerum omnium penuria ac ſumma inopia, quanquam

Fames Scodrenſium.

quam Chriſtiani vſq; (vt aiunt) ad extremũ ſpiritum laborarent, omnia tamẽ duriſsima perpeti (quid enim durius, quidúe profecto acerbius, quàm eo quód naturali aliquo ſenſu appetitur carere, idq́; cõſequi nõ poſſe?) & extrema experiri conſtituerunt potius, quã ſe iugo ſæuiſsimi hoſtis ſubijcerent. Nam nec cibi obſcœniſsimi, & humano vſui à natura prohibiti, nec fames vltima, nec ſitis deteſtanda, flectere animos eorum potuerunt. Agebatur iam annus, ex quo vrbs in obſidione poſita fuerat. Pax inter Turcam & Venetos cõſtituta. *Et ecce decimo tertio Kalend. Ianuarias die Dominico Itali quidam ſub mœnibus apparuerunt, qui Scodrenſes ſalutantes, eis nunciauerunt Oratorem Venetorum adeſſe, qui pro pace impetranda ab Ottomano Conſtantinopoli proficiſcebatur: hortabanturq́; eos, vt bonum animum haberent, quòd non diu in obſidione futuri eſſent. Iam Byzantium petierat Ottomanus. Itaq; inter eum & Venetum Oratorem fœdus percuſſum eſt, qui compoſita pace pridie nonas Apriles ad præfectum claſsis, qui Bolianam cum claſſe ingreſſus erat, redijt. Qui communi conſenſu literas ad prætorem vrbis, & ciues Scodrenſes mi-*



ſerunt, qui fœdus cum Ottomano ictum eſſe ſignificarunt, his conditionibus: vt Scodra Ottomano cederet, ſaluis ciuibus, & omnibus eorum bonis, & vt eis liberum eſſet, vel ſub Ottomano degere, vel abire quocunque eos voluntas ferret. Hoc quum accepiſſent fidiſsimi & religioſiſsimi ciues, in frequentem concionem iuerunt. Inter multas & varias ſententias, illa melior & ſalubrior corporum & animorum ſaluti viſa, vt tyrannidem Ottomani ſæuiſsimã deſererent, & ſarcinulis collectis, ſe Veneti Senatus tutelæ committerent: ſub cuius imperio benigniſsimo, vt hactenus ipſi vixiſſent, & ſui maiores tranquillam & pacatam vitam traducerent. Verum vt in eo

animo

animo perſeuerarent, Florius Ionima vigilum præfectus, vir & belli & pacis artibus conſpicuus (cuius excubijs & vigilijs, & ſolertia, atq; induſtria vrbs Scodra plurimum contra hoſtes inualuerat) in medium prodijt, & accuratam concionem habuit, qua ciuibus longe perſuaſit, vt Barbarorum iugum crudeliſſimum effugerent: eius hæc verba fuère.

Neminem veſtrûm, ciues optimi, latêre puto, quàm iniqua & iniuſta & intoleranda ſit Barbarorum dominatio: quorum natura efferata eſt, & nos non iuſtis de cauſis, ſed odio natiuo & exitiabili perſequuntur. Iam agitur annus triceſimus, ex quo nos exitiali, pernicioſo, & aſſiduo bello exagitant, ſua ſponte non laceſſiti, non vlla iniuria prouocati: agros noſtros depopulati ſunt, omnia diuina, & humana fœde contaminârunt. his malis, & iacturis nō contenti, inſuper ter vrbem noſtram & diris oppugnationibus, & duriſſima obſidione capere & excindere, & nomen noſtrum penitùs perdere conati ſunt: ſed nos diuino auxilio, & noſtra fortitudine ſemper victores euaſimus: illi turpiter victi cum maxima ſtrage, & ſuorum cæde abierunt. Quis explicare infandū eorum odium in nos poſſet? Omnia pollicentur, ſed nulla eorum verbis fides habenda. Omni ratione conarentur cupiditatem ſuam exaturandi odij explere. Nam tempore, quo Meumethes ipſe, qui nunc nos opprimere conatus eſt, cum omnibus copijs ſuis ad expugnationē Croiæ veniſſet, quam tunc ipſe Scanderbegius tenebat, Meumethem Græculum nouæ Romæ præfectum, cum 70000. equitum, ad deprædandum agrum noſtrum miſit: qui multa loca diripuit, incendit atq; deuaſtauit, complures Chriſtianos cum armentis cæpit. Demum vrbem ipſam circumuallando hoſtiliter gladiatorieq; agmine infeſto oppugnauit: cùm maxima tamen clade atq; ignominia à nobis depulſus, abijt. Succeſſit deinde & aliud tetrius, acerbiusq; bellum cum ipſis Barbaris, cui Sulimanus Baſſa, vir quidem ſtrenuus, legionum nouæ Romæ Imperator tam potētiſſimo, tamq; compoſito atq; inſtructo exercitu præfuit, qui maximam perniciem atq; calamitatem vrbi noſtræ intulit. nam longa & dura nos obſidione circumuallauit, eoq; compulit, vt tria millia ex noſtris fœda atq; horrenda ſiti extinguerentur, quanquam & ipſe etiam grauiſſima clade accepta à nobis abijt. Nuperrimè verò Meumethes ipſe valde inflatus, atq; ſuccenſus, copijs omnibus & viribus ſuis in nos irruens, vniuerſum ferme agrū euertit, vrbem noſtram quàm arctiſſime vndiq; cinxit, illamq; omni vi, arte, atq; ingenio, non militi parcendo, non ſumptibus, neq; laboribus, annum ferè die, noctuq; oppugnauit. Tandem ipſe ſuſcepta à nobis grauiſſima, multiplicíq; ſtrage, mœſtus atq; dolēs, relicta vrbe obſeſſa, turpiter diſceſſit. Nunc verò poſtquam fallax, perfidusq; Ottomanus, qui ſanguinem noſtrum, liberorumq; noſtrorum tanquam tygris truculenta ſitibundus appetit, cum vrbe noſtra ita potitus eſt, vt de tot iniurijs, contumelijsq;, quas à nobis

Oratio Florij Ionimæ, vt Scodrēſes vrbē relinquāt.

ſemper paſſus eſt, vltionem ſuſcipiat; nos pluris facere, caroſq; habere diſſimulat: hortaturq; ac rogat, ne à patria, ne à laribus diſcedamus: ne agros & bona noſtra, quæ iam dudum aui, proaui, atauiq; noſtri tot ſudoribus, totq; laboribus comparârunt, tam facile relinquamus. Itaq; callidiſſimus, verſipellisq; hoſtis miſeratione ſe moueri ſimulat, ſed ſub hac ficta ſpecie, dolor interdum ſupprimitur: & qui vlciſci cupit, fronte obducta vltionem ſæuiſſimam parat: hoc eſt, quod Barbarus immanis machinatur, occultis dolis agit, vt nos irretitos grauiſſimo ſupplicio afficiat, & id, quod ſemper in alios, quos hoc pacto in fraudem induxit, efficiat. Quod ſi ſuis ex inſita immanitate non pepercit, quomodo nos, à quibus tot cædes, totq; mala atq; damna paſſus eſt, innoxios ſeruabit? abſq; dubio nos durioribus tormentis afficiet. Ideo nullis parcit blanditijs, vt quod iam pridem de nobis concepit, ex arbitrio ſuo expleat. Sed vbi fides? vbi humanitas? vbi aliqua ſaltem (vt aiunt) vmbra ingenitæ miſerationis apud Barbarum? Qui ſi poſſet, membra noſtra, noſtrorumq; liberorum dentibus commanducaret atq; dilacceraret. Arduum & longe difficile eſt inter nos, & Barbaros vitæ conſortionem fieri, â quibus & fide, moribus, & natura longe diſtamus, qui ad vltionem veluti ſæuiſſimæ feræ compelluntur. Quibus oculis nos intuebuntur, & nos viciſſim eos, quum meminerint tot ſuorum à noſtris trucidatos? Quid animi nobis erit, cum parentes noſtros, aut fratres, aut liberos crudeliſſime ab ipſis cæſos in memoriam reuocabimus? quo tandem ſtomacho hoſtis hoſtem cõtueri poterit? nónne bilis turgeſcet, totumq; corpus horreſcet, quum vrbem noſtram mœnibus vndiq;, templis atq; ædificijs deformatam conſpiciemus? hoc non obliteratum eſſe debet, domos ſolo æquatas, agrum omni ex parte vaſtatum, atq; deſolatum: vineas & arbores cæſas, ſegetes depopulatas atq; incenſas: culta omnia combuſta, atq; penitus ſubuerſa, accedet maioris doloris & indignationis cauſa. Quo animo Barbaros ouantes ingredi vrbem noſtram intueri poterimus? qui domos noſtras commode habitabunt, nos verò derelicta vrbe, in agris humiles caſas & tuguria, more paſtorum, extruere cogemur. Vix foro noſtro communi, templis, ſepulchriſq; maiorum noſtrorum carebimus. Quid quum myſteria ſacrata religionis noſtræ, tanquam ſurdi & muti abſq; vllo ſonitu accedemus? Nónne cor eorum, qui fideles ſunt, magnopere diuelletur, afflictabitur? Quæ præterea cum Barbaris nobis vitæ commercia eſſe poterunt? non mos idem, non ratio, non oratio, non leges, non iura, non inſtituta, non eadem religio, non legitima connubia. Quid dicam de victu? de habitu? de conſuetudine quotidiana? de conciliabulis? de amicitia ac familiaritate? à quibus in his rebus tantum diſtamus, quantum homines à belluis. Nam quum antiquiſſima iura, & æquitatis & continentiæ, omnes gentes ſemper obſeruauerint, ſemperq; corporeas voluptates plurimum deteſtatæ ſint, hi leges nephandas promul-

mulgârunt, quibus omnia ſummæ turpitudinis plena ſibi permiſerunt: non ſtupra, non turpiſsimæ corporis voluptates, nulla deniq; flagitia ab illis prohibentur. Meumethem illum omnis diuini & humani iuris nephandum auctorem ſequuntur: qui ab orbe condito vnus inuentus eſt, qui omnem religionẽ, omnes virtutes exterminauerit, & omnia flagitia & ſcelera induxerit. nil ergo à belluis differunt, quin peiores habentur, quia illæ tantum naturæ præſcripto detinentur: hi verò ſenſu & appetitu efferato, in omnia nephanda præcipites eunt. Quapropter ô ciues mei amantiſsimi, ſi non vobis, ſaltem liberis atq; poſteris veſtris conſulite, ne eos omnino perdatis: nam vicinitate ac contagione morbi cõtrahuntur, corpora inficiuntur, pereuntque. Patieminíne filios veſtros in tanta labe, vitiorũ corruptione, morumq́; diſſolutione ali, educariq́;? Creditísne vos in tam graui peſte ac ſcelerum ſentina, eos bonos probosq́; euaſuros? Vultis tandem & vos, & eos, vnà & anima & corpore interire? Fugitne vos ô Patres & aliud tetrum, horrendumq́; Barbarorum flagitium? Eos Chriſtianorum infantes, atq; impuberes à matrum complexu rapere, & ab oculis præſentiaq́; parentum aſportare? vxores in conſpectu maritorum violare? filias corrumpere? viros vtcunq; libuerit vexare? in ſeruitium trahere? & illos tanquam pecudes habere? Quis enim his hæc prohibebit? Quis eorũ vim compeſcet? apud quem conqueremur? quem iudicem adhibebimus? cuius auxilium opemúe implorabimus? Ipſi verò rei, & ipſi iudices. Erit certe pro ratione voluntas. Quamobrem ô ciues, ô matronæ, ô pueri, dum licet moras tollamus: fugiamus infœlicem miſeramq́; patriam, crudelem & perditam gentem. Fortaſſe aliquis veſtrûm occurreret, quònam vertemus iter? quò nos conferamus? quis nos recipiet? quis opitulabitur? In his non deſperandum: nam quum ſimus orthodoxæ fidei obnoxij, Chriſtumq́; profiteamur, pro cuius fide catholica tam diu pugnauimus: tantas ſtrages & calamitates paſsi ſumus, nihil eſt quod ſperare non debeamus, quia Deus immortalis iuſtos nunquam deſerit. Præterea nobis occurret D. Marcus, quem pijs precibus veneramur, colimus, in cuius tutela nos maioresq́; noſtri ſemper fuimus, eiusq́; pias partes ſectati ſumus, ab eius Repub. nunquam defecimus, pro ea tam diu in aſsiduis Barbarorum bellis elaborauimus, tot & tanta perpeſsi ſumus. Nam poſtquam in Senatus Veneti ditionem ſponte venimus, tot arma hoſtilia, tot incurſiones, tot bella atq; obſidiones nos maioresq́; noſtri paſſi ſumus, vt nullo pacto Venetũ imperium relinqueremus, quia nunquam alterius dominationem ſenſimus. Primum enim Balſa in agrum noſtrum irrupit, qui vtriuſq; Myſiæ, Græciæ, & totius nouæ Romæ imperium tenebat, vrbemq́; noſtram in deditionem petijt: cui quum maiores noſtri ſe dedere noluiſſent, eos longa obſidione oppreſsit: ſed tandem ipſo mortuo, vrbs ab obſidione liberata eſt. Deinde Princeps ille Stephanus profectus à finibus

inferioris Myſiæ, ingenti multitudine vrbem vndiq; cinxit: ſed poſt tres menſes ipſe ab vrbe diſcedens, Maſerechum quendam copijs ſuis præfecit, qui duos annos ciuitatem noſtram opprimens, obſeſſam tenuit: & iam extrema rerum inopia laborans ſe dedidiſſet, niſi interim maximus exercitus ex finitimis gentibus, & totius prouinciæ populis coactus fuiſſet: qui caſtra hoſtiũ aggreſſus ita fudit, & profligauit, vt ipſe Maſerechus vix cum pauciſsimis euaſerit. Poſtea Georgius Vuchus ipſius Stephani nepos, innumeras copias contra nos duxit, qui vrbem oppugnans circumuallauit: qui tandem icto fœdere cum Principe noſtro diſceſsit. Multis poſt annis Ioannes Regulus, ſupradicti Balſæ conſobrinus, qui quum diutius antea commoratus fuerat, ſe in Apuliam contulit. Deinde quorundam Regulorum ſuppetijs Epirum intrauit, vrbiq; noſtræ bellum inferre cœpit: ſed è regno expulſus, vix in Dauniam euadere potuit. Poſt Stephani interitum iterum Georgius eius nepos in Epirum rediens, aduerſus vrbem nouum bellum excitauit, ſed ſtatim cum eo fœdus ictum eſt hac lege, vt in eius ditionem Antibarium & Driuaſtũ ciuitates cederent. Non multo poſt hos, dux Stephanus, ipſius Balſæ ſocer, ex ſuperiore Myſia profectus, ingenti numero militum totum agrum diripuit atq; incendit: ſed demũ cum toto exercitu profligatus, amiſsis Antibario, Driuaſtoq;, vniuerſoq; agro, turpiter aufugit. Poſtremò verò temporibus noſtris, Altomanus cum ingenti multitudine nos inuaſit: qui quum agrum depopulatus eſſet, & Bolianam traieciſſet, fugatus à noſtris prope oppidum quod Suacium vocatur, cum fratre ſuo captus, Venetias vinctus miſſus eſt. Non omittam Scanderbegium, quem Epirotarum Principem, vnà cum maioribus ſuis, in annos centum in Macedonia & Epiro regnaſſe ferunt. Hic eſt ille, qui tot & tanta præclara facinora pro fide catholica aduerſus Turcas geſsiſſe dicitur: quũ ætate & viribus floreret, collecta magna multitudine militum, in agrum Scodrenſem irrupit, & vrbem vexare cœpit: ſed tandem cum Senatu Veneto fœdus init, & totius prouinciæ Imperator declaratus, ciuitate Veneta donatus eſt. Præterea Lechas Duchainus, diuturno bello vrbi infeſtus fuit: & poſt varias cædes in æquas pactiones deſcendit. Acerbior poſtremò peſtis in nos impetum fecit. Nam viginti octo anni aguntur, ex quo Ottomanus nos aſsiduis incurſionibus & bellis vexare cœpit. Quot clades, quot vulnera, quot damna paſsi ſumus, longum profectò eſſet percenſere. Quare patres gratiſſimi, quum tot & tanta pro fide catholica, & pro Veneto imperio, nos maioresq; noſtri perpeſsi ſimus, vitam intrepidè expoſuerimus, & tandem patriam liberosq; pariter amiſerimus, læto animo, hilariq; fronte ad ſanctiſsimum Chriſtianorum cœtum proficiſcamur, antiquam, vberrimamq; Italiam, terram omnium terrarum alumnam, eandemq; parentem numine Deûm electam, Venetias omnium bonorũ portum ſaluberrimum, vrbem terra-

terrarum Principem, fidei paciſq; domicilium tutiſſimum petamus, quæ vt diuino numine fundata eſt, ita perpetuum imperium habitura. Ibi nos maxima præmia, maximaq; munera expectant. Ibi aurea corona nobis parata eſt. Conferamus nos tutè intrepideq; ad beatum Marcum, patronum & protectorem noſtrum: Ad quem omnes feſſi & miſeri confugere conſueuerunt: qui neminem reÿcit, nemini ad ſe proficiſcenti iter præcludit: ſed omnes, & præſertim de ſe bene meritos, benigniſſime ſuſcipit, ac omni ope fouet, amplectitur. Poſtquam Florius Ionima frequenti in concione ſic perorauit, Scodrenſes magis atq; magis commoti atq; perſuaſi, in hanc ſententiam pariter omnes deſcenderunt, vt vrbem, patriamq; (etſi aſperum & graue id eſſet) deſererent, quàm duriſſimũ immaniſſimumq; Barbarorum iugum ferrent. Itaq; vt Veneto omnino parêrent imperio, cui ſemper & ipſi & maiores eorum inuiolabilem fidem obſeruârunt, & tanquam diuinum quoddam numen venerati ſunt, certi de incolumitate ſua, atq; ſecuri ab hoſtium inſidÿs facti, quibus nunquam fides, ne in cædem & perniciem eorum quicquam moliti eſſent, datis ab his obſidibus, quo Scodrenſes iter tutum, incolumemq; exitum haberent, vrbem Barbaris ceſſerunt. Qui eam ſtatim admodum ouantes ſummo cum plauſu ac læticia ingreſſi ſunt: vbi erectis ſignis & vexillis vndiq; totam peruagantes, varÿs organorum generibus & ſonis, per voluptates (vt moris eſt) effuſi, de vrbe potita iactantes, in ingentem lætitiã ſe extulerunt. Scodrenſes verò vrbe patriaq; relicta, omnes vnà cum ſarcinulis ſuis & ſuppellectile ad claſſem Venetorum, quæ ab vrbe ad quinq; millia paſſuum aberat, ſe tuti receperunt: qui rebus omnibus, quæ illis ad huiuſcemodi nauigationem opus erant ſe præmunierunt, & omnes pariter nauigia conſcendentes è portu ſoluerunt. Qui tum velo, tum remis (vt aiunt) in Latium tetenderunt, & in ſinum clementiſſimum, pientiſſimumq; Veneti Senatus profugerunt. Pro cuius dignitate, ſanctiſſimoq; imperio tamdiu acerrimè pugnauerant, opes, ſanguinem, parentes, liberos, patriam, vitamq; deuouerant: cuius auſpicio infeſtiſſimum hoſtem deuicerant, ſub cuius vmbra ad mortem vſq; dies fauſtos lætosq; ducerent, apudq; illos tandem laudabilem pro viribus ſuis vitam finirent.

Euentus orationis Florÿ.

Scodrẽſes vrbẽ Turcis cedunt.

F I N I S.

IMPRESSVM FRANCOFORTI AD
MOENVM, APVD IOANNEM FEYER-
abendt, Impenſis Sigiſmundi Feyer-
abendts.



ANNO M. D. LXXVIII.

INDEX RERVM GESTARVM SCANDERBEGI, EPIROTARVM PRINCIPIS, ALPHABETICA SERIE CONTEXTVS.

A

Abſceſſus Mahumetis ab vrbe Dyrrachina. fol. 226
Acris Tyranni adhortatio ad ſuos ſuper bello contra Scanderbegum decernendo. 63
Adhortatio Scanderbegi ad milites, ante profectionem ſuam contra Ballabanum. 213
Adhortatio Scanderbegi ad milites ſuos ad agrum hoſtilem diripiendum. 32
Adhortatio Vranacontis vrbis præfecti ad Croienſes. 102
Adhortatio Caſtrioti ad proceres ac omnium militum ordines de regno ampliando. 124
Adhortatio vrbis præfecti ad Belgradenſes, vt vrbem munirent, fidem ſeruarent. 136
Adhortatio Scanderbegi ad milites moderata & lenis. 50
Adhortatio Scanderbegi ad vniuerſum concilium pro tuenda orthodoxa fide. 24
Adhortatio Amurathis Mahumetisq́; ad ſuos. 102
Adhortatio Debreæ ad ſuos ad fortiter pro victoria pugnandum. 128
Adhortatio Caſtrioti ad milites vt fortiter pro victoria decertent. 129
Adhortatio Caſtrioti ad ſuos. 207
Adhortatio Scanderbegi ad milites. 215
Adhortatio Imperatoris Veneti exercitus ad ſuos. 50
Aduentus Scanderbegi ad præfectum vrbis Croiæ, & vafra ſucceſſio eius in præfecturam & vrbis cuſtodiam. 10
Aduentus Feriſij cum exercitu in agrum Albanum, cædes exercitus eius, irruptio Caſtrioti in agrum hoſtilē. 44
Aduentus Scanderbegi cum reliquo exercitu & copijs ſuis ad vrbis obſidionem. 137
Aduentus Amurathis in Europam centum millibus. 38
Ahemazæ conſilium. 149
Abamatis oratio ad Turcarum principem. 265
Albria oppidum Turcæ in Macedonia. 18
Alphonſus princeps in Apuliam venit & à regina adoptatur. 174
Alphonſus ſuperat Renatum. ibid.
Alphonſus moritur, Ferdinandus ſuccedit. ibid.
Alybaſſa contemnit exercituum Scanderbegi. 31
Ameſa adiutor conſiliorum Scanderbegi. 13
Ameſa animat fugientes. 164
Ameſa angitur. ibid.
Ameſa Conſtantinopoli veneno ſublatus. 172
Ameſa nepos. 53
Ameſa nepos Scanderbegi, capitur viuus. 165
Ameſa iuſſu patrui ad Alphonſum in carcere ſub arcta cuſtodia, habendus mittitur. 169
Ameſa fit rex Epiroticus per Baſſam. 161
Ameſa agrum Driuaſtenſium pernicioſè vaſtat. 55
Ameſa in Epirum mittitur. 171
Ameſa baptizatur cum ſocijs. 18
Ameſa petit Scanderbegi nomine deditionem vrbis Didraſti. 54
Ameſa Turca capitur. 126
Amurathes ægrè fert leges bellorum ſibi dari ab infami caſtello. 72
Amurathes ſollicitatus à ſuis, vt bellum Scanderbego inferret, pacem ab eo literis fraudulenter doloſeq́; fruſtra petit. 39
Amurathes audita ſolutione obſidionis Sfetigradi, & Scanderbegi diſceſſu, aduentum ſuum in Epirum differt. 98
Amurathes parat reditum in Adrianopolim. 90
Amurathes timorem & ignauiam ſuis exprobrat. 106
Amurathes per legatos petit vrbem Croiam. 101
Amurathes, victo Muſtapha Rex. 233
Amurathes Vranacontem muneribus vult corrumpere. 111
Amurathes oratorem ſuum ad Caſtriotum pro pace petenda dirigit. 113
Amurathes rex. 232
Amurathes redit poſt occupatum Sfetigradum. ibid.
Amurathes moritur. 117
Amurathes tardus in oppugnando. 104
Amurathis copiæ coguntur ad obſidionem Croiæ. 99
Andreas Thopia. 23
Andreas Angelus. 54
Andreæ optimatus Didraſti adhortatio ad ſuos milites conciues. 54
Antibarum. 55
Apparatus belli Amurathis contra Epirenſem. 63
Apparatus nouæ oppugnationis. 256
Apuli cum ſuis & cum hoſtibus manus conſerunt. 185
Ardor exercitus Scanderbegi. 30
Ariamnites dat tributum Scanderbego. 26
Aſianus miles in Europam tranſportatur. 66
Aſianus Meſis manibus confoditur. 69
Aſſambegus cum triginta millibus ſuperatur. 190
Aſappi auida periculorum gens. 74
Aſappi ſecundi Ianizaris. 243
Auaritia Mahumetis. 121
Auxilia Scanderbegi in Amurathem. 21
Ayradinus. 41

B

Ballabanus Badera præfectus. 205
Ballabanus fortiter agit. 214
Baleſium oppidum. 53
Barbari oratio ſuper modum Tyranni vires efferens. 72
Barbari & Scanderbegi munera mutua. 226
Barbari iuuantur à ſocijs. 96
Baretis oppidum. 178
Baſſa Romaniæ cum 30 millibus armatorum. 90
Baſſa Iſaac ſupremus Capitaneus exercitus Turcici. 157
Baſſa præfectus nouæ Romæ. 236
Baſſa pernicitate equi aufugit. 166
Belgradum mittitur nuncius à Sebalia vt dubios confirmet. 140
Belgradi oppidi deſcriptio. 124
Belgradenſes petunt inducias à Scanderbego. 137
Bellum ortum inter Ioannem Caſtriotum, Scanderbegi patrem, & Amurathem Turcarum principem, paxq́; inter eoſdem inita. 2
Bellum Scanderbegi cum Gallis. 184
Bellum ſuſcipitur pacis gratia. 28
Bellum Ferdinandi cum Iohanne Renati filio. 174
Bellorum nerui Scanderbego à Chriſtianis Principib. 128
Beilarbeidæ ducum duces apud Turcas, Baſſæ dicti. 67
Boſa mulier Scodram confugit, & Venetis ſe tradit, huic fortuna

fortuna parat Scanderbegum Veneto bello. 47
Buſegiarpeni. 61

C

CAſtra Scanderbegi à ſcortis immunia. 155
Caſtra Barbarorum. 30
Caſtra Scanderbegi in Dibra inferiore. ibid.
Carazabeg multis copijs aduerſus Scanderbegum properans, ignominioſè, turpiterq; terga vertẽs abijt, fugamq; arripuit. 191
Calapinus Rex. 232
Calapinus Amurathis filius necatur à Mahumete. 121
Captiui Epirenſes Conſtantinopolim ducti. 208
Caſtriotus irridet conſilium Purpuratorum. 138
Caſtriotus euocat hoſtium arma. 170
Caſtriotus reſpuit Tyranni fœdera. ibid.
Caſtriotus irruit in caſtra Turcæ. 103
Caſtriotus Mocream venit. 45
Caſtriotus in oppugnando Sfetigrado omninò ſerius. 97
Caſtriotus rurſus tentat Sfetigradum oppugnare, ſed non ſuccedit. 95
Caſtriotus mouet ſigna in hoſtem. 169
Caſtriotus à Venetis ciuitate donatus totius rei Venetæ in Epiro, Illyricoq; ſummus creatus eſt Imperator. 62
Caſtriotus immunis à bellorum turbine, hyemem penè totam tranſegit. 21
Caſtriotus oppreſſo Croiæ præſidio Tyranni, vrbeq; recepta, Chriſtianos principes de ijs certiores facit, eosq; ad arma excitat. 11
Caſtriotus humaniter tractat captiuum Ameſam. 166
Caſtriotus cladem Hungaricam ægrè ferens, agrum Deſpoticum diripit atq; incendit. 39
Caſtriotus mittit nuncium ad obſeſſos. 140
Caſtriotus cum Moſevti pater cum inſolenti filio agit. 149
Caſtriotus affectati regni accuſatur. 6
Caſtriotus improuiſos obruit. 164
Caſtriotus Picenninum fœdifragum vocat. 182
Caſtrioti legatio redit ab Alphonſo. 148
Carolus Hungariæ Rex contra Iohannam. 173
Catalogus malorum quæ Scanderbeg intulit Turcæ. 40
Claues ferrei teli genus. 46
Cæſa Chriſtianorum quinq; millia. 144
Cædes Turcarum & fuga Scanderbegi è caſtris Barbarorũ in Epirum. 9
Cæſaris & Pompeij ad Croiam conflictus. 242
Certamen Barbari & Zachariæ Groppæ Albani. 150
Clementia quædam diuina Scanderbegi in Moſen. 154
Clementia Scanderbegi iuncta Prudentiæ. 10
Chriſtiani victores. 60
Chriſtianorum diſcordia inter ſe. 203
Coaceruatio factorum exercitus Scanderbegici. 52
Cohortatio Scanderbegi ad milites. 209
Colloquium Regis Ferdinandi & Scanderbegi. 187
Colloquium Præfecti cum ſenioribus Chriſtianorum. 136
Colloquium Scanderbegi & Picennini. 181
Colloquium Scanderbegi cum Hamur & Synam. 171
Colloquium legati Turcici cum Vranaconte ſolo. 112
Collatio felicitatum Turcæ & Scanderbegi. 113
Colchinium maritima Venetorum vrbs. 125
Comes Iacobus fugit. 185
Comes Iacobus à fuga latitat in Italia vili ſ. habitu. ibid.
Comes Iacobus fictè multa cum Scanderbego agit. 181
Comitia Scanderbegi & Purpuratorum in Dibra inferiore. 157
Comitia in Lyſſo oppido. 22
Comparatio ætatis Scanderbegi ad hanc noſtram. 121
Conditiones pacis inter Turcam & Scanderbegum. 192
Conflictus apud Monticlum. 109
Coniuratio Principum Chriſtianorum in Turcam. 201
Conſilium de ineundo fœdere cum vicinis principibus. 22
Conſilium Scanderbegi armis & ferro, non fame Barbarũ fugare ex Epiro. 109
Conſilium augendi exercitus Scanderbego. 169
Conſilium de liberanda vxore & liberis. 172
Conſtantia obſeſſorum. 52
Conſtantinopolis capta. 233
Copiæ Scanderbegi. 58
Corinthi Iſthmum Heximilium vocant. 117
Croia à Scanderbego liberata, & Venetis donata. 242
Croia occupatur. 6
Croia vrbs munitiſſima. 65
Croia cor Albani imperij. 25
Croia clauſtrum Epirotici regni. 64
Croiæ conditor Carolus. 15
Croiæ obſidio. 218
Croienſes obuiam vadunt Scanderbego. 145
Croienſes norant ſpernere ferrum, non tantùm verba. 112
Croienſium deditio. 241
Cura Deo eſt pro Scanderbego. 218

D

DAniel Iaurich Sebencinus Imperator Venetorum. 49
Daniel Dux venetorum fugit. 52
Dauid, Raguſinorum ſcriba, laudator Scanderbegi. 175
Daruiſſe. 2
Daynum oppidum. 23
Daynum in coronæ ſpeciem obſidetur à Scanderbego. 48
Daynenſis obſidio fruſtra tentata per Scanderbegum. 52
Daynenſes. 47
Debreas iuſſu Tyranni inſtauratis Ameſæ copijs, & ſupplemento militum numero, in Scanderbegum ſigna mouet. 127
Debreas animat ſuos. 130
Debreas venit in Epirum. 128
De aduentu Moſeos contra Scanderbegum cũ exercitu. 148
De cæde Barbarorũ & triumpho Caſtrioti Epirenſiũq;. 164
De Scanderbegi profectione dubitatur. 35
De militibus in Dauniam tranſportatis. 177
De morte Alphonſi regis Arraganorum, optimorum omnium Mecœnatis. 171
De morte Scanderbegi. 230
De fuga Ameſæ ad Turcam. 155
Demetrius & Nicolaus ex Beriſſiorum familia. 145
Deſcriptio Vrſaræ, Nuceriæ, Troiæ, Segiani montis. 183
Deprecatio Scanderbegi ad Deum antequam ſolueret. 178
Deſcriptio vrbis Raguſinæ. 175
Deſcriptio vrbis Croiæ. 8
Deſcriptio Dibrarum. 85
Deſcriptio Dibræ ſuperioris. 9
Diſcrimen Turcarum in captiuos. 153
Diſtantia inter Sfetigradum & Croiam. 68
Driuaſtenſis oppidi deſcriptio. 55
Driuaſti vrbis oppugnationem induit Ameſa. 53
Driuaſtenſes vincunt Ameſanes. 55
Dolor Amurathis ob cædem Baſſæ, ſuorumq; & eius indignatio aduerſus Scanderbegum. 19
Dolor & conflictatio Ottomani Principis ex morte Ballabani & diſſolutione obſidionis Croiæ. 225
Dotes bonæ & malæ Mahumetis. 121
Duellum Pauli & Caraguſij. 58
Duo Ameſæ, alter Præfectus Turcarum, alter Epirenſis. fol. 126
Dux Iohannes fuga ſibi conſulit. 186

E

Edictum ſummi Pontificis contra Turcam. 197
Exempla Sfetigradenſis Conſtantiæ. 84
Exercitus Meumetis 350000. 243
Exercitus conſtans ab equitum et ſeptem peditū millib. 27
Epirus. 234
Epirenſis ſermo ad milites. 128
Epirenſem vocat Scanderbegum. 4
Epirenſes excoriati viri ſtrenui. 208
Exhortatio Epirenſis ad ſuos pro victoria. 179
Exhortatio Tyranni ad ſuos. 706
Eruptio Albani militis ex inſidijs. 32
Excurſio atq; deuaſtatio agri Amurathis à milite Epirenſe facta. 62

F

Fames Scodrenſium. 268
Familiaritas Scanderbegi cum Lecha Zacharia. 50
Flambura. 67
Fraus excogitatur à Scanderbego contra Mahumetem. 106
Fœminarum labor in defendenda vrbe. 258
Ferdinandus Scanderbego obuiam procedit. 178
Ferdinandus Rex, parentis loco habet Scanderbegum. 188
Ferdinandi Gratitudo in Scanderbegum. 174
Febricitantes terrore curati. 255
Feribaſſa occurrit Caſtrioto. 81
Feribaſſa hortatur ſuos ad pugnam. 82
Feribaſſa prouocat Scanderbegū ad ſingulare certamen. ib.
Feribaſſa. 75
Feriſius cum 9 millibus mittitur contra Scanderbegū. 43
Feſtinitas ducum exercitus Scanderbegi. 33
Filum corporis Scanderbegi. 4
Forma circumciſionis Mahometbanæ. 2
Forma literarum de tollendo Scanderbego. 132
Fortiſſimus exercitus confluit ad Scanderbegum. 223
Fortiter victis mors malorum & miſeriarum finis. 30
Fuga Scanderbegi in obſidione Belgradi. 211
Fuga Feriſij cum reliquis copijs. 44
Fuſianus abit in Siciliam. 187

G

Gallogræci. 15
Grata lautaq; oratio ad Venetorum Legatos, Georgij Caſtrioti. 61
Gratulationes ad Scanderbegum ab externis gentibus. 118
Græciæ occupatæ occaſio. 232
Georgius Streſius ſororis Scanderbegi filius. 156
Georgius Deſpotes. 40
Georgius Vuchouichius Atheos. 37
Georgius Streſius nepos Scanderbegi. 31
Georgius Streſius. 23
Georgius Scanderbeg. 22
Georgij Thopiæ caſus. 142
Germani. 20
Germani neſcij cedere. 94
Geſta Amurathis ſub compendio recenſita. 117
Gotti. 15

H

Helena Regina Myſorum & Illyricorum. 56
Horatius Cocles. 103
Hozæ. 2
Humaniter dimiſſus Ameſa. 127
Hungaricæ res Scanderbego ad conſultandū commiſſæ. 36
Hunniades. 20
Hunniadis Magnanimitas. 38

I

IActura apud Belgradum. 158
Iaculorum ſagittarumq; in aëre concurſus. 248
Ianizari. 67
Ianizari filij principis, bona Iudæorum & Chriſtianorum inuadunt. 120
Incurſio hoſtis per Epirū: Concurſus Scanderbegi in eū. 125
Incruenta victoria Scanderbego contigit. 106
Induciæ ſedecim dierum. 138
In Epiro ex omnibus gentibus miles cōducitur à Scanderbego. 92
Ingenium Scanderbegi. 3
In quibus periculis Scanderbegus fuerit. 14
Irruptio Athamati Turcarum præfecti cum 15. millibus equitum in agrum Scodrenſem. 229
Inſigne reſponſum liberorum ciuium. 52
Inſtauratores Scodræ. 235
Inſtauratio vrbis Croiæ. 121
Inſtructio acierum Scanderbegi. 31
Inſtructio acierum à Ballabano ad pugnam. 214
Inundatio ſanguinis Albulæ nomen mutauit. 166
Inuiolabile legati nomen. 113
Iacobo Picenno nubit Iohanna. 173
Ioannes filius Scanderbegi. 193
Ioannes Tranſiluanus. 37
Ioannes Capiſtranus. ibid.
Iohannes dux Renati filius. 173
Iulianus S. Angeli Cardinalis. 33
Iuuentus Scanderbegi. 3

L

LAdiſlaus Hungariæ rex. 119
Lapſus Scanderbegi. 103
Lapſus & penè abolitio Ottomanorum imperij, eiuſdemq; reſtitutio atq; augmentatio. 1
Laureatæ literæ. 33
Laus Gallorum. 183
Laus Scanderbegi à patre. 33
Laus Scanderbegi à continentia exemplo Scipionis Africani. 155
Laus Vranacontis. 98
Læta nox Scanderbego de victoria. 105
Leccas. 23
Lecha Zacharias obtruncatus. 47
Leges conciliorum vt liberè loquendi, ita patienter audiendi. 35
Legatio Turcæ ad Moſen, non verbis armata ſed muneribus & amore. 132
Legatio Scanderbegi ad Alphonſum, Apuliæ regem. 132
Legatio Ottomani ad inducias ab Hungaris in decennium petendas, quibus etiam Myſiam ſine bello offert. 20
Legati Pontificis ad Scanderbegum. 175
Libertas Epiri. 7
Liberatoris nomen Scanderbeg ſibi vſurpat. 13
Literæ Amurathis Ottomani ad Scanderbegum. 40
Literæ Vladiſlai Pannorum regis ad Scanderbegum. 33
Literæ Mahumethis ad Scanderbegum. 198
Literæ Caſtrioti ad Turcam de pace. 192
Lyſſa Venetorum vrbs. 226
Locus ſepulturæ. 236
Lucas Zacharias. 23
Lunæ militare ſignum Turcis. 60
Luxuries orationis in authore. 5

M

MAcedonia deuaſtata. 63
Macedonia principum altrix. 29
Macedoniæ nunc Albaniæ, deſcriptio. 234
Mahumetes inquirit Moſen de Scanderbego. 148

Mahumetes ſit Rex Turcarum. 120
Mahumetes putat Chriſtianis non ſeruandam fidem. 89
Mahumetes vult Moſen à Scanderbego abalienare. 131
Mahumetes inuitus redit Adrianopolim. 118
Mahumetes diſcedens à Croia & Epiro re infecta, Ballabanum cum innumeris copijs in Croiæ obſidione reliquit. 219
Mahumetes magis ſe formidabilem quam regem declarat. 121
Mahumetes tributum petit à Scanderbego. 123
Mahumetes fratris occiſor. 197
Mahumetis nuncius cum muneribus ad Scanderbegũ. 192
Mahumetis feritas & auaritia arguitur à patre Amurathe. 89
Mahumetis iudicium de nuptijs Scanderbegi. 123
Mahumetis ſedulitas & ſolertia. 101
Mahumetis conſilia contra Scanderbegum. 106
Mahumetis crudelitas. 104
Mahomethi leges. 41
Marinus Hiſpanus. 53
Marinæ tempeſtatis deſcriptio. 141
Mathia fluuius & Albula aqua. 163
Meumethes Rex. 233
Milites intercedunt pro Ameſa apud Scanderbegum. 56
Minatur atrocia Scanderbego. 204
Miracula apud Scrodenſes. 258
Moſes fortiſſimè exhortatur ſuos. 165
Moſes fugit. 150
Moſes cogitabundus. 132
Moſes à Dibris. 31
Moſes venit Dibram inferiorem. 149
Moſes in patriam ſtringit ferrum. 149
Moſes fugit ex Epiro. 145
Moſes aptiſſimus ad fallendos hoſtes. 170
Moſes non audet congredi Scanderbego. 152
Moſes poſt cladem à Caſtrioto acceptam in contemptu ab Ottomano habitus, pœnitentia ductus ad Epirenſem redijt. 153
Moſes Scanderbego adeſt ſocius laboris. 12
Moſes perfidus arma vertit in patriam. 144
Moſes contemptiſſimus apud Tyrannum. 153
Moſes cogitat de patria adeunda. 154
Moſes redit in gratiam cum Scanderbego. 154
Moſes vt belli ita & fugæ Dux. 152
Moſis obiurgans exclamatio in ignauum militem. 51
Moſis bona in fiſcum relata. 147
Mos Scanderbegi labrum inferius ſcindendi, vt ſanguis effluat. 142
Mos Turcæ mendaci fama bello illudere. 63
Mocrea. 44
Mons Garganus. 188
Morbus & ægritudo Tyranni. 115
Motus atque tumultus in Adrianopoli ex morte Amurathis. 120
Mulier ſocia conſiliorum Scanderbego. 147
Muſachius Topia ſororius Scanderbegi. 122
Muſachij fuga & interitus. 141
Muſtapha. 44
Muſtaphas obtinet ab Amurathe vt cum Scanderbego confligeret. 56
Muſtapha diſſuadet bellum contra Chriſtianos. 47
Muſtaphas non facta ſibi copia pugnandi à Scanderbegano præſidio, agrum incendit atq́ deuaſtat. 58
Muſtaphas apud Amurathem ſe excuſat non ſine laude Scanderbegi. 47

N

NEGligentia apud Chriſtianos ex rebus benè geſtis. 43
Nicolaus pontifex Romanus. 119
Nicolai Duchagini celebrè factum. 36
Nomen Turcarum deletum in Epiro. 12
Noua nomina Scanderbego, et fratribus in eorum circumciſione iuſſu Tyranni indita, & prouiſio circa eoſdem facta. 2
Nuncius Barbari ad Caſtriotum. 170

O

OBſidio Steluſij, eius deſcriptio & deditio. 15
Obſidio Sfetigradi, eiusq́ deſcriptio. ibid.
Obſidetur Croia à Turca. 100
Obſides dantur Turcæ Iohannis Caſtrioti filij. 2
Obſides dati ex Chriſtianis. 135
Ocrida vrbs dicta Alchria. 204
Occulta Tyranni conſilia. 159
Odium Turcarum in iacentia corpora. 143
Odium Turcæ in Caſtriotum. 111
Omnes Scodrenſes in oppugnatione vulnerati. 255
Oppugnationis Scodræ continuatio. 249
Oppugnationis Scodræ vehementia. 250
Oppugnatio vniuerſalis Scodrenſium 11. Cal. Sextil. prima luce. 253
Oppugnatio Scodræ. 249
Oratio Florij Ionimæ vt Scodrenſes vrbem relinquat. 269
Oratio legati Turcici ad obſeſſos Scodrenſes. 240
Oratio Ballabani ad Ottomanum. 210
Oratio Tyranni ad duces & præfectos ſuos. 201
Oratio Archiepiſcopi pro bello aduerſus Mahumetem inchoando. 196
Oratio Veneti oratoris Pauliq́ Angeli ad Caſtriotum. 193
Oratio Picennini ad Caſtriotum. 181
Oratio Pauli Angeli Dyrrachini Archiepiſcopi ad ciues & Raguſinum populum. 176
Oratio Caſtrioti ad duces & milites in profectione ſua ad vrbem Belgradi oppugnandum. 134
Oratio Scanderbegi ad ſuos ante congreſſum cum Barbaris & eius victoria. 151
Oratio Scanderbegi ad congregatum exercitum. 157
Oratio Perlati vrbis præfecti ad Dibrenſes ſuos, ne ſe Ottomano dedant. 86
Oratio Scanderbegi ad ſuos. 78
Oratio Scanderbegi ad milites morte pugnaturos. 79
Oratio Scanderbegi ad milites. 12
Oratio Ameſæ qua defectionem ſuam excuſat apud Ottomanum. 156
Oratio Epirenſis ad principes, præfectos & vniuerſum exercitum. 224
Oratio Scanderbegi anteq́ Muſtapham aggrederetur. 45
Oratio Iacobi Monetæ ad Scodrenſes. 258
Oratio Pauli Duchagini Regali. 35
Oratio Imperatoris Scanderbegi ad Albanum militem. 28
Oratio oratoris Tyranni ad Epirenſem. 113
Oratio Caſtrioti ad præfectum Sfetigradenſem & Oppidanos. 66
Oratio Scanderbegi qua auget ferociam ſuorum & minuit hoſtium. 59
Oratio Caſtrioti ad Duces, præfectos, & milites ſuos, pro rebus benè geſtis ac imperio recuperato. 17
Oratores pij Pontif. & aliorum principum ad Scanderbegum. 187
Origo & genus Caſtriotæ familiæ. 1
Origo & nomen Albanæ ſeu Epiroticæ gentis. 22
Oronicheum locus in Dibra. 160

Orphanes

Orchanes Ottomani filius. 231
Ottomanus infœliciter pugnat. 76
Ottomanus, Turca, Saladinus, vnus idem & creatus Amiraus ſeu Rex. 231
Ottomanus glorioſus ſenex maledicit Hunniadi. 45
Ottomani aduentus in Epirum. 100

P

Paiazetes Rex. 232
Paiazetes à Tamberlano captus. 232
Parthinorũ gens inter nobiles populos Epiri habetur. 100
Paulus Angelus Dyrrachienſis Archiepiſcopus. 195
Paulus in Epiro Chriſtum annunciat. 23
Paulus Angelus Dyrrachinus Archiepiſcopus. 176
Pauli Duchagini Pietas & liberalis promiſſio. 36
Pax publica inter Turcam & Scanderbegum. 172
Pax inter Turcam & Venetos conſtituta. 268
Peculiare Scanderbego in prælijs à ducibus captandis & tollendis. 130
Peicus Emanuel. 162
Peicus Manudi. 70
Pera occupata. 233
Perlatus præbibit Dibrenſibus. 88
Perlatus præfectus feſtinat ad tutandum murum. 81
Petrus Parlatus. 65
Petrus Hiſpanus. 23
Petrella obſidetur. 14
Petrella oppidum. 13
Perturbatio Tyranni ex aduentu reliquiarum Debreæ. 131
Prælium Ballabani & Scanderbegi. 208
Præſidium Tyranni in Belgrado. 136
Pius ſecundus contra Turcam. 197
Pius ſecundus Papa Anchonæ moritur. 205
Philippus Burgundiæ Dux. 34
Philippi vox in Alexandrum Regem. 229
Prima Luna Turci vniuerſalem pugnam auſpicatur. 256
Pyrrhus Epirotarum Rex. 182
Proceſſus Caſtrioti aduerſus hoſtem erumpentem in Prouinciam. 68
Poloni. 20
Populi ſubiecti Turcæ. 222
Prouentus Scanderbegi in Epiro. 26
Pugna Caſtrioti cum Venetis apud Drinonis ripam. 51
Pugna ad Varnam. 33
Pugna Scãderbegi cũ Piciñino et Gallis, eiusq́; victoria. 179
Purpuratus Tyranni, qui apud Pãnones captiuus erat quadraginta millibus aureorum redimitur. 20

Q

Quæ ſtudia & exercitia Scanderbeg in ipſis puerilibus annis exercere, & quod morum, virtutis ac fortitudinis ſpecimen in eo dilucere cœperit. 1
Quæ Turca pmiſerit Ballabano ſi vincat Scãderbegũ. 209
Quæ Caſtriotus ad ſalutem regni procurauerit audito Tyranni aduentu in Epirum. 64
Quærelæ Chriſtianorum. 105
Quæſtio de Scanderbegi ceſſione. 160
Quid Scanderbeg cum Ducibus & Præfectis ſuis ſuper auxilio ferendo Vladiſlao Regi ſenſerit. 35
Quo animo Scanderbeg contra Chriſtianos bellarit. 5

R

Raguſina vrbs Epidaurum dicta. 176
Raguſium altera Roma. 177
Reditus Caſtrioti ad vrbem Croiæ, Dibris cum nouo delectu, relicto ibidem Moſe cum vetere præſidio. 134
Reſponſio & ingreſſus Scanderbegi in vrbem regiam, cum ingenti triumpho & præda poſt adeptam victoriam ex hoſtibus profligatis. 217
Reſponſio Epirenſis ad Oratorem Tyranni. 115
Reſponſio Ameſæ ad admonitorem Marinum. 54
Reſponſum Caſtrioti ad Piceuninum. 182
Reſponſum Perlati datum Turcæ petenti deditionem Sfetigradi. 71
Reſpondet Vranacontes legato Turcæ. 111
Romania. 38
Romani. 20
Rota oppugnata. 253
Ruſtica dona quæ Scanderbeg miſit Ballabano. 206

S

Salinæ in Campupeſcubi. 26
Sanzachi dignitas apud Turcam. 3
Sanguinem pluit. 163
Scanderbegus Ballabanum viuum aut mortuum ſperat ſe habiturum. 220
Scanderbeg deſtitutus exploratoribus. 141
Scanderbeg ad Dibras concedit. 146
Scanderbeg vixit annos 63. 227
Scanderbeg moriturus filium ſuum Ioannẽ cõmendat. 228
Scanderbeg alloquitur filium moriturus. ibid.
Scanderbeg vrbem Trani accipit. 187
Scanderbeg Fuſiano loquitur. 186
Scanderbeg caſtra Turcæ inuadit & fugat. 46
Scanderbeg elapſus cum vno miniſtro. 212
Scanderbeg fugit cum reliquis copijs. 142
Scanderbeg dolet Moſis vicem & excuſat. 146
Scanderbeg ſua manu tria millia Turcarum occidit. 188
Scanderbeg Moſen conuenit. 133
Scanderbeg annuit Ameſæ. 172
Scanderbeg ſternitur à Barbaro. 152
Scanderbeg reſpuit pacem cum Turca. 168
Scanderbeg conſcribit exercitũ Hungaro auxiliaturus. 37
Scanderbeg operam ſuam offert Vladiſlao. ibid.
Scanderbeg Tumeniſtum occupat. 154
Scanderbegus cedit hoſti. 160
Scanderbeg præditus ingenio Numæ aut Romuli. 209
Scanderbeg Carazebeg vocat anum & vetulam. 191
Scanderbegus excipitur à Croienſibus. 118
Scanderbeg cum copijs ad Iſinum flumen ſe recipit. 106
Scanderbeg Dibrenſes et Sfetigradenſes in gratiã recipit. 89
Scanderbeg ſuos mittit ad legenda occiſorum ſpolia. 83
Scanderbeg pro Deo habetur. 210
Scanderbeg aciem inſtruit contra Venetos. 50
Scanderbegus admonetur de vxore ducenda. 92
Scanderbegus veſtigia fugientium inſequitur. 90
Scanderbegus vix euadit. 103
Scanderbegus iugulat Feribaſſam. 83
Scanderbeg triſtis in caſtris ſe continet. 89
Scanderbeg conſiliorum Turcicæ. 80
Scanderb ſolatur vulneratos et manibus ſuis attrectat. ib.
Scanderbeg patriæ ſalutem commendat. 65
Scanderbeg Croiam exit. 65
Scanderbeg ad obſidionem Daynenſem ſe conuertit. 61
Scanderbeg mœſtus propter Baleſij ruinam. 60
Scanderbeg firmat ſuos contra Amurathem. 57
Scanderbegus grauiter expoſtulat cum Ameſa. 56
Scanderbeg conſtituitur Imperator & Dux belli. 26
Scanderbegus, Albanorum princeps vindex libertatis. 26
Scanderbeg Dux exercitus Turcici. 3
Scanderbeg pauciſſimi ſomni. 14
Scanderbeg ampliat imperium ſuum. 21
Scanderbeg ſignum dat ad cædem. 10
Scanderbeg victor muneribus honoratur. 5

Scanderbegus conſultat de reſiſtendo Turcæ. 218
Scanderbegus formidoloſus Turcæ. ibid.
Scanderbeg pluries ab Amurathe in Myſiam cum exercitu aduerſus Georgium ſiue Deſpotem miſſus, victor inde Adrianopolim ſemper reuerſus. 7
Scanderbegi conſilium de regno paterno occupando. ibid.
Scanderbegi exercitus in tres partes diuiſus. 180
Scanderbegi Humanitas erga reliquias cladis Varneſis. 39
Scanderbegi conſiliarij Moſes, Tanuſius & Streſius. 99
Scanderbegi Magnanimitas & Confidentia. 27
Sanderbegi conflictus cum duob. Perſis, Iaia et Zampſa. 4
Scanderbegi duellum cum Scytha. 3
Scanderbegi velox conſilium in Croia recuperanda. 9
Scanderbegi pater moritur. 6
Scanderbegani milites leones. 209
Stratagema Scanderbegi cum duobus Turcis. 143
Stratagema Scanderbegi vt frumentatores Tyranni inuadat. 108
Stratagema Scãderbegi ad alliciendũ hoſtem ad pugnã. 68
Stratagema. 30
Stratagema Caſtrioti. 160
Statura Ameſæ & dotes. 155
Sebalas magnis copijs mittitur contra Scanderbegum. 139
Sebalias munit Sfetigradum. 145
Sebalias victoriam celebrat. 143
Sebaliæ puſillanimitas. 143
Seculo Alexandri & Pyrrhi nobilis Macedonia. 119
Secura fiducia Scanderbegi. 50
Sfetigradi vrbis habitus. 66
Sfetigradum oppugnatur. 93
Sfetigradenſes erumpunt in Turcicos. 77
Sfetigradenſi præſidio damna inferuntur. 92
Selita. 27
Sententia Turcæ de Scanderbego. 110
Sententia Scanderbegi de Carazabeg. 191
Sententia Ameſæ de Scanderbego vana. 161
Sermo Ameſæ ad Scanderbegum, de vxore & liberis. 172
Stephanus Herceccus dux Boſnæ. 54
Signa quædam naturaliter in corpore Scanderbegi inſita, membriſq; eius manu velut impreſſa. 1
Silentium nocturnum in exercitu Scanderbegi. 31
Syna præfectus Turcæ cum viginti millibus vult Scanderbegum inuadere. 189
Scodra Macedoniæ caput, Turcicè Scanderia dicta. 235
Scodra donata Amurathi Turcæ & recepta atq; oppignorata Venetis. 253
Scodra obſeſſa à Turcis. 237
Scodra defenſa, duce Antonio Lauretano. ibid.
Scodra Romanorum oppidum. 234
Scodrenſes victores. 254
Scodrenſes non vlterius oppugnandos. 266
Scodrenſes vrbem Turcis cedunt. 271
Scodrenſes Baleſinum incendunt, funditusq; euertunt. 57
Scodrenſium perturbatio. 248
Sclopi deſcriptio. 249
Sollicitat Ottomanus Dibranos ad deditionem vrbis. 85
Subordinati occiſores Scanderbegi. 218
Summa bellorum, quæ geſſit Scanderbeg intra annos decem & octo. 184
Studium Turcarum in imperio cuſtodiendo. 139
Studium Mahumetis. 197

T

Tanuſius cum tribus millibus equitum parat iuſtum exercitum. 135
Tanuſij Thopia pietas in patruelem. 141
Tacita Amelæ querela. 58
Transfugæ ex Turcis ad Chriſtianos. 83
Talaſmani. 2
Taut Gaiola nouæ Romæ Baſſa generalis. 238
Theodorus Corona Regulus. 135
Tentoria ſub Alcbria. 169
Teſtamentum & verba, quibus Scanderbeg. ad ſuos Duces & Præfectos caſtrorum vſus eſt. 227
Timor in Epiro propter Turcas. 27
Triumphus Scanderbegi & Regis Ferdinandi. 186
Triumphus Sebaliæ quo venit Conſtantinopolim. 147
Topiæ rabies in hoſtem. 146
Turca cogitat in perniciem Scanderbegi. 198
Turca ex aſtris colligit orbis imperia ſibi promiſſa. 204
Turca tributum petit à Scanderbego. 114
Turca cladem imputat Ameſæ. 126
Turcicus princeps redit Byzantium. 267
Turca receptui canit infeliciter pugnans. 105
Turci petunt congredi cum Epirenſibus. 110
Turcæ qui & vnde. 29
Turcæ de expugnatione Scodræ deſperant. 267

V

Vaticinia ſiue prodigia de Scanderbegi natiuitate. 1
Valchatia locus caſtrorum Scanderbegi. 206
Valachia. 38
Varna. ibid.
Vladiſlaus occiditur ſpreto Hunniadis conſilio. ibid.
Vladiſlaus rex, dictus Lacilagus, veneno ſublatus. 173
Vladiſlai pugna contra Baſſam. 9
Vranacontes reſpondet Scanderbego. 125
Vranacontes dux Æmathiæ. 118
Vranacontes heros Epirenſis vrbi Croiæ præficitur. 65
Vranacontis reſponſum datum Scanderbego. 73
Venetiæ columen & propugnaculum fidei Chriſtianæ. 194
Veneti aduehunt alimoniam Turcis ad caſtra. 109
Venetorum pecunia adiutus Scanderbegus. 98
Venetorum exercitus ad vrbem Scodram. 48
Venetorum laus. 228
Velocitas in conficiendo exercitu vnde fuerit Scanderbego. 127
Veterani, non milites, ſed præceptores militiæ. 32
Vexilla & inſignia Caſtriota gentis & familiæ. 21
Vita Æneæ Syluij. 205
Vita, mores, ac facinora Mahumetis. 196
Vires Scanderbegi trifariam diuiſæ. 48
Victoria oppidanorum aduerſus Tyrannum. 108
Victoria Scanderbegi & triumphus. 152
Victoria Scanderbegi contra Seremetium. 204
Victoria Gallorum. 174
Victoria Chriſtianis ex manibus extorta. 95
Victoria Hunniadis qui & Iancus dictus. 8
Victoria Scanderbego cedit. 76
Voiſana vxor. 1
Vber gloriæ materia eſt Scanderbego pugnandi contra Amurathem. 34
Vngariæ Rex profligatus. 33
Vrſara Apuliæ oppidum. 180
Vt Scanderbegus tulerit mortem Pij ſecundi. 205
Vt tractatus Moſes à Tyranno. 148

Z

Zacharias Groppa. 94
Zacharias Groppa. 149
Zacharias victor. 150

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOFVRTI AD MOENVM, APVD IOANNEM FEYRABEND, IMPENSIS SIGISMVNDI FEYRABENDS.



Anno M. D. LXXVIII.

RERVM ET VERBORVM PRAECIPVE MEMORABILIVM, QVAE IN HVIVS VOLVMINIS PRIMO TOMO CONTINENTVR,

INDEX AMPLISSIMVS.

A.

ACEDIÆ *vitium ex diabolico ocio profectum.* fol.54
Acomathes Gendicus. fol.25
Acomates aduerſus patrem ſeditioſus. fol.29
Acomathes profligatur & parricidialiter occiditur. 94
Acomathes Selimum prouocat ad duellum. 94
Aladoli profligatio & trucidatio. 32
Alcantzi ſeu Aconizij. 41
Almericus. 6
Altera ſeditio ob Muſtaphæ necem. 102
Ambigua Turcorum origo. 1
Ambitus murorum Conſtantinopolis tria miliaria Germanica. 87
Amoreus. 4
Amurathes Græciam domat. 18
Amurathes oppugnat Epirum anno 1450. 19
Amurathes Peloponneſum occupat anno 1445. 19
Amurathes pacem petit & impetrat à Ladiſlao Rege Poloniæ. 18
Amurathes confoſſus pugione 11
Amurathis expeditio Perſica in Natoliam. 95
Amurathes fugitiuus recipitur honorificè à Perſis. 95
Angelos etiam morituros credunt Turcæ 63
Animarum impiarum ſupplicia Mahometica 64
Annum Turcæ numerant ab ortu Mahometanæ religionis. 77
Appellationes cauſarum Turcicarum. 56
Aſapi peditum Turcicorum viliſſimi. 41
Aſper Turcice aëccia dicitur: Et 55. valent ducatum. 77
Aſtronomiæ ſtudia apud Turcas. 68
Athinus. 4
Atrienſes aulæ Eunuchi. 72
Auaritia eſt Radix plurimorum ſcelerum. 52
Auari gratia diuina deſtituti. 53
Aurifabri aulici 70. 77
Autoris conſilium & ſcopus. 1
Aedificiorum Turcicorum ratio. 67
Aethiopiæ Capitaneus equites alit 1000. 84

B.

B*Aiazethes impar maioribus ſuis.* 30
Baiazethes veneno interficitur. 30
Baiazethes à proprio filio oppugnatus. 29
Baiazethes captus à Tamerlane quomodo tractatus. 14
Baiazethes quomodo ſolium imperatorium contra filium occupauerit. 90
Baiazethes veneno ſublatus per Iudæum Medicum. 91
Baiazethes Imperator Turcorum. 25
Baiazethes bellum infert Venetis. 27
Baiazetes Ioanni Comiti Niuernenſi vitam donat & quinq; præterea nobilibus. 13
Baiazethes capto Dyrachio profligat Croatos, anno 1493. 27
Baiazethis exercitus profligatus à Suldano. 27
Baiuli aulæ Turcicæ. 71
Balduinus Edeſſanus. 6
Balduinus de Burgo. 6
Balduinus III. 6
Balnea Turcica. 67
Balneæ Turcorum aulicæ. 71
Beglerbeij Aſiæ. 41
Beglerbeij qui? 41
Belgradum Mahometes oppugnat, anno 1456. 23
Bernhardus Comes Frangepanus temeritate perdit Chriſtianos. 27
Binos ſingulis infantib. adiungi angelos. 64
Boſnæ ſeu Vngariæ præfectus 800. alit milites. 84
Burſia eadem quæ & Pruſia Bithyniæ. 41

C.

C*Adauerum Turcicorum cura.* 63
Calender Monachorum ſeuera diſciplina. 58
Calumniæ aulicorum Turcicorum. 100
Calyphas. 3
Camerarius ſtipendia ſoluens non numerat ſed ponderat pecuniam. 78
Camerarij ſeu quæſtores aulici duo. 78
Campſonis Aegyptij exercitus Selymo oppoſitus. 32
Campſonis interitus, anno 1516. 7. Kal. ſept. ibid.
Clades Chriſtianorum ad Nicopolim culpa Gallorum. 13
Capitaneus Græciæ 40000. equites inſtructos ſemper alit. 84
Capitaneus ſeu Bellerbeius Aſiæ ſeu Natoliæ equites promit 30000. 85
Captiui qui nulli arti faciendæ ſunt idonei. 107
Caragius à Techelle capitur. 28
Carambeius Baſſa profligatus à Polonis. 18
Caripici. 40
Carolus V. reſtituit Regem Tunetis, anno 1536. 25. Iulij. 38
Caſtigationes diſcipulorum. 70
Cauſa niſi iuſta eſt, excutit arma pudor. 88

Cauſæ Turcorum minus graues quomodo iudicando decidantur. 57
Cædes tumultuaria orta ob necem Muſtaphæ. 101
Ceremoniæ piæ obſeruandæ. 48
Ceremoniæ peregrinantium Mecham. 61
Ceremoniæ redeuntium peregrinatorum. ibid.
Circumciduntur Turcæ ætatis ſuæ anno 8. 65.
Circumciſionis ritus. 65
Chriſtiani qui Bilioneum ſecuti erant, profligati. 5
Chriſtiani nominis profeſſio, quando apud Tartaros conciderit. 8
Corchutus Conſtantinopolim aduentat. 29
Corcuthus ſuſpendio tollitur. 93
Coloſſus Solis apud Rhodios. 3
Comitas Orchanis in milites. 10
Concordia opus contra Turcam. 1
Concubinæ Imperatoris Turcici. 200. 81
Concubinarum Imperatoris ſtipendium diuturnum. 81
Coniuges fiunt nati annos 25. augendæ gentis ſuæ cauſa. 50
Comnenorum ſtirps deleta, anno 1459. 24
Coquorum vtriuſq; culinæ præfecti quatuor. 71
Conſtantinopolis occupata. 22
Conſtantinopolis capta à Mahomete, anno 1453. 4. Kalend. Iulij. 22
Conradus Imperator Romanus & Ludouicus Rex Galliæ opem ferunt Balduino. 6
Conſiliorum aulicorum officia & ceremoniæ aulicæ. 79
Conuiuia in defunctorum ædibus celebrantur. 63
Cubiculariorum Turcicorum officia. 69
Curaam idem quod Muſaph. 45
Culinarum in aula geminarum miniſtri. 60
Cruciati duo conficiunt aſprum. 77
Curſores 100. equum Imperatoris Turcici præcedentes. 76
Curſorum Turcicorum pernicitas. 76
Curatur nemo aulicus, neſcio Imperatore. 72

D.

DE ortu Ottomanni diſſentiunt autores. 9
Deploratio cladis Chriſtianorum. 110
De Sacerdotum & Monachorum ſub Turca tributo viuentium conditione. 109
Deruiſerorum Sacerdotum ordo hilaris. 59
De tributis Chriſtianorum. 109
Diſciplina Turcorum militaris 42
Diſciplinæ militaris apud Turcas ſeueritas. 81
Dies Veneris ſacra Turcis. 55
Diſsidium Turcorum poſt obitum Mahometis. 25
Ducenda vxor propter vitandas impudicitiæ occaſiones, 53
Duo in Turcia prædones ordinarij, alentes equites quiſq; 200. 84

E.

EBriorum pœna carcer. 57
Edendi mos in aula Turcica. 80
Edunt Turcæ feſtinanter & cum ſilentio. 86
Eleemoſynæ Turcorum gratuitæ quæ non mendicantibus dantur. 50
Equi Turcorum qui optimi? 67
Equites miniſtri Imperatoris Turcici. 74
Equites clauigeri, Turcam præcedentes. 75
Exemplum ſeueræ Iuſticiæ Tamerlani. 15
Exemplum abſtinentiæ Tamerlanis. 15
Exercitus Bilionei 300000. peditum. 100000. equitum. 8
Exercitia in globis tormentarijs eiaculandis. 76
Exercitia gynæcei. 81
Exhortatio contra Turcas. 110
Expeditio Sigiſmundi Regis Vngariæ, & Caroli VI. Regis Galliæ. 13
Expeditio Bilionei in terrã ſanctam, anno 196. 8
Expeditio Vngarica Duce Electore Brandeburgenſi. 38
Extremum iudicium fore credunt Turci. 63

F.

FAbri ferrarij 300. 77
Facinoroſis interdicitur templo & pijs ceremonijs. 48
Fatuis Turcorum peculiaris domus extructa. 68
Fœminarum captiuarum conditio. 107
Ferrea arma loricaſq; Turcæ habent ex Chriſtianorum ſpolijs. 76
Fidelia miniſteria, vel apud Turcos ſua habent præmia. 72
Filij Soldani Baiazetis ſex. 85
Filiæ Imperatoris elocantur Baſsis. 81
Fornicatorum Turcicorum & adulterorum adulterarumq; pœna, eadem fermè quæ falſorum teſtium. 57
Fulco Andegauienſis. 6

G.

GAzellus Syriæ præfectus à Solymanno profligatus. 35
Gemes profligatus à Baiazete confugit ad magnũ Rhodi Magiſtrum. 26
Gemes honorificè exceptus à Rhodijs. ibid.
Georgij Scanderbeij adoleſcentis indoles. 20
Græci Muſtapham patruum Amurathis armis inſtruunt. 17
Græciæ Beglerbeius, quibus imperet. 41
Godefridus Bilioneus primus Rex. 6
Gulæ vitium omnium malorum initium. 54

H.

HAbitus Capitaneorum qui ab Imperatore Turcico damnantur. 79
Hæreſis Magorum inter Perſas Maurophoros. 4

Hiero-

Hieroſolyma amiſſa. 7
Hydruntis expugnatio. 25
Homo ratione præditus vt Deum glorificet. 47
Hortorum Turcicorum fructus. 67
Hortulani in palatio Turcico iuuenes 200. 70

I.

Ianitorum aulicorum turmæ duæ. 72
Ianizari. 40
Ianizari noui 500. 77
Ianizarorum præfecti. 73
Ianizari ex Chriſtianorum liberis orti. 73
Ianizarorũ exercitus robur potentiæ Turcicæ. 81
Ieiunium Turcorum trigeſimale. 49
Inferiorum Turcorum ſupplicia. 79
Imperator Turcicus palatium conſiliariorum ingrediens, inq; ſolium ſuum aſcendens. 79
Interfecto Acomathe duo eius filÿ fuga ſibi conſulunt. 95
Inuidia peccatum occultum. 54
Inuocatione nominis diuini pugnandum contra Turcam. 1
Iſmael Sophus oppugnat Baiazethem. 28
Iracundia cauſa atrocium ſcelerum. 53
Iohannes Iuſtinianus Genuenſis, & Iohãnes Grandis, Germanus, defenſores Conſtantinopolis. 22
Iohannes Bellinus Venetus pictor, honoratus à Mahomete. 22
Iohannes Maria Lombardus, præceptor Muſtaphæ. 22
Iohannis Hunniadis virtus. 18
Iudices Turcorum ſummi tres. 56
Iuuenes Sacerdotes temerarÿ. 56

L.

Laconicus Chalcondyla. 1
Ladislaus pacem violat. 18
Lanÿ Iudæi 15. Conſtantinopoli. 82
Lapicidæ Turcici Imperatoris. 77
Lecti & cubilis Imperatoris conſtruendi ratio. 80
Legatus Chriſtianus quomodo ab Imperatore Turcico excipiatur. 80
Legatis Chriſtianis à Turcico Imperatore habitus honor, 80
Liberatio Hydruntis. 25
Liberatio Genuenſis Hiſtoriæ huius autoris. 97
Ligures Turcos in Græciam tranſuehunt. 11
Lucrum ex cultura terræ acquiſitum honeſtiſſimum eſt. 70

M.

Macelli Turcici lanÿ 200. 82
Macello præfecti officium. 82
Magiſtrorum Scholæ præmia. 70
Mahomethes primus ex vrbe Bithiniæ Pruſia, Regiam ſedem transfert Adrianopolim Thraciæ vrbem. 17
Mahomet naſcitur Anno 591. 2
Mahometes veneno ſublatus à patre. 87
Mahometes Turcorum Propheta. 2
Mahometh moritur. 3
Mahomethes moritur anno Chriſti 1481. 25
Mahometh profligatus 24
Mahometes à matre Chriſtianis moribus imbutus. 22
Mahometh capit Trapezontium. 24
Mahometes ἄθεος. 22
Mahometes habitu pyratæ Conſtantinopolim ſe confert. 86
Mahometis & Baiazetis ſepulturæ. 55
Mahometis ſepulchrum. 62
Mahometica doctrina ex deprauatione veteris ac noui Teſtamenti conſuta, opera Sergÿ. 2
Maledictio parentum exitialis. 47
Mancipiorum captiuorum incluſio. 107
Marinus Barletius deſcripſit res geſtas Scanderbeÿ libris 13. 21
Medici decem & Chirurgi decẽ aulæ Turcicæ. 71
Mechæ templum ab Abrahamo extructum creditur. 62
Metatores caſtrorum 200. 76
Methones expugnatio. 27
Milites conductitÿ. 75
Milites tumultuaria opera in Aſia & Græcia collecti 40000. 85
Miniſtrorum aulicorum tres præcipui qui? 69
Miniſtris aulicis exire arce non licet ante annum ætatis 25. 72
Myſiæ Rex dolo circumuentus trucidatur à Mahomethe. 24
Monachi mendicantes. 56
Monetæ Turcicæ non effigies, ſed vocabula imprimuntur. 77
Monetarÿ 50. 77
Mors Sciemſiæ primogeniti Baiazethis. 87
Morientium Turcorum cura. 62
Moritur Tamerlanes anno Chriſti 1402. 15
Muhanias Aegypti Suldanus. 3
Mulierum veſtitus. 67
Mulierem palatium Turcæ ingredi nefas. 71
Muſaph in tomos triginta diſtributus eſt. 46
Muſaph qualis liber. 45
Muſtapha Baſſa purpuratorum præcipuus, à Selimo interficitur. 93
Muſtapha crudeliter circumuentus. 101
Muſtapha Baſſa morti deſtinatus. 94
Muſtaphæ in Chriſtianos animus crudelis. 102
Muſtaphæ mortem præſentiſcentis animus. 100
Muſtaphæ interitus. 31

N.

Nautæ 400. 78
Nex Muſtaphæ. 101
Nomades. 1
Nouercæ in Muſtapham inſidiæ. 99

O.

OBitus filij Alemſciæ ſecundi, luctuoſus Baiazethi patri. 86
Occaſio occupatæ Græciæ. 11
Octo præcepta legis Turcicæ. 46
Octo præcipui gradus ſacerdotum Turcicorũ. 56
Omnes homines reſurgent, & quomodo. 63
Opifices quoque ſorte in militiã protruduntur. 84
Opificiorum Turcicorum negociationes. 67
Opiniones Turcicæ, de vxoribus in Paradiſo. 64
Ordo ac diſpoſitio huius voluminis. 2
Ordo hoſpitalis S. Iohannis Baptiſtæ. 6
Ordinis Ianizarorum inſtitutio. 40
Orandi ſtudium. 48
Ottomannus Turcicorum Imperatorum pater. 7
Ottomannorum familiæ initium. 9

P.

PAx Venetorum cum Turca Baiazethe. 27
Plagoſi ludimagiſtri non ferendi. 70
Pauperis agminis præfectus. 75
Pœna falſorum teſtimoniorum. 57
Pœna falſorum ponderum merciumq́. 58
Perfidiæ præmium. 87
Perfidiæ præmia. 93
Peccata Turcorum, mortalia ſeptem. 52
Penus aulæ Turcicæ. 70
Perſæ. 1
Perſarum Rex aduerſus Selimum ſe armat. 95
Perſarum victoria. 96
Peregrinatio Mecham, neceſſaria ad ſalutem. 60
Prælium inter Tamerlanem & Baiazetem, Anno Chriſti 1397. 13
Prælibator Turcæ. 74
Pilus, Neſtoris olim ſedes adempta Venetis, Anno 1500. 27
Piſtores aulæ Turcicæ 70. 70
Poëtices ſtudium in Turcia. 68
Potus Turcorum qui? 66
Proceſſus Iuris Turcici expeditus. 56
Prodigia antecedentia cladem Varnenſem. 19
Prodigia ante cædem Muſtaphæ. 100
Proditiones in bello magni momenti. 94
Pugiles aulici 30. 78
Pugna ad Soncium amnem. 24

Q.

QVicunque bona præſtiterunt, & Chriſtiani & Turcæ, ſecundũ Mahometem ſaluantur. 64
Quomodo tractentur captiui Chriſtiani. 106
Quot modis milites Turcæ Chriſtianis præſtẽt. 42

R.

REges Turcici appellati Cæſares. 23
Religio Imailer voluptaria & Epicurea. 58
Rhodus oppugnata. 25
Rhodus expugnata, Anno 1522. Iunio menſe. 36
Rude donari in aula Turcica. 74

S.

SAcerdos Turcorum ſummus qui? 56
Sacerdotes in aula quotidie orantes ſunt 40. 72
Sacrificia Turcorum. 49
Salonici præfectus equites habet 500. 84
Sanguine alterius non contaminandæ manus. 51
Saraceni profligant Venetam & Conſtantinopolitanam claſſem, diripiunt Anconam vincuntur à Romanis, Anno 847. 4
Saraceni Hiſpaniam occupant. 3
Saraceni vaſtant Romanum imperium. 3
Saraceni Gallias inuadunt. 4
Saracenis attritis, Turcæ emergunt circa annum. 1051. 1
Sartores aulici 300. 77
Satellites imperatoris 460. 75
Scanderbeius ſua manu interfecit ſupra 2000. 20
Scanderbeius obit Anno ætatis 63. Anno Chriſti 1467. 21
Scanderbeij brachio effigies ſtricti gladij naturaliter impreſſa. 21
Scanderbeio pugnanti, ſanguis è labris erupit. 20
Spahioglani præcipui ſatellites Turci. 39
Stabuli Magiſter Turcicus. 74
Sæuum & inexorabile ingenium Tamerlanis. 15
Selymus ingentes copias aduerſus Sophum Perſarum contrahit. 93
Selymus patri Baiazethi bellum mouet. 88
Selymus parricida & ſæuus in cognatum ſanguinem. 30
Selymus imperium occupat, cedente patre Baiazethe. 91
Selymi aduerſus Corchutum eiuſq́ liberos immanis crudelitas. 31
Selymi aduerſus Acomathem fratrem crudelitas. ibid.
Selymus aduerſus patrem ſeditioſus Imperio inhiat. 28
Selymus patri reconciliatus, & bello contra fratrem præfectus. 90
Selymus II. paciſcitur inducias cum Maximiliano II. 39
Selymus adimit Venetis Cyprum. ibid.
Selymus profligatur. ibid.
Selymus profligat Perſas, Anno 1514. 7. Calend. Sept. 31
Selymus parta victoria caſtra mouet. 95
Selymus Turcicus Imperator Imperium ſtabilit parricidijs, Anno 1512. 30
Selymus delet Mamalucos. 33
Selymi exitus miſerandus, Anno 1520. Sept. 34.
Selymi formidabilis exercitus contra Perſas. 96
Sepultura Turcica. 63
Sermo aulæ Turcicæ. 41
Sigiſmundus Rex Vngariæ profligatus à Turcis, Anno 1409. 16
Scythæ. 1

Socij expeditionis Bilionea. 8
Schola aulica nobilium puerorum. 70
Scholæ pueriles Turcorum. 68
Solakhi. 40
Solymannus denuò profligatus à Perſis. 38
Solymannus fruſtra oppugnat Melitem. ibid.
Solymannus moritur, Anno 1566. ibid.
Solymannus Corcyram Zazinthum, & Cythera populatur. 38
Solymannus capit Parum, Naxum ſubigit. ibid.
Solymannus Viennam relinquit, Idib. Octob. deſideratis 60000. 38
Solymannus Boëmiam inuadit, Anno 1530. ibid.
Solymannus profligatus à Perſis. ibid.
Solymannus Belgradũ expugnat, anno 1521. 35.
Soldanus Mahometes habitu monachi inuiſit fratrem Acomathem. 86
Soltani Solymanni Turcarum Imperatoris horrendum facinus in proprium filium, natu maximum Soltanum Muſtapham. 97
Solus Deus, non idola colenda. 55
Soluphtari. 40
Sponſas Turcæ ducunt indotatas. 50
Suldani. 3
Superbiæ peccatum grauiſſimum. 52
Superſtitio Phariſaica. 48

T.

Tamerlanes Scytha centum myriadum exercitu petit Baiazethem. 13
Tamerlanes vnde dictus. 15
Tamerlanes non homo, ſed ira Dei. 15
Tartari innoteſcunt Anno Chriſti 1202. 7
Theſaurarij iuuenes in aula Turcica. 69
Templi S. Sophiæ Conſtantinopoli præſtantia. 55
Templariorum ordo. 6
Templa, ceremoniasq; Turcicas negligentium pœna. 57
Templa Turcorum Meſchit. 55
Terræmotus Conſtantinopolis ſub Baiazethe. 87
Tympanorum Caſtrenſium magnitudo & horrendus ſonitus. 77
Tria palatia Imperatoria Conſtantinopoli. 68
Tribus opificum Turcicorum ſuos ſingulos habent Senatores. 68
Tributa Chriſtianorum triſtiſſima. 41
Torlachi ſordidi, & fratres ignorantiæ, fermeq; Zigeuneri. 59
Tormentis præſunt 500. 76
Turca quid ſignificet. 1
Turca à ſingulis ſubditis ducatum exigit bella moturus. 82
Turcæ à Perſis in Aſiã exciti, circa annum 640. 1
Turcæ Saracenorum imperium tollunt. 4
Turcæ flagellum Dei. 1
Turcæ Saracenis ſe coniungunt. 1
Turcæ etiã præcones in bello muneribus afficiunt. 94.
Turcæ cur radantur? 66
Turcæ à Tartaris labefactati imperio excidunt, Anno 1243. 1
Turci Turcos reprahendunt. 102
Turci inuadunt Conſtantinopolitanos. 5
Turci Macedonum militarem diſciplinam imitati ſunt. 81
Turci à Romanis victi. 3
Turci à Turcis reprahenſi. 101
Turcici Imperij inſtaurator Ottomannus, Anno 1300. 1
Tubicines 150. 77
Tunetes à Barbaroſſa pirata capta. 38
Turcorum Epiſcopi, eorumq; nomina & tituli diſtincti pro ratione dignitatis cuiusq;. 56
Turcorum Imperium Anno Chriſti 1051. 5
Turcarum clades ingens. 96
Turcorum erga peregrinos & ægrotos miſericordia. 55

V.

Vaticinium de Turcorum internecione. 104
Varnenſis clades 4. Iduum Nouemb. 18
Venditi emptiq; Chriſtiani captiui. 106
Venatici miniſtri Turcæ 400. 78
Venationum Turci amantiſſimi. 67
Veneti rurſus quædam eripiunt Baiazethi, Anno 1500. 27
Veneti profligati à Mahomethe. 24
Veneti reficiunt hexamili murum ad Iſthmũ Corinthiacum. 24
Veneti pacem faciunt cum Mahomethe. 25
Veſtiarij adoleſcentes in aula Turcica. 69
Vectores armorum 300. 76
Veſtitus Turcicus. 66
Vexilliferorum præfectus. 73
Vineæ Turcicæ. 67
Vini vſus cur interdictus Turcis. 66
Vicini colendi ſunt. 47
Viſier Baſſæ ſummi Imperatoris conſiliarij. 73
Viſier Baſſæ 4. ſummi conſiliarij. 41
Vſumcaſſanes victus à Mahomete. 23
Vſumcaſſanes Mahomethi rebellis, retrahit eum ab expeditione maritima. 23

X.

Xenodochiorum multitudo apud Turcas. 55

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOFORTI AD Mœnum, apud Iohannem Feyerabendt, Impenſis Sigiſmundi Feyerabendt.



M. D. LXXVIII.

collated complete
wjw 4/85

205

(I) (II) (III)

)(^{4}, A-Z^4, a-h^4, i^6; a^4, A-D^6, E-Z^4, a-g^4; *^{4}, A-Z^4, a-z^4, aa-zz^4, K^4

[4], 130 ff; [8], 255, [1] pp; [4], 271, [9] ff

Illustrated by Jost Amman with 5 printers marks and family shields; 27 portraits, and 184 scenes. Total = 216 woodcuts (several repeats)

Index to part one bound in at end of volume.

Some v. light browning to a few leaves
& few minor natural paper flaws

SPECIAL 85-B
FOLIO 22701

GETTY CENTER LIBRARY